Digitized by Google

XX
G.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THESAURUS JURIS ROMANI,

IN V. TOMOS

DIVISUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

RARIORA
MELIORUM INTERPRETUM
OPUSCULA,

In Quibus Jus Romanum emendatur, explicatur, illuſtratur.

Itemque Claſſicis aliisque Auctoribus haud raro lumen accenditur.

CUM PRAEFATIONE
EVERARDI OTTONIS,
JCti & Anteceſſoris.

TOMUS I.

EDITIO SECUNDA,
Auctior & emendatior.



TRAJECTI AD RHENUM,
Apud JOANNEM BROEDELET, Bibliopolam.
M. D. CCXXXIII.

Digitized by Google

CURIAE SUPREMAE, QUAE HOLLANDIAE, ZELANDIAE,

FRISIAEQUE NOMINE, HAGAE BATAVORUM EST,

PRAESIDI GRAVISSIMO,

S: D.

EVERARDUS OTTO.

Jam diu moleſtum eſt omnibus, qui maſculae Juriſprudentiae nomen dederunt, Praeſes Ampliſſime, meliora ſuperiorum temporum opuſcula quodammodo deplorata jacere, ſituque ac pulvere vetuſtatis obduci; quibus in lucem hominum prolatis, ſpes erat, poſtliminio reverſurum ſtudium Juris Civilis, quod plurimi nunc compendio male conſuto, aut febriculoſis aliquot definitionibus, nulli uſui in vita civili futuris, metiuntur. In tanto autem doctiſſimorum hominum, quos noſtra haec & parentum aetas tulit, proventu, repertus fuit nemo, qui ſuſcepta eorum editione, operae pretium ſe facturum exiſtimaverit: quamvis in aliis ſcientiis & diſciplinis, viri ingenio praeſtantes, hoc officii genere, certatim ſibi laudem comparaſſent. Saepe igitur multumque, in mea ſtatione, tanto ſtudiorum frigore diſcruciabar, nec parum ſubinde Auditorum meorum movebar querelis, nuſpiam veteres illos heroas, toties commendatos, ac laudibus plane in caelum evectos reperiri; immo quoſdam eorum tam ſpiſſis tenebris involvi, ut ipſis eruditioribus vix fando cogniti habeantur. Itaque rogavi alios, & convicio paene efflagitavi viros, in auctoritate conſtitutos, quos hanc provinciam ſuſcipere poſſe intelligebam, ne procraſtinando tardarent ingenia multorum, & libros, immortalitati comparatos, intercidere paterentur. Jacuit autem pulcherrimum inſtitutum, & verebar, ut quod omnium nationum votis expetebatur, unquam perfici poſſet, donec Tu, Nobiliſſime virorum, velut dexter Hercules, nobis apparuiſti, longeque ultra ſpem &

Digitized by Google

ad umbilicum eſſet perductus, nihilque reſtaret, quam ut patronus ei advocaretur, ſub cujus tutela ſecurus a morſu vitilitigatorum in publicum prodiret, & ancipitem judiciorum aleam experiretur; non diu ambigendum fuit, cui potiſſimum eum commendaremus. Ipſe nomen tuum ſibi inſcribi poſtulabat; cujus auſpiciis inchoatus eſt, & conſummatus; cui is ſuam debet fortunam, & pleraque accepta fert ornamenta. Non minus praeclari illi juris interpretes, novo cultu nunc exultantes, atque a maculis, quibus foedabantur, purgati, ultro in ſinum tuum convolabant, ſummique Juſtitiae Praeſidis auctoritati committi rogabant, quae ad veritatem tuendam eſt comparata. Omnes denique juris Romani, veri *illius* & antiqui, cultores, grati animi monumentum, in veſtibulo hujus Operis, tibi collocandum eſſe rebantur; quod, in ampliſſima illa dignitate, faves ingeniis praeteritis ac praeſentibus, & rem litterariam non minus ac publicam, prudentia tua juvas, auges & exornas. Ego vero, licet omnis conſilii & doctrinae inops, parum ad hanc collectionem conferre potuerim, nihilque magis odio habeam, quam parietinas illas herbas, alienis operibus temere adnaſcentes, lubens amplector occaſionem, publice declarandi, quanti te faciam, tuaque egregia facta, cominus inſpecta, usque ac usque demirer. Nolo hic ingredi laudum tuarum campum, quas ipſe eadem animi magnitudine ſcribi vetas, qua omnia ad conſcientiam refers, recteque factorum non ex populi ſermone mercedem, ſed ex facto petis. Nec tamen adulationis notam pertimeſco, ſi dicam, inter paucos togati Belgii Patres, quorum nomina uni annulo inſcribi poſſunt, te inprimis eſſe, qui triſtes Camoenas hac tempeſtate ſerio reſpicias, & fata pereuntis Jurisprudentiae moreris. Obſides hujus judicii habeo plauſus & acclamationes, civium juxta & exterorum, procerum ac capite cenſorum, qui uno ore te colunt, ut virum egregie cordatum, & inſtrumentum ſaeculi boni. Loquuntur pro me fecundiſſimi ingenii tui monumenta, in quibus eadem felicitate jus divinum tractas, qua humanum; publicum, ut privatum; jus gentium, ut civile; vetus, ut novum; varia errorum monſtra diſpellis, & corruptelas librariorum profligas. Jam vero quam admirabilis eſt, in arte illa, omnium artium maxima, & Reipublicae regundae magiſtra, tua eruditio! quam vaſta, in truncis & mu-

... perfectius implevit; aut in rationes & progreſſus juris penetravit profundius. Atque hae quidem amplae ſatis dotes ſunt, quaeque pluribus ſufficere poſſent. Quoties autem in munus tuum laborioſiſſimum, modumque vivendi, multa hilaritate conditum, intueor, nunquam exputare poſſum, qui inter medios rerum actus, & remiſſiones amicis datas, tam multa abſtruſa, & inexplicabilia non modo docere potueris, cum quibus alii per integram vitam luctati erant, nec tamen eluctari potuerant: ſed ne quidem nunc indefeſſus ceſſes, tam varia in luce veritatis collocare, quae in altiſſima caligine ſepulta jacuerant. Plures itaque, vir ampliſſime, ſupremae Curiae cum gloria praefuerunt; ſed laus tua ſingularis eſt, aut certe cum paucis communicata, quod inter actorum ſtrepitus, & lacrimas reorum, Muſis ſimul Gratiisque litas, & judicandi exempla componis, quae poſteritas ſequatur. Non ſine jucunditate vidi bis millenas, & quod excurrit, cauſarum graviſſimarum deciſiones, Te praeſente & ſuffragante latas, tuoque calamo Latino elaboratas. Opus quod, una cum Jurisprudentia Hollandica, Civili & Feudali, in formam' artis a te redacta, diu efflagitat univerſa togatorum cohors; cui applaudent omnes juſti & recti amantes; tanquam juſtitiae concinnato, & Reipublicae ſaluti. Quae & alia intento animo contemplatus, crebro de te uſurpavi Ciceronis de Servio Sulpicio verba: quod *non magis Juris conſultus ſis, quam Juſtitiae*: ita ea, quae proficiſcuntur & a legibus patriis, & a jure Romano, ad utilitatem, facilitatem & aequitatem refers, ac novis quotidie exercitiis ſubacti tui

Ingenii redeunt fructus, aliique labores,
Et vitae pars nulla perit, quodcunque recedit
Litibus, incumbis ſtudiis, animusque viciſſim
Aut curam imponit populis, aut otia Muſis.

Quid amplius dicam de ſtudio tuo ſingulari erga omnes elegantis eruditionis cultores; qui aedes tuas, velut Prytaneum

Digitized by Google

ſtantiam commemorem? Quid pectus pietatis, officii, & moderationis plenum? Quid ego haec? quaſi vel unus ea in te venerer, vel tu iſtis laudibus indigeas; quem nemo non praedicat, cujusque nivei mores, & vitae ſimplicitas, & priſcae frugalitatis imago in omnium oculis verſantur. Quod ſi vero nimis verecundus tui ipſius aeſtimator, hoc qualecunque judicium ſpernis, teſtes appellabo Illuſtriſſimos ac Potentes Hollandiae & Zelandiae Ordines; qui dotibus ingenii tui excellentiſſimis, & ſtudio juſtitiae indefeſſo pellecti, principatum tibi detulerunt Senatus ſupremi, & praeeſſe voluerunt collegio virorum maximorum; quorum ea eſt virtus, integritas, uſus, & doctrina, ut totidem Scaevolae & Papiniani, jus reddentes aequiſſime & ſanctiſſime, cum omnium veneratione, conſpiciantur. Docent nos priſci Sapientes, juſtitiae fruendae cauſa, non modo Reges fuiſſe conſtitutos; ſed & grande ac oneroſum eſſe depoſitum, Dei & ſacra ſummae poteſtatis vice, tribunal regere juſtitiae, qua ſublata, omnis civitas coetus latronum eſt: at tu eum obtines locum, quem haud ſcio, an inter duodecim, quos Curia ſuprema vidit principes, ea aetate ullus ſit conſecutus. Ibit certe in annales populi tui, te primum eſſe Zelandorum, quem merita & animus, tantae molis capax, ad illam amplitudinem evexerunt. Quae & quanta ſapientiae ac prudentiae, in hac ſtatione edideris, & edas indies exempla, unius epiſtolae anguſtiis complecti non poſſum: erit de his alio tempore dicendi locus, quando de domo numerationem faciemus; nunc quidem pleraque de menſa tua ſumimus, & nuncupare eſt reddere. Deum Opt. Max. veneror, Praeſes integerrime, ut te Ampliſſimo Senatui, & Civitati utrique, & Reipublicae litterariae quam longiſſimum incolumem praeſtare, teque cum nobiliſſima conjuge, & ſuaviſſimis pignoribus, omni bonorum genere porro cumulare velit. Trajecti ad Rhenum a. d. I. Kal. Maji MDCCXXV.

LE-

Magnifica profecto res eſt juris Romani prudentia, ad quam illuſtrandam, cxornandam & priſtinae majeſtati ſuae reſtituendam, homines, omnium paene nationum, ingenio excellentes certatim ſeſe contulerunt: poſtquam illa, admirando Dei beneficio, primum in umbraculis academiarum, deinde in foro, ſummisque Europae tribunalibus, Principum auctoritate, dominari coepit. Neque enim in longa tantum, quae praeceſſerat, barbariei nocte, ſed vix ab omni hominum memoria, ullae aut obſervatae, aut promulgatae occurrebant leges, quae tam certa ratione fluerent ex fonte naturalis honeſtatis, quaeve, praeter formam artis, omnibus numeris perfectam & abſolutam, tantam ſpirarent aequitatem, elegantiam & rationis pondus. Aliis forſan ſimulatae, & non verae Philoſophiae cultoribus, nimis ſuperbe Tullius, ſub perſona Craſſi, dixiſſe videbitur, incredibile eſſe, quam ſit omne jus civile, praeter hoc unum, inconditum ac paene ridiculum: at mihi, certum fixumque ſedet, omnium ceterarum civitatum, non Barbariae tantum, ſed etiam Graeciae, leges moreſque, vel unius Ariſtotelis teſtimonio rudes, prae iſto meram infantiam ſpiraſſe; & ſi noſtrarum urbium jura ſtatutaria cum eo conferantur, non vanum augurium fuiſſe Juſtiniani, jus illud in omne aevum eſſe valiturum. Quicquid ſane apud Etruſcos & Spartanos, apud Hebraeos & Graecos, quicquid ubivis terrarum egregium fuerat, inde uſque a Regum temporibus, per viros ſapientiſſimos, ad exempla late obvia, diſcuſſum, ventilatum & digeſtum fuit; neque unius urbis aut Reipublicae Juriſconſultus hic informatur, ſed is, qui apud omnes gentes moratiores jura profiteri poſſit, & ad agendum, & ad cavendum, & ad reſpondendum peritus.

Vix autem dici poteſt, quam pauci, ex tam immenſo illo juris hujus interpretum numero, plena ejus ſcientia ditati fuerint: dum aliis, cetera ingenioſis viris, & optimis juris condendi auctoribus, temporum infelicitas impedimento fuit, quo minus veros juris conditi ſenſus aſſequerentur. Aliis rerum, opinionum & librorum multitudo triſtem lucubrationum ſqualorem objecit: plerique autem imperitia antiquitatum & ſermonis Latini ceſpitarunt; a quibus ſubſidiis quotquot imparati ad ſacra haec accedunt, tanquam hoſpites, in peregrina regione vagantur, & inter ſenticoſos anfractus, multa non intelligunt, plura pervertunt, opinione falſi. Hoc quum vir induſtriae ſtupendae, Gulielmus Budaeus animadverteret, primus quidem, apud Gallos, ceu virgula divina tactus, fontes juris Civilis aperire coepit, adſcitis proprio Marte veterum ornamentis, qua Graecis, qua Latinis; ſed cognoſcendae utriusque linguae magis intentus, tum communi fato omnium, qui diſciplinas emortuas reſuſcitarunt, tantos in jure progreſſus non fecit. Andream Alciatum, Italum, haec gloria manebat, ut, magni ſideris inſtar, viam, qua itur ad Juriſprudentiam, monſtraret diſcipulis, ſupra fidem undique confluentibus, quos inter Viglius Zuichemus, Friſius, Belgicae Praeſes, & Antonius Auguſtinus, Hiſpaniae honos, familiam duxerunt. Horum pulcherrimis exemplis, velut claſſico, excitata mater ingeniorum Gallia, viros produxit juris prudentiſſimos, Duarenos, Contios, Donellos, Balduinos, Charondas, Connanos, Briſſonios & Hotmanos, qui Juriſconſultorum reliquias, non modo rubigine & ſordibus, quas librariorum inſcitia illis affricuerat, purgarunt, ſed Philologicis quoque & Hiſtoricis obſervationibus illuſtrarunt. Tandem Jacobus Cujacius, vir inſtaurandae Juriſprudentiae natus, ipſiſque juris auctoribus aequandus, acerrima vi ingenii & judicii ſubtilitate, quae illi praeclare inchoata reliquerant, ad conſummati faſtigii gloriam evexit: ac ope Pandectes Florentini, Fragmentorum veteris aevi, Codicis Theodoſiani, omniſque Graecorum Juriſprudentiae, tanquam orbis totius lumen, illorum nominibus tenebras obduxit. Quotquot, poſt uberem ejus meſſem, ad agrum hunc, plenum bonae frugis, acceſſerunt homines elegantes & politi, nondum quidem omnia exhauſta repererunt (id quod non unius nationis, ne dicam hominis, erat, quantumcunque ſeduli & felici ſidere nati) at ſpicas tantum collegerunt; minime tamen ſpernendas, ſive numerum illarum ineas, ſive apparatum eruditionis, ex libris, indies magis magiſque caſtigatis, ex nummis, marmoribus, & ex reliqua antiquitatis ſupellectile, auctiorem ſpectes.

incuria, jam interciderint; alia denique inedita, nullo Reipubl. [illegible]
ſcriniis heredum recluſa lateant, & ultima auctorum manu polita, miſerabilem in modum indoctorum fidem implorent, ne blattarum epulae fiant, ſoloque ſitu deterantur. Edax ſcilicet illa rerum omnium vetuſtas, non minus intemperanter in Jurisprudentiae, quam aliarum diſciplinarum libros, omni tempore graſſata eſt, & ſi priſcis illis non pepercit, germanis, atque, ut ita dicam, majorum gentium Jurisconſultis, quam ſortem poſteriores exſpectare debeant, facile liquet. Certe Juſtiniano imperante, plerique veterum libri, maximae quondam auctoritatis, omniumque diſciplinarum genere ornati, ipſis etiam doctis vel incogniti erant, vel propter ſecretum materiae a paucis admodum attingebantur: adeo ut ſine Tribuniano fuiſſet, pretioſis illis, ex magno naufragio, tabulis careremus, quas ille, tanquam Soter & Hercules quidam Alexicacos, cum ſociis, ex diligentiſſima ſua rariorum quarumvis lucubrationum collectione, nobis ſervavit, ut ipſe ſub perſona Juſtiniani profitetur, in *l.* 2. §. 17. *l.* 3. §. 17. *C. de Veteri Jure enucl.* Nunc, navibus amiſſis, fluitantia apluſtria quaerimus, nullaque arte reparanda lugemus damna, quae duo paene millia volumina nobis abſtulerunt: poſtquam fida illa legum nutrix, Berytus, terrae motu fuit abſorpta; Roma vero & Conſtantinopolis barbarorum furori ſuccubuerunt.

Haec quum tot taliaque antiquis illis Aquiliis, Serviis & Trebatiis contigiſſe, noſtri ordinis obſervaſſent eruditi, ſubiit animum, poſſe conſervatricem manum commodari recentioribus, ſi in illorum ſcriptis errantibus conquirendis, digerendis, & in unum corpus redigendis, horae quaedam ſubſecivae collocarentur. Quis neſcit jam Patrum memoria hoc officium occupaſſe homines, doctrinae & ingenii laudibus ſatis eminentes? qui licet ipſi pulcherrimis ſcriptis & aetatem laturis, Rempublicam litterariam adjuviſſent, tamen ſummo ſtudio anniſi ſunt, ut eimelia Jurisconſultorum principum, ex otioſis bibliothecarum forulis, ad artis ſalutaris progreſſus & incrementa, foras proferrentur. Hanc pietatem Cujacio ſuo abunde teſtatus eſt Fabrotus, Duareno Ciſnerus, Lectius Hotmano, Gentilis Donello, Marvillius Gothofredo, Forſterus Coraſio, & Contio Merillius, cujus Manibus nuper admodum Bernardinus Geſſari, Vir Cl. praemium laboris rependit uberrimum, quod opera ejus minora, in Gallica editione, innumeris mendis inquinata, Neapoli vulgavit. Idem in Franciſci Balduini opuſculis ſe moliturum, jam ante hos annos triginta, illuſtris Thomaſius edito programmate indicarat, quo minus autem publicis votis reſponderit, proprii ingenii fecunditas effecit. Nec opus eſt, ut pluribus oſtendam, quam acceptae deſideratacque, a multis retro annis, viris, bonarum litterarum ſtudioſis, fuerint collectiones ejusmodi rariorum opuſculorum, quandoquidem immania pretia tum Lampadis, ſive Facis artium liberalium Gruteri, tum Theſaurorum Graevii, Gronovii, & Burmanni id ſatis loquuntur, quorum nominibus, vel hoc ſolo nomine, honos habebitur, dum litteris erit.

Atque utinam eandem viam olim ingreſſus fuiſſet Franciſcus Zilettus, in opere vaſtae molis, quod quinque & viginti voluminibus, ſub titulo, *Tractatus univerſi Juris*, Venetiis prodiit A. MDLXXXIV. Nolo virum diligentem laude ſua defraudare, qui vel ideo nobis carus eſſe debet, quod pro virili ſua artem praeclaram juvare ſtuduit, multosque ex beata Accurſii familia, quam penes fori regnum fuerat, immenſis ſumtibus, ubique terrarum conquiſivit, ſervavit & in ordinem digeſſit; quibus in controverſiis populorum graviſſimis, de jure belli & pacis, ſaepe cum fructu teſtimonium denuntiamus. At paucos illorum his artibus & litteris reperias excultos, propter quas homines eruditi appellantur: plerique, ut illa erant tempora, veſtitu incedunt ſordidi, non niſi inquinate & ruſtice mentis ſenſa depromentes: alios, gregatim paſcentes, videas plauſtris Doctorum columnas implere, ac ſi diffiderent ſuarum animadverſionum veritati: omnes, coqui Plautini inſtar, jura ſacra cum profanis confundunt, nec quae natura dictat, ab illis, quae a libera voluntate proficiſcuntur, ſatis diſcernunt. Ut adeo de magnifico hoc tractatuum Tractatu, pariter ac de *Repetitionibus Juris Civilis*, a Pompejo Limpio, octo voluminibus, congeſtis, & ſimiliter Venetiis editis A. MDCVIII. verba Plinii noſtra facere liceat: *Opera, propter quae vadimonium deferi poſſit, at cum intraveris, Dii Deaeque, quam nihil in medio invenies!*

De alio igitur ſyntagmate juris Romani concinnando poſtea cogitatum fuit, in quod non niſi terſiores & nitidiores ſcriptores, quique dixiſſent, quod non dictum fuerat prius, conjicerentur. Verum, optantibus licet & hortantibus viris egregie cordatis,
per-

[illegible] honos hic expectabat, ut tot egregios Hiſpanorum, Gallorum, Italorum, Germanorum & Belgarum fetus paene ſepultos ſervaret: ac gratulor impenſe fortunae, & famae hominum, exitio vicinae, quod ex latibulis bibliothecarum protracti, poſt iteratam hanc editionem, magis magiſque per ora virorum volitabunt. Princeps inſtituti auctor fuit, vir illuſtris, Cornelius van Bynkershoek, Curiae ſupremae Hollandiae, Zelandiae & Friſiae Praeſes graviſſimus, Juriſconſultorum ſaeculi noſtri facile coryphaeus, & ſi quis alius horum ſtudiorum Maecenas & arbiter idoneus. Is non modo auctoritate ſua inanes declamationes & ſcrupulos, a patribus difficultatum injectos, confeſtim exemit, ſed quo teſtatiorem faceret honeſtiſſimam ſuam de bono publico merendi voluntatem, perinſtructae etiam bibliothecae ſuae theſauros liberaliter recluſit, ut omnium commune fieret, quod, praeter ipſum, a paucis poſſidebatur. Poſt virum illum primarium, alios quoque recolere juvat, qui re & judicio ſuo Opus hoc inſtruxerunt. Inter eos vero haud proſtremum locum obtinent Alexander Cuninghamus, & Henricus Brencmannus, viri clariſſimi, & optima fide de republica litteraria pariter, ac de Juriſprudentia merentes, qui non modo libellos aliquot rariſſimos ſponte ſua ſuppeditarunt, ſed &, repetitis deliberationibus, ad dilectum librorum inſtitutis, adſuerunt, dignoſcere cauti, quid ſolidum crepet. Praeterea vir ampliſſimus & nobiliſſimus, Adolphus Visscher, Juriſconſultus, & ſupremae ejuſdem Curiae ornamentum ſingulare, *Antonium Auguſtinum, de Nominibus propriis Pandectarum*; Georgius Adolphus Schuberth, J. U. D. & in celeberrima academia Lipſienſi Anteceſſor clariſſimus, *Stekii Obſervationes Anticriticas*; Abrahamus Gronovius, propriis non minus, quam avitis laudibus celeberrimus, *Catharini Obſervationes*, humaniſſime communicarunt; ſicut Johannes Balk J. U. D. & curiae Friſiae advocatus, *Burgii Electa & Perrenonii Animadverſiones*, a mendis nonnullis gravioribus repurgavit; quibus, ut par eſt, debitae gratiae publice ſolvuntur.

Ad me vero quod attinet, non dubito fore, qui hanc qualemcunque operam reprehenſuri ſint, quaſi ſuperflua prolegomena, homo exigui in Republica litteraria nominis, conſecter, & vino vendibili hederam ſuſpendere coner: nullam item in hac temporum noſtrorum luce, & circumfluente praeſtantium ingeniorum copia, commendationem aut contentionem cum barbaris, neceſſariam videri: novumque opus nunciandum eſſe in fundo alieno aedificanti, & laureolam ex muſtaceo quaerenti: haec & id genus alia, illi maxime, qui aut nihil, aut male agunt, quibuſque cum Muſis, cum humanitate, & doctrinae lepore nullum eſt commercium, criminabuntur. Verum, quo minus ipſe ex propria penu, quod publici ſaporis ſit, proferre valeo, eo magis exiſtimabam, non tam verecundiae & modeſtiae, quam ruſticae diffidentiae datum iri, ſi hanc provinciam recuſarem, quam vel ſolus mos, tyrannus, ut ille ait, maximus ſatis commendat. Neque vero me fugit, quam ſit arduum, vetuſtis novitatem & faſtiditis gratiam dare; at Diogenes dolium volvebat, ne unus inter tot operi intentiſſimos ceſſator eſſe videretur, & apud veteres aulocdi fiebant, qui citharoedi eſſe non poterant. Quicquid denique illi cenſores, vitio creati, ogganniant, uſu edocemur, ſatis eum eminere laudibus ingenii proprii, qui fautor eſt alieni; ipſeque ſatis uberem officii hujus fructum tuliſſe putabo, ſi vel tantillum hoc prooemio profecero, apud juvenes ad magna natos, qui, deſerto paene juris civilis ſtudio, tantum aevi ſui bonum aut ſpernunt, aut ignorant.

Enimvero ingens commodorum ſilva hic ſeſe aperit, ſi modo illud animo ſemel perceperimus, ſummam, in hoc clarorum virorum theatro exſtruendo, cautionem ſuiſſe adhibitam, uti ne aliis in eo daretur locus, quam quos & Brevitas, & Raritas, & Utilitas commendaret. Majora opera procul releganda fuerunt, quia mole ſua nimis gravant, & facillime parantur. *Magnum librum magnum malum eſſe*, Callimachus criticus dixit: commentationes vero breviores ſaepenumero ornatiores eſſe ſolent; quod mens tota omnes in illas conatus effudit. Raritas nullos in hunc cenſum admiſit, niſi ſimul multo elegantiae & eruditionis ſale eſſent perſperſi: nam ſicut agricolae cum delectu truncis ſurculos quaerunt, & alienos partus adoptaturi, de bona indole

b 2 ſunt

Digitized by Google

tis & otio & litteris. Itaque ipſi ſuos ...
praeter eos, qui eandem licentiam ſcribendi ſibi permitti volunt. Quod ergo Pomponius noſter, in *l.* 2. §. 42. 45. & 46. *de Origine juris* memorat, Aquilii Galli & Balbi Lucilii ſcripta, ſua aetate, non talia extitiſſe, ut ea omnes appeterent; Trebatii quoque libros complures minus ſrequentatos, nec Tuberonis opera valde grata fuiſſe; quia res in ſcholis tunc protritas, & in commentariis poſterioribus elegantius expoſitas, ſtilo caſco & affectato proponebant: idem rariſſimis nonnullis, quos fama obſcura recondit, ſi revocarentur, temporibus noſtris eventurum foret: *Quotus quiſque enim tam patiens, ut velit legere, quod in uſu non ſit habiturus?* ad Ariſtonem Juriſconſultum Plinius ſcribebat, *lib. VIII. epiſt.* 14. Quinimo urendam potius, aut reſecandam illorum putamus eſſe copiam, qui praeter infelix lolium & ſteriles avenas, nihil protulerunt. Neque tamen eam fortunam Theſauro huic polliceri auſim, ut omnes in eum relati, promiſcue ſeverioribus judicibus, quorum natura plures fecit, quam artifices, ſatis ſint facturi; ſed quemadmodum admirationi non ſunt procerae arbores, ubi in eandem altitudinem tota ſilva ſurrexit, ſic in multa illa differentia & ingenii, & judicii, & doctrinae, varietas aliquando delectabit, & mediocres interventu optimorum compenſabuntur. Plane ſi ſingulorum ſuffragiis ſtare voluiſſemus, ipſi ſine dubio accidiſſet, quod ſeni in fabulis; qui a puella & anu amatus, ſubito calvus evaſit, illa canos, hac nigros capillos vellente. Forte etiam, in tanta judiciorum non minus, quam guſtuum, varietate, eveniet, ut quae viris ſubacti ingenii magno in pretio erunt, & ſupra omnes coenas dapales, ab aliis, qui inter optimas fruges glandibus paſci amant, tanquam quiſquiliae rideantur. At hos ſanius ſapere, ſuoſque quaeſtus ſibi habere jubemus, modo nobis illa ſtudiorum bellaria relinquant, ſecuris Senecae judicio *epiſt.* LXIV. *fin. Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt, ſuſpiciendi tamen ſunt, & ritu deorum colendi. Quidni ego magnorum virorum & imagines habeam incitamenta animi, & natales celebrem? Quidni illos honoris cauſa ſemper appellem? Quam venerationem praeceptoribus meis debeo, eandem illis praeceptoribus generis humani, a quibus tanti boni initia fluxerunt.*

Juvabit certe uno ſub faſce comprehenſos hic legiſſe libros exquiſitos centum, qui ſicut diverſis locis & temporibus lucem viderunt, & non niſi magno cum ſumtu vix ac ne vix quidem, comparari poterant, nunc minoris in univerſum conſtabunt, quam unus Auguſtinus, *de nominibus propriis Pandectarum*, ante fuit emendus. Sed, praeter lucri illecebras, mille occurrent blanditiae, & innoxiae voluptatis oblectamenta, quibus poſt ſalebroſas juris quaeſtiones, forive rixantis murmura, animus reficiatur. Habebunt hic juris ſtudioſi innumera ſpecimina, ex quibus diſcant, quomodo rationes ex ipſis legum viſceribus ſint depromendae; juris progreſſus obſervandi; aetas & genius cujuſque Juriſconſulti attente conſiderandus, denique legum ſeries & contextus ſit ſpectandus, quae ſunt juris noſtri arcana. Dabitur Criticis, quo partem litteraturae nobiliſſimam, quae πολυμάθεια vocatur, large inſtruant; quum viderint adjecta, detracta, mutata & conjuncta eſſe plurima, quae ante omiſſa, depravata aut divulſa vero intellectu lectorem fruſtrabantur. Erit, ubi truculentum & audax hominum genus retundatur, qui codicibus manu ſcriptis, aut certe primis editionibus deſtituti, praepoſtera tamen ambitione dicam, an petulantia, a nullo, ne quidem a ſano loco, manum falcemve abſtinere ſciunt, variaſque lectiones, multo pejores, ſaepe pro emendationibus obtrudunt. Convincentur etiam divae Critices oſores, Arcades βαλανήφαγοι, vel, ut mollius loquar, ſuperſtitioſiores virginis Florentinae amaſii, qui foeda emplaſtra imponere locis affectis, & ludibria excitare, quam maculas in venuſto corpore agnoſcere malunt: non abſimiles mulierculis gravidis, quae cacochymia oppreſſae, pro cibis ſaluberrimis, calce aut carbonibus veſcuntur. Denique humaniorum litterarum cultores, & quotquot in alio doctrinarum genere verſantur, multa ad proprietatem vocum, ad ritus, formulas, mores, & antiquitates Romanorum pertinentia, hic invenient, ſcitu ſane digniſſima, quae, tanquam roſae alienis menſibus natae, iis gratiora videbuntur. Profecto, ſi *Theſauros oportet eſſe, non libros*, ut Domitius Piſo ajebat, haec Collectio tanti nominis menſuram implebit, vere theſaurus rerum plurimarum, quas ignoraverant priores: verum cornucopiae, immenſas eruditionis & doctrinarum gazas complectens, quibus vera a falſis dignoſcimus, & res magni momenti vetuſtas perſcrutamur.

Praeter has dotes, ſatis magnas, aliae adhuc memorandae veniunt, quas bibliopola indu-

Digitized by Google

tate. Singulis porro libris praemiſſae ſunt ſuae praefationes & dedicationes, ſubjecti indices, paginis quibusque exacte reſpondentes; nec quicquam eorum eſt praetermiſſum, quae a diligentia bibliopolae proficiſci poſſunt.

Ad hanc vero ſecundam editionem quod attinet, hoc unum dixiſſe ſatis erat, non egere illam commendatione, quae ipſa ſe oſtendit: neque opus eſt, typorum elegantiam, aut chartarum nitorem commendemus; quum vigilantiſſimus bibliopola, *Joannes Broedelet*, nullis pepercerit ſumtibus, magnaque diligentia id curaverit, ut, feſtinatis typographorum operis, id quod publice pollicitus eſt, immo longe amplius, intra breve unius anni ſpatium, adimpleret. Ne vero bambalio aliquis, & vitio creatus librorum Cenſor quaerat, quid dignum tanto ferat hic promiſſor hiatu? non tam iniquae ejus rogationi, quam honeſto bibliopolae deſiderio, hoc dandum cenſui, ut pauca quaedam de dotibus iteratae hujus editionis commemorarem. Harum prima eſt acceſſio tomi V. cujus pleraque Opuſcula, Illuſtris Bynkershoekii judicio probata, haud quaquam elegantia & raritate illis cedunt, quae in tomis prioribus continentur. Deinde Praefationes, ad alterum tantum usque auctae, plura nunc, niſi fallor, ab Auctoribus noſtris minus plene tradita, inprimis de Nominibus propriis Pandectarum, & de Legibus xii. Tabularum, ſupplebunt; alia non ſatis accurate poſita emendabunt, nec pauciores etiam conjecturas & judicia aliorum Lectoris judicio ſubmittent. Praeter haec incrementa, bona fide dicere audeo, ſexcentos errores graviores, Juridicos, Grammaticos, & Orthographicos, non modo a typographis prioribus & correctoribus, ſed ab ipſis quoque auctoribus commiſſos attentiſſima animadverſione ſublatos eſſe; ubi vel ſenſum orationis obſcuriorem reddebant, vel plane corrumpebant & auferebant. Quot & quanta verborum, ſyllabarum & litterarum monſtra correcta, mutila ſuppleta, quae conjungenda erant copulata, quaeque disjungenda erant, diſtracta jam legantur, cuivis confeſtim apparebit, qui in Guil. Fornerii, Suerinii, Marcilii, Perrenonii, Zoannetti, Prateji, Freheri, Catharini, Oſii Aurelii, etiam in Jac. Gothofredi ſcriptis experimentum capere velit: haec enim innumeris nunc locis intelliguntur, ubi imperita manus, vel oculus feſtinans rebus clariſſimis meras tenebras & caliginem offuderat. Hoc amplius, Pulvaeo ad legem Atiniam & Fabroti Exercitationibus integras periodos majores omiſſas adjecimus: Ferandum Adduenſem & Catharinum capitum numeris diſtinximus, ut obſervationes eorum laudari, & laudatae reperiri poſſint: multis item in locis capita Hiſtoricorum, verſus Poëtarum, & ſedes Inſcriptionum apud Gruterum adjecimus, aut adjectas correximus: verba Veterum litteris currentibus diſtinximus, ubi id neceſſarium videbatur; ſaepius quoque eadem, ſecundum editiones a recentioribus ad libros manu ſcriptos caſtigatas, emendavimus. Millies tandem vitia interpunctionum correcta, deleta, ſuppleta ſunt; quibus vel oratio perfecta ſuſpendebatur, aut nondum abſoluta, quaſi clauſa, ſiſtebatur; crebris item parentheſibus nunc incluſa occurrent, quae uno contextu antea exſcripta erant, licet nec ſententiae partes ſint, neque ab ullo antecedente aut ſubſequente verbo regantur; nec, ſi abſint, detrimenti quicquam patiatur ſententia. Si quis autem iniquior planeque rudis haec parvi faciat, aut contemnat, cum ad Anticyras relegabo, ut caput helleboro purget, diſcatque, a parvis iſtis res magnas pendere: nam & Cicero jam *inciſa* & *interpuncta verborum*, & Seneca ſuam in ſcribendo *conſuetudinem interpungendi* memoravit. Profecto quemadmodum litterae ſunt inventae, ut cuſtodiant voces, & tanquam depoſitum reddant legentibus, magnique refert, an teſtator omnia λέοντι, an Παντὶ λέοντι legaverit: ita plurimum intereſſe exemplis docuit Radulph. Fornerius *lib. VI. Rer. quot. c.* 17. 18. uno verborum contextu, an diſtincto aliquid efferatur. Sic aliud notant illa Evangelii verba: *Dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo:* aliud *Dico tibi hodie, mecum eris &c.* Aliud *ſi omnes conſentiunt; ego non. diſſentio:* aliud *Ego non diſſentio.* In hisce autem & reliquis recte conſtituendis judicium ſuum mihi ſaepe probavit vir doctus, qui typographorum erroribus corrigendis, usque a Lucifero ad Solis occaſum, quotidie indefeſſus praefuit, *Petrus Poeraet*; qui & puncta diacritica, ſigna interrogandi & exclamandi, accentus, cola & puncta,

ne Theologiae ſtudioſis prodeſſet. Quod ſi vero, ...
tiam operamque Theſauro utilem, ac plus quam mercenariam adhibitam, moroſior aliquis mendis levioribus novis offendatur, quas aut incuria fudit, aut humana parum cavit natura, partem culpae in celeritatem editionis & operarum conjicio, neque aliud habeo quod reponam, quam boni venatoris ſemper fuiſſe, in magna ſilva, quam plurimas indagaſſe feras, nec ei unquam vitio verſum, quod omnes non cepiſſet. Illud, Lector, ab humanitate tua contendo, ut ne meae ignaviae aut inſcitiae quicquam adſcribas: neque enim, quantum ſatis eſt, quotidiano docendi munere occupatus, ſingula excutere potui, nec ſi potuiſſem volui, ratus, quod res eſt, propter legum capita perperam citata, & nomina Juriſconſultorum commutata, & caſtigationes, quibus opus eſt, innumeras, aliquando non minus arduum eſſe, alienos libros edere, quam alienos liberos educare.

Tenemus conſilium, & adjutores Theſauri in publicam utilitatem & elegantiam, quod felix fauſtumque ſit! iterum prodeuntis. Proximum nunc foret, de ſingulis librorum Auctoribus, unde domo fuerint, quando & ubi vixerint, qua induſtria, quibusque ſubſidiis, ad eos ſcribendos ſeſe accinxerint, quae munera in Republica ſuſtinuerint, & quid de ſingulis habendum ſit, differerem; niſi plerorumque nomina vix unquam fando audita, prorſus in obſcuro laterent; ceterorum vero vitae in Freheri, Witteni, Teiſſierii, aliorumque Biographorum ſcriptis, omnium manibus tererentur. Erat Hebraeorum paroemia: fatuitatis eſſe reſpicere dolium, non id, quod eſt in dolio; jamque ſat multos invaſit ſtudium ſupervacuas minutias in hiſtoria litteraria tractandi, quibus operoſe nihil agunt, nec doctiores fiunt, ſed moleſtiores. Niſi utile eſt, quod agimus, ſtulta nobis gloria eſſe videtur. Praefationis quoque modum excederem, ſi quae a poſterioribus, ut fieri ſolet, melius aut pejus tradita ſunt, laborioſe congerere, quaeque inter legendum miniatulis ceris notaveram παροράματα, Cenſorio ſupercilio perſtringere vellem. Praeſtiterunt omnes, quantum per vires ingenii & tempora potuere; plus exigere, eſt culpare fatum humanae naturae. *In omnibus poſteriora concludunt, & ſequentia antecedentibus praevalent*, ait Tertullianus *de Baptiſmo.* Errarunt veteres, medii & recentiores, erramus omnes, & cuivis homini attentiſſimo ſua hora eſt. Nihil autem difficilius ſemper exiſtimavi, quam judicare de ſcriptis aliorum; nihil turpius, quam praeſtantium virorum ingeniis dotibusque obtrectare, & ſicubi, veritatis cauſa, ſententia dicenda eſt, nil quicquam magis mihi ſuſpectum eſt, quam judicium meum. Hoc inprimis indies docendo magis magisque experior, nullum ſtudiorum genus adeo lubricum eſſe, quam criticum: eos tamen, qui ſerio in illo elaborarunt, veram & maſculam eruditionem quaeſiviſſe, negari non poteſt; nec alius ſcribendi modus eſt, ex quo lumen ingenii & acumen magis cognoſcatur. De ordine horum librorum ſi quaeras, minime talis obſervari potuit, qui perpetua ſerie, a capite cujusque tomi ad calcem, idem ſcriptorum genus ſiſteret; & cui bono? quum ſinguli libelli per ſe ſubſiſtant: nec tamen indiſtincte & indigeſte eos locatos eſſe, diligens lector animadvertet. Fortaſſis vero non ingratum fuiſſet quibusdam, ſi in hac editione libros ejusdem Auctoris conjunxiſſemus, qui nunc per duos quandoque tomos diſperſi leguntur; ſed religio fuit ordinem & paginas prioris editionis mutare, ne ejus poſſeſſores incommodum ſentirent, aut damno afficerentur.

Primum locum ſuo merito, bonisque avibus, occupat, viri ſummi, Ant. Augustini, Opus praeclarum, de *Nominibus Propriis* τοῦ Πανδέκτου *Florentini.* Quemadmodum enim aedificiis non modicam voluptatem & amoenitatem conciliat, ſi aditus clariore luce nitet; ita gratior hic Theſaurus legentium ad oculos veniet, conſpecto ſtatim tam venerando nomine: cujus maxima dignitas, virtus & eruditio, praeter temporis rationem, & operis raritatem, priores partes ſibi poſtulare videbantur. *Antonio Auguſtino & Alciatum, & omnes noſtri ſaeculi Juriſconſultos, longiſſimo ſpatio poſtpono, & quaſi in ima cera ſubſtituo*, Contii judicium erat, *Lib. I. Diſput. cap. 6.* Fuit ille domo Caeſarauguſtanus; Antonii Auguſtini, regnorum Arragoniae Procancellarii, filius; initio Duodecimviris Romani Palatii Apoſtolici litium judicandarum, adſcriptus; deinde, ex Alliſano & Ilerdenſi Epiſcopo, Tarraconenſis Archiepiſcopus, cujus de laudibus quicquid dixero minus erit. Is enim divini & humani juris antiſtes fuit ſanctiſſimus, & vindex humanitatis omnium, quos unquam vidit Hiſpania, doctiſſimus; homo vere πολυμαθέστατος, totius antiquitatis promus condus, omnigenae eruditionis theſaurus; & aſtrum ſeptem radiorum, quod in gentilitiis ejus in ſigni-

[illegible] per multos annos Romae ſelectos, ut Gratiani decretum emendarent, integram ſibi meſſem, ex ipſis fontibus limpidiſſimis relictam fuiſſe, oſtendit: tum ex *Juris Pontificii veteris epitome* apparet, in qua labore immenſo geſta decretaque Romanorum Pontificum, Synodos ubique terrarum coactas, oecumenicas & provinciales, earumque ſanctiones diligentiſſime conquiſivit, transſcripſit, contulit & in capita quaedam certa ſeriemque ordinatiſſime digeſſit. Duodecim ejus libros priores, de perſonis, ipſe Tarracone A. MDLXXXVI. in folio, reliquos autem octo & viginti, de rebus & de judiciis, ejus ex fratre filius, ex autographo Vaticano, in forma eadem majore, Romae edidit, cum effigie ejus praemiſſa, A. MDCXI. Denique hic Varro Ibericus Varronem & Feſtum legi primus & intelligi docuit; eorumque vindex, patronus & Aeſculapius a Turnebo dicitur; nec quiſquam tanto judicio, ingenio & candore veteris eruditionis, Graecae atque Latinae, apparatum cum Juris Civilis ſcientia copulavit. Obiit A. MDXXCVI. aetatis LXIX. Plurima in ejus laudes concepta, Manutii, Covarruvias, Sigonii, Victorii, Gruteri, Turnebi, Baronii, Scaligeri, Miraei, Pighii, Voſſii & Baluzii elogia, Nicolaus Antonius *in Bibliotheca Hiſpanica*, Thomas Pope Blount *in Cenſura Auctorum*, Hankius *de Romanarum rerum ſcriptoribus*, & Andreas Schottus, ante Dialogos ejus Antiquitatum, Latine converſos, collegerunt. Nobis unicus ſuffecerit Cujacius, vir laudatiſſimus, *Lib. XII. Obſervat. cap.* 28. *Optimus & doctiſſimus Antonius Auguſtinus, cui omnes non modo juris, ſed & bonarum artium ſtudioſi, tantum debent, ut debere etiam ſe palam profitentur multi, quantum homo homini debere poteſt, bono publico nato.* Idem capite ſequente: *Auguſtinus, doctiſſimus Juriſconſultus, ſanctiſſimus Epiſcopus.* Et nunquam ſatis dici poteſt, quantum ipſi, vel hoc ſolo nomine, univerſus debeat Juriſconſultorum ordo, quod primus indicavit praeſidia, quae ex Pandecte Florentino capi poſſint. Quum enim Alciatus, in diluculo renaſcentis Jurisprudentiae, publice & privatim ridere ſolitus fuiſſet Politianum, Bologninum & Taurellum, quod vel ſeria omitterent, ut venerandum illud exemplar conſulerent, quamvis ipſe fugitivis tantum oculis, velut per tranſennam, illud a ſe inſpectum fateatur, in epiſtola ad Selvam, *libris Dispunctionum* praefixa: Antonius noſter, nil moratus temerarium praeceptoris ſui judicium, decurſo ſtudiorum curriculo, Florentiam, Etruriae metropolim, ſe contulit, ibique Medicea liberalitate, una cum Johanne Matalio Metello, Sequano, quinquaginta Digeſtorum libros, cum Norica Haloandri editione, omnium, quae tum quidem exſtabant, minus mendoſa, eruditis oculis, ſumma fide & accuratione contulit, ad Codicem illum puriſſimum, quaeque legendo & commentando obſervarat, optima caſtigationum genera, aureis *Emendationum & Opinionum* libris, Venetiis, apud Juntas A. MDXLIII. explicata dedit, annos natus quinque & viginti, non unde viginti, ut perperam Schottus *lib. V. Obſervat. human. cap.* 33. Quam acceptum hoc beneficium adoleſcentis fuerit eruditis, & quantam ſpem de ejus modeſta ſagacitate conceperint juris myſtae, docuerunt plauſus Italiae & Gallorum admiratio. Ipſe Cujacius titulum divinarum Obſervationum ſuarum ab eo mutuatus videtur, quamvis ordine inverſo, *Obſervationum & Emendationum* uti maluerit, ob rationem in dedicatione expreſſam. Secutis temporibus non multum Auguſtino vivere licuit cum Muſis; quia ad munera ſacra vocatus, pleraque temporis in S. Scripturae lectione conſumenda exiſtimavit. Quicquid tamen ab his otii concedebatur, id homo, laboris in firma valetudine patientiſſimus, ad antiquitatum & juris Romani ſtudia retulit; quo factum eſt, ut ſexagenarius, quinto & triceſimo, poſt editos Emendationum libros, anno, ingens opus, *de Verbis Digeſtorum, & variis lectionibus*, diu meditatum, quodque, Scaligero judice, omnium poenarum faciem habuit, molitus fuerit, cujus pars prior *de Propriis Nominibus Pandectarum* A. MDLXXIX. Tarracone, typis Philippi Mey deſcripta eſt. Sed de tanti Viri laudibus, quem purpura decoratum non eſſe miror & indignor, plura mihi nunc quidem memoranda non arbitror, ne Solem facibus illuſtrare velle videar. Plenius ea, quae diximus, ipſe Metellus, ſupra laudatus, expoſuit, in erudita praefatione ad Oſorii res Emmanuelis, Auguſtino inſcriptas. Alia attulit Baſilius Zanchius, in prooemio Notationum in

Indicem Nominum Propriorum Ilerdae editum fuiſſe : quum [illegible]
teceſſoris epitome, eo interprete, ibi lucem tantum viderit, A. MDLXV. niſi duae forſan Indicis editiones in Hiſpania curatae fuerint. Cetera dabit Vir Ampl. & Amicus noſter honoratiſſimus, Henricus Brenemannus, *in Hiſtoria Pandectarum*, pulcherrimi Operis prodromo, eruditiſſime conſcripto, *Lib. IV. cap.* 4. ad quem adiiſſe non poenitebit. Ceterum quod ad hanc editionem attinet, nulli dubitamus, quin gratiſſima futura ſit, antiquae & ſolidae Juriſprudentiae cultoribus; quia notae Auctoris, antea ad calcem operis rejectae, nunc ſuis in locis ad finem paginarum, bibliopolae prioris induſtria legi poſſunt: quaeque Juriſconſultorum meminerant utriusque Codicis, Inſtitutionum, & Baſilicorum capita, ex eadem appendice uncis incluſa, ſingulis nunc ſubjiciuntur. Index praeterea ſolerti manu, & vel leviſſimo pulviſculo collecto, olim confectus, ad quasque paginas & lineas nunc reformatus, omnia, quae non ignorare eſt operae pretium, accurate monſtrabit. Idque oportebat in hoc praeclaro monumento, cujus opes ſic in apertum educuntur, & multa, quae viſum forte fugere potuiſſent, velut digito monſtrantur. Vetus autem Orthographia Pandectarum Florentinarum, quamvis ab uſu ſcribendi hodierno recedat, retenta eſt; tum antiquitatis honore, tum quod alienum opus interpolare, inque eo Curionem agere, pudor non ſinebat. Numeros item paragraphorum, ex Corpore Gloſſato, & Charondae editione deſumtos, mutare tam facile haud fuit, neque id neceſſarium eſſe duximus.

Forte nimius videar, ſi amoenitatem & utilitatem hujus Operis, ſuis veſtitam coloribus, hic enarrare inſtituerem; niſi metus eſſet, quosdam adeo extra omnem humanitatem projectos fore, ut nobiliſſimam hanc Civilis ſapientiae partem ineptae curioſitati imputare audeant, cauſati ſanguinem legum & ſuccum quaerendum, non cutem; frugem, non florem, diſciplinae practicae eſſe ſectandam; verborum denique & nominum haud tantam rationem haberi debere, dummodo ſenſus aſſequamur. Hos vero ſcire volo, me non eum eſſe, qui ex Juriſprudentia Philologiam fieri velim, ejusque nervos infringi nimio verborum cultu: ſic enim in nos quadraret, quod olim in Philoſophos cathedrarios Seneca dixit, Epiſt. 88. *Quantum habent ſupervacui, quantum ab uſu recedentis? Ipſi quoque ad ſyllabarum diſtinctiones deſcenderunt, & invidere Grammaticis: quicquid in illorum arte ſupervacuum erat, tranſtulere in ſuam.* At hanc eruditionis partem recte Silenis Alcibiadis comparaveris, in quibus plurima prima fronte rejicula, ſed, ſi cognoveris, ſolidae eruditionis aditum praeſtant. Neque illa ad Grammaticos tantum, aut proletariae vel otioſae cognitionis ſtudioſos pertinet; quia vel unus Fabius praeclaris Caeſaris, Ciceronis & Meſſallae exemplis demonſtrat, quam neceſſaria ſit nominum, ſyllabarum, immo & litterarum cura, ut in res ipſas penetremus, nec obſtare has diſciplinas per illas euntibus, ſed circa illas haerentibus, *lib. I. Inſt. cap.* 7. Haud diffiteor, ſupervacuam eſſe ſubtilitatem, ubi de proprio illius nomine quaeritur, cui in teſtamento aliquid relictum eſt: quamvis enim nomen perſonam demonſtret, ut ait D. Auguſtinus, & nomina ad dignoſcendos ſingulos homines ſint comparata, *l.* 14. *C. de Ingen. manum.* tamen aequitas non patitur, ut propter errorem, ab aegrotante teſtatore commiſſum, legatario damnum contingat, qui alio quolibet modo intelligi poteſt, *l.* 4. *pr. D. de legat.* 1. *l.* 54. *D. de Manum. teſt. l.* 4. *C. de Teſtam.* frequens enim eſſe, ſcribit Martianus Capella, *ut nomen pro nomine teſtator commutet.* Non etiam vehementer adverſabor, ſi de privatis tantum agitur, quibus aliquando reſcriptum fuit: Attio quippe idem, quod Titio, ex vetere formula; nec refert, viro an mulieri de jure reſponderint Prudentes, quando in re ſola conſultationis aut dubitationis cauſa conſiſtit. Ubi vero ſexus praerogativa vertitur, aeſtuant aliquando interpretes vehementer, v. c. ad rubricam *l.* 2. & 3. *C. de Lib. exhib.* immo *Suniae & Fretelae*, Presbyterorum virilia apud D. Hieronymum nomina, pro mulieribus Rivetus, & contra *Elephantidis* muliebre pro virili Poëtae, Joh. Baptiſta Pius & J. Caeſ. Capacius, apud Suetonium *Tib. c.* 43. acceperunt, a Reineſio idcirco reprehenſi, *lib. III. var. lect. c.* 2. Denique parvi momenti ſunt variationes praenominum, in quibus depravandis nimium quantum graſſata eſt librariorum audacia, eo quod una littera, vel ſummum tribus notari ſolebant. At nomina Jctorum, Conſulum, Praetorum, Imperatorum, Praefectorum Urbi & Praetorio, ad explicationem Digeſtorum & Codicis, adeo ſunt neceſſaria, ut aqua & igni facilius carere queamus. Latent enim ſub nominibus illis viri maximi, quorum unus pro altero ſi accipiatur, tenebras legum capitibus induci, & totam temporis rationem perturbari, Celeb. Graevius

Digitized by Google

Cetera corpus ſunt, animam inducunt locus, tempus & perſonae; ſine quibus, ut nihil fit, ita omnis narratio informe refert chaos, fabulaeque, nulli non rei applicandae, fit ſimilior. Non hic urgebo, neceſſitatem hujus ſtudii, propter duplices Julios Caeſares & Pompejos, a viris eruditiſſimis non ſatis diſtinctos, apud Schottum *lib. III. Obſ. c.* 34. Neque jucunditatem commendabo, quod nomina hominum nefariorum ſaepe in proverbium ivere, ita ut de iis aliquid ſuſpicionis naſcatur, uti Clodii, Callidii, Nepotis, aliisque exemplis Franciſcus Luiſinus *lib. I. Parerg. c. 6.* docuit. Non item provocabo ad eruditorum exempla, qui de perſonis Horatianis integros libros ſcripſerunt, ab Acrone laudatos: ſicut non minore cura vetus Juvenalis Scholiaſtes hac parte poſteritati ſuccurrendum eſſe putavit. Summae tantum dicam impudentiae eſſe, Juris ſtudioſis perſuadere velle, plura adhuc reſtare majoris momenti, quam ut attendere debeant hiſtoriae nominum & virorum, qui inſtrumenta fuerunt ſaeculi boni, quorumque ſententiae vim legum apud nos obtinent, a quibus vita, fama & fortunae civium pendent. Auguſtinus noſter *lib. I. dial.* 3. *de Emendat. Gratiani*, idem de his uſurpat, qui totum hoc ſtudiorum genus contemnunt, quod dici ſolet de illis, qui poſt fruges inventas glandibus veſcuntur: nam ſi pueris iraſcimur, qui in exſcribendo pro Auguſto Auguſtinum, vel pro Anaſtaſio Athanaſium ponunt, etſi de re ipſa conſtet; quid de viris & librorum editoribus, qui doctorum numero volunt cenſeri, habendum ſit, apparet.

Niſi forte ad priſtinam barbariem reverti animus eſt, & cum rabulis forenſibus, quos Ammianus Marcellinus lepide perſtringit *lib. XXX. cap.* 4. veteris Juriſconſulti nomine audito, piſcis aut edulii peregrinum vocabulum intelligere; aut cum Theophili Scholiaſte, *ad* §. 6. *Inſt. de Excuſat.* Divos fratres, Severum & Antoninum interpretari; vel actionis triticariae natales, cum Accurſio, a Triticio Praetore, qualis nulla fuit gens aut familia Romae, repetere velimus. Et quis non horreat ad ſolam mentionem legis, vel Sсti *Vectibulici*, in *l.* 3. *C. de Servis reip. manum.* cui nulla gentium Romanarum nomen dare potuit? Contius emendat *Vectii Lybici*; Cujacius in Parat. C. d. t. *Vettii*; Ruſſardus *Vectilibici*; Auguſtinus de LL. *Vectibuliciam* vocat; Pancirolus *l.* 2. *var. lect. c.* 221. *Vectii Bulici*; Cl. Heineccius, in diſſert. *de P. Juventio Celſo pag.* 20. reponit *Vettii Bolani*, quaſi lata fuerit a M. Vettio Bolano, qui A. 863. Conſul fuit, Grut. *Inſcr. p. 66. u. 2. p. 128. u. 5.* Optima Rutgerſii *lib. II. var. lect. c. 5.* foret conjectura, latam & dictam videri a Vectio Proculo & C. Publicio Certo CSS. A. ɪɔcccʟ. cumque ſcriptum eſſet, *ſecundum legem Vetti. Publici.* hoc eſt, *Vettiam Publiciam*, duo illa nomina vitio librariorum coaluiſſe; ſed cum ex Plinio, *lib. IX. epiſt.* 13. conſtet, Publicium excidiſſe ſperato Conſulatu, quem collega ejus in praefectura, Vectius Proculus cum Pompejo accepit, ego *Vettii Ruſtici* malim, vel *Vettii Calpurnii*; quia *Vettius Ruſticus* Bolanus cum *L. Calpurnio* Piſone faſces tenuit. Fuit certe Vettia gens Romae, ex qua multos memorat Cujac. *in Parat. C. lib. VII. tit.* 9. & inter eos Vettium Chilonem, cujus nomen apud Tacitum 1. *Hiſt.* 37. in aeque portentoſam *Betuichilonis* vocem deerravit. Plura de gente illa diſſeruit Lucius Camarra, *de Teate antiq. l.* III. *c.* 3. *Theſ. Ital. t.* IX. *p.* 5. Jam vero quis riſum teneat, cum legerit jocum Scipionis Gentilis, *lib. ſing. Origin. voc. heres. tom.* IV. *Theſ. pag.* 1389. nomen *Sauſejae*, apud Juvenal. *ſat.* IX. *vſ.* 117. nil aliud, quam bibaculae eſſe: *quantum Sauſeja bibebat*; & agnatum ejus videri Sauſejum magiſtrum, cui navem frumenti tribuit Alfenus, in *l.* 31. *D. Locat.* ex quo, ſi diis placet, cereviſiam cocturus erat bibax ille Germanus, a *ſauffen* dictus? At Sauſejae gentis in nummis veteribus mentio eſt, & Sauſejos plures laudat Cicero *pro Rab. c.* 7. 1. *Att.* 3, 2. *Att.* 8. 15. *Att.* 4. Inſcriptiones Gruteri *pag.* 251. 494. 705. 761. Malvaſiae *p.* 72. 487. & Fabretti *p.* 7. 53. 316. 384. recteque monuit Pancirolus *lib. II. var. lect. c.* 43. in *d. l.* 31. non *Sauſeli*, ut in vulgatis Codicibus, ſed *Sauſeji* legi debere. Ejusdem furfuris eſt, quod imperiti veterum familiarum, ut Langlaeus *lib. V. Semeſtr. c.* 4. *in fin.* aliique, neſcio qui, a Fornerio *lib. II. ſelect. c.* 23. notati, Bubulcos judices, rure arceſſunt, aut in album recuperatorum in provinciis, quosdam e tardo bubulcorum genere conjiciunt, qui de libertate judicarint, ex Juve-

Digitized by Google

ium non fuerit, ex qua C. Junius Bubulcus, ...
lib. XVIII. Hiſt. Nat. cap. 3. *Juniorum familiae Bubulcum nominaverunt*, *quod bubus optime utebatur.* Piget ineptiarum. Et tamen fuerunt tempora, quibus indocti, cum Speculo Suevico, legem Aeliam Sentiam, quae impedit libertatem, *Eſſentiam*, Caniniam a cane, Falcidiam a falce, Servianam a ſervando dici, cum Accurſianis, ſibi perſuadere potuere.

Verum poſt magnam illam Actorum, Annalium, Faſtorum & Tabularum, ad aeternitatem fixarum jacturam, poſt libros mala manu corruptos, & ſaxa longa ſenectute detrita, multum profecto in priſcis nominibus reſtituendis tribuendum eſt veteribus Juriſconſultis, qui partim ipſi rebus interfuerunt, partim integros Hiſtoricos legerunt, quorum ne ſyllaba ad nos pervenit. Pulchris exemplis in proclivi eſſet oſtendere, quamplurimas veterum, ope Pandectarum, maculas deterſas eſſe: nam Ludovicus Carrio *lib. I. Emendat. cap.* 4. Granium Flaccum Licinianum reſtituit Gellio & Macrobio, ex *l.* 144. *D. de Verborum ſignificatione.* Idem Junium Gracchanum, a Gracchi amicitia ſic dictum, ex *l. un. D. de Officio Quaeſt.* Varroni reddidit & Feneſtellae, dicto *lib. I. cap.* 19. nec alius Junii nomine, apud Feſtum & Macrobium, eſt intelligendus. Auli Caſcellii nomen varie corruptum legebatur apud Horatium, Valerium Maximum, Plinium & Ammianum, donec meliores manuſcripti codices, ex Pomponii *l.* 2. §. 45. *de Origine juris*, & Celſi *l.* 158. *D. de Verb. ſignif.* a Briſſonio *de V. S.* in voce *Aulus*, confirmarentur, fruſtra repugnante Pighio *Tom.* 1. *Faſtorum pag.* 77. Nec ambigendum eſt, an ſecundum exemplar Florentinum hoc nomen per duplex L. ſcribi debeat; quia ita eſt in marmore apud Corradinum, *Vet. Latii tom.* 11. *pag.* 190. A. CASCELLIUS. A. F. AEDIL. CUR. Porro Barbarium Philippum dictum fuiſſe, ſervum illum fugitivum, qui praetura functus eſt, novimus ex *l.* 3. *D. de Off. praet.* quum perperam a Suida Βάρϐιος Φιλιππικὸς vocetur. Sic Articulejus Conſul, apud Spartianum *in Hadriano cap.* 3. ex *l.* 51. §. 7. *D. de Fideic. libert.* & Tarruntenus Paternus, apud Lampridium *in Commod. c.* 4. ex *l.* 7. *D. de Re militari* a Salmaſio viam receperunt. Idem de Priſci *Javoleni*, id eſt, ut ei videtur, Zaboleni, vel Diaboleni nomine multa diſſeruit, ad Capitolin. Pium *cap.* 12. de aliis alii. Nemo unus autem tantam illuſtrium virorum nominibus lucem attulit, quam noſter Auguſtinus; cujus hic etiam mos eſt ſingularis, quod veram & emendatam ſcribendi rationem, ſaepe & meliorem, quam librarii Pandectes Florentini, aut marmorarii, manu, quam mente doctiores, ſecundum praeceptiones Grammaticorum exhibuit, ſumma nummorum auctoritate plerumque innixus. Sic *Minucius*, *Mucius*, *Porcius* & *Sulpicius* habet ubivis; quia non a *minuto*, *muto* & *porta*, ut alii putant, dicuntur. *Helvius Pertinax*, non P. Aelius, aut Helius, ut alii. *Hadrianus* cum adſpiratione, licet editio Hiſtoriae Auguſtae exhibeat *Adrianus*, invitis nummis Latine inſcriptis, & marmoribus perita manu dolatis. Recte etiam U amat, in Cornelius SULLA; uti lapides Capitolini & nummi gentis Corneliae; Graeci vero Σύλλας, quos Caſaubonus ſequitur ad Sueton. *lib. I. c.* 1. & crebra horum eſt commutatio, ut *trylla*, pro *trulla*, *l.* 19. §. 9. *D. de Auro & arg.* & *truella*, *l.* 36. *D. eod.* Contendunt inter ſe Grammatici, utrum praeſtet *Vergilius*, an *Virgilius*; Auguſtinus *pag.* 338. praefert *Vergilius*, ſecundum nummos gentis Vergiliae; nec aliter Politianus *Miſcell. c.* 77. & Caſtalio *var. lect. cap.* 50. forſan autem utrumque antiqui ſcripſere, ut *Verginius* & *Virginius*, in *l.* 2. §. 24. *de O. J.* quia litterarum E & I tanta olim fuit affinitas, ut ſine diſcrimine inter ſe commutarentur, auctore Fabio, Gellio aliiſque. In Pandecte Florentino communiter *Vivianus* ſcribitur; at *pag.* 252. oſtendit, Vibiam gentem, non a vivendo, ſed a Vibone oppido dictam: ſaepe autem, ut in aliis, B. & V. commiſcentur. *Vivianus*, pro *Vibianus* eſt apud Gruter. 681. *n.* 7. Vivius pro *Vibius*, *pag.* 127. Bivius pro *Vibius*, *pag.* 375. 5. & apud Paul. in *l.* 8. *D. de Quaeſt.* *Vivius Avitus* Conſul dicitur, qui in Faſtis Capitolinis VIBIUS HABITUS vocatur. Pro *Meſſala* Conſule, in *l.* 4. §. 2. *D. de Off. proconſ. pag.* 259. habet *Meſſalla*, qui illud Valeriorum cognomen, in nummis & lapidibus, per duplex L. reperitur, ſicut *Meſſallinus* in binis apud Golzium. Seneca de brevit. vitae c. 13. *Valerius Corvinus, urbis captae in ſe tranſlato nomine, Meſſana appellatus eſt, paullatimque vulgo permutante literas, Meſſalla dictus eſt.* *Aquilius* item in Pandectis plerumque per ſimplex L. ſcribitur, ſed in notis ad *pag.* 213. mavult duplicatum: id quod Lipſius etiam in nummis & lapidibus invenit, & ſummus in litteris vir, Car. Sigonius ad Liv. *lib. II. c.* 4. laudavit. Quod ſi tamen Feſto credimus, Aquilios, ab *aquilo*,

ſeu

tata eſt. Pag. 345. rectius, quam in libro Florentino, ſcribit *Maecenas*, quia Graece eſt Γάϊος Μαικήνας apud Dionem *lib.* 49. idque inſcriptiones, in ipſis hortis Maecenatis erutae, aliaeque Fabretti *pag.* 225. & nummus, in honorem ejus euſus, eum epigraphe S. C. Maecen, ſatis evincunt; nec quisquam dubitat in *l.* 64. *D. de Donat. int. vir.* legendum eſſe *Maecenatem* pro *Decenatem.* Verum de familia ejus non una eſt ſententia. Muretus Aquiliis, Manutius Cinciis, Lambinus Vipſaniis, Glandorpius Heliis, rectius Auguſtinus Ciliniis, optime Turnebus *lib. XVIII. Adverſ. c.* 11. *Cilniis* eum inſerit; cui Lipſius, Schottus, Broekhuſius, & alii apud Henr. Meibomium, *in vita Maecenatis cap.* 3. adſtipulantur. Et haec ſpeciminis loco nunc quidem ſufficiant; alia non minus jucunda infra ſequentur; nec dubito, plura id genus aliorum diligentiae obſervanda ſupereſſe. Majus enim eſt illud Augiae ſtabulum, quam ut majorum induſtria illi purgando ſuffecerit: patet omnibus veritas, nondum eſt occupata; multa etiam futuris ſunt relicta.

Quod autem Cujacius *lib. XII. Obſervat. cap.* 18. nominum reſtituendorum inanem forſitan laborem eſſe ſcripſit, ad rei difficultatem pertinere arbitror: nec enim in his antiquitatum tenebris plus intelligere poſſumus, quam quantum ex monumentis licet: pleraque ſuſpicamur magis, quam percipimus; tricasque Atellanas citius extricaverint Critici, quam ut nomina omiſſa ſuppleant, corrupta emendent, & pro alienis vera reponant ubivis. Vin' cauſas? Ipſi Veteres aliquando diſſentire videntur, quum diverſa cognomina eidem homini tribuunt, quae tamen non pugnant, ſed conjungi debent. Sic Appium illum, qui faſtos & legis actiones compoſuit, Frontinus *Craſſum*; Pomponius in Tuſco libro *Centemmanum*; in Vulgata & Haloandrina *Coecum* appellavit: pariter ac in ſacris litteris Oſias, Rex Judae, aliquando *Aſarias* audit, & Petrus nunc *Simon*, nunc *Cephas* dicitur. Eodem modo C. Julius Epheſius, *qui & Maſcutius*, apud Gruter. *pag.* 250. L. Aur. Panniculus, *qui & Sabanas*, *pag.* 313. 8. Dunnius Palladius, *quondam Auguſtius Auguſtalis*, *pag.* 869. 6. Quandoque vero Scriptores antiqui, aliud agentes, non modo in praenominibus & cognominibus ceſpitarunt, ſed & confuderunt eos, qui ſeparari debebant; ut Scipiones Valerius Maximus, & Attalos Juſtinus. Sic Herodotus pro Xerxe Darium; Seneca Antigonum pro Amynta; & Cicero, in libro perdito, de gloria, pro Hectore Ajacem dixit, Gellio notante *lib. XV. Noct. Att. c.* 6. Similem feſtinantis lapſum Xyſtus Betulejus in ejusdem *lib. II. de Nat. Deor. c.* 3. obſervavit, ubi Hoſtilio adſcribit, quod Tarquinio Priſco debebat. Inter noſtrates Neratius, apud Ulpianum in *l.* 3. §. 5. *D. de Condict. cauſ. dat.* Domitiam, Neronis filiam vocat, quae amita erat, & Papinianus in *l.* 8. *D. ad L. Jul. majeſt.* Juliam mulierem Catilinae conjurationem, ait, detexiſſe; quam Fulviam fuiſſe conſtat. Auguſtinus *pag.* 49. ait, vocem *filia*, in *d. l.* 3. obelo notari poſſe, & *pag.* 264. Domitiam, Domitiani uxorem, a Neronis amita, de qua fortaſſis agatur, diſtinguit. Pancirolus *lib. II. var. lect. c.* 32. filiam intelligit, avi Neronis principis. Forſterus *lib. I. Obſ. ſucciſ. c.* 7. ſe totum diem pro exiſtimatione Ulpiani, ait, laboraſſe, & Domitiam tandem, Domitii Corbulonis filiam, Domitiani conjugem, Paridis pantominii amore deperditam exſculpſiſſe, ex Suetonii *Domit. c.* 3. Lipſius vero ad Taciti *lib. XIII. Ann. cap.* 27. ſcribendum *Neronis amita*, vel potius, pro *filia*, legendum *conſilio*, nihilque peccaſſe Ulpianum exiſtimat. Sed ingenue Cujacius *lib. XVIII. Obſ. cap.* 23. Ulpiani παρόραμα, non ἁμάρτημα μνημονικὸν eſſe, ait: Alciatus *lib. IV. parerg. cap.* 17. eum falli ſignificavit. Idemque de Papiniano eſt dicendum; quia in Scholiis Baſilicorum *lib. LX. tit.* 36. *pag.* 605. eſt: Ιουλία τις γυνὴ διήλεγξε; & in vetuſtis libris Corporis Canonici, in *can. Certis. cauſa* 15. *qu.* 3. ex Papiniano deſcripto, *Julia* reperitur. Popma vero & Waſſe ad Salluſtii *Catilin. cap.* 24. Papinianum a culpa abſolvunt, eamque in librarios conjiciunt: minime vero mendoſus Salluſtii liber eſt, ut Auguſtinus noſter fluctuat, *pag.* 257. *fin.* nam & Appianus *lib. II. de bellis civ.* Plutarchus *vita Ciceronis cap.* 21. & Florus *lib. IV. cap.* 1. uno ore eam *Fulviam* appellarunt. Sic inter μνημονικὰ Pomponii, a Mureto, Eberlino aliisque refertur, quod in *l.* 2. §. 2. *de O. J.* Tarquinium Superbum Demarati Corinthii filium vocat, quum

Digitized by Google

omnium habere memoriam, & in nullo penitus errare divinitatis magis eſt, quam humanitatis? Graeci vero Hiſtorici, quo diligentius res Romanorum minutiſſimas enarrarunt, eo crebriores illis in nominibus peregrinis & inauditis lapſus; quorum innumeros, in uno Appiano, a ſe obſervatos, ſcribit Petrus Faber, *lib. III. Semeſtr. cap.* 12. cauſas vero depravationum Caſaubonus ad Lampridii Eliogabalum aperuit *c.* 1.

Major adhuc librariorum fuit oſcitantia; qui nuſpiam ſecurius, quam in propria nomina, graſſati ſunt, cumque cetera omnia facilius caperent, in his aut mala pronuntiatio dictantis, aut ſiglorum compendia, aut nominum cognatio & affinitas in omnia alia eos a vero abduxerunt. Multis certe oſtendi poteſt exemplis, quam proclives illi, in mediis ſyllabis omittendis, fuerint; maxime quando duae ſibi ſimiles, vel litterae eaedem ſeſe ſequuntur. Sic Spartianus aliique *PapIaNum*, pro Papiniano; Lampridius *TryphoNIum*, pro Tryphonino; Zoſimus Σαβιανὸν, pro Sabiniano; marmorarii *AntoNIana* pro *Antoniniana*, & *ReſtiTVs*, pro Reſtitutus apud Gruter. *p.* 6. *n.* 4. & 523. *n.* 8. ſculpſere. Eundem errorem, in Juſtini & Juſtiniani nominibus confuſis, doctiſſimus Procopii interpres oſtendit, & lapicidas alteram frequenter abſorbere ſyllabam, per συνίζησιν, vel augere, Reineſ. *ad cl.* IX. *n.* 36. & Fabrettus *cl.* X. *n.* 63. praeclare docuerunt. Huc item pertinet *Coelii* & *Caecilii* commutatio tam crebra, ut Guil. Grotius *de vitis JCtor. l.* 1. *c.* 11. §. 17. unum idemque nomen eſſe exiſtimaverit. Verum in *l.* 14. §. *fin. D. de Aedil. ed.* & apud Gell. *lib. IV. c.* 2. pro *Caecilius* legendum eſt *Coelius*, ut Sabinus ille intelligatur, quem de Edicto Aedilium Curulium ſcripſiſſe, novimus. *Coelius* quoque pro *Caecilius* a viris doctis, apud Macrobium *lib. II. Sat. c.* 10. repoſitus eſt, Feſti auctoritate, in *ſpatiatorem*; qui tamen, in voce *citeria*, eodem mendo laborat; ſicut Appianus & Dio Caſſius, a Paullo Manutio, in vita Coelii, *ad lib. VIII. epiſt. fam.* 1. reprehenſi. Non minor errorum ſeges ex coalita praenominum nota cum nominibus provenit: unde ex M. Plaetorio, Emplatorius; & e T. Rabilio, Trabilius apud Ciceronem formatus eſt, *lib. I. fam.* 8. & *lib. IX. ad Attic.* 15. Sic Gellius *lib. VII. cap.* 14. *Caecilium*, Macrobius *lib. I. Sat. c.* 5. *Coelium* Senatorem vocat, qui *C. Acilius* fuit, uti Lipſius *lib. II. Elect.* 3. ex Plutarcho contendit. Rurſus librarios apud eoſdem *lib. XVI. Noct. Att. c.* 5. & *lib. VI. Saturn. cap.* 8. ex *C. Aelio* JCto, primo *Caelium*, dein *Caecilium* effeciſſe, Menagius *cap.* 22. *Amoen.* praeeunte Auguſtino noſtro *pag.* 16. obſervavit. *Caecilius* item pro *Sex. Aelius*, in *l.* 3. §. 9. *D. de Pen. leg.* mendoſe ſcriptum eſt, ſicut *L. Aelius*, omiſſo puncto, ut fieri ſolet, migravit in *Laelius*, apud Ciceron. *lib. II. de LL. c.* 23. & Sueton. *de ill. Gramm. c.* 2. ubi Elias Vinetus adeatur. Innumera id genus non veterum tantum librariorum, ſed etiam typographorum, correctorum, vel eorum, qui Graecos verterunt, peccata Eruditi paſſim in animadverſionibus caſtigarunt, ex ſiglis male acceptis, vel litteris majuſculis olim non lectis oriunda, quos inter Henr. Stephanus, in *Schediaſm. var. lib. III. c.* 26. & 27. excellit *tom.* V. *Lamp. Grut.* In noſtris Pandectis *Proculus*, pro *prolutus*, in *l.* 12. *D. de Duob. reis.* legendum monuit Auguſtinus *pag.* 39. eoque illaudato repetiit Schottus *lib. V. Obſ. c.* 30. Contra *Commoda*, in *l.* 16. §. 1. *D. de Alim. leg.* non eſt nomen proprium teſtatricis, ut Accurſius & Auguſtinus *pag.* 366. voluerunt, ſed adjectio alimentorum, quam Pancirolus *lib. II. Var. c.* 96. perperam a Commodo Imperatore derivat; cum commoda ſint convenientia, diaria & cotidiana; unde ſtipendia & annonae militares commoda dicuntur, in *l.* 23. *D. de Adim. leg.* & *l.* 1. *C. de Primip.* Alia & majoris momenti exempla Cujacius *lib. II. Obſ.* 33. *lib. XIX. Obſ.* 17. *lib. XX. Obſ.* 3. dabit.

Varia porro, & diverſis temporibus obſervata, nominum ratio tenebras plusquam Cimmerias ſubinde obduxit. Communiter ingenui Romani nobiliores tres ſpecies propriorum nominum, praenomen, nomen & cognomen habuerunt, quod vel ex *l.* 21. §. 1. *D. Qui teſtamenta fac. poſſ. l.* 1. *C. de Mutat. nom. l.* 4. *C. de Teſtamentis*, Seneca *Lib. IV. de beneficiis cap.* 8. & Juvenale *Sat.* V. *vſ.* 128. notum eſt. At primos Romanorum uno nomine, Graecorum & Barbarorum more, contentos fuiſſe, Romuli exemplo conſtat, &, poſt Varronem, Appianus obſervavit. Mox alterum acceſſit praenomen, quo gentiles diſtinguerentur; qualia duo tantum Marii nomina extiterunt, notante Plutarcho, *initio ejus vitae.* Deinde cognomen his ſuperaddi placuit, ab hominum, quos deſignabat, ingenio vel habitu corporis petitum; ſed nihilominus alii duo praenomina, alii duo vel plura cognomina adſciverunt; ſplendiori-

cap. 2. 3. Gerhardus Voſſius filius *ad Vellejum*, Spanhemius *de Praeſt. & uſu num. t.* II. *diſſ.* 10. *p.* 551. & Cl. Dukerus *ad Florum l.* II. *c.* II. §. II. conferri merentur. Quinimo tota illa religioſa nominum obſervatio, ſub occupata Republica ſenſim periit; jamque ſub Antoninis mutatae ſunt declinationes, & praenomina in nomina converſa: uni homini duplicia ſaepe nomina, aut duo vel tria praenomina, aliquando etiam quatuor vel plura cognomina continua, vel agnomina feminina viris attributa, ceteraque pro arbitrio deducta ſunt; ut tamen proprii cognominis partes plerumque, quod ultimum erat, impleret: qua de re Joſ. Scaliger, in indice Grammatico *ad Gruteri inſcriptiones*, Jacobus Sirmondus in Diatriba ſingulari, poſt praefationem ad Apollinarem Sidonium *tom.* 1. *Oper. pag.* 834. una cum caſtigationibus Spanhemii; & Noriſius, in *epiſt. conſul. pag.* 475. cum nota Cl. Hadriani Relandi, in *Praefat. ad fratris Faſtos*, legi poſſunt. Hae igitur tot aliaeque obſcuritates ut tollerentur, omnes ingenii nervos intenderunt viri magni, & multa doctrina excellentes, Robortellus, Sigonius, Onuphrius, Pighius, Servius, Glandorpius, Reineſius, Fabrettus, &, qui multa bonae frugis, ab iis praeterita attulit, laudatus modo Ill. Spanhemius. Viros etiam clariſſimos Salmaſium, Reineſium, Rupertum & Perizonium grandes commentarios *de Nominibus Romanorum* molitos fuiſſe, accepimus; ſed quos aut immaturus obitus, aut aliae occupationes Reipublicae litterariae inviderunt. Haec autem propria & invidenda eſt Auguſtini noſtri gloria, quod tum in libro ſingulari, *de Familiis Romanorum*, tum *lib. III. Emendationum cap.* 8. tum in opere, quod enarramus, inter primos primus, ut certe cum Sigonio aequale, ad hanc nobiliſſimam eruditionis partem, ſine qua origo virorum illuſtrium eorumque res geſtae ſciri non poſſunt, excolendam ſuſtulit ſigna, aliiſque nationibus per Europam exemplum, quod imitarentur, reliquit. Quam turpiter vero Panvinius ſuum, *de Nominibus*, libellum non tantum ex Sigoniano compilaverit, nullo ei honore relicto, ſed eum quoque Auguſtini noſtri plumis ornando, incredibilis oſcitantiae ſpecimen praebuerit, Celeberrimus Perizonius monuit, *Animadverſ. Hiſtor. cap.* IX. *pag.* 403.

Quod ſi aliquis nunc ex me quaerat, quid cauſae fuerit, cur Auguſtinus Archi-Epiſcopus, in ſenili aetate, quaſi ab ultimo ſtudio ad carceres revocatus, Nominibus propriis Pandectarum, libro ſingulari exornandis, animum adjecerit; vel ſi alii cum Menedemo Terentiano, ei occinant: *Chreme, tantumne ab re tua eſt otii tibi, aliena ut cures; eaque nihil quae ad te attinent?* ii confeſtim ex libris ejus *Emendationum* reſponſionem accipient, opus hoc, ab ipſa adoleſcentia, diu meditatum, ſerius demum complementum accepiſſe: nam *lib. I. cap.* 7. *Valde utile exiſtimavi*, ſcribit, *quod apud Scaevolam Julianus feciſſe dicitur, duobus capitibus commixtis, interpretationem facere. Itaque non ſolum Digeſta inter ſe comparanda, ſed & Inſtitutiones ad Digeſta, & ad Conſtitutionum Codicem conſerendas curavi: in quo mirum in modum Florentinis libris adjutus ſum, quod alio tempore omnibus patefaciam.* Ex eodem *lib. I. cap.* 4. 5. 6. 7. & *lib. III. cap.* 1. ſimul liquebit, eum fuiſſe primum, qui legum inſcriptiones, ab aliis, qua Graecis, qua Latinis omiſſas, ab Haloandro autem quatuor & viginti tantum libris prioribus Pandectarum (quia huc usque Politianus & Bologninus eas notaverant) in lucem editas, ad librum usque quinquageſimum deſcripſerit, quique illa aetate jam inſignes utilitates, ex conjunctione fragmentorum hauriendas, perſpexerit capitali ingenio, & mente ad miraculum usque ſagace. *Auguſtinus, in libris Emendationum, PRIMVS, multa docte de legum inſcriptionibus & earum utilitate differuit*, ſcribit Jac. Labittus, *in Vſu ind. Pand. c.* 2. §. 6. Nimirum hac via, Gloſſatoribus antiquis ignota, ipſos fontes quodammodo in integrum reſtitui poſſe didicerat, quaeque olim in libris Juriſconſultorum, Deiphobi Virgiliani inſtar laceratis, cohaeſerant, velut poſtliminio, iterum conglutinari. Inde aetatem, ſectam, ingenium, Philoſophiam & ſtilum cujusque Juriſconſulti; tum materiam, ſcopum & methodum, quam quisque in ſcribendo, reſpondendo & diſputando tenuerit, obſervari; ordinem Edicti perpetui, progreſſum & fata Jurisprudentiae cognoſci; ἐναντιόφανα, ſecundum ſubſtratam materiam, componi; leges fugitivas & exulantes ad

Depone iſtam ſpem, poſſe te ſummatim deguſtare ingenia maximorum virorum. . . . tibi inſpicienda ſunt: tota tractanda. Res geritur, & per lineamenta ſui ingenii opus nectitur, ex quo nihil ſubduci ſine ruina poteſt. Nec recuſo, quo minus ſingula membra, dummodo in ipſo homine, conſideres. Praeterea Antonius noſter cautus viderat, haud fruſtra Juſtinianum tam ſolicite *numeros librorum per conſequentias litterarum, non per ſigla manifeſtari* juſſiſſe, in *l. 2. §. 22. C. de Vet. jur. enucl.* quum capitibus unius auctoris coallatis, non tantum ejus mens, ſenſus genuini, occaſio & vera ſpecies legum, ceu proprio artis myſterio, feliciter eruatur; ſed etiam Tribuniani ac ſociorum emblemata optime detegantur; qui non raro novellam ſuam Jurisprudentiam, ſub nominibus veterum, nobis venditarunt, ſimilis vecordiae rei, ob quam Rhodios olim ſingulari oratione Dion Pruſaeenſis reprehendit.

Poſtquam autem in has utilitates, editis deinde a Taurello A. MDLIII. ex Pandecte Florentino, capitum inſcriptionibus, altius inquiſiverat Jacobus Cujacius, νομοδιδάσκαλος & Jurisprudentiae Phoenix, nunquam deſtitit is legum inſcriptiones & rubricas titulorum diſcipulis ſuis commendare, velut *claves*, quibus arcana hujus ſapientiae reſerentur. Quo factum, ut multi in hac palaeſtra, nec ſine fructu, ſe exercuerint; ſed Jacobus Labittus diligentem inprimis operam in indice ſuo conficiendo impendit, laceraque JCtorum membra, ut Aeſculapius diſcerptos olim Virbii artus, concinnavit A. MDLVII. Hoc conſpecto, Auguſtinus, licet aetate provectior, *totus*, ut Manutius alicubi ſcribit, *labor, totus induſtria*, ad priſtinos amores reverſus, meliora in ſcriniis ſuis ſine fructu latere comperit, quam *ab eo*, ut in praefatione ait, *qui magna cum laude id coepit*, erat publicatum. Coeperat autem Labittus, auctore & ſuaſore inprimis Cujacio, cui quicquid praeſtitum eſſet, accepto ferri debere, in *uſu Indicis cap. 6.* & in praefatione palam profitetur. Viciſſim Cujacius lib. IV. Obſ. cap. 1. ſcribit: *ut vel hoc ſolo indicio, quam ſit neceſſarius nobis, a Jacobo Labitto proditi, Indicis uſus, ſatis liquere poſſit.* Et libro ſequente cap. 5. *ut ex Indice Labitti noſtri, viri optimi & doctiſſimi, conſtat.* Rurſus ad l. 7. D. de Minor. *Jac. Labittus, unus ex meis intimis, ſtudioſiſſimus noſtri, eruditus vir & perhumanus.* Addo Petrum Fabrum lib. III. Semeſtr. c. 24. ubi eundem *clariſſimum, ſuumque tunc temporis, cum ſcriberet, contubernalem cariſſimum* vocat: quae graviſſima elogia, ceteris recentiorum nuper collectis, addi merentur. Attamen Auguſtini Indicis quadruplex utilitas major revera habenda eſt: quum enim ille ordinem indicis manci, qui Pandectis Florentinis praepoſitus eſt, in ſerie Juriſconſultorum ſequutus fuerit; hic temporis rationem haud neglexit, quo ſinguli JCti vixerunt, quos, multis eorum capitibus & libris ſuppletis, aut emendatis, optimo ordine diſtributos dedit; ut uſu poſtulante ſingula confeſtim reperire liceat, quum alias certiſſimae paupertatis ſpecies ſit, ignorare ubi projectum jaceat, quod deſideratur. Deinde Labittus tantum adjecit loca, ex Codice Juſtinianeo, ex Inſtitutionum libris, & Novellis Conſtitutionibus, ad nomina Juriſconſultorum pertinentia; noſter cetera quoque conſuluit Jurisprudentiae ante-Juſtinianeae & Hiſtoriae Romanae monumenta, quae JCtorum meminiſſent, v. gr. Ulpiani titulos, Pauli Sententias, Collationem Legum Moſaicarum, Codicem Theodoſianum, & Graecos, qui vel Juſtiniano aequales, vel poſt eum in urbe Conſtantinopolitana vixerunt, librisque Juſtiniani, mala manu nondum depravatis, uſi ſunt. Adjecit praeterea, quod extra Labitti inſtitutum erat, nomina propria Regum, Conſulum, Imperatorum, Legum, Virorum, Feminarum, Urbium & Provinciarum, in Pandectis conſcripta; & omnia denique ſimul Notis eruditis illuſtravit. Profecto me ipſum non noſſem, ſi ut Cenſor ad has notas accedere vellem; multa tamen in illis notarunt alii; plura aliorum diligentiae relicta ſunt; quaedam etiam ipſe offendi, praeter opinionem, minus accurate poſita, quae, ne prorſus ἀσύμβολος accedere videar, medius inter arrogantem induſtriam & ignavam modeſtiam, examinabo, ſupplebo, &, ut JCtorum voce utar, ſuperadjiciam: *quum poſſit unius, & forſan deterioris, ſententia, & multas & majores in aliqua parte ſuperare*, ut ait Juſtinianus, de notis Ulpiani, Pauli & Marciani ad Papinianum, in Conſtit. *de concept. Digeſt.* Nec erit opella ſine fructu, quia tanti viri auctoritas multis impoſuit, & pluribus in futurum imponere poſſet: quemadmodum

—— —— —— Saepe obſervatio crevit,
Ex uno quondam male erepta, deinde ſecutis
Tradita temporibus, ſeriſque nepotibus aucta.

Poſt

ex Laur. Th. Gronovii, *Emend. Pand. cap.* 21. ſuppleri poterit. Nolim vero praeteriri judicium Priſciani lib. VII. pag. 759. *Varro de Lingua Latina ait : talia ex Graeco ſumta, ex maſculino in femininum transire,* & *A litera finiri, ὁ κοχλίας, haec cochlea ; ὁ χάρτης, haec charta, ὁ γαυσάπης, haec gauſapa.* Diſpar quidem hic ratio eſſe videtur; quia ſubſtantivum λόγος ſub πανδέκτης intelligitur, uti ἀστὴρ ſub κομήτης: attamen Caſaubonus ad *lib. V. Strabonis pag.* 218. hunc optavit locum Auguſtino in mentem veniſſe, cum ſuam de Pandectarum genere mutaret ſententiam: *Profecto,* ait, *vir optimns remiſiſſet aliquid, de acri contentione, qua probare nititur, errare eos omnes, qui Pandectas femineo genere efferunt : ſed non primus Auguſtinus hic offendit.*

In *primo capite* nomina Juriſconſultorum, tam ex quorum ſcriptis conſtant Pandectae, quam, qui in iisdem laudantur, recenſuit; utroſque rurſus in quatuor claſſes diſtinxit; typumque ſucceſſionis duarum factionum, Sabinianorum & Proculejanorum ex Pomponio dedit *pag.* 35. Qua in re jam olim *lib. III. Emend. cap.* 4. Contio praeiverat *lib. I. lect. ſubſec. cap.* 12. quem Jac. Gothofredus, in *Manuali cap.* 7. & Petrus Lambecius, in *prodromo Hiſtoriae litterariae pag.* 232. ſecuti ſunt. Quid Petrus de Valaſco & Medivilla, in hisce veterum concertationibus explicandis, praeſtiterit libro ſingulari, quem Salmanticae prodiiſſe ferunt, juxta cum ignariſſimis ſcio: neminem autem puto, in illas Proculi & Sabini diſcordias, vel, ut Plinius *lib. VII. epiſt.* 24. appellat, *ſcholas Caſſianas* & *Pegaſianas*, altius Emundo Merillio penetraſſe; cum ad quinquaginta Deciſiones, tum *lib. I. Obſervat. lib. V. c.* 38. & *lib. VIII. c.* 1. cujus inventis Chriſtianus Ottho a Boekelen quaedam, alia Cl. Gotfridus Maſcovius, *de ſectis Sabinianorum* & *Procul.* erudita adjecere. Quemadmodum vero dies prior poſterioris diſcipulus eſſe ſolet, ſic in vitis Jctorum Rutilius, Bertrandus & Guilielmus Grotius, magni Hugonis frater, plus Auguſtino praeſtiterunt, eumque non ſemel confutarunt nominatim: Menagius item, *in amoenitatibus*, Rupertus, Eberlinus, & ὁ πάνυ, Bynkershoekius ad Pomponium varia obſervarunt, ex quibus hoc opus emendari poſſet. In univerſum vero, quae ad hiſtoriam Juris auctorum pertinent, necdum exhauſta ſunt omnia, neque ſupervacuum in iis laborem poni longiorem, illi ſentient, quibus licebit meliora inveſtigare praeceptis. Quod ſi antiquae Jurisprudentiae amatores ſinguli ſingulos ſibi Jctos accuratius deſcribendos ſuſciperent, poſſet deinde ex omnibus partibus collectis unum corpus confici; quemadmodum Scaevolas jam Balduinus; Ulpianum & Papinianum Lectius; Pauli patriam Pignorius; alios alii viri clariſſimi, Eckius Labeonem & Capitonem; Schultingius Cajum, Ulpianum & Paulum; Gundlingius Trebatium Teſtam; Reinoldus Pomponium; Heineccius C. Aquilium Gallum & P. Juventium Celſum; Ulpianum Stegerus, & Maſurium Sabinum Mollerus enarrarunt, quibus programmata Joannis Strauchii, de Jctis quibusdam, a Cl. Budero Jenae collecta, addi merentur. Ipſe, quid humeri valerent, in vitis *Servii Sulpicii*, *Alfeni Vari*, *Aemilii Papiniani* & *Salvii Juliani* concinnandis experiri volui, quarum duae priores tomum v. claudunt.

Noſter pag. 17. *Alfenus* & *Alphenus*, in Pandecte Florentino, ſed ſaepius per F. ſcribi notat: Haloander priorem, Robertus Stephanus poſteriorem, Hugo a Porta utramque orthographiam ſequuti ſunt, & diverſitas illa ſine periculo ſcribentium tolerari poteſt. Apud Gruterum *pag.* 856. eſt ALFENUS: & contra ALPHENUS *pag.* 901. *n.* 6. idque in nummis & marmoribus litteratis aliis non minus eſt frequens: quoniam litera F. apud Latinos antiquos idem valuit, quod PH apud Atticos, & ſerius placuit, ut conſonantibus adſpiraretur, auctore Cicerone, in *Oratore c.* 48. & Quintiliano *lib. I. cap.* 5. *Hoc ſcire debemus, quod F littera tunc ſcribitur, cum Latina dictio ſcribitur, ut felix: nam ſi peregrinae fuerint, P* & *H ſcribimus, ut Phoebus*, ait Diomedes Grammaticus *apud Putſch. pag.* 418. In libris autem Florentinis dictiones peregrinae frequentius per F ſcribuntur, ut *Fenices*, *Filippi*, *ſifones*, *chirografa*, itemque in Inſcriptionibus *Fryx*, *Hierofanta*, *triumfus*, & ſimilia leguntur. Major dubitatio eſt, num *Alfenus*, an *Alfinius* dictus fuerit: Laevinus enim Torrentius ad

Digitized by Google

ea putidum hoc Torrentii commentum rejicit, in qua [illegible]
Catullum, Gellium, Ammianum, Servium & Donatum, *Alfenus* vocatur, vel, quod eodem recidit, *Alphenus:* & magis eſt, ut Alfinius ille Horatianus, ſive is ſutor, ſive tonſor; item Alfinius Conſul, ex nummo & Dione prolatus, alius fuerit, quam noſter: quam in rem conjecturas ſuas Cl. Waechtlerus, *in Actis Erudit. Lipſ.* A. MDCCXI. & Petrus Baylius, in *Dictionario*, breviter propoſuerunt. Ingens vero dubium inde exoritur, quod Alſenia gens, ad hoc usque tempus apud Cremonenſes propagata, imaginem Jcti, gentilis ſui, ex aere expreſſam ſervat, eamque hoſpitibus & peregrinis, inter viſenda urbis, oſtentat; vicus etiam Alphenus in agro Cremonenſi durat, quem ab ejus viri Cl. & Conſulis Romani nomine appellatum eſſe, Franciſcus Ariſius, *Cremonae litteratae tom.* 1. *pag.* 32. ne quidem dubitandum exiſtimavit. Sed hac de re in vita Alfeni videbimus, tomo V. ALFEINIAE gentis mentio eſt, apud Reineſium *cl.* V. *Inſcr. n.* 46. eadem forte ALFENIA vocatur, apud Gruterum *pag.* 208. & ALFENIUS in fragmento quodam Bononienſi occurrit in Marmor. Felſin. *Sect.* IX. *c.* 6. *pag.* 574.

Pag. 35. *Sempronius Proculus* inter ſex Juriſconſultos refertur, qui a Maſurio Sabino ad Julianum usque floruerunt, vir magnae auctoritatis, & cui nomen debet ſecta Proculejana: ſic enim ubivis ſcribendum eſſe, monuit Cujacius, *ad tit. de O. J. in fine*, & *lib. XXVII. Obſ.* 28. Perperam eum ex Juliis fuiſſe nonnulli putarunt, quos Reineſius bene refellit, ad *cl.* VI. *inſcript.* 122. ſed ipſe Liciniis inſerit, mendoſe! Male etiam Bertrandus Proculum, praefectum praetorio ſub Othone, eundem putat; is vero *Licinius* Tacito audit *lib. I. Hiſt. cap.* 46. noſter *Sempronius Proculus* Nepoti ſuo ſalutem dicit, in *l.* 47. *D. de legat. lib. II.* Nec audio Petrum Fabrum *lib. III. Semeſtr. cap.* 12. legentem: *Sempronius Nepos Proculo ſuo ſalutem:* egregia ſcilicet ratione, ex *l.* 67. *de Jure dot.* & *l.* 125. *de V. S.* petita; quam vel unica vocula *quaeris* in *d. l.* 47. profligat. Vixit Proculus ſub Caligula & Claudio, falliturque Perrenonius, ad Caeſaris usque aetatem aſcendens, *lib. II. Var. cap.* 24. Poſterior eſt Proculus, cui reſcribitur ab Alexandro, in *l.* 9. *C. ad L. Jul. de adult.* & a Gordiano, in *l.* 7. *C. de Accuſat.* idem forte, qui in Papiniani diſcipulis & Alexandri conſiliariis, apud Lampridium, memoratur: niſi membranae meliores eum expungendum eſſe monerent. Vide tamen Gutherium, *de Offic. domus Auguſtae lib. I. cap.* 18.

Pag. 40. *Juventios* a juventute dictos, non a jubendo, recte tradit, & liquet ex Cicerone, *in Bruto c.* 48. Plinio *lib. VII. Hiſt. nat. cap.* 53. & inprimis ex denario hujus gentis apud Golz. *Faſt. Magiſtr.* & *triumph. pag.* 134. in quo etiam Juventae Deae ſimulacrum nominis originem oſtendit. Idem ſedit Sigonio *de nom. Rom. c.* 4. & Briſſonius Παρεγ. *n.* 8. ex vetuſto libello, cui Celſus nepos ſubſcripſit, firmari putavit, apud Gruterum *pag.* 607. *n.* 1. ſed ibi JUBENTIUS. CELSUS. PROMAGISTER. SUBSCRIPSI; pariter ac in epiſtola Velii Fidii praemiſſa, JUBENTUTIS habetur. Verum in Senatusconſulto *l.* 20. §. 6. *D. de Hered. petit.* recte ſcriptum eſt, PUBLIUS JUVENTIUS CELSUS COS; etiam apud Gruterum *pag.* 573. JUVENTIUS CELSUS II. COS. nec minus apud Fabrettum *pag.* 508. P. JUVENT. CELS. COS. ubi eundem Celſum nepotem, qui in lapide Gruteri *Jubentius* dicitur, deſignari, infra pluribus oſtendam. Ex cognatione igitur literarum B & V. deſcendit, quod Celſus Jctus, in plerisque Pandectarum & Codicis capitibus, etiam apud Plinium *lib. VI. Epiſt.* 5. JuBentius appellatur, ut JaBolenus *lib. VI. epiſt.* 15. qui in Pandectis Javolenus vocatur; ſicut *Jabolenus* & *Javolenus*, ex inſcriptionibus Aldus junior, in Orthographia, produxit. Ipſe Julianus Imperator jam olim frequentem horum elementorum permutationem obſervavit, *orat.* II. *pag.* 72. *Vocant eam literam V. qua pro B ſaepius, propter ſpiritum, ut arbitror, & linguae proprietatem, utuntur:* & Priſcianus Putſchii pag. 547. *Apud nos quoque eſt invenire, quod pro V. perſonante B. ponitur.* Exemplorum omnia ſunt plena. Ex lapidibus multa collegit Scaliger *ind.* XIX. ad Gruter. & Reineſ. ad Inſcr. *cl.* 1. *n.* 10. *Epiſt. ad Rupertum* 35. ex nummis Spanhemius, *Diſſert.* 2. *pag.* 120. ex Pandectis Lipſius *in Orthographia.* Forner. *lib. I. Rer. quot. c.* 15. & *lib. IV. c.* 20. Briſſon. *dict. n.* 8. Cl. Schulting. ad *tit. D. de edendo*, §. 18. & Ampl. Brencmannus, in Appendice Faſtorum Relandi *pag.* 850. ex Codice Cujac. *lib. I. Obſ.* 15. & Jac. Gothofredus *ad l.* 3. *C. Th. de inoff. teſt.* Mihi unum addere liceat, ex Fabretto *pag.* 546. *inſcript.* CONJUGI. BENE. BIBENTI. ut illuſtrem *l.* 17. §. 1. *D. de Aedilit. Edict.* ubi *BiBianus* Florentiae legitur, pro *Vivianus*; & contra in *l.* 23. §. 3. *eod.* medicamentum *pro Beneno ViVit.* Rideant haec & parvi faciant qui volent; at ego, harum minu-

ſcriptura ſcripſit, legitur. Diverſus autem ille fuit a noſtro, ſi verum eſt, quod Bertrandus *lib. I. cap.* 30. confidenter affirmat, Julium Aquilam Jctum, mortuo dudum Plinio, A. U. C. 950. Conſulatu functum, eumque in *l. ult. D. de Suſpect. tut.* reſcripti, ab Hadriano Imp. ad Vitraſium Pollionem miſſi, meminiſſe. Sed nulla hujus reſcripti, quod in Pandectis Florentinis, ab Ulpiano in *l. 15. §. fin. D. de Excuſat.* refertur, cum facto, de quo reſpondebat Aquila, eſt communio, & cur illud ſuo loco motum & poſt dictam *l. ult.* transvectum ſit, in vulgatis, Auguſtinus noſter in fine notarum ad Modeſtinum indicavit. Gallus etiam Conſul *Cajus* vocatur, non *Julius*, apud Gruterum *pag.* 300. *n.* 2. TI. SATURNINO ET C. GALLO COS. Nec fruſtra igitur Auguſtinus *lib. I. Emendat. cap.* 4. ſcribit: *Eſt illic Galli, neſcio cujus, Aquilae, reſponſorum liber, a Politiano perperam Aquilii Galli appellatus, ab Haloandro non male Julii Aquilae.* Jacobus Gothofredus cum in poſtremum locum, ad Conſtantini tempora rejecit, in *Manuali cap.* 7. Ego etiam omnino, cum Laur. Th. Gronovio, *Emendat. Pandect. cap.* 25. Gallum & Aquilam diverſos facio auctores; alterum *Aelium Gallum*, cujus opus de verborum, quae ad jus pertinent, ſignificatione ſcriba Florentinus in indice omiſit, ex quo *l. 157. de V. S.* petita eſt; qui vero non tantum a Varrone, Feſto, Gellio, Macrobio & Servio, ſed etiam a Cajo & Paulo laudatur, in *l. 19. D. de Uſur. l. 77. de V. S.* Auguſtinus dicto *cap.* 4. *In indice hic Aelius Jctus non eſt, ſed Haloander eum ob caput 157. de V. S. adſcripſit.* Alterum vero *Julium Aquilam*, ex cujus Reſponſorum libro duo fragmenta ſuperſunt, in *l. 34. D. de Adm. & per. tut.* & *l. 11. D. de Suſp. tut.* Hos igitur auctor indicis Florentini, in verbis Γάλλου Ἀκύλα *Reſponſa* conjunxit; aut ex Ἰουλίου factum eſt Γάλλου, facili librariorum errore, quibus Gallus Aquilius notior fuit, quam Julius Aquila; uti Cl. Heineccius probabilius conjecit, in notis ad orat. *de C. Aquilio Gallo pag.* 5.

Sequenti *Salvio Juliano* praenomen *Marci* tribuit Rupertus; nec intercedo, modo ne Marcus Salvius Julianus, filius forſan aut nepos noſtri, Conſul A. Chr. 175. cujus meminit Ariſtides *T.* 1. *pag.* 515. confundatur. Male Gravina cognomen *Severi* adjecit, Juriſconſultum cum Imperatore illius pronepote confundens, qui Didius Salvius Julianus Severus dicebatur. Et quia eadem in re, poſt Aurelium Victorem & Euſebium, Paulus Oroſius *lib. VII. cap.* 16. Freculphus *lib. II. cap.* 23. & monachus Weingartenſis, apud Lebnitium *tom.* 1. *Script. rer. Brunſvic. pag.* 795. hallucinati ſunt; nec ipſe Hugo Grotius, a tanta confuſione ſibi cavere potuit, a Menagio notatus *cap.* 24. *Amoenitat.* operae pretium erit ſtemma Juliani hic indicaſſe, Reineſii induſtria contextum, *lib. III. Var. lect. cap.* 2. *pag.* 343. & illuſtratum tum ab ipſo, *Epiſt.* 59. tum a Ruperto, in fine notarum ad Pomponium. Reliquos Julianos, amplius ſexaginta, Vir Celeb. Joh. Albertus Fabricius, *Bibliothecae Graecae tom.* VII. recenſuit *pag.* 90. An vero interdictum Salvianum a Salvio noſtro nomen acceperit, diſſentiunt eruditi. Pro affirmante ſententia, cum Auguſtino *pag.* 331. ſtant Cujacius, Colombettus & Weſenbecius, in *paratitlis.* Negat Bachovius ad Treutlerum *Vol.* 2. *Diſp.* 25. *Th.* 2. *lit. d.* & *lib. III. de Pignor. cap.* 20. Giphan. *ad §.* 3. *Inſt. de Interdictis*, noviſque rationibus Ampl. Bynkershoekius, *lib. I. Obſ. cap.* 24. quas Cl. Waechtlerus diluere conatus eſt, in *Actis Lipſ. A.* 1716. *menſe Junio*, Mihi res plane incerta eſſe videtur; quia gens Salvia plures Praetores & Jctos produxit: nam Hadrianus, Salvio Caro reſcripſit, in *l. 14. D. ad Sctum Turpil.* & Salvius Ariſto Julianum conſuluit, in *l. 6. D. de Legat. praeſt.* Inter ſcripta Juliani, in Indice Florentino, *Digeſton* βιβλία ἐνενήκοντα, *Digeſtorum libri nonaginta* tantum memorantur: Auguſtinus vero *pag.* 67. ex libro XCIV. laudat *l. 32. de Legibus*, cujus inſcriptionem ita edidit Taurellus. Sed quum in manuſcripto Florentino legeretur, JULIANUS *lib.* LXXXIV. numeris hiſce mala manus ſupra addidit quartum X. eaque in re Viro Cl. L. Th. Gronovio, bene ſe id vidiſſe ſcribenti, facile fidem habemus. Num vero *l. 1. D. de His qui not. inf.* ex lib. 1. Digeſtorum edictorum deſumta ſit, quae Cujacii opinio fuit, *ad Julianum pr.* an vero Ulpiani nomen, cum Taurello, quem Auguſtinus *pag.* 68. ſequitur, reponendum ſit, nondum ſatis comperio, quod tuto dici poſſit. Quamvis enim verba

Pag. 84. *Voluſium Maecianum* recte Juliano ſubjungit, quem ille *Julianum ſuum* appellat, in *l.* 86. *D. de Condit. & demonſtr. l.* 65. §. 1. *D. ad SC. Trebell.* Perperam autem omittit praenomen, quod ſuggerit Capitolinus, in *vita Marci Antonini cap.* 3. *Studuit & juri, audiens L. Voluſium Maecianum.* Multa de eo Menagius *cap.* 5. *Amoenit.* Jac. Gothofredus & Ill. Bynkershoekius ad *l. ἀξίωσις de lege Rhodia.* Fruſtra autem Auguſtinus Lampridio, in *vita Alexandri cap. ult.* metachroniſmi crimen impingit: nam veteres membranae Maeciani nomen ibi non agnoſcunt, & nugas agit Bertrandus, quum Lampridium liberare conatur, *Mecio* vel *Meſſio* ſubſtituto: quod bellum tamen inventum alios ſibi arrogaſſe video, ipſi quaſi invidentes. Eundem hunc Maecianum auctorem eſſe libelli, qui *Diſtributio* aſſis inſcribitur, *lib. II. Emendat. cap.* 7. pro indubitato habuerat Auguſtinus; & quod in *l. fin. C. de Donat.* dicitur, ſeſtertium nummi unius, aſſium quatuor aeſtimatione fuiſſe, egregie ex eo illuſtravit; nec aliter *Dial.* 1. *Antiq. pag.* 5. *Notarum diligens interpres exſtat Voluſius Maecianus, de Aſſe:* hoc loco autem, cum praeceptore ſuo Alciato, *lib. I. parerg. cap.* 17. ſubdubitare videtur; poſtquam libellum ad calcem Codicis Theodoſiani editum vidiſſet. Aſt qui ita edendum curaverat, Cujacius, ad *l.* 21. §. 2. *de Annuis legatis*, illum ſingularem & pulcherrimum Maeciani librum vocat; & juris ſtudioſis prius addiſcendum, quam Inſtitutiones. Joh. Frid. Gronovius eum quoque libris ſuis *de Pecunia vetere pag.* 395. inſeruit, & Graevius *T.* XI. *Theſauri*, cum Vineti & Gronovii notis.

Pag. 92. *Sextos Pomponios* duos eodem nomine Juriſconſultos fuiſſe tradit: cumque Cujacius idem ſenſiſſet, hos duumviros alii deinceps ſecuti ſunt, tantaeque auctoritati, ut ſolent, aſſurrexerunt. Fundamentum opinionis eſt in *l.* 41. *de Hered. inſtit.* cujus inſcriptio habet: *Pomponius lib. XII. ex variis lectionibus*; in fine autem capitis teſtis Pomponius laudatur: *ut refert Sextus Pomponius.* Verum jam olim Aegidius Menagius *cap.* 20. *Amoenitat.* Auguſtinum in eo falli ſummo digito tetigerat, idque alibi ſe oſtenſurum pollicebatur: nuper autem vir Cl. in laudata prius oratione, de Sexto Pomponio, exiſtimavit, architectos Pandectarum, cum Juliani locum ex libro XXX. Dig. transſcriberent, quo ille Pomponii verba laudarat, ſimul incidiſſe in variarum lectionum libros, atque ad oram notaſſe locum, ab Juliano ſpectatum. Et verum eſt, Julianum aliquando Pomponium, aequalem ſuum, teſtem laudaſſe; ſi non in *l.* 6. §. 6. 7. & 8. *D. de Negot. geſt.* quam praecedentis legis partem eſſe, Cujacius, Ruſſardus & Cl. Dukerus *de Latin. JCt. pag.* 320. ſatis demonſtrarunt, ſaltem in *l.* 63. §. 9. *D. Pro ſocio.* Miror autem ſcribi, Pomponium obiiſſe, Hadriano imperium obtinente: cum is Divi Antonini Pii conſtitutionem laudarit nominatim, in *l.* 14. *fin. D. de Pollicitat.* Parum itaque abeſt, quin geminos Pomponios, cum Auguſtino, fuiſſe credam, patrem forte & filium; quia Ulpianus in *l.* 32. *D. de Legat.* 1. inquit: *quod ita verum eſſe, tam Sextus, quam Pomponius negant.* idemque in *l.* 1. §. 27. *de SCto Silan.* infit: *Et ait Sextus.* ubi Graeci male ὁ Σέρβιος habent; quia Sulpiciana aetate nullum fuit SCtum Silanianum: nec quicquam cauſae erat, cur Leunclavius *lib. II. Notatorum n.* 64. rem tam manifeſtam eruditis diſceptandam relinqueret. Sic etiam cadit dubitatio, an Ulpius Marcellus notas ſcripſerit ad librum ſingularem Regularum Pomponii; an vero ejus obſervatio a Pomponio laudetur, in rubrica *l.* 63. *D. de Adquir. vel om. hered.* Prius Bertrando *lib. I. cap.* 17. ſedit; poſterius Cl. Fabricio, *Bibl. Lat. lib. IV. c.* 9. *p.* 818. cujus ſententia firmari videtur ex *l.* 10. *D. de Caſtr. pecul.* ubi Pomponius Marcelli notam refert. At per aetatem Ulpius omnino notas ad Pomponium ſcribere potuit: nam Divorum fratrum orationem laudat, in *l.* 19. *D. de Teſt. tut.* notas ſcripſit ad Julianum, Pomponii aequalem, *l.* 9. §. 8. *D. Quod met. cauſ.* & ſententiam Antonini Auguſti, ſe praeſente, Pudente & Pollione Conſulibus, latam adfert, in *l.* 3. *D. de His quae in teſt. del.* Incidit autem Conſulatus Servilii Pudentis & Fufidii Pollionis in A. U. 918. qui ſextus fuit Marci Aurelii & Lucii Veri Impp. vid. Gruter. *Inſcr. pag.* 1009. *n.* 2. Spon. *Miſc. pag.* 33. Denique ad Pomponii librum Regularum *Marcellus notat* aperte, *l.* 16. §. 1. *D. Qui teſt. fac.* juncta *l.* 29. §. 2. *D. Quib. mod. uſusfr. amitt.* ut minime dubitandum ſit, in *d. l.* 63. voces, *libro ſingulari Regularum Pomponii Marcellus notat*, idem notare, quod *ad librum ſingularem:* nam eodem modo, *Juliani libro XI. Dig. Marcellus notat*, rubrica *l.* 14. *D. de in rem verſ. l.* 39. *D. de Hered. inſt.* alibi *apud Julianum libro XXXII. Dig. Marcellus notat*, rubrica *l.* 80. *D. de Legat.* 1. hoc eſt in notis, quas

Mar-

Digitized by Google

Quotidianarum rerum eidem attribuerentur: rurſus *libro VIII. Obſerv. cap.* 4. Caji Inſtitutiones Graece ſcriptas eſſe, ſibi perſuadet: non attendens, quod Anianus, in barbara epitomes explanatione, multa de ſuo & recentiore quidem jure adjecit. Donellus ad *l.* 1. §. 4. *D. de Verb. Obl. n.* 11. neminem dubitare poſſe, credit, quin earum Inſtitutionum auctor fuerit Chriſtianus, qualem veterem Cajum non fuiſſe ſciamus. Nec multo melius Raevardus *lib. III. Conject. cap.* 19. eum ad Antonini Caracallae, Marcilius in *dict.* §. 6. ad Diocletiani aevum rejecerunt; niſi valde macrobium ipſum dicere velimus, cum Cl. Conradi, *de vera aetate Caji*, in Actis Lipſ. A. 1727. pag. 55. Hubero jam olim renitente, *lib. III. Obſerv. jur. hum. c.* 18. At quid clarius *l.* 9. *D. ad Sctum Tertull.* ubi M. Aurelium Antoninum Philoſophum ſacratiſſimum *noſtrum* Principem vocat, quod ex collatione *pr. Inſt. ad Sctum Orfitianum* liquet? Cur autem Juſtinianus Cajum ſuum appellaverit, in *dicto* §. 6. *Pr.* & §. 5. *de publ. jud.* non una eſt eruditorum ſententia. Rutilius *de vitis Jctor. c.* 39. ſuſpicatus eſt in verbis, *Caji noſtri*, mendum latere; alii Cajum *Noſtrum* dictum putarunt, quos Auguſtinus refellit, *lib. I. Emend. c.* 5. probabilem rationem a profeſſionis ſocietate petitam attulit Colerus *cap. XII. Parerg.* Mihi veriſſima videtur, quod Tribunianus ejus operibus, in conſcribendis Inſtitutionibus, praecipue fuit uſus; quemadmodum Strabo & Seneca Zenonem, Auſonius & Ennodius Maronem, Tertullianus Senecam, & Juriſconſulti ſe invicem *ſuos* appellarunt, *l. pen. D. de Stip. ſerv.* vid. Caſaubon. ad Strabon. *lib. I. pag.* 70. Lipſ. *lib. IV. Antiq. lect. c.* 20. Juret. *ad Auſon. epiſt.* 17. & Comment. meum *ad dict.* §. 6. *prooem. Inſtit.* Quod autem Auguſtinus & hic & *dial. VII. Antiquit. pag.* 111. monet, *Cajus* ſemper ſcribendum eſſe, non *Gajus*, forſan non perſuadebit illis, qui cum Auguſto in ea ſunt opinione, perinde ac pronuntiamus, ſcribendum eſſe: quin ipſe *lib. III. Emend. cap.* 3.. alia extare, ait, monumenta, ante aliquot annos, quam Juſtinianus fuit, conſcripta, in quibus eſt Gajus & Gnaeus, idque Diaconum, Diomedem & Priſcianum ſignificare. Et ſane antiquiſſimis quidem Latinis incognita fuit litera G. ut vel ex ordine litterarum conſtat: tertia enim Hebraeis & Graecis G ſonum habet, pro qua Latinis eſt C. At poſtquam Spurius Carvilius, illius forte Carvilii Rugae, qui primus Romae divortium fecit, libertus, G litteram adjecto apice invenerat, auctore Plutarcho *Quaeſt. Rom. n.* 54. ſonum litterae C. per gamma efferebant in multis vocibus; unde apud Graecos, ori Romano ſe accommodantes, Γάϊος, & in Codicibus, nummis ac marmoribus Cajus & Gajus promiſcue ſcribuntur: licet plerique ob reverentiam praenominis, C. littera deſignati, Cajus retinuerint, etiam ipſe Auguſtus apud Gellium *lib. XV. cap. 7. Have mi Cai.* Quintilian. *lib. I. Inſt. orat. cap. 7. Quid? quae ſcribuntur aliter quam enuntiantur? Nam & Gajus litera C. notatur, quae inverſa Ɔ. mulierem declarat: quia tam Cajas eſſe vocitatas, quam Cajos, etiam ex nuptialibus ſacris apparet. Nec Cneus eam litteram in praenominis nota accipit, qua ſonat.* Servius ad 1. Aeneid. vſ. 194. *Amurca per C. ſcribitur & per G pronuntiatur, ut C. Gaius, CN. Gnaeus.* Ratio confuſionis eſt litterarum propinquitas, de qua Terentius Scaurus & Victorinus apud Putſch. *pag.* 2254. & 2469. Adde Noriſ. *Cenot. Piſ. diſſ.* IV. *c.* 5. & de variis Cajis, Cel. Schultingium *Juriſpr. vet. pag.* 1.

Pag. 122. In *Q. Cervidii Scaevolae* nominibus commiſſos Alciati, Haloandri & veteris interpretis errores notavit ad Modeſtinum, *tom.* IV. *Theſ. p.* 1546. unde lux huic notae: neque *hic* autem, neque *pag.* 13. Scaevolam Muciorum gentilem dicere audet: Cujacius vero eum, in quaeſtione, an partus ancillae ſit in fructu, in *l.* 10. §. 2. *D. de Uſurpat.* Q. Mucii gentilis ſui opinionem ſequi, ait, licet ipſum trecentorum annorum intervallo attingat. Contra Balduinus, in fine Scaevolarum, fluctuans ſuſpicatur, Scaevolae cognomen Cervidio honoris cauſa fuiſſe datum, quia inter κορυφαίους τῶν νομικῶν fuit, & magno ingenio juris Civilis exornavit ſapientiam; quam Cicero *patrimonium Scaevolarum* vocat. Ad ipſum pertinet *l.* 3. *C. Th. de Teſtamentis*, ab Auguſtino *pag.* 128. *linea* 28. perperam omiſſa, ubi Arcadius *Scaevolam auctorem Jctorum prudentiſſimum* appellavit. De aetate & ſcriptis ejus, Perrenonius *lib. I. Anim-*

cap. XI.

Pag. 139. *Tertullianum* Jĉtum non alium eſſe putat a ſcriptore Eccleſiaſtico, quem Euſebius *lib. II. Hiſt. Eccl. cap.* 2. ἄνδρα τοὺς Ῥωμαίων νόμους ἠκριβωκότα, *virum legum Romanarum peritiſſimum* vocat, quique inſignem ſuam juris peritiam, paſſim ipſe, maxime *cap. IV. V. & VI. Apologetici*, *cap.* V. *de Pallio*, & *cap.* VI. *de Anima* ſatis oſtendit. In eandem ſententiam pedibus iverunt Cujacius, Pancirolus, Alb. Gentilis, Rad. Fornerius, Guil. Grotius, aliique minorum gentium interpretes; nec aetas refragatur; quia Chriſtianus ille imperante Severo & Caracalla ſcripſit, & ſub Elagabalo mortuus eſt, circa annum Chriſti 220. At rectius Hugo Grotius *ad Tit.* III. *vſ.* 13. Valeſius *ad Euſeb. d. l.* & multi alii id negarunt, quos longa ſerie hic referre, inutile foret; quia Menagius *cap.* XII. *Amoenit.* Rev. Jo. Mich. Heineccius, *in diſſ. hiſt. de Jĉtis Chriſtianis primorum ſaeculorum*, & Cl. Fabricius ad Hieron. *de ſcript. Eccleſ. c.* 53. de iis tam diligenter ſcripſerunt, ut vix ſpicilegium ſuperſit. Hoc tantum addam, mihi ſemper κριτήριον certiſſimum viſum fuiſſe collationem vel unius *l.* 33. *D. de Teſt. mil.* cum ſtilo tumente, pingui, & multum obſcuro, quo Presbyter ille Carthaginienſis uſus eſt: ut minime putarim, cum Pamelio, Priorio & Guilielmo Caveo *Antiq. Patr. Tom.* 1. *pag.* 396. *ſeqq.* ad eam diſcriminis rationem confugiendam eſſe, quod nomen Jĉti Tertyllianus per Y exaratur: jam ſupra enim vidimus, quod U & Y commercia inter ſe exercent, & permutatione utuntur, ut *murta myrtha*, *Sulla Sylla*, *Surus Syrus*, apud Turnebum *lib. XXVIII. Adv. c.* XI. Sic *Tertyllus* pro Tertullus in *l.* 1. §. 1. *D. de Reb. cor.* & *l.* 29. §. 5. *D. Ad L. Jul. de adult.* aliaque id genus librarii Graeci in Pandectis Piſanis commutarunt, *Lyſitania*, *Centyrio*, & contraria ratione, *Purrhus*, *Aſſurius*: ut praeteream, quod Euſebius Afrum illum ſimiliter Τερτυλλιανὸν vocavit, *lib. IV. Hiſt. Eccl. cap.* 11. A Tertullo eſt Tertullianus. TERTULLO. ET. SACERDOTI. cos. Inſcr. Fabretti *pag.* 359. Vide Salmaſium ad Spartiani *Hadrian. cap.* 1.

Pap. 192. *Aemilius Macer* Jĉtus, an auctor ſit Ὀρνιθογονίας, cujus meminit Diomedes *lib. I.* ſe neſcire Bertrandus ait: Annales autem, quorum decimum ſextum librum Priſcianus *lib. X.* laudat, ei tribuere non veretur. At Cl. Broukhuſius ad Tibulli *lib. II. Eleg.* 6. Aemilium Macrum, erudite oſtendit, multi nominis fuiſſe Poëtam, Virgilio & Tibullo aequalem, adeoque diverſum a noſtro, quem ſub Alexandro Severo floruiſſe, ex *l.* 1. *D. Si pend. appellat.* & *l.* 3. *C. de Calumniat.* apud Auguſtinum ſupplenda, conſtat. Poëtae illius Veronenſis, praeter Servium *ad Virgil. Ecl.* V. *vſ.* 1. & *lib. I. Aeneid. vſ.* 439. Iſidorum XII. 4. & Grammaticos, Ovidius *lib. II. Amor. eleg.* 18. *vſ.* 3. & IV. *Triſt.* 10. *vſ.* 44. meminit, ejusque fragmenta, cum ceteris veterum Poëtarum, Stephanus, Almelovenus & Maittaire ediderunt. Annales autem num Aemilii, an Licinii Macri ſint, Voſſius dubitat *lib. I. de Hiſtor. Lat. cap.* 16. Ego, licet non ignorem, Rutilium aliosque Jĉtos rerum Romanarum hiſtoriam ſcripſiſſe, poſteriori eos tribuo; quem Dionyſius Halicarnaſſenſis inter ſcriptores Annalium haud ignobiles recenſuit; cui etiam in fragmentis Hiſtoricorum Annales aſſignantur, apud doctiſſimum Waſſe ad Salluſt. *part.* 2. *pag.* 235. Denique rem omnem conficit Nonius, qui Aemilii Macri *Theogoniam*, Licinii Macri vero *Ornithogoniam* & *Annales* laudavit. Ingens vero adulatio plane obnoxium arguit Aulum Aemilium Macrum, aut ipſum Jĉtum, aut Jĉto aequalem, qui in lapide apud Sponium *pag.* 271. M. Aurelio Antonino, principi juventutis, *numinis praeſentis & conſervatoris vitae atque dignitatis ſuae* elogium tribuit, Sabino & Cornelio Anullino Coſs. hoc eſt A. U. 968. qui ultimus eſt imperii Caracallae. vid. *l.* 1. *C. de Poſtul. l.* 8. *C. de legat.* & Gruter. *pag.* 261. Alius eſt Aemilius Macer de herbis, quem, inter Medicae artis principes, Henricus Stephanus & Aldus Manutius, cum commentariis Atrotiani, vulgarunt. An Jĉtus Macer ſcripſerit ad *legem vicenſimam hereditatium*, uti refert Auguſtinus, an vero ad *legem vicenſimae*, vide Joh. Frid. Gronovium *de pecun. vet. lib. III. c.* 13.

Pag. 191. *Hermogenianum* Codicis Hermogeniani recte ſuſpicatur eſſe auctorem, peſſime eundem inter Alexandri conſiliarios, & in numero diſcipulorum Papiniani recenſet, quum ſolas fere collegerit Diocletiani & Maximiani Conſtitutiones, & vixerit ſub Conſtantino, ejusque liberis: id quod fragmenta ejus & vocabula intuenti ſatis apparet, & locus poſtremus in indice Pandectarum ei aſſignatus confirmat. Aliis quoque argumentis eruditiſſimus Jac. Gothofredus, tum in Prolegomenis ad *C. Th. cap.* 1. tum in Commentario ad *l.* 16. *C. Th. d. Appellat.* & ad *l.* 1. *ejusdem C. de Praebendo ſalario*,

hujus capitis inſcriptionem, pronuntiat, unamque legem in duas ſecandam eſſe affirmat. Porro a ſacris Chriſtianorum alienum fuiſſe Hermogenianum, recte Aegidius Menagius *cap.* XI. *Amoenit.* adverſus Bertrandum diſputavit: cujus ſententiam, praeter ea, quae Raevardus obſervavit, *lib. I. Conject. c.* 2. firmo ex lapide, Romae reperto, apud Reineſium *claſſ.* 1. *Inſcript.* 39.

MATRI. DEUM. MAGNAE
IDAEAE. SUMMAE. PA
RENTI. HERMAE ET ATTIDI
MENOTYRANNO. INVICTO
CLODIVS. HERMOGENIANUS
CAESARIUS V. C.

Complures Hermogenes & Hermogenianos vir eruditiſſimus Th. Reineſius in *Commentario ad h. l.* pariter ac *Epiſt.* LXIX. *ad Rupertum* collegit, eorumque ſtemma contexuit. Huic etiam Clodio, vel ejus ſive patri, ſive patruo, compilationem Codicis Theodoſiani multa probabilitate tribui poſſe contendit: ſaltem inter omnes nunc conſtat, familiam gentilem fuiſſe. A Gothofredo non multum abit Guido Pancirolus *lib. II. Theſ. var. lect. cap.* 257. quando Anicium Hermogenianum Olybrium, Probi filium, Conſulem ſub Valentiniano & Valente A. Chr. 395, & Jctum, & Codicis Hermogeniani compilatorem facit. Vixit enim is eodem, quo Clodius, tempore, a Claudiano, Marcellino & Hieronymo laudatus. Apud Gruterum *pag.* 342. *n.* 6. ANICIVS. HERMOGENIANVS. OLYBRIVS. V. C. CONSVL, ORDINARIVS. Nec temporis ratio obſtat: Codicis enim Hermogeniani primus meminit Coelius Sedulius, ſaeculi quinti ineuntis ſcriptor, in praefat. Operis Paſchalis ad Macedonium: *Cognoſcunt*, inquit, *Hermogenianum, doctiſſimum Juris latorem, tres editiones ſui operis confeciſſe.*

Pag. 196. *Q. Claudium Venulejum Saturninum* non alium a Venulejo fuiſſe, putat Auguſtinus, & ſequitur Merillius *lib. VIII. Obſ. cap.* 1. Aſt Claudium a Venulejo Pancirolus *lib. II. var. lect. cap.* 139. diſtinguit; Guil. Grotius vero *lib. II. cap.* 11. *&* 12. tres facit, Quintum, Claudium & Venulejum Saturninos; cujus inventi gloriam ei non invidemus. Hoc certum eſſe videtur, Claudium Saturninum ſub Pio & Divis fratribus vixiſſe, ac Praetura functum, *l.* 1. *§.* 2. *D. Quae res pign. l.* 6. *&* 7. *D. Mand. l.* 4. *pr. D. de Legation.* Venulejus autem Saturninus, Antonino Caracalla & Alexandro imperantibus, floruit, quod praeter Lampridium *cap. ult.* eorum reſcripta indicant, in *l.* 1. *C. de Excuſat. veteran.* & *l.* 1. *C. Quib. non objic. long. temp.* Tertullianus bis meminit viri praeſtantiſſimi, Claudii Saturnini, qui librum de coronis compoſuit, *pag.* 249. *&* 375. *edit. Rigalt.* Ad alium Saturninum Plinii epiſtolae exſtant, V. 9. & IX. 38. alios Venulejae gentis Fabrettus collegit *pag.* 47. 48. Recte igitur duo illi ſeparantur in inſcriptione *l.* 15. *& l.* 16. *D. de Poenis.* Caput & fons confuſionis eſt, quod librarius, in indice Jctorum, duorum libros ad unum pertinere credidit, ſimili errore, quem in Aquila ſupra vidimus. Labittus equidem hunc lapſum vitavit, Claudio inſerto; ſed male poſtea ex Venuleji Saturnini libro ſingulari *de Poenis paganorum* nullas leges deſumptas ſcribit, cum nec ullae ſumi potuerint.

Pag. 198. *Herennius Modeſtinus* primum Alexandro a conſiliis, deinde Maximini praeceptor, & tandem Gordiani aetate ultimus fuit, quocum ceſſim & retro collapſa jurisprudentia, oracula Jctorum obmutuerunt. Dignus profecto fuit Gordiani elogio in *l.* 5. *C. Ad exhib.* cujus *l.* 2. *C. de His quae ſub modo* Cujacius *lib. XXIII. Obſ. c.* 5. ex Modeſtini *l.* 16. *D. de Uſufr. leg.* illuſtravit. Fuit Graece peritus & magnus cautionum artifex, in quibus magna pars officii Jctorum conſiſtebat. Plures quoque apud eum unum, in libris Pandectarum, reperiri definitiones, quam apud alios omnes, Merillius obſervavit, *lib. VIII. Obſ. cap.* 32. Nos in ejus memoriam inſignem commendamus inſcriptionem, a Fabretto allatam *pag.* 278. in qua, AELIUS. FLORIANUS. HERENNIUS. MODESTINUS. ET FALTO. RESTITUTIANUS P. P. V. V. controverſiam inter Magiſtros fontanos & fullonum collegium, decem & octo annis, ex conſulatu Alexandri Aug. II. & Marcelli II. usque ad Peregrinum & Aemilianum cſs. ſive ex A. U. C. 978. ad A. U. C. 996. ventilatam, ſua ſententia deciderunt, poſt Gordiani tempora, ſub Philippo

Digitized by Google

idem fuiſſe , quo munere , vivo Ulpiano , cum ...
Furt. a quibuſdam colligitur : qui enim extra Senatum ad regendas provincias mittebantur, titulo Perfectiſſimi honeſtari ſolebant ; & ſpecialiter Dalmatiae Praeſides ita vocatos , ex Notitia imperii conſtat , docuitque Jac. Gothofredus ad *C. Th. tit. de Perfectiſſimatus dignitate.* Sed mera haec Bertrandi conjectura eſt, ſolius Vulgatae fide ſubnixa, quae in *d. l.* 52. habet: *quod & Herennio Modeſtino, Proconſuli, me de Dalmatia conſulenti reſcripſi.* Rectius Florentiae legitur: *quod & Herennio Modeſtino, ſtudioſo meo, de Dalmatia conſulenti reſcripſi:* ex quibus facilius Modeſtinum natione Dalmatam confeceris, quam Dalmatiae Praeſidem, quod & aetas illius recuſat.

Pag. 204. *Tarruntenus Paternus* quo tempore vixerit , incertum eſſe pronuntiat; ſed teſtem habemus Lampridium , Commodo imperante , eum praefectura praetorii functum , & propter malum conſilium interemtum eſſe , *ejus vita cap.* 4. *Crudelis vita Commodi, Quadratum & Lucillam compulit, ad ejus interfectionem conſilia inire, non ſine Praefecti praetorio Tarruuteni Paterni conſilio.* Ita princeps editio habet, ait Caſaubonus: ſed ſcribe *Tarruntii Paterni* , ut legitur in Digeſtis. Similiter Politianus , Rutilius & Labittus : Dio Caſſius autem lib. LXXI. Ταῤῥουντῖνον Πάτερνον , Haloander *Tarrantinum* vocat , Cujacius *ad l.* 6. *C. de excuſ. mun.* forſan *T. Arruntenum Paternum* ait appellari debere , uti ex Tito Aburnio *Taburnius* factus eſt. Alii rurſus *Tarrutinum*; alii *Tarentinum* vocarunt : Reineſius *lib. III. var. lect. c.* 2. *pag.* 340. *Tarrutinum* vel *Tarruntium* Paternum , Epiſtolarum Latinarum D. Marci primum magiſtrum, poſt Praef. Praet. ſub Commodo appellat. Verum autem ejus nomen jam olim Godeſcalcus Stewechius ad Vegetium *lib. I. cap.* 8. ex Florentino manuſcripto indicavit, in quo TARRUNTENUS habet inſcriptio *l.* 7. *D. de Re milit.* & *l.* 8. *D. de Jure immunit.* etiam in indice, Pandectis praefixo, eſt ΤΑΡΡΟΥΝΤΗΝΟΥ, cui Codex Palatinus Lampridii, una littera excepta, adſtipulatur, quem Salmaſius & Gruterus ſunt ſecuti. TARRUTII TARRUTENII viri Cl. ſed aetate poſterioris , mentio fit apud Gruterum *pag.* 471. *n.* 8. Lucius etiam Tarrutius apud Plinium , Tarruntius apud Solinum memoratur, ſed qui Graece de aſtris ſcripſit. De Paternis plura habet Reineſ. *ad cl.* I. *n.* 16. ubi Paternum Jctum eundem cum Praefecto praetorio facit , ſed male *Tarentonum* vocat. Ad alios Paternos Plinii IV. 14. VIII. 16. Symmachi V. 58. *ſeqq.* & Ambroſii 66. epiſtolas habemus.

Pag. 205. *Aurelius Arcadius Cariſius* ſine adſpiratione , quia a karus vel carus eſt *Cariſius, cariſſimus*; uti innumera cipporum exempla produnt. Alii autem videntur eſſe *Chariſſimus*, in inſcriptione *l.* 9. *C. de Quaeſt.* & *Chreſimus*, in *l.* 27. *C. de Pact.* licet Pancirolus *lib. I. var. lect. c.* 79. nomen Juriſconſulti ibi corruptum putarit. Hic in ultimum locum merito conjectus eſt, quia ſuppar Hermogeniano , ſub Conſtantino ejusque liberis floruit. Suboluit id Cujacio , cum *lib. VII. Obſ. cap.* 2. quanquam, ſine teſte , eum Chriſtianum facit. Guilielmus etiam Grotius *lib. II. cap.* XI. *n.* II. propter voces barbaras *Participales* , *regimentum &c.* eum poſterioris aevi eſſe vidit; in cujus judicio plerique acquieverunt , aliis eum ad Cari & Carini , aliis ad Diocletiani imperium referentibus, propter inſcript. *l.* 4. *C. de Calumniat.* Sed verae aetati, ſaeculo ſcilicet poſt natum Servatorem quarto , Cariſium reddidit Jacobus Gothofredus , vir eruditiſſimus , ad *l.* 16. *C. Th. de Appellationibus.* quum enim ante quaeſitum fuiſſet, an jure liceret, a Praefectis Praetorio appellare, Cariſius refert, publice ſententia Principali lecta, appellandi facultate interdictum fuiſſe, in *l. un.* §. 1. *D. de Off. Praef. praet.* Idem tradit Hermogenianus aequalis, in *l.* 17. *D. de Minor.* Princeps autem, cujus ſtatim in ſequentibus Arcadius meminit , eſt Conſtantinus , qui ita ſanxerat : *A Praefectis Praetorio , qui ſoli vice ſacra cognoſcere vere dicendi ſunt, provocari non ſinimus, l.* 16. *C. Th. de Appellat.*

Pag. 207. De *Appio Claudio* diſſerit , qui a ventre *Craſſus* , a luminibus in ſenio amiſſis *Caecus* dictus eſt : ſed *multum animo vidit , lumine captus erat* , cecinit Naſo, *lib. VI. Faſt. vſ.* 204. Hic enim Faſtos & legis actiones primus compoſuit , viam Appiam ſtravit, & alia praeclare geſſit, quae ex *l.* 2. §. 36. *D. de O. J.* & *l.* 1. §. 5. *D. de Poſtul.* aliisque, una cum ejus honoribus, repetita ſunt in marmore Gruteri *pag.* 389. *n.* 4. quod olim Florentiae apud eruditiſſimum Petrum Victorium legebatur, nunc apud magnum Etruriae ducem cernitur hoc modo:

AP-

Pleriſque haec inſcriptio theſauri inſtar viſa fuit; ſed Auguſtinus jam olim *dial.* x. *Antiq.* dubitavit, an tempore Appii, immo Ciceronis, poſita fuerit; quia nullum antiquioris Orthographiae continet veſtigium, nec ea ſcribendi forma vetus eſt obſervata, quae in C. Duilii columna roſtrata cernitur, qui Appii fuit aequalis; nec brevitate vel elegantia commendatur. De fide ejus Pighius etiam dubitavit *lib. V. Ann. ad A.* 461. & ad ſpurias eam rejecit Gudius *Inſcript. pag.* 373. Corradino autem priſca videtur, *vet. Latii lib. II. c.* 20. Is vero Appius quatenus litterae caninae R inventor dici poſſit, quaeritur. Auguſtinus & hic & *dial.* x. *Antiq. pag.* 166. multis rationibus adjectis, falſum eſſe pronuntiat, eam, ut novam, ab ipſo primum repertam eſſe; laudatus idcirco ab Ezechiele Spanhemio, *Diſſert.* 11. *de Praeſtantia & uſu numiſm. pag.* 109. qui tamen ſimul Pomponium erroris accuſat, cujus verba ille tantum mendoſa eſſe dixerat. *Ita errare*, inſit Spanhemius, *ex nummis liquebit, Pomponium, qui l.* 2. §. 36. *de Origine juris tradit, Appium Claudium, eumque non veterem illum, ſed recentiorem, litteram R inveniſſe; quod cum eodem longe antiquior Romae, Romuli item, ac Remi appellatio, tum aetatum omnium numismata, aerea ac argentea, omnino refellunt; ut jam monuit vir praeclarus Antonius Auguſtinus.* Verum ſi addas, cum Pomponio, Appium Claudium uſum litterae R in quibusdam vocabulis inveniſſe, qui prius non erat, ut pro Valeſiis Valerii, & pro Fuſiis Furii dicerentur, nihil dixeris a veritate hiſtorica alienum. Spanhemium quoque hoc monuerat vir Cl. Antonius Maria Salvinus; at ille nihilominus, in addendis ad tom. 1. moroſius urget, aliud eſſe litteram R *invenire*, aliud mutare, & Pomponium generaliter loqui; ſed quia hic poſt *invenit*, illico ſubjungit, *ut pro Valeſiis*, ſatis aperte mentem ſuam explicaſſe videtur. Idem ex aliis patet, qui litterae hujus meminerunt, dum iisdem fere exemplis, cum Pomponio, utuntur, in quibus princeps mutatio eſt facta, licet ea deinde ad alias voces propagata ſit, auctore Varrone *lib. VI. de LL.* Quintilianus lib. I. Inſt. orat. cap. 4. *Ut Valeſii & Fuſii in Valerios Furiosque venerunt, ita arbos, labos, vapos, etiam & clamos ac laſes aetatis fuerunt.* Liv. lib. III. cap. 4. *Furios Fuſios ſcripſere quidam; id admoneo, ne quis immutationem virorum ipſorum eſſe, quae nominum eſt, putet.* Feſtus de Aurelia familia, *qui ex hac Auſelii dicebantur, ut Valeſii, Papiſii.* Macrobius *lib. III. Sat. cap.* 2. *Aras dici coeptas, ut Valeſios & Fuſios dictos prius, nunc Valerios & Furios dici.* Hoc amplius tantum abeſt, ut Ciceronis chronologia Pomponio repugnet, ſive, ut Auguſtinus ait, *tempus abnuat*, ut ille *lib. IX. ad Paetum Epiſt.* 21. idem tempus ſignet, quo Papiſii in Papirios mutati ſunt: *L. Papirius Mugillanus, qui conſul cum L. Sempronio Atratino fuit, cum ante cenſor cum eodem fuiſſet, annis poſt Romam conditam* CCCXII. *ſed tum Papiſii dicebamini; poſt hunc* XIII. *fuerunt ſella curuli, ante L. Papirium Craſſum, qui primum Papiſius eſt vocari deſitus. Is dictator cum L. Papirio Curſore, Magiſtro equitum factus eſt, annis poſt Romam conditam* CCCCXV. Iisdem vero temporibus vixit noſter Appius Claudius; ad quem ſi cum Pomponii defenſore, Petro Fabro *lib. I. Semeſtr. cap.* 9. litterae illius productio referatur; non indigemus emendatione Auguſtini, pro *idem* reponentis *item*, nec aliorum commentis, quae Vir Ampliſſimus Cornelius van Bynkershoek examinavit, in *Praetermiſſis ad Pompon. pag.* 59. Ceterum Appius ab Aeolibus aut ab Atticis mutationem illam hauſiſſe videtur, qui Σ in P mutarunt, docente Mureto ad Pomponium *t.* IV. *Theſ. pag.* 170. & Meurſio *Miſcell. Lacon. lib. II. c.* 8. Meliore etiam conditione littera haec canina, utut pronuntiationis difficilis, uſa eſt, quam tres illae, digamma, antiſigma & jota, a ſtolido Claudio Imperatore adjectae, quae uſui, imperitante eo, poſt oblitteratae, ut Tacitus auctor eſt, *lib. XI. c.* 13.

Pag. 211. *Manius Manilius*, Ciceroni *princeps civitatis* dictus *lib. I. de Finibus cap.* 4. inter eos hic numeratur, qui fundaverunt jus civile; dignus profecto, cui nomen ſuum vindicemus. Multi *Marcum* appellarunt, quos Briſſonius *lib. IX. de V. S.* & Bertrandus ſecuti ſunt. Petrus autem Victorius ad Varronem de *R. R. lib. II. cap.* 3. & Cujac. *lib. IX. Obſ. cap.* 3. *Mamilium*; Eraſmus, Forſterus & Guil. Grotius

lib. VII. fam. ep. 22. Atque ad eum modum nummus aeneus apud [illegible] *pag.* 139. explicandus eſt, in quo roſtrata navis & Herculis clavigeri caput, cum verbis M. MANILI ROMA conſpicitur. Victorius autem & Cujacius Manilium noſtrum cum Mamilio confudiſſe videntur, celeberrimo legis Mamiliae de limitibus, ſive Plebiſciti a Cicerone *lib. I. de LL. c.* 21. Siculo *p.* 8. Frontino *de limit. agror. p.* 40. Aggen. Urbic. *pag.* 53. & Simplicio *p.* 83. laudati, auctore; qui C. MAMIL. LIMETANUS in elegantiſſimo nummo, apud Fulvium Urſinum de *familiis Roman. pag.* 163. & *C. Mamilius Limetanus Tr. pl.* apud Salluſtium *Bello Jugurth. cap.* 44. vocatur. Neque vero is *Limitaneus*, a lege de limitibus agrorum rogata, dictus eſt, uti Merula *de LL. cap.* XI. §. 2. & Gravina *Orig. lib. II.* §. 38. *pag. m.* 273. ſtatuunt, ſed *Limetani* cognomen jam ante familiae erat tributum, v. Daviſ. ad *Ciceron. d. l.* & Goeſ. *ad rei agrar. Auct. pag.* 182. Manliorum denique & Mamiliorum proſapiam diverſam fuiſſe, ex utriusque nominis explicatione apud Sextum Pompejum tam clare obſervare licebit; ut vix excuſari poſſit Alexandri Nigri J. U. D. hallucinatio, qui cum profeſſa opera Mamiliorum hiſtoriam ſibi pertexendam ſumſiſſet, Limetanum *Manilium*, & Jctum noſtrum *Marcum* appellavit, in *Marmoribus Felſineis Malvaſiae pag.* 290. Sed quid facias, quum codices MSti Graeci ac Latini Manilios, Mamilios & Manlios confundant? Jac. Gothofredus ad *l. 3. C. Th. Fin. reg.* legem Maniliam de limitibus vocat, quam Quintilianus *de honoribus aut imperiis* fuiſſe, ait, *lib. II. Inſtit. c.* 4. Schottus Mamilium Suram apud Plinium, in indice Scriptorum *lib.* 8. & 10. male Manlium, & *lib. X. c.* 2. Mamilium Senatorem Manium vocat: ipſeque Auguſtinus noſter *de LL. p. m.* 1237. Mamiliam, Maniliam & Manliam leges non ſatis diſtinxit; recte autem diſputavit contra eos, qui *Mamilianas* venalium vendendorum leges, apud Ciceronem & Varronem ſubſtituere maluerunt, quarum auctor eſt Manius Manilius Jctus, inter principes civitatis.

Pag. 214. Ad *Servii Sulpicii, Q. F. Lemonia Rufi*, lactum pariter ac venerandum nomen progredior, quod totum nobis Cicero *Philipp.* IX. *cap.* 7. ex decreto Senatus ſervavit. Vocem *Lemonia* tribum indicare, Bernardinus Rutilius non intellexit: at legis Serviliae fragmentum, apud Gruterum *pag.* 506. ad integram cujusvis deſcriptionem PATREM, TRIBVM, COGNOMENQUE requirit; ac multi lapides ejusdem operis aeterni eandem tribum oſtendunt, *pag.* 23. *n.* 2. M. RUSPIVS M. F. LEMONIA ULPIANUS. Poſt Tullium igitur auctorem, nil cauſae eſt, cur Porphyrio, Horatii Scholiaſtes, nos moretur, qui ad *lib. I. Sat.* 3. *vſ.* 130. Alfenum Varum *Marco Sulpicio* Jurisconſulto uſum eſſe ſcribit. Praenomen enim hoc, ſive ipſius, ſive librariorum culpa, ex voce *magiſtro*, apud Acronem, enatum eſt, cujus ſcrinia is compilavit. Servii autem praenomen tam familiare fuit Sulpiciis, quam Appii Claudiis, noſterque in Pandectis ſaepius, eo ſolo, pariter ac Servius, Rex Romanorum, in hiſtoriarum monumentis deſignatur. Galbam item, non ad Sulpiciorum, ſed Σερουίων οἶκον retulit Plutarchus; hinc etiam inter tot Servios, rariore exemplo, duplice praenomine opus fuit, quo a ſeſe invicem diſtinguerentur. Apud Cornelium Nepotem, in vita Attici, *M. Servius Sulpicius*; apud Ciceronem *lib. I. de Orat. Q. Servius Sulpicius Galba*, a Ruperto *Epiſt.* 60. *ad Reineſium* ſunt obſervati. Fulvius item Urſinus, in Sulpicia gente, L. SERVIUM RUFUM, in priſcis denariis conſpicuum, ex Livio, Aſconio & Obſequente illuſtravit. Singularis autem Ezechielis Spanhemii *Diſſert.* X. *de Praeſtantia & uſu numiſm. pag.* 27. eſt obſervatio, Sulpiciae Ruforum familiae hoc amplius proprium fuiſſe, ut vicem omiſſi nominis gentilis vox Servii aliquando expleret, quique aliud huic Lucii vel Marci nomen praemiſiſſent, a Sulpicii nomine abſtinerent. Quicquid ejus eſt, hoc ſatis apparet, falli Urſinum, &, qui eum ſecutus eſt, Laurentium Begerum *Theſ. Brandenb. part.* 2. *pag.* 587. quod nummum jam laudatum, vultumque ei impreſſum, ad Servium noſtrum, cui Sulpicii nomen propalam & repetita vice dat Cicero, referendum putarunt; & laetor, viro praeclaro, Jacobo Gronovio, *tomo* III. *Theſauri Antiq. Graec.* ggg. idem adverſus Joh. Fabrum viſum fuiſſe, qui ſimiliter in verba Urſini jurarat. Miror autem, ipſum praeteriiſſe magni parentis ea de re judicium ad Liv. *lib. IX. cap.* 36. *Nec quod duplici praenomine ſimul uſi Romani, exemplum eſt ullum, praeterquam, quod fingunt, Servii Sulpicii, de quo alias diſputabimus.* De ſtatua ipſi ex Scto pro Roſtris poſita, cujus Pomponius meminit, in *l.* 2. §. 43. *de O. J.* ejusque inſcriptione ficta, apud Reineſium *cl.* VII. *Inſcript.* 30. tomo V. plura dicam; ubi nec Auguſtinus in eo me habebit adſentientem, quod *pag.* 334. Servianam actionem, ab hoc Servio, Jcto, nomen accepiſſe arbitratur; quia didici ex Ciceronis *orat. pro Murena cap.* 20.

ejus

Digitized by Google

…, apud Gruterum *pag.* 240. & 241. in qua bis MASVRIVS legitur ; alius enim adeſt lapis, memoratu digniſſimus, *pag.* 535. *n.* 2. ejusdem operis , DUOBUS GEMINIS COS. C. nempe Rubellio & C. Fuſio COS. A. U. C. DCCLXXXII. hoc eſt eodem , quo Maſurius noſter vixit , tempore poſitus ; ex quo ſimul ipſius praenomen MARCI , & filiam , niſi fallor , intelligemus , una cum marito , patriae paupertatis ex aſſe heredem , de qua Pomponius in *l.* 2. §. 47. *de Orig. juris* ſcribit : *Sabino nec amplae facultates fuerunt : ſed plurimum a ſuis auditoribus ſuſtentatus eſt.* Verba marmoris apponam, obteſtatus judices, qui erunt, bono ut modo luam, ſi quid in hac conjectura peccavero:

Q. CAETRONIUS
Q. F. PVB. PASSER
MIL. COH. IIII. PR. ANNIS. XVIII
MISSVS. DVOBVS. GEMINIS. COS.
SIBI. ET
MASVRIAE. M. F. MARCELLAE
VIXI. QVOD. VOLUI. SEMPER. BENE.
PAUPER. HONESTE. FRAUDAVI
NULLUM. QUOD. JUVAT. OSSA. MEA.

Similem in modum Plinius ſaepius ſimplici S. *Maſurius auctor eſt*, *lib. VII. Hiſt. nat. cap.* 5. 43. & *lib. XV. cap.* 29. 30. Arrianus quoque *Epict. lib. IV. cap.* 3. *fin.* Μασουρίου καὶ Κασσίου Juriſconſultorum meminit: Scholiaſtes Perſii ad Sat. v. vſ. 88. *Maſurius Sabinus, legis conſultus*: ita Nonius *pag.* 168. *vſ.* 23. *edit. Pariſ.* & Pontanus apud Macrobium *lib. III. cap.* 6. ſic legendum monet : nec amplius dubitandum eſt , quin librarii Florentini litteras illas eadem ratione geminarint , qua in *querella* , *ſequella* , *Catillina* , *Mercennarius* aliisque. Quod vero Athenaeus *lib. XIV. cap.* 5. ſcribit: Μασσούριος ὁ πάντα ἄριστος , καὶ σοφὸς , καὶ γὰρ νόμων ἐξηγητὴς οὐδενὸς δεύτερος , καὶ περὶ Μουσικὴν , ἐνδιατρίβων ἀεί. *Maſurius vir longe optimus & ſapiens* , *qui & interpres legum fuit* , *nulli ſecundus* , *muſicis aſſiduam operam navavit* , licet ab hac quaeſtione orthographica non alienum ſit , ad noſtrum Jctum male ab Auguſtino , Cujacio , Bertrando, Pontano aliisque refertur ; a quibus Voſſius *de Hiſtor. Lat. lib. I. cap.* 21. Robertus *ad Mercator. lib. I. c.* 17. nec non clariſſimus Collega noſter , Carolus Andreas Dukerus *pag.* 158. *de Latinitate Jctorum*, recte divertunt. Fingit enim Athenaeus Larenſem, civem Romanum, tempore Marci, fortunis ſplendidum , eruditiſſimos quovis diſciplinarum genere convivas, tum viventes, ad ſe vocaſſe, quos inter breviatori in argumento operis , primum locum obtinuiſſe viſus eſt Μασούριος νόμων ἐξηγητὴς ; καὶ πάσης παιδείας οὐ παρέργως ἐπιμέλειαν ποιούμενος , *Maſurius* , *legum interpres* , *in omnibus diſciplinis verſatus diligenter.* Simili errore Cujacius & Scipio Gentilis Ulpianum, loquacem rhetorem Athenaei cum Domitio Ulpiano confuderunt, ut infra, ad Lectii orationes, dicemus. Ceterum cautio eſt, ne Maſurium hunc Sabinum , Tiberii aevo clarum , cum Coelio Sabino , qui ſub Veſpaſiano plurimum potuit , aut cum Flavio Sabino , Sabini inſignis viri filio , & temporis ſui Catone , qui in Papiniani conſilio fuit, & ſub Caracalla Conſulatum geſſit, & ab Heliogabalo occiſus eſt, confundamus, de quo accipienda eſt *l.* 1. *C. de Juriſd. omn. jud. l.* 6. *C. de Poen.* Lamprid. *in Alex. Sev. c.* 68. & *Heliogab. cap.* 16. Non etiam Maſurius memorabilium , ſed *Memorialium* libros ſcripſit , uti Gronovius , *ad praefationem Gellii pag.* 6. ex antiquiſſimis Macrobii & Gellii codicibus contra Caſaubonum diſputavit. De libris ejus Aſſeſſoriorum multa Perrenonius, *lib. II. Animadverſ. c.* 11. Fragmenta ejus Riccobonus, Gruterus, Dan. Guil. Mollerus & Waſſe *ad Fragm. Hiſtor.* poſt Salluſtium *pag.* 281. collegerunt.

Pag. 246. *Cartilii* nomen , nunquam ante editum , ut noſceremus , primus effecit noſter *lib. III. Emend. cap.* 6. Cujacio adplaudente *lib. I. Obſervat. cap.* 9. *Cartilium ab oblivione Ant. Auguſtinus vindicavit*, *Juriſconſultus elegans & terſus.* Nec minore gloria Cujacius ibidem Fufidium in lucem protraxit. Quod autem is dubitanter ſcripſerat, *forſitan* hunc eſſe eundem, quem M. Tullius in aliquo patronorum numero fuiſſe, ait, id Auguſtinus *pag.* 244. infra, ſuum fecit, nullo viciſſim ei honore relato.

muſae, intelligentes. Denique etſi detur, Fuſidium Jctum fuiſſe, eum tamen cum Proculo ad Vitellii & Othonis tempora videri referendum, ob *l. 5. D. de Auro & arg. leg. l. 17. D. de Pact. dot.* & nequaquam eum eſſe, cui Cicero & Plinius tradunt, M. Scaurum tres de vita ſua libros inſcripſiſſe. Verum id quidem extra omnem dubitationem eſt, Jctum Fuſidium fuiſſe, cujus etiam Scholiaſtes Baſilikῶν meminit *tom.* VI. *pag.* 285. ἔλεγεν ὁ *Fuſidius*, iisdem tamen argumentis Cujacium oppugnat Guil. Grotius, & Fuſidium toto ſaeculo juniorem, ſub Veſpaſiano floruiſſe, oſtendit, *lib. II. cap.* 4. §. 7. Apud Gruterum *pag.* 661. *n.* 9. L. FVFIDIVS SPORVS, ſed alius forſan, in lapide Romano memoratur.

Pag. 251. *Vindius* Jctus ex Paulo, Ulpiano & Maeciano laudatur; quis autem ille fuerit, aut quid ſcripſerit, ne γρῦ quidem. Bertrandus *lib. II. c.* 31. & Guil. Grot. *lib. II. c.* 7. §. 14. memoriam ejus recte quaerunt apud Capitolinum *in Pio c.* 12. *Multa de jure ſanxit, uſusque eſt Juriſperitis, Vindio Vero, Salvio Valente, Voluſio Maeciano* &c. Uterque autem infeliciter diſputat de verbis Spartiani *in Hadr. c.* 15. *Umidium Quadratum & Catilium Severum graviter inſecutus eſt*; ubi prior legit: *Vindium, Quadratum & Catilium*; alter vero *Mimidium Quadratum*; Cuſpinianus & Caſaubonus *Numidium*, alii *Numilium* vocant. Verum Salmaſius ex libris veteribus & lapidibus *Ummidium* legendum eſſe docuit, idque gentile Quadratorum nomen Noriſius *de epoch. Syro Maced. diſſ.* III. *p.* 183. Joſepho, Tacito & Plinio ex Codicibus Ms. reſtituit, & tria Fabretti marmora firmant *pag.* 171. 172. & 673. nec ego aliter legendum putem apud Capitolin. in *Anton. Phil. c.* 7. ubi Manut. *ad Ciceron. lib. II. ad Att.* 23. & Reineſ. *lib. III. Var. lect. c.* 2. M. Ninnium reponi debere putarunt. Vides, Benevole Lector, quanta animadverſionum, in primo hujus libri capite, ſit meſſis; quod ſi ita in reliquis pergere velim, pro Praefatione alterum volumen facile exiret. Nullum autem ſupereſt Auguſtini caput, quod non integram diſſertationem mereatur: etſi enim is tantum valuit eruditione, quantum ex decem alii, nihilque ſcripſit inconſiderate, major tamen ſaeculi noſtri eſt felicitas, propter tot inſcriptos lapides & nummos, recens e tellure effoſſos, aliaque ſubſidia longe auctiora: in quae ſi ille ſua tempeſtate incidiſſet, nulla nobis littera, quam adderemus, relicta foret.

C*aput ſecundum* Regum & Conſulum nomina complectitur, quibus Romani annos ſuos, poſt ejectos Reges, ſingulari praerogativa, deſignarunt. Iis explicandis inſervient, qui victoris gentium populi Faſtos commentariis illuſtrarunt, quorum anteſignanus eſt Johannes Cuſpinianus *in Chronicon Caſſiodori:* deinde Carolus Sigonius & Onuphrius Panvinius, quos *Patres Faſtorum*, honoris gratia, nuncupare licet, imitatione Scaligeri *lib. V. de emend. temp.* ſcribentis: *Panvinium noſtra aetas parentem hiſtoriae vocare potuit:* tum Stephanus Vinandus Pighius, *in Annalibus*; Antonius Pagi *in Criticis ad Baronium & in Diſſertatione hypatica*; & Henricus Noriſius, in erudita & ingenioſiſſimi laboris *Epiſtola conſulari*, multa diligentius ad obruſſam exegerunt: denique Petrus Relandus & Th. Janſonius Almelovenius commendandi ſunt; & quamvis ob mortem praematuram manus extremas Faſtis ſuis addere non potuerint, quicquid Auguſtino deeſt, qui non omnia Conſulum paria, quae in Pandectis occurrunt, nec cetera juſto ordine retulit, ex illis, & ex Ampliſſ. Brenemanni *Append. Faſtor. Reland. p.* 839. *ſeqq.* ſuppleri debet. Attamen Faſtos accuratos optare magis, quam ſperare licet: ea fuit in vetere Rep. annalium confuſio, & ſub Imperatoribus ſcriptorum negligentia; qui modo ordinariorum tantum Conſulum rationem habuerunt; modo ſuffectos nobis commemorarunt; modo ordinarios cum ſuffectis; modo unum ordinarium, & ſuffectum alterum. Aliquando ex ordinariis majorem, nunc alterum minorem praeponi videas, ſive ob faſces alternis menſibus mutatos, ſive quod affectibus ſuis indulgent. Exempla Marcilius ad Suetonii *lib. VIII. cap.* 2. Reineſius *Epiſt.* 51. & Fabrettus *Inſcript. pag.* 503. dedere. Sunt etiam, praecipue Hiſtoriae Auguſtae ſcriptores, quibus ſatis eſt Conſulum nomina deſignaſſe; ut *Palma & Celſo*, pro *Palma & Celſo Coſſ.* ſcripſit Spartianus *in Hadriano c.* 4. ubi Caſaubonus in notis: *Velim doceant me peritiores, qualenam hoc loquendi ſit genus: nam hic conjectore opus, non interprete:* ſed Lydiatus in *ſerie ſummor. Magiſtrat. pag.* 82. A. Cornelium Palmam & L. Publilium Celſum A. 860. Conſules ſuffocatos laudavit. Nec aliter Scipio Gentilis *lib. II. de Juriſd. c.* 2. capit *l.* 27. *D. de Lib. cauſ.* ubi Ulpianus lib. 2. de Off.

Con-

Digitized by Google

[illegible], in quem jocus mordaciſſimus Ciceronis extat, apud Macrobium, qui ab Auſonio de Frontone Conſule ſuffecto repetitus eſt: Quaerendum eſſe, quibus Conſulibus Conſules fuerint. Et *poſt hoc* Caeſaris Dictatoris *tempus pauci in Conſulatu totum annum peregerunt; ſed quidam pluribus aut menſibus, aut diebus, variis ex cauſis Coſſ. fuerunt*, ſcribit Dio *lib. XLIII.* qui & lib. XLVIII. addit, ſuis, id eſt, Severi Auguſti temporibus, annorum tempora a primis Conſulibus numerata eſſe jugiter, *Ceteri vero licet Conſules intra Urbem & in Italia haberentur, a provincialibus tamen raro cognoſcebantur; qua de cauſa minores Conſules dicti ſunt.* Commodus quinque & viginti in unum annum creavit; plerique vero duobus menſibus magiſtratum gerebant; multi honorarium Conſulatum acceperunt, ſine munere & poteſtate, ornamentis tantum Conſularibus aucti.

Pag. 258. ex Ulpiani *l.* 1. §. 2. *D. de Officio Quaeſtoris* mentio fit Senatusconſulti; quod factum, *Decimo Druſo & Porcina Conſulibus*: at Pighius *lib. XVI. Annal. pag.* 285. ait, Jctorum filios hoc loco Conſulum nomina admodum depravaſſe, ex gloſſa alicujus indocti, ac *D. Bruto & Aemilio CSS.* legendum eſſe: hi vero A.U. 676. conſules fuerunt, Cic. *in Brut. c.* 47. & Obſequens *de prodig. c.* 119. Sequens *Sullae & Trionis* conſulatus ex *l.* 12. *pr. D. de Accuſat.* ad Tiberii aevum pertinet, A. 783. ſub quo vixit Lentulus, unus ex Senatoribus, natura bonus, ut ex Dionis *lib. LVII.* Cujacius obſervat *lib. VI. cap.* 30. & Memmio Regulo Sullae, Fulcinium Trionem collegam aſſignat. Auguſtinus ante Caeſares, Cornelium Sullam & Lucretium Trionem collocat; in notis vero ſuffectos ſub Caeſaribus fuiſſe arbitratur, quod & vox *Imperatoris* ſatis oſtendit. vid. Gruter. *pag.* 1087. *n.* 1. & Noris *epiſt. conſ. pag.* 404. *tom.* XI. *Th. Graev.* Jam *Vibii Habiti & L. Apronii*, qui ex *l.* 8. *D. de Quaeſt.* ſequuntur, in faſtis Haloandrinis & Contianis, ideo nulla fit mentio, quoniam ſuffecti, non ἐπώνυμοι fuere: id quod, poſt Antonium noſtrum, Petrus Faber *lib. III. Semeſtr. cap.* 12. ex lapide venerandae antiquitatis probat, in quo ſimul tempus Senatusconſulti, a Paulo citati, exprimitur DCCLX. M. FURIUS P. F. P. N. CAMIL. SEX. NOVIVS. L. F. L. N. EX KAL. JUL. L. APRONIVS C. F. C. N. A. VIBIUS C. F. C. N. HABITVS. De *Cotta & Meſſala* Coſſ. *pagina ſeq.* 259. laudatis, multa non pertrita attulit Rykius ad Tacitum *lib. III. Annal. cap.* 2. Nobis ſufficiet tetigiſſe difficultatem, quae ex temporum ratione quibusdam exſurgere viſa fuit. Ait Ulpianus in *l.* 4. *D. de Off. Proconſ.* his Conſulibus placuiſſe, ut delicta uxorum, quae in provincias comitatae fuiſſent maritos, in his vindicarentur: Tacitus vero *lib. III. Annal. cap.* 33. ſcribit, ſub Conſulibus anni ſequentis, velitationem ea de re in ſenatu fuiſſe. G. Pancirolus *Var. lect. lib. II. c.* 14. Ulpianum putat, duo Scta. eadem de re diſponentia, pro uno habuiſſe; praeſertim cum poſtremum Meſſallae auctoritate factum fuerit. Cujacius *lib. VI. Obſ.* 30. fortaſſe, ait, Ulpianum ſcripſiſſe: Senatum Cotta Meſſalino Senatore conſulente, cenſuiſſe. Reineſius *Epiſt.* 51. *ad Rupert.* Ulpiani partes tuetur, Tacitum vero uno anno tardius rem narrare exiſtimat, uſosque forte ambos iisdem auctoribus, ſed alterum diligentius, alterum negligentius. Ego vero nil cauſae video, cur Caecina tentare non potuerit, ut Senatusconſulto anni ſuperioris obrogaretur, ejusque ſententiam cluſam eſſe.

Eadem pagina *Quartinus* cum *C. Caſſio Longino*, qui ſcholae Caſſianae princeps ceteros ſua tempeſtate legum peritia praeminuit, Conſulatum geſſiſſe dicitur ex Pompon. *l.* 2. §. 47. *de O. J.* qui locus adeo exercuit interpretes, ut Rupertus nullius mancipii frontem ſic compunctam dixerit. Cuſpinianus pro *Quartino* legit *Q. Haterino*, Lipſius *ad Tacit. lib. VI. Annal. c.* 15. hortatur, ne temere credamus Pomponio, homini etiam alias fallaci. Ryckius ipſum caſtigandum potius, quam verba ejus corrigenda eſſe cenſuit. At cauſam ipſius diverſo itinere egerunt Panvinius *in Faſtis* ad *A.U.* 783. & *comm. in l.* 11. *Faſt. pag.* 191. Cujacius *ad d.* §. 47. Bertrandus *de Jurisperitis lib. II. c.* 29. & Guil. Grotius *lib. II. c.* 1. Librariis errorem imputat Rupertus *ad Pomp. c.* 13. & *epiſt. ad Reineſ. p.* 141. nihil deſiderans, niſi ut pro *Quartino* legamus *Surdino.* Idem repetiit Noriſius, *in epiſt. Conſulari tom.* XI. *Theſ. Antiq. Rom. pag.* 404.

etiam Coſs. exhibet epigramma Sponii, ...
art. 7. ſed Cajus Caſſius Jctus, eodem anno cum L. Naevio Surdino conſulatu ſuffecto functus eſt, non cum Quartino; niſi cum Panvinio, Sigonio, Golzio, Auguſtino & Voſſio juniore ad Vellejum Paterculum putes, Vinicium Cs. ordinarium etiam Quartinum dictum fuiſſe: ſic enim Cajus Lucio Caſſio ſuffectus cum Quartino faſces geſſiſſet, antequam huic Surdinus ſufficeretur: aut Pomponius forte ordinarium cum ſuffecto junxit, ut annus facilius appareret: aut denique ab omni errore abſolvendus eſt, ſecundum indicem Conſulum Dionis Caſſii, in quo iidem Conſules ordinarii Μ. ΟΥΙΝΙΚΙΟΣ ΚΟΥΑΡΤΙΝΟΣ Γ. ΚΑΣΣΙΟΣ ΛΟΓΓΙΝΟΣ. Sed verius eſt, Γ. ibi mutandum in Λ. quia Tacitus, pariter ac titulus Gruteri, ordinarios Conſules *Lucium Caſſium* & *M. Vinicium* appellavit. Adde quae contra Voſſium diſputat Reineſ. *ad Rupert. epiſt.* 31. *pag.* 162.

Non minor lectionum varietas circa Conſules ſequentes, *Vellejum Rufum & Oſterium Scapulam*, in *l.* 1. *D.* & §. 3. *Inſt. de Adſign. libert.* memoratos, quorum nomina non recte ſic referri, monet Auguſtinus *dict. pag.* 259. & *lib. III. Emend. c.* 7. ſed praeter orthographiam nihil definit. Cujacius *ad d.* §. 3. legit *Suillo*, vel *Suilleo Rufo & Oſterio Scapula.* Vulgata: *Sabellio Rufo & Aſterio Scapula.* Alii *Vellejo Rufo & Oſtilio Scapula.* Optime veteres Theophili codices: *ἐπὶ Suillu Ruffu & Hoſtoriu Scapula τῶν ὑπάτων.* Suillii Rufi conſulis meminit Plin. *lib. VII. c.* 4. Oſtorii Scapulae vero Tacitus *lib. XVI. Ann. c.* 14. & *Agric. c.* 24. cumque Onuphrius & Pighius inter ſuffectos recenſent, probante Ampl. Bynkershoekio *lib. III. Obſ. c.* 7. & Brenemanno *append. ad Faſt. pag.* 845.

Senecae conſulatum *pag.* 259. ex Pandectis & Inſtitutionibus memoratum, Auſonius dubium facere videtur, in Grat. actione: *Dives Seneca, nec tamen Conſul:* ſed de ordinario Conſulatu loquitur, & dicere potuit Seneca, quod *lib. III. de ira cap.* 31. alio ſenſu alios dicere culpat: *Dedit duodecim faſces, ſed non fecit ordinarium conſulem.* Ryckius ad Tacitum *lib. XIV. Annal. cap.* 46. annum conſulatus rejicit in annum ſequentem 815. quod Nero diſſimulando odio, poſt negatum commeatum, Senecam tunc iterum honoraſſe, videatur. Lipſius autem magis Auguſtini ſententiae ſubſcribit, *in vita Senecae cap.* 4.

Supereſt de *P. Juventio Celſo* conſule quaedam adjiciamus: quamvis enim, pleraque, quae ad hunc Jctum eximium & ſaeculi ſui ornamentum ſpectant, vir Celeberr. noſtrique ordinis decus, Heineccius, in diſſertatione ſingulari, exhauſerit, & multis paraſangis ſuperarit Briſſonii induſtriam, qui *lib. III. de V. S.* confuſam Celſorum memoriam, & nominum concurſu prope intermortuam, in integrum reſtituere tentaverat; non tamen inutile erit, ad ſupplendum Auguſtinum, tres P. Juventios Celſos, patrem, filium & nepotem heic diſtinxiſſe. Pater nuſpiam Conſul fuiſſe legitur; tantum filius refert, eum in conſilio Ducenii Veri Conſulis fuiſſe, in *l.* 29. *D. de Leg.* 2. Auguſtinus *pag.* 259. dubitat, an non ibi ſit legendum *Juventii Veri*, qui temporibus Hadriani cum Ser. Serviano faſces tenuit. Guil. Grotius *de vit. Jct. lib. II. c.* 2. §. 11. conjicit, Verum intelligi, qui, anno ante exceſſum Veſpaſiani, cum Silvano Conſulatum geſſit: at cum ille non Ducenius, ſed Cejonius Verus dicatur, probabilior eſt Cl. Heineccii ſententia, Ducennium Geminum intelligentis, qui A. U. 809. cum Paullino Conſul ſuffectus fuit. Celſus *filius*, uti patris induſtriam vicit, ita honoribus proceſſit longius, & iterum Conſul factus eſt, auctore Pomponio, in *l.* 2. §. 47. *in fin. de O. J.* De priore Conſulatu quaerendum eſſe, ait Auguſtinus, quia ſuffectus fuit, & faſti ſilent. Cuſpinianus eum ad annum Trajani duodecimum refert, quem Guil. Grotius refellit, *lib. II. de vitis c.* 3. Poſterioris conſulatus meminere Faſti ad A. 882. tabellae aeneae Grut. *pag.* 573. *n.* 2. & 574. Ulpianus in *l.* 20. §. 6. *D. de Petit. her.* & Diocletianus in *l.* 3. *C. de Serv. reip. manum.* ſed de collega ejus diſſentiunt: in faſtis enim Idacianis, & in lateritia inſcriptione apud Fabrettum *Inſcr. c. VII. pag.* 506. *n.* 126. & 127. *Marcellus & Celſus II.* Conſules ſignantur, pariter ac in *d. l.* 3. In tabella autem Gruteri & marmore Gudii *pag.* 307. *n.* 7. & in Scto *d. l.* 20. Q. Julius Balbus cum Celſo Conſul ordinarius vocatur. Noriſius *diſſ.* v. *de Epoch. Syro-Maced. pag.* 498. ut hanc pugnam tolleret, Q. Julio Balbo cognomen Marcelli, ex uſu eorum temporum adhaeſiſſe ait; ſed invita prorſus tabella tertia Gruteri *pag.* 574. *n.* 4. & donec id probetur, lubentius utar Grotii conciliatione, Celſum ordinarium cum ſuffecto Neratio conjungi: nam Golzius in Faſtis, ex tribus illis tabel-

lis

Digitized by Google

907. deinque illa aetate vix conſules in integrum annum deſignabantur, ſed plures in diverſa tempora: *quod hodieque fit*, Severi tempore ſcribit Dio *lib.* 48. His aliam obſervationem jungo, perperam a Cujacio in *Parat. C. lib. VII. tit.* 9. ad hunc Neratii conſulatum trahi, quod Pomponius ſcribit in *l.* 2. *in fin. de O. J. Celſus filius & Priſcus Neratius ſucceſſere, qui utrique Conſules fuerunt, Celſus quidem & iterum:* quamvis enim ipſi demus, Neratii Priſci familiam Marcellorum, & Marcellum aeque Jctum ejus fratrem fuiſſe, auctore Ulpiano in *l.* 12. §. 43. *D. de Inſtr. & inſtrum. leg.* tamen Pomponius non dicit, Celſum & Priſcum ſimul Conſules fuiſſe; nec dicere potuit, quia Neratius Priſcus Annium Verum collegam habuit, *l.* 6. *D. ad L. Corn. de ſic.* Marcello item, Celſi collegae, ſecundi conſulatus notam appoſitam exhibet later muſei Ciampini apud Fabrettum pag. 506. n. 127. IVVENTIO II. ET MARCELLO II. COS. nec aliter Faſti anonymi Vindobonenſes, cum tamen Priſcus ſemel tantum ſuffectus fuerit. Adde Pancirol. *lib. II. Var. lect. c.* 131. & Curt. *lib. II. conj. c.* 22. Denique ex hiſce diſcimus, quam fruſtra ſudaverit Fabrettus *c.* VII. *Inſcript. pag.* 507. ut non Ligorii & Panvinii tantum, ſed etiam Scti & tabularum Gruterianarum fidem elevaret, in quibus Q. Julius Balbus Celſi collega dicitur: qui enim Faſtos anni 917. implet Macrini & Celſi conſulatus, quemque is pagina ſequente *M. Pompeji Macrini & P. Juventii Celſi* fuiſſe ex latere ſincero oſtendit, non ad Celſum filium, ſed ad nepotem referri debet, eundem ſcilicet, qui in lapide Gruteri *pag.* 607. biennio nondum elapſo A. U. 907. Promagiſtri officio functus fertur: vulgo autem a viris eruditis, ut Pancirolo, Grotio & Menagio confunditur cum Celſo filio, qui & *adoleſcens* vocatur, in *l.* 91. §. 3. *D. de V. O.* hujus autem fuit pater.

C*apite tertio* Auguſtinus nomina propoſuit Imperatorum, qui a Julio Caeſare ad Alexandrum, in Digeſtis laudantur; latius vero poſtea proceſſit induſtria Wolfgangi Freymonii, in *Symphonia juris*, qui ex Codice ſimiliter Principum nomina adjecit. Parcior hic etiam eſt Auguſtinus in notis, unde quae ad aetatem ſingulorum pertinent, quo anno & die quiſque natus, adoptatus, ad imperium evectus & mortuus fuerit, aliunde ſuppleri debet. Quantum, in hoc ſtudiorum genere praeclaro, valuerit Antonius Pagi, ejus *Diſſertatio hypatica* oſtendit; nec minus erudite Johannes Vignolius, in diſſertatione *de Columna Imperatoris Antonini Pii*, biniſque Diſſertationibus *de Anno primo Imperii Severi Alexandri Aug.* & Noriſius plus ſemel, *in Epochis Syro-Macedonum* ſpartam ſuam ornarunt. Docet nos Lampridius, poſt obitum Antonini Pii, nomen Antoninorum tam amabile fuiſſe, ut eo qui non uteretur, mereri non videretur imperium: unde praeter Pium, Marco, Commodo, Caracallae, aliiſque deinceps illud commune factum eſt, in quibus recte diſtinguendis, aliquando cautio eſt adhibenda, ne tempora turbentur: nam etſi plerumque aliud nomen ei jungatur, ſaepe tamen nec illud ſufficit; aliquando omittitur, & impio illi Caracallae *Pii* quoque epitheton ceſſit. Vide Reineſ. *Epiſt.* 35. *ad Rupert. pag.* 266. Vignolium *de Columna Imp. Ant. cap.* VII. *pag.* 112. Raevard. *lib. III. Var. cap.* 9. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc.* II. *cap.* I. 25. & Hadriani Relandi *praefat. ad Fratris Faſtos.* Verus porro & Severus Imperatores ſatis ſunt diſtincti: at Salmaſius ad Lampridii Commodum *cap.* I. catalogum dedit eorum, qui ipſos confuderunt; quibus Alciatus annumerari poteſt, quod *lib. III. Diſpunct. cap.* 8. Verum pro Severo ſubſtituit, in *l.* 3. §. *fin. D. de Decur.* recte ab Auguſtino *ad Modeſtinum*, & a Joſepho Caſtalione *in Comment. de Columna triumphali* reprehenſus. Videſis Aediles meos coloniarum *cap.* VII. §. 13.

Quis porro neſcit, quam anxie haereant interpretes, an nomine Hadriani, ſolus ille Aelius, ex conſobrina Trajani natus, veniat, an etiam filius ejus adoptivus, Antoninus Pius, ſic appelletur. Saepe enim alio loco Hadrianus, alio Pius idem reſcripſiſſe, aut conſtituiſſe feruntur. vid. *l.* 3. §. 5. *D. de Sep. viol.* juncto Capitolini *Pio cap.* 12. *L.* 37. *D. de Judic.* juncta *l.* 5. *D. ad L. Jul. de vi publ.* item §. 4. *Inſt. l.* 26. *D. de fidejuſſ.* juncta *l.* 49. §. 1. *D. eod.* Tum *l.* 58. §. 3. *D. ad Sct. Treb.* & *l.* 93. *D. ad L. Falc.* juncta *l.* 91. *D. eod.* & *l.* 63. §. 5. *D. ad Sct. Treb.* etiam *l.* 3. *D. Si pars hered. pet.* juncto Capitolini *Pio cap.* 9. & denique *pr. Inſt. de Scto Tertull.* juncto Ulpiano *tit.* 26. §. 8. Noſter Auguſtinus judicium ſuum ſuper ea re ſuſpendere male-

 bat,

licet Pius, in lapidum titulis, aliquando Hadrianus
253. *n.* 5. & Fabrettum *pag.* 542. IMP. CAES. HADRIANI ANTONINI PII. vix tamen eſt, ut Juriſconſulti in tantam confuſionem prolapſi ſint, & forte melius dicetur, quod ab Hadriano introductum erat, id quandoque a Pio extenſum, reſtrictum aut diligentius conſtitutum fuiſſe: Hiſtoricos vero, diverſa tradentes, parum exacte, quae ad jus pertinent, expoſuiſſe. Vid. Jac. Gothofred. *ad l. 6. C. Th. de Sepul. viol.* & ad *l.* 1. *C. Th. de Infirm. poen.* Non etiam aſſentior Cujacio, ipſum Ulpianum erraſſe credenti, in nomine Hadriani, aut certe Marcum intellexiſſe, *tit.* 24. junct. *l.* 20. *D. de Reb. dub.* *Eſt*, inquit, *in propriis nominibus facillimus auctorum lapſus.* vid. Merill. *lib. IV. Obſ. cap.* 16. Cl. Schulting. *ad dict. tit. Ulpiani* & ad Paul. 1. *Sent. tit.* 20. Ampl. Bynkershoek *lib. III. Obſ. c.* 8. *fin.* & Cl. Heineccium *lib. III. Antiq. tit.* 3. §. 3. De Hadriano etiam conſerre licebit Renatum Bottereau, in *Hadriano Legiſlatore*, edito Pictavii A. 1661. & Ill. Hoffmanni Hiſtoriae juris adjecto, Lipſiae 1726.

C*aput quartum* ſiſtit nomina Legum, Senatusconſultorum, Edictorum, Interdictorum & Actionum, quibus Reſpublica, Gentium domina, ſapienter olim inſtituta fuit. Qui ante, in hac nobiliſſima antiquitatis parte, aliquid erant conati, ut Zaſius & Rivallius, ſubſidiis neceſſariis non fuerant inſtructi, aut id, quod juris civilis proprium eſt, vix attigerant; majore autem apparatu rem aggreſſus eſt Paulus Manutius, edito *de Legibus* libello, ſed qui non plagii modo a mordaciſſimo Robortello accuſatus, ſed etiam a Cujacio non leviter reprehenſus eſt: *dum faber cum ſit alia tractat, quam fabrilia, Deus bone! quam errat ſaepe*, inquit *lib. VI. Obſ.* 25. Noſter deinde Auguſtinus, tum in opere praeclaro, de *Legibus & Senatusconſultis*, tum in hoc capite, ii defectus ut ſarcirentur, ſumma ope laboravit, necdum vero rem tantam perficere potuit; quia homines barbari & ſacris noſtris haud initiati, nomina legum ita foedaverant, ut ne ſagaciſſimi quidem, ſine Codicum, aliorumque monumentorum ope, ignorantiae tenebras diſpellere valuerint. Ipſe queſtus eſt, alterum legis Tarpejae Aeterniae, de multis, nomen conſtitui non poſſe, quia poſterior Conſulum, a quo illa nomen accepit, male apud Plinium *Aeternius*, Livium *Tercinius*, Dionyſium τεϱμίνιος, Gellium *Thermus*, Caſſiodorum *Aternius*, recte apud Diodorum & in lapide Capitolino *Aterius* vocatur, a quo lex Ateria Tarpeja A. U. 299. rogata eſt, auctore Manutio *de LL. c.* 17. Sigonio ad Liv. *lib. III. c.* 31. & Briſſonio *lib. I. ſel. ant. c.* 3. quorum conjectura ex Inſcriptionibus, quae *Ateriorum* meminere, firmatur apud Gruter. *pag.* 126. 531. & 670. Quis neſcit, quam varie ſcribatur legis Remmiae nomen, cujus Cicero *pro Roſcio Amerino c.* 19. Papin. in *l.* 13. *D. de Teſtib.* & Marcianus in *l.* 1. §. 2. *D. ad Sct. Turpil.* meminere: aliis *Rhemniam*, aliis *Rhemmiam*, Pighio *tom. II. Annal. pag.* 485. *Memmiam*, Ant. Sabellico *rem minimam* apud Tullium legentibus? Sed poſtquam ſecutis temporibus libri ad fidem manuſcriptorum caſtigati, & majora nummorum marmorumque praeſidia reperta ſunt, complures ſubtilis ingenii homines ſingulas ſibi Leges, Plebiſcita & Senatusconſulta libris ſingularibus diligentius explicanda ſumſerunt, ex quibus magnam acceſſionem huic Theſauro depromi poſſe, nemo non videt. Atque horum induſtria tanto magis laudanda eſt, quod per majorum veſtigia incedunt, & navibus amiſſis fluitantia apluſtria conquirunt. Unus Paulus olim ad Legem Aeliam Sentiam, Falcidiam, Cinciam, Juliam & Vellejam libros ſingulares, ad unam vero legem Juliam & Papiam libros decem, ſicut Marcellus & Mauricianus ad eandem ſex, Cajus quindecim, Ulpianus & Terentius Clemens viginti ſcripſerunt, quorum deſiderium commentariis recentiorum lenitur. Sic Legem Vellejam Taurellus: Juliam Majeſtatis Contius, Gentilis & Cl. Gundlingius: Clodiam, Corneliam & Porciam Scipio Gentilis: Viceſimae hereditatum Balduinus & Slevogtius: Juliam & Papiam Poppaeam Ramos del Manzano, Pereyra, Torrentius, Balduinus, Lipſius & viri eruditiſſimi Jac. Gothofredus & Heineccius: Juliam de adulteriis Briſſonius: Falcidiam Duarenus, Balduinus, Goveanus, Ferrettus, Ripa, Husmanus, Cuppius & plenius Clar. Collega noſter Jacobus Voorda; Aquiliam Balduinus, Suarez, Chifletius & praecipue Gerardus Noodt, cujus memoria ob eminentiſſimam eruditionem & merita in Jurisprudentiam Cujacianam, his in oris inſtauratam, omnibus eſt venerabilis: Pompejam Joh. Franc. Ramos & Solorzanus: Scriboniam Raevardus: Rhodiam Balduinus, J. Gothofredus, & vir Ampliſſimus Cornelius van Bynkershoek; cui Sctum quoque Marcianum, de Bacchanalibus tollendis, quod Jac. Gronovius & Raphael Fabrettus ſine interpretatione ediderant, reſtitutum debemus. Voconiam porro Balduinus, Perizonius & Cl. Wielingius: Pulvaeus Atiniam: Ateriam Tarpejam de multis

tis

Digitized by Google

nerius; Laetoriam Jac. Gothofredus, & Viceſimariam Fabrettus illuſtrarunt.

Moneri etiam hic poſſent Juſtinianei novi, ne ſibi a viris magnis imponi patiantur, qui nomina propria legum fingunt, quae talia non ſunt. Sic Auguſtinus *pag.* 305. legem *Commiſſoriam* in album legum publicarum refert; ſed in notis addit, privatam pactionis conditionem eſſe: nam *contractus* vocatur in *l. ult. C. de Pact. pign.* & qui in pactum contractui adjectum committit, in totam venditionem committit. Male *pactum legis commiſſoriae* vocatur, in *c.* 7. *X. de Pign.* & 4. *Feud.* 66. cujus tamen inſcriptio Cujacio non diſplicet, quia & pactum conventionis, & legem pacti, & pactum pacis, & actionem condictionis dicimus. Legem *Talariam*, qua cautum fuerit, ne quis in convivio talis luderet, ex Plauti Milite *Act.* II. *ſc.* 2. *vſ.* 9. deprompſit Alciatus *lib. VI. Parerg. c.* 16. nec repugnat Salmaſius, alluſum videri ad legem aliquam, circa illa tempora latam, de luſu talorum & teſſerarum vitando, quae non diu tenuerit, ut aliae id genus. Pantoja de Ajala ad *l.* 4. *D. de Aleat. n.* 2. Plautum de Titia, Publicia & Cornelia, aleam vetantibus, accepit, quarum aetas incerta eſt. Alii vero Talariam ambigue poni ajunt, pro lege, quam dicit convivii magiſter, talorum jactu creatus. Vide Taubmannum *in not.* & Scioppium *lib. II. veriſ. c.* 4. Quod ſi prioribus adſtipulamur, a re nomen petiit Comicus, ut *viariam* Curius ad Ciceronem *lib. VIII. ep.* 9. alii legem *decimariam*, *caducariam*, *viceſimariam*, *judiciariam* & *theatralem* dixerunt, & ipſe Plautus Laetoriam *quinam vicenariam* appellavit, *Pſeud. act.* I. *ſc.* 3. *vſ.* 69. Alterius legis *Alienae* lator eſt Cujacius *lib. XIX. Obſ. c.* 17. qui ex verbis *l.* 3. §. 7. *D. de Lib. hom. exhib.* non oportet praejudicium fieri *alienae cognitioni*, proprium nomen legis de cognitione liberalis cauſae exſculpſit. Novi equidem, legem *Allienam* in libello de limitibus memorari; *Allienae* gentis quoque mentionem fieri in lapidibus & nummis; plures item *Allienos*, ab *Alia* flumine dictos, ut Aſconius ait, habere Ciceronem XI. *Philipp.* 12. *lib. X. Att. ep.* 15. alios Lipſium & Ryckium collegiſſe ad Taciti *lib. I. Hiſt. c.* 52. Sed quid obſtat, quominus *alienae*, id eſt *alteri* interpretemur? nam per minorem cauſam majori cognitioni praejudicium fieri non oportet, *l.* 54. *D. de Judic.* Denique quis neſcit, quam turpiter ſe dederit Joh. Robertus, quod *lib. I. Animadverſ. c.* 2. adſeruit, legem Juliam Miſcellam vocari a latore ſuo Julio Miſcello: cum a varietate plurium rerum ac perſonarum utriusque ſexus dicatur, ut lex ſatura, ὁ νόμος πολλὰ περιέχων. Vide notata Mercatoris *lib. I. c.* 2. & Schott. *lib. I. Obſ.* 2.

Non minus utilia de Sctorum interpretibus hic dicenda eſſent, quae potiſſimam juris ſcripti partem a Tiberio ad Caracallam usque conſtituerunt. Atque utinam Pomponii quinque libri de Senatusconſultis, vel Pauli ſingulares de Scto Liboniano, Orphitiano, Tertulliano, Turpilliano, & Vellejano libri ad nos integri perveniſſent! nunc cari nobis eſſe debent recentiores, quos inter Senatusconſulta de aquaeductibus Frontini interpretes; de aedificiis Cujacius & Reineſius; Apronianum Spanhemius; Claudiana Faber; Tertullianum Vertranius Maurus; Trebellianum Corſettus; Voluſianum Pancirolus; Vellejanum Duarenus, Alteſerra & Leſchaſſerius; Macedonianum de Jena, alia plura Celeberr. Schultingius illuſtrarunt. Hoc autem monere non praetermittam, Caſaubonum *ad Spartiani Hadrianum cap.* 3. ex vetere lapide (qui exſtat apud Gruterum *pag.* 35. *n.* 2.) firmaſſe Auguſtini conjecturam, *pag.* 324. de auctore Scti Articulejani, in *l.* 51. §. 7. *D. de Fideic. lib.* quod in Baſil. *tom.* VI. *pag.* 387. Articulianum dicitur: quaedam etiam veſtigia gentis obſcurae, a qua Sctum Daſumianum (non *Damaſianum*, nec *Daſumajanum*, ut aliis v. Baſil. *d. l.*) nomen accepit, attuliſſe ad *Capitolini Antoninum cap.* 1. Silanianum vero Sctum C. Junium Silanum auctorem habere, A. U. C. 763. cum Dolabella conſulem, curatius, quam noſter, *pag.* 326. ex ingenio P. Fabri, docuit Cujacius *lib. I. Obſ. cap.* 18. quocum ſtemmata Silanorum contuliſſe juvabit, a Reineſio *epiſt.* 44. & 50. *pag.* 423. & 463. plenius, quam a Pancirolo *lib. II. var. lect. c.* 63. contexta. Vitraſianum quoque Sctum (non Traſianum, ut Placentinus vocat) T. Vitraſio Pollioni, ſub Antonino Philoſopho A. U. C. 918. cum Servilio Pudente Conſuli, nomen debere, Petrus Faber *lib. III. Semeſtr. cap.* 12. propterea animadvertendum eſſe duxit: *quod ab Antonio Auguſtino, elegantiſſimo in-*

Digitized by Google

refert, cum in Marci Aurelii & Lucii Veri tempora incidat. Male etiam reſcriptum D. Pii, quod Vitraſiano Scto adjungitur, in *l.* 30. §. 6. *D. de Fideicomm. lib.* Antonino Philoſopho tribuit; cum alibi Pium eidem Dextro reſcripſiſſe ſciamus, ex *l.* 16. §. 17. *D. ad Sctum Trebell.* Praeterea Noriſius, in *Epiſt. Conſulari pag.* 457. *tom.* XI. *Theſ. Graevii.* Vitraſium cum Pudente iterum conſulem fuiſſe, falſo credi, atque ex indice erratorum ad corpus Gruteri *pag.* 1009. *n.* 12. L. Fuſidium Pollionem, in Faſtis reponendum eſſe monet, pro Vitraſio, quem perperam Panvinius ad hunc annum confinxit. Firmant ejus ſententiam binae inſcriptiones apud Sponium *Miſcell. erudit. antiq. pag.* 33. 34. in quibus eſt: Q. SERVILIO PVDENTE L. FVFIDIO POLLIONE. Vitraſius autem Pollio ſub Hadriano Legatus Lugdunenſis fuit, auctore Modeſtino in *l.* 15. §. *fin. D. de Excuſat.* eoque elegans pertinet inſcriptio Nemauſi reperta, apud Reineſ. *cl.* VIII. 52. VITRASI. POLLION. LEGATI AUG. Multo autem poſt tempore elapſo, idem cum Flavio Apro A. U. C. 928. ſecundum conſulatum geſſit, a Lampridio, *in vita Commodi cap.* 12. Grutero *pag.* 30. *n.* 4. aliisque celebratum; quando primum geſſerit, mihi non liquet. Alius eſt C. JULIUS VITRASIUS V. C. quamvis ejusdem aevi, in marmore apud Fabrettum *pag.* 58. *n.* 339.

C*apite quinto* & *ſeqq.* maximus nominum catalogus ſequitur, tam mulierum, quam virorum; ſervorum, quam liberorum hominum; praecipue vero civium Romanorum, ſive illi privati fuerint, ſive magiſtratu functi. Quibusdam horum illuſtrandis & emendandis inſignem operam impendit Aegidius Menagius *cap.* 31. *Amoenitatum*, quod Auguſtino addi merebatur, niſi in omnium manibus eſſet: *Miſſenium* enim *Frontonem*, *Scapulam Tertullum*, *Quintum Mucium*, *Largium Euripianum*, *Epitynchanum*, *Primitivum*, *Saccum*, *Eroten*, *Oneſiphorum*, *Fabium Cilonem*, *Eryeium Clarum*, *Cinctos Horatios*, *Caecidianum*, *Regionem Niphanam*, *Phylargyrum*, & *Quintilios*, ut propius noſceremus, effecit. Nec minus erudite vir illuſtris Cornelius van Bynkershoek *lib. III. Obſervationum cap.* 7. *Pactumeji*, *Sancti Caſſii*, *Caecilii Juventiani*, *Publicii*, *Oſtorii Scapulae*, *Soteri*, *Paconii*, *Trophimi*, *Aethalis*, *Pantonii Aviti*, & *Claudii Hieroniani* nomina, a mala corrumpentium manu vindicavit; unius etiam litterae mutatione ſuccurrit Alfeno, male affecto, in *l.* 26. *D. de Oper. libert.* pro *libertus*, *Liberius* legendo, ingenioſiſſime! niſi forte alicui ſcrupulum injiciat Reineſius ad *Cl.* VI. *Inſcr.* 85. nullos teſtatus, ſub libera republica, immo vix ante extrema Imperii occidentalis tempora, Liberios reperiri in Hiſtoricorum monumentis: quodque medicorum plurimi illa tempeſtate fuerint aut ſervi aut libertini; nec abſurdum videatur, medicum libertinum, medicos libertos habere; id enim qui fieri potuerit Fabrettus *cap.* 1. *Inſcript. pag.* 7. oſtendit, & Martialis illuſtrat *lib. II. Epigr.* 18. Ceterum praeter Duumviros illos, laude ſua hic defraudandus non eſt Petrus Faber, qui nomina propria virorum depravata tribus Pandectarum locis caſtigavit, dicto *lib. III. Semeſtr. cap.* 12. tum Guido Pancirolus, in *Theſauro Var. lect.* non modo *lib. I. c.* 79. Jurisconſultos aliosque, in Pandectis nominatos, ad quos Principes in Codice reſcripſerunt, ſed & plura longe nomina propria Pandectarum *libro II.* vel quadraginta capitibus explicavit; verum Ἐπιχάρμιον illud tenendum eſt, nervos atque artus ſapientiae eſſe non temere credere, & graviſſimos ejus errores, alium Reineſius *lib. II. Var. lect. c.* 12. alios Ampl. Bynkershoek *lib. III. Obſ. c.* 8. & *in Praetermiſſ. ad Pompon. pag.* 97. alios Menagius *Amoenit. c.* 23. & 43. caſtigarunt; quosdam etiam ipſe ad §. 2. *Inſt. de Uſucap.* & infra indicavi. Thomas denique Reineſius, *in Epiſtolis ad Rupertum* & in *commentariis ad Syntagma Inſcriptionum*, multis nominibus propriis Pandectarum lucem attulit v. gr. *Ep.* 23. Virium Lupum, Britanniae Praeſidem, cujus meminit Ulpianus in *l.* 2. *D. de Vulg.* & *pup. ſubſtit.* ex duabus inſcriptionibus, in Britannia repertis, apud Gruterum *pag.* 73. *n.* 5. & 191. *n.* 3. eleganter illuſtrat; tempora autem confundit, & gradus honorum, & *Imperatorem* Caracallam, in *d. l.* 2. male Severum interpretatur; ſicuti librarius Florentinus, more ſuo, jam ſupra indicato, P. in *Lupus* mendoſe geminavit. Idem *epiſt.* 35. Cornelium Priſcianum, de quo Marcellus in *l.* 3. *D. de His quae in teſt. del.* diverſum eſſe oſtendit a Priſciano, cujus meminit Capitolinus *in vita Pii c.* 7. ſecus quam Caſaubonus ibi ſuſpicatur. Rurſus *pag.* 288. Munatium Plancum, Pannoniae Praeſidem, cujus in Collatione LL. Moſaic. & in Codice mentio fit; item *pag.* 458: Claudium Quartinum, cui Hadrianus reſcripſit, in *l.* 1. §. 2. *D. de Quaeſt.* Iterum *pag.* 571. 572. Terentium Gentianum & Ecdicianum Adventum, ex marmoribus & ex Joh. Antiocheno, quem Cujacius

lib.

Digitized by Google

ſervat. Anonymum item, *ut Praefectis Urbi*, ex temporibus Gallieni, Normanae diſſertationi ad Faſtos conſulares, *tom.* XI. *Theſ. Graevii pag.* 383. additum, Joannes Cuſpinianus & Aegidius Bucherius primum vulgarunt. Utrorumque Praefectorum catalogum inſigniter auxit Clar. Weſſelingius, *lib. I. Obſerv. c.* 5. & *lib. II. c.* 11. Olim quoque Scipio Gentilis ad Apuleji apologiam *n.* 289. *Q. Lollium Urbicum* recte diſtinxit a *Lolliano Avito*, quorum Apulejus meminit. Prior enim Praefectus Urbi fuit, ſecundum inſcriptionem Gruteri *pag.* 38. *n.* 13. APOLLINI. Q. LOLLIUS. URBICUS. PRAEF. URB. & legatus Antonini in Britannia, Capitolin. in *Pio cap.* 5. Poſterior vero Conſul fuit, imperante Pio, & *vir conſularis*, apud Capitolinum *in Pertinace cap.* 1. dicitur. Idem de quo Ulpianus in *l.* 3. *§.* 1. *D. de Decurion.* ſcribit: *Divi fratres Lolliano Avito, Bithyniae Praeſidi reſcripſerunt.* Victor per errorem Lollium Gentianum vocat, & cum alio confudit, de quo Gruter. *pag.* 404. *n.* 7. & Caſaub. ad Capitol. *Pertinac. cap.* 7. Alius eſt Mavortius Lollianus, Praefectus Urbi ſub Conſtante, & Conſul A. MCVII. *l.* 21. *C. Mand. l.* 25. *C. Th. de Appellat.* cujus Ammianus quoque Marcellinus, & tituli apud Sponium *pag.* 129. ac Fabrettum *pag.* 689. meminere; idemque forte eſt, cui Julius Firmicus ſub Conſtantino libros ſuos Aſtronomicorum inſcripſit. Verum liceat & mihi Praefectis Urbi adjicere *Fuſcianum*, A. C. CXCII. ſub Commodo, ex fragmento Dionis *lib.* 79. Tertulliano *ad nation. lib. I. cap.* 16. & Capitolino *in Pertinace c.* 4. ubi: *Pertinax Praefectus Urbi factus: in qua praefectura poſt Fuſcianum, hominem ſeverum, Pertinax mitiſſimus & humaniſſimus fuit.* Idem forte eſt Sejus Fuſcianus, vir Senatorii ordinis, Marci condiſcipulus, apud Capitolinum *ejus vit. c.* 3. qui & iterum Conſul fuit, auctore Lampridio *in Commod. c.* 12. Gruter. *pag.* 1006. *n.* 9. ac cui Severus & Antoninus reſcripſerunt, in *l.* 1. *C. de Hered. tut.* alius videtur eſſe Tuſcius Fuſcianus, tempore Pii, Numidiae legatus, in *l.* 7. *D. de Legat. praeſt. contr. tab.* certe diverſus eſt Fuſcianus JCtus, cujus Pomponius meminit, in *l.* 2. *§. fin. de O. J.* ibique Ill. Bynkershoek. in *Praetermiſſis.* Nos ad Auguſtinum revertamur.

Pag. 211. Satis probabiliter *Rutilium* Praetorem, in *l.* 1. *§.* 1. *D. de Bon. libert.* laudatum, P. Rutilium Rufum interpretatur: nam ut ibi inter *primos* Praetores, ita inter *Veteres* JCtos refertur, in *l.* 10. *§.* 3. *D. de Uſu & hab.* idemque Ulpianus alibi eum ſimpliciter Rutilium vocat, *l.* 1. *§.* 2. *D. de Arb. caed.* Hic P. Mucii JCti & Panaetii Stoici diſcipulus, Romae conſul fuit cum Cn. Mallio Maximo, A. U. 648. non cum M. Manilio, uti Cujacius ſcribit, *lib. II. Obſ. c.* 27. qui ex uno lapide Gruteri *p.* 207. ſatis refellitur. Idem Aſiae Proconſul dicitur in *l.* 2. *§.* 40. *de O. J.* vel, ſi Aſconium ſequimur, *in Divin.* Aſiae Proconſulis Quaeſtor, aut Legatus, ut Livius *epit. lib.* 70. Hic fuit eruditiſſimus; *multa praeclara de jure: doctus vir & Graecis litteris eruditus, Panaetii auditor, prope perfectus in Stoicis*, ut Cicero ait in *Bruto c.* 30. De vita ſua libros aliquot ſcripſit (ut poſt eum Scaurus, Varro & Auguſtus) quorum auctoritate Cariſius ſaepe utitur. Scripſit etiam de bello Annibalico, auctore Appiano *p.* 522. & libros Hiſtoriarum, a Plinio, Athenaeo, Plutarcho, Gellio & Macrobio laudatos. Orationes ejus Suetonius & Diomedes celebrarunt. Summae fuit innocentiae vir, nec ſaeculi modo ſui, ſed omnis aevi optimus: malitioſis tamen accuſatorum calumniis in judicium repetundarum vocatus, damnatusque Equitum ſententiis, qui tum Gracchanis legibus judicia obtinebant, in exilium Smyrnam abiit, ut multi memoriae prodiderunt. Junior eſt Publius Rutilius Lupus Conſul A. 664. de quo Vellej. Patere. *lib. II. c.* 15. & Jul. Obſeq. *de prodig. c.* 115. Alius eſt Rutilius Lupus, cujus exſtant fragmenta inter Rhetores antiquos, ex bibliotheca Franc. Pithoei, & meminit Quintilian. *lib. III. Inſt. c.* 1. *lib. IX. c.* 2. & *Prooem. lib. VI.* ubi merito Cl. Burmannus *in not.* ambigit, an hic ſit Praetor ille Rutilius, de quo quaerimus. Recentiores ſub Divis fratribus ſunt Rutilius Lupus in *l.* 6. *D. de Mun.* & Rutilius Severus, in *l.* 1. *D. de Ventr. inſpic.* Poſtremum denique locum tenet Rutilius Maximus, poſteriorum temporum JCtus, ut ex indice Pandectis praefixo conſtat; is ſcripſit μονόβιβλον ad legem Falcidiam, ex quo una ſupereſt *l.* 125. *de Leg.* 1.

Pag. 341. *Lentulum*, de quo Venulejus in *l.* 12. *D. de Accuſat.* ſuſpicatur ſub Au-

... imperante eodem A. 764. ...
1087. *n.* 1. & Noriſ. *Epiſt. Conſul. p.* 404. *Tom.* XI. *Theſ. Graevii.* Idem vero Lentulus A. 778. jam Conſul fuerat cum C. Calviſio Sabino, Tacit. *lib. IV. Ann. c.* 46. & in praefectura urbi ſucceſſor Piſonis, qui obiit A. 785. Senec. *ep.* 83. *virum gravem & moderatum, ſed merſum vino & madentem* appellat. Vide ſtemma apud Reineſ. *epiſt. ad Rup. pag.* 463. Antiquior eſt L. Cornelius Lentulus, qui, cum in Africa decederet, ſcripſit codicillos teſtamento confirmatos, unde origo fideicommiſſorum & codicillorum fluxit, *pr. Inſt. de Codicill.* Hic cum M. Valerio Meſſalino A. U. 750. non vero eodem, quo Servator noſter natus, ut Caſſiodorus in Chronico ſcribit, faſces tenuit; id quod Reineſius *Inſcr. cl.* X. *n.* 3. ex marmore confirmat. Meminere ejusdem Cicero, Dio & nummus L. LENTULUS. FLAM. MART. Recentior eſt Lentulus Verus, cui Titus Antoninus reſcripſit, apud Papin. in *l.* 11. *D. de Jure fiſci.* Unum addo, fruſtra dubitaſſe Pancirolum *d. l.* an non Fulcinius ille Conſul ſit Juriſconſultus, in Pandectis ſaepe laudatus: is enim non *Trio*, ſed *Priſcus* dicitur, in *l.* 49. §. 2. *D. de Leg.* 2. circa eadem vero tempora vixiſſe videtur, poſt Trebatium & Labeonem, ante Trajanum, *l.* 43. *D. de Mort. cauſ. donat.*

Pag. 342. *Nonius Aſprenas*, Publilii Cacci filius fuit, quem poſtulaturum, tanquam mali ominis, Brutus averſa ſella deſtituiſſe dicitur, in *l.* 1. §. 5. *D. de Poſtul.* Brutus autem, cum Ciceronis fuerit familiaris, & praeturam geſſerit ſub Caeſaris Dictatoris exitum, cujus percuſſor fuit, conſequitur, C. Nonium Aſprenatem intelligi poſſe illum, qui ab Auguſto aureo torque donatus eſt, & deinde cauſam veneficii coram eo dixit, quum unius patinae veneno necaſſe centum triginta convivas accuſaretur, apud Sueton. *lib. II. c.* 43. & 56. Forte etiam non errabimus, ſi, cum Schotto, Senecam majorem hujus patris & filii, P. & L. Nonii Aſprenatis, inter claros rhetores mentionem feciſſe credamus, *praef. lib. V. Controv. & contr.* 33. Fuere & alii, Juliis temporibus, Aſprenates, ut Nonius Aſprenas, Proconſul ſub Caeſare, de quo Hirtius *de bello Afric.* alius L. Nonius Aſprenas, Tacito memoratus *lib. I. Annal. c.* 53. & *lib. III. c.* 18. alius, ex hac *Conſulari Aſprenatum domo*, ut Plinius vocat *lib. XXX. Hiſt. nat. c.* 7. eſt P. Nonius Aſprenas, qui ſub Caligula A. U. 791. alius, qui ſub Domitiano Conſul A. 846. occurrit, quem vero Cujacius in Parat. C. *lib. VII. tit.* 20. non Nonium, ſed *Ninnium* dictum fuiſſe, eoque Conſule factum opinatur Sctum de colluſione detegenda, quod Baſilica *Ninnianum* vocant, in *l.* 2. *C. de Colluſ.* τὰ τῶν Νονίων δόγματι, *lib.* 48. *tit.* 23. & Michaël Pſellus in *Synopſi legum*, quibus vetus Menagii Codex & Gallicus Codicis interpres adſtipulantur, notante Fabroto. Ego quidem ſcio, Ninniam gentem celebrem fuiſſe Romae: Cicero enim L. Ninnii Tribuni plebis *lib. III. Att. ep.* 23. Titulus Gruteri *pag.* 1702. *n.* 1. & Gudii *pag.* 42. *n.* 1. Q. Ninnii Haſtae, Conſulis ſub Trajano, & ejusdem forte ſub Hadriano Paulus meminere, in *l.* 5. *D. ad L. Corn. de ſic.* probabilius etiam Sctum illud Ninnianum, quam *Junianum* cum Roſredo, aut *Vivianum*, cum Placentino, aut cum aliis *Numianum* vocatur; Auguſtinus autem, *de Sctis*, *Nonianum*, a Nonio & Sextilio Laterano Coſſ. appellavit, quorum prior *L. Nonius Aſprenas* in Faſtis dicitur. Aſprenates certe Noniae familiae eſſe, patet ex inſcriptionibus Gruteri *pag.* 205. *n.* 5. & 307. *n.* 4. ubi *L. Nonius Aſprenas* Septemvir. Epulonum habetur.

Pag. 345. Atilicinus ait, Caeſarem *Statilio Tauro* reſcripſiſſe, in *l.* 35. *D. de Servit. praed. ruſt.* Si Juriſconſultum illum, cum Cujacio *lib. I. Obſ. cap.* 9. ſub Cicerone vixiſſe credamus, Julius Caeſar intelligendus erit, ſub quo jam vixit T. Statilius Taurus, bis deinde Conſul & triumphalis, Horat. *lib. I. epiſt.* 5. *vſ.* 4. Dio *lib.* 54. Grut. *p.* 234. *n.* 1. & *pag.* 295. T. STATILIUS. T. F. TAURUS. PRO. COS. ANN. DCCXIX. EX. AFRICA. Rectius vero alii Atilicinum ad Tiberii tempora retulerunt, quia cum Sabino, Nerva & Caſſio de jure reſpondit, *l.* 6. §. 4. *D. Comm. div. l.* 7. *D. de Condict. cauſ. dat. l.* 52. §. *ult. D. Pro ſoc.* ipſeque Cujacius *ad lib. VII. Quaeſt. Papin.* in *l.* 34. §. *ult. D. de S. P. R.* Caeſarem Auguſtum *in d. l.* 35. interpretatus eſt, ſub quo T. Statilius Taurus, cum M. Aemilio Lepido, conſulatum geſſit A. U. 763. Gruter. Inſcr. *pag.* 334. *n.* 9. OLYMPUS. PETILLI SP. N. FEBR. MV. LEP. T. STAT. COS. Meminit eorum Conſulum quoque Venulejus Saturninus, in *l.* 13. *D. de Scto Silan. Conſtitutum eſt Scto, Tauro & Lepido Conſulibus:* ex quo loco recreari poteſt Ulpianus *in Collat. LL. Moſaic. tit.* 8. §. 7. mendo inquinatus, ubi Sctum adverſus falſarios factum eſſe dicit: *Statilio & Tauro Conſulibus*; niſi cum Pithoeo, Cujacio & Salmaſio malis, *Statilio Tauro & Scribonio Libone Coſſ.* A. U. 769. quia iisdem Conſulibus Senatusconſultum Libonia-

num

Calpurniam, neque Carfaniam, neque Cajam Afraniam, ſed *Carſaniam* dictam tradit, duplici, & Pandectarum Florentinarum. & Leonis auctoritate, *lib. VIII. tit.* 1. *c.* 3. Καρφανία τὶς ἐχορήγησεν ἀναιδεστάτη γυνή. Idem nomen Cujacius non modo probavit, *lib. XXVI. Obſ. c.* 38. ſed & apud Valerium Maximum *lib. VIII. c.* 3. *n.* 2. pro *Afrania* Carfaniam, & apud Juvenalem *Sat.* 11. *vſ.* 69. pro *Carſinia* Carfania legendum eſſe cenſuit. Econtrario Alciatus *lib. II. Parerg. cap.* 37. damnato Calphurniae nomine, in quo Vulgatae & Haloandri lectio vacillat, *C. Afraniam* intelligendam & ſcribendam arbitratur; cujus ſententiae Petrus Faber *ad l.* 2. *de R. J.* Voſſius *lib. IV. Inſt. orat. c.* 10. *ſect.* 4. ac Ill. Bynkershoek *lib. IV. Obſ. c.* 12. acceſſerunt. Et vel invito cuivis haec emendatio probari debet, ſi Ulpiani locus cum verbis Valerii Maximi ſequentibus conferatur: *G. vero Afrania, Licinii Buccionis ſenatoris uxor, prompta ad lites contrahendas, pro ſe ſemper apud praetorem verba fecit, non quod advocatis deficiebatur, ſed quod impudentia abundabat. Itaque inuſitatis foro latratibus aſſidue tribunalia exercendo muliebris calumniae notiſſimum evaſit exemplum: adeo ut pro crimine improbis feminarum moribus G. Afraniae nomen objiciatur. Prorogavit autem ſpiritum ſuum ad C. Caeſarem iterum & P. Servilium Coſſ. Tale enim monſtrum magis, quo tempore extinctum, quam quo ſit ortum, memoriae tradendum eſt.* Ecce! quam Ulpianus *improbiſſimam feminam* appellat, ea huic *improbis femina moribus* dicitur: quam ille ſcribit, *inverecunde poſtulaſſe*, id eſt, contra verecundiam & pudicitiam ſexui congruentem, hic dicit, *impudentia abundaſſe:* quam ille ait, *magiſtratum inquietaſſe*, hic ſcribit, *inuſitatis foro latratibus aſſidue tribunalia exercuiſſe*, usque adeo ut proprium hoc mulieris nomen, per antonomaſiam, commune evaſerit, & improbis feminarum moribus pro crimine objiceretur. Tantum igitur abeſt, ut Valerius Maximus ex Ulpiano corrigendus ſit, id quod vel ſola particula *vero*, inter praenomen poſita, vetat, ut veriſimilius ſit, librarios Florentinos, vel ipſos etiam Pandectarum architectos, praenomen feminae C. quod ſeparari & interpungi debebat, conjunxiſſe, inverſis etiam aliis litteris duabus, quod & alibi fit in iis Pandectis. Sic praeter alia, ſemel & iterum ſupra indicata, P. Antonius Avitus, in *l.* 86. *D. de Adq. vel omitt. hered.* ſcribarum errore, *Pannonius* vocatur, uti Alciatus *lib. VII. Parerg. c.* 16. & Muretus *lib. II. epiſt.* 6. dudum monuerunt. Cel. etiam Perizonius ad Valer. Maximum notavit, apud Plinium *lib. VII. Hiſt. nat. c.* 44. Catinium vocari, qui Ciceroni *pro domo c.* 47. *C. Atinius* appellatur: nec convenit inter viros doctos, Agellius, an A. Gellius ſcribendum ſit. His addamus, quod *Carſania* gentile Romanorum nomen non ſit; *Afraniae* gentis autem frequens eſt mentio apud ſcriptores; cujus variae quoque mulieres in marmoribus antiquis celebrantur: AFRANIA. C. F. PRISCA, apud Fabrettum *Inſcr. pag.* 335. & AFRANIA CORNELIA, apud Gudium *pag.* 39. *n.* 3. Nolim etiam apud Juvenalem dicta *ſat.* 11. *vſ.* 69. Carfiniam mutari in Carfaniam: *Damnetur, ſi vis, etiam Carſinia: talem non ſumet damnata togam*; quia CARFINIUS. HESYCHUS eſt in baſi Gruter. *pag.* 241. & CARFINIA VETULENA apud Gudium *pag.* 158. *n.* 8. Unum ſupereſt, erroris notam ut abſtergamus Ulpiano, quam viri praeclari, Auguſtinus Leyſerus Meditat. *ad Pand. ſpec.* 51. *n.* 7. & Heineccius *ad tit. D. de poſtul.* §. 391. ei inuſſerunt. Negant enim C. Afraniae impudentiam occaſionem dediſſe huic edicto, quia illa non pro aliis, ſed *pro ſe ſemper* poſtulavit, auctore Valerio. Feminas praeterea ab initio reipublicae, & usque a Numae temporibus ab omnibus conventibus publicis excluſas, & ſub perpetua tutela conſtitutas, ſine tutore auctore lege aut legitimo judicio agere non potuiſſe: in ſumma, moribus receptum, ne civilibus officiis fungerentur, *l.* 12. §. 2. *D. de Judic. l.* 2. *de R. I.* Ulpian. *tit.* XI. §. 27. Liv. *lib. XXXIV. c.* 2. & Plutarch. *in Numa cap.* 47. Verum haec tanti non ſunt, ut Ulpiani fidem ſuſpectam reddant, qui ex vetere quodam illius aevi Jcto, Sulpicio puta vel Ofilio, cauſam edicti hiſtoricam nobis dediſſe videtur. Quamvis etiam Afrania quoties pro ſe ageret, ſemper ipſa verba fecerit apud Praetorem, quid vetat eo impudentiae ipſam proceſſiſſe credamus, ut pro aliis poſtulare auſa, & repulſa Praetori ſequenti occaſionem dederit edicendi, ne quae feminae pro aliis poſtularent? Ut lege vel legitimo judicio pro aliis agerent, verecundia ſexus & conditio fragilitatis nunquam

Digitized by Google

tiores fuiſſe, teſtatur:

Nulla fere cauſſa eſt, in qua non femina litem
Moverit: accuſat Manilia, ſi rea non eſt.
Componunt ipſae per ſe formantque libellos,
Principium atque locos Celſo dictare paratae.

Pag. 362. *Junius Ruſticus*, Praefectus urbi, & Divorum Fratrum amicus, apud Ulpianum in *l.* 1. §. 3. *D. de Appellat.* idem videtur eſſe Caſaubono, de quo Capitolinus *in Marco c.* 3. *Audivit praecipue Junium Ruſticum, quem & reveritus eſt & ſectatus, qui domi militiaeque pollebat, Stoicae diſciplinae peritiſſimum, cum quo omnia communicavit publica privataque conſilia: cui etiam ante Praefectos praetorio ſemper oſculum dedit: quem & Conſulem iterum deſignavit.* Dubitat autem Rupertus ad Reineſ. *epiſt.* 34. *pag.* 216. quia Praefecturam non praeteriturus fuerit Capitolinus, ſi eam Philoſophus geſſerit; ſed Reineſius *epiſt. ſeq. pag.* 247. omnes ſalebras, in quas inciderunt viri docti, devitari poſſe, oſtendit, ſi, miſſo incurioſo illo, ut vocat ſcriptore, Q. Junium Ruſticum eundem dicamus Philoſophum, Stoicum, Ruſtici Aruleni, a Domitiano interfecti, filium, qui duos conſulatus, primum ſuffectum cum Tertullo A. U. 910. & alterum ordinarium cum Aquilino geſſit A. 914. *l.* 3. *C. de Alend. lib.* & anno ſequente Praefectura Urbi functus eſt, Aeliano & Paſtore Coſs. ſub his enim martyrium Juſtini referunt Annales, quod ille noſtro Urbis Praefecto damnante ſubiit. vid. Grut. *pag.* 126. & 131. *n.* 3. Poſterioris aevi eſt Ruſticus, Praefectus Urbi, ſub Conſtantio, A. Chr. 345. ad quem data *l.* 23. *C. Th. de appellat.* & cujus Anonymus *de Praef. urbi* ſine praenomine meminit. Quod ſi autem illis fidem habemus, qui eum Q. Junium vocant, valde incertum evadit, ab utro horum exacta ſint pondera, in quibus EX. AUCT. Q. JUNII RUSTICI legitur, apud Gruterum *pag.* 221. 222. & Fabrettum *Inſcript. c.* VII. *pag.* 525. Sponius ſibi non conſtat *pag.* 303. Rupertus ea ad Ruſticum priorem, Reineſius ad poſteriorem refert, cui Gudius adſtipulatur. Illud certum eſt, *pondera per regiones univerſas inſtituere*, Praefecti Urbis partes fuiſſe, auctore Ammiano Marcellino *lib. XXVII. c.* 9. Rurſus ab utroque diverſus eſt Julianus Ruſticus, Praefectus Urbi, poſt obitum Valentis, de quo Ammianus & Symmachus. Alius iterum P. Lucilius Ruſticus, Praef. urbi, in lapide apud Holſtenium. Quid a noſtro praefecto, praeceptore ſuo, Marcus Philoſophus didicerit, ipſe commemorat *lib. I. de reb. ſuis* §. 7. Dio Caſſius *lib.* 71. Junium Ruſticum, hominem in praeceptis Zenonis exercitatum, vocat. Ad patrem ejus referenda videtur inſcriptio Gruter. *pag.* 426 *n.* 10. L. JUNII RUSTICI PHILOSOPHI STOICI L. JUNIUS L. Vid. Plutarch. *de curioſ.* Sueton. *lib. XII. c.* 10. & Plin. *l.* 1. *ep.* 5. Num vero idem ille Ruſticus fuerit, de cujus bonis caducis agitur, in *l.* 20. §. 6. *D. de Petit. her.* non temere dixerim. Pancirolo *lib. II. var. lect. c.* 25. videtur Q. Junius Ruſticus eſſe, qui cum Hadriano iterum Conſul fuerat, Junii filius aut nepos, quem componendis actis Senatus a Tiberio praefectum fuiſſe, Tacitus ſcribit *lib. V. Ann. c.* 4. Adde quae viri docti ad Sueton. *d. l.* & Jonſii *hiſt. Phil. pag.* 231.

Pag. 366. *Juliam* Auguſtam, Severi Imperatoris uxorem, *Juliam Domnam* in nummis appellari ait, idque confirmari Oppiani Poëtae carmine; non autem definit, an eadem ſit Julia Domna, quae habuit patruum majorem Julium Agrippam primipilarem, cujusque Scaevola meminit lib. XIX. Digeſt. in *l.* 38. §. 4. *D. de Leg.* 3. & lib. III. Reſponſ. in *l.* 93. *pr. D. eod. tit.* Minime id viſum eſt Cujacio *lib. III. Obſ. c.* 18. qui nomen *dominae* vel appellativum eſſe, vel tanquam gloſſema abundare putat, *arg. d. l.* 93. Contra ſenſerunt Pancirolus *lib. II. var. lect. c.* 73. Wiſſenbach. *ad Pand. p.* 11. *diſp.* 2. θ. 6. Reineſ. *epiſt. ad Rupert. p.* 611. Schottus *lib. II. Obſ. c.* 19. & Spanhem. *diſſ.* XI. *de Praeſt. & uſu num. pag.* 294. ſed ignoſcent virorum eruditiſſimorum manes, ſi addubitem. Et primum quidem pars eorum fatetur, quod *Domna* non ſit δέσποινα, ut apud Catullum *in Attine*, & Virgil. *lib.* XI. *Aeneid. vſ.* 805. ſed nomen proprium, vel potius cognomen, quod praeter Auguſtam aliae quoque matronae uſurparunt, ut Triſtanus *tom.* 2. *pag.* 120. Menagius *cap.* 25. *Amoenit.* & Philipp. a Turre *pag.* 313. contra Scipionem Gentilem, Brodaeum, Rittershuſium aliosque recte obſervarunt. Quemadmodum enim *Dominus*, per ſyncopen *Domnus*, ut proprium uſurpatur, in inſcriptione Gruteri *pag.* 941. *n.* 2. *l.* 13. *C. de Furt. l.* 19. *C. Th. de Palatin. l.* 29. *C. Th. de Curſ. publ.* & Libanius ad Domnum quendam Jctum ſcribit, *lib. III. epiſt.* 276. ita *Domina*, contracte *Domna*; ut lamna, pro lamina, *in l.* 27. *fin. D. de Auro & arg.* & calda, pro calida, in *l.* 19. §. 2. *D. Locati.* Sic Iſidori,

Digitized by Google

Docet autem nos Spartianus, *c.* 3. Severum, quum, amiſſa Martia, audiſſet eſſe in Syria quandam, quae id geniturae haberet, ut Regi jungeretur, Juliam hanc Phoeniſſam mulierem, ex civitate Emiſena, Romam abduxiſſe uxorem, quae nec patruum Julium Agrippam, mere Romanum, habuiſſe videtur. Ceterum Juliae Auguſtae adnomen Domnae fuiſſe teſtantur nummi: IULIA DOMNA AUG. & ΙΟΥΛΙΑ ΔΟΜΝΑ CEB. & ΙΟΥΛΙΑ ΔΟΜΝΑ CEBHΓΟΥ. Eadem corrupte in lapide Gruteri *pag.* 267. *n.* 7. DONINA vocatur. Fuit illa celebris Auguſta, quae *Philoſophae* cognomen meruit, apud Philoſtratum *de vitis Sophiſt. c.* 30. Mater naturalis Caracallae, non autem noverca; uti Spartianus, Victor, Eutropius, Euſebius & Oroſius multis impoſuerunt: contrarium vero partim ex marmoribus apud Gruterum *pag.* 6. *n.* 6. *p.* 12. *n.* 1. *p.* 32. *n.* 10. Fabrettum *pag.* 679. 680. & Sponium *pag.* 270. partim ex coaevis, Dione, Xiphilino, Herodiano & ex Oppiano inprimis conſtat, qui, Venationum libros Antonino offerens, ſic eum initio affatur:

> Αὐσονίου Ζηνὸς γλυκερὸν θάλος, Ἀντωνῖνε,
> Τὸν μεγάλη μεγάλῳ φυτεύσατο Δόμνα Σεβήρῳ.
> *Auſonii Jovis dulce germen, Antonine,*
> *Quem magna magno peperit Domna Severo.*

Stemma ejus, ſimul ad illuſtrandam *l. ult. D. de Senat.* dedit Strauchius *diſſ. exot. pag.* 87. aliud Reineſius *ad Rupert. pag.* 611.

Pag. 373. Aquilius Regulus, juvenis, ad *Nicoſtratum rhetorem*, magiſtrum & praeceptorem ſuum in arte dicendi, brevem epiſtolam ſcripſiſſe refertur ex Papiniani *l.* 27. *D. de Donat.* Hic rhetor Macedo, ſub Marco Antonino fuit clarus, aequalis Papiniani, quocum ea de re contulit, Ariſtidis item & Dionis Chryſoſtomi: idem in numerum decem illorum Oratorum, qui ſecundum a primis locum tenere judicabantur, eſt relatus, auctore Suida in Νικόστρατος. Alius eſt Nicoſtratus Comicus, hiſtrio, qui optime fabulas agere credebatur; cujus Athenaeus *lib. XIII. Dipnoſ. c.* 6. *pag.* 587. & Clemens 1. *Strom. pag.* 209. meminerunt. Alius fuit Nicoſtratus, Xenophontis frater, de quo Menag. ad Laërt. *lib. II.* 59. Alius Epheſius, apud Artemidorum *lib. I. c.* 2. Alius auctor libri, de ſenatu habendo, apud Feſtum in voce *Senacula.* Alius eſt pancratiaſtes, quem ſenem Quintilianus ſe adoleſcentem vidiſſe ſcribit, *lib. II. Inſt. orat. c.* 8. juncto Pauſania *lib. V. c.* 21. Laudantur quoque Nicoſtrati medici & muſici; & Boëthius *lib. I. de diſciplina ſcholar. c.* 4. plura de Nicoſtrato ſcribit, qui per ſervum Elimacem, in ſummam egeſtatem perductus fuerit. Noſtri vero Nicoſtrati, ejusque in dicendo elegantiae, meminit Philoſtratus *de vitis Sophiſt. lib. II. c.* 31. Alciatus quoque jam diu *lib. II. Parerg. c.* 49. exploſit codices illos, qui in *d. l.* 27. Nicoſtratum *Praetorem* haberent; quum omnino, ex Tuſcis Pandectis, *Rhetorem* legendum ſit. Add. Jonſius *lib. III. c.* 14. & Fabrettus *Inſcript. pag.* 286. *n.* 208.

Eadem pag. *Baebium Marcellum*, ex *l.* 30. *D. de Pact. dot.* memoratum, Cujacius *lib. VII. Obſ. c.* 2. illum ſenatorem intelligi exiſtimat, quem Dio ſcribit, ſub Severo, ob leviſſimum calvitiei indicium, capite damnatum, *lib.* 76. idque ex eo intelligi, quia Tryphoninus, auctor illius legis, vixit ſub Antonino. Sed miſer ille Marcellinus vocatur; hic Marcellus: illius teſtamentum irritum fuit; hujus ratum: ille capite truncandus quatuor filios allocutus eſt; hic duobus liberis deceſſiſſe proponitur. Ita Contius *Diſputat. c.* 5. ubi ſimul elegantem, ſed paullo obſcuriorem Tryphonini diſputationem explicavit.

Pag. 374. *Bradua Mauricus*, Proconſul Africae, ad quem Severi & Antonini reſcriptum exſtat, in *l.* 1. §. 4. *D. de Suſpect. tut.* & in *l.* 4. *D. de Offic. ejus cui mand.* M. Valerius Bradua Mauricus Pontif. vocatur, in lapide Gruteri *pag.* 356. *n.* 1. isque non confundendus cum M. Atilio Metello Bradua, qui, Commodo imperante, cum Caſſio Aproniano ſecundum Conſulatum geſſit, A. U. 944. Reineſ. *cl.* 1. *Inſcr.* 141. Spon. *pag.* 114. Sub his vero Conſulibus Sctum Apronianum minime factum eſt, uti Petrus Relandus; neque ſub D. Marco, ut Cujacius ſuſpicati ſunt: ſed ſub Hadriano. v. Cl. Schulting. ad Ulpian. *tit.* 22. §. 5. Idem Hadrianus alii Braduae reſcripſit, in *l.* 6. *D. de Bon. damnat.* fortaſſis eidem, qui ſub Trajano Conſul fuit cum Trebonio Gallo,

… de quo Gellius ſcribit , *lib. VI. c. 6.* … *Grammaticos itarem, audivi Apollinarem Sulpicium , quem in primis ſectabar , cum de jure augurio quaereretur , & mentio praepetum avium facta eſſet , Erucio Claro, Praefecto Urbi dicere.* Contra Lipſius *lib. II. Elect. c.* 3. hunc alium ab iſto pronuntiat, & patrem ſortaſſe, qui Urbi; filium, qui vigiliis praefuerit: eique temporis ratio quam maxime ſuffragatur. Oſtendit enim Dodwellus , in *diſſ. de aetate peripli maris Euxini* §. 10. A. Gellium floruiſſe ſub Antonino Pio, & primis annis Marci Antonini philoſophi mortuum , ſed imperante Hadriano ad Grammaticos itaſſe. Tunc igitur Praefectura Urbis functus eſt, non M. Erucius Clarus, qui Conſul ſuffectus, A. U. 869. ſed *Sextus*, qui cum Cn. Claudio Severo A. U. 898. Cs. laudatur ſub Pio, in ſubſcriptione *l. 1. C. de Impub. & aliis ſubſtit.* & in marmoribus apud Gruterum *pag.* 314. *n.* 2. Fabrettum *c.* 10. *n.* 146. Sponium *Miſc. pag.* 70. & Fontaninum *de Antiq. Hortae lib. II. c.* 1. Spartianus Severum, ait, natum eſſe, *Erucio Claro bis & Severo Coſſ.* in ejus vita *c.* 1. Alter autem C. Erucius Clarus A. U. 922. cum Cornelio Cethego Conſul fuit, ſub M. Aurelio Antonino , *l. 1. C. de Petit. hered.* & Fabrett. *Inſcript. pag.* 505. eumque Commodus occidit , Spartian. *Sev. c.* 13. Alius rurſus eſt C. Julius Erucius Clarus, ſub Pertinace Conſul cum Falcone, A. U. 945. *l. 1. C. ad Sct. Maced. l. 2. C. de Neceſſ. ſerv. hered.* Ad Sextum referenda ſunt Gellii verba *lib. XIII. c.* 17. *Erucius Clarus , qui Praefectus Urbi & bis Conſul fuit , vir morum & litterarum veterum ſtudioſiſſimus.* Neſcio, an hujus pater fuerit *Euricius Clarus, vir ſanctus , antiquus, diſertus atque in agendis cauſis exercitatus* , apud Plinium *lib. II. epiſt.* 9. nec ſcripturae diverſitas me moratur; quia Erucii nomen varie corruptum eſt, quemadmodum Fontaninus *d. l.* Holthenus in *add. ad Gruter. pag.* 324. & Cl. Heſſelius , *Ind. Gud. pag.* 63. oſtenderunt.

Eadem pagina, *Fabius Cilo*, qui Septimii Severi amicus & Praefectus Urbi laudatur, in *l. 1. D. de Off. Praef. urbi*, *l. 4. D. de Off. Praef. vig. l. 8. §. 5. D. de Poen.* & *l. 6. §. 1. D. de Interd. & releg.* idem videtur eſſe , qui A. U. 945. Conſul ſuffectus & A. 957. Conſul ordinarius fuit, cum Libone apud Gruter. *pag.* 386. *n.* 1. 406. *n.* 9. 407. *n.* 1. ubi L. FABIUS M. F. GALERIUS SEPTIMINUS CILO vocatur. Cenſorinus de die nat. c. 17. *Ludos Septimius & M. Aurelius Antoninus, Cilone & Libone Coſſ. A. 957. fecerunt.* Spartianus Carac. c. 4. *In ſummum diſcrimen etiam Cilo , iterum Praefectus & Conſul , venit.* Adde ſubſcriptionem *l. 1. C. Si cert. pet. l. 2. C. de Excuſ. tut.* & Briſſon. *lib. VI. de V. S.* voce *Fabii.* Eſt autem Cilonis cognomen ab habitu capitis ſumtum , ut multa id genus alia , a corporis partibus tracta , in veteribus monumentis reperias, etiam ſymbolis quibusdam in nummis familiarum expreſſa , *ut Capitonum , Frontonum , Naſonum , Labeonum* , qui & *Chilones* dicti. Bene Cujacius *lib. X. Obſ. c.* 26. Menagius *Amoen. c.* 31. & Strauchius *de centum lapid. ſuburb. n.* 11. obſervarunt, Fabium noſtrum *Cilonem* appellatum, uti in Pandectis Florentinis & in titulis ſcribitur , qua Graecis , qua Latinis : neque perinde eſt *Cilonem* dicas , an *Chilonem* , cum adſpiratione ; quemadmodum in *d. l.* 1. & apud Spartianum *d. l.* & Gudium legitur : nam *Cilo* dicitur ab acuto capite & fronte eminentiore ; Gloſſae προκέφαλον interpretantur: *Chilo* autem eſt improbius labratus, a χεῖλος labrum, auctore Feſto, Capro & Cariſio. Sic in gente Vettia & Manlia Chilones fuerunt , ut P. Vettius Chilo, apud Tullium III. *Verr. c.* 71. & Q. Manlius Chilo , III. *Catil. c.* 6. Junius autem Cilo dicitur , apud Tacitum *lib. XII. Annal. c.* 21. & Q. Magius Cilo, apud Ciceron. *lib. IV. ep.* 12. & *VI. epiſt.* 12. ſed Codices variant , & Patinus , poſt Fulvium Urſinum *de famil. Rom.* obſervavit, L. Flaminium, nunc *Cilonem*, nunc *Chilonem*, in denariis, lapidibus & Scriptorum codicibus dici; immo Q. Fabium Labeonem, id eſt, Chilonem, habes apud Ciceron. *in Bruto c.* 21. & 1. *de Off. c.* 10. Forſan hujusmodi cognomina initio probri cauſſa data ſunt , quae deinde , auctis gentium familiis, differentiae gratia manſerunt , ut tamen promiſcue ſcriberent , qui H. parcius utebantur. Sic *Graccus*, in nummis Semproniae gentis; in aliis *triumpus* , *pulcer*, *tropaeum* &c. vid. Quintilianus *lib. I. c.* 5. Ferretus *in Muſis lapidar. pag.* 23. & Lipſ. *ad Tacitum* dicto loco.

Pag. 378. *Junius Rufinus* , Praefectus vigilum, aetate Severi & Antonini , memoratus in *l. 4. D. de Off. Praef. vig.* forte filius fuit A. Junii Rufini, Macedoniae Proconſulis, cui Hadrianus reſcripſit, in *l. 3. §. 3. D. de Teſtib.* quique A. U. 906. cum Bruttio Praeſente, conſul fuiſſe legitur, apud Gruter. *pag.* 300. Ab utroque diverſus eſt M. Marius Titius Rufinus A. 950. cum Laterano conſul , Gruter. *p.* 46. *n.* 9. &

51,

Digitized by Google

me reſponſa petierunt. In alios Largos & auctorem Scti Largiani inquiſivit Pancirolus, *lib. II. Var. lect. c.* 271. id vero, quod diximus, ſi cum Cujacio pro certo habeamus, firmabitur Briſſonii conjectura *lib. III. de form.* in *l.* 9. *D. Qui ſine manum.* interpungentis: *Latinus Largus: Vendidit ancillam. quaero*, quemadmodum in *l.* 56. *D. de Aedil. edict.* & in *l.* 30. §. 1. *D. de Exc. rei jud.* nec aliter Neſennius Apollinaris, judex datus, Paulum conſulit in *l.* 34. *D. de Neg. geſt.* & *l.* 41. *D. de Re jud.* Reineſius Neſenniam, vel Naſenniam gentem plebejam, ſed libera Republica non ignotam, eoque veterem eſſe oſtendit, *ad cl.* 1. *Inſcript.* 47. Tertius Miſennius Fronto, *Menſeuius* in Baſilicis audit, *lib.* 48. *tit.* 38. id, quod nonnihil juvat Bertrandi emendationem *lib. II. c.* 39. *Emiſeno Frontoni* legentis in *l.* 52. *D. de Manum. teſt.* ut orator ille, qui ſub Severo clarus fuit, exprimatur. Menagius *cap.* 31. *Amoen.* ſi quid mutandum ſit, legere mavult, *Meſſieno*; ut in titulo Gruteri *pag.* 438. At complures diverſis temporibus Frontones fuerunt: Julio Frontoni Trajanus, in *l.* 5. *D. de Poen.* & Licinio Frontoni Antoninus reſcripſerunt, in *l.* 18. §. 3. *D. de Minor.* Papirii Frontonis, Jcti, Reſponſorum libros Calliſtratus laudat in *l.* 220. §. 1. *de V. S.* an vero idem ſcripſerit *Decretorum* libros, ex quibus Ariſto quaedam refert, in *l. fin. D. de Adq. hered.* cum Bertrando, non temere dixerim: nam Florentiae *Ariſto in decretis Frontianis*; in aliis *Frontinianis*; in aliis *Frontonianis* legitur: & aptius credo, ut ſint alicujus Frontonum, quorum non unus Conſul occurrit apud Gruter. *pag.* 369. *n.* 2. 968. *n.* 13. Reineſ. *cl.* 1. *n.* 42. Phil. a Turre *de monum. vet. Ant. p.* 96. & Gudium *pag.* 39. *n.* 9. Ipſi Tito Aufidio Conſuli, in *l.* 20. §. 6. *D. de Hered. pet.* Frontonis cognomen fuiſſe, ſupra vidimus. Fuit & Fronto, Orator, Conſul ſuffectus, teſte Auſonio *in grat. act. pag.* 714. idem, qui praeceptor fuerat M. Aurelii Antonini, ut hic ipſe tradit, *lib. I. de Reb. ſuis* §. 11. & inſcriptio docet apud Fleetwoodum *pag.* 151. M. CORNELI. FRONTONIS. ORATORIS. COS. MAGISTRI. IMPP. LUCI. ET. ANTONINI. Hujus ſummi oratoris & Ciceronis aemuli, cujus Gellius, Capitolinus, Sidonius & Eumenius meminerunt, nepotem fuiſſe Papirium Frontonem Jctum exiſtimat Bertrandus, nec aetas repugnat: peſſime autem Scipio Gentilis *lib. II. Parerg. c.* 7. Jctum cum rhetore confundit, id quod vel praenomen refellit. Alium Guil. Grotii *lib. II. de vit. Jct. c.* 11. errorem Clar. Cannegieter. notavit, *in diſſert. de Aviano c.* 12. Alios Frontones Catanaeus in Epiſtolas Plinii, & Egnatius ad Capitolini Antoninum Philoſophum collegerunt; multi eorum quoque ſunt apud Gruterum.

Pag. 380. *Pactumejus* Androſthenes, primo *Pactumejam* Magnam, filiam *Pactumeji* Magni, occiſi, & poſtea, mutato teſtamento, *Novium Rufum* ex aſſe heredem inſtituiſſe, dicitur, ſecundum lectionem Florentinam, in *l.* 92. *D. de Her. inſt.* Vulgati autem Codices habent *Tactumeius*, vel *Pacumeuius*; Alciatus *lib. IV. Diſpunct. c.* 1. maluit legere *Pactulejus*, quia ita vocat Lampridius, ubi ejusdem caedem narrat, *in vita Commodi cap.* 7. *Interemit Pactulejum Magnum cum ſuis.* Sed nihil ſpurcius aut mendoſius ſcribi potuiſſe, Caſaubonus ibi & Salmaſius, poſt Auguſtinum noſtrum, annotarunt: nam & *Pactumejus Clemens*, Jctus in *l.* 21. §. 1. *D. de Statulib.* & in Baſil. *lib.* 48. *tit.* 5. *c.* 21. *tom.* VI. *pag.* 425. ὁ Πακτομήιος Κλήμης memoratur, aliosque Pactumejos & Pactumejas, ex Codice Juſtinianeo, Inſcriptionibus Gruteri & exteris auctoribus Ill. Bynkershoek. *lib. III. Obſ. c.* 7. laudavit. Apud Horatium *Epod.* 17. *vſ.* 50. Lambinus, cum Aldo & Turnebo *lib. XXX. Adverſ. cap.* 2. legit: *Tuusque venter partumejus*, & uterum ſine magno nixu parientem, ſive partui aptum, interpretatur. Rectius vero Torrentius, Stephanus, Lubinus & Baxterus joculare *Pactumeji* nômen, fide vetuſtiorum librorum approbatum, retinuere: nam ut a poſtumus Poſtumejus, & a Pompo Pompejus, ita a *pactum* gentis Pactumejae nomen figuratum eſt; quod Cujacius *lib. XII. Obſ. c.* 18. proprium ſuppoſiti partus explicavit. Vignolius *Inſcr. p.* 245. PACTUMEIA. D. L. URBANA. SIBI. ET. D. PACTUMEIO. D. L. STRABONI. PATRONO. SUO. Alterum, heredem inſtitutum, *Novium Rufum*, non modo Spartianus, inter alios ſummos viros, a Severo occiſos, refert, *ejus vita c.* 13. ſed etiam marmor, in hortis Auguſtini noſtri olim celebrabat Tarracone, nunc apud Gruter. *pag.* 209. *n.* 1. L. NOVIUS. RUFUS. LEG. AUG. PR. PR. V. C. Atque haec quidem ſpeciminis loco ſuffi-

Digitized by Google

Inſtr. & inſtr. leg. lib. x. Obſ. c. 37. Inſtium Celerem, in *l. 12. §. 1.* [illegible] *curat. dat.* & lib. xxii. Obſ. c. 7. Chryſanthianum certamen, in *l. penult. D. de Annuis leg.* exornavit: jungendus vero eſt Suidas, in Χρυσάνθιος, qui Sardianum Philoſophum Chryſanthium, non Severi & Antonini, ſed Juliani aetate vixiſſe, ſcribit.

Pag. 388. *Capite ſexto* nomina ficta, tam civium Romanorum, quam peregrinorum, liberorum atque ſervorum, maſculorum quam ſeminarum ſequuntur, quibus veteres, ad exempla ſuſtentanda, pro *ille*, vel ὁ δεῖνα, uſi ſunt. Quemadmodum enim Philoſophorum perſonae hypotheticae erant Dion vel Theon; Rabbinorum Simeon, Ruben & Levi; Arabum Zeidon & Amron, ita Juriſconſultorum κατὰ ὀνόματα frequentiora erant, Lucius, Titius, Cajus, Sejus &c. Plutarchus Quaeſt. Rom. c. 30. *Nominibus Caji & Cajae pro communibus utuntur; ſicut Juriſconſulti Caji, Seji, Lucii, Titii nomen ei, de quo agitur, imponunt.* Neque Prudentes tantum, ſed etiam Praetores, in edictis ſuis, hiſce nominibus perſonas quasvis deſignarunt, *l. 10. D. Quae in fraud. cred. l. 1. D. de Tab. exhib. l. 1. & l. 3. D. de Lib. exhib.* Apud Marcellum quoque medicum, in formula, aegrotans femina *Cajae Sejae* appellatione denotatur, ſicut in *l. 26. D. Depoſ.* Accii item & Titii nomina Juriſconſultis ſolennia fuiſſe, quando ſe cauſae, non perſonae, jus reſpondere velle teſtarentur, ex fragmento ſatyrae Varronis patet, quam *Teſtamentum* inſcripſit: *Accio idem, quod Titio, jus eſto apud me:* per quod vetus proverbium, interprete Gellio *lib. III. c. 16.* ſignificare voluit, *pari eodemque jure eos eſſe debere.* Ridiculae quidem & otioſae diligentiae hanc nominum obſervationem eſſe, putavit Albericus Gentilis, *dialogo V.* atque ideo vehementer ſuccenſuit Alciato, quod de tanto myſterio toto capite differere voluerit, *lib. I. Parerg. c. 26.* At riſu inepto res ineptior nulla eſt! tantumque abeſt, ut ſterilis ea ſit explicatio habenda, ut Cicero *pro L. Murena cap. 12.* irriſerit Juriſconſultos, qui, cum exempli cauſa Cajae nomen in libris invenerant, *putarunt, omnes mulieres, quae coemptionem facerent, Cajas vocari*; quum verior eſſet interpretatio, ingenuas quasque matresfamilias, in formulis juris & ſacrorum nuptialium, non quidem per modum proprii praenominis, ſed appellative Cajas dici: *Ubi tu Cajus,* id eſt dominus, *ibi ego Caja,* id eſt domina. Fabius lib. I. Inſt. orat. c. 7. *Quia tam Cajas vocitatas eſſe, quam Cajos, ex nuptialibus apparet.* Proprio quidem praenomine feminas Romanas aliquando uſas eſſe, Sigonius *de Nomin. Rom.* Reineſius *ad cl.* vi. *Inſcript.* 11. & maxime Petrus Servius *Miſcellan. c. 5. ſeq.* adverſus Caſtalionem late demonſtrarunt, nihilominus crebro in titulis, nullo expreſſo nomine, Ↄ. L. legitur, id eſt, Cajae liberta, apud Fabrettum *Inſcript. cap. 1. pag. 32.* VALERIA OLIA Ↄ. L. ACME Ↄ. L. PRIMA. & STATIA Ↄ. L. CUPITA. Id quod egregie explicat Velius Longus de Orthographia, apud Putſchium pag. 2218. Ↄ. *converſo Caja ſignificatur, quod notae genus videmus in monumentis, cum quis libertus mulieris oſtenditur: Cajas enim generaliter priſci* (non *aſpicis*, nec *auſpices*, ut legit Pithoeus ad Collat. LL. Moſ. tit. 4. n. 5.) *has omnes mulieres accipere voluerunt.* Neque ſoli ſemidocti iſti veteres, ſed Accurſius etiam, hujus rei ignorantia, haeſitavit ad *l. ult. D. de Inſtit. act.* ubi qui ante *Lucius Titius*, poſtea *Octavius Felix*; & qui ante *Cajus Sejus*, poſtea *Domitius Felix* vocatur: aliter enim in hypotheſi, quam caſum vocamus; aliter in ipſa cautione vocantur; minime vero quadrinomii fuerunt. Quinimo doctiſſimis viris quam moleſtae fuerint horum nominum fictorum confuſiones Ill. Bynkershoek. praeclaris exemplis docuit, *lib. I. Obſ. c. 22.* Idem quoque *ad l. Lecta c. 3.* jucunde ridet Papirium Maſſonum, qui Lucii Titii, apud Jureconſultos celeberrimi viri, patriam, parentes, munera, divitias, uxores, liberos, teſtamenta, mortem & hereditates, animi cauſa, brevi libello deſcripſit. Nec omnibus forte placebit, quod Auguſtinus ſeptem, & quod excurrit, folia a pagina 415. ad 445. memoriae Lucii Titii impenderit; ſed ratio inſtituti ſatis eum excuſat.

Pag. 453. Servorum & libertorum *ficta* quoque *nomina* tangit: Damas, Eros, Pamphilus & Stichus; igitur & de his, & de veris, quae antea attulerat, promiſcue quaedam adſpergamus. Illa vulgaris obſervatio eſt, quod, quemadmodum ſervi, a praenomine domini, Lucipores, Marcipores & Quinctipores, quaſi Lucii, Marci & Quinti pueri, dicebantur, ita manumiſſorum plerique patroni ſui nomina uſurparint; nunc eadem, nunc flexa, nunc ſimilia fere & adſonantia, prout manumittenti lubuiſſet. Conſuetudinis hujus exempla, praeter Sigonium & Politianum, Alciatus attulit, ad illuſtrandam *l. 38. §. 1. D. de Leg. 3.* alia Reineſius *ad cl.* xvii. *n. 73.* & Fabrettus *cap.* vi. *Inſcr. pag.* 434. Hoc non ita vulgatum addo, vix tolerari poſſe, quod Cujacius ſcripſit,

... quam vide Alciat. *lib. V. Parad. cap.* 5. & Auguſtin. *lib. III. Em. cap.* 8. Juriſconſultis praeterea & Imperatoribus, ubi de ſervis agunt, ficta Titii & Caji nomina quandoque exciderunt, in *l.* 40. *D. de Hered. inſt.* & *l.* 9. *C. de Oper. libert.* quae paene ſuſpecta videbatur Alciato *lib. VI. Parerg. c.* 9. tum hanc ob cauſam, tum quod veteres Graecis potius nominibus, Eros, Pamphilus utantur; quale vero & Caji nomen, a γάϊος, tandem agnoſcit. Italis, ſi Euſtathio credimus, *lib. II. Iliad. Etymol.* ὁ μίσθιος eo ſignificatur, ut Cujacius notat, *ad §. 6. Prooem. Inſtit.* Caeſarum porro & Auguſtarum ſervi plus ſibi arrogabant, ingenuorum inſtar agentes, ad quorum jura accedebant, Ulpian. *tit.* 20. *§. fin.* Tales molli praenomine gaudentes erant, C. LIVIUS. & IULIUS. EROS. AUGUSTAE SERVI PEDESSEQUI, apud Spon. *Miſcell. pag.* 229. In ceteris vero brevitas, unius vel duarum ſyllabarum, plerisque dominorum placebat; ut Mus, Syrus, Damas, Saccus, Pollex, Scorpus, Clemens, Manes: ancillae Doris, Elpis, Seja vel Tyche dicebantur. Quinimo polyſyllaba dominorum nomina ſaepe contrahebantur; ut ex Poſidonio ὑποκοριστικῶς *Poſis*, ex Demetrio *Demas*, ex Menodoro *Menas*, ex Metrodore *Metras*, & ex Lucilio *Lucas* fieret. vid. Alciat. *lib. I. Parerg.* 26. Grot. *ad Lucae pr.* & Voſſ. *lib. IV. Inſt. ort. c.* I. *n.* 5. Longius ancillae nomen eſt *Areſcuſae*, id eſt placentis, a verbo ἀρέσκω, in *l.* 15. *l.* 16. *D. de Stat. hom. l.* 43. & 45. *§.* 2. *D. de Act. emt.* aliae *Arethuſae* dicuntur, in *l.* 75. *§.* 4. *D. de V. O. l.* I. *D. de Oper. ſerv. l.* 25. *§. ult. D. Quand. dies legat.* quibus in locis Bologninus & Nebriſſenſis, ut ante, *Areſcuſa* legendum exiſtimarunt, propterea, quod Arethuſa, non ancillae, ſed Nymphae ſit fontisque nomen, apud Virgilium, Diodorum & Silium: hoc vero non corrigere eſt, ſed corrumpere, non caſtigare, ſed caſtrare, ait Auguſtinus *lib. III. Emend. c.* 3. & *Dial.* VI. *Antiq. p.* 94. Quid enim vetat idem ſervae nomen quod Nymphae indi? cum & mancipia Deorum nomina per ludibrium tulerint, ut *Hermes*, *Zenon*, *Caſtor*, *Pollux*, *Eros*; nec ſervum *Heroem*, vel *Herotem* dici ineptum ſit, ut credidit Auguſtin. *pag.* 371. v. Fabrett. *Inſcr. c.* I. *p.* 9. & 20. & Interpretes Horat. *de art. Poët. vſ.* 114. De *Trophimo* ſervo, id eſt alumno, reſcribit Marcus in *l.* 37. *D. de Fideic. lib.* & talium meminere marmora Fabretti *c.* IV. *pag.* 314. ſicut *Trophimae* libertae Scaevola, in *l.* 34. *D. de Uſu & uſufr.* & lapis apud Philipp. a Turre *de colon. Forojul. pag.* 360. Trophimas quoque, pro Trophimus, eſt nomen viri proprium, in *l.* 26. *§. ult. D. Depoſ.* ubi male Alciatus *lib. I. Diſpunct. c.* 18. trophima legit, & nutricium, ſive nutricum mercedem interpretatur. Vide Cujac. *lib. XXVII. Obſ.* 18. & Salmaſ. *ad Trebellii Gallienos c.* 2. Alii *Felices*, *Feliciſſimi*, vel *Eutychiae* dicuntur, etiam ante libertatem acceptam, in *l.* 32. *D. de Uſu & uſufr. l.* 41. *§.* 3. *D. de Legat.* 3. *l.* 44. *D. de Man. teſt.* nam & liberi homines, eorum domini, Epaphroditi, Fauſti, Eutychi, Eutychiae, vel Felicitatis cognomina a fortuna adſcivere, ut conſtat ex *Ind. Grut. c.* 23. & Reineſ. *cl.* VI. *n.* 85. Parthenium, Tiberii ſervum, de quo eſt *l.* 41. *D. de Hered. inſt.* in marmore Gruteri *pag.* 616. *n.* 5. laudari, putat Merillius *lib. IV. Obſ. c.* 34. ſed valde hoc incertum eſt; quia non unus Caeſarum Parthenios ſervos habuit. v. Sueton. *Tib. c.* 70. *Domit. cap.* 17. Martial. *l.* IV. *ep.* 79. Tertullian. *Apolog. c.* 35. Gruter. *pag.* 582. *n.* 9. Freher. *lib. II. Veriſ. c.* 16. Gundlingiana *p.* XXX. *Obſ.* 3. & Fabric. *Bibl. Graec. l.* III. *c.* 27. *n.* 9. *p.* 677.

Nullus finis foret, ſi ad *caput* VII. nomina Provinciarum, Inſularum, Regionum & Urbium, quarum in Pandectis fit mentio, vel ſummo digito attingere vellemus; neque vaſtum illud Geographiae ſtadium illotis pedibus ingredi licet; in quo, praeter viros eruditiſſimos, qui Strabonem, Melam, Plinium, Ptolemaeum & Stephanum notis illuſtrarunt, tot alia decora ingenia, ut Palmerius, Valeſius, Bochartus, Camdenus, Reſendius, Holſtenius, Cluverius, Vaillantius, Harduinus, Relandus & maxime Cellarius, in *Notitia orbis antiqui*, certarunt. Quosdam vero alios, qui Pandectis illuſtrandis proprie ſerviunt, nec cuivis ſunt obvii, in gratiam tironum adjicere lubet. Diviſionem provinciarum, ab Auguſto inſtitutam, quam Auguſtinus exhibet *pag.* 471. praeclare Henr. Noriſius, *ad Cenotaph. Piſ. diſſ.* II. *c.* II. explicavit. Daciae utriusque colonias, in corrupta *l.* I. *D. de Cenſib.* memoratas, Cujacius *lib. X. Obſ.* 35. Leunclavius *ad Xiphilinum* & Raphaël Fabrettus, in Syntagm. *de Column.*

vera nomina, epochas & conditionem, diligentiae & eruditioni Noriſii *de anno &* *epoch. Syro-Maced.* & Spanhemii *de Praeſt. & uſu num. Diſſ.* IX. & XIII. debemus; quibuscum Petrus de Marca *Marcae Hiſp. lib. II. c.* 13. Cujacius *dict. Obſ.* 35. Jac. Gothoſred. *tom.* V. *C. Th. pag.* 221. Pancirolus *lib. II. Theſ. var. lect. c.* 152. & Turnebus *lib. IX. Adv. c.* 15. jungantur. Ilienſium privilegia antiqua Cujacius *lib. X. Obſ.* 5. idem Cretae adminiſtrationem *lib. XIX. Obſ. c.* 13. & Selinum, ab Ulpiano in Cilicia recte poſitum, *lib. XXVII. Obſ. c.* 3. docuit: Citium vero Cypri & Macedoniae male confudit *lib. III. Obſ. c.* 18. vid. Menag. *Amoen. c.* 13. ad Laërt. *lib. VII. n.* 1. Quaſi relegationem in Aegypti inſulam Oaſin, arenis, non aquis, cinctam, in *l.* 7. *§.* 5. *D. de Interd. & releg.* idem *lib. VIII. Obſ.* 27. & *lib. XX. Obſ.* 31. Alciatus *lib. XII. Parerg. c.* 4. Duaren. *lib. II. Diſp. anniv. c.* 39. Pancirolus *lib. II. cap.* 40. & Cellarius *lib. IV. c.* 1. plenius, quam noſter *pag.* 486. deſcripſerunt. Quare Proconſuli Aſiae impoſita fuerit neceſſitas, per mare ad provinciam applicare, & inter matrices urbes Epheſum primo attingere, ad *l.* 4. *§.* 5. *D. de Off. Proconſ.* Spanhemius ex nummis explicavit, *de Praeſt. tom.* 1. *pag.* 608. In *l.* 4. *D. de Rer. diviſ.* Lucas Holſtenius, pro piſcatoribus *Capenatis*, quos etiam Baſilica *lib.* 46. *tit.* 3. *cap.* 2. agnoſcunt, licet Auguſtinus *pag.* 489. malit *Capenatibus*, conjecit legendum eſſe *Capreatis*, Camillo Peregrinio probante, *de Campan. fel. diſſ.* II. *c.* 29. Eadem diſſert. *flumen Minturnenſe*, in *l.* 13. *§.* 1. *D. Locati*, Lirim, Campaniae fluvium explicavit *c.* 7. Vario item Campaniae vino, de quo *pag.* 509. & maxime Falerno, quod optimum Campanum dicitur, in *l.* 74. *D. de V. O.* Theophilo, ad *§.* 33. *de Action.* fruſtra repugnante, principatum aſſeruit, Varronis, Strabonis, Plinii & Galeni auctoritate, *diſſert.* III. 4. 5. *tom.* IX. *Theſ. Ital. part.* 2. Atque haec quidem ad Auguſtinum ſufficiant.

Hunc excipiunt Caroli Selvaghii, Theologi & in Lyceo Romano Pandectarum interpretis, *de Origine, Etymo & praeſtantia Pandectarum*, nec non ad *l.* 1. *de Juſt.* & *l.* 3. *D. de Juriſd.* recitationes ſolennes. Indignus ille olim Mureti, in cathedra Romana, nunc Auguſtini ſucceſſor, praeter titulum ampulloſum habet nihil; ſed nitore omni ac ſucco deſtitutus, barbariſmis autem & ſoloeciſmis large refertus, vix locum ſuum apud aequos, nedum rigidos Cenſores tueri poteſt. *Pag.* 12. anilem narrat fabulam, de Florentino Pandectarum exemplari, ex direptione Amalphitana, Piſanis a Lothario Saxone donato; quum ea de re tamen ſileant omnes, etiam antiqua Chronica Piſana, ab Ughellio edita. Vid. Cl. Murator. *praef. ad LL. Langob. tom.* 1. *Theſ. Ital p.* 2. Non minus inepte exemplar illud Juſtiniani prototypon facit, cum Politiano: id quod vel ſolae liturae, errores atque lacunae vetant, & a pleriſque cum Alciato *lib. III. Diſpunct. c.* 12. rejicitur. Vid. Ampl. Brenemanni *Hiſt. Pand. lib. I. c.* 2. *ſeqq.* Ne quidem ſubſcribo Ant. Auguſtino, Contio aliiſque recentioribus, qui omnia, quae nunc exſtant, Digeſtorum exempla, ex Florentino dimanaſſe, contendunt: graviſſimis enim argumentis rem nuper confecit Cl. Guido Grandus, in *epiſtola de Pandectis*, ad Celeb. Averanium; & jam olim Cujacius fidem prioribus non habendam eſſe monuit, *lib. II. Obſ.* 1. Videnda omnino eſt Pragmatica Sanctio Juſtiniani, poſt Edicta, *c.* XI.

Jacobi Lectii, Anteceſſoris primum, deinde Senatoris Genevenſis, reconditae eruditionis, & eloquentiae ſingularis viri, Opuſcula quatuor, cum laude dicenda, nunc ſequuntur. *Lectius noſter, vir doctrina & prudentia juxta magnus*, ſcribit Caſaubonus, in *Syll. epiſt. tom.* 1. *p.* 374. In primo officium Prudentum, exemplo *Papiniani*, gravi & diſerta oratione, depicti exponit. Alterum laudes *Ulpiani* celebrat, & criminationes ipſi impactas diſſolvit. Tertium *Aemilii Macri* fragmenta, ex libris duobus de Publicis judiciis, illuſtrat. In quarto leges ex libris quatuor *Modeſtini*, de Poenis, reliquae ſingillatim enarrantur. De Papiniani vita Weſenbecii quoque, Heigii & Beſoldi orationes laudantur, ipſeque ante haec tria luſtra, quid humeri valerent expertus, Lectii noſtri, ac ceterorum communem ſere ſententiam, de praecoce Papiniani indole, morteque immatura confutavi. Fugiebat me autem tunc temporis gemma annularis, duobus capitibus & litteris ſequentibus inſignis, PLA & PA; ex qua Cl. Jacobus Gronovius *tom.* III. *Theſ. Ant. Graec. pppp* pulcherrimam Papiniani, ejuſque conjugis Plautiae effigiem deprompſit, Fabro praeeunte: ut is animi propemodum divini homo, rara mixtura, etiam quod ad corporis formam (ſi modo gemma antiqua eſt) fuerit pulcherrimus: id quod male ab aliis ex Juſtiniani Epiſtola, Pandectis praefixa, *§.* 4. exſculpitur.

De

Ulpianum Damaſcenum, in *l.* 10. *D. de interd. & rel.* Scipio Gentilis, in *Originum* libro, voce *Juſtitia*, hominem Phoenicium vocat, qui Judaeorum leges ac ritus ad unguem calluerit: alii Judaica ejus dicendi genera crepant, cum Auguſtino *lib. IV. Em. c.* 8. & Gilb. Regio *lib. II. Enant. c.* 20. Sed aliud eſt natale ſolum, aliud origo avita: *unde mihi origo eſt*, ait, in *l.* 1. *D. de Cenſib.* ſicut Hadrianus, Romae natus, Italicenſis; & Bonoſus domo Hiſpanienſis, origine Britannus dicitur. Perperam idem Lectius cum Cujacio *lib. XXIV. Obſ.* 39. & Gentile *lib. I. Parerg. c.* 6. Ulpianum loquacem rhetorem, κιτούκιτος dictum, quod toto Athenaei opere Cynicos interrogatiunculis vexat, cum Domitio confundit; quum alius fuerit Sophiſta, alius JCtus; origine pares, aetate diſpares: ille Pancratem Poëtam ſub Hadriano notum ſibi fuiſſe affirmat: noſter vero a Praetorianis Alexandri occiſus eſt. Confer Auguſtin. *de nom. propr. pag.* 383. & Briſſon. *de V. S.* v. *Ulpianus.* Erronee porro Lectius nativitatem Ulpiani ad A. C. CC. refert & tamen ſub Antonino Pio collocat: pejus Auguſtinus *dial.* v. *Antiq. pag.* 87. Tacito eum antiquiorem pronuntiat: peſſime Petitus *lib. II. Obſ. c.* 4. ſub Alexandro Severo ſcripſiſſe putat: id quod creberrima ejus verba, *Imperator noſter cum divo patre*, id eſt Antoninus Caracalla, cum patre Severo, non patiuntur. vid. Jac. Gothofr. ad *l.* 1. *C. Th. de Jure Ital. urb. Conſt.* & Cel. Schulting. *Jurispr. pag.* 547. Denique anxie laborat noſter, duo ut cenſurae tela a ſanctiſſimo juris Antiſtite ſubmoveat; quod ſolutum legibus Principem eſſe ſcripſit, & quod infenſior fuit Chriſtianis, quam deceret virum bonum, licet gentilem. Sed defenſionibus iſtis opus non eſſe, alibi oſtendi, in *Praefat. ad tom.* IV. *pag.* 9. & *de Aedil. colon. c.* VII. §. 3. Adde Cel. Toullieu Orat. *de Ulpiano, Chriſtianis non infenſo.*

Tranſeamus ad Johannis Chifletii, JCti Veſontini, Diſſertationem Apologeticam pro Juſtiniano, Triboniano, Gratiano & S. Raymundo; nec non Gabrielis Trivorii, J. U. D. & Hiſtoriographi Ludovici XIII. Galliarum Regis, majoris momenti Obſervationem apologeticam, adverſus quoſdam JCtos & Procopii Anecdota, ad Inſcriptionem orationis ad Anteceſſores, Digeſtis Juſtiniani praepoſitae. Quo major utriusque erat eruditio, judicium & facundiae vis, quae in Chifletiis fuit maxima, eo pejus iſtos habebat, quod Juſtinianus, Principum ſapientiſſimus, ut indoctus, ſtolidus ac plane rudis aſinus: Tribonianus vero, doctiſſimus Quaeſtor, ut impius, & Chriſtiani cultus ex profeſſo hoſtis, paſſim traducerentur, immo ſacrilegii poſtularentur; quaſi praeſtantiſſimorum JCtorum ſcripta, auro contra cariora, ſuppreſſerint, aut flammis comburenda dederint, ſervatis tantum centonibus recentiorum, Syrorum, Africanorum, & aulae mancipiorum; quaeque id genus plura ſunt Procopii, Suidae, Heſychii, Alciati, Hotmani, Raevardi & Autumni ſcommata, a vulgo avide excepta & diſſeminata. Facillimum eſſet obtrectatoribus iſtis, quos Duumviri noſtri repreſſere, Cujacium, Haloixium, Rad. Fornerium, Colerum, Joann. Groeningium & recentiores alios jungere; ſed cui bono? poſtquam Thomas Rivius *in defenſione Juſtiniani*, Joann. Eichelius *ad Procop.* Rutilius *de vit. JCt. in fin.* Noriſius in *diſſ. hiſt. de Synodo V. c.* 2. Schurtzfleiſch. *in diſſ. de Juſtiniano orthodoxo* Ill. Ludewigius, *in Juſtiniano magno* & Cl. Schultingius, in orat. *Culpandusne ſit Tribonianus* &c. pleraque iſta, ut ridiculae vanitatis ſomnia, exploſerunt.

De Petri Burgii, Cujacii auditoris, Electorum, Christ. Coleri, Franci, Parergorum, & Gabrielis Vallii, Pictavienſis, in ſuprema Regni Galliae curia advocati, ad *l.* 29. *D. de Lib. & poſt. l. un. C. de Sent. quae pro eo quod int. l.* 91. *D. ad L. Falc.* & *l.* 24. *C. Fam. erc.* libris ſingularibus, dixiſſe ſufficiat, quod noſtra non indigeant commendatione, cum ſe ipſos ſatis oſtendant; eo quod varia juris & meliorum Auctorum capita in iis illuſtrantur, conciliantur, ſanantur, vel e fuga ad ſedes ſuas revocantur. Quemadmodum vero Ovidius decentiorem dixit eſſe faciem, cui aliquis ineſſet naevus, ita *c.* 2. Burgii emendationem *l.* 17. *D. de Manum. vind.* haud probo, licet Cl. Noodt *lib. II. de Jurisd. c.* 7. non improbabilem eam vocaverit, & Cujacius vehementiore medicina uſus ſit, *lib. I. Obſ.* 1. *lib. XV. Obſ.* 9. Aliter Robert. *lib. I. Recept. c.* 28. & *lib. I. Animadv. c.* 21. Conſtantinaeus *lib. I. Subt. enod. c.* 12. Hotm. *lib. III. Obſ.* 4. & cui non dictus Hylas? Adoptiones diverſarum gentium a Colero leviter indicatae *c.* 7. plenius longe a Frênio *ad Joinvill. diſſ.* 21. 22. & in Ju-

Digitized by Google

mine quidem hiſtoriam Romanam ſalutaſſe, ait Daviſius ad Ciceron. *de LL. lib. I. c. 2.* Septem capita poſteriora juris locis emendandis vel explicandis impendit; eaque inter *cap.* 24. eminet emendatio *l.* 52. *§.* 2. *D. Pro ſoc.* in qua ex Codice ſuo manuſcripto ſubſtituit: *Pretium enim operae artiſve eſt aequamentam.* Haloander legit *operae & artis*, Faber *partis*, Cujacius *levamentum*, pro *velamentum*, ad *§.* 2. *Inſt. de Soc.* At ſenſus Vulgatae, cum Florentina hic conſpirantis, eſt, pretium operae velat artem, facitque ne artifex hujus praetextu a culpae praeſtatione ſe poſſit liberare. Nec video, cur Avellanus neget, velamenti vocem ſatis eſſe Latinam, qua Livius, Tacitus, Seneca & Tertullianus utuntur.

Nicolao Catharino, cujus *Obſervationum & Conjecturarum* liber ſubjicitur, proprium nomen erat *Catharinoti*, auctore Doujatio *Hiſt. jur. civ. c.* 9. *Nicolaus Catharinotus, qui ſe Catharinum appellare maluit*; ideoque Menagium, cujus nomini hoc Opuſculum inſcripſit, de eo loquentem accipio, *Amoenit. c.* 39. *Quod in mentem veniſſe video Nicolao Catharinoto, Regio apud Bituriges Advocato, Viro docto & magno patriae ſuae ornamento.* Idem vero in Menagianis *tom.* I. *pag.* 180. ridicula quaedam de eo narrat; ut tamen virum honeſtiſſimum, nec indoctum vocet, de cujus ſcriptis Martialis illud uſurpari poſſit: *Sunt bona, ſunt quaedam mediocria, ſunt mala plura.* Valeſii in *Valeſian. pag.* 122. par fuit judicium: *Erat vir bonus, eruditorum amantiſſimus; doctus, ſed minimi moduli; vervecum in patria craſſoque ſub aëre natus.* Plura, praeter hunc libellum, ſcripſiſſe videtur; ſed vel ſolus hic, quam recte illi judicaverint, clamat. Confer ex. gr. cum *cap.* 38. Ampl. Bynkershoek *lib. I. Obſ. c.* 21. & videbis, quantum diſtent aera lupinis.

Joh. Stekius, Reip. Bernenſis Commiſſarius generalis, in *Obſervationibus anticriticis*, leges a corruptelis Criticorum & Neotericorum interpretum, viginti capitibus vindicat, qui leviuſculae ratiunculae confidentes receptas lectiones immutarint, nullam aut exiguam Florentino archetypo reverentiam habentes. Sed Jacobus Gothofredus non paſſus eſt quicquid opis ab Alciato, Cujacio, Hotmano, Raevardo, Hortenſio & Fabro Juriſprudentiae admotum eſt, athleticis edictis & horrendo prope carmine proſcribi, ideoque Animadverſionum librum noſtro oppoſuit, totidemque capitibus eaſdem leges retractavit. Vide judicium ejus de Stekio *tom.* III. *Theſ. pag.* 259.

Quod ſupereſt, non deerant, quae ad Detlebii Langebekii, Hamburgenſis Icti, *novas annotationes* in leges aliquot perdifficiles, ex recenſione Joachimi Cluten, Parchimenſis Megapolitani; Petri Perrenonii *Animadverſionum & variarum lectionum juris civilis* libros duos, eruditiſſimos; Georgii Conradi Crusii, Anteceſſoris Leidenſis, Diatriben *ad l.* 40. *D. de Hered. inſtit.* & Diſſertationem *de Pactis & Conventionibus*; Ludovici Charondae, in ſupremo Francorum Senatu Advocati, deinde Locum tenentis generalis Clarimontani, A. MDCXVII. defuncti, Πιθανῶν ſeu *Veriſimilium* libros tres, item *ad titulum D. de Verborum obligation. Scholia*, & libellum *de Juriſdictione & Imperio*; denique ad Marquardi Freheri, Palatinatus VIIviralis olim Conſiliarii, ac Dicaſterii Aulici Propraeſidis, *Veriſimilium* libros duos, ex ſchediaſmatis Auctoris, ſtudio Joannis Boſch auctos, monerem: ſed claudendi tandem ſunt rivi, ſat prata biberunt. De Cruſio U[illegible] Huberi Dialogus *de ratione docendi & diſcendi juris*; de Charonda ejuſque reliquis ſcriptis Simonis *bibliotheca Auctorum juris tom.* I. De Frehero Melchioris Adami *vitae Ictorum pag.* 216. videantur, & quae dixi ad *tom.* IV. *pag.* 17. Hoc loco tantum moneo, ipſum Freherum ſerio amicis injunxiſſe, ut libri hi, ſecundis curis locupletati, poſt ejus fata, non *Parergorum*, ſed *Veriſimilium* nomine, in lucem denuo mitterentur: ne quis autem diverſa exiſtimet, quae fere eadem ſunt, utrumque titulum conſulto, non per errorem, hic conjungere placuit. Atque haec erant, quae praefari volui, Candide Lector; ſi quid bene dictum aut curatum ſit, aequi bonique conſule, nobiſque fave.

SERIES

Digitized by Google

- - - - - Domitii Ulpiani Orat. duae. 51

ad Aemilium Macrum de Publicis Judiciis. 67

ad Modeſtinum de Poenis. 123

Joann. Chifletii Diſſertatio Apologetica, de Juris utriuſque architectis, Juſtiniano, Triboniano, Gratiano & S. Raymundo. 161

Gabrielis Trivorii Obſervatio Apologetica, ad inſcriptionem Orationis ad Anteceſſores, Digeſtis Juſtiniani praepoſitae; adverſus quosdam JCtos & Procopii Anecdota. 197

Petri Burgii Electorum liber; quo varios Juris locos illuſtrandi, conciliandi, ſanandi ratio tentatur. 305

Chriſt. Coleri Parergorum, ad varios Pandectarum & Inſtitutionum Juris locos, liber ſingularis. Obiter etiam varii Scriptores aut emendantur, aut nove explicantur. 349

Gabr. Vallii libri ſingulares ad l. Gallus 29. D. de Lib. & poſtum. 397

l. unic. C. de Sentent. quae pro eo quod &c. 419

l. In Quartam 91. D. ad L. Falcid. 437

l. Filium quem 24. C. Famil. herciſc. 453

Petri Avellani aliquot loci bonorum Auctorum reſtituti, vel aliter, quam vulgo fere intelligantur, explicati. 457

Nicolai Catharini Obſervationum & Conjecturarum liber. 481

Joann. Stekii Obſervationes Anticriticae Juris: ſeu vindicationes legum a corruptelis Criticorum & Neotericorum interpretum. 501

Detl. Langebekii in leges aliquot perdifficiles, & nondum ſatis intellectas, novae Annotationes. 537

Petri Perrenonii Animadverſionum & Variarum Lectionum Juris Civilis libri duo. 589

Georg. Conr. Cruſii ex variis Obſervationibus, quae ad Jus Civile pertinent, Diatribe, de ſcriptura & ſententia l. Si paterſam. 40. D. de Hered. inſtit. 667

Diſſertatio ex Ulpiani lib. IV. ad Edictum, de Pactis & Conventionibus. 671 g

Lud. Charondae Πιθανῶν, ſeu Veriſimilium libri tres. In quibus multa Juris Civilis loca docte explicantur &c. 675

Ad tit. D. de Verbor. Obligat. Scholia. 809

de Juriſdictione & Imperio libellus. 839

Marquardi Freheri Parergorum, ſeu Veriſimilium libri duo: In quis varia Juris Civilis loca nove explicantur, emendantur, illuſtrantur &c. 853

* Henr. Analverus.
J. van Alphen
* Andreæ & Hort.
- - - Idem 3. Exempl.
Ph. Argelati. 13.
Dirck Reinder L. B. à Baſſenn.
Tiberius Beeltſnyder Matroos.
Cyprianus Berger.
J. van Braam.
Juſtinus de Beyer.
Hermannus Berckhout.
Beſſeling.
Chriſtian Bongart.
Caſpar Burman.
Arm. de la Chapelle.
* Z. Chatelain.
- - - idem. 5.
L. Ciccarelli. 13.
Aarnout van Citters.
Clivoi. 2.
J. Bert. Cramer. 3.
A. D.
S. Diederik L. B. de Danckelman.
P. Daums.
T. van Deſſel. 2.
Juſt. Chriſt. Dithmarus.
H. Jo. van Duſſeldorp.
Jan van Dyck.
Philippus Reinhardus L. B. ab Edelsheim.
Wolffg. Moritz Endter her. 2.
Ennen
C. G. Le Febvre. 2.
Vidua Felginer. 2.
* Caſparus Fritſch.
- - - idem. 6.
G. de Gaſt. 5.
* P. Goſſe. 2.
- - - idem. 25.
Joannes de Graaf.
Groningana Bibliotheca.
Gymnaſii Halenſis Bibliotheca.
Theod. Haak. 13.
N. V. H.
Cornelius van Haelten.
Henr. Hakvoort.
Haſenbard.
J. van Hattum.
Johan Heudendaal.
Ant. van der Heim.
H. van Hockke.
S. Hoolwerf. 2
Adriaan van der Hoop.
L. B. de Horſt.
Van Hove. 2.
F. G. Houck.
P. Humbert. 2.
Pet. Huſſon.
Herm. Jaeger. 5.
F. H. Indervelden.
Cornelius Kaiſer.
J. van Kerckhem.
Jo. Ch. Kilner. 2.
De Leeuw van Koolwyk.
Krackenberg.
Ch. Krebbs.
Michiel van Leeuwen.
Gerard van Langen.
Diderick van Lockhorſt.
Joannes van Loon.
Claudius Lormier.
Stephanus Lucas.
Sam. Luchtmans. 6.
* Thomas Ludwig.
J. C. Martini. 4.
* F. O. Mencke.
Henrik Meulenvelt.
Ad. Moedtjens. 7.
G. A. Mornini, 13.
P. Mortier. 5.
Iſaacq Munnicks
Lambertus van Neck.
Wynart van Nieuſtadt.
Netsler.
Jac. van Ooſterwyk.
* Orphanotrophium Halenſe.
- - - idem. 12.
* Franciſcus Conſtantinus de Pielat de Bechevel &c,
R. W. D. Pillera.
Wilh. Fred. Piſtorius.
F. J. van der Plaats. 3.
Ad. Guſt. van der Pool.
Pet Poeraat.
A. Pronck.
G. C. Qualenbrinck.
J. M. Buſſy de Rabutin.
Jacob. Henrik. Comes de Rechteren.
Willem Hendrik van Ree.
David Reguleth.
* B. Rembowski.
J. Fred. Reitzius.
J de Roy.
C. J. van Royen.
Corn. van Ryckevorſel.
Petr. Ev. Sabé.
Adriaan van Santheuvel
H. du Sauzet.
Erneſt Schadé van Weſtrum.
Diderik Schagen.
D. Tuyll van Serouskerken Toparcha in Zuylen.
M. L. Singendonk, Toparcha in Dieden.
Everard Storm.
* Henr. Strik.
- - - idem. 12.
J. Fred. Teekman.
J. M. Teubner. 26.
Ch. Thoelden.
Herm. Uitwerf. 2.
Jacobus Vechhoven.
P. Bruno Verſchuur.
Hermanus van Vianen.
* Hendrik Vieroot.
Meynart van Visvliet.
Janſonius Waesbergen. 13.
Joannes Wagens. 10.
Dominicus van der Ween. 13.
* R. & J. Wetſtein & G. Smith.
- - - Iidem. 15.
G. Wicherts.
Jac. Wils.
Joannes van Wyck.
Zimmerman. 2.

D E

Digitized by Google

DE NOMINIBUS PROPRIIS

ΤΟΥ ΠΑΝΔΕΚΤΟΥ

FLORENTINI,

CUM

ANTONII AUGUSTINI,

EPISCOPI TARRACONENSIS,

NOTIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

propriis, e manibus elabitur meis. Horum autem nominum cognitio, ut non potiſſima pars ſit Juris prudentiae; habet tamen praeclaram diſquiſitionem, ſine qua paene pueri eſſe videamur. Nam, ut alia omittamus, quae multa ſunt non indigna cognitione, quantis in tenebris verſantur, qui Imperatorum, aut Juriſconſultorum nomina, ac tempora perturbant? cum enim hos habeamus legum, atque librorum noſtrorum architectos; cumque & ipſi permulti fuerint, & variis temporibus varia conſcripſerint, atque ſaepe contraria ediderint jura: qui eorum ſucceſſionem, ac tempora ignoraverit, nae ille fuerit multarum, maximarumque rerum ignarus. Huc accedit, quod cum, ante annos quinque & triginta, de Florentini voluminis laudibus ageremus, magnam futuram utilitatem praediximus, ſi inſcriptiones ſingulorum capitum ab aliis, tam Graecis, quam Latinis omiſſas haberemus. Quod ipſum editis Pandectis magno auxilio multis fuiſſe, niſi res eſſet notiſſima, citare teſtes poſſem locupletiſſimos. Nunc vero multo diligentius, quam ab eo, qui magna cum laude id coepit; quid ſinguli Juriſconſulti ſcripſerint, quibuſve in locis eorum mentio in Digeſtis fiat, accipies. Ut ſi tibi aliquis locus difficultatem creaverit; facile poſſis omnia ejuſdem libri capita, omneſque ejuſdem Juriſconſulti libros legere, aut alia aliorum quaerere ejuſdem argumenti. Temporum vero a nobis habita eſt ſemper ratio, quod ab aliis neglectum fuiſſe miramur: ut omittamus quam multa fuerint, & nomina, & perſonae, & libri, aut praeterita, aut immutata. Jam vero in Imperatorum nominibus & conſtitutionibus nihil praetermiſimus, quo juvare Lectorem poſſe crederemus. Addidimus Legum, & Senatusconſultorum, & aliarum rerum nomina, quibus magna pars noſtri juris continetur: quamquam hic tantum collegimus, quae in Digeſtis ſuo nomine appellantur. Utinam autem nobis per tempora licuiſſet, veterum Legum, ac Senatuſconſultorum verbis ipſis omnibus frui; totaſque vel Duodecim tabulas, vel ceteras leges Julias, Cornelias, Pompejas, atque alias innumeras ediſcere; ſine quibus mirandum eſt, aliquem progredi aliquid poſſe, in juris civilis Romanorum cognitione! Nunc perinde, atque illi, qui urbis Romae parietinas mirantur, & cadaveribus illis,

a *De Arte Poëtica verſ.* 21. 22.

mur. Sed quando non licuit post tot [illegible]
ipſa ne nobis fruſtra relicta ſint, curandum eſt. Habet igitur in hac quoque parte Lector auxilium hujus libelli, quo poſſit quid in Pandectis reliquum ſit, ex veteri illa juris ſcientia Legum atque Senatusconſultorum, animadvertere. Poſt haec ſequitur aliorum nominum, atque hominum cognitio, tam qui referuntur a noſtris, ſive Poëtae, ſive Oratores, ſive Philoſophi utriuſque linguae peritiſſimi; quam qui variis temporibus fuerunt cives Romani, aut provinciales, item liberi, aut ſervi, tum etiam matronae, aut ancillae, aut aliae quaecumque perſonae. In his operae pretium eſt, non ſolum temporum hiſtoriam noſſe, ab initiis Romanae urbis ad Alexandrum Imperatorem, ſub quo diſcipuli Aemilii Papiniani fuerunt, qui primas partes in hoc certamine agunt; ſed etiam uno in loco Legiſlatorum, & Philoſophorum ſententias, quaſi faſciculo quodam comprehenſas edimus, quas nae in veterum quidem Graecorum libris curioſus Lector inveniet. Fuerunt enim noſtri, quod ſaepius dicendum eſt propter invidorum calumnias, fuerunt non juris ſolum periti, ſed ex omnibus diſciplinis optima quaeque hauſerunt, & ex Philoſophis, Stoicis praeſertim, quos conſtat & in dialecticis, & in morum diſciplina excelluiſſe. Horum libros, mirum non eſt, nos non intelligere, qui non ita parati ad eorum librorum lectionem accedimus. Cetera, quae vel ad ficta perſonarum, vel ad vera nomina provinciarum, urbium, locorum, aliarumve rerum pertinent, quam utilitatem habeant, non perſequor. Major autem eſt; quam quae prima fronte cuiquam in mentem veniat. De ea dicendi locus eſt, cum primum aliorum verborum Τοῦ Πανδέκτου indices edemus. Tantum huic Praefationi duo capita addimus, quorum altero de numerorum ratione, qua ſemper utimur, altero de hac Τοῦ Πανδέκτου Florentini appellatione agemus. Aliis de rebus in notis ſcripſimus.

NUMERORUM EXPLICATIO.

Etſi Florentinum exemplar numeros tantum habet librorum, & titulorum: non male tamen ab aliis additi numeri ſunt ſingulis capitibus, & capitum aliquot ſententiis, ſive partibus, exemplo Graecorum ſcholae, apud quos frequens uſus eſt eorum numerorum. Eas capitum partes illi θήματα ſive θεμάτια ſolent appellare. Id in libris Leonis Imperatoris Baſilicorum cognoſci poteſt, & in aliis conciliorum Photii, & Theodori Balſamonis, & Joannis Zonarae. Eos igitur imitati ſumus, & ſecuti diviſionem, & numeros Florentinae editionis, primo numero libros, altero titulos, tertio capita, quarto themata ſignificamus. Excipe libros tres de legatis, qui ſingulis titulis conſtant, XXX. XXXI. *&* XXXII. *In his primo numero liber, altero caput, tertio thema ſignificatur. Exemplis res erit*

Digitized by Google

2. 1: 3. *liber* 41. *ſignificatur*, *titulus* 2. *caput* 1. & 3.

DE PANDECTARUM NOMINE ET GENERE.

Neminem eſſe arbitror, qui non ſe recte loqui putet, cum Florentinas Pandectas, aut Piſanas vocat: ſic enim exiſtimant Juſtinianum uſum fuiſſe, cum Digeſtorum ſive Pandectarum libros ediderit: ſic etiam Ulpiani, & Modeſtini libri Pandectarum appellantur. ex quibus ſumuntur quaedam in Digeſtis. Hic denique uſus receptus eſt jam inde ab Angelo Politiano, Gul. Budaeo, Andr. Alciato & Gregorio Haloandro, quos ego conniventibus oculis, ut ajunt, ſum ſecutus, & qui poſtea ſcripſerunt. Nunc vero cum alium fuiſſe Veterum uſum animadvertam, non recte dici contendo: ſed veluti Caeneum, aut Tyreſiam, ut eſt in fabulis; aut eos, de quibus Plinius, aliique tradunt, marem eſſe Pandecten, feminam antea creditum oſtendere conabor. Et quia uſus Veterum teſtibus probandus eſt: Graecos primum profero, Clementem Alexandrinum & Syneſium, doctiſſimos viros.

Clemens lib. 1. Stromat. Δωρόθεός τε ἐν τῷ πρώτῳ πανδέκτῃ, Ἀλκυόνος καὶ Κορώνης ἐπακούσας τὸν Μόψον ἱστορεῖ. *Syneſius* epiſt. CI. Πυλαιμένει, *cujus initium* Φυλάττοντος ἐπιστολὴν δὲ ἐξ εὐθείας πρὸς αὐτὸν ἐπιθεῖναι; καί τοι προθυμηθεὶς ἀνάγκην τα; ἵνα μὴ εὐθύνας ὑπόσχω τοῖς πανδέκταις, τοῖς ἀποσμιλεύουσι τὰ ὀνόματα. οὐ γὰρ μικρὸς ὁ κίνδυνος ἐν τῷ πανελληνίῳ τὴν ἐπιστολὴν ἀναγνωσθῆναι. *Syneſii verba refert Suidas ejus nomine omiſſo, in voce* ἀποσμιλεύουσι, *& in voce* πανδέκται.

Tertius accedat teſtis Antiochus Laurenſis monachus, qui librum τὸν πανδέκτην τῆς θεοπνεύστου γραφῆς *inſcripſit, &* homilia LXVI. *eadem voce utitur, ut refert Godifridus Tilmannus Cartuſienſis interpres, qui ſolus noſtris temporibus recte hac voce uſus eſt: eumque librum inſcripſit Pandectes.*

Quarto loco teſtes cito Stoicos Philoſophos apud Cariſium Soſipatrum lib. II. Inſtitution. Grammatic. *ejus verba ſunt haec:*

Qui eam orationis partem adverbii totam eſſe voluerunt: quorum ſi quis defenſionem ineat, tamen quod idcirco πανδέκτης a Stoicis ea pars orationis habeatur; eodem illo ſummoveri ſe poſſe reſpiciet, unde confidit: nam cum πανδέκτης jure dicatur, cur non alligat conſortium ſui? *Et poſtea:* Abſurdum utique, nec ſocium iſti πανδέκτῃ, dignumque quod interjectionis propria vis, & poteſtas adgnoſcat. *Et mox:* Cum abverbium Stoici, ut alias diximus, Pandecten vocent; nam omnia in ſe capit, quaſi collata per ſaturam, conceſſa ſibi rerum varia poteſtate.

Apud eundem Cariſium, eodem libro, *referuntur quaedam ex Tironis Tullii, Marci Ciceronis liberti*, libro *his verbis:*

Noviſſime Tiro in Pandecte non recte ait dici, adjicitque quod ſua coeperit aetate id adverbium. *De hoc Tironis libro Gellius* lib. XIII. cap. IX. Noctium Attic.

Tullius Tiro M. Ciceronis alumnus, & libertus, adjutorque in litteris ſtudiorum ejus fuit. Is libros complures de uſu, atque ratione linguae Latinae, item de variis, atque promiſcuis quaeſtionibus compoſuit. In his eſſe praecipui videntur, quos Graeco titulo πανδέκτας libros inſcripſit, tamquam omne rerum, atque doctrinarum genus continentes. *Et poſt alia:* Haec quidem Tiro in Pandectis.

Idem Gellius lib. XX. extremo: Sunt etiam, qui Pandectas inſcripſerunt.

C. Plinius in praefatione naturalis hiſtoriae:

Jam Muſae, πανδέκται, ἐγχειρίδιον, λειμῶν, πινακίδιον, inſcriptiones, propter quas vadimonium deſeri poſſit.

Caelius Apicius librum quartum de re culinaria *ita inſcripſit,* πανδέκτης*: non, ut in editis libris eſt,* πανδέκτης.

Aurelius Caſſiodorus lib. I. de inſtitutionib. divinar. litterar. cap. XV.

Quod ſi tamen aliqua verba reperiuntur abſurde poſita, aut ex his codicibus, quod beatus Hieronymus in editione LXX. interpretum emendavit, vel quos ipſe ex Hebraeo tranſtulit; intrepide corrigenda ſunt, aut, ſicut beatus Auguſtinus ait, recurratur ad Graecum Pandecten, qui omnem legem divinam dignoſcitur habere collectam. *Auguſtini verba nondum inveni, ſed pro his Graeca exemplaria uſurpat* libro ſecundo de doctrina Chriſtiana.

Beda de temporum ratione cap. LXV. Abbas meus Ceolfridus miſit eccleſiae ſancti Petri Pandectam, a beato Hieronymo in Latinum ex Hebraeo, vel Graeco fonte tranſlatum.

Credo me his teſtibus probaſſe Veterum uſum fuiſſe, non τὴν πανδέκτην, *ſed* τὸν πανδέκτην

[illegible] nomen fuit [illegible] & Hygin[illegible]
mus huic monſtro, & adhibitis obſtetricibus marem, non feminam eſſe cognoſcamus. In ipſo Florentino volumine haec leguntur ante Indicem Juriſconſultorum:

ΕΞ ΟΣΩΝ ΑΡΧΑΙΩΝ ΚΑΙ ΤΩΝ ΥΠ' ΑΥΤΩΝ ΓΕΝΟΜΕΝΩΝ ΒΙΒΛΙΩΝ ΣΥΓΚΕΙΤΑΙ ΤΟ ΠΑΡΟΝ ΤΩΝ ΔΙΓΕΣΤΩΝ ΗΤΟΙ ΤΟΥ ΠΑΝΔΕΚΤΟΥ ΤΟΥ ΕΥΣΕΒΕΣΤΑΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΙΟΥΣΤΙΝΙΑΝΟΥ ΣΥΝΤΑΓΜΑ.

Vides hoc loco diſerte ΤΟΥ ΠΑΝΔΕΚΤΟΥ *ſcriptum eſſe. Sic etiam poſtea in Ulpiani libris* ΠΑΝΔΕΚΤΟΥ ΒΙΒΛΙΑ ΔΕΚΑ. *& in Modeſtini* ΠΑΝΔΕΚΤΟΥ ΒΙΒΛΙΑ ΔΕΚΑ ΔΥΟ.

Accedit locuples teſtis Theophilus, unus ex Pandectarum architectis; ejus verba ſunt lib. IV. tit. VI. Inſtitution.

Ὥσπερ ἐκ τῶν πλατυτέρων βιβλίων τῶν διγέστων ἤτοι τοῦ πανδέκτου ἔξεστι λαβεῖν. *Et* titulo XIII. ταύτας δὲ τελειότερον μαθησόμεθα ἐκ τῶν διγέστων ἤτοι τοῦ πανδέκτου. *Et* titulo XIX. ἡ γὰρ ἐπιμελεστέρα τούτων γνῶσις ἐκ τῆς πλατυτέρας τῶν διγέστων ἤτοι τοῦ πανδέκτου διδασκαλίας τοῖς ἀναγινώσκουσι προσγενήσεται.

Mich. Pſellus in ſynopſi, *ſive* Antiochus Balſamon:

Τὸ μὲν καλοῦσι δίγεστα	Παντοδαπῶν χωρίων,
Ἑλληνικῶς πανδέκτης:	Καὶ πλεῖστοι ἀνεγράψαντο
Ὅτι καὶ νόμων πέφυκε	Τοὺς νόμους τοῦ πανδέκτου.

Neque illud moveat quemquam, quod in Juſtiniani conſtitutionibus legatur plurium numero Pandectae, Pandectarum, Pandectis, Pandectas: neque enim id facit, ut feminas exiſtimemus, cum etiam poëtas, & prophetas, & proxenetas, atque alios eadem ratione dicamus, ut poppas, ſcribas, laniſtas, & evangeliſtas, & ceteros. Et idem Juſtinianus, in Graeca conſtitutione, quae ante Digeſta poſita eſt, ita ſcribit:

Ὅπερ βιβλίον Digeſta εἴτε πανδέκτην προσηγορεύσαμεν. ἐκ τε τοῦ τῶν νόμων ἔχειν διαιρέσεις τε καὶ διατυπώσεις: ἔκ τε τοῦ τὸ πᾶν εἰς ἓν ἀθροισθὲν ὑποδέξασθαι.

Id in Latina conſtitutione ita ſcriptum eſt: Nomenque libris impoſuimus Digeſtorum, ſeu Pandectarum: quia omnes diſputationes, & deciſiones in ſe habent legitimas, & quod undique fuit collectum, hoc in ſinus receperunt.

Conſtantinus Harmenopulus lib, I. tit. I. Prochiri:

Ἃ καὶ δίγεστα ἤτοι πανδέκτην, ὡς πάντων δεκτικὰ τῶν νόμων ἐκάλεσεν. *Eiſdem verbis utitur Joſephus* littera N. cap. IV.

Mich. Attaliota in prologo Prochiri:

Ἐν πεντήκοντα βιβλίοις ἀνήγαγε, δίγεστα ταῦτα καλέσας, ἤτοι πανδέκτην.

Matthaeus Blaſtares monachus in prologo canonum:

Δίγεστα τούτοις ἤτοι πανδέκτην ὄνομα θέμενος, ὡς ἐκ πολλῶν δηλαδὴ συλλεγέντα.

CONSPECTUS CAPITUM
DE NOMINIBUS PROPRIIS
Τοῦ Πανδέκτου Florentini.

I. Nomina Juriſconſultorum, tam ex quorum ſcriptis conſtant Pandectae, quam eorum, qui referuntur in eiſdem.

II. Nomina Regum & Conſulum Romanorum in Pandectis conſcripta.

III. Nomina Imperatorum, a C. Julio Caeſare ad M. Aurelium Alexandrum, in eiſdem libris relata.

IV. Nomina Legum, Senatusconſultorum, Edictorum, Interdictorum, Decretorum, Actionum, quae a propriis nominibus deducuntur, aut aliam habent inſignem appellationem.

V. Nomina propria certarum perſonarum, praeter ſupra ſcripta; ex quibus partim ſunt Scriptorum Veterum, tam Graecorum, quam Latinorum; partim Deorum, atque Heroum; partim Romanorum, atque Provincialium, ſive aliorum; ex quibus ſervi a liberis, viri a mulieribus diſtinguuntur.

VI. Nomina ficta, tam Romanorum civium, quam ſervorum, ab Jureconſultis uſurpata, quorum pars ad viros, pars ad feminas pertinet.

VII. Nomina Provinciarum, Urbium, Montium, Fluminum, Oppidorum, Gentium, Familiarum, Praediorum, & aliarum rerum ſimili ratione aut dicta, aut deducta.

IIX. Alia nomina ex ſupraſcriptis deducta, quae non facile poſſunt ſuperioribus conjungi.

D b

Digitized by Google

CAPUT I.

De Nominibus Juriſconſultorum.

JURISCONSULTI, *quorum verba in Pandectis ſunt, in quattuor claſſes diſtingui poſſunt.*

Primae claſſis ſunt, qui ante Maſurium Sabinum, qui primus jus reſpondendi a Tib. Caeſare impetravit, fuerunt.

Secundae, qui a Sabino ad Salvium Julianum, qui ex auctoritate Hadriani Imp. Edictum perpetuum conſcripſit.

Tertiae claſſis, qui a Juliano ad Papinianum fuerunt.

Quartae claſſis Aemilius Papinianus, & qui magna ex parte ejus diſcipuli fuerunt, qui a Septimii Severi ad Gordiani tempora vixerunt.

PRIMAE CLASSIS.

1. *Quintus Mucius Scaevola, quem veteres Quinctum Moucium P. F. Scaevolam Pont. Max. dixerunt.*
2. *Aelius Gallus a N. Varrone laudatus.*
3. *Alfenus Varus Servii Sulpicii Rufi diſcipulus.*
4. *Q. Antiſtius Labeo C. Trebatii Teſtae diſcipulus.*

[a] Q. MUCIUS SCAEVOLA.

Quintus Mucius Scaevola libro ſingulari ὅρων 41. 1. 64: 50. 16. 241: 50. 17. 73.

Scaevola libro ſingulari ὅρων 43. 20. 8.

[b] QUINTU MUCIU SCAEVOLU ὅρων βιβλίον ἕν.

Πιθανῶν ad Quintum Mucium Lectionum τεσσάρακοντα ὄντα. (Index)

a. Sciendum eſt duos fuiſſe eodem praenomine Mucios Scaevolas, alterum Q. F. Augurem, & hunc alterum P. F. Pont. Max. quem ſolum laudat Pomponius, eumque ait primum Jus Civile conſtituiſſe libris XIIX. & multos auditores habuiſſe, quorum princeps eſt C. Aquillius Gallus, Servii Sulpicii praeceptor. Hunc nos quoque ſolum poſuimus. Fieri tamen poteſt, ut quaedam ex his ad Augurem pertineant. Utriuſque mentionem facit Cicero in libris *de amicitia*, & *in Bruto*, & in libris *de Oratore*. Scaevolae plures fuerunt, ex eadem Muciorum gente, Juriſconſulti, unus Cervidius Papiniani, ut ſuſpicor, praeceptor, & Severi Imp.

b. QUINTU MUCIU &c.] Errata ſcriptoris Pandectarum tum alibi, tum in his, quae ex Indice referimus, expreſſimus. Id in ſingulis repetitum cenſeatur.

[c] *De libris* XIIX. *Juris civilis Q. Mucii.*

[d] Ulpian. 33. 9. 3. Quintus Mucius ſcribit libro ſecundo Juris civilis, penu legata contineri &c.

Idem 34. 2. 27. Quintus Mucius libro ſecundo Juris civilis ita definit, argentum factum vas argenteum videri eſſe.

Idem 32. 55. Quintus Mucius libro ſecundo refert, ſi cui ligna &c.

Paul. 17. 2. 30. Mucius libro quarto decimo ſcribit non poſſe &c.

[e] *De notis Servii ad Q. Mucium.*

Paul. 17. 2. 30. Servius in notatis Mucii ait, nec poſſe &c.

Labeo 32. 29. 1. Quintus Mucius, & Gallus putabant maximam &c. Servius, Ofilius minimam.

Ulp. 33. 9. 3. 3. quos Quintus Mucius ſic definiebat, ut eorum &c. Sed materiam praebuit Servio notandi, ut textorum &c.

Javolen. 40. 7. 39. eum autem ſtatuliberum eſſe Quintus Mucius, Gallus, & ipſe Labeo putant. Servius, Ofilius non eſſe.

Paul. 50. 16. 25. 1. Quintus Mucius ait, partis appellatione rem pro indiviſo ſignificari &c. Servius non ineleganter &c.

De libris Pomponii, & Modeſtini ad Quintum Mucium, vide in eorum nominibus.

Q. MUCIUS SCAEVOLA.

Pompon. 1. 2. 2. 21. Poſt hos Quintus Mucius Publii filius Pontifex Maximus Jus Civile primus conſtituit, generatim in libros decem & octo redigendo. Mucii auditores fuerunt complures; ſed praecipuae auctoritatis Aquilius Gallus &c. [f] Ibid. 22. ad conſulendum Quintum Mucium de re amici ſui perveniſſe. cumque eum ſibi reſpondiſſe de jure Servius parum intellexiſſet, iterum Quintum interrogaſſe, & a Quinto Mucio reſponſum eſſe, nec tamen percepiſſe: & ita objurgatum eſſe a Quinto Mucio. namque cum dixiſſe, turpe eſſe patricio & nobili, & cauſas oranti, jus, in quo verſaretur, ignorare.

Ulp. 7. 8. 4. 1. Mulieri &c. cum marito habitare Quintus Mucius primus admiſit.

8. 2. 7. Pomponius libro viceſimo ſexto ad Quintum Mucium. Quod autem &c. Mucius ait: & recte &c.

8. 3.

c. De libris XIIX. *Juris Civilis*] Hoc ſumpſimus ex Pomponii verbis 1. 2. 2. 21. Item Gellius refert quaedam ſumpta ex libro ſexto decimo Juris Civilis, *lib.* 7. *c.* 15. *Noct. Attic.*

d. Ulpian. 33. 9. 3.] Viden. Gellius *lib.* 4. *c.* 1.

e. De Notis Servii] Idem Gellius *d. c.* 1. mentionem facit Servii Sulpicii, in reprehenſis Scaevolae capitibus. Vide Ulp. 33. 9. 3. Sed & Laelius Felix ad Q. Mucium ſcripſit, ut refert Gellius *lib.* 15. *c.* 27.

f. Ibid. 22. *ad conſulendum Quintum*] Haec ut parum certa notamus in Servio.

Digitized by Google

9. 2. 39. Pomponius libro ſeptimodecimo ad Quintum Mucium. Quintus Mucius ſcribit, equa cum in alieno &c. Pomponius: quamvis alienum &c.

Ulp. 13. 6. 5. 3. & ideo verior eſt Quinti Mucii ſententia exiſtimantis & culpam &c.

Celſ. 17. 1. 48. Quintus Mucius Scaevola ait; Si quis &c. Ibid. hoc bene cenſuit Scaevola: parum &c.

Ulp. 17. 2. 11. Et ita de hereditate, legato, donatione Quintus Mucius ſcribit.

Paul. 17. 2. 30. Mucius libro quartodecimo ſcribit, non poſſe &c. Ibid. Servius *in notatis Mucii ait, nec poſſe &c.

Celſ. 18. 1. 59. verum eſt, quod Quinto Mucio placebat, non liberum &c.

18. 1. 66. Pomponius libro trigenſimo primo ad Quintum Mucium. In vendendo &c. 18. 1. 66. 2. Quintus Mucius ſcribit: qui ſcriBſit &c.

Ulp. 18. 2. 13. Celſus quoque libro octavo Digeſtorum refert, Mucium, Brutum, Labeonem &c.

19. 1. 40. Pomponius libro trigeſimo primo ad Quintum Mucium. Quintus Mucius ſcribit, dominum &c. Pomponius: arborum &c.

Venulej. 21. 2 75. Quintus Mucius & Sabinus exiſtimant, Venditorem &c. Ibid. & vera eſt Quinti Mucl ſententia, ut qui &c.

Ulp. 26. 1. 3. quae ſententia Quinti quoque Mucii fuit, & a Juliano probatur.

Ulp. 28. 5. 35. 3. ut eſt apud Mucium relatum, cum fundus &c. Ibid. non pertinere ad fundi legatum Mucius ait.

Labeo 32. 29. 1. Quintus Mucius, & Gallus putabant maximam &c. Servius, Ofilius minimam.

Ulp. 32. 55. & Quintus Mucius libro ſecundo refert; ſi cui ligna &c.

33. 1. 7. Pomponius libro octavo ad Quintum Mucium. Quintus Mucius ait: ſi quis &c. Pomponius: in teſtamentis &c. Ibid. Itaque haec Quinti Mucii ſcriptura &c.

Julian. 33. 5. 9. 1. puto Mucianae ſententiae adſentiendum; qua placet &c.

Ulp. 33. 9. 3. & Quintus Mucius ſcribit libro ſecundo Juris Civilis, penu legata contineri &c. Ibid. 33. 9. 3. 3. quos Quintus Mucius ſic definiebat, ut eorum &c. ſed materiam praebuit Servio notandi, ut textorum &c. Ibid. ſed Mucius eos voluit ſignificare &c. Ibid. 5. Ligna &c. et Quintus Mucius, & Ofilius negaverunt: non magis &c.

34. 2. 10. Pomponius libro quinto ad Quintum Mucium. Quintus Mucius ait, ſi paterfamilias &c. Pomponius: ſed hoc verum eſt &c. Ibid. ſed quod Quintus Mucius demonſtrat &c. Ibid. tunc aeque erit vera Quinti Mucl ſententia.

Ulp. 34. 2. 19. 3. Argento facto legato, Quintus Mucius ait vaſa argentea contineri.

Ulp. 34. 2. 27. Quintus Mucius libro ſecundo Juris Civilis ita definit, argentum factum vas argenteum videri eſſe.

34. 2. 33. Pomponius libro quarto ad Quintum Mucium. Inter veſtem &c. nam & [a] Quintus * Titius ait, ſcire ſe quendam &c.

34. 2. 34. Idem libro nono ad Quintum Mucium Scribit Quintus Mucius: ſi aurum &c. Pomponius: hoc ex parte verum eſt &c. Ibid. 34. 2. 34. 1. Item ſcribit Quintus Mucius, ſi maritus &c. Ibid. tunc rectiſſime ſcribit Quintus Mucius, ut haec ſcriptura &c.

a. *Quintus * Titius*] Aut vox Titius tollenda eſt, aut pro ea Mucius ſcribendum. Vide inita in SEXTUM POMPONIUM, *ex Libro Quarto*.

Mucius ait [illegible]

Pompon. 40. 4. 61. nec Mucianae cautioni locum eſſe.

40. 7. 29. Pomponius libro octavodecimo ad Quintum Mucium Statuliberi &c. Ibid. 40. 7. 29. 1. Quintus Mucius ſcribit, paterfamilias &c. Ibid. Labeo hoc, quod Quintus Mucius ſcribit, ita putat verum eſſe &c.

Javolen. 40. 7. 39. eum autem ſtatuliberum eſſe Quintus Mucius, Gallus, & ipſe Labeo putant. Servius, Ofilius non eſſe.

Paul. 40. 12. 23. ſervum effici eum dicebat Quintus Mucius. Idem 41. 2. 3. 16. Quod autem Quintus Mucius inter genera poſſeſſionum poſuit.

Ulp. 43. 24. 1. 2. Vi factum videri Quintus Mucius ſcripſit &c. Ibid. & mihi videtur plena eſſe Quinti Mucii definitio. Idem 43. 24. 5. 5. ait Mucius, ita eſſe, quod tu &c. Ibid. heredes eorum, quos enumerat Mucius &c.

Papinian. 45. 1. 115. Mucius etenim heredem &c. teneri ſcripſit.

47. 2. 76. Idem (Pomponius) libro trigenſimo octavo ad Quintum Mucium. Qui re &c. Ibid. 47. 2. 76. 1. Si quis &c. haec Quintus Mucius refert, & vera ſunt &c.

Modeſtin. 49. 15. 4. inter Brutum, & Scaevolam varie tractatum eſt.

50. 7. 17. Pomponius libro trigenſimo ſeptimo ad Quintum Mucium. Si quis legatum &c. Ibid. Quintus Mucius dedi hoſtibus, quorum erant legati, ſolitus eſt reſpondere.

Paul. 50. 16. 25. 1. Quintus Mucins ait, partis appellatione rem pro in diviſo ſignificari &c. Servius non ineleganter &c.

Celſ. 50. 16. 98. 1. extremoque dici menſis Februarii adtribuit Quintus Mucius.

Mucianus Muciana Mucianum.

Julian. 33. 5. 9. 1. puto Mucianae ſententiae adſentiendum, qua placet &c.

Ulpian. 35. 1. 7. Mucianae cautionis utilitas conſiſtit in condicionibus &c.

Gajus 18. ei ſcilicet cavere debet Muciana cautione

Pompon. 40. 4. 61. nec Mucianae cautioni locum eſſe.

Cetera vide verbo [b] Muciana cautio.

[Praeter ea, quae in Digeſtis de Q. Mucio dicuntur, addimus.

Ex *lib.* 3. *Inſtitut. tit.* 26. *de Societate.* vide 17. 2. 30.
Ex *Novella* 22. *cap.* 43.
Ex Cicerone *lib.* 3. *de Officiis*, & *lib.* 2. *de Legib.* & *in Topicis.*
Ex M. Varrone *lib.* 4. & *lib.* 5. *de Ling. Lat.*
Ex Gellio *lib.* 3. *c.* 2. & *lib.* 4. *c.* 1. & *lib.* 5. *c.* 19. & *lib.* 7. *c.* 15. & *lib.* 17. *c.* 17.
Ex Macrobio *lib.* 1. *Saturnal. c.* 16.]

2. [c] AELIUS GALLUS.

Aelius Gallus libro primo de Verborum, quae ad jus pertinent, ſignificatione 50. 16. 157.

Ga-

b. *Muciana cautio*] Quaere *cap.* 4. *in fine.*

c. AELIUS GALLUS] Hunc ſuſpicor C. Aelium Gallum dictum. Namque invenio Caecilium Gallum appellari a Gellio *lib.* 16. *c.* 5. & a Macrobio *lib.* 6. *Saturnal. c.* 8. Ambo referunt quaedam de ſignificatione verborum, quae ad Jus Civile pertinent. Saepius Aelius Gallus dicitur a Varrone, & Feſto. Hujus nullam rationem habuit Pomponius.

Digitized by Google

quae ad jus pertinent, Feſtus v rbo *Poſtliminium*, & ex *libro* 2. verbo *Reus*, & *Saltum*, & *Torrens*.

Ex A. Gellio *lib.* 10. *c* 21. & *lib.* 16 *c* 5.

Alterius Aelii Galli mentionem facit Strabo *lib.* 2. & Plin. *lib.* 6. *c.* 28. & Dion. *lib* 53. Hic Praefectus Aegypti fuit, & primus in Arabiam Felicem exercitum duxit]

3. a ALFENUS VARUS.

Α'λφήνου b Digeſton Βιβλία τεσσαράκοντα (Index)

Ex libro primo.

Javolen. 28. 1. 25. Varus Digeſtorum libro primo Servium reſpondiſſe ſcripſit &c. Labeo tum hoc verum eſſe exiſtimat &c.

Alfenus Varus libro primo Digeſtorum a Paulo epitomatorum 41. 3. 34.

Alphenus libro primo Epitomarum 48. 22. 3.

Paulus libro primo Epitomarum Alfeni Digeſtorum 8. 4. 15.

Ex libro ſecundo.

Alfenus libro ſecundo Digeſtorum 8. 5. 17: 1. 5: 9. 2. 52: 15. 3. 16: 19. 2. 27

Alphenus libro ſecundo Digeſtorum 44. 7. 20.

Alfenus Varus libro ſecundo Digeſtorum 10. 3. 26: 11. 3. 16: 18 6. 11: 19. 1. 26: 39. 2. 43: 44. 1. 14: 50. 16. 202.

Alfenus libro ſecundo Digeſtorum a Paulo epitomatorum 21. 2. 44: 30. 106: 32. 60: 33. 7. 16.

Alphenus libro ſecundo Digeſtorum a Paulo epitomatorum 28. 5. 45.

Alfenus Varus libro ſecundo Digeſtorum a Paulo epitomatorum 33. 1. 22: 33. 2. 12: 33. 8. 15: 46. 3. 35.

Paulus libro ſecundo Epitomatorum Alfeni Digeſtorum 7. 1. [illegible].

Paulus libro ſecundo Epitomarum Alfeni Digeſtorum 8. 2. 16: 8. 3. 29: 35. 1. 28.

a. ALFENUS VARUS] Varie ſcriptum eſt in Pand. Florent. hoc nomen Alfenus, & Alphenus Hunc fuiſſe Sexti praenomen exiſtimant, quod Sextus Alfenus dicatur P. Quinctii procurator, *in oratione* Ciceronis *Quinctiana*. Sed ille Servii diſcipulus eſſe non potuit, utpote qui narretur occiſus, dum Marianas partes ſequeretur. P. Alfenus P. F. Varus Conſul fuit cum P. Vinucio, anno Chriſti tertio, urbis Romae 754. ex Dione *lib.* 55. & Paterculo Hunc eundem ſutorem Cremonenſem, & poſtea Servii Sulpicii diſcipulum, & Conſularem appellant Acron & Porphyrio poſt Horat. *lib.* 1. *Sat.* 3. & hunc ipſum Varum Conſulem fuiſſe Pomponius quoque teſtatur. Notandum eſt, quod a Graecis Scriptoribus accepimus, omnia Alfeni ſcripta ſumpta eſſe a praeceptore Servio Sulpicio Rufo; quem Juriſconſultorum Principem Cicero *in Bruto* appellat. ſic 9. 1. 5. ad Servium referunt Graeci *lib.* 60 *Baſil. tit* 2 *c* 4. & 40. 7. 14 *Digeſt.* Leo *lib.* 48. *tit.* 5. *c* 14. *Baſil.* ut etiam Africanus Juliani praeceptoris ſententias in libris Quaeſtionum perſequitur. Quae de Alfeno Papiniani diſcipulo dicuntur, falſa eſſe exiſtimamus; licet Lampridius *in Alexand* id ſcribat, cujus liber mendoſus eſt.

b. DIGESTON] Hujus libri mentionem facit Gellius *lib.* 6. *c.* 5. his verbis; *Alfenus Jureconſultus, Servii Sulpicii diſcipulus, rerumque antiquarum non incurioſus, in libro Digeſtorum* XXXIV. *Conlectaneorum autem ſecundo.*

Paulus libro tertio Epitomarum Alfeni 19. 1. 27.

Ex libro quarto

Alphenus Varus libro quarto Digeſtorum 40. 1. 6.

Alfenus Varus libro quarto Digeſtorum 40. 7. 14.

Alfenus libro quarto Digeſtorum a Paulo epitomatorum 21. 2. 45: 39. 3. 24.

Alfenus Varus libro quarto Digeſtorum a Paulo epitomatorum 41. 1. 38.

Alphenus libro quarto Digeſtorum a Paulo epitomatorum 47. 2. 57.

Paulus libro quarto Epitomarum Alfeni Digeſtorum 8. 3. 30.

Paulus libro quarto Epitomarum Alfeni 10. 4. 19: 50. 16. 205.

Paulus libro quarto Epitomarum Alfeni * Digeſtorum * 18. 1. 40.

Ex libro quinto.

Alfenus libro quinto Digeſtorum 4. 6. 42.

Alphenus libro quinto Digeſtorum 28. 5. 44.

Alfenus Varus libro quinto Digeſtorum 33. 8. 14: 38. 8. 2: 35. 1. 27.

Alfenus Varus libro quinto Digeſtorum a Paulo epitomatorum 19. 1. 31.

Paulus libro quinto Epitomarum Alfeni Digeſtorum 8. 2. 33: 12 6 36.

Paulus libro quinto Epitomarum Alpheni Vari Digeſtorum 13. 7. 30.

Ex libro ſexto.

Alfenus libro ſexto Digeſtorum. 5. 1. 76: 6. 1. 57.

Alfenus Varus libro ſexto Digeſtorum a Paulo epitomatorum 42. 1. 62.

Ex libro ſeptimo.

Alfenus libro ſeptimo Digeſtorum 4. 8. 50: 19. 2. 29.

Alfenus Varus libro ſeptimo Digeſtorum 34. 2. 28: 38. 1. 26: 39. 4. 15: 50 16. 203.

Alphenus Varus libro ſeptimo Digeſtorum 40. 1. 7.

Ex libro octavo.

Alfenus libro octavo Digeſtorum a Paulo epitomatorum 32. 61.

Alfenus Varus libro octavo Digeſtorum a Paulo epitomatorum 33. 2. 40.

Ex libro trigenſimo nono.

Paul. 3. 5. 21. nam & Servius reſpondit, ut eſt relatum apud Alfenum libro trigenſimo nono Digeſtorum, cum a Luſitanis &c.

ALFENUS VARUS.

Modeſtinus libro quarto Regularum 4.8.48:20;5.8:22.1.40:22.2.3:22.3.24.

Ex libro quinto.

Modeſtinus libro quinto Regularum 1.18.18:2.14.34:18.1.62:20.1.24:41.3.18:44.7.54:48.18.13:49.14.8.

Ex libro ſexto.

Modeſtinus libro ſexto Regularum 1.9.3:4.8.38:37.14.8:38.8.7:40.1.17:40.8.2:46.6.7:48.8.11:50.6.4.

Ex libro ſeptimo.

Modeſtinus libro ſeptimo Regularum 1.5.21:24.1.27:40.11.5:41.1.52:45.3.35:50.5.14:50.7.15:50.16.102.

Ex libro octavo.

Modeſtinus libro octavo Regularum 20.1.25:20.5.6:22.5.2:29.5.17:38.17.3:45.1.100:46.3.75:47.21.1:48.5.35:48.7.6:48.8.12:48.10.27:48.18.14:48.19.23:49.1.17:49.3.3:50.7.16:50.8.8:50.16.103:50.17.196.

Ex libro nono:

Modeſtinus libro nono Regularum 4.6.32:7.1.52:10.3.17:28.1.28:28.7.25:29.1.32:29.5.18:31.9:32:32.82:34.2.9:34.3.19:34.9.8:35.2.58:37.14.9:38.17.4:40.5.13:40.7.26.

Ex libro primo Differentiarum.

Modeſtinus libro primo Differentiarum 1.7.46:13.7.38:28.6.3:40.5.11:48.19.22.

Ex libro ſecundo.

Modeſtinus libro ſecundo Differentiarum 16.3.23:42.1.20.

Ex libro tertio.

Modeſtinus libro tertio Differentiarum 7.4.21.
Modeſtinus libro (tertio) Differentiarum 12.2.32.

Ex libro quarto.

Modeſtinus libro quarto Differentiarum 23.1.14:26.4.4:50.1.32:50.12.9.

Ex libro quinto.

Modeſtinus libro quinto Differentiarum 35.1.51:50.4.10.

Ex

a. Adde ex variis Auctorib. de Limitib. *tit. finium regund.* Modeſtinus lib. 1. & 10. Pandectar. vide 10.1.7.

b. Adde ex *fragm. Pith. poſt tit.* 16. ex hoc libro tit. de bonis libertor. & de teſtamentis

c. Adde ex *fragm. Pith. tit.* 10. *de Depoſito.* ex hoc lib. tit. de Depoſito, vel commodato, vide 16.3.23.

Ex libro ſeptimo.

Modeſtinus libro ſeptimo Differentiarum 20. 1. 22: 26. 2. 4: 26. 5. 20: 26. 6. 1: 35. 1. 52: 38. 4. 8: 50. 17. 195.

Ex libro octavo.

Modeſtinus libro octavo Differentiarum 4. 5. 10: 6. 1. 32: 21. 1. 62: 34. 4. 18: 39. 5. 22.

Ex libro nono.

Modeſtinus libro nono Differentiarum 7. 1. 51: 8. 3. 12: 22. 1. 39: 32. 81: 40. 7. 25: 50. 16. 101.

Ex libro ſingulari de Differentia dotis.

Modeſtinus libro ſingulari de Differentia dotis 23. 3. 13.

Ex libro primo Excuſationum.

Modeſtinus libro primo Excuſationum 26. 5. 21: 26. 6. 2: 26. 7. 31.

27. 1. 1. Ἑρέννιος Μοδεστῖνος Ἰγνατίῳ Δέξτρῳ. Συγγράψας &c. 50. 1. 35.

Ex libro ſecundo.

Modeſtinus libro ſecundo Excuſationum 1. 4. 4: 27. 1. 2: 4: 6: 50. 16. 104.

Ex libro tertio.

Modeſtinus libro tertio Excuſationum 27. 1. 8: 10: 12.

Ex libro quarto.

Modeſtinus libro quarto Excuſationum 27. 1. 13.

Ex libro quinto.

Modeſtinus libro quinto Excuſationum 26. 5. 22: 27. 1. 14.

Ex libro ſexto.

Modeſtinus libro ſexto Excuſationum 19. 2. 49: 26. 3. 1: 27. 1. 15.

Ex libro primo de Poenis.

Modeſtinus libro primo de Poenis 2. 4. 25: 40. 12. 21: 48. 10. 32: 48. 19. 30.

Ex libro ſecundo.

Modeſtinus libro ſecundo de Poenis 39. 4. 6: 48. 2. 20: 48. 7. 8: 48. 13. 13: 48. 14. 1: 49. 14. 17.

Ex libro tertio.

Modeſtinus libro tertio de Poenis 47. 20. 4: 48. 1. 12: 48. 8. 16: 48. 10. 33: 48. 18. 16: 48. 19. 31.

Ex libro quarto.

Herennius Modeſtinus libro quarto de Poenis 48. 3. 14.

Modeſtinus libro quarto de Poenis 49. 16. 3.

Ex libro quarto de Praeſcriptionibus.

Modeſtinus libro quarto de Praeſcriptionibus 45. 1. 101.

Modeſtinus libro ſingulari de [illegible]to 5. 2. 9.

Ex libro ſingulari de Manumiſſionibus.

Modeſtinus libro ſingulari de Manumiſſionibus 25. 3. 6: 37. 14. 7: 38. 2. 33: 40. 4. 43: 40. 5. 12: 50. 1. 33.

Ex libro ſingulari de Eurematicis.

Modeſtinus libro ſingulari de Eurematicis 3. 3. 65: 16. 1. 25: 23. 3. 63: 24. 3. 58: 26. 10. 9: 28. 6. 4: 29. 2. 50: 33. 2. 19: 36. 1. 45.

Modeſtinus libro ſingulari de EYrematicis 35. 1. 53.

Ex libro ſingulari de Enucleatis caſibus.

Modeſtinus libro ſingulari de Enucleatis caſibus 4. 6. 33: 23. 1. 15: 40. 9. 20: 48. 10. 29: 49. 1. 19.

Ex libro ſingulari de Ritu nuptiarum.

Modeſtinus libro ſingulari de Ritu nuptiarum 23. 2. 42: 50. 17. 197.

[b] *Ex libro quartodecimo ad Quintum Mucium.*

Modeſtinus libro quartodecimo ad Quintum Mucium 41. 1. 53.

Ex libro trigenſimo primo.

Modeſtinus libro trigenſimo primo ad Quintum Mucium 41. 1. 54.

Ex incertis libris.

Ulp. 47. 2. 52. 14. quod & Herennio Modeſtino ſtudioſo meo de Dalmatia conſulenti reſcripſi.

Arcad. Char. 50. 4. 18. 3. ut Herennius Modeſtinus & notando, & diſputando bene, & optima ratione decrevit.

[Praeter ea, quae in Digeſtis Modeſtini ſunt, adde

Ex *conſt.* Gordiani 5. *Ad exhibendum actione. Cod. ad exhibend.* & *conſt.* Juſtiniani 36. *Scimus antea. Cod. in inoff. teſtam.*

Confirmantur Modeſtini ſcripta Conſtitutione Theodoſii & Valent. *lib. 1. tit. 4. Cod. Theod.* Fuit autem Ulpiani diſcipulus, ut conſtat 42. 2. 52. 14. & Papiniani, ut ait Lampridius *in Alexandro cap.* 68.

16. [c] TARRUNTENUS PATERNUS.

Ταῤῥουντήνου Πατέρνου Militarion Βιβλία τέσσαρα. (Index)

Ex libro primo de Re militari.

Tarruntenus Paternus libro primo Militarium 50. 6. 6.

Ex libro ſecundo.

Tarruntenus Paternus libro ſecundo de Re militari 49. 16. 7.

Ex incertis.

Macer 49. 16. 12. 1. Paternus quoque ſcripſit debere &c.

17. a FU-

a. Adde ex *fragm. Pith. tit. 1. de Sicariis*, ex hoc libro tit. de ſcientib. & ignorantib. ſive de Sicariis.

b. Quae ex libris ad Q. Mucium Modeſtini eſſe dicuntur, ego Pomponii eſſe ſuſpicor.

c. TARRUNTENUS PATERNUS] Apud Fl. Vegetium *lib. 1. c. 8.* invenio Paternum ſcripſiſſe de jure militari. Quo autem vixerit tempore, nobis incertum eſt.

Μαξίμε ad Legem Falcidiam. (Index)

Ex libro ſingulari ad Legem Falcidiam.

Rutilius Maximus libro ſingulari ad Legem Falcidiam 30.125.

19. AURELIUS ARCADIUS CARISIUS.

Α'ρκαδίε de Teſtibus Βιβλίον ἕν.
De Officio Praefecti Praetorio Βιβλίον ἕν.
De Muneribus Civilibus Βιβλίον ἕν.
(Index)

Ex libro ſingulari de Teſtibus.

Arcadius qui & [b] Chariſius libro ſingulari de Teſtibus 22.5.1:21:25.

Arcadius *qui & *Chariſius libro ſingulari de Teſtibus 48.18.10.

Ex libro ſingulari de Officio Praefecti Praetorio.

Aurelius Arcadius Chariſius Magiſter libellorum libro ſingulari de Officio Praefecti Praetorio 1.11.1.

Ex libro ſingulari de Muneribus civilibus.

Arcadius Chariſius libro ſingulari de Muneribus civilibus 50.4.18.

CAP. I. PARS POSTERIOR.

De nominibus Juriſconſultorum, quorum mentionem faciunt ſupra ſcripti Juriſconſulti.

Hos in quattuor claſſes diviſimus.

Prima claſſis eſt eorum, qui a Pomponio enumerantur ante Q Mucium P.F. Scaevulam.
Secunda eorum, qui ab eodem enumerantur poſt Q. Mucium ante Maſurium Sabinum.
Tertia a Sabino ad Julianum.
Quarta praetermiſſorum a Pomponio, qui partim antiquiores Pomponio ſunt, partim ejuſdem, aut poſterioris temporis.

PRIMAE CLASSIS.

1. *Sextus Papirius, ſive Publius Papirius.*
2. *Appius Claudius Craſſinus Decemvir.*
3. *Appius Claudius Caecus.*
4. *CN. Flavius.*
5. *P. Sempronius Sophus.*
6. *C. Scipio Naſica, ſive P. Cornelius Scipio Naſica.*

17. *P. Rutilius Rufus.*
18. *Verginius Paullus.*
19. *Q. Aelius Tubero Stoicus.*
20. *Sex. Pompejus.*
21. *L. Coelius Antipater.*
22. *L. Licinius Craſſus Mucianus.*

1. [c] SEXTUS PAPIRIUS AUT PUBLIUS PAPIRIUS SIVE PAPISIUS.

Pompon. 1.2.2. tulerunt & ſequentes Reges, quae omnes conſcriptae extitant in libro Sexti Papirii, qui fuit illis temporibus, quibus [d] Superbus Demarati Corinthii filius, ex principalibus viris. Ibid. non quia Papirius de ſuo quicquam ibi adjecit. Ibid 1.2.2.18. Fuit autem in primis peritus Publius Papirius, qui leges Regias in unum contulit.

[e] JUS CIVILE PAPIRIANUM.

Pompon. 1.2.2. Is liber, ut diximus, appellatur Jus civile Papirianum, non quia Papirius de ſuo quicquam ibi adjecit: ſed quod leges ſine ordine latas in unum compoſuit. Ibid. 1.2.2.3. hic liber, qui actiones continet, appellatur Jus civile Flavianum, ſicut ille Jus civile Papirianum.

Paul. 50.16.144. Granius Flaccus in libro de Jure Papiriano ſcribit, pellicem &c.

2. APPIUS CLAUDIUS [f] AP. F. M. N. CRASSINUS.

Pompon. 1.2.2.18. ab hoc Appius Claudius unus ex Decemviris, cujus maximum conſilium in Duodecim Tabulis ſcribendis fuit.

Idem 1.2.2.13. qui cum animadvertiſſet Appium Claudium contra jus, quod ipſe ex vetere jure in Duodecim tabulas tranſtulerat, vindicias filiae ſuae a ſe abdixiſſe, & ſecundum eum, qui in ſervitutem ab eo ſuppoſitus petierat, dixiſſe; captumque amore virginis omne fas, ac nefas miſcuiſſe &c.

3. APPIUS CLAUDIUS [g] C. F. AP. N. CAECUS.

Pompon. 1.2.2.18. Poſt hunc Appius Claudius ejuſdem generis maximam ſcientiam habuit. [h] Hic Centemmanus appellatus eſt, Appiam viam ſtravit, &

a. *FURIUS ANTHIANUS*] Hujus quoque nobis tempora ignota ſunt, ut etiam proximi Rutilii Maximi. librum de figuris ex Gorgia ſcripſit P. Rutilius Lupus, cujus Fabius Quinctilianus facit mentionem, *lib.* 9. *cap* 2. & 3.

b. *Chariſius*] Sic ſemper eſt in Digeſtis. Mihi magis placet vetus ſcriptura nummorum CARISIUS. Sic etiam carus & caritas ſcribendum. Non hic eſt Flavius Soſipater Cariſius Grammaticus, cujus extant ſcripta non indocta.

c. *SEXTUS PAPIRIUS &c.*] Mira inconſtantia Digeſtorum Florentinorum eſt, ut idem vir Sextus, & Publius dicatur. Papiſium autem dictum fuiſſe, apparet ex *epiſt.* 21. *lib.* 9. *Ciceronis ad Paetum*, in qua tempus fuiſſe docet, quo Papiſii appellari deſierint. Idem elicitur ex his, quae de Fuſiis, & Valeſiis Pomponius ſcribit 1.2.2.18.

d. *Superbus Demarati Corinthii filius*] Vox filius multis ſuſpecta videtur: nam Superbus non filius, ſed nepos, aut pronepos Demarati fuit: quod ſi Priſcum pro Superbo ſcribimus, tunc Papiſius non omnes leges Regias collegerit. Antiquarii Damarati ſcribunt pro Demarati. Sic fama Latinis dicta eſt pro Φημή.

e. *JUS CIVILE PAPIRIANUM*] Apud Macrobium *lib.* 3. *Saturn. cap.* 11. In Papiriano jure relatum eſt de aris, & menſis.

f. *AP. F. M. N. CRASSINUS*] Haec ex faſtis Capitolinis addita ſunt.

g. *C. F. AP. N.*] Haec etiam ex faſtis Capitolinis addidimus.

h. *Hic Centemmanus appellatus eſt*] Caecus malo, quam Centemmanus.

ſiis Furiis.

Pompon. 1. 2. 2. 3. Poſtea, cum Appius Claudius propoſuiſſet, & ad formam redegiſſet has actiones: Gnaeus Flavius ſcriba ejus, libertini filius ſubreptum librum populo tradidit.

Ulp. 3. 1. 1. 4. Appius denique Claudius caecus conſiliis publicis intererat, & in ſenatu ſeveriſſimam dixit ſententiam de Purrhi captivis.

[De Appii Claudii Caeci ſcriptis praeter relata ex Digeſtis, adde

De oratione habita in Senatu adverſus Pyrrhum Regem, Cicero *in Bruto*, *c.* 14. eam Ennius verſibus comprehendit, Cicero *de Seneƈt. c.* 6.

Carmina ſive ſententiae a Panaetio laudatae ſententiis Pythagoreorum ſimiles, Cicero *lib.* 4. *c.* 2. *Tuſcul.* Salluſt. *in fragm. Hiſtoric.* Feſtus verbo *Stuprum*. Priſcianus *lib.* 8.

Solutam orationem hunc primum exercuiſſe, ait Iſidorus *lib.* 1. *c.* 37. *Etymol.*]

4. CNAEUS FLAVIUS.

Pompon. 1. 2. 2. 3. Poſtea, cum Appius Claudius propoſuiſſet, & ad formam redegiſſet has actiones; Gnaeus Flavius ſcriba ejus, libertini filius [f] ſubreptum librum populo tradidit; & adeo gratum fuit id munus populo, ut Tribunus plebis fieret, & Senator, & Aedilis Curulis. Hic liber, qui actiones continet, appellatur jus civile Flavianum, ſicut ille jus civile Papirianum: nam nec Gnaeus Flavius de ſuo quicquam adjecit libro.

JUS CIVILE FLAVIANUM.

Pompon. 1. 2. 2. 3. Hic liber, qui actiones continet, appellatur Jus civile Flavianum, ſicut ille Jus civile Papirianum.

5. P. SENPRONIUS [g] P. F. C. N. SOPHUS.

Pompon. 1. 2. 2. 18. Fuit poſt eos maximae ſcientiae Sempronius, [h] quem populus Romanus Σοφὸν appellavit: [i] nec quiſquam ante hunc, aut poſt hunc hoc nomine cognominatus eſt.

7. QUINCTUS MUCIUS.

Pompon 1. 2. 2. 18. [o] Deinde Quintus Mucius, qui ad Carthaginienſes miſſus legatus, cum eſſent duae teſſerae poſitae, una pacis, altera belli &c.

8. TI. CORUNCANIUS [p] TI. F. TI. N.

Pompon. 1. 2. 2. 18. Et quidem ex omnibus, qui ſcientiam nancti ſunt, ante Tiberium Coruncanium publice profeſſum neminem traditur.

Idem ibid. [q] Poſt hos fuit Tiberius Coruncanius, ut dixi, qui primus profiteri coepit, cujus tamen ſcriptum nullum exſtat, ſed reſponſa complura, & memorabilia ejus fuerunt.

9. SEXTUS AELIUS [r] Q. F. P. N. PAETUS CATUS.

Pompon. 1. 2. 2. 3. non poſt multum temporis ſpatium Sextus Aelius [ſ] alias actiones compoſuit. Ibid. 19. Deinde Sextus Aelius, & frater ejus Publius Aelius, & Publius Atilius maximam ſcientiam in profitendo habuerunt, ut duo Aelii etiam Conſules fuerint. Ibid. Sextum Aelium etiam [t] Ennius laudavit. & exſtat illius liber, qui inſcribitur [u] Tripertita: qui liber veluti cunabula juris continet. Ibid. Ejuſdem eſſe tres alii libri referuntur.

Celſus 19. 1. 38. 1. Si per emptorem &c. poſſe ſervari, Sextus Aelius, Druſus dixerunt.

JUS AELIANUM.

Pompon. 1. 2. 2. 3. Sextus Aelius alias actiones compoſuit: & librum populo dedit, qui appellatur Jus Aelianum.

[Praeter ea, quae in Digeſtis ſunt Sexti Aelii, adde

Ex *conſt.* 1. *Cod. de comm. ſervo manum.* Aliis eſt Sext. Caecilius.

Ex

a. Traditum eſt, primum de Uſurpationibus] Scribo traditum eſt primum, (&) De Uſurpationibus: ſive eDe pro, et de; quod non eſt alienum ab uſu Scriptoris Florentini libri.

b. Idem Appius &c. R. litteram invenit.] Ergo ante hunc nec Roma, nec Romulus, nec Remus, nec populus Romanus dicebantur: quae nemo umquam putavit. At ſi dicas, hunc primum Valerios, & Furios dixiſſe, minus ineptum ſit. Apud Ciceronem invenio L. Papiſium L. F. M. N. Craſſum primum Papirium vocatum. Praetor is fuit & Dictator anno Urbis 413. quadriennio poſt Conſul; Cenſor anno 435. At Appius Cenſor fuit ann. 441. Conſul quinquennio poſt.

c. Qui videtur ab hoc proceſſiſſe] De alio Appio Claudio loqui videtur, qui ab hoc Caeco proceſſerit: ſed contraria eſt vox Idem, pro qua ſcribi poſſet IDem pro Item. Aliis placet vocem *uſu* addere ante vocem *qui*, eſtque ei locus propter vocem *Claudius* proximam non ineptus. Scribi enim poſſet *ClaudiUſu, qui* &c. Sed malo dicere mihi omnia diſplicere, & Pomponii verba eſſe mendoſa.

d. Ut pro Valeſii Valerii eſſent] Pro Valeſiis, malo.

e. Et pro Fuſiis Furiis] malo Furii.

f. Subreptum librum populo tradidit.] CN. Flavius protulit faſtos, cum dies agendi peterentur a paucis, Cicero *pro Murena, c.* 11. & *lib.* 6. *ad Attic. ep.* 1. & *lib.* 1. *de Oratore c.* 41. *Civile jus repoſitum in penetralibus Pontificum evulgavit, faſtoſque circa forum in albo propoſuit, ut quando lege agi poſſet, ſciretur.* Livius *lib.* 9. *cap.* 4. Adde A. Gellium *lib.* 6. *c.* 9.

g. P. F. C. N. SOPHUS] Haec ex Faſtis addita ſunt.

h. Quem populus Romanus Σοφὸν appellavit] immo Sophum.

i. Nec quiſquam ante hunc, aut poſt hunc.] Antiquiores fuerunt ſeptem Sapientes, & qui ante Pythagoram fuerunt Philoſophi: hic enim primus Philoſophum ſe eſſe dixit. Poſt hunc P. Sempronius P. F. P. N. Sophus fuit, Cenſor in Faſtis Capitolinis ann. 501. hunc ſuperioris filium fuiſſe credamus.

k CAJUS SCIPIO NASICA] Erratum eſt in Pandectis Florentinis; hic enim Naſica Publius dictus eſt in omni veterum memoria, ut omnes fere Naſicae.

l. P. CORNELIUS CN. F. L. N. NASICA] Sic etiam eſt in Faſtis Capitolinis. Erat autem hic frater patruelis P. Scipionis Africani.

m. Qui optimus a Senatu &c] Mihi magis placet hujus viri optimi filium Publium Naſicam Juriſconſultum fuiſſe, cognomento Corculum, propter ſapientiam dictum.

n. Cui etiam publice domus &c.] Duobus Valeriis, Maximo, & Publicolae id conceſſum fuiſſe, docet Aſconius, *in Orat. de domo Ciceronis.*

o. Deinde Quintus Mucius] Hunc omnes Scriptores Quintum Fabium appellant: fuit autem antiquior Naſica optimo viro, ſed poſterior Tiberio Coruncanio, de quo mox dicendum eſt.

p. TI. F. TI. N.] Haec ex faſtis Verrii Flacci addita ſunt. Laudatur a Cicerone in *lib. de Seneƈt. c.* 6. & *lib.* 2. *c.* 21. *de Legib.* & *lib.* 3. *c.* 2. *de natura Deor.* ut Juriſconſultus, & Pontifex.

q. Poſt hos fuit &c.] Immo ante hos duos Q. Fabium, & P. Naſicam.

r. Q. F. P. N. PAETUS CATUS] Haec tum ex Ennii carmine, tum ex Faſtis Capitolinis adjecta ſunt.

ſ. Alias actiones compoſuit.] Legis actiones appellantur ab eodem Pomponio 1. 2. 2. 19.

t. Ennius.] His verbis apud Ciceronem *lib.* 1. *de Oratore c.* 48. & *lib.* 1. *Tuſcul. Quaeſt. c.* 9. & Varron. *lib.* 6 *de ling. Lat.* & Non. Marcell.

Egregie cordatus homo Catus Aelius Sextus.

u. Tripertita] *Tripertita autem dicitur, quoniam lege duodecim Tabularum praepoſita, jungitur interpretatio, dein ſubtexitur legis actio,* Pomponius *l.* 2. *§.* 38. *D. de orig. jur.*

Digitized by Google

tum Conſules fuerint.

11. PUBLIUS ATILIUS.

Pompon. 1. 2. 2. 19. Deinde Sextus Aelius, & frater ejus Publius Aelius, & Publius Atilius maximam ſcientiam in profitendo habuerunt: ut duo Aelii etiam Conſules fuerint. *a* Atilius autem primus a populo Sapiens appellatus eſt.

12. MARCUS PORCIUS *b* M. F. CATO.

13. M. PORCIUS *c* M. F. M. N. CATO.

Pompon. 1. 2. 2. 19. *d* Hos ſectatus ad aliquid eſt Cato. Deinde Marcus Cato princeps Porciae familiae, cujus & libri exſtant: ſed plurimi filii ejus, *e* ex quibus ceteri oriuntur.

Ulp. 21. 1. 10. 1. Catonem quoque ſcribere lego, cui digitus &c.

Paul. 24. 3 44. de dote acturam Nerva, & Cato reſponderunt: ut eſt relatum apud Sextum Pomponium.

Ulp. 34. 7. 4. Placet Catonis regulam ad condicionales inſtitutiones non pertinere.

Paul. 45. 1. 4. 1. Cato libro quintodecimo ſcribit, poena &c.

Celſ. 50. 16. 98. 1. Cato putat menſem intercalarem additicium eſſe.

REGULA CATONIANA.

Lib. 34. *tit.* 7. *De regula Catoniana.*

Celſus 34. 7. 1. Catoniana regula ſic definit.

a. Atilius autem primus a populo Sapiens appellatus eſt] Contraria ſententia videtur ſuperiori de P. Sempronio, quem populus Romanus Σοφὸν appellavit: nec quisquam ante hunc, aut poſt hunc hoc nomine cognominatus eſt; ſed ille Sophus dictus, hic Sapiens. At Cicero in *Laelio c.* 2. *Tribuebatur hoc modo M. Catoni: Scimus L. Acilium apud patres noſtros appellatum eſſe Sapientem; ſed uterque alio quodam modo: Acilius, quia prudens eſſe in jure civili putabatur; Cato quia multarum rerum uſum habebat.* Vides hic L. Acilium dici Sapientem, & juris peritum; licet ne ſuſpicari eundem hunc P. Atilium eſſe? quem igitur ſequemur? Sed & idem Cicero *lib* 2. *c.* 23. *de Legib. Duodecim,* inquit, *Tabularum veteres interpretes Sext. Aelius, L. Acilius &c.* Alius autem eſt A. Atilius Calatinus, de quo idem Cicero *lib.* 2. *c.* 35. *de finib.* & in *Catone majore, c.* 17. *Plurimae conſentiunt gentes populi primarium fuiſſe virum.*

b. M. F. CATO] Ex Faſtis Capitolinis.

c. M. F. M. N. CATO] Ex A. Gellio *lib.* 13. *cap.* 19.

d. Hos ſectatus ad aliquid eſt Cato] De quo Catone loquatur, divinare nequeo. Unde mihi ita ſcribendum videtur: *ad aliquid eſt — Cato. Deinde*] *Marcus Cato &c.* aut pro voce *Deinde,* ſcribe, *Hic eſt ille.*

e. Ex quibus ceteri oriuntur] Cur haec verba poſita ſint, ignoro: nam ad libros referre ineptum eſt; ad homines ſupervacaneum. Cato autem Cenſorius duos filios habuit, alterum Praetorem deſignatum extulit, alterum ex alia uxore ſenex ſuſcepit Salonianum cognomento. Ambo Marci Porcii Catones dicti ſunt. Sed ille major natu egregios de juris diſciplina libros reliquit, ut Gellius ait, *lib.* 13. *c.* 18. Hujus ea omnia eſſe puto, quae in *Digeſtis* Catonis nomine referuntur, & *lib.* 1. *Inſt. de Adoption.* Pater autem, ut juris civilis peritiſſimus, laudatur a M. Fab. Quinctiliano *lib.* 12. *c.* 3. Catonis reſponſorum mentio fit a Cicerone *lib.* 2. *c.* 3 *de Orat.* Cato in commentariis juris civilis refertur a Feſto verbo *Mundus,* Catonianae ſententiae mentio fit a Maeciano 35. 1. 86. 1.

volumina ſcripta Manilii monumenta. illi duo Conſulares fuerunt, Brutus Praetorius, Publius autem Mucius etiam Pontifex Maximus. Ibid. etiam *g* Lucius Craſſus frater Publii Mucii qui Mucianus dictus eſt. Ibid. 21. Poſt hos Quintus Mucius Publii filius Pontifex Maximus.

Javolen. 24. 3. 66. praeſtare oportere Servius ait, ea ſententia Publii Mucii eſt. nam is in *h* Licinnia Gracchi uxore ſtatuit &c.

Pompon 50. 7. 17. in qua ſententia videtur Publius Mucius fuiſſe.

[Praeter ea, quae in Digeſtis ſunt P. Mucii, adde

Ex Cicerone *in Orat. de domo c.* 34. & *lib.* 2. *c.* 22. *de Legib.* & *lib.* 1. *c.* 3. *de finib.* & in *Topic. c* 8.

Ex *lib.* 2. *c.* 13. *ad Herennium,* qui Cornificii eſſe putatur.

Ex Gellio *lib.* 17. *c.* 7.

Vidend. Cicero *lib.* 2. *de natur. deor.* & *lib.* 2. *c.* 13. *de Offic.* & *lib.* 2. *c.* 16 *de finib* & *lib.* 1. *c.* 50. *de Orat.* & *lib.* 2. *Acad.* & *in Bruto c.* 26.]

15. MARCUS JUNIUS BRUTUS.

Pompon. 1. 2. 2. 20. Poſt hos fuerunt Publius Mucius, & Brutus, & Manilius, qui fundaverunt jus civile. ex his Publius Mucius etiam decem libellos reliquit, *i* Brutus ſeptem. Ibid. illi duo Conſulares fuerunt, Brutus Praetorius.

Pompon. 1. 2. 2. 22. Nam ante eum Servius duos libros ad Brutum perquam breviſſimos Ad Edictum ſubſcriptos reliquit.

Ulp. 7. 1. 68. Sed Bruti ſententia optinuit fructuarium &c. *k*

Ulp 9. 2. 27. 14. Si mulier &c. Brutus ait Aquiliâ teneri.

Ulp. 14. 3. 5. nam & Servius libro primo ad Brutum ait, ſi quid &c.

Ulp. 18. 2. 13. Celſus quoque libro octavo Digeſtorum refert, Mucium, Brutum, Labeonem &c.

Paul 41. 2. 3. 2. Ceterum quod Brutus, & Manilius putant eum, qui &c.

Modeſtin. 49. 15. 4 inter Brutum, & Scaevolam varie tractatum eſt.

[Prae-

f. P. F. Q. N. SCAEVULA] Haec ex Faſtis Capitolinis ſumpta ſunt.

g. Lucius Craſſus] Erratum eſſe ſuſpicor a Pomponio: & *Publius* pro *Lucius* ſcribi debuiſſe, ut poſtea dicemus

h. Licinnia Gracchi uxore] C. Gracchi uxor fuit Licinia P. Licinii Craſſi Muciani filia, ut ex Plutarcho conſtat. non recte autem Licinnia in Pandectis ſcribitur, ut Licinnius Rufinus, quod ſupra [*pag.* 189.] diximus. Hic vero P. Mucius, cujus Javolenus, & Servius mentionem faciunt, eſt, ut ſuſpicor, ſuperioris Publii Mucii filius; Publii vero Craſſi frater germanus.

i. Brutus ſeptem] Tres tantum fuiſſe veros M. Bruti libros de jure civili Cicero ſcribit *lib* 2. *de Orat c* 55. *libri primi initium fuit: Forte evenit, ut in Privernati eſſemus. lib. II. In Albano eramus ego, & Marcus filius. lib. III In Tiburte forte aſſedimus ego, & Marcus filius.* Eadem dicuntur in *Orat pro A. Cluentio c* 51. cum aliqua varietate. I. *Forte evenit, ut ruri in Privernate eſſemus ego, & Brutus filius.* In ſecundo non *Marcus,* ſed *Brutus* eſt. III. *In Tiburti forte cum aſſediſſemus.* Vidend. Quinctil *lib.* 6. *c.* 4. Reſponſa ſcripſit, ut refert Cicero *l* 2. *c.* 33 *de Orat.*

k. Adde Ciceronem *lib.* 2. *c.* 4. *de Finib.*

Digitized by Google

16. [a] MANIUS MANILIUS P. F. P. N.

Pompon. 1. 2. 2. 20. Poſt hos fuerunt Publius Mucius, & Brutus, & Manilius, qui fundaverunt jus civile. ex his Publius Mucius etiam decem libellos reliquit, Brutus ſeptem, Manilius tres, & exſtant volumina ſcripta [b] Manilii monumenta. illi duo Conſulares fuerunt, Brutus Praetorius.

Paul. 41. 2. 3. 2. Ceterum quod Brutus, & Manilius putant, eum qui &c.

[Praeter ſupra ſcripta Manilii, adde

Ex Cicerone *epiſt.* 22. ad Trebat. *lib.* 7. *Epiſt. Fam.* & *lib.* 1. *c.* 4. *de Finib.*
Ex Marco Varrone *lib.* 4. *&* 6. *de lingua Lat.*
Ex Gellio *lib.* 17. *cap.* 7.
Ex Arnobio *lib.* 3. *contra gentes.*
Vidend. Cicero *in Bruto c.* 15. & *lib.* 1. *c.* 48. & *lib.* 3. *c.* 33. *de Orat.* & *Paradox. ult.*]

17. [c] PUBLIUS RUTILIUS RUFUS.

Pompon. 1. 2. 2. 20. Ab his profecti ſunt Publius Rutilius Rufus, qui Romae Conſul, & Aſiae Proconſul fuit, Paulus Verginius &c.

Ulp. 7. 8. 10. 2. apud Veteres quaeſitum eſt. & Rutilius donec vivat, habitationem competere ait, quam ſententiam & Celſus probat.

Ulp. 33. 9. 3. 5. ſed Rutilius & ligna &c. contineri ait.

Ulp. 38. 2. 1. & quidem †prius† *primus* praetor Rutilius edixit, ſe amplius non daturum &c.

Ulp. 43. 27. 1. 1. & Rutilius ait a ſtirpe excindendam.

18 [d] VERGINIUS PAULLUS.

Pompon. 1. 2. 2. 20. Ab his profecti ſunt Publius Rutilius Rufus &c. Paulus Verginius, & Quintus Tubero &c.

19. [e] QUINCTUS AELIUS Q. F. P. N. PAETUS TUBERO.

Pompon. 1. 2. 2. 20. Ab his profecti ſunt Publius Rutilius Rufus &c. Paulus Verginius, & Quintus Tubero ille Stoicus [f] Panſae auditor, [g] qui & ipſe Conſul.

20. SEXTUS POMPEJUS [h] SEX. F. CN. N.

Pompon. 1. 2. 2. 20. Etiam Sextus Pompejus Gnaei Pompeji patruus fuit eodem tempore.

MUCIANUS.

Pompon. 1. 2. 2. 20. etiam [m] Lucius Craſſus frater Publii Mucii, [n] qui Mucianus dictus eſt. [o] hunc Cicero ait juriſconſultorum diſertiſſimum.

SECUNDA CLASSIS.

Hujus claſſis Juriſconſulti, quos Pomponius enumerat a Q. Mucio P. F. Scaevula, cujus ſcripta in Digeſtis exſtant, ad Maſurium Sabinum, principem Sabinianorum, ſive Caſſianorum.

1. *C. Aquillius Gallus.*
2. *Lucillius Balbus.*
3. *Sextus Papirius.*
4. *C. Juventius.*
5. *Servius Sulpicius Rufus.*
6. *C. Aulus Ofilius.*
7. *Titus Caeſius.*
8. *Aufidius Tucca.*
9. *Aufidius Namuſa.*
10. *Flavius Priſcus.*
11. *C. Atejus Pacuvius.*
12. *Antiſtius Labeo Pater.*
13. *Cinna.*
14. *Publicius Gellius.*
15. *Cornelius Maximus.*
16. *C. Trebatius Teſta.*
17. *Q. Mucius Voluſus.*
18. *Aulus Caſcellius.*
19. *Q. Aelius Tubero.*
20. *Atejus Capito.*

1. [a] CA-

a. *MANIUS MANILIUS P. F. P. N.*] Haec ex Faſtis ſumpſimus. Multi Marcum appellant.

b. *Manilii monumenta*] *Manilianas venalium vendendorum leges* vocat Cicero *lib.* 1. *c.* 58. *de Orat. Manilii actiones.* Varro *lib.* 2. *cap.* 5. *de re ruſtica.*

c. *P. RUTILIUS RUFUS*] De laudibus ejus, & de exilio multi multa, de ſcriptis Cicero *in Bruto*, *c.* 30.

d. *VERGINIUS PAULLUS*] Hujus viri hiſtoria mihi ignota eſt.

e. *QUINCTUS AELIUS Q. F. P. N. PAETUS TUBERO*] Parentum nomina ex Faſtis, cetera ex aliis ſumpſimus.

f. *Panſae auditor*] Panaetii auditor alii aptius, ex Cicerone *lib.* 3. *c.* 2. *de Offic.* & *lib.* 4. *c.* 17. *Tuſcul.* ut etiam P. Rutilium Panaetii auditorem vocat Cicero *in Bruto c.* 30. Et ſane multi Juriſconſulti Stoicorum diſciplinam adamarunt. Vidend. Athenaeus *lib.* 6 *c.* 8. & Gell. *lib.* 1. *c.* 22.

g. *Qui & ipſe Conſul.*] Hoc falſum eſſe apparet ex Cicerone in *Orat. pro Murena c.* 36. & *in Bruto c.* 30. & ex Valerio Max. *lib.* 7. *c.* 5. Pater autem ejus, L. Aemilii Paulli gener, Conſul fuit cum M. Junio Penno ann. 586.

h. *SEX. F. CN. N.*] Sic appellatur frater ejus a Verrio in Faſtis CN. Pompejus Strabo Magni pater. Hic etiam Sextus fuit Philoſophus Stoicus, ut ſuperiores Rutilius Rufus, & Q. Tubero, teſte Cicerone *in Bruto c.* 47. & *lib.* 1. *c.* 15. & *lib.* 3. *c.* 21. *de Oratore.*

i. *Coelius Antipater*] Sic eſt in Pandectis Florent. ſed poſtea Caelius Sabinus. Sic etiam C. Coelius Caldus non eſt ejuſdem gentis cum M. Caelio Rufo, ut in veteribus libris epiſtolarum Ciceronis ſcriptum eſt.

k. *Qui hiſtorias conſcripſit*] Hoc etiam Ciceronis auctoritate confirmatur, qui eum appellat ſcriptorem luculentum, & juris valde peritum, & multorum, ut L. Craſſi, magiſtrum. Vidend. Cicero *in Bruto c.* 26. & *lib.* 1. *c.* 2. *de Legib.* & *lib.* 2. *c.* 12. *de Orat.* & Patercul. *in fragment.*

l. *L. LICINIUS L. F. CRASSUS MUCIANUS*] Si de Oratore illo ſcriptum eſt, de quo Cicero in libris *de Oratore c.* 5. & *in Bruto c.* 38. falſum eſt, eum Mucianum dictum: ſi de Craſſo Muciano Pont. Max. qui ab Ariſtonico occiſus eſt, non L. Licinius L. F. ſed P. Licinius P. F. P. N. Craſſus Dives Mucianus, ſcribi debuit. Fuit autem hic P. Mucii filius, alterius P. Mucii, & Q. Mucii Pont. Max. frater germanus; adoptatus autem a P. Licinio P. F. Craſſo Divite ea cognomina accepit.

m. *Lucius Craſſus frater Publii Mucii*] Scribi debuit Publius, non Lucius. Duo autem Publii Mucii fuerunt, alterius filius fuit, alterius frater, ut diſerte Cicero *in Bruto cap.* 26. ſcribit.

n. *Qui Mucianus dictus eſt*] Munianus eſt in Archetypo Florent. quae vox ne fando quidem audita eſt umquam. Mucianum Craſſum Pont. Max. occiſum ab Ariſtonico aperte ſcribit Paterculus *lib.* 2. *c.* 4.

o. *Hunc Cicero ait Juriſconſultorum diſertiſſimum*] Cicero ſimilibus verbis utitur *in Bruto c.* 39. & *lib.* 1. *c.* 7. *de Orat.* dum Q. Mucium P. F. Pont. Max. laudat. Lucium vero Craſſum appellat eloquentium juris peritiſſimum: P. Craſſum valde probatum Oratorem & Juriſconſultum. At invenio P. Craſſum Mucianum quinque rebus excelluiſſe: *quod eſſet ditiſſimus, quod nobiliſſimus, quod eloquentiſſimus, quod juriſconſultiſſimus, quod Pontifex Max.* Haec Sempronius Aſellio apud A. Gell. *lib.* 1. *c.* 13.

me a Gallo Aquilio, qui fuit Cercinae.

Ulp. 8.5.6.2 & Gallus putat non poſſe &c. ſed evaluit Servl ſententia &c.

Idem 19.1.17.3. Gallus autem Aquilius, cujus Mela refert opinionem, recte ait &c.

Scaev. 28.2.29. Gallus ſic poſſe inſtitui poſtumos nepotes induxit &c. Ibid. 28.2.29.1. Idem credendum eſt Gallum exiſtimaſſe & de pronepote. Ibid. 7. quos ſupplendos in Galli AquilI ſententia diximus.

Licin. Rufin. 28.5.74. Si ita quis &c. idque auctoritate Galli Aquilii factum eſt.

African. 28.6.33.1. Si filius &c. ut Gallo Aquilio placuit &c.

Ulpian. 30.30. Item ſi legetur &c. extendi Gallus Aquilius, Ofilius, Trebatius reſponderunt.

Paul. 30.127. & optinuit Galli ſententia alienos &c.

Labeo 32.29.1. Quintus Mucius, & Gallus putabant maximam partem legatam eſſe &c. Servius, Ofilius minimam.

Paul. 34.2.32.1. aurea emblemata &c. deberi Gallus ait ſed Labeo improbat.

Javolen. 40.7.39. ſtatuliberum eſſe Quintus Mucius, Gallus, & ipſe Labeo putant, Servius, Ofilius non eſſe.

Ulpian. 43.24.7.4. Gallus enim dubitat, an effici oporteret &c. Servius autem ait &c.

Paul. 50.16.77. frumentum autem id eſſe, quod ariſta ſe teneat, recte Gallum definiſſe.

Florentin. 46.4.18. a Gallo Aquilio talis expoſita eſt. [c]

AQUILIANA STIPULATIO.

vide alibi.

[Praeter ea, quae Galli Aquilii in Digeſtis ſunt, adde

Ex Cicerone *in Topicis c.* 7. & *lib.* 3. *c.* 14. *de Offic.* & *lib.* 3. *c.* 30. *de nat. Deor.* ubi dicitur de dolo malo formulas ſcripſiſſe.

Ex Dionyſio Halic. *Hiſtor. lib.* 3. de ſumptibus cloacarum.

Ex Valerio Maximo *lib.* 8. *c.* 2.

Vidend. Cicero *in Bruto, c.* 42. & *in Orat. pro Quinctio, c.* 1. & *in Orat. pro Balbo, c.* 20. & *in Orat. pro A Cluent. c.* 53. & *pro Caecina, c.* 27 & *lib.* 1. *Epiſt.* 1. *ad Att.* & Plin *lib.* 17. *c.* 1. *nat. hiſt.*]

2. [d] LUCILLIUS BALBUS.

Pompon. 1.2.2.21. Mucii auditores fuerunt complures: ſed praecipuae auctoritatis Aquilius Gallus, Balbus LuciLius, Sextus Papirius. Ibid. 22. (Servius) plurimum eos, de quibus locuti ſumus, audiit; inplures: ſed praecipuae auctoritatis Aquilius Gallus, Balbus LuciLius, Sextus Papirius, Gajus Juventius.

5. SERVIUS SULPICIUS [e] Q. F. LEMONIA RUFUS.

Ex libro primo ad Brutum, ſive ad Edictum.

Ulpian. 14.3.5. nam & Servius libro primo ad Brutum ait, ſi quid &c.

Ex libro ſecundo.

Pompon. 1.2.2.22. Nam ante eum Servius duos libros ad Brutum perquam breviſſimos ad Edictum ſubſcriptos reliquit.

[f] *Ex libro de Dotibus.*

Nerat. 12.4.8 Quod Servius in libro de Dotibus ſcribit, ſi inter eas &c.

De notis Servii Sulpicii ad Q. Mucium; vide in eodem Mucio.

Ex Incertis.

Pompon. 1.2.2.21. Ex quibus Gallum maximae auctoritatis apud populum fuiſſe Servius dicit omnes tamen hi a Servio Sulpicio nominantur. Ibid. Sed Servius libro ſuos complevit, pro cujus ſcriptura ipſorum quoque memoria habetur. Ibid. 22. [g] Servius cum in cauſis orandis primum locum, aut pro certo poſt Marcum Tullium optineret, traditur ad conſulendum Quintum Mucium de re amici ſui perveniſſe. cumque eum ſibi reſpondiſſe de jure Servius parum intellexiſſet &c. Ibid. Turpe eſſe patritio, & nobili, & cauſas oranti, jus, in quo verſaretur, ignorare. ea velut contumelia Servius [h] tractatus operam dedit juri civili; & plurimum eos, de quibus locuti ſumus, audiit, inſtitutus a Balbo LuciLio, inſtructus autem maxime a Gallo Aquilio, qui fuit Cercinae. itaque libri complures ejus exſtant Cercinae confecti. Hic cum in legatione periſſet, [i] ſtatuam ei populus Romanus pro roſtris poſuit, & hodio-

a. *CAJUS AQUILLIUS GALLUS*] Aquillius, non Aquilius ſcribimus, Veterum monumentis admoniti: in verbis tamen Digeſtorum ſequimur volumina Florentina. Scribi igitur poſſet AquiLius, ut LuciLius].

b. *Ut ea ad omnes adſpectant*] Vox *ad* ſupervacanea eſt.

c. Adde Juſtinian. *lib.* 3. *Inſtit. tit. quib. modis toll. oblig.*

d. *LUCILLIUS BALBUS*] L. Lucillius Balbus a Cicerone in *Bruto c.* 42. dicitur: hic Servii praeceptor. Q. Lucillius Balbus *lib.* 2. *c.* 6. *de nat. Deor* ubi Juriſconſultus & Stoicus Philoſophus appellatur. Alius P. Octavius Balbus Juriſconſultus *in Cluentiana cap.* 38. L. Octavius Balbus Juriſconſ. *in Verrem lib.* 2. *c.* 12.

e. *Q. F. LEMONIA RUFUS*] Haec nos ex Ciceronis Philipp. 9. addidimus, *cap.* 7.

f. Adde Gellium *lib.* 4. *cap.* 3. & 4

g. *Servius cum in cauſis primum locum &c.*] Tota haec hiſtoria mihi parum certa videtur: nam cum certum ſit, primam orationem in publico judicio Ciceronem habuiſſe pro Sext. Roſcio Amerino, cum annos ageret 26. aut 27 ut notat Gellius *lib.* 15. *c.* 28. In ea oratione mentio fit Q. Mucii Pontif. Max. caedis, qui poſt Q. Mucium Augurem mortuus eſt, ut ex Cicerone *in Laelio* cognoſcimus: quis igitur hic Q. Mucius ſuadet Servio ſummo oratori, ut jus diſcat, quem conſtat aequalem fuiſſe Ciceroni, aut anno minorem, ſi petitionem Conſulatus conſideremus? Quod ſi Cicero nondum cauſas egerat, quo pacto Servius poſt eum primum locum obtinebat. Sed Ciceronem *in Bruto, c.* 41. audiamus: *In eiſdem exercitationibus ineunte aetate fuimus: & poſtea Rhodum una ille etiam profectus eſt, quo melior eſſet, & doctior: & inde ut rediit, videtur mihi in ſecunda arte primus eſſe maluiſſe, quam in prima ſecundus; atque haud ſcio an par principibus eſſe potuiſſet; ſed fortaſſe maluit id quod eſt adeptus, longe omnium non ejuſdem modo aetatis, ſed eorum etiam, qui fuiſſent, in jure civili eſſe princeps.*

h. *Tractatus*] *Tractus* alii; non inepte.

i. *Statuam ei &c.*] Vidend. Cicero *Philipp.* 9. *cap.* 7.

& ideo proavum ſuum Servium Sulpicium appellat.

Paul. 3. 5. 21. Nam & Servius reſpondit, ut eſt relatum apud Alfenum &c. ibid. — Servius reſpondit) aequum eſſe &c.

Ulp. 4. 3. 1. Dolum malum Servius quidem ita definiit &c.

Idem 4. 6. 26. 4. Per magiſtratus &c. et ita Servio videtur.

Pompon. 4. 8. 40. quemadmodum Servius ait, ſi per ſtipulatorem &c.

Idem 5. 1. 80. Servius reſpondit, ſi ex conventione &c.

Ulp. 8. 5. 6. 2. Sed evaluit ServI ſententia in propoſita ſpecie &c.

Paul. 8. 6. 7. Servius ſcribit perdere eum non utendo ſervitutem.

Ulp. 9. 1. 1. 1. Itaque, ut Servius ſcribit, tunc haec actio &c.

Idem 9. 3. 5. 9. Servius reſpondit, ad exemplum hujus actionis dari oportere actionem.

Idem 13. 3. 3. verius eſt, quod Servius ait condemnationis tempus ſpectandum.

Paul. 14. 2. 2 Si laborante &c. Servius quidem reſpondit ex locato &c. Ibid. 14. 2. 2. 4. Si navis a piratis redempta ſit, Servius, Ofilius, Labeo, omnes conf rre debere ajunt.

Ulp. 15. 1. 9. 1. Huic definitioni Servius adjecit, & ſi quid &c.

Idem 15. 1. 17. ſed & ſi &c. et ita Servius reſpondit.

Paul. 17. 2. 30. Mucius libro quartodecimo ſcribit, non poſſe &c. Servius in notatis Mucii ait, nec poſſe &c. a

Ulp 17. 2. 52. 15. cui congruit, quod Servium reſpondiſſe Aufidius refert, ſi ſocii &c.

Paul. 17. 2. 65. 7. Item ſcriptum eſt, poſſe &c. quod Servius apud Alfenum ita notat, eſſe &c.

Labeo 18. 1. 80. 2 ſcio Servium reſpondiſſe, primum ſequendum eſſe &c.

Ulpian. 19. 1. 13. 25. Si venditor &c. magis eſſe Servius putabat, ex vendito eſſe actionem. denique Tubero ait &c.

Idem 19. 2. 15. 1. Servius omnem vim &c. praeſtare debere ait.

Idem 19. 2. 19. 1. Si quis dolia &c. et ita Servio Labeoni Sabino placuit.

African. 19. 2. 35. Et haec diſtinctio convenit illi, quae a Servio introducta, & ab omnibus fere probata eſt, ut ſi averſione &c. Ibid. 19. 2. 35. 1. ſed tamen etiam Servii ſententiam veram eſſe puto &c.

Scaev. 21. 2. 69. ſed auctoritas Servii praevaluit exiſtimantis hoc caſu &c.

Ulpian. 22. 2. 8. Servius ait, pecuniae trajecticiae &c.

Labeo 23. 3. 79. negat Servius dotem ad patrem reverti. & ego cum Servio ſentio. Ibid. 23. 3. 79. 1. Atejus ſcripſit Servium reſpondiſſe, cum primum &c.

Javolen. 24. 3. 66. In his &c. praeſtare oportere Servius ait. ea ſententia Publii Mucii eſt.

Paul. 26. 1. 1. Tutela eſt ut Servius definit, vis ac poteſtas &c. b

Ulp 26. 1. 3. 4. & ait Celſus Servium conſtituiſſe in omnes res datum videri

Idem 27. 7. 4. & extat Servii ſententia exiſtimantis, ſi poſt mortem &c.

Javol. 28. 1. 25. Varus Digeſtorum libro primo Ser-

a. Adde Juſtinian. *lib.* 3 *Inſt. de Societate*,

b. Adde Juſtinian. *lib.* 1. *Inſt. de tutelis*.

Papinian. 28. 7. 28. argumentoque eſt, quod apud Servium quoque relatum eſt: quendam enim refert &c. Ibid. de quo reſpondit Servius condicionem morte defeciſſe.

Ulp. 30. 30. & ait Servius, & Labeo, praeſens deberi.

Celſ. 30. 63. Servius partum ejus negat deberi.

Labeo 32. 29. 1. Quintus Mucius, & Gallus putabant maximam partem legatam eſſe &c. Servius, Ofilius minimam.

Idem 32. 29. 2. idem Alfenus Varus Servio placuiſſe ſcribit. quod & verum eſt.

Pompon. 32. 5. Servius reſpondit, cui omnis &c.

Julian 32. 62. reſpondit Servius deberi legatum &c.

Labeo 33. 4. 6. tamen quinquaginta debere. Alfenus Varus Servium reſpondiſſe ſcribit. Ibid. deberi ei legatum Ofilius, Caſcellius, item & Servii auditores rettulerunt.

Ulp. 33. 7. 12. & ita Servium reſpondiſſe auditores ejus referunt. Ibid. 33. 7. 12. 6. & ita Servium reſpondiſſe auditores ejus referunt.

Pompon. 33. 7. 15. his verbis Servius reſpondit & caballos &c. legatas videri

Alfen. 33. 7. 16. 1. Vinea, & inſtrumento ejus legato, inſtrumentum ejus nihil eſſe Servius reſpondit &c.

Ulp. 33. 9. 3. 3. quos Quintus Mucius ſic definiebat &c. ſed materiam praebuit Servio notandi.

Idem 33. 9. 3. 6. Servius apud Melam & unguentum &c. penoris eſſe ſcribit.

Celſ. 33. 10. 7. Servius fatetur ſententiam ejus, qui legaverit, aſpici oportere &c. Id Tubero parum ſibi liquere ait. Ibid. non tamen a Servio diſſentio.

Paul. 34. 2. 4 Cum quidam &c. Servius reſpondit.

Ulpian. 34. 2. 19. 6. quas ut refert Sabinus libris ad Vitellium, Servius a lapillis eo diſtinguebat &c.

Idem 34. 2. 27. 3. Servius enim exiſtimat, aurum vel argentum &c.

Javolen. 34. 2. 39. 1. Atejus Servium reſpondiſſe ſcribit, cui argentum &c.

Pompon. 35. 1. 6. ſed Servius reſpondit, cum ita eſſet ſcriptum &c.

Javolen. 35. 1. 40. 3. nihil ſervo legatum eſſe, Namuſa Servium reſpondiſſe ſcribit.

Ulpian. 37. 9. 1. 18. Servius ajebat, res hereditarias &c.

Idem 38. 2. 1. namque, ut Servius ſcribit, antea ſoliti fuerunt a libertis duriſſimas res exigere.

Pompon. 38. 10. 8. Servius recte dicebat, ſocri &c.

Ulp. 39. 2. 24. 4. Idem Servius putat, ſi controverſia &c.

Idem 39. 3. 1. 7. Sed apud Servii auctores (auditores malo) relatum eſt, ſi quis ſalicta &c.

Paul. 40. 4. 35. Servius exiſtimabat, Is poſſe ſervis dari &c. c

Papinian 40. 4. 48. Servius reſpondit, ſocio manumittente &c.

Ulp. 40. 7. 3. 1. Servius ſcribit moram eum libertatis paſſum. Ibid. 2. Idem Servius probat, & ſi in eo &c. Ibid. mihi quoque videtur verum, quod Servius ait. Cum igitur veram putemus ſententiam ServI &c.

Javolen. 40. 7. 39. ſtatu liberum eſſe Quintus Mucius, Gallus, & ipſe Labeo putant. Servius, Ofilius non eſſe. Ibid. 40. 7. 39. 3 Servius ait eum non liberari debere. Labeo ſtili &c.

Paul. 40. 12. 24 quin etiam Servius ait, in actionibus &c.

Paul.

c. Addend. Leo *lib.* 48. *Baſil. tit.* 3. *cap.* 35.

Digitized by Google

&c.

Ulp. 43. 24. 5. 1. Sed & Servius recte ait ſufficere &c.

Idem 43. 24. 7. 4. Gallus enim dubitat, an effici oporteret &c. Servius autem ait, ſi id &c.

Idem 43. 24. 13. 2. unde apud Servium amplius relatum eſt.

African. 44. 7. 23. ut & illud Servius rectiſſime exiſtimaverit, ſi quando &c.

Marcell. 46. 3. 67. apud Alfenum Servius eum &c reſpondit poſſe &c.

Pompon. 47. 2. 76. 1. nec utimur Servii ſententia, qui putabat, ſi rei &c.

Tryphonin. 49. 15. 12. quod ideo placuiſſe Servius ſcribit.

Paul. 50. 16. 25. 1. Quintus Mucius ait &c. Servius non ineleganter partis appellatione utrumque ſignificari.

Cajus 50. 16. 30 Servius eam eſſe, quae ſuccifa &c.

Paul. 77. quae Servius, apud Alfenum in frumento contineri putat.

50. 16. 122. Idem (Pomponius) libro octavo ad Quintum Mucium. Servius ait, ſi ita ſcriptum ſit &c.

Gajus 50. 16. 237. idque etiam Servius animadvertit.

Videndus Alfenus Varus.

ACTIO SERVIANA, *vide actio.*

[Praeter ea, quae Servii ſunt in Digeſtis, adde

Ex lib. 2. de teſtamentis apud Gellium *lib.* 6. *c.* 12.

Ex epiſtola ad M. Varronem, apud Eundem *lib.* 2. *c.* 10.

Ex reprehenſis Scaevolae capitibus apud Eundem *lib.* 4. *c.* 1. vide 33. 9. 3.

Ex incertis apud Ciceronem *in Topicis c.* 8. & *in Bruto c.* 55. & Sext. Pomp. Feſtum, & Plin. *lib.* 28. *cap.* 2. *Nat. Hiſt.* & Quinctil. *lib.* 9. *c.* 4. & A. Gell. *lib.* 4. *c.* 2. vide 21. 1. 11. & Macrob. *lib.* 3. *Saturn. c.* 3.

Tres orationes fecit, quarum una eſt pro Aufidia, Quinctil. *lib.* 10. *c.* 1. & 6. & *lib.* 4. *c.* 3. & *lib.* 6 *c.* 1. & Feſtus.

Carmina fecit, Plin. *Epiſt.* 3. *lib.* 5. Ovid. *lib.* 2. *Triſt. vſ.* 441.

Stoicum fuiſſe ſuſpicor, quod Cicero *in Bruto c.* 42. dicit eum Dialecticam adhibuiſſe, cum priores jurisperiti ſine ulla arte ſcriberent. Stoicorum autem erat illis temporibus ea ars diſſerendi propria.]

6. ª C. AULUS OFILIUS.

Pompon. 1. 2. 2. 22. Ab hoc (Servio) plurimi profecerunt: fere tamen hi libros conſcripſerunt: Alfenus Varus. ª Gajus, Aulus Ofilius, Titus Caeſius

Ex libro quinto.

Ulpian. 32. 55. Ofilius quoque libro quinto Juris partiti ita ſcripſit, cui ligna &c. Ibid. 32. 55. 2. Ofilius libro quinto Juris partiti ſcripſit, nec ſarmenta &c. Ibid. 4. Si lignum &c. ait Ofilius libro quinto Juris partiti, carbonum &c.

Ex libro ſextodecimo Actionum.

Ulp. 33. 9. 3. 2. Penori acetum &c. et ita Ofilius libro ſextodecimo Actionum ſcribit. Ibid. 4. Sed & hordeum ſive familiae, ſive jumentorum gratia: & Ofilius ſcribit libro ſextodecimo Actionum. Ibid. 5. Ligna &c. et Quintus Mucius & Ofilius negaverunt.

Ex libro incerto ad Atticum.

Gajus 50. 16. 234. 2. Sed Ofilius ad Atticum ait, his verbis &c.

De aliis libris.

Pompon. 1. 2. 2. 22. nam de legibus Vicenſimae primus conſcribit, de Juriſdictione. Idem Edictum Praetoris primus diligenter compoſuit.

Ex incertis.

Pompon. 1. 2. 2. 22. Trebatius peritior CaſceLio, CaſceLius Trebatio eloquentior fuiſſe dicitur, Ofilius utroque doctior. Ibid. 24. Poſt hoc quoque Tubero fuit, qui Ofilio operam dedit. Ibid. 25. Atejus Capito, qui Ofilium ſecutus eſt.

Gajus 2. 1. 11. quod Ofilio, & Proculo placet.

Ulp. 2. 7. 1. Ofilius putat locum hoc edicto non eſſe &c.

Idem 2. 9. 1. Sed & ſi noxae deditus ſit, Ofilius non putat &c.

Paul. 2. 10. 2. Ofilius dandam mihi exceptionem adverſus dominum ait &c.

Ulp. 4. 4. 16. idem & Ofilius, & Trebatius reſponderunt.

Idem 9. 2. 9. 2. Si ſervum &c. in factum eſſe dandam actionem Ofilius ſcribit.

Idem 10. 2. 16. 5. Ofilius ait, eſſe familiae erciſcundae actionem.

Idem 14. 1. 1. 5. Unde quaerit Ofilius, ſi ad reficiendam &c. Pedius probat.

Paul. 14. 2. 2. 4. Si navis &c. Servius, Ofilius, Labeo, omnes conferre debere ajunt.

Idem 17. 1. 22. 10. Si curator &c. Trebatius Ofilius Labeo reſponderunt &c.

Ulp. 21. 1. 8. Si cui lingua &c. et exſtat haec quaeſtio apud Ofilium, relata apud eum in equo &c.

Idem 10. Idem Ofilius ait, ſi homini &c.

Idem 21. 1. 17. Quid ſit fugitivus, definit Ofilius &c.

Idem 21. 1. 38. 4. Idem (Caelius) refert Ofilium exiſtimaſſe equum &c. Ibid. & verum eſt, quod Ofilius.

ª. *CAJUS, AULUS OFILIUS*] Si duo fuiſſent Ofilii, Servii auditores, quorum alter C. Ofilius, alter A. Ofilius diceretur, defendi poſſet haec ſcriptura: ſed cum Cajus Ofilius nuſquam appareat, aliud illic nomen deſiderari putamus. Et ut aliquem ſubſtituamus a Pomponio praeteritum, Cajum Bellienum ex Cicerone *in Bruto c.* 47. addimus, cujus poſt Sextum Pompejum, & M. Brutum facit mentionem his verbis: *Item in jure, & ante hos M. Brutus, & paulo poſt eum C. Bellienus, homo per ſe magnus, prope ſimili ratione ſummus evaſerat: qui Conſul factus eſſet, niſi in Marianos Conſulatus, & in eas petitionis anguſtias incidiſſet.* Hic quidem Servii diſcipulus eſſe nequivit, ſed Muciorum. Idem fortaſſe, aut ejus filius, in *oratione Fonteiana c.* 4. C. Annius Bellienus appellatur. Poſſumus etiam Cajum Cornelium Maximum hic addere, qui poſtea Trebatii praeceptor dicitur.

filio placebat, ſi eo &c.

Javolen. 28. 6. 39. ex conſilio Labeonis, Ofilii, Caſcellii, Trebatii &c. ſolum heredem fecit. Ibid. 28. 6. 39. 2. ad ſubſtitutum quoque pertinere Ofilius, Caſcellius reſponderunt.

Ulpian. 30. 30. extendi Gallus Aquilius, Ofilius, Trebatius reſponderunt.

Pompon. 30. 45. utile legatum eſſe Neratius, & Ariſto, & Ofilius probant.

Labeo 32. 29. 1. Quintus Mucius, & Gallus putabant maximam partem legatam eſſe &c. Servius Ofilius minimam.

Javolen. 32. 100. 1. Caſcellius putat deberi. Ofilius, Trebatius contra.

Labeo 33. 4. 6. deberi ei legatum Ofilius, Caſcellius, item & Servii auditores rettulerunt.

Idem 33. 6. 7. Ofilius, Caſcellius, Tubero omne &c. legatum putant. Labeo id probat. Ibid. 33. 6. 7. 1. Ofilius nihil legatum eſſe, quod & Labeo probat.

Javolen. 33. 7. 25. 1. Ovilia quoque legato contineri, Ofilius non recte putat.

Idem 33. 7. 26. 1. Molas &c. inſtrumenti eſſe Ofilius ait. Labeo, Caſcellius, Trebatius neutras &c. putant eſſe.

Idem 33. 10. 10. recte negabant veſtem legato ceſſuram Labeo, Ofilius, Caſcellius.

Idem 34. 2. 39. Si uxori &c. ea tantummodo deberi, Ofilius, Labeo reſponderunt &c. Ibid. 34. 2. 39. 1. Ofilius nec quod &c. argentum legatum videri, reſpondit. idem Caſcellius.

Idem 35. 1. 40. 1. Caſcellius ajebat &c. Ofilius impenſae verbo negat pretium ſignificari. Ibid. 2. heredibus Titii legatum deberi Ofilius reſpondit. Ibid. 4. *Labeo* Ofilius, Trebatius reſponderunt fundum nihilo minus legatum eſſe.

Ulp. 36. 3. 1. 8. Ofilius ait, ita cavere debere &c.

Idem 39. 3. 1. 6. Ophilius autem ait, ſulcos &c. Ibid. 15. Ofilius igitur, & Labeo putant agi non poſſe.

Paul. 39. 3. 2. 10. Illud etiam verum puto quod Ofilius ſcribit, ſi fundus &c.

Ulp. 39. 3. 3. ait Ofilius, neque damni &c.

Paul. 39. 3. 11. 4. Ofilius ait, ſocium cum eo agere poſſe.

Pompon. 40. 4. 40. Sed Ofilius ajebat, ſi adimendi &c.

Javolen. 40. 7. 39. ſtatuliberum eſſe Quintus Mucius, Gallus, & ipſe Labeo putant. Servius, Ofilius non eſſe.

Idem 40. 7. 39. 1. Stichus &c. Labeo Ofilius reſponderunt. Ibid. 4. liberum eſſe Labeo, Ofilius reſponderunt. Ibid. Labeonis, & Ofilii ſententia rationem quidem habet.

Paul. 41. 2. 1. 1. Ofilius quidem, & Nerva filius &c. poſſe pupillum ajunt.

Ulp. 43. 8. 2. 23. Unde Ofilius putat eum, qui &c.

Idem 43. 20. 1. 11. & extat Ofilii ſententia exiſtimantis recte eum prohiberi. Ibid. & Ofilius in tota aqua recte eum prohiberi ait. ego Ofilio adſentio, non poſſe dividi.

Idem 43. 21. 1. 4. & ita Ofilio videtur.

Idem 43. 21. 3. 7. hoc interdictum ei competere Ofilius putat.

Venulej. 43. 23. 2. idque Ofilio, & Trebatio placuiſſe. ipſe (Labeo) dicendum ait &c.

Ulp. 44. 4. 4. 6. & Ofilius putat, ſi venditor &c. Ibid. & puto ſententiam Ofilii veram.

Pompon. 45. 3. 6. Ofilius recte dicebat, & per traditionem &c.

Ulpian. 47. 2. 21. Ofilius totius acervi furem eſſe putat.

petere Ofilius ait.

7. TITUS CAESIUS.

Pompon. 1. 2. 2. 22. ab hoc (Servio) plurimi profecerunt. fere tamen hi libros conſcripſerunt: Alfenus Varus, Gajus, Aulus Ofilius, Titus Caeſius, Aufidius Tucca &c.

8. [a] AUFIDIUS TUCCA.

Pompon. 1. 2. 2. 22. ab hoc (Servio) plurimi profecerunt &c. Titus Caeſius, Aufidius Tucca, Aufidius Namuſa &c.

9. AUFIDIUS NAMUSA.

Pompon 1. 2. 2. 22. Aulus Ofilius, Titus Caeſius, Aufidius Tucca, Aufidius Namuſa, Flavius Priſcus, Gajus Atejus PacuBius, Labeo Antiſtius Labeonis Antiſtii pater, Cinna Publicius, Gellius. Ex his decem libros octo conſcripſerunt. quorum omnes, qui fuerunt, libri digeſti ſunt ab Aufidio Namuſa in centum quadraginta libros.

Ulp. 13. 6. 5. 5. nam & ſi ſervum &c. periculum meum eſſe Namuſa ait. ſed ego ita hoc verum puto &c.

Idem 17. 2. 52. 15. cui congruit quod Servium reſpondiſſe Aufidius refert, ſi ſocii &c.

Labeo 33. 5. 20. Apud Aufidium libro primo reſcriptum eſt, cum ita &c.

Javolen. 35. 1. 40. 3. nihil ſervo legatum eſſe, Namuſa Servium reſpondiſſe ſcribit.

Paul. 39. 3. 2. 6. Apud Namuſam relatum eſt, ſi aqua &c. Ibid. LaVeo contra Namuſam probat.

10. FLAVIUS PRISCUS.

Pompon. 1. 2. 2. 22. ab hoc (Servio) plurimi profecerunt. fere tamen hi libros conſcripſerunt: Alfenus Varus &c. Aufidius Namuſa, Flavius Priſcus, Gajus Atejus Pacuvius &c.

11. CAJUS ATEJUS PACUVIUS.

Pompon. 1. 2. 2. 22. ab hoc (Servio) plurimi profecerunt &c. Flavius Priſcus, Gajus Atejus Pacuvius, Labeo Antiſtius &c.

12. [b] ANTISTIUS LABEO PATER.

Pompon. 1. 2. 2. 22. ab hoc (Servio) plurimi profecerunt &c. Gajus Atejus Pacuvius, Labeo Antiſtius Labeonis Antiſtii pater, Cinna, Publicius Gellius &c.

13. [c] CINNA.

Pompon. 1. 2. 2. 22. ab hoc (Servio) plurimi profecerunt &c. Labeo Antiſtius Labeonis Antiſtii pater, Cinna, Publicius Gellius &c.

Ulp. 23. 2. 6. Denique Cinna ſcribit, eum qui &c.

Ja-

a. *AUFIDIUS TUCCA*] Videndum, num hic Tucca fuerit ſuperſtes Maroni, cui Auguſtus commiſit Aeneidos emendationem cum ſocio Varo. Unde illud eſt Sulp. Apollin. *Tucca vetat, Variusque ſimul*. ſed ille Plotius Tucca dicitur a Donato. P. Aufidii Juriſconſ. verba refert Priſcianus *lib.* 8.

b. *ANTISTIUS LABEO PATER*] Laudatur ab Appiano *lib.* 4. *extr. bellor. civil.*

c. *CINNA*] Non hic eſt L. Cornelius Cinna quater Conſul, qui Servio antiquior paullo fuit: ſed potuit is eſſe, cujus mentionem facit P. Virgilius *in Ecloga* 9. *v.* 35.

Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinna
Digna.

decere, in calum &c.

PUBLICIANA. *vide Actio.*

15 [b] CORNELIUS MAXIMUS.

Pompon. 1. 2. 2. 23. Fuit eodem tempore & Trebatius qui idem Cornelii Maximi auditor.

Alfen. 33. 7. 16. 1. Vinea &c. nihil eſſe Servius reſpondit. qui cum conſulebat, Cornelium reſpondiſſe ajebat, palos &c.

16. [c] CAJUS TREBATIUS TESTA.

Valerius 283. 60: 288. 50: 192. 11: 371. 6: 382. 29.
Valerius Maximus 356 36: 357. 51.
M. Valerius Meſſalla 259. 1.
Valerius Nepos 357. 20.
Valerius Patroinus 377. 13: 382. 33.
Valerius Priſcianus 365. 30.
Valerius Severus 243. 73: 251. 45.
Valerius Verus 351. 1.
Valerii, Valeſii 207. 6: 341. 26: 343. 9.
integra mente, & Valetudine 424. 64.
Vapores 354. 65: 357. 62.
Varia Hedone 382. 45: 385: 23.
Variarum lectionum 84 61: 91. 12: 33: 46: 65: 92. 13.
Variarum quaeſtionum 125. 6.
Varius Hermes 382. 40: 385. 25.
Varius Lucullus 243. 69: 248. 72.
Varro 445. 27.
Varus 215. 73: 218. 3: 242. 3.

Valcula 47. 24.
Ubicumque 475. 41: 476. 9.
Vectigal 495. 14.
Vectigalis conductor 373. 60: 380. 51.
Vectigalia nova 321. 65.
Vectores 97. 1.
Vectores traieium 485. 54: 69: 486. 3.
Vectura 501. 22.
Vectutae 135. 33.
Veheudum oous conduxerit 486. 32.
Vel 441. 41: 442. 24: 457. 9: 462. 63.
Vela 47. 18.
Vela Cilicia 238. 29.
Junia Vellejs 322. 15.
ad legem Vellejam 165. 54.
Vellejanum Senatuſcont. 330. 5: 419. 71.
ad S. C. Vellejanum 165. 35: 186. 44.
Vellejus Rufus 259. 14: 263. 56.
Vellejus Tutor 259. 30.
Velle donatum 419. 68.
Vellet conſultum 451. 53.
Venaliciarius 334. 47.
Venatio 270. 4.
Venationes 235. 54.
Vendendi ornatus cauſſa 240. 10.
Vendere in aſſem 403. 55: 411. 29.
Vendere damnatus eſt 497. 29: 499. 19.
Vendere hereditatem 417. 7: 421. 18: 23.
Vendere locu.n 489. 47.
Vendere nomen 409. 27.
Vendere qinquaginta 499. 17.
Venditio 37. 54: 51. 65: 485. 56.
emptio & Venditio 237. 40. 241. 34.
Venditio condicionalis 101. 25.
Venditio nominis 52. 34.
Venditio praediorum reipublicae 259. 5.
Venditiones 482. 5.
ex Vendito 77. 34: 221. 66.
ex Vendito actio 225. 29: 291. 14.
ex Vendito agi 221. 61.
Vencant bona 415. 37.
ſi Venierit exportandus 474. 65.
Veniit ex lege 474. 66.
Veneficii accuſare 444. 53.
Veneficii accuſavit 446. 69.
Cornelia de Sicariis & Veneficis 329. 6.
facilitatis Venia 139. 25.
Venidius Quietus 372. 41: 382. 46.
Venidius Rufus 382. 52.
Venierat ſervus 491. 1.
Venire in dicionem 477. 46.
de jure patronatus quod ex Lege Junia & Papia Venit 165. 69.
Veniſſe multum hominem 483. 53.
Venter 248. 49: 331. 38.
Ventri tutor dari 493. 66.
Vento relata 477. 19.
Q. Claudius Venulejus Saturninus 129. 64: 196. 16.
Venumdari bona 357. 43.
Venus 338. 31.
res Veneris 338. 34.
in ipſis rebus Veneris 104. 7.
re Vera 403. 66: 421. 12.
Verberatio 220. 1.
Verbi gratia 404. 15: 423. 71: 456. 48.
Verbo tenus 328. 54.
Verba 502. 46.
in haec Verba 462. 68: 464. 73.
de Verborum obligationibus 104. 36: 110. 38.
de Verborum ſignificatione 16. 67.
ex Verbis codicilli 454. 3.
praeſcriptis Verbis 29. 8.
P. Vergilius Maro 338. 19.
Verginius 343. 14.
Verginius Paullus 206. 14: 211. 32: 41: 52.
Vernae 447. 20.
Veroſimilius 340. 34.
Verſatur dolus in re 422. 34.
Verſicoloria 379. 5: 384. 33.
Verſum 456. 28. *& poſtea.*
Verſus 335. 57.
Verus 382. 56: 385. 68.
Ducenius Verus [illegible]
Ducenius Verus Conſul 243. 47: 350. 19.
Julius Verus 281. 1: 362. 37.
Lentulus Verus 278. 2: 355. 10.
Sextius Verus 279. 49.
Valerius Verus 351. 1.
Veſpaſianus 26. 10: 236. 13: 240. 31: 242. 49: 263. 18: 271. 11: 477. 39: 489. 35.
Divus Veſpaſianus 509. 57.
Imp. Caeſ. T. Flavius Veſpaſianus Auguſtus 264. 41.
Imp. Caeſ. T. Flavius Divi F. Veſpaſianus Auguſtus 265. 1.
Imp. Caeſ. T. Flavius Divi F. Veſpaſianus Domitianus Auguſtus 265. 14.
fidei Veſtrae mando 408. 33. committo 382. 59.
Veſtiaria 363. 46: 407. 17: 432. 9.
Veſtigianum 500. 45.
Veſtigianus fundus 455. 26.
Veſtimentum 34. 36: 43: 234. 66.
Veſtimenta 17. 2: 221. 59.
Veſtis 15. 65: 21. 65: 34. 41: 50. 3: 85. 18: 102. 23: 219. 30: 224. 48: 250. 36: 447. 54: 452. 44.
Veſtis muliebris 232. 38.
Veſtis uſusfructus 99. 24.
ſi juſſum aſcendere Vetet 504. 36.
Vetans 390. 72.
Veteranus 115. 1: 378. 52.
Veterani 289. 66: 295. 39: 372. 11: 63.
Veterator 240. 52.
Veteres 426. 17.
Vetina 367. 45: 492. 13.
Vetitus Callinicus 365. 35.
Veto accipere 455. 50.
exire Veto 497. 17.
geri negotium Veto 455. 33.
ſatis exigi Veto 448. 61.
vim fieri Veto 439. 59.
Vetare 396. 43.
Vetuſtate corruptae 501. 47.
Via 312. 57: 499. 47.
Via Appia 206. 57: 487. 65: 488. 20.
Via Aurelia 486. 10: 487. 69.
Via publica 418. 6.
Via reficienda 486. 9.
Via Sacra 208. 6: 488. 5.
Via Salaria 488. 9.
in tutelam Viae 486. 9: 488. 1. 3.
Viae 487. 62.
Viam ſtravit 487. 65: 488. 20.
ultra Viam 438. 57.
ſine Via fundus 431. 66.
Viaticum 444. 65.
Vibianius 36. 47: 37. 68: 38. 35: 40. 24: 100. 35: 231. 39: 238. 4: 244. 2: 252. 66: 302. 62.
Vibius Avitus 258. 27.
Vibius Cerealis 351. 7: 55.
A. Vibius C. F. C. N. Habitus 258. 23.
Vibius Simonides 351. 9: 12.
Vibius Soter 365. 41: 382. 61.
Vibius Varus 267. 66: 351. 18: 473. 40.
Vibius Victorinus 365. 43: 382. 63.
Vibius Zeno 357. 28.
Vicarius 95. 55: 456. 9: 11: 26: 459. 56: 57: 460. 68: 463. 63.
Vicarius ſervi 456. 9: 460. 35.
Vicarii 225. 23.
Vicenſima hereditatium 224. 22.
de legibus Vicenſimae 218. 34.
ad legem Vicenſimam hereditatium 593. 5.
Vicenſimum annum compleverit 510. 8.
Victa 450. 52.
Flavius Victor 374. 18: 377. 18.
Terentius Victor 75. 16: 352. 32: 356. 52.
Victorina 370. 9: 47: 371. 51.
Aufidius Victorinus 282. 58: 283. 27: 284. 48: 359. 68.
Vibius Victorinus 365. 43: 382. 63.
Victus 34. 41.
Vicus 487. 36.
ſuo Victu 226. 65.
Pataviſſenſium Vicus 290. 6: 484. 11: 53.
Vici 299. 51.
Videamus ne 425. 57.
aequius Videtur 371. 3.

con:

Digitized by Google

Vincula publica 277. 44.
Vindex 257. 49: 343. 28: 344. 24.
Vindicans 431 69.
Vindicare 257. 16: 396. 30. 405. 36: 418. 19: 427. 55: 431. 67: 437. 63: 453. 66: 457. 60: 462. 1: 493. 28.
Vindicare in aſſem 448. 53.
Vindicare hereditates 326. 51.
Vindicare necem 405. 18.
Vindicari extra ordinem 506. 15.
Vindicare partem 500. 4.
Vindicare ſibi libertatem 455. 67.
Vindicatio 73. 14.
ad exemplum Vindicationis 334. 62.
Vindiciae 257. 48.
Vindiciae ſecundum libertatem 257. 48.
Vindicias abdixiſſe 206. 49.
Vindicias ſecundum libertatem dicere 343. 27: 344. 26.
Vindicta manumittere 439. 8: 450 35.
Vindius 97. 74: 98. 70. 243. 74: 251. 56: 407. 65.
Vineae inſtrumentum 216. 30.
M. Vinucius Quartinus 259. 9.
Vinum 47. 17: 222 61: 63: 232. 4: 482. 41: 485. 55.
Vinum Graecum 509. 5: 20.
Vinum hominibus emere 491. 12.
Vinum tranſportandum conducere 478. 5.
Vini Campani boni 505. 22.
Vini Campani optimi 500. 41: 505. 20.
Vini optimi 509. 11.
Vini ſuſceptores 472. 10.
Vina 37 57: 75. 13: 432. 14: 509. 1.
Violare 493. 51.
ſepulchri Violati crimen 321. 56.
ἐκ βίω χεῖρα 498. 25
Vir clariſſimus 375. 18: 26: 376. 3: 383. 9: 384 59.
Vir honeſtus 444. 2.
Vir praetorius 402 25.
Vir uxori munus immodicum dedit 510. 51.
Viri frater levir 491. 25.
Viri pater 491. 24
Viri ſoror glos 491. 27.
Viro bono 431. 29.
donatio inter Virum & uxorem 230. 66.
de donationibus inter Virum & uxorem 165. *v. ult.*
Viri 388. 54.
quinque Viri 488. 44.
Virilis 275. 66: 333. 4: 426. 44.
Viriles partes 417. 56
pro Virilibus portionibus 417. 12.
Virius Lupus 256. 72: 362. 67: 477. 1.
in Virtute bellica 404. 67.
Vis 282. 55: 285. 36: 363. 9.
Vis, ac poteſtas 215. 67.
Vis major 491. 13.
Θεῖ βία 491. 13.
Vim facere 251. 11.
Vim fieri veto 439. 59.
Vim praeſtare 215. 49.
Vim vi repellere 239. 50.
Vi bonorum raptorum 33. 65.
Vi poſſidere 32. 44: 251. 42.
unde Vi 324. 57.
unde Vi interdictum 103. 17.
quod Vi, aut clam 33. 2: 7: 8: 81. 18: 223. 61.
Vi feciſſe videri 248. 57.
Julia de Vi 320 8: 321. 4: 24.
Julia de Vi privata 318. 6: 41: 50: 319. 33: 45: 321. 10: 34: 330 26.
Julia de Vi publica 318. 6: 41. 50: 319. 33: 45: 320. 15: 321. 42: 54.
Plautia de Vi 323. 5.
Viſceratio 406. 60. 431. 8.
quoad Vivit 427. 14.
quoad Vixerit 374. 25.
arboris Viventis trunci 339. 15: 340. 10.
Vix eſſe 436. 6.
Ulixes 339. 13: 340. 9.
Ullae querellae 458. 4.
Ulpianus 113. 67: 114. 60: 115. 1: 134. 45: 50: 138. 10: 180. 53: 185 30: 234 37: 235. 1: 377. 26: 378. 65: 379. 36: 382. 26: 384. 27: 386. 66: 70.
Οὐλπιανὸς 292. 11.
Domitius Ulpianus 118. 24: 129. 52: 143. 21: 469. 26.
Δομίτιος Οὐλπιανὸς 127. 52: 188. 48.
Ulpius Hadrianus 275. 69: 357. 34.
Ulpius Marcellus 56. 46: 113. 12.
Ulpius Proculus 296. 67: 383. 1.
Imp. Caeſ. M. Ulpius Divi Nervae F. Trajanus Auguſtus 265. 56.
Ultis 488. 45.
Ultra viam 438 57.
Umbria 454. 66: 463. 17: 478. 38: 44: 47.
Umbricia 267. 20: 351. 31.
Umbrius primus 375. 26: 383. 5.
Una cum 425. 24
Uncia 397. 47.
Uncia hereditatis 465. 3.
ex Uncia 408. 23: 404. 72.
Unciae quattuor 408. 13.
Unciae decem 391. 31.
ex duabus Unciis 390. 45: 393. 67: 404. 49: 425. 30.
ex ſex Unciis 446. 62.
Unde 508. 7.
Unde legitimi 326. 4.
Unde vi 324. 57.
Unde vi interdictum 103 17.
Unguentum 216. 35: 252 44.
Uniones 449. 25.
Univerſus fundus 498. 67.
Univerſa hereditas 448. 60.
Univerſa ornamenta 449. 34.
Univerſa pecunia 441. 20: 450. 14.
Univerſa poſſeſſio 498. 18.
Univerſa ſumma 510. 73.
Unum, vel alterum 247. 64.
Uno fetu enixa 459. 10
Uno pretio comparata 497. 50.
Uno mero ſeptenos 471. 13.
In Unum ſemiſſem 411. 55.
Una decem 440. 34.
Vocabula propria nominantur 464. 19.
in fundi Vocabulo 497. 9.
in jus Vocari 97. 66.
Voces 502. 47.
Vocitetur 491. 25.
Voconius Saxa 281. 7: 365. 49.
Volenti adquirit 501. 72.
Volgo fieri 481. 71.
dari Volo 497 23: 508. 43.
liberum eſſe Volo 466. 12.
liberas eſſe Volo 470. 51.
Volo experiri 508. 21.
reſtitui Volo 497. 21.
dare, legare Volet 494. 12.
ſi Volet, haeres eſto 394. 32.
uter eorum Volet 394. 8.
Volumen 335. 48: 49.
Voluntarius heres 62. 26.
exilio Voluntario 491. 42.
Voluntatis quaeſtio 231. 62.
Voluptariae 230. 66: 249. 69.
Voluſianum Senatuſconſ. 321. 51: 330. 21.
Voluſius Maecianus 56. 41: 83. 8.

ad edictum Urbicum 104. 30: 107. 15.
Urbius Maximus 280. 30: 365. 53.
Urbs 340. 22: 472. 6: 475. 25: 483. 42: 48: 508. 7.
Urbs Roma 19. 32: 482. 38: 40: 73: 483. 35. & *poſtea.*
Praefectus Urbis 282. 52.
Urbis Romae partes 503. 69.
Praefectus Urbi 36. 30: 242. 49: 264. 48: 287. 52: 53: 280. 47: 298. 72: 362. 44: 375. 3: 376. 36: 39: 44: 482. 58.
de officio Praefecti Urbi 143. 43: 161. 26: 165. 40: 185. 32.
ex Urbe 500. 35.
extra Urbem 474. 49.
Urbes 470. 65: 478. 53: 482. 37.
Urbium nomina *conſp. capp.*
Urbom 19. 34
in Urnalibus diffuſum 509. 24.
Urſejus 37. 10: 56. 55: 236. 60: 239. 62.
Urſejus Ferox 68. 27: 243. 67: 247. 1.
Julius Urſus 354. 63: 357. 63.
Uſque dum 368. 53.
Uſuaria 50. 65: 181. 8.
Uſuarius 402. 5.
Uſuarius ſervus 301. 8.
Uſucapere 439. 3.
Uſucapere libertatem 392. 53.
pro herede Uſucapere 217. 5.
Uſucapio 47. 47: 324. 15: 494. 27.
Uſucapionem implet 510. 12.
de Uſucapionibus 242. 16.
Uſusfructus legatus 314. 35.
Uſusfructus navis 228. 35.
Uſusfructus ſervi 434. 41.
Uſusfructus veſtis 99. 24.
deducto Uſufructu 374. 47: 475. 12.
detracto Uſufructu 431. 48: 440. 74.
fundus detracto Uſufructu 417. 66.
ſortis Uſura 432. 42.
Uſurae 130. 37.
Uſurae certae 283. 4.
de Uſuris 165. 26: 185. 67.
ſub Uſuris 421. 30: 422. 25.
ſub Uſuris credere 420. 30.
de Uſurpationibus 107. 3.
Uſus aquae perſonalis 402. 52.
Uſus Silvae 267. 52.
Uſu accepto togae 494. 60: 508. 12.
Uſu non captutum 50. 36.
Ut ecce 467. 27: 500. 39: 505. 18: 509. 9.
Ut maxime 425. 50.
Ut puta 473. 2: 506. 63.
Utendi 342. 19
jus Utendi fruendi 422. 72.
Utendum datum 27. 53.
non Utendo perdere ſervitutem 215. 21.
Uter eorum prior 504. 20.
Utica 472. 15: 480. 3: 480. 20: 407. 33. [illegible]
Utilis actio 71. 55: 74. 12: 76. 25: 236. 44: 251. 9: 280. 31: 301. 34: 302. 30. 414. 31: 448. 37.
Utilis Aquilia 304. 24.
Utilis lex Aquilia 303. 74: 305. 15.
Utilis in rem actio 241. 5.
Utilis Serviana 335. 6: 15.
Utile interdictum 233. 54.
Utile judicium 99. 34: 258. 59.
Utiles actiones 272. 68: 423. 38.
Utiles hereditariae actiones 346. 20.
Utiles impenſae 251. 43.
Utiliter 425. 51. 440. 52.
Utiliter petere 413. 13.
Utiliter ſtipulor 510. 27: 44.
Utram mallent 489. 67.
Utrum malet 456. 71: 462: 19.
Uva 248. 26.
Uvae 253. 60.
Vulgaris caſus 292. 51.
Vulgo quaeſitus 66. 8. *vide* Volgo.
Vulnerare 458. 63: 468. 30.
Vulnerare mortifere 418. 23.
Vulneratus 362. 22: 364. 10.
[illegible] 496. 31: 39: 497. 60:
[illegible] 367. 62: 368: 23: 452. 21: 453. 48: 477. 11: 498. 25.
Uxor conſobrina 451. 69.
Uxor divertit 481. 38.
Uxor juſta 451. 64.
Licinia Gracchi Uxor 210. 21.
vir Uxori munus immodicum dedit 510. 51.
donatio inter virum, & Uxorem 230. 66.
de donationibus inter virum, & Uxorem 165. *v. ult.*
Uxores duorum fratrum 491. 25.

X.

Xenia 290. 43.
Xenophon 337. 16.

Z.

Zarmizegethuſa 485. 21.
Septimius Zenon 295. 43: 381. 49.
Vibius Zeno 357. 27.
Indicia Zernenſis 484. 36.
Zernenſium colonia 266. 64: 473. 57.
[illegible] 283. 26.
[illegible] 338. 27: 339. 29.
Zoilus 388. 19: 413. 63: 469. 5.
Ζωΐλος 388. 19.
Zoſas 542. 26.
Jolius Zoſas 378. 33: 35: 54.

F I N I S.

CAROLI SELVAGHI

THEOLOGI,

In Studio olim Neapolitano publici Legum Profeſſoris, nunc in Romano

PANDECTARUM INTERPRETIS,

DE

ORIGINE, ETHYMO,

ET

PRAESTANTIA PANDECTARUM;

In l. 1. & 3. de Juſtitia, & Jurisdictione,

RECITATIONES SOLEMNES.

Digitized by Google

tur animi oſtento Bonum Civem eſſe, cuperem publicae utilitati praeſto eſſe: ſcriptis ſaltem (dum grandius adhuc moliri, non permittit) potens in rebus incepi ergo bonus eſſe Civis, & perficiam, ſi has primas lectiones in Pandectas, quas typis mando, commendent linguae. Exemplum eſt Mihi Apellis, qui picturam viatoribus exponebat, & ubi juſta cenſura dabatur, maturius penicillum aptabat; eodem Ego conſilio libellum hunc offero, ut ſi aequo feratur animo, ad majora excurram, ſin minus, me corrigant, aut omnino deficiam. Vale.

AD

SCHOLARES OPTIMOS LEGUM CUPIDOS

PARAENESIS.

Quae, & quanta (Scholares Ornatiſſimi) Vobis otia fecerit piiſſimus Dominus Noſter Sanctiſſimusque Pater ALEXANDER SEPTIMUS *(Quem diu Nobis ſervet Omnipotens!) ad priſtinum celebre, utilique Cathedra Pandectarum reſtituta, ab eruditiſſimi Viri Marci Antonii Mureti morte deſtituta, Vobis notum fore ſperamus ex lectionibus, quas hoc Anno, Divina Protectione ſuffulti, veſtris objiciemus auribus. Etenim cujuſcunque currentis Textus ſtructuram indicando, qua arte, quave induſtria Juris Conſulti contextum compaginarint, eruditiones non contemnendas, & varia ſcitu digna, pro viribus noſtris proponemus, verba deinde ponderando, Stoïcorum inſtituta magna ex parte paſſim addiſcetis, in Politicis, Ethicis, aliiſque innumeris locis Philoſophum explanatum intelligetis, aliaque permulta Vobis gratiſſima, ni fallor. Accedemus poſtremo ad penetralia Textus, & Juriſconſultorum arcana, ſi licet, penetrabimus, peracute omnes ipſius difficultates rimando, antinomias reſolvendo, & diſpoſitionem Textus facili methodo dabimus, ea facilitate, qua antea Vos intellexiſſe*

Digitized by Google

erant depicta ; varia addiſcetis uno temporis ...
parcemus ; cum otiari, ut vidiſtis, temperamentum non patitur ; tum ut Principem Noſtrum Sanctiſſimum Nos inter tot Digniſſimos Viros elegiſſe nusquam poeniteat, Vosque tandem non minori gloria dignum hunc Principem exiſtimaturos efficiemus, Cathedra hac renovata, quam Academum illum ex Academiae erectione, ubi Platonici docuere. Alacri igitur animo eſtote, atque ad diſcendum accenſi: Magna enim Vos expectant, veſtra ſcilicet ſcientia Mundum illuminari, Provincias regi, Juſtitiam adminiſtrari, Cauſas defendi, Miſerabiles perſonas ſublevari, ſudores noſtros non irritari, neque ſperni munus tanti Principis ; ad cujus Montes levate oculos veſtros, unde erit Vobis auxilium : ſub ipſius frondentibus Quercubus requieſcite, ab hoc ſtellarum influxu incrementa virtutum, & honores, ab omnium bonorum vegetationem accipito ; dicite cum eruditiſſimo Viro, variiſque referto ſcientiis, Illuſtriſſimo Domino Meo Colendiſſimo Carolo Emmanuele Vizaneo, hoc Anno ſorte optima Vobis in noſtro ſtudio Rectore dato, qui admodum pro veſtra utilitate invigilabit, & non minore Charitate, qua Anno jam elapſo Illuſtriſſimus Dominus Meus Colendiſſimus Carolus Cartharius, integrae vitae Vir, ac Doctus praeexiſtet ; dicito inquam, cum ipſo in Epiſtola ad Alex.

Creſcite virtutes; foecundaque floreat aetas!
Ingeniis patuit campus, certusque merenti
Stat favor, ornatur propriis induſtria donis.
Surgite ſopitae, quas obruit ambitus, artes:
Nil licet invidiae, Chiſius dum proſpicit Orbi.

CA

Digitized by Google

CHryſippus, ſummus Stoïcae diſciplinae Philoſophus, ut refert Marcianus *in l. 2. Dig. De legibus*, docuit δεῖ δὲ αὐτὸν προστάτην τ' εἶναι τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχρῶν καὶ ἄρχοντα, καὶ ἡγεμόνα, *ſcilicet legem praeſidere & bonis, & malis, & Principem, & Ducem eſſe:* Bonis inquam, ut recte cum ratione operentur; aliud enim eſt operari eum ratione, aliud recte cum ratione: imo Boni eum ratione operando ratione ipſa abuti poſſunt, quod egregie exemplo Citharaedi oſtendit Ariſtoteles *lib. 1. de Moribus cap. 7. Sicut omnis*, inquit, *Citharaedi eſt Citharam pulſare, periti vero, ac probe docti Citharaedi recte pulſare; ſic hominis cujuscumque eſt agere cum ratione, probi vero hominis eſt recte cum ratione operari.* Quibus verbis demonſtrat Ariſtoteles, non omnes, qui cum ratione agunt, recte agere, ſed a rectae rationis ſemita poſſe declinare. Quod cum ita ſe habeat, non abſone dixit Chryſippus, Bonis etiam legem Principem eſſe, non quod cum ratione agat (bonus enim hoc facit) ſed ut recte cum ratione agat, & malus utrumque, & cum ratione, & recte. Bonis igitur, & Malis poſita eſt lex. Quae autem lex; hoc ab alta origine repetendum. Legum ſpecies ab antiquis quatuor fuiſſe conſtitutas obſervo, Aeternam ſcilicet, Coeleſtem, Naturalem, & Humanam.

Prima eſt Summi, ac Aeterni Dei Providentia, qua omnia regit; de qua pulchre Cicero *lib. 2. de legibus*, inquit: *Hanc igitur video ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem neque hominum ingeniis fuiſſe excogitatam, neque fictum aliquid eſſe Populorum, ſed aeternum quoddam, quod Univerſum Mundum regeret imperandi, probibendique Sapientia; & hanc legem Dei Mentem eſſe dicebant.* Huc etiam pertinet illud Boëthii:

O qui perpetua Mundum ratione gubernas!

Coeleſte Platonici fatum appellant, eamque non in ſola mente Divina, ſed in Siderum inclinatione reponunt. Exiſtimarunt enim in ſphaeris, ſideribusque involutam quamdam ineſſe ſeriem futurorum, ac rerum, hic apud Nos explicandarum, quaſi praefigurationem, hominesque certis aſtris accedentibus, vel recedentibus, ſimulque junctis, vel ſemotis, eorumque aſpectibus quoque pacto variatis, interdum vitam longius, ac felicius protrahere, interdum vero interitus acerbiores habere. Quod ita nobis accipiendum eſt, ſola hic eſſe corpora, quae Coeleſtium corporum impreſſionem recipiunt, animis vero noſtris, qui incorporei, ac plane divini ſunt, libertatem nequaquam ulla ex parte imminui poſſe, & a ſiderum converſione neceſſitatem ullam aſſumere. Quod etiam fatetur Cicero, *loco citato.*

Legem naturalem Divini Numinis impreſſionem appellat Angelicus Thomas *1. 2. q. 91. art. 2.* cujus ſolius communicatione omnes innatam vim illam aſſumunt, qua bonum ſemper aliquod ſuapte natura appetunt, juxta interrogationem Regii Vatis. *Multi dicunt, quis oſtendit Nobis bona?* Cui objecto ſic reſpondet: *Signatum eſt ſuper Nos lumen vultus tui, Domine.* Hoc lumen pro lege naturali accipi, exponit D. Thomas *p. 2. q. 9. art. 2.* & Tullius *lib. 2. de Legibus*, inquit, legem naturalem a Dei Mente ortum habere, & ex hoc ortu ipſius arguit praeſtantiam; *Ex qua*, inquit, *illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte eſt laudata: eſt enim ratio mensque ſapientis ad jubendum & vetandum idonea.* Et paulo poſt: *Orta autem ſimul eſt cum mente Divina, quamobrem lex vera, atque Princeps apta ad jubendum, & ad vetandum; ratio eſt recta Summi Jovis.*

Poſt legem naturalem humanam annumeravimus. Profluit haec lex humana a lege naturali, & ab aeterna, ut a primo fonte; cujus principii homines rationis praeſidio adjuti, alia plenius conſtituunt, ac de facto, quae ad bene, & politice vivendum neceſſaria fuere conſtituta; prout Jus gentium prius, deinde Jus Civile emerſit.

Cujus potiſſimum cauſa fuit hominum malitia, omni ſe flagitiorum genere coinquinantium quotidianis furtis, caedibus, rapinis, communes utilitates impedientium, publicaeque tranquillitati rationem omnem conturbantium; quare non tantum Moeniis contra vim externam, ſed etiam legibus contra Civium improbitatem Civitates, atque oppida munire opus fuit, ut recte Horatius *lib. 1. Serm. ſatyra 3. v. 105.*

Oppida coeperunt munire, & condere leges,
Ne quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.

verſ. 111.

Jura inventa metu injuſti fateare neceſſe eſt,
Tempora, ſi faſtusque velis evolvere rerum.

Ab ejuſcemodi hominum improbitate, nihil uſque tutum, nihil tam ſanctum, quod violare ipſi non audeant;

Ut recte Horatius *lib. 1. Ode 3. v. 37.*

Nihil mortalibus arduum eſt.
Coelum ipſum petimus ſtultitia; neque
Per noſtrum patimur ſcelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

Quare, pro hominum nequitia & improbitate, prudentes homines de moribus praecepta tradiderunt, & depravatos hominum mores a vitiis & flagitiis ad virtutem, atque honeſtatem revocare legibus procurarunt; Praemia, & poenas publicare, ut illorum propoſitione allecti, virtutem cuperent homines, vel a coërcitionibus perterriti, ab injuſti via revocarentur. Quas leges porro Mortalibus primum a Cerere datas, Ethnici fabulantur: unde Ovidius *lib 5. Metam. v. 341.*

Prima Ceres Unco glebas dimovit aratro:
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris:
Prima dedit leges. Cereris ſunt omnia munus.

Et Virgilius *lib. 4. AEneid. v. 56.*

Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt; mactant lectas de more Bidentes.
Legiferae Cereri.

Eoque factum, ut ſacra, quae huic Deae fiebant, Theſmophoria, id eſt, legis feraria nuncuparentur. Plinius vero *lib. 8. cap. 56.* Primum Legiſlatorem

Digitized by Google

Lacedaemoniis, Locrenſibus Lycurgum Calabrum, Scytis Zamorym, Magneſiis & Siculis Platonem, Italis Pythagoram: verum primum Legiſlatorem antiquiſſimum omnium Moyſem fuiſſe teſtatur Textus in *cap. Moyſes*, 7. *diſtinct.* Et quod leges extiterint, munus Deorum fuiſſe, & ad quoddam Coelitum Numen relatum, conſtet leges Moyſis ad verum Deum, Spartanas in Apollinem, Minois in Jovem, Solonis in Minervam, Numae in Aegeriam. Romulus jam Urbe condita, tribus rerum publicarum formis Populo praepoſitis (Regia ſcilicet, dominatione Optimatum, & Populari) electa Regia veluti perfectiore, & meliore, Ariſtot. *lib* 1. *Polit. cap.* 7. Manu & ditione Regis incepit gubernare, legeſque promulgare quam plures: ut illam, qua vetabat uxori virum relinquere; aliam, qua omnes vitae neciſque poteſtatem patri in filium conceſſit; illam, ne Proles, niſi Monſtruoſa, necaretur; aliam, ne Bello captae Urbes everterentur, neve eorum ager paſcuus pecori relinqueretur, ſed miſſis in eum Colonis, Romanorum Coloniae conſtituerentur.

Has Romuli leges, aliorumque Principum poſt ipſum, variis temporibus latas, & ſine ordine deliteſcentes, in unum corpus deduxit Sextus Papyrius, conſcripto ea de re nominatim libro, qui poſtea Jus Civile Papyrianum dictus eſt.

In Lucretiam convicio ſequuto, tanto in Regiam poteſtatem Junius Brutus odio flagravit, ut non modo Reges, verum etiam eorum leges, & decreta aboleri voluerit, ne memoria, veſtigiaque legum ulla conſpicerentur: non jure ſcripto, ſed incerto vivebatur, Livius *lib.* 1. *cap.* 59. Cicero *pro Rabirio*; quod genus Politiae ſervandae perenne futurum non potuiſſe obſervatum eſt: quare Spur. Poſthumium Album, Au. Manlium, & Pu. Sulp. Camerinum, qui a Graecis Civitatibus leges peterent, miſſos ad Athenienſes legimus apud Livium *lib.* 3. *cap.* 31. apud Halicarn. *lib.* 2. Unde legum XII. tabularum appellatio ſumpta eſt, qua in decem tabulis aeneis primum, poſtea in 12. inciſas, ac praeſcriptas legimus, & pro roſtris, ut apertius perciperentur, habitas, *l.* 2. §. *Exactis* 3. *D. de Orig. Juris.*

His legibus latis, Prudentium authoritas acceſſit pro interpretatione, & ex modicis legibus, quae XII. tabularum libello continebantur, innumerae leges ſubcrevere juxta illud:

Flumina magna vides parvis de fontibus orta.

Contra Platonis monitum, legum in Republica multiplicitatem omnino prohibentis, Strabo *lib.* 6. *Geograph.* Idem de Judicibus, & Medicis, ne in Civitate multiplicarentur, Socratem conſtituiſſe fama eſt, Plato *lib.* 4. *de Republ.* ejuſque rei Nobis memorabile exemplum praebet noſtra Romana Respubl. quae cum initio perpaucis legibus conſtitiſſet, legum gliſcente copia defecit.

Utinam nunc ſubſiſteret Juſtiniani Edictum in *l.* 1. *C. de Veteri Jure enucleando*, contra quod exierunt tandem profuſi, rancidi, & verboſi aliquorum Interpretum Commentarii, quibus Caulidicorum nequitiis (pace bonorum) faveri videmus! a tot enim Interpretantibus Doctoribus niſi diſſenſionem oriri, neceſſum eſt, juxta illud Perſii *Satyra* 5. *v.* 52.

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus:
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.

Revolventibus poſtmodum annis, a Monarchico ſtatu Tarquinio expulſo, ad Ariſtocratiam Roma defluxit, multis etiam legibus creatis, & Plebiſcituere, & Senatus Conſultis, iterum rebus in unum ceſſis, Principum placita fere innumera. Quorum librorum multitudinem vix aetas Neſtoris tantum legere, nedum ſtudere potuiſſet.

Juſtinianus autem Anno Chriſti Dei 529. Imperator conſalutatus, tanto malo occurrere auſus, alta ſuffultus ope, omnes ſuperiores libros ad numerum quinquaginta coëgit, omniaque utilia coacervavit. Amputatis omnibus quaeſtionibus, nullaque repugnantia relicta, & illis Pandectarum nomen impoſuit, Anno Septimo ſui Principatus 17. Kalend. Januarii *l.* 2. §. *Quae omnia* 9. *C. de Veteri Jure enucleando.* Quatuor ante annis 16. Kal. Maji ſui Imperii anno tertio, Decio Conſule, ſuum Novum Codicem conflari, & componi praecepto dati *l.* 2. §. 5. *C. de Novo Codice faciendo.*

Pandectarum prototypum Amalphi (prope amoeniſſimam Partenopeam Civitatem, legum praeciſe, & Muſarum, omniumque ſcientiarum vere Cultricem, loci) omnem ſupra memoriam, Divinitus, ut creditur, aſſervatum fuiſſe, penes Piſanos, deinde adductum, ipſorum armis illuc delatis adverſus Rogerium Normandum pro Innocentio II. Pontifice Maximo, & Lothario II. Principe: Piſis autem in Florentinorum dictionem redactis, Florentiam tranſlatum eſſe teſtatur Franciſcus Taurellus, ibique funabulis accenſis nonnullis demonſtrari; prout vidiſſe ſcribit Budaeus. Ad Ethymon Pandectarum, earum origine repetita, excurrere Nos ordo repoſcit.

In primis video vocabularii noſtri Authorem Pandectas dici a Pan & decta, τὰ decta pro Juſtitia accipi dicit ipſe; ſed vocabulum neque Latine compoſitum, neque Graece patet. Alterius Idiomatis an ſit neſcio: affirmaverim tamen hoc eſſe deliramentum, ad quod omnes incurrunt illi, qui graeca vocabula reperiunt, & linguae notitia carentes interpretantur; prout ſibi confingunt Ethymum, & derivationem.

Pandectarum igitur nomen a πᾶν omne, & δέχομαι capio: ſic enim Tullius Tiro Ciceronis libertus inter plures libros unum compoſuit de variis, ac promiſcuis quaeſtionibus, quem graeco vacabulo πανδέκτας, inquit Aul. Gellius *lib.* 13. *cap.* 9. inſcripſit, tanquam omne rerum, atque doctrinarum genus continentem. Nec defuerunt, qui libros ſuos Pandectas, id eſt, omnium receptacula inſcripſere; quam inſcriptionem Plinius *in Praefatione* inter illecebroſas, & Magna promittentes enumeravit.

Duplex Pan apud Graecos eſt πὰν πανὸς & πᾶν παντὸς. Utrumque totum ſignificat, ſed primi vocabuli acceptione venit Pan Deus Naturae, de quo Alciatus *Embl.* 97.

Pana colunt gentes, Naturam hoc dicere rerum eſt,
Semicaprumque hominem, ſemivirumque Deum.
Eſt vir pube tenus, quod Nobis inſita virtus
Corde oriens celſa verticis arce ſedet.

Appellant ipſum Arcades τὸν τῆς ὕλης κύριον, de quo Lactantius, D. Auguſtinus *de Civitate Dei lib.* 18. *cap.* 17. Phornutus *de Natura Deorum*; & poſt eum Gyraldus *de Hiſtoria Deorum Syntag.* 15. & Vincentius Chartarius *in Deorum imaginibus*, ac Servius ad *Eclogas Virgilianas*, data ratione, cur totum, cur ſemicaper dicatur, & fingatur.

Pandectae igitur noſtrae omnia capiunt; quorum praeſtantiam conjicere non aliunde poſſumus efficacius, quam ex Cicerone in *lib. de Oratore*, anteponente librum XII. tabularum omnium bibliothecis Philoſophorum; quod non ſine ratione procedit, cum

Concubitu prohibere vago; dare jura Maritis;
Oppida moliri; leges incidere ligno.

Haec omnia continentur in Pandectis: in illis igitur eſt ſapientia; ergo vera Philoſophia.

Alii efficaciori comparatione Pandectarum Excellentiam explicare impotentes, Cornu Amaltheae eas compararunt, ut omnium rerum abundantia ex illis, tanquam a vivo fonte ſcaturiat; juxta illud ex Philemone:

Τὸ τῆς Ἀμαλθείας δοκεῖς εἶναι κέρας.

& Hippodamus Thurius, Concivis meus, omnium Philoſophorum antiquorum facile Princeps, ſi Ariſtoteles defeciſſet, apud Stobaeum, non ſolum leges ipſas, ſed Civitatem legibus refertam Cornu Amaltheae appellat.

Inſuper rei nobilitas a ſuis cauſis deſumitur, caeteriſque adjacentibus a Cauſa efficiente, materiali, formali, finali, origine, loco, & tempore.

Cauſa efficiens Pandectarum fuit Juſtinianus, quem Deum in terris, vel ejus primum Miniſtrum appellant Doctores. Si ergo deſumant Pandectae nobilitatem ex capite cauſae efficientis, qui ſano pollet ingenio non negabit; ſi ſplendorem, intuitu cauſae materialis, quis non videt? Tot ſapientum enim ſunt aeterna monumenta Ulpiani, Papiniani, Pauli, caeterorumque, quos etiam a Barbaris coli legimus: formam autem earum quis non admirabitur? Si vero max me fulgeant Pandectae ex capite cauſae finalis, reticeo: habet enim quis prae oculis, a quonam ſit norma bene vivendi, modos regnandi, ſubditorum optima gubernatio, ipſius animae regimen.

Origine etiam fulgent Pandectae a Divo Auguſto, uno omnium Rege & Monarcha; qui, etſi non perfecerit, tamen reliquit poſteris incitamentum: & Cicero hoc moliri ſperabat, referente Alciato *lib* 1. *Parergon cap.* 30.

Loco, in Civitate Byzantii Romae aemula, & ſimilis.

Tempore ſcilicet acceptabili, cum Barbaries, & rerum imperitia totum orbem invaſerat, & alleverant Chronologiſtae

Tamen haec nihil vos moveant, Scholares optimi! Laudem Pandectarum Vobis recitat Laurentius Valla *lib.* 3. *Elegantiarum*; Laurentius inquam ille Cenſor, ac Criticus Latinorum, Exiſtimator idoneus, acri ingenio vir, & mordicus. De Pandectis tamen audi quaeſo, quid ſcripſerit. *Perlegi proxime*, inquit ille, *quinquaginta Digeſtorum libros, ex plerisque Voluminibus Juris Civilis exceptos, & relegi tum libenter, tum vero quadam cum admiratione. Primum, quod neſcias utrum diligentia ne, an gravitas, providentia, an aequitas, ſcientia rerum, an orationis dignitas praeſtet, & majori laude digna eſſe videatur.* Haec Valla.

IN PANDECTAM PRIMAM.

De Juſtitia, & Jure.

Juri operam daturum prius noſſe oportet, unde nomen Juris deſcendat. Eſt autem a Juſtitia appellatum: nam, ut eleganter Celſus definit, Jus eſt ars aequi & boni. Alio digniore vocabulo non poterant per Ulpianum incipi Pandectae, quam a verbo *Juri*. Etenim Jus cujuscunque boni dominatus dicitvo quatuor ſumma genera adminiſtrandae Reipublicae expreſſit, quarum omnium forma Jus eſt, ex *l.* 11. *verſ altero modo D. de Juſt. & Jure.*

Non obſtant aliqui negantes, Jus eſſe formam Dominationis Oligarchiae (cum Oligarchia ſemper ſumatur pro ſtatu corrupto paucorum) & in partem deteriorem alegant Ariſtotelem *lib.* 3. *Polit. cap.* 5. Platonem *in Politica*, & confirmant exemplis. Etenim dicunt ipſi, legiſtis impias Cinnae, Marii, & Syllae proſcriptiones; audiſtis conventiones & pacta infanda Antonii, Octavii, & Lepidi, ubi etiam de Ciceronis morte (Proh Scelus!) conventum eſt (Plutarchus *in Cicerone*) igitur ſi Oligarchia Jus non cognovit; cur Jus forma hujuſmodi dominationis eſſe poteſt?

Huic Argumento 1. dando Inſtantiam reſpondemus, & ex adverſantibus dictis inferimus conſequentiam; ergo, neque Jus eſt forma Monarchiae: Probo. Audiſtis, quanta auditu indigna edixerint Caligula, Nero, Caracalla, & Eliogabalus Romae? quas leges promulgarint Lyſander, Nicocles, & Piſiſtratus Athenis? quas impias Conſtitutiones Leo Iconomachus, Copronymus, & Phoca Byzantii? & tamen quis unquam ſomniavit Monarchiae animam non eſſe Jus? quod in contrarium dictum eſt, a caſu ſpeciali procedit, a quo nulla deſumitur Regula, *l. Jura. cum l. ſeq. C. de poſtulando.*

Jus ergo eſt forma Oligarchiae, &, cujuſcumque data inſtantia, praecipue in natura ſuperfluum dicendum eſt illud Ariſtotelis & Platonis, ſumentium Oligarchiam pro ſtatu corrupto paucorum non eſſe tutum; cum in contrariam naturam abiere Aeſchines, Herodotus *lib.* 3. Plutarchus *in Monar.* Thucydides *lib.* 1. ſumentes Oligarchiam pro una ex formis bonae politiae. Cicero *pro Caecina*, Jus Civitatis eſt ſpiritus; nil in Civitate tam diligenter retinendum, quam Jus Civile: quod qui contemnit, vincula revellet non modo Judiciorum, ſed etiam utilitatis.

Ad Juris Ethymologiam excurrit Ulpianus, cum dicit, unde nomen Juris deſcendat. Servat hic Ulpianus, quod omnes Stoïci ſervant; ut definitio nominis praecedat definitionem rei, quod Graeci dicunt ὀνοματώδης ὁρισμός. Definitio nominis ὀνοματώδης: Definitio rei οὐσιώδης. Definitis nominis a Cujacio appellatur veriloquium in *l.* 1. §. *cum ſervus* 8. *D. de his qui dejecerunt*; *Si ſervus*, inquit, *nihil nocuit, non recte dicitur ſervi noxa*, in *l.* 12 *D. de furtis*. Si quis non habet, quod perdat, ergo ejus periculo nihil eſt. Et in *l. In lege* 77. *D. de contrahenda emptione*; Si lapis non caeditur eo loci, ergo nulla eſt Lapidicina; & ex Theologis, gratia gratum facit; ergo ſi non facit, gratum non eſt gratia. Homo eſt ab humo; ergo Angelus, qui non eſt ex humo, non eſt homo: bene igitur Cujacius Ethymologiam nominis veriloquium appellat.

Plura exempla videbis in Textu *l.* 1. *de Tutelis*. in §. 1. *Inſtit. de Teſtamentis.* in *l. Tugurii* 180. *D. de verbor. ſignif.* & ex Doctoribus in §. 5. *Inſtit. Quibus modis Jus patr. poteſtat. ſolvitur.*

Eſt enim a Juſtitia appellatum: ſic habetur in Pandecta Florentina, in communi litera replicatur: Jus enim eſt a Juſtitia appellatum. Piſana litera non re-

eſt autem a Juſtitia appellatum. Hac in re [illegible] n[e]gotii nobis dant primo Grammatici; ajunt enim Jus eſſe nomen ſimplex, quod ab alio non procedit, ab Ipſo tamen aliquid eſt: ideo Phyſici dicunt Elementum Simplicia, quia ipſa ab ullo ſunt, ex ipſis omnia; quare Ariſtoteles *lib.* 5. *Metaphyſ. cap.* 4. docuit, Elementum eſſe illud, ex quo primo in exſiſtente indiviſibili in aliam ſpeciem aliquid componitur; & Theologi dicunt Deum eſſe actum ſimpliciſſimum, quia prorſus independens eſt; ſi Jus eſt nomen ſimplex, quomodo Ulpianus ſcit, Jus a Juſtitia eſt appellatum?

Secundo: Vaconius a Vacuna altius, quam Grammatici faciunt, in Ulpianum inſurgit; Juſtitia eſt habitus, ſicuti caeterae virtutes & artes: habitus fit ex operationibus, ut quis non poteſt bene callere artem pulſandi Citharam, niſi prius ſaepius pulſet Citharam; & ſic prius fuit Cithara, quam pulſare Citharam: ergo prius eſt Jus Juſtitia, cum non poſſit haberi habitus, quae eſt Juſtitia, niſi prius habeatur actus replicatus ad ipſam Juſtitiam; quomodo igitur Ulpianus dicit, Jus a Juſtitia eſt appellatum?

Tertio: Docet Agricola, *De Inventione Dialecticae lib.* 1. *cap.* 5. ab hac voce Juſſus Juris vocabulum profluxiſſe, quidquid dicat Franciſcus Connanus *lib.* 1. *cap.* 2. Adeo verum eſſe hoc, ut jus idem ſit ac Juſſus; ut videamus, quae Nos dicimus Jura, vetuſtiores Romanos appellaſſe Juſſa, ex Feſto: ratio eſt, quia in Juribus ineſt juſſus; propterea, & Juſſa idem ſunt; Juſſus non venit a Juſtitia, ergo neque Jus; quomodo igitur Ulpianus, Jus a Juſtitia eſt appellatum?

Defendit 1. Ulpianum Joannes Buridanus, Author non contemnendus, *Moralium quaeſt. q.* 2. diſtinguens de Juſtitia: aut loquitur de Juſtitia Principis, aut de Juſtitia Subditorum; ſi loquimur de Juſtitia Principis, certe quod Jus non appellatur a Juſtitia (nam juſtitia Principis antecedenter ſe habet ad jus, & juſtum; nam Princeps praecipit ea, quae ſunt juſta, & ſic Princeps facit Jus & Juſſum, ſi loquamur de Juſtitia ſubditorum, Jus a Juſtitia eſt appellatum, & habet locum Ulpianus; quia ſubditi debent facere illud Jus, & Juſtum, quae dependent a Juſtitia Principis.

Defendit 2. Ulpianum Albertus Bolognettus *de lege, Jure & Aequitate cap.* 12. *in fine*, diſtinguens de Juſtitia: aut accipitur, prout juſta praecipit, & tanquam legum objectum, & vera ſunt argumenta, contra Ulpianum. Aut conſideratur Juſtitia tanquam Dea; nam Veteres colebant Juſtitiam, ut Deam: Chryſippus apud Gellium *lib.* 14 *cap.* 4. Quam Aſtreae nomine hominum probro, atque ſcelere terras reliquiſſe, & in Coelum aſcendiſſe cunctam cecinit Poëta noſter Neapolitanus Actius Sincerus Sanazarus; & de hac Juſtitia, ut Dea, loquitur Ulpianus. Quam incompetens eſſet, ut Deam, a ſolo Jove profectam, a jure procedere! Quod autem ut Deam hic acceperit Ulpianus, ſuadet contextus; cum ſubſequutus fuerit cujus Nos merito quis Sacerdotes appellet

Argumenta in contrarium refellenda ſuſcipimus. Non obſtat 1. argumentum Grammaticorum: Jus eſt nomen ſimplex, ergo non poteſt derivari a Juſtitia; cum reſpondeat Raevardus *de juris ambiguitatibus lib.* 1. *cap.* 2. Jus ſecundum nomen acceptum, & materialiter a jure non dependere. Sed Ulpianus hic accipit jus pro actu, quem Juſtitia [illegible] puniendum, rem eſſe vendendam quanti valet; haec enim juſta ex ſe ſunt, licet depoſitum non reddatur, fur non punitur. Tamen juſtum eſt a natura furem puniri, depoſitum reddi; & hoc modo jus non pendet a juſtitia.

Aliud jus eſt reddere depoſitum, punire furem, vendere rem quanti valet; & hoc jus venit a juſtitia, in quo ſenſu loquitur Ulpianus.

Tertium Argumentum Agricolae ſolvitur: Juſſus non dicitur a juſtitia; ergo neque jus, quod idem eſt, ac juſſus, prout Feſtus ait: Dici quidem Jus juſſum, quia juſſus interdum eſt effectus Juris; re vera tamen jus, & juſſum non ad invicem convertuntur; cum jus aliquando ſtet pro Judice, imo Judex dicitur jus animatum, ut docet eruditiſſime Illuſtriſſimus Dominus Meus Carolus Emmanuel Vizanus *de mandatis Principum cap.* 5. *num.* 32. ex Ariſtotele *lib.* 5. *Ethicor. cap.* 4.

Subſequitur Ulpianus: *Jus eſt ars aequi, & boni*; ſtatim legum altitudini invidentes, ex hac Ulpiani propoſitione inferunt; ergo lex non eſt ſcientia: ſane quidem inepta imperitorum conſequentia!

Videamus igitur, in quo ſenſu jus dicatur ars; Galenus *lib.* 11. *Therapeut.* Omnis ſcientiae duas eſſe partes docet, Methodon, & Aſcenſin; id eſt, viam, & exercitationem. Non enim, inquit Galenus, poſſumus alicujus nobis artis ſcientiam comparare. niſi & commentationum in univerſum viam quamdam praenoverimus, & per ſingularum rerum exempla artis meditationem exercuerimus. Si accipiamus, quoad Methodon, ſcilicet, quoad viam, non poteſt eſſe, niſi ſcientia, quia meditatur, & contemplatur principia naturalia, an his ſint conſonae diſpoſitiones Principum, vel non: & an hoc principium ſit aptum huic modo politico vivendi, nec ne. Et ſic habet rationem ſcientiae; de cujus ratione ſunt tria, veritas, certitudo, & evidentia.

Quare jus cum ex ipſius naturae principiis deſumatur, & ipſi naturae ſupponimus, debere eſſe conſonum (alias tyrannidem diceremus) eſt certum, verum, & evidens. Si loquamur de jure, quoad Aſcenſin, ſcilicet quoad exercitationem, dicendo Jus eſſe artem, Juriſtis nihil officit; cum ipſa Philoſophia ſpeculativa, ad exercitium reducta, ars eſſe dicatur, ex definitione artis, quae eſt habitus directivus factionum.

Praeterea ſi velimus ſtare diviſioni artium, a Philoſophis partitarum, Artem triplicem eſſe dicunt, liberalem, ſervilem, & Mechanicam.

Artes liberales ſeptem; Rhetorica, Grammatica, Dialectica, Muſica, Aſtrologia, Arithmetica & Geometria.

Serviles; Agricultura, Venatoria, Militaris, Fabrilis, Barbitonſoria, Textoria & Nautica.

Mechanicae quam plurimae; quare non reperitur inter haec enumeratum jus.

Nec eſt, quod nobis objiciant Ariſtotelem *lib.* 1. *Analyticor.* per quem ſcientia firma, certa, & nunquam declinans notitia eſt, utque tradi vulgo ſolet, per infallibiles cauſas cognitio.

Sed Jus Civile in variatione, & continuis rerum fluxibus conſpicitur, *l. ult. D. de Conſtitutionib. Princip. Cap. Non debet* 8. *de Conſanguinitate & Affinitate, in Decretal.* Facit quod dixit Livius *lib.* 34. *cap.* 6. Ut enim in navis adminiſtratione alia in ſecunda, alia in adverſa tempeſtate uſui eſſe videmus, & experimur; ſic leges mortales ſunt, ac temporibus ipſis mutabi-

ſtitutiones Civiles pro rerum, ac temporum varietate mutentur, ſemper tamen neceſſum eſt, eas rationem habere cum bono publico, & eas, quas pro tempore renovant Principes, Juri naturae conſonas oportet promulgare, *l. 1. C. de Legibus*: niſi velis ex legibus Heliogibali jus eſſe ſcortari & adulterare Julienſibus ſexagenarios, Derbicibus ſeptuagenarios jugulare: quod neque ſane lex dici poteſt, cum ad publicam utilitatem non referatur. Thomaeus *lib. de Variis Hiſtoriis* 3. *cap.* 71. Cicero *lib.* 2. *Rhetoricor.*

Jus eſt ars aequi, & boni. Quid aequum hic eſt, alter labyrinthus, Divus Thomas, 2. 2. *q.* 120. *art.* 1. ex *l. Placuit* 8. *C. de Judiciis*, docuit aequitatem non opponi ſeveritati, ſed ſtricto juri: poteſt enim committi aliquod ſeverum, & eſſe aequum. De aequitate in varias DD. abiere ſententias.

Aequitatem alii dixerunt referri ad tranquillam animi affectionem, ab omni indignationis impetu alienam; quam Graeci συγνωμοσύνη vocant. Et in hoc loquutus eſt Cicero *pro Marcello*, aequitatem animi definiens. Sic Plautus *in Aulularia Act.* 2. *Sc.* 2. *v.* 10. *Pol ſi animus eſt aequus Tibi, ſatis habes, qui bene vitam colas.* Cicero *de Senectute* dixit: *Sapientiſſimum quemque aequo animo mori, ſtultum iniquiſſimo.*

Alii (ut Cicero *in Topicis*) aequum referri ad Juſtitiam: nam juſtum, & aequum differunt tanquam genus a ſpecie; omne enim juſtum eſt aequum, non e contra.

Alii aequitatem referunt ad benignitatem & pietatem; Ariſtoteles *lib.* 1. *Ethicor. cap.* 13. Quae quidem benignitas & aequitas maxime in Trajano Principe effulſere. Ille enim primus illud maximum pietatis opus, & nunquam ſatis laudatum in Civitate Romana conſtituit, pauperibus, & dejectis perſonis Advocatum conſtituere, ut gratias eas patrocinio ſublevaret; prout crudite refert Illuſtriſſimus Dominus meus & Diſcipulus olim Jacobus de Rubeis, optimae indolis Juvenis, *de Origine, & Munere Advocatorum Sacr. Aulae Conſiſtor. cap.* 7. *num.* 42.

Accurſius ſumit aequitatem pro quadam convenientia, quae in paribus cauſis paria Jura deſiderat; pro temperantia & aequalitate, *l. Scire oportet* 13. §. *Si maxime* 2. *D. de excuſat. Tutor. l. Illam* 19. *cum Authent. ſeq. C. de Collationib.*

Coraſius, ſummae eruditionis vir, bonum & aequum eſſe rectam animi conſtitutionem docet, & benignam Juris ſcripti interpretationem, quam prudens Judex, ubi legis aſperitatem agnoſcit, ſuo conſilio ſemper adhibere debet; veluti lex praecipit interfectorem interfici, aequitas hoc non exſequitur in caſu, quo interfectio caſu, vel neceſſitate ſequuta eſt. Veluti apud Thebanos lex erat, ut defunctus Magiſtratu mox dimitteret exercitum, alias poenam capitis ſubiret: Pelopidas, Epaminondas poſt illam inſignem Leuctricam Victoriam ultra tempus exercitum retinuere: quare ad mortem vocati, adducta ratione, cur ultra tempus retinuiſſent, ſcilicet, ut omnino Spartanos profligaſſent, optimo jure abſoluti ſunt; & Marius Trebonium militem Adoleſcentem, qui Cajum Luſium

formari poterat, & ſubinde immutari. Ita Judices leges accommodare oportet moribus hominum, & legibus derogare, cum neceſſitas ita expoſtulaverit; & ſicut Caementarii, Fabri, & Autores Lesbia norma utuntur, ita Judices bonum, & aequum in judiciis ante oculos habeant, ex Text. *in l. Quod Epheſi.* 4. *D. De eo quod certo loco.* & *l. Placuit* 8. *C. de Judiciis*, quare & titulum *De Publiciana in rem actione*, *De conſtituta pecunia*, actionem *de Peculio* caeteraque praeterita Decreta de bono, & aequo introducta eſſe ſatis ſuis locis docuimus.

Explicatur tandem, quid ſit aequum & bonum. Bonum, ſi largiſſime ſumatur, eſt, quod omnia appetunt. Appetibilia autem tria ſunt; honeſtum, utile, & jucundum: & unumquodque eorum dicitur bonum; quia appetibile, 8. *Ethic.* Quod bonum hoc modo ſumptum, aliud eſt bonum per ſe appetendo; quoddam propter aliud 1. *Ethic.* Ut ſanitas eſt bonum per ſe; Medicina vero propter aliud, ſcilicet ob ſanitatem. Matrimonium bonum per ſe 1. *Politic.* foeminas eſſe dotatas eſt bonum propter aliud; ſcilicet, ut facilius poſſint nubere *l.* 1. *D. Soluto Matrim.* Hoc bonum per ſe Bartolus appellat bonum principaliter; & quod eſt bonum propter aliud, ſecundario bonum.

Item lex eſt bonum per ſe; legem obſervare eſt bonum propter aliud, ut Cives propter leges bene, & feliciter vivant, *l.* 2. *D. de Juſtit. & Jur.* & 10. *Ethic.*

Quantum ad aequum in tres dividi partes, in aequum legale, naturale, & reale: Aequum legale dicitur omne id, quod fit ſecundum leges; & omnia, quae ſunt a lege determinata, aequa legalia appellare licet, 5. *Ethic.* Aequum naturale pro omni eo, quod legi naturae adaequatur, ſumitur; utpote ſervare voluntatem defuncti §. *per traditionem* 40. *Inſt. de Rerum diviſione.*

Aequum reale conſideratur in Commerciis; & eſt medium inter plus, & minus lucrum, & damnum, 5. *Ethic.* ex *l. Jure ſuccurſum* 6. *D. de Jure dotium*; ut contrahentibus licitum eſt inter ſe decipere, *l. Item ſi pretio* 22. §. *fin. D. locati cond.* non tamen ſequatur enormis laeſio; quia tunc ex aequitate reſcinditur, *l.* 2. *C. de reſcind. vendit.*

Hinc alia difficultas inſurgit, an legendum ſit; jus eſt Ars aequi & boni; an vero aequi boni identice, & contractive.

Accurſius noſter diſtinguit aequum & bonum; ſed non eſt tutus. Ariſtoteles uno verbo complectitur aequum & bonum, dicendo Ἐπιεικὴς, quod interpretatur Budaeus aequum bonum; & ita ſcripſerunt multi. Cicero *in Bruto*, *Aequum bonum, teſtamentorum ſententias, tutatus eſt.* Et *ad Atticum lib.* 1. *Tranquillus animus meus, qui totum illud aequi boni fecit.* Livius, *Caeterum ſi vos nec cura Civitatis, nec exemplum, nec periculum movet, aequi boni facimus.* Et Cicero *in Philippica* 2. *A quo vivo neque praeſens, neque abſens, quidquam aequi boni impetrabit.*

Hoc aequum bonum opponitur Stricto Juri, non autem rigoroſitati; ut ſupra cum D. Thoma. Quid ſit ſtrictum jus, habetur *Sapientiae* 11. *Per quae peccat quis, per haec & torquetur*: & magis

Digitized by Google

vidiſſet, & filii Imperio interiit, ut tandem ſenſit Viperam fuiſſe. Aliud exemplum ſtricti Juris patet in Turino illo, fumi venditore ſumo necato, ut ſcribit Eraſmus, Praecone paſſim clamante; qui ſumum vendidit, fumo vitam finit.

§. I.

Cujus merito quis Nos Sacerdotes appellet. Juſtitiam namque colimus, & boni, & aequi notitiam profitemur: aequum ab iniquo ſeparantes; licitum ab illicito diſcernentes: bonos non ſolum metu poenarum, verum etiam praemiorum quoque exhortatione efficere cupientes: veram niſi fallor philoſophiam, non ſimulatam affectantes.

Juris Conſulti Sacerdotum nomine εὐλόγος ſcilicet cum ratione decorantur. In promptu eſt ratio, quia juſtitiam colunt, quae Themis apud Graecos, ut Dea, credita eſt, Authore Feſto. Propterea apud Homerum θεμιστεύειν vaticinari, piacula dare, leges ferre, jura reddere ſignificat.

Alii Juſtitiam δίκην dixerunt, Deam Judiciorum ejusque Miniſtros δικαστὰς, id eſt, Judices. Euſtathius enarrans illud Homericum (*primus Iliadum*) Diceu, & Themin idem eſſe autumat: propterea, inquit, δικασπόλους, id eſt, eos, qui circa reddenda Jura verſantur, Theſmophylacas eſſe ſignificat, id eſt, Legum Cuſtodes. Bene ergo Celſus Juriſtas Sacerdotes appellat; parique voce Cynicus ad Theodoſium, & Valerianum Imperatores, *oro*, inquit, *Vos Juriſtae Sacerdotes.* Fuerunt apud Romanos olim Sacerdotum varia genera, Flamines Diales, Martiales, Quirinales, Salii, Pontifices, Minores, & Maximi; quorum omnium praecipuum munus erat juſtitiam, Dei filiam, colere, & in publicum prodire, ut de futuris reſponſa conſulentibus darent.

Vel Sacerdotes appellamur, quia Juris cognitio Sanctiſſima res eſt, *l. 1. §. Proinde 5. D. de var. & extraord. cognit.* imo ipſae leges, ſacrae, & ſacratiſſimae dicuntur, *l. Leges 9. C. de Legib.*

Non te lateat, leges poſſe dici ſanctas, dupliciter: Primo, quando aliqua poena ſancitae ſunt, *l. Sacra 9. §. 3. D. de Rer. diviſ. l. Sanctio 41. D. de poenis:* quare lex permiſſiva, imperativa, non poenalis Sancta non eſt; unde lex Valeria, quae Civem Romanum, qui provocaſſet a Magiſtratu ad Populum virgis caedi, ſecurique necari vetuit, Livius *lib.* 10. 9. Sancta non dicitur. Pariter lex Theodoſii, ut & Matres ſecundis nuptiis ſe abſtineant extantibus liberis, *l. 2. §. ultimo. C. Theodoſ. de Secundis nuptiis*, non poteſt dici Sancta.

Secundo, dici leges ſanctas a rebus ſanctis, ut *tit. 1. C. de Summa Trinitate, & fide Cathol. de SS. Epiſc. de Epiſcop. & Clericis*; tamen quaelibet lex re vera dicitur ſancta, ſaltem a cauſa efficiente, vel a cauſa finali, quare bene Juriſta dicitur Sacerdos. Hinc notatu dignum eſt, qui publicum Juris Profeſſorem publico Salario conductum offenderit, publici criminis reum eſſe, & accuſationem publicam *l. 1. C. de Decretis Decurion. lib.* 10.

Sanctum etiam dicitur, ex quo nihil expromere licet; Cicero *in Verrem Actione 5. Primus mihi li-* hominum more poſitum fuit, ut qui legatos hoſtium, vel minimum violaſſet, hoſtibus ipſis dederetur, ut de Lucio Minutio Mirtilio, & Lucio Mallio legitur apud Livium *lib.* 38. *cap.* 42. qui cum legatos Poenos pulſaſſe dicerentur, juſſu Marci Claudii Praefecti Urbis per Feciales Carthaginem miſſi ſunt. Ea de re legati dicuntur Sancti, hoc eſt, ab omni hominum injuria tuti, *l. ult. D. de legation.* & ſi quis injuriam irrogare legatis auſus fuerit, lege Julia de vi publica tenetur, *l. 1. §. fin. D. ad l. Juliam de vi publ.* quare violatos legatos bene ulti ſunt Romani, ut legitur de vindicta in Teucram, Illyricorum Reginam, quae Coruncanum, unum ex legatis, libere obloquentem, truncari juſſit, Polyb. *lib.* 2 *Hiſtor.* Idem de Mithridate legitur, qui Marium, Romanorum legatum, ligatum aſino traduci juſſit per civitatem, ore auro pleno, vel oppreſſo, Romanis avaritiam objiciens, Appianus Alexand. *in Mithridate.*

Legati igitur dicuntur Sancti, item Juriſtae; quia Sacerdotes, alio nomine Antiſtites; & ideo Antiſtites, quia Primarii Templorum, & Sacrorum Sacerdotes caeteris anteſtarent, & antecellerent, tranſlata Metaphora ad eos, qui, in aliqua ſcientia Principem locum obtinentes, Antiſtites vocitantur Sic Servium Sulpicium Antiſtitem dictum eſſe conſtat. Quintilian. *lib.* 22. *cap.* 1. & Platonem, ut refert Plinius *lib. 7. cap.* 30. *Platoni*, inquit, *Sapientiae Antiſtiti Dionyſius Tyrannus navim miſit obviam.*

Ulpianus, ut magis magisque Nos eſſe Sacerdotes Juris oſtendat, ait, aequum ab iniquo ſeparare, licitum ab illicito diſcernere, per hujusmodi ſeparationem Juriſprudentiam Medicinae comparari: nam, ut Medicina tam ſalubrium, quam inſalubrium Aphoriſmos colligit, ut a ſingulorum cognitione facilius vitentur adverſa, & congrua ſibi tutius eligantur; ita jus aequi & iniqui fontes oſtendit, quo licitum ab illicito, juſtum ab injuſto Juriſconſultus probe diſparare ſciat.

Differentia eſt inter licitum, & aequum; licitum eſt, quod legibus ſcriptum conceditur; aequum eſt, quod, etſi legibus ſcriptum non ſit, tamen juſtum, & bonum eſt: vel licitum eſt aequitas ſcripta; aequum aequitas non ſcripta. Goveanus *variar. lection. lib. 1. cap. 17. num.* 3. addit, licitum & illicitum in eadem lege dici, quid legibus, vel permittitur, vel prohibetur; ita ſumitur illicitum *in l. Quidam Hiberus* 13. *D. de ſervitut. praedior. urban. in l. Semper in conj.* 42. *D. de Ritu Nuptiar. in l. 1. D. de his quae poenae cauſa &c. in l. Tranſigere* 18. *C. de Tranſactionib.*

Docet etiam Ulpianus, quid etiam efficiat Juriſta: bonos ſcilicet Cives facit. Ariſtoteles 5. *Ethic.* ait, Non idem forſitan eſſe bonum Civem, & quamvis dicat ἴσως, hac particula ſulciunt potius DD. propriam ſententiam, juxta illud Accurſii:

Sub dubio forſan reſpondent ſaepe Periti.

Bonus Civis eſt, inquit Philoſophus 1. *Politic.* qui ſollicitus eſt de ſtatu Reipublicae, in qua verſatur, & qui totis viribus conatur augere & etiam retinere; ut fuit Cato Uticenſis, qui partes Pompejanas ſemper ſequutus Caeſarianis armis, undique victoriam ſibi parantibus, potius mori liber, quam in Patria ſerva vivere ſolutus ſibi omnino elegit. Bonus Vir eſt, qui juſtus eſt, qui nocet nemini, prodeſt multis.

Ul-

Digitized by Google

[illegible] Hieronymus [illegible],
& Magiſter meus Optimus, & Acutiſſimus, cujus ingenii felicitatem vix in aliquo obſervare potui. Potentia appetitiva hominis correſpondet potentiae cognoſcitivae ejuſdem: ſed potentia cognoſcitiva hominis eſt indifferens: ergo etiam potentia appetitiva. Ex haec eſt formaliter libertas.

Praeterea, ſi non eſſet in homine libertas, fruſtra Nos leges invitarent ad Virtutes, Objurgationes, Vitii, Prohibitiones, Conſilia; laudes gratu darentur & eſt ratio Tullii, quem affert Cujacius hic niſi Nos fato ſubjiceremur, ut multi antiqui Philoſophi arbitrati fuere, ſublata omni libertate infallibili, & fatali neceſſitate omnia evenire, vel influxu aliarum cauſarum, Stellarum, Coelorumque; quem errorem ſequuti ſunt Phariſaei, Simon Magus, Lutherus, quos reprobat Angelicus Thomas 3. *contra Gentes cap.* 85. In Nobis vero concludendum eſſe libertatem (patet veritas ex legibus noſtris, punientibus delinquentem etiam ex ebrietate, cum in ejus voluntate fuerit ſe inebriare, vel ſobrius eſſe, *l. omne* 6. §. 8. *D. de re militari*; & ignoranter peccantem etiam poenae ſubjici) docent *Text. in l.* 1. *D. de legib.* & in *l.* 2. *D. de termino moto*: Si ergo libertas, ut probatum eſt, in Nobis eſt, nonne ſumus liberi ad bonum? Quomodo igitur per Ulpianum bonus efficitur, ſi principium boni, & mali in Nobis eſt? ut bene Cujacius hic.

Ab his Ulpianus paucis defenditur, Juriſtas, leges, Principes exhortari ad bonitatem, non facere Nos bonos, tantum punire, ſi committimus malum; ſi bonum, afficere praemio, omnes ad bonum alliciunt, flectunt, bonos ex praemio, malos ex poena, juxta illud:

Oderunt peccare boni virtutis amore:
Oderunt peccare mali formidine poenae.

Quare bene dixit D. Apoſtolus, Principes & Magiſtratus ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum a Deo miſſos; & Democritus duos eſſe Deos conſtituit, beneficium ſcilicet & poenam: & ſic bene dixit Ulpianus, partim praemiis, partim poenis leges, legumque Conſulti bonos cupiunt efficere; quod etiam legimus in Philoſopho 3. *Ethic.* Ibi (legum Conditores punire Sontes, Inſontes praemiis afficere, & eos quaſi exhortari, illos dehortari) Solo netiam duabus rebus dixit Rempublicam contineri, praemio, & poena; Amore, & Timore: quibus Demoſthenes contra Leptinen non facile Rempublicam conſiſtere probat ibi, ubi non eſt praemium Virtuti praepoſitum; & poena ſceleri.

Ex quo duplici modo continendi, bono & malo, amore & poena, Theologi duplicem timorem docent, timorem filialem, & ſervilem. Filiali timet quis peccare, ne Deum Bonum Benefactorem offendat; ſervili, ne cruciatibus teneatur aeternis. Uterque tamen ſufficiens, & aptus eſt natum hominem reddere amicum Deo, ut didiciſſe memini a Magiſtro meo Hieronymo Serſale e Doctiſſima Religione Societatis Jeſu, Optimo Theologo, candidiſque moribus Viro in tractat. *de Divina gratia.*

Addit in extremo Ulpianus noſter haec verba: *veram, ni fallor, Philoſophiam affectantes.*

[illegible] Phyſica vigere, quam ipſe [illegible] ex Ionia Athenas invexit; ex Calabris, qui Ionii ſunt, igitur Athenienſes recepere Philoſophiam: quo igitur vinculo Athenis Roma devincta eſt, propter leges acceptas, eo prorſus Athenienſis Republica Calabriae, cum in Ipſam ex Ionia tranſmigraſſet Phyſica; teſtimonium affero neque Ionium, neque Romanum, ſed bene cantantem Gallum Coratium, ſcilicet Tholoſaten, in *l.* 2. *de legib. mon* 17.

Confirmaturque Coraſius ex hominum qualitate, quos Ionia genuit, Timaeum ſcilicet, Platonis Magiſtrum, Parmenidem; Meliſſum, Pythagoram ipſum, Hippodamum, Thurium, aliosque; quos non capiunt Graeci Codices.

Dialectica a Zenone Eleate Pyreti filio, & Parmenidis auditore initium ſumpſit.

Ethicae primus inventor Socrates, Archelai diſcipulus; quae Ethica ad mores, & ad omnem vitae conſuetudinem accommodata eſt, Cicero *in Oratore.*

Ethicae vero pars in ſectas decem diſſecatur.

Quarum praecipuae ſunt Academica, cujus Princeps Plato fuit; Peripatetica, quae Principem habuit Ariſtotelem; & Stoïca, quam Zeno primus inſtituit.

Academici dicti ſunt a nemoroſo loco, ab Athenis mille paſſus diſtante; qui Academia dicebatur, ubi Plato natus eſt, & Philoſophiam frequenti auditorum concurſu profeſſus: quorum doctrina fuit opinari, veriſimilia probare, dubitando ſemper, nihil affirmando, Cicero *lib.* 2. *Tuſcul.*

Peripatetici ambulando, cum inambulantes diſputarent in Lyceo (Gymnaſium erat juxta Athenas) Hi in bonis animi, fortunae, & corporis poſuere beatitudinem, Lactantius *lib.* 6. *de vero cultu*

Stoïci vero a graeco vocabulo [illegible] nuncupantur. Hi nullum bonum praeter virtutem exiſtimantes, in ſola animae virtute vitam beatam collocarunt; etſi commoda corporis, & fortunae deficiunt, & adſint incommoda; quare dolores, cruciatus; naufragia, paupertates, mala non ſunt per eos: D. Auguſtinus tamen *lib.* 5. *de Civitate Dei* potius Peripateticis aſſentitur, cum felicitas ſit ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus, Boëthius *lib.* 3. *de Conſolat. Philoſ.*

Hae ſententiae viguere uſque ad Joannem *cap.* 17. *vſ.* 3. diſerte praedicantem; *haec eſt vita aeterna ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Is, cui hoc a Coelo largitur, vitae hujus beatitudinem perfecte poſſidet, huic poteſt accommodari illud:

Hic ſolus ſapit, aſt alii velut umbra feruntur.

Ex his omnibus Ethicam veram Philoſophiam eſſe conſtat. Quod jus noſtrum ſit Ethica, ſatis ſuperque eſt videre ex legibus, & praeceptis; non credis? occide, furare, in tuum Principem molire, quid tibi eveniat referas, ſi potueris; bene ergo Ulpianus, *veram philoſophiam affectantes.*

Neque tandem dicas, cur Ulpianus dixerit, *niſi fallor*; Ulpiano igitur non fuit certum jus eſſe Philoſophiam. Jam dixi ſuperius, ſapientes hoc adminiculo propriam fulcire ſententiam juxta illud:

Sub dubio forſan reſpondent ſaepe Periti.

dotibus, in Magiſtratibus conſiſtit. Privatum Jus tripartitum eſt: collectum etenim eſt ex naturalibus praeceptis; aut gentium; aut civilibus.

ταύτης τῆς ἐπιστήμης ſcilicet hujus Studii duas eſſe poſitiones: publicum, & privatum.

POſitiones dixit Ulpianus, exemplo Stoïcorum, ex quibus Apollodorus, quas alii vocant ſpecies, vel formas, ipſe dicit τόπους locos, ſeu ſitus. Poſitio theſis graece. Theſis differt ab axiomate, ut inquit Joannes Gramaticus, Ariſtotelis interpres: per hoc theſis indiget aliqua probatione, ſeu demonſtratione, & ex ſe ſtatim fidem non facit; ut illa propoſitio, Natura eſt principium motus, & quietis.

Teſtamentum ultima Teſtatoris diſpoſitio, cum haeredis Inſtitutione, quae niſi probentur, Diſcipulis non ſatisfacimus. Quae quidem theſis dividitur in hypotheſin, & definitionem; de quibus nihil ad Nos hic. Poſitio etiam ponitur pro natura cujuſque rei. Quintilianus ſimplices voces poſitione, ſcilicet natura ſua conſtant.

Axioma eſt omnino non demonſtrabile; ut ſunt propoſitiones immediatae, & communes animi conceptiones; ut ubi Deus non eſt principium, nihil boni ſuperaedificari poteſt. Deus & natura nihil fruſtra agunt, & hujuſmodi.

Hanc diviſionem Juris in publicum, & privatum legimus in Plinio *in Epiſt.* Ariſtonem peritiſſimum fuiſſe tam publici, quam privati Juris; tamen ſine cenſura non eſt, ſi Ulpianus duos eſſe locos dixit publicum, & privatum. Privatum triplex naturale, gentium, & civile: conſequentia non eſt neceſſaria; nam jus publicum, neque naturale, neque gentium, neque civile eſt: non naturale, cum hoc aeque commune ſit Brutis; publicum tantum rationalibus, cum bruta, neque Sacros, neque Sacerdotes, neque Magiſtratus habeant, & quidquid publici eſt legibus habetur, & moribus, ut eleganter Connanus *cap.* 4. praeterquam quod diviſio unius non infert neceſſitatem diviſionis alterius, ut animalis, alius Homo, alius Aquila; Hominum, alius Romanus, alius Barbarus; igitur per quod Homo dividitur, etiam Aquila: unde eſt iſta neceſſitas?

Publicum jus, inquit Textus, *eſt, quod ad ſtatum rei Romanae ſpectat*; Rei Romanae dixit, aut alterius Reipublicae, ſive Monarchiae, hoc eſt, unius Principatus, ut Romanus, ſub ſuo Summo Pontifice ſine Ariſtocratia, qualis nunc apud Venetos, ſive Democratia, ut olim apud Athenas; nunc apud Helvetios, & Anglos. Rei verbum appoſuit Ulpianus generale, & commune juxta illud Virgilii *lib.* 3. *Aeneid. v.* 1.

Poſtquam res Aſiae Priamique evertere gentem.

Expreſſit rem Romanam; nam tunc temporis Romana Urbs rebus potiebatur juxta illud Virgilii *lib.* 1. *Aeneid. v.* 283.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Privatum Jus triplex eſt (docet Ulpianus) *naturale, gentium & civile.* Ratio hujus partitionis eſt ex triplici hominis conſideratione. Eſt enim homo ſub illo principio intrinſeco ſentiendi, quod facit hominem animal; deinde aſcendit ad illum gradum differentialem rationis, unde homo, & ſic jus gen-

eſt, ut hic, quod omnia animalia docet. Accurſius hic naturam Deum dixit, & laudat Cujacius: quare non ſine ratione Graeci authores Diagoram inimicum naturae appellarunt, ſcilicet Dei: Diis enim ob depoſitam Amico pecuniam, deinde negatam, videndo adhuc eum commiſſo ſcelere rem bene feliciter agere, inimicus factus eſt, adeo ut θεομάχος diceretur, & ſimulacrum Herculis in coquendis lenticulis igni ſubjecerit irridendo, 13. laborem perfice, Diagorae Athei lentem coque. Alciatus, *Parerg. lib.* 9. *cap.* 15.

Accurſius in hoc imitatus eſt Stoïcos, quos ſemper Juriſconſulti ſequuti ſunt. Stoïcis Natura Deus eſt ex Lactantio *lib.* 7. Hominum cauſa omnia facta Stoici loquuntur; hoc ipſum Tullius demonſtrat 2. *de natura Deor.* Jus ergo naturale eſt, quod Natura, id eſt, Deus parens rerum omnium. Corraſius Naturam hic dixit inſtinctum & affectum, quo monemur & impellimur aliquid recte agere: quem inſtinctum non quamcunque naturae inclinationem intelligas, dicit ipſe (alioquin hinnitus in Equis, volatus in Avibus, mugitus in Bobus, & ſimilia dicerentur Juris naturalis; quo nihil eſt abſurdius) ſed tantum ea, quae ad victum movent, & injuſtum prohibent. Tullius *lib.* 2. *de Invent.* naturam ſumit pro illis honeſtatis & Juſtitiae principiis, & quaſi ſeminibus, animis noſtris inſertis, ad Deum colendum, majoribus parendum, fidem ſervandam, & id genus alia: verba Tullii, Natura Jus eſt, quod non opinio genuit, ſed quaedam innata vis inſeruit, ut Religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obſervantiam & veritatem.

Epicurus naturam appellat Prolepſin, id eſt, anteceptam animo rei quandam informationem, ſine qua nec intelligi quidquam, nec quaeri, nec diſputari poſſit; quae primae notiones ab eodem dicuntur. Alii praeſumptiones, vel praenotiones vocant, id eſt, Enneas, quas D. Auguſtinus *de Civitate Dei lib.* 12. Notiones interpretatur, quaſi communes intelligentias: Autopiſta dicuntur, quaſi per ſe fidem facientes.

Alii Naturam eſſe complexum omnium eorum, quibus humanae gentes utuntur, quamvis non a ſola ratione monſtrata: & in hoc ſenſu videtur Ulpianus hic accepiſſe naturam, cum dixit, omnia animalia docere; ergo jus eſt commune cum Brutis, quod impugnat Cujacius. Ratio eſt ſenſus animi, & non corporis, *l. quamvis.* §. *quamvis D. de acquirenda poſſeſſione*; ergo non poteſt conſiderari in Brutis: quod etiam docent Stoïci, nullum nobis eſſe jus commune cum brutis; diſſentit igitur a ſuis Stoïcis Ulpianus. Praeterea Jus & injuria opponuntur inter ſe, ſed non in ſubjecto, ut qui capax eſt juris, & etiam injuriae. In bruta injuria non cadit; ergo neque jus: igitur Brutis nullum eſt jus. Ergo non poteſt dici, jus naturale eſt, quod natura omnia animalia docet.

Hiſce objectionibus reſpondetur jus eſſe non tantum ductum naturae, ſed etiam quod rationi conſequens & proximum eſt; licet ratione non fiat, ſed innata quadam vi, ut communis omnium animalium conjunctionis appetitus. Quare conjunctio ipſa dupliciter poteſt fieri. Primo, ex deſiderio illo procreandi prolem, & procreatam educare, quae in homine conſideratur: quam conjunctionem Noſtri

Ro-

ſcriptum eſt, deficit. Dogma Stoicorum tale eſt: nullum commune eſt jus nobis cum brutis, id eſt, nullo juris vinculo ſocietatiſve nos alligari brutis: hominum inter homines Juris eſt vinculum hominum, & brutorum nullum: non impune necari Beluam ab homine, contra Pythagoram, docentem, juris vinculum nobis eſſe cum brutis, hac ratione, quod unus ſit ſpiritus, id eſt, una continuata motio ἐνδελέχεια· ſed ſomniatus fuit Pythagoras. Hoc modo interpretatur Stoicos Cujacius, quod ſi verum eſt hoc, non diſcedit a Stoicis Ulpianus; parique modo ruit Laurentius Valla *lib.* 4. *Elegantiar. cap.* 48. ridens Ulpianum, ex data definitione. Etenim non eſt excogitandum Ulpianum definiiſſe, quidquid omnes natura docuit, etiam Beſtias jus poſſe dici, quamobrem nec bibendi jus eſt: ſed maris & foeminae legitima conjunctio, liberorum procreatio, & educatio, juris ſunt naturalis, etiam beſtiarum exemplo, quas naturae ſolus inſtinctus invitat his in rebus ad Juſtitiam; non quod eas juſtas exiſtimemus, ſed quod ab eis ducantur initia juris naturalis, & in eis aliqua praecepta diligentiae, caſtitatis, & caeterarum virtutum petere poſſumus, praecipue a certis brutis, ut ſcribit Tullius *lib.* 5. *de Finibus*; Equis ſcilicet, Leonibus, Canibus, non a Sue, cui anima pro ſale, ne putreſceret, data eſſe dicitur, ut erudite Connanus *lib.* 1. *cap.* 4. quae quodammodo prudentia eſſe non negat Ariſtoteles *lib.* 4. *de hiſt. animal. parte* 1. Si negas, obſerva, quae major pudicitia

Cornicum, & fidei retentior animus, quae marito mortuo, & defunctum lugent, & totam vitam, quae novem aetatibus durare dicitur, viduam tranſcunt; etiam Columbarum amores, matrimonia, quae tanta fide ſervant; ut ſi quando adulterii ſuſpicio incidit, querulas voces emittunt, & prae ira roſtris ſeſe pungunt, Plin. *lib.* 10. *cap.* 34.

Nec omittas Ciconiam, parentes prae ſenectute cadentes foventem, & regentem; unde ἀντιπελαργεῖν verbum pro eo, quod eſt, promerentibus gratia in tempore referre, prodiit, & ἀντιπελαργία hujuſmodi gratiarum relatio a ciconia dicta, quae graece πελαργὸς dicitur: quare leges quibus parentes alere cogimur, Ciconariae dicuntur. Ex hac forſan exemplum ſumpſit Perona illa, patrem, fame conſumendum in carceribus juſte damnatum, lacte nutrire, ut refert Valerius Maximus *lib.* 5. *cap.* 4.

Nec tantum haec duo, conjunctionem & educationem, a brutis aliquo modo accipimus, exiſtimo etiam vim, ut repellamus hoc jure conceſſum: cum hoc Beſtiarum ſenſibus infixum eſſe videamus, juxta illud Graecorum proverbium: formicae ſua bilis eſt; & Braſidas quidam apud Plutarchum *de morum profect.* manus in caricas cum miſiſſet, & a mure, qui in ipſis latebat, morſus fuiſſet, exclamavit, Pape! quia nullum eſt animal tam puſillum, quo non ſe ulciſcatur laceſſitum: etiam palma repellit onus impoſitum. Concludendo igitur, haec omnia jura eſſe; quid unquam abſurdi eſt in Ulpiano?

De jure naturali excurrit Ulpianus ad Jus gentium, quod vario modo uſurpari comperimus. Uno modo Juris gentium dicuntur eſſe ea omnia, quibus gentes utuntur, ſive ab ipſis gentibus conſtitutes; ſed ea quoque, quae in ſingulis Civitatibus obſervantur, & 1. *Polit. cap.* 6. *Omnia plane accipiendi gratia, in quibus pecunia adhibetur, peritiae tantum, & artis, non autem naturae, tribui debere* docet; quare Ariſtoteles ad Jus gentium refert emptiones, venditiones, locationes, quae ab Hermogene, Juſtiniano, noſtriſque omnibus juri gentium aſſignantur, & juri legitimo conceduntur, quae ob nullam aliam cauſam juſta ſunt, niſi quia vel legibus, vel moribus illius Civitatis ſtatuta ſunt.

Nec omittendum eſſe exiſtimamus, Jus gentium frequentiſſime dici Jus naturale, maxime facta comparatione juris Civilis, quod non natura, ſed poſitione jus eſt; qua de cauſa vulgo dicitur Jus poſitivum, & ab Ulpiano in fragmentis jus naturale, ut eleganter ait Halicarnaſſaeus *lib.* 7. Ex definitione patet, cum jus gentium ſit jus, quod inter omnes homines naturalis ratio conſtituit, quodque apud omnes homines peraeque cuſtoditur, *l.* 9. *D. h. t. l.* 1. *D. de acquir. rer. domin.* Bene dicitur jus gentium naturalis ratio; cum jus naturale non ſit jure gentium prius, nec quidem jus gentium prius jure naturali, ſed utrumque ſimul exiſtit, utrumque primum jus, utrumque antiquum jus, utrumque cum genere humano proditum eſt, licet non ſimul utrumque viam ſuam exercuerit; nam jus naturale viam ſuam ſtatim exercuit, jus gentium non ſtatim. Jus naturale proprium eſt hominis ſolitarii, vitam agentis in agro cum uxore & liberis, ut ait Connanus *lib.* 1. *cap.* 5. Jus gentium eſt hominis ſociati in commerciis, & in coetu hominis repoſiti, juxta illud Virgilii *lib.* 8. *Aeneid. vſ.* 321.

Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis
Compoſuit, legeſque dedit.

Unde habuerit initium haec humana ſocietas, Vitruvius tradit *cap.* 1. *lib.* 1. Ignem ſcilicet dediſſe cauſam & initium hujus humanae ſocietatis; eveniſſe enim, ut de Coelo tactae arbores, aut ipſae Ventis agitatae ramorum attritu ignem conceperint; cujus flamma primum abſterriti homines: unde alter poſt alterum propius accedentes, ejus calore recreati, alios nutu invitarunt, ut tanto bono, antea ipſis incognito, frui vellent: itaque factum eſt, ut ignem quotidiano in uſu haberent, ſimul habitarent, tentarent initia ſermonis, quibus communicare inter ſe, aut animi ſenſu eloqui poſſent.

Sic varios linguae ſonitus natura coegit
Mittere, & utilitas expreſſit nomina rerum.
Quid vellent facere, ut ſcirent, animoſque viderent.

Lucretius *lib.* 5. Sed an haec, aut inopia rerum, vel alia cauſa fuerit, unum eſt, diſperſos homines fuſoſque per agros ad hanc ſocietatem ſe applicuiſſe, & jus gentium emerſiſſe, cujus primi juris ſunt permulta; veluti erga Deum Religio, Parentibus, & Patriae pareamus. Religionem, ait Cujacius, deſumi pro illa tacita cogitatione, qua in animo ſuo Deum colit quiſque, & veneratur: nam ſi publicum ejus cultum, ritus, & caerimonias ſpectabimus, jure gentium natae ſunt, ſed a jure civili diſtinctae & auctae.

Teſtamenta etiam huic primo juri adjici debent; cum eorum uſus antiquiſſimus ſit. Solemnia vero juris Romani exiſtimaverim, ut bene demonſtrat Connanus *loco citato*, & Theophilus Juſtiniani

Digitized by Google

dotibus, in Magiſtratibus conſiſtit. Privatum Jus tripartitum eſt: collectum etenim eſt ex naturalibus praeceptis; aut gentium; aut civilibus.

ταύτης τῆς ἐπιστήμης ſcilicet hujus Studii duas eſſe poſitiones: publicum, & privatum.

POſitiones dixit Ulpianus, exemplo Stoïcorum, ex quibus Apollodorus, quas alii vocant ſpecies, vel formas, ipſe dicit τόπους locos, ſeu ſitus. Poſitio theſis graece. Theſis differt ab axiomate, ut inquit Joannes Grammaticus, Ariſtotelis interpres: per hoc theſis indiget aliqua probatione, ſeu demonſtratione, & ex ſe ſtatim fidem non facit; ut illa propoſitio, Natura eſt principium motus, & quietis

Teſtamentum ultima Teſtatoris diſpoſitio, cum haeredis Inſtitutione, quae niſi probentur, Diſcipulis non ſatisfacimus. Quae quidem theſis dividitur in hypotheſin, & definitionem; de quibus nihil ad Nos hic. Poſitio etiam ponitur pro natura cujuſque rei. Quintilianus ſimplices voces poſitione, ſcilicet natura ſua conſtant.

Axioma eſt omnino non demonſtrabile; ut ſunt propoſitiones immediatae, & communes animi conceptiones; ut ubi Deus non eſt principium, nihil boni ſuperaedificari poteſt. Deus & natura nihil fruſtra agunt, & hujuſmodi.

Hanc diviſionem Juris in publicum, & privatum legimus in Plinio *in Epiſt.* Ariſtonem peritiſſimum fuiſſe tam publici, quam privati Juris; tamen ſine cenſura non eſt, ſi Ulpianus duos eſſe locos dixit publicum, & privatum. Privatum triplex naturale, gentium, & civile: conſequentia non eſt neceſſaria; nam jus publicum, neque naturale, neque gentium, neque civile eſt: non naturale, cum hoc neque commune ſit Brutis; publicum tantum rationalibus, cum bruta, neque Sacros, neque Sacerdotes, neque Magiſtratus habeant, & quidquid publici eſt legibus habetur, & moribus, ut eleganter Connanus *cap.* 4. praeterquam quod diviſio unius non infert neceſſitatem diviſionis alterius, ut animalis, alius Homo, alius Aquila; Hominum, alius Romanus, alius Barbarus; igitur per quod Homo dividitur, etiam Aquila: unde eſt iſta neceſſitas?

Publicum jus, inquit Textus, *eſt, quod ad ſtatum rei Romanae ſpectat*; Rei Romanae dixit, aut alterius Reipublicae, ſive Monarchiae, hoc eſt, unius Principatus, ut Romanus, ſub ſuo Summo Pontifice ſine Ariſtocratia, qualis nunc apud Venetos, ſive Democratia, ut olim apud Athenas; nunc apud Helvetios, & Anglos. Rei verbum appoſuit Ulpianus generale, & commune juxta illud Virgilii *lib.* 3. *Aeneid. v.* 1.

Poſtquam res Aſiae Priamique evertere gentem.

Expreſſit rem Romanam; nam tunc temporis Romana Urbs rebus potiebatur juxta illud Virgilii *lib.* 1. *Aeneid. v.* 283.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Privatum Jus triplex eſt (docet Ulpianus) *naturale, gentium & civile.* Ratio hujus partitionis eſt ex triplici hominis conſideratione. Eſt enim homo ſub illo principio intrinſeco ſentiendi, quod facit hominem animal; deinde aſcendit ad illum gradum differentialem rationis, unde homo, & ſic jus gen-

eſt, ut hic, quod omnia animalia docuit. Accurſius hic naturam Deum dixit, & laudat Cujacius: quare non ſine ratione Graeci authores Diagoram inimicum naturae appellarunt, ſcilicet Dei: Diis enim ob depoſitam Amico pecuniam, deinde negatam, videndo adhuc cum commiſſo ſcelere rem bene feliciter agere, inimicus factus eſt, adeo ut θεομάχος diceretur, & ſimulacrum Herculis in coquendis lenticulis igni ſubjecerit irridendo, 13. laborem perfice, Diagorae Athei lentem coque. Alciatus, *Parerg. lib.* 9. *cap.* 15.

Accurſius in hoc imitatus eſt Stoïcos, quos ſemper Juriſconſulti ſequuti ſunt. Stoïcis Natura Deus eſt ex Lactantio *lib.* 7. Hominum cauſa omnia facta Stoici loquuntur, hoc ipſum Tullius demonſtrat 2. *de natura Deor.* Jus ergo naturale eſt, quod Natura, id eſt, Deus parens rerum omnium. Coraſius Naturam hic dixit inſtinctum & affectum, quo monemur & impellimur aliquid recte agere: quem inſtinctum non quamcunque naturae inclinationem intelligas, dicit ipſe (alioquin hinnitus in Equis, volatus in Avibus, mugitus in Bobus, & ſimilia dicerentur Juris naturalis; quo nihil eſt abſurdius) ſed tantum ea, quae ad victum movent, & injuſtum prohibent. Tullius *lib.* 2. *de Invent.* naturam ſumit pro illis honeſtatis & Juſtitiae principiis, & quaſi ſeminibus, animis noſtris inſertis, ad Deum colendum, majoribus parendum, fidem ſervandam, & id genus alia: verba Tullii, Natura Jus eſt, quod non opinio genuit, ſed quaedam innata vis inſeruit, ut Religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obſervantiam & veritatem.

Epicurus naturam appellat Prolepſin, id eſt, anteceptam animo rei quandam informationem, ſine qua nec intelligi quidquam, nec quaeri, nec diſputari poſſit; quae primae notiones ab eodem dicuntur. Alii praeſumptiones, vel praenotiones vocant, id eſt, Enneas, quas D. Auguſtinus *de Civitate Dei lib.* 12. Notiones interpretatur, quaſi communes intelligentias: Autopiſti dicuntur, quaſi per ſe fidem facientes.

Alii Naturam eſſe complexum omnium eorum, quibus humanae gentes utuntur, quamvis non a ſola ratione monſtrata: & in hoc ſenſu videtur Ulpianus hic accepiſſe naturam, cum dixit, omnia animalia docere; ergo jus eſt commune cum Brutis, quod impugnat Cujacius. Ratio eſt ſenſus animi, & non corporis, *l. quamvis.* §. *quamvis D. de acquirenda poſſeſſione*, ergo non poteſt conſiderari in Brutis: quod etiam docent Stoïci, nullum nobis eſſe jus commune cum brutis; diſſentit igitur a ſuis Stoïcis Ulpianus. Praeterea Jus & injuria opponuntur inter ſe, ſed non in ſubjecto, ut qui capax eſt juris, & etiam injuriae. In bruta injuria non cadit; ergo neque jus: igitur Brutis nullum eſt jus. Ergo non poteſt dici, jus naturale eſt, quod natura omnia animalia docet.

Hiſce objectionibus reſpondetur jus eſſe non tantum ductum naturae, ſed etiam quod rationi conſequens & proximum eſt; licet ratione non fiat, ſed innata quadam vi, ut communis omnium animalium conjunctionis appetitus. Quare conjunctio ipſa dupliciter poteſt fieri. Primo, ex deſiderio illo procreandi prolem, & procreatam educare, quae in homine conſideratur: quam conjunctionem Nos

Ro-

[illegible] eſt, [illegible]. Dogma Stoicorum tale eſt: nullum commune eſt jus nobis cum brutis, id eſt, nullo juris vinculo ſocietatisve nos aſtringi brutis. hominum inter homines Juris eſt vinculum hominum, & brutorum nullum; non impune necari Beluam ab homine, contra Pythagoram, docentem, juris vinculum nobis eſſe cum brutis, hac ratione, quod unus ſit ſpiritus, id eſt, una continuata motu ἀδιάλειπτα: ſed ſomniatus fuit Pythagoras. Hoc modo interpretatur Stoicos Cujacius, quod ſi verum eſt hoc, non diſcedit a Stoicis Ulpianus; parique modo ruit Laurentius Valla *lib.* 4. *Elegantiar. cap.* 48. ridens Ulpianum, ex data definitione. Etenim non eſt excogitandum Ulpianum definiſſe, quidquid omnes natura docuit, etiam Beſtias jus poſſe dici, quamobrem nec bibendi jus eſt: ſed maris & foeminae legitima conjunctio, liberorum procreatio, & educatio, juris ſunt naturalis, etiam beſtiarum exemplo, quas naturae ſolus inſtinctus invitat his in rebus ad Juſtitiam; non quod eas juſtas exiſtimemus, ſed quod ab eis ducantur initia juris naturalis, & in eis aliqua praecepta diligentiae, caſtitatis, & caeterarum virtutum petere poſſumus, praecipue a certis brutis, ut ſcribit Tullius *lib.* 5. *de Finibus*; Equis ſcilicet, Leonibus, Canibus, non a Sue, cui anima pro ſale, ne putreſceret, data eſſe dicitur, ut erudite Connanus *lib.* 1. *cap.* 4. quae quodammodo prudentia eſſe non negat Ariſtoteles *lib.* 4. *de hiſt. animal. parte* 1. Si negas, obſerva, quae major pudicitia

Cornicum, & fidei retentior animus, quae marito mortuo, & defunctum lugent, & totam vitam, quae novem aetatibus durare dicitur, viduam tranſeunt; etiam Columbarum amores, matrimonia, quae tanta fide ſervant; ut ſi quando adulterii ſuſpicio incidit, querulas voces emittunt, & prae ira roſtris ſeſe pungunt, Plin. *lib.* 10. *cap.* 34.

Nec omittas Ciconiam, parentes prae ſenectute cadentes foventem, & regentem; unde ἀντιπελαργεῖν verbum pro eo, quod eſt, promerentibus gratia in tempore referre, prodiit, & ἀντιπελαργία hujuſmodi gratiarum relatio a ciconia dicta, quae graece πελαργὸς dicitur: quare leges quibus parentes alere cogimur, Ciconariae dicuntur. Ex hac forſan exemplum ſumpſit Perona illa, patrem, fame conſumendum in carceribus juſte damnatum, lacte nutrire, ut refert Valerius Maximus *lib.* 5. *cap.* 4.

Nec tantum haec duo, conjunctionem & educationem, a brutis aliquo modo accepimus; exiſtimo etiam vim, ut repellamus hoc jure conceſſum: cum hoc Beſtiarum ſenſibus infixum eſſe videamus, juxta illud Graecorum proverbium: formicae ſua bilis eſt; & Braſidus quidam apud Plutarchum *de morum profect.* manus in caricas cum miſiſſet, & a mure, qui in ipſis latebat, morſus fuiſſet, exclamavit, Pape! quia nullum eſt animal tam puſillum, quo non ſe ulciſcatur laceſſitum: etiam palma repellit onus impoſitum. Concludendo igitur, haec omnia jura eſſe; quid unquam abſurdi eſt in Ulpiano?

De jure naturali excurrit Ulpianus ad Jus gentium, quod variis modis uſurpari comperimus. Uno modo Juris gentium dicuntur eſſe ea omnia, quibus gentes utuntur, ſive ab ipſis gentibus conſtitu[illegible], [illegible] ea [illegible], quae in ſingulis Civitatibus obſervantur, & 1. *Polit. cap.* 6. *Omnia plano accipiendi gratia, in quibus pecunia adhibetur, peritiae tantum, & arti, non autem naturae*, tribui debere docet; quare Ariſtoteles ad Jus gentium refert emptiones, venditiones, locationes, quae ab Hermogene, Juſtiniano, noſtriſque omnibus juri gentium aſſignantur, & juri legitimo conceduntur, quae ob nullam aliam cauſam juſta ſunt, niſi quia vel legibus, vel moribus illius Civitatis ſtatuta ſunt.

Nec omittendum eſſe exiſtimamus, Jus gentium frequentiſſime dici Jus naturale, maxime facta comparatione juris Civilis, quod non natura, ſed poſitione jus eſt; qua de cauſa vulgo dicitur Jus poſitivum, & ab Ulpiano in fragmentis jus naturale, ut eleganter ait Halicarnaſſaeus *lib.* 7. Ex definitione patet, cum jus gentium ſit jus, quod inter omnes homines naturalis ratio conſtituit, quodque apud omnes homines peraeque cuſtoditur, *l.* 9. *D. h. t. l.* 1. *D. de acquir. rer. domin.* Bene dicitur jus gentium naturalis ratio; cum jus naturale non ſit jure gentium prius, nec quidem jus gentium prius jure naturali, ſed utrumque ſimul exſtitit, utrumque primum jus, utrumque antiquum jus, utrumque cum genere humano proditum eſt, licet non ſimul utrumque viam ſuam exercuerit; nam jus naturale viam ſuam ſtatim exercuit, jus gentium non ſtatim. Jus naturale proprium eſt hominis ſolitarii, vitam agentis in agro cum uxore & liberis, ut ait Connanus *lib.* 1. *cap.* 5. Jus gentium eſt hominis ſociati in commerciis, & in coetu hominis repoſiti, juxta illud Virgilii *lib.* 8. *Aeneid. vſ.* 321.

Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis
Compoſuit, legesque dedit.

Unde habuerit initium haec humana ſocietas, Vitruvius tradit *cap.* 1. *lib.* 1. Ignem ſcilicet dediſſe cauſam & initium hujus humanae ſocietatis; eveniſſe enim, ut de Coelo tactae arbores, aut ipſae Ventis agitatae ramorum attritu ignem conceperint; cujus flamma primum abſterriti homines: unde alter poſt alterum propius accedentes, ejus calore recreati, alios nutu invitarunt, ut tanto bono, antea ipſis incognito, frui vellent: itaque factum eſt, ut ignem quotidiano in uſu haberent, ſimul habitarent, tentarent initia ſermonis, quibus communicare inter ſe, aut animi ſenſu eloqui poſſent.

Sic varios linguae ſonitus natura coegit
Mittere, & utilitas expreſſit nomina rerum.
Quid vellent facere, ut ſcirent, animosque viderent.

Lucretius *lib.* 5. Sed an haec, aut inopia rerum, vel alia cauſa fuerit, unum eſt, diſperſos homines fuſosque per agros ad hanc ſocietatem ſe applicuiſſe, & jus gentium emerſiſſe, cujus primi juris ſunt permulta; veluti erga Deum Religio, Parentibus, & Patriae pareamus. Religionem, ait Cujacius, deſumi pro illa tacita cogitatione, qua in animo ſuo Deum colit quiſque, & veneratur: nam ſi publicum ejus cultum, ritus, & caerimonias ſpectabimus, jure gentium natae ſunt, ſed a jure civili diſtinctae & auctae.

Teſtamenta etiam huic primo juri adjici debent; cum eorum uſus antiquiſſimus ſit. Solemnia vero juris Romani exiſtimaverim, ut bene demonſtrat Connanus *loco citato*, & Theophilus Juſtiniani

Et ira praeceps, quaeque ſuccenſis agit
Libido menteſ venit imperii ſitis
Cruenta. ſcelus praeda majori minor.

Jus gentium mutabile, nec ne ſit, quaerendum eſt.

Juſtinianus §. *penult. I. t. de iur. Nat. Gent. Civ.* affirmavit ejus immutabilitatem, quod non ſine difficultate procedit: jubet enim natura Parentibus honorem exhiberi, & tamen haeſit honorem Myrrha, cum proprio parente venereo complexu ſe copulaſſe: ut frequenter legimus etiam apud Perſas, aut Parthos, vel Indos, apud quos id maxime ſolemne, & juſtum connubium habebatur, quod cum maxime conjunctis ſororibus, aliiſque conſanguineis eſſet contractum.

Magis pungit Juſtiniani dictum Ariſtoteles, cum ait, apud ſolos Deos Jura immutabilia eſſe; apud nos vero quaedam etiam eorum, quae natura inſita ſunt, mutari poſſe.

Magiſque obeſt ſententia Ariſtippi Socratici ſententis, non ſolum mutari jus gentium ſeu naturae, ſed quod nullum Jus detur, niſi civile, & legitimum; movetur, quod a natura eſt, immutabile eſt, & ubique locorum eamdem habet vim; omne jus eſt varium & mutabile pro varietate locorum; ergo nullum eſt jus naturale.

Reſponſio his omnibus eſt facilis: jus naturae, vel gentium ex ſe immutabile eſt; quoniam vero uſu hominum depravari ſolet, quodammodo mutari videtur: ſic jus naturale per ſe immutabile eſt, vitio tamen hominum movetur, quia natura deſineſcit malis moribus, & operibus depravatis. Comparatione quadam ſatis nobili hoc ſuadet Cujacius: Quod natura ſui dulce eſt, ſano dulce eſt, aegrotis acerbum ſemper videtur; vel quod natura comparatum eſt, ut dextra ſit valentior ſiniſtra, hoc ceſſat in levis (eſt exemplum Ariſtotelis *lib. 1. magn. Moral. cap. 34.*) quare bene concludimus, poſſe quaedam naturae mutari pravo hominum uſu, optime conjicitur ex Philomuſo in *Muſ. Juvenilib. de leone manſueto Domitiani 6.*

Quam mutat natura vices, fit bellua Caeſar,
Et capit ingenium Caeſaris arte Leo.
Tu Rex forte virum fato; Rex ille ferarum eſt.
Sic utrique ſuum eſt, quod diadema gerat.

Haec de jure naturali, & gentium deguſtare viſi ſumus, non elevati extra ſphaeram muneris, nobis impoſiti: caetera, quae lex expoſceret interpretanda, pete, Lector, a Repetentibus, & caſus poſitionum, diviſionem Text. ſummam, notabilia, deciſiones, objectiones contra eaſdem quaeſtiones, illationes, gloſſarum diviſiones, & ponderationes.

Quia Ulpianus in fine dicit: *privatum jus tripartitum eſt; collectum etenim eſt ex naturalibus praeceptis, aut gentium, aut civilibus;* ordo compelleret aggredi jus civile: tamen quia non eſt hic locus (venit enim nobis obvia Pandecta celebris *Jus civile* hoc titulo) ibi agemus de jure ſcripto, & non ſcripto; de jure diſtributivo; de aequalitate; proportione & analogia Juris; de jure quaſi emendativo, quod Ariſtoteles appellat Diorthoticon, & in quo hoc differat a Diſtributivo; de jure Patricon, Deſpoticon, ſeu Herile; de Iſonomia, & more, caeteriſque notatu dignisſimis, leporem guſtumque ſuaviſſimum non ſiniſtra minerva natis, quos Graeci [illegible] tributuris, ſi Deus, a quo omnia Jura procedunt, ſervabit incolumes.

ctio ineſt; quod in dacione [illegible] ſione conſiſtit. Juriſdictio eſt etiam Judicis dandi licentia.

Quomodo Imperium ſit in rebus humanis, ab alta origine eſt demonſtrandum, ſuppoſita Ciceronis aſſertione *lib. 1. de nat. Deor. In Mundo,* inquit, *Deus eſt, qui regit, gubernat, qui curſum Aſtrorum, qui mutationes temporum, rerum viciſſitudines ordineſque conſervat, Terras & Maria contemplans, hominum commoda, vitaſque tuetur.* Idemque Boëthius *Metro 3. lib. 1.*

O ſtelliferi Conditor orbis,
Qui perpetuo nexus ſolio
Rapido Coelum turbine verſas,
Legemque pati ſydera cogis!
Tu frondiſluae frigore brumae,
Stringis lucem breviore mora:
Tu, cum fervida venit aetas,
Agilis noctis dividis horas:
Omnia certo fine gubernat.

Et Titus Calphurnius Eclog. 4.

——— ——— ——— *Deus ipſe canatur?*
Qui populos, urbeſque regit, pacemque togatam.

Et aeterni nominis Virgilius *lib. 6. Aeneid. v. 724.*

Principio Coelum ac terras, campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumque genus, vitaeque volantum,
Et quae marmoreo fert monſtra ſub aequore pontus.
Igneus eſt olim vigor, & coeleſtis origo.

Philomuſus in *Muſis Juvenilibus, Pompejus Traged. Act. 1.*

Quaecumque Coeli fulgida lucet plaga
Gradive bellorum parens, tuque, o Deum
Sator, tonante ſceptra qui nutu regis.

Hic veritate gentilium Poëtarum, & Chriſtianorum recepta, Deum ſcilicet mundum gubernare; juxta illud Boëthii:

O qui perpetua mundum ratione gubernas
Terrarum Coelique Sator, qui tempus ab aevo
Ire jubes, ſtabiliſque manens das cuncta moveri.

Pro tali regimine in Terris Deus ſibi Principes efficit Miniſtros, & Diſpenſatores: patet *Sam. 1. cap. 11. vſ. 24.* ubi Deus Regem Saul conſtituit, ibi: *Et ait Samuel ad omnem Populum, certe videtis, quem elegit Dominus,* & *Regum 2. cap. 9. vſ. 12.* ibi: *Haec dicit Dominus* (loquitur in perſonam Jehu) *unxi te Regem ſuper Iſraël.* & Seneca in *Thyeſte Act. 3. v. 471. Nec abnuendum eſt, ſi dat imperium Deus.* Et Cicero *lib. 2. de Nat. Deor. Nemo magnus ſine aliquo afflatu Divino unquam fuit.* Et B. Apoſtolus, *Non eſt poteſtas, niſi a Deo;* quare non immerito concludit Scotus *de Juſtitia & jure lib. 1. quaeſt. 6. cap. 4.* Principem ſecularem ſuis legibus etiam ligare conſcientias; quod eſſet ventilandum; niſi extra ſphaeram noſtram divagaremur.

Quod quidem Imperium multas habet acceptiones. Primo politice acceptum, ſic definitur a Lipſio; *Eſt certus ordo in jubendo, & parendo, cujus tanta vis eſt, ut hoc unum fulcrum ſit rerum humanarum, quo deficiente* (ut ait Cicero *lib. 3. de legib.*) *nec domus ulla, nec Civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt.* Addit Ariſtoteles [illegible]

Οἴκους τίθησιν ἠδὲ σὺν μάχῃ ἰδυρὸς
Τρόπας καταῤῥήγνυσι τῶν δ' ὀρθουμένων
Σώζει τὰ πολλὰ σώμαθ' ἡ πειθαρχία.
Confuſione tetrius nullum eſt malum;
Haec perdit Urbes, iſta perdit, & domos
Vaſtaſque reddit; Martis in certamine,
Haec terga vertit; rite ſed parentium
Res ſervat, atque vitam obedientia.

Cujus Imperii formam triplicem eſſe docet Lipſius; Principatum ſcilicet, Optimatum, & Populi ſtatum; de quibus ſupra Nos *in Pandecta* 1. & ratione, *nam cunctas Nationes, & Urbes, Populus, aut Primores, aut ſinguli regunt*, Tacitus *lib* 3. *Hiſtor.* Sed quae ex his optima? Diu hoc in lite eſt: decideremus, ſi ad Nos ſpectaret; qui tamen curioſe ſcire velit, legat Philoſophum *in Politicis*, & Ciceronem *lib.* 3. *de legib.*

Secunda acceptione Imperii venit Juriſdictio realis; alio nomine poteſtas. Et haec duplex eſt: Naturalis una; Civilis, ſeu Politica altera illa, quam quis habet a Natura ambulandi, loquendi, & alia hujuſmodi faciendi; ſub qua etiam continetur poteſtas Patris in filios, & herilis, & Maris in foeminam, *lib.* 1. *Polit.*

Tertia acceptio Imperii continet Principatum, quem definit ſic: *Unius imperium, moribus aut legibus delatum, ſuſceptum, geſtumque parentium bono.* Unius dicit Lipſius *lib.* 2. *cap.* 3 *Polit.* ut oſtendat etiam foeminam eſſe capacem Imperii, ut legitur de Semiramide Aſſyriorum regina, Zenobia Palmyreni, & de Amazonibus; tamen maxime virorum eſt, quia jubet ſic natura:

Τὸ γὰρ ἄῤῥεν φύσει τοῦ θήλεος ἡγεμονικώτερον.

Nam quidquid maſculum, natura magis factum ad imperandum foemineo, Ariſtot. *lib.* 1. *Polit. cap.* 8. *Foeminis quidem pectus inſtruxit dolis, ſed vim negavit*, ut ait Seneca *in Octav. Act.* 5. *v.* 869. Politica poteſtas inſuper habet duas ſpecies, ſumma, & inferior. Prima eſt, qua nulla eſt ſuperior, & continet omnem juriſdictionem legum faciendarum, facultatem Judicis dandi licentiam, Magiſtratuſque creandi *l. fin. C. de legib. l.* 2. *D. de orig. jur.* item facultatem omnia faciendi, quae ad Rempublicam ſervandam neceſſaria, & utilia ſunt; ut praeſtare beneficium, impetrandi veniam aetatis, *C. de his, qui ven. aetat. impetrar.* praeſtare authoritatem arrogationi, *l.* 2. *D. de arrog. & legitimat. Novell.* 89. *cap.* 9. & 14. Quae quidem poteſtas, vel Imperium, ſi ſit apud unum, ad communem utilitatem reſpicientem, dicitur Regia, quae Romae initio viſa eſt, juxta Tacitum, *Romam Reges ab initio habuere*; ſi vero propriam utilitatem reſpiciat, Tyrannia; ſi vero plures ob bonum commune gubernant, Optimatum poteſtas appellabitur, vel Ariſtocratia; ſi ad bonum ipſorum plurium privatum, Oligarchia.

Poteſtas inferior Politica ita poteſt definiri: Eſt publica poteſtas, per quam quis operatur in juſto dicendo, ut Civitas bene quieteque vivat; bene enim, quieteque vivere finis eſt omnium Juriſdictionum, *lib.* 3. *Polit.* ex *l. Congruit* 13. *D. de offi. Praeſid.* Ex quo Juriſconſulti Imperium ad Proconſules, & Praefectos, & Praetores in Urbe; ad Proconſules, & Praeſides in Provinciis; & ita ad ma-
tam Senatores, *Dion. Halicarn. lib.* 2. *c.* 239. *§. Decuriones* 5. *de verb. ſign.* vel Imperia exercent Magiſtratus, quorum proprie munus eſt Poteſtas in publicis privatiſque rebus dicendae ſententiae, & imperandi, *l.* 2. *§. Exactis* 3. *de orig. Jur.* quales Romae Conſules, Praetores, Praefecti Urbis *l.* 2. *D. de in jus vocando*, & in Provinciis Proconſules, legati Caeſaris, caeterique Praeſides Provinciarum *l.* 3. *D. de offic. Praeſidum.*

Vel indicant, & dirigunt, ut Romae quondam Centumviri, *d. l.* 2. *D. de orig. Jur.* & Juridici in Provinciis, *l. Thais* 41. *§. Lucia* 5. *D. de fideicom. libertat.* ac Proconſulum legati *l.* 4. *§. fin. de offic. Proconſ.* Hae igitur ſunt Reipublicae partes: tamen hic Ulpianus de illa Reipublicae parte agit, quae in Imperiis conſiſtit. Explicata igitur varia Imperii acceptione Idem dividimus:

Imperium, aut Merum, aut Mixtum eſt. Quid meri nomine veniat, docet hic Coraſius, ſcilicet, ut merum ea contineat, quae ſunt ſimplicia, & pura, nec alicui rei quoquo modo permiſta, *l. Cum ſervus* 82. *D. de condition. & demonſtr.* unde merum Judicis officium, prout illud cum actione nihil habeat commune, *l. Stipulationum* 5 *D. de verbor. Obligat* §. 1. *Inſt. de diviſ. ſtipulat.* Merum jus gentium, quod ſolo hominum uſu conſtitutum eſt, a praeceptis civilibus & Praetoriis omnino ſejunctum, *l. bona fides* 31. *D. Depoſiti vel contra.*

Mera poena, quae nullam rei, aut ejus, quod intereſt, perſecutionem continet, §. 4. *l. un. D. ſi quis jus dic.* §. *Ex maleficiis* 18. *Inſt. de Action.* Merum factum, quod a jure ſeparatum eſt. Mera ratio, id eſt ſubtilis, exacta ab omni aequitatis interpretatione diſtincta, *l. Si mandavero* 22. §. *fin. D. Mandati.*

Merum Imperium, quod apud Zonaram in Baſilio Porphyrogeneta vocatur ἄκρατον ἐξουσίαν, & Graeci vocant τὸ κράτος ἄκρατον. Dicitur ſic, ut contra diſtinguantur a juriſdictione; Imperium Merum enim, & Juriſdictio ſunt tanquam ſpecies oppoſitae: nam ſicut Imperium reſpicit tantum majora; ita Juriſdictio reſpicit tantum cauſas minimas. Unde ſi quis praeſcripſerit juriſdictionem, non intelligitur praeſcripſiſſe Merum Imperium; proinde dicitur Merum Imperium, quod in eo Juriſdictio non ſit.

Sed arguunt: Juriſdictio eſt nomen generis, ipſumque Imperium continet; igitur Imperium non poteſt eſſe depuratum a Juriſdictione; igitur non poſſunt eſſe ſpecies oppoſitae Merum Imperium, & Juriſdictio.

Alciatus reſpondet, Juriſdictionem accipi in genere, & in ſpecie: Juriſdictio in ſpecie non eſt in Mero Imperio; eſt tamen Juriſdictio in genere, quae generica ratio non facit oppoſitionem, ſicuti principium ſentiendi eſt in equo, & homine; & in principio ſentiendi homo, & equus non ſunt ſpecies oppoſitae; ſed opponuntur in gradu differentiali ratiocinandi, ut Porphyr. *in cap. de ſpecie.*

Definiamus igitur, quid ſit Merum Imperium. Eſt poteſtas capitaliter animadvertendi in delinquentes, qualem habuerunt Romae quondam Quaeſtores Parricidii capitalibus quaeſtionibus praefecti, *l.* 2. §. 23. *D. de Orig. Jur.* deinde Praetores, quibus exercitium publicorum judiciorum obtigerat,

l. 1.

Traditur alia conſimilis definitio. Merum Imperium eſt poteſtas gladio animadvertendi in facinoroſos homines: Gladius hic non pro Telo, aut aliquo Inſtrumento incidendi accipiendus eſt, ſed allegorice pro quacunque poena, qua Reus capite plecti poteſt, *l. Si quis filium 6. §. 5. D. de injuſto teſtam.* Nam lex Pompeja de parricidiis ad Merum ſine controverſia pertinet Imperium, *l. 1. D. de officio ejus cui &c* & tamen reum gladio non punit, §. 6. *Inſt. de publ. judiciis.* Item gladius pro Bello inteſtino ſumitur, ut cum dicebat Dominus, *Non veni mittere pacem, ſed gladium:* aliquando pro dolore, *tuam ipſius animam pertranſibit gladius:* interdum latius pro quacunque coërcitione, *l. Solent 6. D. de offic. Proconſ.* interdum comprimit quamcumque ſignificationem, ut non telum, non ſecuris, non ignis, non laqueus, verbo gladii veniant; veluti cum Caracalla, peſſimus Imperator, Papiniano in conſpectu ejus ſecuri percuſſo, percuſſorem increpuit, dicens, oportuit gladio te exequi juſſum meum. Spartian *in Caracalla.*

Alia definitio, quam tradit Vaconius *lib. 6. cap.* 78. non videtur contemnenda; ſcilicet quod Merum Imperium ſit Juriſdictio legalis, per quam Judex operatur in juſto legali puniendo facinoroſos, delinquentesque homines. Conſtat enim ex genere, & gradu differentiali: nam Juriſdictio eſt loco generis; ponitur τὸ legalis ad differentiam Juriſdictionis realis ſeu emendativae; τὸ in juſto legali ad differentiam meri Imperii tyrannici. Nonnulli opponunt, ſub hac definitione non includi legum ferendarum poteſtatem, Tabelliones creandi authoritatem, diplomatum conceſſiones, aliaque hujusmodi.

Nam reſpondetur, quamvis hujusmodi enumerata ſub mero Imperio per Bartolum fuerint repoſita, tamen hoc in loco reſpuitur, ut Alciatus, Vaconius, Duarenus, Connanusque teſtantur; ſed legum ferendarum poteſtas eſt ſpecies Juriſdictionis legalis per ſe, & pertinet ad illam infinitam Principis plenitudinem poteſtatis, juxta illud in libris apophthegmatum, *Rex veluti legum eſt Architectus.*

Apud quem reſideat merum Imperium? Hoc fuiſſe diſcuſſum Bononiae teſtatur Alciatus, *Paradox. lib. 3. c.* 6. apud Henricum Germaniae Regem, inter duos illius temporis celebres Juriſconſultos, ſcilicet Azonem, & Lotharium. Depoſito equo pro ſponſione, affirmabat Azo, merum Imperium non ſolum Principi, ſed caeteris Magiſtratibus competere; Lotharius e contra ſolo Principi. Henricus pro Lothario pronunciavit. Non negaverim, rem judicatam poſteriores damnaſſe; tamen Cujacius hic merum Imperium a lege dari optime probat, & non competere jure Magiſtratus, *l. 1. D. de offic. ejus cui &c.* poſſe tamen dari Magiſtratibus non ſolum ipſis, ſed etiam privatis, quandoquidem non huc pertineret Text. in *l.* 131. §. 1. *D. de verb. ſignif.* & ita Pompejus miſſus cum Imperio contra Sertorium privatus erat, Cicero *in 2. Philip. & cum Imperio mero nominatim lege dato*, ut Textus interpretatur, patet ex reſcripto D. Trajani, quod eſt inſertum in Epiſtolis Plinii ad Trajanum, ubi Trajanus Plinio, qui tunc erat Praeſes Provinciae, in Bithynia, ſe conſulenti de quodam, qui poenam capitalem merebatur, reſpondit, eum remittendum ad Praefectum Praetorio.

Imo advertit Cujacius, quae ſunt meri Imperii, non ſemper in unam perſonam concurrere; veluti non eſt datum jus gladii; ſicut [illegible] *D. de off. praef.* Praeſidibus, quibus datum eſt jus gladii, non eſt datum jus deportationis, *l. Inter poenas 6. § 1 D. de interd. & releg.*

Satis ſit pro munere noſtro, quoad merum Imperium!

Accedamus ad mixtum Imperium & Juriſdictionem.

Mixtum Imperium dicitur, quod Juriſdictioni, ſeu Civilium cauſarum cognitioni, ita conjunctum & adjunctum eſt, ut alterum alteri perpetuo inſit, & inſeparabiliter cohaereat, *l. 1. §. 1. l. 5. D. de off. ejus cui &c.* atque hinc patet merum, & mixtum invicem opponi, quod & facetum illud Martialis Epigramma de Caupone Ravennate oſtendit, *lib. 3. Ep.* 56. & 57.

Sit Ciſterna mihi, quam Vinea, malo Ravennae,
Cum poſſim multo vendere pluris aquam.
Callidus impoſuit nuper mihi caupo Ravennae;
Cum peterem mixtum, vendidit ille merum.

Sic mixta actio, quae partim ab actione in rem, partim a perſonali naturam mutuatur, *l. Actionis verbo 37. §. 1. D. de obligat. & action.* Sic mixtum Imperium, quatenus ineſt juriſdictio in ſpecie, ſimul cum Imperio.

Neque hic accipias mixtum, quatenus ſit tertia ſpecies a ſimplicibus alteratis § 25. *Inſt. de rer. diviſ.* ut mulſum, quid eſt, neque Mel, neque Vinum, ſed tertium quid, ex illis reſultans; ſed accipias mixtum, prout accipiunt Phyſici compoſitum, in quo Elementa remanent, ſaltem ſecundum materiam, & quantitatem, & virtutes, vel qualitates (ſaltem refractas in ſenſu ſubtiliſſimo Praeceptoris mei, & Concivis a Thurio novo Scipionis Graeci) vel ſaltem in potentia, ut eſt Ariſtotelis ſenſus; vel accipias mixtum, prout in eo ſimplicia uniuntur, quatenus tamen non ſe tangant, neque alterent in ſubſtantia, ſed remaneant conjuncta, tamque plures res contentae in ſubjecto, ſub uno genere praedicabile; de quo habetur in *l. Si quid eorum 47. §. 1. D. de legat. 3. l. Maevius 66. §. 8. D. de legat.* 2. Ratio hujus eſt, quia juriſdictio proprie, & formaliter ſiſtit in Imperio mixto, & imperium non alteratur per juriſdictionem; ſicuti e contra alteratur per merum Imperium, in quo non eſt, niſi ſecundum rationem genericam.

Proinde bene definit mixtum Imperium Ulpianus; *Mixtum Imperium*, inquit, *eſt cui etiam juriſdictio ineſt*; ergo inferunt aliqui, in mero Imperio etiam juriſdictionem ineſſe: probant ex illa particula, *etiam*, quae eſt naturae implicativae, ut de alio idem dici innuat, *l. Suus quoque 4. D. de hered. inſtituend.*

Hanc illationem ultro concederemus, ſi Juriſdictionem extenſe acciperemus, ut quamcumque dicendi Juris poteſtatem, ſive de civibus, ſive de capitalibus etiam cauſis ſignificet, *l. 1. D. de officio ejus.* tunc enim mero quoque Imperio ineſſe juriſdictio dicitur, ſicut genus in ſpecie, *l.* 47. §. 1. *D. de legat.* 3. tamen ideo apponitur merum, ut purum ſit, & prorſus ſejunctum a juriſdictione.

Sed reſponſio optima eſt, dictionem, *etiam*, hoc in loco non eſſe implicativam; ſed pro *praeterea*, vel *Item*, poni, ut cum Leonida Plautus in *Aſinaria*, *Act. 2. Sc. 4. vſ.* 84. ait

Nemo etiam me accuſavit.

Et Terentius *in Andria*, *Act. 2. Sc. 2. vſ.* 31.

—— Opinor, narras? non recte accipis,
Certa res eſt, etiam Puerum inde abiens conveni Chremis.

Et

Digitized by Google

Ex mixti Imperii attributis Textus noſter unum ponit; DD. plures enumerant. *Mixtum Imperium*, inquit Textus, *in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit.*

Sed ponamus (ut ordinate cum facilitate procedamus) terminorum legis noſtrae ſeriem; deinde cujusque attributa. Series Terminorum haec eſt: Imperium, merum Imperium, mixtum Imperium, & Jurisdictio. Imperii eſt Judicem dare, in integrum reſtituere, jubere, cavere, judicare & alia hujusmodi; quae omnia dicuntur eſſe mixti Imperii (prout τὸ mixtum perſiſtit in Imperio) ſed rectius Imperii eſſe dicuntur.

Meri Imperii ſunt multi gradus. In primo gradu reponuntur poena ultimi ſupplicii, mors civilis, membri abſciſſio.

In ſecundo gradu ponitur damnatio ad perpetuos carceres in caſibus permiſſis.

In tertio gradu deportatio.

In quarto gradu relegatio. Alios duos ponit Bartolus hic; tamen non ſunt tuti. Verum, ut docet Vaconius *lib. 6. cap.* 78. tot ſunt hujus Imperii gradus, quot ſunt poenarum ſpecies; cum meri Imperii hoc ſit unicum conſtitutum, ſcilicet facinoroſi hominis punitio cum damno irreparabili, ad differentiam punitionis ex Imperio mixto, & Jurisdictione.

Mixtum Imperium ideo dicitur mixtum, non quod partem capiat ab aliquo, ſed ratione ſimilitudinis; quia, quoad quod eſt ſimile mero Imperio, quoad quod ſimile Jurisdictioni. Nam in quantum expeditur officio Judicis nobili eſt ſimile mero Imperio; in quantum concernit utilitatem privatam, eſt ſimile Jurisdictioni, in ſpecie ſumptae; neque hoc debet videri novum, quod dicatur mixtum ratione ſimilitudinis, ut in ſimili videmus in *l.* 2 § 3. *D. ad leg. Aquil.* & hoc modo mixtum intelligunt DD. in *l.* 2. *D. de verbor. obligat.*

Mixti Imperii ſunt ſex gradus ſecundum Bartolum hic. Profecto tamen tot ſunt, quot ſunt cauſae, & controverſiae Civiles, in quibus Judex, non propoſita actione, operatur, ne quis damnum injuſte patiatur; praeciſe unus ex gradibus eſt in Textu noſtro miſſio in bonorum poſſeſſionem.

Aliqui in gradibus mixti Imperii reponunt interpoſitionem authoritatis in arrogatione; verum illa competit Populo Romano ſecundum Aul. Gellium *lib.* 5. *Noct. Att. cap.* 19. qui dicit, ideo dici arrogationem, quia genus hoc in aliam familiam tranſiens per Populi rogationem ſit; verba in arrogatione interpoſita haec erant: *Velitis, jubeatis Quirites, uti L. Valerius L. Titio tam jure legeque filius ſibi ſiet, quam ſi ex eo patre matreque familias ejus natus eſſet: utique ei vitae necisque in eo poteſtas ſiet, ut patri endo filio eſt, haec ita, uti dixi, ita vos Quirites rogo.*

Ex quo colligitur, arrogationem ante Imperatores conſtitutam eſſe Senatu Romano, ſcilicet, regente Rempublicam: nam eo tempore Patres habebant poteſtatem Vitae, & Necis in filios, *l. In ſuis* 11. *D. de liberis & poſthum.*

In gradibus mixti Imperii Alciatus reponit facultatem creandi Tabelliones, quam nonnulli dicunt eſſe reſervatam Principi; & concludit ipſemet Alciatus hic *num.* 56. ſub mixto Imperio contineri omnes cauſas pecuniam reſpicientes, tam publicam, quam privatam, quae tamen expediantur officio Judicis nobili.

ex univerſas cauſas, vel delegati ad univerſitatem cauſarum, vel ad unam cauſam tantum; quo caſu ordinarius apud ſe retinuit de jurisdictione circa eam, quae delegata eſt.

Judices dati dicuntur delegati ad cauſae cognitionem tantum, ad definitionem tantum, vel ad utramque; qui Judices non habent, niſi illam ſpeciem jurisdictionis, ſine qua Jurisdictio commode explicari non poteſt, *l.* 2. *D. h. t.*

Judices, ab imperiali fortuna dati, dicuntur illi delegati ratione dignitatis, quorum officium mortuo Principe non expirat, *c. quoniam Abbas* 14. *de Officio delegati.*

Judices, ex ſacra juſſione delegati, ſunt Judices dati ab ordinariis, juſſu Principis accedente, *Nov.* 53 *cap.* 4. *de exhib. reis.*

Judices executores, 1. poſſunt eſſe ordinarii, qui ſententiam, quam pronunciant, poſſunt exequi. 2. Executor poteſt dici delegatus, cui delegata ſit etiam executio. 3. Dicitur Executor Apparitor, ſeu Nuncius, qui facit executionem juſſu Praeſidis. 4. Dicuntur Executores quidam Judices ordinarii; qui ex vigore alicujus legis municipalis exequuntur ſententias omnium Judicum, tum ordinariorum, quam delegatorum.

Judices, arbitri juris, dicuntur Judices dati ab Ordinario ad unum articulum tantum; veluti Ego litigo tecum, & peto, ut ſatisdes; tu paratus es ſatisdare; ſed ego praetendo fidejuſſores non eſſe idoneos; debet ordinarius dare arbitros, qui cognoſcant, ſint idonei, nec ne, & ab iſtis arbitris poteſt appellari; ſed hodie arbitri Juris dicuntur illi, qui dantur ex vigore ſtatuti; puta illius diſponentis, ut cauſae inter Agnatos compromittantur in Arbitros.

Judices cartularii ſunt, qui inter privatos tantum voluntariam, non neceſſariam habent jurisdictionem.

Explicatis Imperio mero, & mixto, ſubdit poſtremo Textus noſter: *Jurisdictio eſt etiam Judicis dandi licentiam.*

Hunc locum Ulpiani multi volunt eſſe corruptum, & pro *Judicis dandi* debere legi *juris dicendi*, ut in Suetonio *in Auguſto cap.* 33. perſpicue confirmantur. *Jus*, inquit, *non diligentia modo ſumma, ſed etiam lenitate, ſi quidem manifeſti parricidii reum, ne culeo inſueretur.* Nec Ciceronis locus praetereundus eſt, de lege; namque Cornelia agens, quae proſcriptum juvari vetabat, *Lex eſt*, inquit, *poena, qui ad eum, qui jus dicit.* Et *pro Milone: Collata Murenae & Sulpicii praetura, Murenam in praetura magis ſibi Populum conciliaſſe dicit, quam Sulpicium, quod illi Juris dicendi ſors obtigiſſet; huic peculatus quaeſtio.* Jurisdictio igitur a jurisdicendo deſcendit, quare ad Praetores, vel ad ſimiles Magiſtratus pertinet jurisdictio, & jus dicere, *l. ſi filius* 32. *D. de vulg. & pup.* veluti ad Praefectum urbis, *l.* 1. *D. de off. Praefid. l.* 2. *D. de in jus vocando.* ad Praeſidem Provinciae, *l.* 8. §. 18. *D. de tranſact.* ac etiam ad Aedilem Curulem, qui & ipſe de certis cauſis jus dicebat, *l.* 1. *D. de Aedil. Edicto.* Uſitatius tamen eſt, ut Jus dicentis verbo Praetor demonſtretur, veluti juridicendo primum, prae caeterisque creatus *l.* 2. §. 18. *D. de Orig. Jur.* Unde cum Epydicus Theſprionem rogaſſet, ut ſe percontantem

Digitized by Google

[illegible], *l. Obſervari* 4. §. 6. *D. de offic. Proconſ.*

Per haec patet reſolutio ad dubium, an juriſdictio dicendum ſit, vel juriſditio; & juriſdictio debere dici concludimus per Textum *in l.* 1. *D. de de juriſdict. omnium judicum*, ibi, jus dicentis.

Quare juriſdictio ita definiri poſſet; eſſe ſcilicet poteſtatem exercendi publica, & privata judicia, *l.* 1. §. 3. *D. de ſuſp. tutor.* ſed magis expreſſe juriſdictio eſt poteſtas cognoſcendi, & judicandi de privatis, & pecuniariis cauſis, *l.* 1. §. *fin. D. de off. ejus &c.* vel ut Cujacius hic: juriſdictio eſt notio & definitio cauſarum; Magiſtratui proprio jure competit; & per hoc differt a mero Imperio: merum enim Imperium non competit Magiſtratui, niſi jure ſpeciali; ut patet in quadam inſcriptione Neapolitana: *Marco Meſio Praefecto Annonae Urbis ſacrae cum Jure gladii.*

Ad diviſionem juriſdictionis breviter tandem accedimus, dividendo illam in contentioſam, & voluntariam. Juriſdictio contentioſa dicitur, quando inter litigatores de re aliqua contendentes, & altercantes Magiſtratus exercet, judicium in invitum tes, & conſentientes exercetur, [illegible] facto illo judicio Regis Angliae. Duo enim erant, ambo in familiae imaginibus caput Tauri portantes, altero aegre ferente; ad duellum jam erant accincti, ſed amicorum perſuaſionibus, jurgium ad Regem remiſere; qui ita jocoſe illos conciliavit, ut unus ferret caput Tauri, alter caput Vaccae; Jocis ſalibuſque mixtum judicium, quod de re nullius momenti ad Arenam produſſe viros ſatis oſtendit.

Voluntaria Juriſdictio etiam exercetur in emancipationibus, adoptionibus, & manumiſſionibus; cujuſmodi negotia poſſunt apud Proconſulem, ſimul atque etiam Romam egreſſus, expediri; & ita Plin. *lib.* 7. *Epiſt.* cum Proconſul, quidem Bethicae peteret Bethicam, & tranſiret per Thyciniam, rogatus eſt manumittere ſervos alienos, atque in ipſo tranſitu exercuit juriſdictionem voluntariam. Apud Legatum vero Proconſulis nemo manumittere poteſt *l. Emancipari* 36. §. 1. *D. de Adoptionib.* conſtat autem Legatum non habere Juriſdictionem, antequam Proconſul ſit Provinciam ingreſſus, *l. Obſervare* 4. §. 6. *D. de off. Proconſulis.*

F I N I S.

I N D E X
PRINCIPALIUM RERUM.

DE Origine Pandectarum Pag. 9
Legum variae ſpecies ibid.
Legiſlatores varii 11
Tempus Compilationis Pandectarum 12
Pandectarum Ethymologia ibid.
Excellentia Pandectarum in quibus 13
In l. 1. de Juſtitia ibid.
Jus eſt forma Civitatis 14
Oligarchia quid ſit ibid.
Jus an veniat a juſtitia 15
Jus quotuplex 16
Jus an ſit ars, vel ſcientia ibid.
Jus quid & quotuplex ibid.
Aequitas, quid ſit, & in quo conſiſtat 17
Aequum quotuplex 18
Aequum cui opponatur ibid.
Lex in quo ſenſu dicatur ſancta 19
Sanctum unde dicatur 20
Munus Juriſtae ibid.
Bonus civis differt a bono viro ibid.
Juriſta in quo reddat hominem bonum 21
Calabria prima Mater Philoſophiae 22
Philoſophiae partes ibid.
Diviſio juris 23
Jus naturale, & ejus definitio 24
Naturae acceptiones variae ibid.
Jus gentium quid 25
Humana ſocietas unde 26
Jus naturae, an ſit mutabile 27
Jura varia ibid.
Imperii origo 28
Imperium quotupliciter ſumatur ibid.
Principatus quid 29
Politica poteſtas quotuplex ibid.
Imperii gradus ibid.
Poteſtas inferior quid ibid.
Imperii juriſtica diviſio 30
Merum Imperium quid ibid.
Meri Imperii politici effectus ibid.
Imperii forma quotuplex 31
Merum Imperium apud quem ibid.
Mixti Imperii attributa 33
Mixti Imperii gradus ibid.
Variae ſpecies Judicum 34
Juriſdictio quid ſit 35
Juriſdictio quotuplex ibid.

F I N I S.

JAC.

Digitized by Google

JAC. LECTII J.C.

DE VITA ET SCRIPTIS

AEMILII PAPINIANI;

SEU

DE OFFICIO PRUDENTUM,

ORATIO.

II. *DE VITA ET SCRIPTIS*

DOMITII ULPIANI,

ORATIONES DUAE.

III. *AD AEMILIUM MACRUM*

DE PUBLICIS JUDICIIS,

LIBER UNUS.

IV. *AD MODESTINUM*

DE POENIS,

LIBER UNUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

EN tibi a me, nobiliſſime Geudere, munus exiguum, quid diffitear in re clara! ſed, ſi audis affirmantem voventemque, ſtudii grandis mei obſervantiaeque teſſeram adverſum te. Meretur virtus tua, & tibi in os non differendae animi dotes. Merentur & decora tot tantaque gentis tuae: nec non etiam ille amor quo me amas, mihi compertus. Neque vacuus culpa ego, niſi ſi amplior per me porro χάριτός σοι ἴσσετ' ἀμοιβὴν. *Tum & ſatum domo Illuſtri ſcire delectat, ſatis ſcio, quam tenuere vitae viam priſci Illuſtres. Atque horum tu veſtigia facile premes: & tuopte quidem genio, & quia ducem ſpei tuae magnum nactus. Euge igitur, mi Geudere, virile hoc ſtadium, uti facis, tere jam nunc, & temporibus ad infamiam pronis nimis, tu quoque haut vulgari animo ſuccurre. Vale. Id. Feb.* CIƆ IƆ XCIII.

JAC. LECTII J.C.

DE VITA

AEMILII PAPINIANI

ET

SCRIPTIS:

SEU

DE OFFICIO PRUDENTUM,

ORATIO.

Genevae Allobrogum pronuntiata VII. Idus Novemb. CIƆ IƆ XCIII.

Quod mihi vobiſque bene vertat, Auditores! Paulum Aemilium Papinianum, laetum pariter & venerandum eruditis omnibus nomen, cum laude & bonis recordationibus haec dies dicet. Nomen, ut illa mutuemur verba Vatis,

Hyblam quod ſapit Atticoſque flores
Nomen, cum violis roſiſque natum;
Nomen nectare dulcius beato;
Nomen nobile, molle, delicatum.

ſed & aptum loco iſti opportunumque vectigal, niſi erro, & hoc tempore inſtaurantibus ad munia noſtra viam efficaciſſimum κέντρον ἀλκαίας. Nec diffido, poſt auſpicium tale tantumque, poſſe nos feliciùs, uti priſcus ſermo fuit, annare, perennare. Seriem praeceptorum recenſere potui ego, & futurum per ea mihi planius iter: ſed quoniam Illuſtrium ingeniorum faciem ponere ob oculos uſus major eſt, atque exempla plurimum apud bonos autoritatis ſemper habuere, ſtatui vitam & mores tanti viri pro ratione loci diſſerere, iiſque honoribus, quibus fas eſt ſanctiſſimo Juris Antiſtiti parentare: cujus in tanta ſcriptorum veterum ac recentiorum multitudine miror proprium neminem adhuc extitiſſe miratorem. Et vero uti hoc quoque genus indaginis non abs re eſſe credamus, Pomponius praeit exemplo *in l. 2. D. de orig. jur.* ubi de primoribus Jureconſultorum ſedulo agit, qui ab urbe condita ad Adrianum Imperatorem, jus civile profeſſi ſunt: puta a Tiberio Coruncano uſque ad Salvium Julianum Mediolanenſem, edicti perpetui conditorem; qui poſtremum in ea lege locum occupat, & pleriſque ante Papinianum noſtrum annis vixit. Conditio denique ipſa horum temporum hanc quoque operam poſcit imprimis (quibus propriam expedit parare virtutem, animumque inſtruere mature conſtantibus exemplis) ut ne ſtudia Philoſophorum imitari videatur ordo noſter, qui, quod conqueri Seneca ſolet, magnifici fere verbis, vacui rerum. Bene autem quod invidiam adulationis inſtitutus ſermo non metuit, quando poſt ſeculorum plurium ſpatia laudamus, poſtquam ſimulationi & mendacio nulla merces. Neque vitio, uti opinor, quiſquam dabit, quod infoecundo aevo verae laudis, exempla prioris potius cognoſcere diſideramus. Ex antiqua nemo certe non praeferat in his talibus!

Curioſum illud, & ſolenne,

Τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες,

haut vehementer inquirimus. Nobis minutula haec & externa minus curae, magis ecquid boni hic portet, ſcire aventibus. Tamen inperante Septimio Severo, id eſt, ſub annum Meſſiae ducenteſimum, vixiſſe hunc ex Lampridio, Eutropio, Dione, Capitolino, Herodiano, Zoſimo, Zonara etiam & aliis fides certa. Nec πλεονέκτημα & ſubſidium tenue illi ad magnas res, quod in tempora incidit Principis hujus, ut belli ita pacis artibus excellentis, & perpetuo quo inclinaſſet affe-

tem, Papinianus intellexit in *l. Juriſperitos* 30. *D. de excuſ. tut. & l. cum tabulis* 16. *§.* 1. *D. de his quae ut indign.* ubi Principes optimos appellat maximoſque. Et inſignes utriuſque conſtitutiones, praecipue vero patris, ut qui annis decem & ſeptem tenuit imperium, in Codice noſtro extant. Igitur & felicitate ſeculi tanta, & pia parentum cura ſectus, & eximii Imperatoris gratiam facile meritarus, humaniores haut dubie diſciplinas ab adoleſcentia ſtatim ipſa hauſit. Cervidii deinde Scaevolae, Jureconſulti praeſtantis, auditor fuit, qui & ipſe M. Antonini Philoſophi Conſiliarius, & Severi praeceptor: de quo illud ſingulare celebratur; quod jus omne ad facti ſpeciem perinduſtrie accommodaret: unde haec formula, *ſecundum ea, quae proponerentur*, frequens ipſi. Et eum quidem Modeſtinus *in libris Excuſationum* inter Jureconſultorum principes ponit. Ex illius igitur ſchola prodiit Papinianus, a quo virtutem verumque laborem didicit adeo avide, adeo prompte & feliciter, longo ut eum intervallo praeceſſiſſe videatur. Et quoniam, ſicuti vetus eſſe dictum Symmachus ait, *quiſquis bonae frugis eſt, in bonum publicum vindicatur*, huic ideo, doctrina, integritate, atque aliis humani animi bonis, propitiam apud omnes famam nactus noſter, publica ad munera & honores confeſtim aſcitus eſt. Ac pr. efectus libellis primum, ſeu, ut alii vocant, Magiſter libellorum apud eundem Severum fuit: quod & aliis illis ex autoribus & ex Jureconſulto colligere eſt, *in l. reſcriptum* 12. *in verſ. libellos agente Papiniano, D. de diſtract. pign.* Deinceps Advocatus fiſci ſub eo Principe & egregie functus hac cura. Tum & affinis factus ipſi ex uxore ſecunda. Sed virtute & ſapientia charus imprimis, cui etiam uni liberos ſuos moriens optimus Princeps commendavit obnixe. Tandem & Praefectus praetorio extitit poſt Juvenalem, quod nominatim ex Zoſimo confirmatur, *lib.* 1. *& ex Paulo in l. lecta* 40. *in prin. D. de reb. cred.* Summum id munus poſt Principem aevo illo, & praefectus praetorio cognoſcere Principum cauſſas, & judicare vice ſacra, & dignitatum omnium culmen obtinere dictus vere, atque ad eum a ſententiis Praeſidum & Proconſulum erat appellatio: nec amici tantum illi, uti olim Jureconſulti prope omnes, ſed parentes ab Imperatoribus dicebantur, ut *l. ex Divi* 4. *§. quod vos quoque, C. de ſuſc.* Mutata autem in deterius ſucceſſore Caracalla Romana res: cujus de flagitiis quicquid dixero minus erit. Neque tamen ſaeva tempora Papiniani noſtri animum avocavere, quominus patriam optimis & ſaluberrimis conſiliis adjuvaret. Quin virtute inſita conſtantiaque adverſus diſcriminum amaritudinem ſponte connixus, ac tunc quoque (quod paucis memini contigiſſe) juris civilis ſtudia cum Reipub. adminiſtratione conjunxit: & ſacerdos pius Aſtraeae, & acutiſſimus juris interpres, & prudentiſſimus Reipub. moderator, &, breviter, inſtrumentum boni imperii, & deliciae generis humani, quamdiu fuit, & poſtquam eſſe deſiit, fatente invidia ac favente ſemper exiſtimatus. Pauliſper hic ut reſiſtam, tractaſſe eum in juventa pene prima jus civile, tum reſponſorum & tractatuum multitudo, tum illa brevitas vitae ejus argumento eſt, de qua deinde mentio fiet. Et eam juris peritiam conſecutus eſt adoleſcens, quam vix hodie ſenioribus nobis licet. Non id quidem novo exemplo, cum Cocceji etiam Nervae nimum ſeptimum decimum aetatis annum agen[illegible] [illegible] tam foecunda bonarum rerum tempora tamſe illa, quam haec noſtra ſeculum ad barbariem pudendamque prolabi animadvertimus. Reſponſa Papiniani pleniſſima boni & aequi; Naturae vocem & Rationis; oracula Themidis & Juſtitiae melius dixerim. Veritas in his nuda & ſimplex, non potentia fractum animum, non gratia flexum ulla, non prece, non pretio adulteratum, non tumula fraudis vel calliditatis labe contactum prodens clare: quo nomine ab Juſtiniano commendatur, Papinianeam ſimplicitatem ſibi potiſſimum in condendis legibus imitandam profitente in *§. ſed quia* 5. *Inſtit. de fideicommiſſ. haered.* Atque utinam hunc tandem tramitem ingrediantur noſtri Prudentes, & veteris Juriſprudentiae lucidum diem tum ſequantur ipſi quidem, tum & aliis fide commonſtrent! quos nebuloſas potius mille ineptias, mille captiones & laqueos, mille nocendi artes paſſim nectere & comminiſci nemo neget, qui hodiernum diſceptandarum litium morem norit. Moleſtus ſim ſi tabularum & veteratorum [illegible]; ſi velitationes tot inanes; ſi tot ſerendarum & protrahendarum litium vias vel delineare conſtituo. Vetus utique generi humano malum, ac reliquas etiam artes quodam genere pervagatum (ſed in arte ſacratiſſima momentique maximi foedum nimis) cujus initia, tametſi tum perexigua, & jam olim arguere leges noſtrae, & ſeveriſſimis ſatis coërcuere: & plerique juris articuli unico hoc fine, ſit ut citior litibus finis, vel ut naſci prohibeantur aeternum, ut *l.* 6. *D. de minor. l.* 4. *§.* 11. *D. de alien. jud. mut. cauſ. fact. l. eum quem temere* 79. *D. de judic. l.* 1. *l.* 3. *§. tametſi* 1. *D. de recept. qui arb. recep. l.* 2. *in prin. D. de aq. & aq. pluv. arcend. l.* 13. *§. ſed ſi* 3. *D. de uſuf. l. ult. D. pro ſuo. l. eas* 80. *D. de condit. & demonſt. l.* 2. *l. fratres* 10. *l. ſub praetextu* 19. *C. de tranſact. l. properandum* 13. *C. de judic. l. ſi qui advocatorum* 5. *l. quiſquis* 6. *C. de poſtul. l.* 1. *C. de advoc. div. jud.* Et quid non? aut ubi non? Ac vaniſſima & ingenuis hominibus indigniſſima quorundam excuſatio eſt, differentium haut eſſe mirandum, quod ad vitia praeceps ſeculum ab antiquiorum Jureconſultorum genio illo prorſus niveo & ſyncero receſſerit, cum in rebus quibusque ſanctiſſimis nihil inauſum intemeratumve reliquerint hominum artes malae. Ridemus aegros, qui diſcrimini ſuo blandiuntur hoc colore, quod in eodem valetudinario eademve in civitate langueant alii plures morbo pari. Sit igitur Papinianus civilis quoque ſimplicitatis nobile exemplar: & quemadmodum [illegible] Ulpianus imprimis, & interpretando jure clarus (quam ob cauſam in *l. ſcire oportet* 13. *§. aliud* 2. *D. de excuſ. tut.* & [illegible] eum Prudentum Modeſtinus appellavit) ita hic quoque omnium optime de jure reſpondere, id eſt, civili uti diſciplina, perhibetur. Illud vero miris modis in Papiniano ſuſpiciendum, quod ſententiam aliquando mutare non erubuit; ſed rationi & Prudentum aliorum autoritati ceſſit. Quam rem & de eo teſtatur Juſtinianus in *l. ult. §. ſed cum* 3. *C. de furt.* & ipſe de ſe ingenue profitetur, in *l. ſi venditor* 6. *§. ult. D. de ſervis export.* Et ita Paulum, Scaevolam, Ulpianum, caeteros, probari promte poſſit, quae minus recte ſcripſerant aut ſenſerant, aequiſſimis deinde animis retractaſſe. Eant modo homines noſtri, & opiniones ac conſultationes ſuas plerumque abſurdiſſimas, iniquiſſimas, falſiſſimas, obſtinate & ambitioſe tueantur! certent odiis &

con-

Digitized by Google

cujusquam temere conſectandum, non emolumenti aut famae cupiditate polluendum! Sciant diſceptationis omnis ſcopum eſſe cognitionem veri & juſti: oculus ab ea ſi declinet, *σκότος*, *σκοτεινολογίαν*, calumniam eſſe magis! Antiqua denique illa purioris Juriſprudentiae lumina, venerandas antiquitatis omni literarum genere inſtructiſſimas, caſtiſſimos & integerrimos Juſtitiae myſtas, non quaeſtuariam, ſed gratuitam Juriſprudentiam exercentes, vani homunculi, qui Chriſtianos ſeſe appellitant, imitentur! Facundiam Papiniani quid commemorem? non fucatam utique illam & degenerem, qualis etiam ſaepe priſcis, ſed genuinam atque fortem, & nervorum, quam verborum, plus habentem: ut nec ſine ſenſus detrimento demere quicquam, nec dijudicare facile poſſis, eloquio praeſtet an doctrina. Certe leges ſatis multas, cum errores librariorum aliis Prudentibus inſcripſerint, vindicat ſtylus Papiniano, propriis notis. Quanquam autem, quod nonnulli in eo culpant, verbis priſcis & *ἀπειροκαλίᾳ* delectatur, modice id tamen, magnoque cum delectu. Neque temere hujus exemplo tenebriones quidam ſeſe tueantur, qui Naeviana, Pacuviana, & jam olim uſu abolita, aut ex ultimis Graeciae oris abortiva vocabula tam affectant ſine judicio, tam ſollicite anxieque conquirunt, ſtuporem legentibus afferre, ſine omnino non intelligi velle videantur. Et conſequi hoc poſterius nonne his licet vel ſilendo? Scio *ἀρχαϊσμὸν* habere quiddam effigiem antiquitatis, & autorum veterum deſiderio politiſſimum quemque fere teneri; amare monimenta priſci aevi, complecti, exoſculari. At ſervandus in his etiam modus: neque hominibus male ſanis & publico odio digniſſimis aſſidendum, qui domorum urbiumve cadavera noctes dieſque ſcrutantur, truncas aut vetuſtate adeſas ſtatuas magno molimine inde eruunt extrahuntque: ſanctitatem Manium quoque violant, ut aeris marmoriſve fruſta quaedam pro venerandis majorum imaginibus oſtentent, famamque ex eo, ut ſic dixerim, fumo captent. Melius noſter & prudentius, qui reliquias antiquorum aut ſermonem exterae gentis ita amat, ita colit, ut judicium adhibeat & *ἐκλογὴν*: quid uſus, quid aetas ferre poſſit, quid ad cultum perſpicuitatemque pertineat animadvertens imprimis. Quin haec ipſa parce uſurpat, parce inſerit ſcriptis ſuis, atque loco. Ex rationem tenet eam, quae ab elegantioribus hominibus in vaſis argentoque ſervatur. Nam alia ſunt, quae ad uſum quotidianum in menſa ponuntur; alia, quae ad ornatum & magnificentiam in abaco interdum collocantur. Talem fero facundiam, ac tum graviter, tum & ornate dicendi vim Jureconſultis & civilium rerum moderatoribus vehementer eſſe opus, & innuunt Imperatores in *l. petitiones 5. l. reſtituendae 6 C. de advoc. diverſ. jud. l. 7. C. de profeſſ. l. 5. l. 6. C. Theod. eod.* & antiquis ita viſum, M. Tullius paſſim oſtendit, Juriſprudentiae & eloquentiae laudes fere conjungens. Sane *δεινὸς ἢ δυνατὸς* ille Valla ſcripta veterum Jureconſultorum, id eſt, Pandectarum libros ita miratur, ut dignitate orationis & ſplendore eos etiam antecellere fateatur. Tum vix aliquem ſcio e priſcis, qui aut magnam Reipub. utilitatem aut lucem profectumve diſciplinis, aut ſibi famam, opes, amorem publicum, ſine illo adminiculo quaeſierit. Ut ſit tantum de hac noſtra arte ſermo, viguit ea, quamdiu ſtudia ipſius eam, an audaciae? hoc tempore ſuccenſendum, qui & ſuperioris aevi ſordes in ſcholis retinere, & elegantiae atque humaniorum diſciplinarum ſtudioſos aſpernari non verentur, & contumaci quodam coeno luculentiſſimos pulcherrimae artis fontes inficere. Viliſſimis ergo hiſce animabus, miſerrimis noctuis, alta in luce caecutientibus, veteres illos oculatiſſimos & cultiſſimos Juris autores, & hunc noſtrum imprimis opponamus, quem & univerſa ipſius *ἐγκυκλοπαιδείας* latifundia peragraſſe, & eundem dicendi laude claruiſſe conſtat ac ſcribendi. Ea autem facultate, eo orationis modo flumine, modo fulmine, ſancte illum & innocenter & ad Reip. ſalutem, tum in conſiſtorio Principis, tum apud populum & Senatum eſſe uſum, quamdiu vixit, & illa ſcriptionum ejus ſequitas certiſſimo eſt documento, & exitus ipſe vitae, de quo poſtea dicemus, ſatis ſuperque comprobabit. Quare has propter tot eximias, nec non etiam innumerabiles alias animi dotes, honorem ei praecipuum & autoritatem tribui cernimus paſſim, *Aſylum quoque Juris & doctrinae Legalis Theſaurum* vere magis, quam diſerte dictum olim, ut meminit Spartianus *in Severo.* Etiam opiniones caeterorum ac ſententias oraculis cedere hujus placitum ſemper Imperatoribus antiquis, donec omnium Juſtinianus exaequavit, omnium partem juris civilis eſſe ſancivit. Tamen honora & religioſa Papiniani mentio ipſi, & encomiorum apice inſignis, ad quem neſcia hodiernae adulationis antiquitas neminem alium Jureconſultorum evexit. Acutiſſimi virum ingenii, virum merito ante alios excellentem appellat, in *l. 30. C. de fideicom.* quo loco ex ejus quoque ſententia paternae pietati ſubnixa novum jus inducit: nec non etiam in *l. 6. C. de inſtit. & ſubſtit.* ubi excelſi porro ingenii virum dixit: ſicuti & ſummum in *l. cum Papinianus 14. C. de ſent. & inter loc. omn. jud.* Ne multus ſim, ſplendidiſſimum, maximum, illuſtriſſimum alibi ſaepe. Auditores etiam tertii anni Papinianiſtae de ejus nomine, & olim, & Juſtiniani temporibus nuncupati. Et quemadmodum (teſte Tullio *Actione* IV. *in Verr.*) nomini & familiae Marcellorum propter merita ſumma Marcelli ſacrarant Syracuſae feſtum diem; ſic inſtituto Juſtiniani Papinianea quaedam feſta in ſcholis civilibus invaluere. Scripſit libros Reſponſorum undeviginti; Quaeſtionum ſex & triginta; Definitionum duos; De adulteriis item duos; Aedilium Curulium quoque unum; Digeſtorum denique decem & octo: cunctos prius, quam triceſimum ſeptimum aetatis annum impleſſet. Novum dictu, virum publicis curis occupatiſſimum, tenentem regimen ſummae rei, & magnis Principibus individuum, & docendo dicendoque juri intentum (adde item difficillimis fere temporibus) tantum operum doctiſſimorum, tam exiguo vitae ſpatio potuiſſe! niſi quod pervia cuncta animis grandibus ſimul ac velle coepere, & vita mortalibus longa ſatis, ſi tota bene impenderetur: ut queri nos de natura Seneca jure queratur hac in parte, inſitamque ſegnitiem ac ſocordiam calumnioſa illa falſaque excuſatione defendere. Per hoc porro Papiniani gloria valde auget, quod e ſchola ejus plurimi maximique Jureconſulti prodiere. Diſcipulos namque habuiſſe Lampridius *in Alexandro* teſtatur, Alphenum, Pomponium, Florentinum, Africanum, Martianum, Calliſtratum, Hermogenem,

Cel-

Digitized by Google

dius ideo iſtum Principis ſummi decus facile adeptum, quod ex Ulpiani praecipue conſilio Remp. adminiſtraret: ut ſitam quoque felicitatem Papiniano debuerint tempora mox ſecuta. Neque aliter cum Severum juris civilis & bonarum artium intelligentem, Principemque populo Romano non improſperum fuiſſe conſtet, id haut dubie Papiniani etiam noſtri munus fuit.

Horret animus, Auditores, gravem hujus & atrocem atque immeritum caſum exponere. Veruntamen quia ſummorum virorum noſſe mortes cum uſu eſt, ac pleraque vitam egregiam macularunt fine turpi, nequid etiam ſubducatur gloriae ejus, paucis diſſeram. Diſcordias nemo neſcit vivo Severo, & licentius mox, vita functo, Antoninum inter & Getam multoties exarſiſſe; vindicante adeo & firmante uni ſibi imperium Antonino. De his autorum ſermo conſtans, maxime autem Herodiani. Eas noſter in commune malum erupturas dum ſuſpectat ſua prudentia, mederi malo tanto nixus ſemper, ac monitis, autoritate, conſilio, ad mutuum amorem revocare & reducere germanos. Tamen ut pronior videretur erga Getam, utpote auguſtioris animi adoleſcentem, & amantem literatorum, & ab ingenio fratris alienum libidinoſo pariter & feroci. Neque infructuoſa, donec pater vixit, opera ejus, & reconciliatione ficta ſubinde Antoninus conquievit. At patre tandem extincto, cum Senatus, uti ipſe praeceperat, Antoninum aeque & Getam, licet natu minorem Imperatores conſalutaſſet, impatiens conſortis Antoninus odia & ſimultates inſtaurare, minitari, partes quaerere, parricidium denique cogitare. Et poſtquam veneno & occultis inſidiis fruſtra petiiſſet, per vim & ferrum opprimere conſtituit. Itaque cum annum una fere egiſſent male concordes, ipſo in palatio, ipſoque matris in cubiculo deprehenſum, nihil tale tum metuentem, in ejulantis ac deprecantis ejus ſinu ac viſceribus trucidat: ita ut ipſam filii quoque ſanguine perfuderit, & ſauciaverit ictu levi; autore Xiphilino in Epitome Dionis. Simul magnam militum partem aegre ſcelus accipientem, donis compluribus, & enormi largitione pacat obſtringitque. Poſtera die fratris inſidias mentitur in Senatu, neque tantum facti invidiam elevat verbis, ſed univerſo etiam orbi terrarum, velut ob demtum diſcrimini magno Principem, gratulatur: atque adeo repetitis e memoria vetere exemplis flagitium vertit ad gloriam, non aliter ac ſi dignum aliquid felicitate & virtu e Romana feciſſet. Quid mox autem? Vere illud ac ſapienter Tacitus ex Platone *Annal.* VI. 6. *ſi recludantur Tyrannorum mentes poſſe aſpici laniatus & ictus, quando, ut corpora verberibus, ita ſaevitia, libidine, male conſultis, animi talium dilacerantur*, ut ſua quoque ipſis ſcelera cedant in ſupplicium, diram ultionem tam verentibus, quam merentibus. Huic rei fides evidens de exemplo Caracallae. Quippe probroſa adverſus ſe multa vulgari non gnarus, & metu vacuus nunquam, & ſcrutatus ſaepe per magos finem ſuum, & Senatui ſemper, populoque diffiſus, ſtimulante facinoris tanti conſcientia, & ſomnis viſiſque exterrentibus, amens animi, patronum & excuſatorem quaerit. Nec vero deerant deterrimorum hominum & natorum ad infamiam linguae ſuaves, & refertiſſima illa mancipiorum regia fuit. Sed exiſtimat ſibi inſignis viri cujuſpiam ope opus, cujus autoritate, facundia, exiſtimatione, odium tanti criminis a ſe amoveat. Et Praefectorum praenuat, proponit certam necem. [illegible] praetorio Caracallae alius cordi, quam Trajano, cujus probitatem Imperatoribus optari, moris fuit publicis votis: qui cum gladium dignitatis ejus inſigne cuidam traderet, *Stringe tu*, inquit, *iſtum pro me, ſi meruero: ſin minus, etiam in me.* Verumenimvero Papinianus, etſi minas haut inanes fere praeſentiens, nil cunctatus, nec petito ſpatio conſultandi, nec pavoris ſigna ulla doloriſve vultu prodens, *Non tam facile excuſari parricidium, quam fieri poſſe*, *reſpondet.* Refert Herodianus addidiſſe, *defendere parricidium, parricidium alterum ſibi videri.* Vocum utramque magni animi, magnae libertatis, rarae etiam, dico invitus, in Chriſtianis hominibus integritatis & *παῤῥησίας*. Nec ſe macula eximat unquam e ſcriptoribus nuperis ille, qui temeritatis & inſipientiae viſus arguere, tanquam haut ſatis gravibus cauſſis ſponte ruentem in exitium. Viderat noſter ad eam diem pleraque ab Antonino facta ſequius, & dubio procul viderat moerens. Tamen diſſimulatione quadam vel moderata reprehenſione tranſmiſerat: non formidine quidem irarum & ſupplicii, ſed ne nimia tetricitate Principem impelleret jam nutantem, ſeque & auxilium ſuum Reipub. ſubtraheret. Tum quia norat bonos Imperatores expetendos votis multis, qualeſcunque tolerandos. Denique ut Julii etiam Agricolae veſtigiis inſiſteret: qui, ſaeviſſimis Domitiani temporibus Rempub. adminiſtrans, ingenium Principis atrox & praeceps in furorem ſolitus ſumma prudentia & moderatione lenire, non utique contumacia vel inani jactatione libertatis famam fatumque provocare. Documento par virorum immortali, *poſſe etiam ſub malis Principibus magnos viros eſſe*, *obſequiumque ac modeſtiam* (Taciti noſtri verbis utor *in Agric. c.* 42.) *ſi induſtria & vigor adſint*, *eo laudis excedere*, *quo pleriqque per abrupta*, *ſed in nullum rei p. uſum ambitioſa morte inclaruerunt.* Et interiit ille quidem, non inficiante genero, morte ſua: quia nec imperatum illi ſcelus, & potior hactenus Domitianus Antonino. At hic noſter, ubi duraſſe jam ad omne facinus belluam videt, neque metum eſſe ultra nec pudorem, ſed nec ſine flagitio obtemperari poſſe. Nae non eſſe potius ſtatuit, quam ſceleri dedecorique ſuo ſupereſſe. Quamvis enim (quod apud Tacitum aliquis apte *Hiſt.* IV. 74.) *quemadmodum ſterilitatem aut nimios imbres & caetera naturae mala*, *ita luxum*, *avaritiam*, aſperos dominantium mores, *ferre debemus*; cavendum tamen, ut quod maxime, ne quia nos adulatio & patrocinium ſocietate facinorum obſtringat, ne crimina quoque eorum per ignaviam & mollitiem, quam modeſtiam & [illegible] appellitant, noſtra faciamus, & ea res tum Rempub. tum & Principes noſque una perdat male. Providendum imo ut diſcant, certos poteſtatis ſuae fines eſſe, & jubentibus ſibi quidvis non pareri: quin ita demum amari ſe, ſi non ipſorum vitia amentur, ſed ea libertate, quia juſtum eſt, ab his arguantur, quibus debet eſſe curae publicum decus, publica ſalus. Noſtra aetate quem Papiniano noſtro melius comparem, ea in laude vix ſcio, quam Doctorem illum meum Jac. Cujacium clariſſimae memoriae Jureconſultum: qui occiſo Errico III. Galliarum Rege ſine liberis, cum Erricus Borbonius ſibi ſceptrum ac diadema meritiſſimo vindicaret adverſus Carolum patruum, civilibus ex eo bellis ingruentibus, de ea controverſia rogatus, ut pro patruo ipſo ſcriberet, etſi hinc praemia, inde offenſiones & pericula ante oculos verſarentur, reſpondit: *Corrumpere leges*

Sapientum noſſe apprime: niſi Rempub. forti celſoque animo complectimur; niſi & metum & pecuniam contemnimus, & ſola bona, quae recta quaeque honeſta, mala tantum, quae turpia, exiſtimamus: ac veram illam priſcamque in dicendo, conſulendo, judicando, in negotiis omnibus publicis privatisque diſceptandis libertatem, quoties uſus & res poſcit, exerimus. Clamat ecce magnus Vates (Horatius *lib. 3. Od. 3. vſ. 1. & ſeqq.*)

Juſtum & tenacem propoſiti virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis Tyranni
Mente quatit ſolida.

Quid ſtamus autem? & ſupremam Papiniani neceſſitatem non exequimur? Taras poſtquam, non blanditiis, non terrore exprimi nefariam defenſionem poſſe videt, poſtremo eo furoris, eo immanitatis erumpit, illum ut jubeat duci ad poenam. Papinianus adverſum periculi propinquitatem magis magisque firmatus vocem hanc ipſam immota animi ſecuritate atque oris excepit: parentes, liberos, ſalutem, opes, in hoc aetatis flore & robore, in hoc faſtigio dignitatum, prae conſcientiae praemio, prae exemplo publicae famae vilia habens: impetrabili etiam tum venia licet, atque adeo largitione, ſi poeniteret. Non ut magnorum alioqui virorum multi, qui ſceleratis juſſis tarde; ſed tamen, dulcedine talium victi, demum obtemperavere: dum & parvi aeſtimant munia ſua, & delinquendi neceſſitatem iis hominibus neſciunt eſſe nullam; *quibus*, ut ille ait, *neceſſitas ſemper eſt non delinquendi.* Neque dubium, quin Antonini vetus odium ob Getae partes antepoſitas diu multumque cogitaſſet vir eximius, & fortiſſimis meditationibus animum, a natura bene factum, contra adverſa praemuniſſet: nec laborum pretium aliud ac meritorum in Rempub. ab irriſore Senatus, ab educatoris & fratris percuſſore, ſtupratore Veſtalium, bonarum artium hoſte virtutumque, etiam inſidiatore paterni capitis expectandum, quam ut Praefecti quoque ſui, & affinis, & amici paterni fraternique necem adjiceret. Rapitur occidendus a militibus Papinianus ad palatium adeo propere, ut non complecti liberos, non lachrymae ſub eo Principe impune erant. Simile vero eſt vindicaſſe etiam cum innocentiſſimi viri fortunas fiſco ſuo. Mirum & ni, tanquam poſt Getae necem factum, & peſſimis Imperatoribus in maximo quovis ſcelere ſolitum, mors etiam Papiniani inter proſpera Reip. fuerit adnumerata. Mirum, ni illius juſſu laudes gratesque actae fanis, & ſpectacula decreta, & victimae, & pulvinaria, & delubra, & arcus, & trophaea. Necatur mox & filius Papiniani, necantur & liberti, denique eorum, qui vel leviter Getae noti, ſine diſcrimine ullo aetatis, ſine ſexus, millia pene viginti. E veteribus eſt, qui memoret praedivinaſſe in ipſis militum manibus Papinianum, fore ut temeratam crudeliter Praefecturam, qui ſuccederet in id munus, ulciſceretur. Contigit autem id a Macrino, quando Praefectus hic praetorio quinto poſt anno oſtentum iſtud occidit: indigniſſimum, ſiquis alius dominorum, morte ſicca. Superiorum Pontificum temporibus reperta, uti referunt, urna Romae, ſolida argento, cum inſcriptione tali!

PAVLO. AEMILIO. PAPI
NIANO. PRAEF. PRAET.
I C. HOSTILIVS. PAPI
NIANVS. ET. EVGENIA.
GRACILIS. TVRBATO.
ORDINE. MORTALITA
TIS. IN. SENIO. HEV. PA
RENTES. FECERVNT.
FILIO. OPT.

Et mox,

VIX. A. XXXVI. D. X. M. IIII.

Finio in fine Papiniani honeſtiſſimo; unum ab egregiis moribus veſtris, Auditores, ſi petiero: ſic imaginem & memoriam tanti viri; ſic candorem, innocentiam, diligentiam, eruditionem, fidem, prudentiam, ſanctitatem, conſtantiam, ac mirabiles caeteras ejus divinasque virtutes complectamini; ſicque adeo in his omnibus elucentem praeſtantiſſimae artis noſtrae uſum continuo revolvatis alta in mente, ut prodeſſe publicae rei, ac tueri famam temporum vos etiam cum dignitate poſſitis! DIXI.

F I N I S.

E T

S C R I P T I S

ORATIONES DUAE:

ILLUSTRIBUS ET GENEROSISSIMIS

DD. JOANNI, ET ADOLPHO,

COMITIBUS IN NASSAU, CATZENELENBOGEN, VIENDEN, DIETZ, &c.

JAC. LECTIUS J. C. S.

Diem, qui vos mihi primus oſtendit, amo & veneror, Domini Illuſtres; &; ſi legent noſtra poſteri, uti ament, etiam porro venerenturque, a poſteris peto ſupplex. Dico audenter: ſemina magnae indolis ille oſtendit, immo robuſtam ipſam pene virtutem ante anuos, ſupra annos. Sane ut dignum domo Illuſtri, quae ſacrarium pietatis & ſanctimoniae meruit exiſtimari per Europam: ſimul ſtudio nobiliſſimorum & ornatiſſimorum virorum, atque induſtria, qui bonis praeſunt bene. E veteribus, qui rem ruſticam tradidere, cujusdam eſt adnotatio: ſi in pyrum non ſylvaticam inſeveris pyrum bonam, fore jucundius foecundiusque, quam ſi inſeveris utlibet bonam in ſylveſtrem. Ita, opinor, feliciorem uberioremque proventum inſtitutio & cultura ſpondet ingenii, ubi nativus ſubeſt vigor ac gentilis, ad res maximas vi ſuapte contendeus. Quare haec propter dulciſſima veſtri etiam in me adſectus aeſtimatio animo meo allapſa confeſtim: quam ni teſtor, legem metuam, ſi qua vindex ingratorum. Teſtor igitur, atque indiciis, etſi puſillis, tamen ut grandia res puſillae teſtentur, & arti ſolitum, & naturae. Tum ne appeller de ſorte fortaſſis, uſuram interim pendere viſum, certe tenuem, ſed uſuram. Quoniam denique & politicae civilisve doctrinae, & juris noſtri myſteria vobis cordi, en altiſſimi Vir conſilii, & ampliſſimae dignitatis noſcitandus exhibetur. Sinite hunc, obſecro, Domini Illuſtres, gratiam & decus ab luce veſtra nanciſci. Ut enim vos ab his talibus, neque mihi mens, & occentum odi veterem commereri, ἄνω ποταμῶν. Favete tamen, ô fratrum par Illuſtre, & fidiſſimum veſtri nominis amate cultorem, a quo iſta! Dat. Genevae Allobrogum, V. Cal. Mart. CIↃ IↃ CI.

O R A T I O I.

Publicus factus eſt ſermo noſter, Auditores, per quem aliquot ante annis Paulum Aemilium Papinianum, magni & excelſi nominis Jureconſultum, de hoc ipſo loco, eo, quo licuit modo, commonſtravimus. Fuit ea operula (niſi judicia fallunt amicorum) grata vobis: ſed nec vacua (addunt hoc quoque) publici fructus. Idcirco digniſſimum praeceptore tanto diſcipulum, atque adeo quaſi συμμύςην adjungere, conſilium eſt in praeſenti: & per illos anni & ſeculi auſpices dies, civili ſcholae noſtrae, cui jamdudum ob munia alia defuimus, quamque hoc tempore & Ampliſſimi Senatus autoritas, & ornatiſſimorum juvenum deſideria, & doctiſſimorum virorum frequentes hortatus, & ſerenior ipſa rerum facies magnopere commendavit, ſunto hae ſtrenae! Ad Domitium Ulpianum ſpectant iſta: cujus ut vel ipſum nomen auditis, Juſtitiae, & aequitatis, & omnis literatae virtutis effigiem veſtris ſtatim animis oboriri fas piumque eſt. Judicium meum ſi requiritis, talia iſthaec, fortia inquam & ſincera veterum exempla venerari uti moris antiqui eſt, ita excitandis hominum ingeniis plurimum habet autoritatis. Neque invidioſum erit, opinor, ſi, ut loquitur magnus Vates,

Virtutum hos vobis ſtimulos, haec ſemina laudum
Incorrupta damus.

Enimvero praecepta grandia & erudita ſubminiſtrare, in facili magis eſſe amat: in his veterum, in his hominum quoque noſtrorum, ſcriptio multa. At connectere velutique maritare res praeceptis, & philoſophicos monitus civilesve vita exprimere, miraculi vero iſtud & prodigii ſpeciem habuit ſemper, ac principatum meruit ſolidae laudis. Tum & ſiquos per varias temporum vices adjuvando generi humano divinus favor indulſit, quorum & dotes uſui etiamnum, pravi nos nimis; ni ſubinde laudes gratesque ob haec agimus Deo, & memoriam tantorum virorum eo adfectu, ea religione, qua di-

gnum

Digitized by Google

coloniis juris Italici, & magiſtratuum in urbe Roma conſequendorum jus habentibus, primo loco ponit illam, & coloniam Tyriorum ſplendidiſſimam, nobilem regionibus, ſerie ſeculorum antiquiſſimam, armipotentem, foederis Romani tenaciſſimam appellat. Addamus nos, quod videtur Ulpiani modeſtia praeteriſſe conſulto, meminit autem veterum conſenſus autorum, acutiſſima cultiſſimaque ingenia viſa ſemper Syrae gentis, & pleraſque artes inventum eſſe hujus, *navigandi* potiſſimum, & *ſcribendi*. Sane ſcimus, quod Ulpianus ipſe notat *in l. quod ſi nolit* 31. *§. qui mancipia* 21. *D. de aedil. edict.* intereſſe vehementer ad magnas res, quo coelo ſoloque quis naſcatur, & a ſummo rerum opifice quibuſque populis proprios mores, propriam indolem coeleſtibus cauſſis attributam: & ſuopte genio quoſdam ac vi quadam arcana naturae, ad militarem gloriam magis, alios ad politiores diſciplinas, alios ad commercia aut honeſtiorem agriculturam eſſe factos, ſtolida pectora & obtuſa eſſe aliorum, & ad viliſſima tantum miniſteria propendere, neque fieri, ut in vetere paroemia eſt, Mercurium quovis ligno. Feliciter itaque Ulpianus ad egregiam juris artem, ad auguſtum rei Romanae regimen adſcendus, ex his populis prognatus eſt: qua de cauſa Damaſcenus etiam appellatur, *l. cum Ulpianus* 16. *D. de interd. & releg.* Et quidem natus (niſi aberrat calculus noſter) ſub annum Meſſiae ducenteſimum, tenente imperii columen Antonino, cui Pio cognomentum. Fueritne lare anguſto, & natalium obſcuritatem meritis demum illuſtraverit (quae Alciati fuit opinio) an vero generis & patrimonii ſplendor aliquis robur ac decus ſtudiis ejus conciliaverit (quod alius quidam credidit) nec vehementer ad rem pertinet; & plerumque has minutias antiqui ſcriptores neglexere: quibus mos praecipua humani animi bona mirari, non utique fortuita haec & externa, quantum quiſque foeneret, quantum aret, quam avorum proavorumque ſeriem praeferat, quam multas imagines oſtentet. Tum & utramque fortunam commoda ſua, ſua incommoda habere ſcimus, & via utraque ad ſcopum ſuum pervenire magnas mentes: atque adeo, ſi Senecae credimus, ſi Salviano, tenui viatico, aut etiam ſine viatico fere magis. Utcunque ea res habet; neceſſariis a pueritia diſciplinis inſtitutum, Romam ſtudiorum magiſtram, & cuſtodem fideliſſimam petiſſe conſtat, ibique magni illius Papiniani, quem initio nominavimus, individuum auditorem extitiſſe, quod Lampridius teſtatur expreſſim. Quamvis ſcilicet inſito ingenio, inſito acumine excelleret Ulpianus immenſum; tamen nec privata ſtudia ſatis habuit, quod juventus per hanc temporum ignaviam pleraque ſolet, & praeceptorem ducemque tantum nactus πλατοψικτερμα grande ſenſit ad ſtudia. Nec dubitandum, quin veſtigia magnae indolis facile agnoverit Papinianus, ideoque adoleſcentem, ad maxima quaeque genitum, propria cura, proprioque adfectu, complexus ſit. Quare induſtria tanti viri adjutus juvenis tantus, & pericula lubricae aetatis facile elapſus & eſt ſuos ſupergreſſus aequales. Peritiam diſſerendi, ſtudiaque alia, quae humaniora nuncupantur, cum jure civili conjunxiſſe, aut his certe diſciplinis praemunitum ad ſacraria noſtrae artis acceſſiſſe,

[illegible] ce talibus ſtatim ad merum jus tradendum profiliſſe (prope dixerim) χερὶν ἀνίπτοις: quos reprehendit Cajus *in l. 1. D. de orig. jur.* Eam ob cauſam cujuſque tituli priora capita aliquot ex Ulpiani libris eſſe deſumpta, cernimus paſſim. Recto quidem id judicio Tribonianus! quia, ſi ſeriem ordinemque tractatuum, vocis genium, tituli ſcopum, tituli uſum, & propriam partis cujuſque naturam intelligimus; non poteſt obſcurioribus & interioribus juris myſteriis non praeire fax illuſtris, ſiquidem ὡς ἡ καθ᾽ ὅλα διδασκαλία ἡ κατὰ μέρος ἔφοδός ἐστι. Et ſervari hanc juris interpretandi rationem eſſe è re, Ulpianus ipſe admonet *in l. 1. D. reb. cred.* ex puriſſimis Ariſtotelicae ſcholae fontibus profluentem, & conſimilis notae Philoſophorum: At, ô pudor! non contemnere artis hujuſce magiſtros pleriſque Jureconſultis noſtri aevi pudendum & refugiendum videtur; quis ad guſtum lacunae ſolae gloſſarum, liberalia ſtudia faſtidio ſunt: neque mirandum, ſi tam ἀμέθοδοι iſti confuſique, quam dilucidus & διδασκαλικὸς hic noſter eſt. Jam vero facultas Ulpiano mira dicendi, & ſupra quam in homine credi poſſit exterae gentis. Et facundiam natione non pendi manifeſtum hoc exemplo, eque ultimo fine terrarum & naturae, ſi induſtria & vigor adſint, formari Tullianam ad eloquentiam poſſe mentes. Fuere, fateor, alii quidam ſtilo celſiore & conciſiore per id aevi, & qui interpretem magis expoſcerent, ut Sabinus; ad quem & notas idcirco ſcipſit noſter. Fuere & alii ſtudioſi magis ἀρχαιολογίας, ut Papinianus & Africanus. Hiſce enim vetuſta uſurpare vocabula pene ſolenne. At eloquio puriore & pleniore, & ad docendum magis apto, penitus nemo. Quin uſque adeo quae ad rectam dictionem pertinerent, mos fuit iſti diſquirere, ut κειτούκειτος ob eam rem appellatus ſit; quod ſcilicet in balneis, ambulationibus, & συσσιτίοις, dipnoſophiſtas de obviarum rerum vocabulis ſubinde interrogaret his verbis, Κεῖται ἢ οὐ κεῖται; ἢ τοῦ κεῖται; ut ait Athenaeus *lib. 1. cap. 1.* Et quamvis aut duriora in eo verba quaedam aut ex triviis petita videantur (cujuſmodi ſunt illa, *Indifferenter*, *ex abundanti*, *abuſive*, *fataliter*, *transfigurare*, *cauſae lucrativae*, *deriſorium*, *ſufficienter*: ſicuti & quandam Graeci moris incuriam, ſimul in ſermone eo φιλοκαινίαν Cynulcus Philoſophus eidem tribuit falſe, apud eundem Athenaeum *lib. 3. cap. 18.*) tamen & in autore linguae utriuſque peritiſſimo exercere cenſuram arrogans ſit, & explicandi docendique cauſſa magis haec uſurpat: quemadmodum & Tullius ipſe nonnunquam & Demoſthenes cum vulgo aut impolitius quaedam alia, eadem fini. Qualiter autem ſapientiae ipſius & virtutis; ita elegantiae modus quidam ſervandus eſt: & praecipue in jure tractando ſimplicitas nonnulla ſermonis nimiae ſtili anxietati praeferenda, quae plerumque aliquid trahit obſcuri. Quare cum edicta praetorum, quibus univerſum jus continetur, multi interpretati ſint, ut Sulpitius, ut Pomponius, ut Saturninus, ut Labeo; nemo tamen tam perſpicue, tam commode, tam utiliter, quam Ulpianus. Et flumen iſtud limpidiſſimum orationis ac docendi facilitatem reſpexiſſe videtur Juſtinianus, diſertiſſimum hunc appellans *in l. ult. C. de inſtit. & ſubſtit.* Et ab ea eſt

nis, Fenestellae, *l. 1. D. de offic. quaest. l. Barbarius 3. D. de offic. praetor. l. vetus 68. D. de uſuf. l. 1. D. de teſtam. mil. l. Fulcinius 7. §. 1. D. quib. ex cauſ. in poſſeſ. eat. l. 1. D. ad municip.* Ita olim Jureconſulti principes quique, & ſtudia juris civilis cum eloquentiae & linguarum conjungebant, & ſententiis atque autoritatibus Philoſophorum, Medicorum, Poëtarum, Oratorum, tanquam gemmis, illuſtrabant ſcripta ſua: unde apud hos Ariſtotelis, Platonis, Solonis, Theophraſti, Hippocratis, Chryſippi, Homeri, Demoſthenis, Ciceronis mentio crebra. Et erit unquam, ut veſtigia horum ingrediantur homines noſtri, & eloquentiae, antiquitatis, hiſtoriarum & bonarum artium decus allueſcant illuſtrando & explicando Juri adſciſcere, aut coeno tantum atque tricis non delectari? Quin inſcitia haec placet ipſis, & barbariem καὶ ἀγροικίαν ante inviſam revehere ſtudium multis. Cumque aliquos tulerit aetas noſtra Semones, qui ſuperioris aevi tenebras ſingulari induſtria diſcuſſere, praeferunt ſcilicet alta in luce noctuae noctem, & in ſtudium αἰσχροκερδείας ars ſacratiſſima adulteratur. Sed querelae ſuper hoc malo fruſtra omnes, quod, quemadmodum in alia re Tacitus noſter, & culpabitur ſemper, & ſemper retinebitur: ac proceſſit eo haec lues, ſola ut Principum autoritate ſanari poſſit, quia nec pudor quiſquam ultra, imo nec velamentum pudoris eſt. Jam aliorum quoque ſcripta Prudentum quam diligenter evolverit, quantique fecerit eos, qui aut memoria patrum ſuorum, aut qui ſua, jus civile tractaſſent, quis non cernit? cum Sabinum, Africanum, Labeonem, Celſum, Melam, alios laudet paſſim? Quod ſi ab his quando diſſentit, id vero cauſſis modeſte, & ſine ira, ſine animi amaritudine prolatis fit: non maledictis utique certat, non convitiis, quod hodieque cum infamia noſtri aevi non tantum apud Jureconſultos in more eſt. Hinc illa toties apud iſtum, *credo, opinor, videtur, magis puto, huic ſententiae aſſentiendum puto, ut mea fert opinio*, & alia ejuſdem moderationis: unde & libros quoſdam Opinionum inſcripſit. Et quidem multa, ex aliorum ſententiis ante recepta, improbante mox Ulpiano, placere deſierunt, ut probatur *in l. ult. in prin. D. de teſtam. manumiſſ. l. ſcimus 36. §. illud praeterea 2. C. de inoff. teſtam. l. 4. C. de contrah. ſtipul.* Sed neque huic ſatis fuit, diſciplinis hiſce potiſſimis animum inſtruere, & Rempublicam noſſe omnem, quod Jureconſultorum proprium munus quam late pateat, Cicero explicat *lib. 3. de legibus*, niſi complurium aliarum rerum uſum adjiceret, oeconomicarum etiam atque exoticarum. Ejus rei fides certa *ex l. 9. D. de trit. vin. & ol. leg.* ubi enumerat genera multa vinorum, tum quae in Italia naſcerentur, tum etiam quae ex provinciis aut aliis regionibus adveherentur, poculentorum denique omnium pene, quae aut arti debemus, aut Naturae. Nec non *ex l. qui penum 3. D. de penu. leg. & l. cum aurum 19. D. de aur. & argen. leg.* ubi de his, quae eſui potuique ſunt, quae aut eſſe, aut per quae eſſe, & cibos parare moris eſt, ediſſerit ipſe prolixe: nempe ut doceat, quaenam penoris legato contineantur, aut quae ſecus, quae eſculenta, quae poculenta penus exiſtimanda, quae & horrei & cellae penuariae inſtruendae gratia habeantur, quae eſcarum, quae coquinarii inſtrumenti eſſe cenſeantur. Conſimiliter in *d. l. cum aurum 19. & l. Quintus Mutius 27. eod. tit. de aur. & arg. leg.* auri & argenti ſpecies peritiſſime recenſet, ſeconſervandi cauſa parantur; quam partem tenuio etiam exequitur *in l. ſed addes 19. §. ſiquis dolia 1. & duobus §§. ſeqq. D. locat.* Ejuſdem experientiae eſt ingeniique *lex 23. D. de aur. & arg. legat.* ubi & uſum veſtium omnis generis refert & materiem, ſingulasque ſpecies declarat exemplis, ſeu viriles, ſeu muliebres, ſeu infantiles, ſeu pueriles, ſeu familiaricas, ſeu communes: ſive induendi, ſeu praecingendi, amiciendi, inſternendi, injiciendi, incubandive gratia paratae ſint. Itemque *in l. argumento 25. §. ornamenta 10. d. tit. de aur. & arg. leg.* ſingula illa, quae mundi, quae ornamentorum muliebrium appellatio complectitur, adeo etiam accurate commemorat, ut venuſtioris & elegantioris ſexus loculos omnes, omnem ſupellectilem excuſſiſſe videatur: cum nec reticula ipſa reticeat, neque vittas, neque ſpecula, neque viriolas, neque riſcum, neque mitras, aut ſemimitras. Inſtrumenta denique omnia vitae, quae opificum manu conſtant, & ruſticam, & fabrilem, & veſtiariam, & nauticam, & unguentariam, & omnem pacis artem, & Martem ipſum ita calluit, ut induſtriae tam multiplicis pene animum admiratio percellat. Et hi tales, quorum ſtudia non in umbra (ut quidam loquitur) educata, ſed vario rerum uſu exercitata viguere, laude quidem digni magis crediti ſemper. Et ad πολυμάθειαν iſtam valde pertinet, quod fallacis & inſidioſi ſyllogiſmi naturam, quem Graeci (ut & ipſe ait) σωρείτην appellant, recte declarat *in l. natura cavillationis 177. D. de verb. ſignif.* Itemque quod morborum varias ſpecies, animi pariter atque corporis, cauſſaſque eorum & diſcrimina docte diſſerit, ut oſtendat ob quos morbos, ob quae vitia, redhibitio locum habeat in mancipiis, atque ut Medicum & Jureconſultum eſſe putes, *l. 1. §. ſed ſciendum 7. & §. proinde 8. & §§. ſequentibus. l. ob quae vitia 4. l. Pomponius 6. l. ſi cui lingua 8. l. mutum 9. l. idem Ofilius 10. l. qui clavum 12. l. quaeritur 14. D. de aedil. edict.*

Venio ad vera bona, quae in virtutibus eſſe ſita; ſolius eſt impudentiae diffiteri. Impleſſe ea Ulpianum produnt ſcripta; produnt mores. Cernitur ecce caſtitas hujus, ſingulari cum humanitate & manſuetudine conjuncta, quod ſervorum pudicitiam pariter & ſalutem velit dominis eſſe curae, & querelis viliſſimorum capitum audiendis ſollicite vacare Praefectum Urbi, & Praeſides provinciarum, atque infamem dominorum injuriam aut ſaevitiam acerrime compeſcere, *l. 2. in prin. D. de his qui ſui ſunt vel al. jur. l. 1. §. quod autem 8. D. de offic. Praeſ. Urb. junct. l. ad ea 157. D. de reg. jur.* Et ejuſdem pudoris eſt lex, *probrum 42. D. de verb. ſignif.* ubi ait Ulpianus adulteria non more civitatis turpia eſſe, ſed natura. Cernitur pietas item, quod refici praecipit aedes ſacras, & tectas ſartasque ſervari, *l. ſi in aliam 7. §. 1. D. de off. Proconſ.* quod funus familiare ducentem ſacrave facientem, & eos, qui propter loci religionem movere ſe inde non poſſunt, negat in jus vocandos, *l. 2. D. de in jus voc.* quod illicitum & publice improbatae religionis jusjurandum, tametſi delatum ſit, pro eo habet, ac ſi juratum non eſſet, *l. non erit 5. D. de jurejur.* quod nefarias divinationes cenſet Aſtrologorum, *l. item apud Labeonem 15. §. ſiquis Aſtrologus 13. D. de injur. junct. l. ſaccularii 7. D. de extraord. crim.* quod obſequium parenti vel patrono non ſervantibus minatur poenam fuſtium & virgarum, *l nequicquam 7. §. circa 2. d. tit. de off. Proconſ. l. 1. D. de jur. patro. junct. l. 1. l. 2. l. 9.*

Digitized by Google

gnor. combin. quod praegnantis mulieris poenam & quaeſtionem quamcunque differt in diem partus, *l. praegnantis* 3. *D. de poen.* quod perpetuis vinclis damnari quenquam vetat, *l. aut damnum* 8. §. *ſolent* 9. *D. de poen.* quod ejus nomine, qui ad ſupplicium ducitur appellantem omnem audiri vult, etſi ſententiae is, qui damnatus eſt, acquieſcat, & admitti nolit appellationem, *l. non tantum* 6. *D. de appell.* quod praeſides mulctam pauperibus irrogantes ad moderationem hortatur, & his praecipit remitti nonnunquam, *l. illicitas* 6. §. *ult. D. de offic. Praeſ.* ubi & prohibet, ne illicitae fiant exactiones ſub ſpecie tributorum, neu petulantia militum & improbitas impune ſit, *d. l. illicitas* 6. §. *illicita* 3. §. *ne tenuis* 5. & §. *ſeq.* Itaque haec cuncta Ulpiani pectus pium, &, quod pietati conſequens eſt, mite, ingenuum, ſimplex, apertum, benignitatis & patientiae plenum produnt. Sane cum τὸ ἐπιεικὲς καὶ τὸ μέτριον ἐν πᾶσιν ἄριστον Jureconſulti veteres ament, neque tantum quid aequum, quidve bonum, ſed quid aequius meliusve ſit, quidve humanam ſocietatem magis adjuvet, inveſtigent, excellit cunctis Ulpianus hac in parte: & in eo praecipuus eſt, ut Edicta Praetorum humanitatis & aequitatis ratione niti oſtendat, & fidiſſimam ducem ſequi Naturam. Porro publicam innocentiam, publicam pacem, & ſeveram malorum hominum inquiſitionem atque poenam fuiſſe, Ulpiano cordi adprime, teſtimonio eſt lex, *congruit* 13. *D. de offic. Praeſ.* ubi hanc curam bonis praeſidibus eſſe curae deſiderat multis verbis: quos & ipſos ad conſtantiam & μεγαλοψυχίαν hortatur, in *ante cit. l. nequicquam* 9. §. *obſervare* 4. *D. de off. Proconſ.* improbitati potentiorum cedere vetans, & honori dare horum, ut mediocrium deſideria audiant impatientius, aut ut ſerius. Avaritiam judicum δωροδοκίαν atque ſordes etiam odit, *in l. ſolent* 6. §. *non vero* 3. *eod. tit. de off. Proconſ.* cui ſane malo fomitem potius & materiem, pars eorum longe maxima, qui ſe Juriſperitos appellitant, ſubminiſtrat. Spectat eodem, quod minuendis & praecidendis litibus ſtudet, ideoque concinnatores aut redemtores earum interdicit poſtulatione, & expediri praecipit multa χαμόθεν, & de plano, *d. l. nequicquam* 9. *d.* §. *circa* 2. & §. *de plano* 3. Cui ſententiae convenienter ſcripſit idem, in *l.* 1. *D. de var. & extraor. cogn.* civilem ſapientiam rem eſſe ſanctiſſimam, quae pretio nummario aeſtimanda, aut dehoneſtanda non ſit. Atque ex his aliisque mentis humanae dotibus primis conſtat, verum iſtum non ſimulatam philoſophiam (uti & artem noſtram alibi appellat) eſſe profeſſum, & inanium quaeſtionum tricis, quales in ſcholis agitantur etiamnum, morum integritatem & in jure dicendo ſanctimoniam longo

& Papiani libros viginti; libros Diſputationum decem; libros de omnibus Tribunalibus item decem; Regularum libros ſeptem; libros Fideicommiſſorum ſex; libros Opinionum item ſex; ad legem Juliam de adulteriis libros quinque; de officio Proconſulis libros decem; libros Pandectarum etiam decem; de Appellationibus libros quatuor; de officio Conſulis libros tres; Inſtitutionum libros duos; Regularum librum ſingularem; de Cenſibus libros ſex; Reſponſorum libros duos; ad edictum Aedilium curulium libros item duos; de officio Praefecti Urbi librum ſingularem; de officio Praefecti Vigilum librum ſingularem; ad legem Aeliam Sentiam libros quatuor; Pandectarum librum ſingularem; Excuſationum librum ſingularem. Libros Digeſtorum quoque complures ab eo ſcriptos, argumento eſt inſcriptio *legis* 2. *D. de locis & itin. pub.* quae Digeſtorum Ulpiani librum quadrageſimum octavum praefert. Notas ad Papinianum etiam ſcripſit; ut colligitur *ex l.* 31. *D. de negot. geſt. l.* 5. *D. de admin. rer. ad civit. pertin. l. ult. in prin. C. de ſentent. paſſ. & reſt. l.* 1. §. *ſed neque* 6. *C. de vet. jur. enuclean.* Scripſiſſe ad Ariſtonem etiam notas, inſinuat *lex* 9. *D. de jur. codic.* & alias ad Marcellum *lex* 27. *D. de pignor. l.* 28. *D. de admin. & peric. tut.* Neque vero Ulpianei tantum libri diligentiae καὶ φιλοπονίας ejus admirabilis certi teſtes multitudine & mole ſua, ut ſcripturientium numerus frequens eſſe ſuevit, quos ſegniores eſſe expediat, ſed eruditionis etiam & induſtriae, judiciique, ſicuti affatim ante probatum eſt: ſatis ut conſtet, merito iſtum Juriſprudentiſſimum appellari Diocletiano & Maximiano *in l. Divo Marco* 11. *C. de quaeſt.* & Juſtiniano *in l. un. C. de emend. Cod.* qui & ipſe acutiſſimi virum ingenii nuncupavit *in l. un.* §. *ne autem* 9. *C. de caduc. toll.* & ſapientiſſimum *in Nov. de aequal. dot.* 97. *ſub fin.* Ea porro ſcripta inter recenſere etiam auſim titulos illos novem & viginti, ſeu fragmenta titulorum potius, centoneſve, qui adſcribi ſolent Ulpiano, ab eruditiſſimo viro Petro Pithoeo editi olim: quia id opus, contra quorundam opinionem, inſignes etiam alios viros vindicare video ipſi, probabilibus argumentis. Erit conſequens, ut reliquum vitae iter conſideremus, non privatum quidem illud diu, neque foro curiave concluſum (quale haut dubie quietiſſimo modeſtiſſimoque pectori praeplacuiſſet) verum ad ampliſſimos honores & totius pene orbis gubernacula publicae utilitatis cauſſa pertractum. Simul autem obtrectationibus & calumniis, quae ut ſummos viros ſolent, etiam iſtum auſae appetere, juſtam συνηγορίαν opponemus. Neque pigebit figuram magni iterum contueri! Dixi.

DOMITII ULPIANI
ET
SCRIPTIS,
ORATIO II.

Quod poëtae quondam Alexandrino (Claudiano) in Conſulatum Manlii πανηγυρίζοντι fuit exordium, Auditores, nobis id quoque, ad Ulpiani encomia progredientibus, hodie eſto!

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque late
Fortunae ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſuque petit clareſcere vulgi:
Nil opis externae cupiens, nil indiga laudis.
Attamen invitam blande veſtigat, & ultro
Ambit honos.

Cui ſententiae congruit iſthaec Symmachi noſtri, *Quisquis* (inquit) *bonae frugis eſt, publicis utilitatibus vindicatur.* Itemque illa Graeci vatis, φημὶ δ' ἐγὼ λέγω καὶ μόνῳ δουλεύειν γῆς.

Hiſce dictis de exemplis noſtri aevi dubia fides, de veteribus ſane non item: non de iſto quidem Ulpiani. Statim nempe ſingularis vir exempli, & iis omnibus animi bonis cumulatiſſimus quae heſterna expoſuit diſſertatio, ut inſtrumentum futurus ſeculi boni, ut certiſſima patriae ſalus, latens ecce, & a publicis curis alienus, ad actuoſam & eminentem vitam accitus eſt. Et exemplo iſtius diſcant, qui dignitates magnas cupiunt, non raptum emtumve ire eas, ſed mereri! Ac primum quidem praefecturam geſſit annonae, ut conſtat *ex l. ſecundum 4. C. de contrah. ſtipul.* Mox virtuti ejus honos habitus, ut Alexandro Imperatori tutor exiſteret; quod meminit Zoſimus *lib.* 1. Atque hujus quidem adoleſcentiam juventamque per virtutum & honeſtarum artium ſpatia ita traduxit, ita monitis praeceptisque ſaluberrimis ad principatum bene regendum inſtruxit, animi ut pendeam, feliciorem dicam Ulpianum, quod alumnum Principem tantum, an Principem, quod educatorem talem nactus. Enimvero in eo munere quam reverenter, quam ſancte, quam paterne verſatus ſit; quam induſtrie & feliciter tenello Principis animo clementa virtutis inſtillaverit; quam ſervaverit a contage vitiorum intactum, futurum denique moderatorem tantae molis, quam ſapienter inſtituerit, docuit ipſe quidem eventus, quando clementiam, pietatem, ſanctimoniam, prudentiam Principis hujus, eruditionem etiam, & condendi cuſtodiendique juris peritiam concelebrat vetus autoritas: Aſſerente quoque Lampridio, uſque adeo bonis artibus a pueritia ipſa imbutum, bellicis pariter & civilibus, ut ne diem quidem unquam unum ſiverit elabi, quo non ſeſe tum ad literas, tum ad militiam exerceret. Fallor, aut creditae ſacrae opes etiam Ulpiano, credita tributorum orbis Romani & ad bonorum Principalium adminiſtratio: tum quia tutoribus Principum & ἀνυπευθύνοις vis ipſa muneris ejus & poteſtas eam vindicat autoritatem, ſiquidem tutoris eſt non capiti praeeſſe tantum, ſed quadam conſequentia fortunis, *l. tutor 7. §. ſi tutor 1. l. a tutoribus* 33. *in princ. D. de admin. tutor. l. impuberes* 13. *D de conſil. & autor. tutor.* unde & tutor quaſi domini loco eſſe dicitur, *in l. qui fundum 7. §. ſi tutor 3. D. pro emto. l. tutor qui tutelam 27. D. de admin. tutor.* tum quia Ulpianum praefectum fuiſſe aerarii ſub eo Principe, Lampridius teſtatur *in vita ejus.* Et omitto, quod jus legum condendarum eadem tutelae Principalis autoritas tribuiſſe videtur, cum hoc Regum tutoribus publica inſtituta permittant, dummodo tamen conſilio procerum utantur & Senatus, quamvis Bartolo diſſentiente *l. omnes populi 9. D. de juſt. & jur.* Rurſus Ulpianum ſumma fide & diligentia, modeſtia ſumma item, tot tantaque tutelae ſuae munia obiiſſe, argumento eſt, quod cum primum reip. adminiſtrationem aetas Imperatori permiſit Praefectum hunc libellis, & Magiſtrum ſcriniorum, & Conſiliarium, & aſſiduum aſſeſſorem in cognitionibus omnibus & negotiis retinuerit, &, breviter, imperii quaſi collegam. Quamvis enim, quem bonorum Principum fuiſſe morem, Trajani, Adriani, Antonini Pii, Spartianus & Herodianus teſtantur, alios quoque excellentes Jureconſultos ſibi adſciverit in conſilium, Paulum, Alphenum, Florentinum, Calliſtratum, Hermogenem, Modeſtinum, & quosdam alios (ut Lampridius & Spartianus memoravere) tamen Ulpiani praecipue conſilio & amicitia uſus ſemper, colloquia cum eo ſua miſcuit familiarius, in honore denique ſummo habuit, ac velut vinclo nexum artiſſimae germanitatis: ſed & eum praetorio tandem ſuo praefecit, qui tum apex dignitatum. Harumce rerum Alexander ipſe teſtis *d. l. ſecundum* 4. *C. de contrahen. ſtipulat.* ubi amicum, & *in l. ex Divi* 4. *C. locati*, ubi parentem ſuum appellat. Teſtis & Lampridius *in Alexandro: Negotia* (inquit) *& cauſſas prius a ſcriniorum principibus, & doctiſſimis fideliſſimisque Juriſperitis, quorum tunc primus fuit Ulpianus, tractari & ad ſe referri praecepit.* Et alibi: *Poſt epiſtolas amicos omnes ſimul admiſit, neque unquam ſolum quemquam niſi praefectum ſuum vidit, & quidem Ulpianum, ex aſſeſſore ſemper ſuo, cauſſa juſtitiae ſingularis. Cum autem alterum adhibuit, & Ulpianum vocari juſſit.* Et rurſus alibi: *Ideo* (inquit) *ſummus Imperator fuit, quod Ulpiani praecipue conſilio Rempub. adminiſtravit.* Huc pertinet, quod, cum innocentiae quoque iſtius ac virtuti livor obſtreperet, atque in eum exarſiſſent militum irae, praeſidium optimi Principis periclitanti non defuit. Quin tutatus Ulpianum ſuum Severus eſt, & proprii capitis cum diſcrimine purpurae ſacrae defendit objectu. Dulce dictu, & venerandum! ea pietate, ea στοργῇ & reverentia fuiſſe dominum orbis terrae, uti Ulpianum adverſus armatos & furentes non ſit veritus velo tueri veſtis auguſtae, & cum periculi communione periculo eum eximere: quaſi ſuam ac Reip. ſalutem agnoſceret eſſe conjunctam cum iſtius, & capiti amiciſſimo eſſe ſuperſtes prorſus nollet.

Sed ut breviter & ingenue Ulpiani noſtri gloriam ſtabiliamus, quam tecte ac verecunde Lampridius inſinuat fine hiſtoriae Severianae, nativam Imperatoris virtutem ita Ulpianus adjuvit, ita firmavit

Digitized by Google

ut remiſſiores ipſi graviorefve, ita Principum quoque mores, ita rerum conditio eſt. Et potiſſima, Capitolino teſte & Spartiano, laus Adriani, potiſſima Antonini Pii felicitas ex eo orta, quod ſapientiſſimos & Juriſconſultiſſimos viros ac Senatui probatiſſimos habuerint in conſilio: Celſum ille cumprimis & Neratium; hic Maetianum, Valentem, Jabolenum: ut praeteream, quod Marcum Philoſophum conſilio Scaevolae uſum in legibus ſanciendis proditum eſt. Facile haut dubie in ea aetate, in eo rerum omnium luxu inclinaturus ad deteriora erat Alexander; niſi Ulpiani noſtri autoritas labantem animum revocaſſet, ut qui non amplius annos tredecim natus diadema Imperatorium acceperit. Facile & grandior per imprudentiam impegiſſet; niſi perpetuus Ulpiani quidam vigor & adulari neſcius ei affuiſſet. Quod igitur Alexander egregia pleraque & ſine exemplo jura dictavit; quod ea ipſa ſanctiſſime diligentiſſimeque cuſtodiit; quod ſacra temporum ſuorum & ceremonias rite coluit; quod Judicum furta & ſordes ſeveritate ſumma punivit; quod honorum exploſit mercaturas; quod militarem diſciplinam ſuperiorum Principum incuria collapſam inſtauravit, ut non milites in expeditione, ſed Senatores iter facere viderentur; quod innocenter & ſine cujuſquam exitio opes auxit aerarii; quod vectigalia etiam quaedam ab aliis retro Principibus inſtituta abolevit, imminuitve; quod Rectores provinciarum, praepoſitos, rationales, non ſuapte voluntate, ſed de populi ſententia ac Senatus ordinavit; quod veterem literaturam atque utiles & honeſtas artes omnes & calluit coluitque ipſe inſigniter, & ab aliis ſuſceptas adjuvit haut parce; quod Grammaticis, Rhetoribus, Jureconſultis, Architectis etiam & Mechanicis ſalaria decrevit; quod ſtudioſae juventuti, cui domi eſſet res anguſta, erogavit annonas; quod caſtitatem ſuorum temporum ἐξαιρέτως habuit curae, caſtus ipſe; quod circum, quod theatra, quod hiſtriones, pantomimos, moriones, paraſitos, ac voluptates omnes ſcenicas ſprevit; quod eunuchos, quod infames obſcenoſque omnes ex aulico miniſterio removit; quod compeſcuit luxum gulamque praefracte; quod Senatorium ordinem & equeſtrem labe omni purgavit; quod ἀναιμάτως in Senatores & Illuſtres viros imperium ſortitus eſt; quod ſenilem maturitatem juvenis praetulit; quod perpetuam Cenſuram moribus geſſit ſuis, nec tam imperio praefuit quam exemplo; quod mortem mortiſque omnia contemſit, atrocis etiam & non ſiccae; quod ſub eo pax & quies orbi terrarum, ſuſcepta modo bella duo, eaque juſta pariter & externa, ſane in Perſas tantum & Parthos, quos utique, ac praepotentem adeo devicit Artaxerxen; quod in triumpho Perſico acclamatum eſt, Salva Roma, quia salvus alexander; quod denique talis tantuſque domi ac foris extitit Princeps, ac patriae pater & Senatus dici meruit: quae univerſa aliaque Lampridius, Herodianus, Zoſimus, caeteri, in laudibus ponunt iſtius: Ea vero Ulpiano educatori, & tutori, & praefecto, & aſſeſſori ferantur accepta; ea ſapientiſſimis Ulpiani conſiliis praeceptiſque, ac venerabilibus vitae exemplis adſcribantur! Neque ad minuendam Alexandri gloriam iſta: ſed cum optimos etiam gubernatores haut mediocriter juvet recte monentes, … juris Antiſtite ſubmoveamus. Nempe hoc primum imperiti quidam calumniantur, quod ſolutum legibus Principem eſſe ſcripſit; & quod Principi placuit legis habere vigorem, quidquid Imperator per epiſtolam ſubſcriptionemve conſtituit, vel cognoſcens decrevit, vel de plano interlocutus eſt, vel edicto praecepit, legem & conſtitutionem eſſe Verba enim haec ſunt Ulpiani *in l. Princeps* 31. *D. de legibus l.* 1. *D. de conſtit. Princip.* Ecquid hocce eſt (inquiunt iſti) ſi non foede & enormiter adulari; ſi non pravis Principum moribus viam inſtruere; ſi non eorum cupiditatibus liberrima fraena permittere, &, breviter, tribunalia ſolidare tyrannorum? Quid fiet autem rebus humanis, ſi voluntas dominantium loco rationis oggeratur; ſi ab uno cuncta ita regantur, ut pro animi ſui libidine leges figat refigatque, libertati publicae inſultet, fas Dei ac gentium rumpat impune, &, quemadmodum Flaccus canit, *de Art. Poet. v.* 122.

Jura neget ſibi nata, nihil non arroget armis?

At, o! longe eſt, Auditores, is ut animus ſit Ulpiano, neque hujus autoritate ſe tueantur, qui jus poteſtatemque Principum vehunt immenſum, ac legum vinclis necti eos ſacrilegum eſſe quiritantur. Uſque adeone fuiſſe huic laevam mentem, qui, invidia ipſa confitente, certiſſimum decus ac praeſidium togae Romanae (cujus ſanctimonia in caeteris paſſim eminet ſcriptis) quem ob unam probitatis cauſam Heliogabalo diſplicuiſſe traditum eſt, futurum haut dubie accepiſſimum, ſi cum reliquis ejus aulae mancipiis adulari voluiſſet: qui Alexandrum ita inſtituit, ſuis ut ipſe legibus ultro pareret, ac ſine virorum prudentum conſilio jus nullum conderet, aut nihil paulo gravius aggrederetur: qui *in l. Papinianus* 8. §. *ſi Imperator* 2. *D. de inoff. teſtam.* imperatoriae ſublimitatis rationem in tuendis ſupremis hominum judiciis haberi voluit prorſus nullam, ſi liberis fraudi eſſent: qui & ipſe *in l.* 2. *eod. tit. de conſtit. Princ.* ab antiquo & recepto jure recedere vetat Principem, niſi ſi evidens & neceſſaria publicae utilitatis cauſa conſtitutionem dictet novi juris: quem denique non eruditionis tantum & doctrinae, ſed virtutis, ſed ſapientiae, ac potiſſimum integritatis & incorruptae παῤῥησίας ſummum columen extitiſſe, tot jam autoritatibus aſſerimus, & exemplis? Age quaeſo, quod & naturalis aequitas ipſa ſuadet nimis, & Ulpianus deſiderat, *in l. fraus* 30. *d. tit. De legib.* τὸ ῥητὸν ἀπὸ τῆς διανοίας ſecernamus. Scopum, inquam, divini praeceptoris intueamur, non ſophiſmata & tricas & vana verborum aucupia nectamus; ubi ſenſus in aperto eſt. Nempe reſtrictius eſſe ſumendam dictam *l. Princeps* 31. ipſa ejus convincit inſcriptio, *ad legem Juliam & Papiam*; tametſi Tribonianus conciſe nimis, more ſuo, id poſuerit modo fragmentum. Unum igitur voluit iſtud, legibus illis caducariis, quae odioſae utique & aſperae viſae ſemper, Principem ex veteribus ſenatuſconſultis eſſe ſolutum. Addo ex Antonini conſtitutione, de qua Cajus ad legem item Juliam & Papiam *l.* 56 *D. de legat.* 2. ubi hoc ipſum declarat exemplo. *Quod* (inquit) *Principi relictum fuit, qui, priuſquam dies legati cedat, ab hominibus ereptus eſt, ex conſtitutione Divi Antonini ſucceſſori ejus debetur.* Hactenus Cajus. Rectiſſima ratione, nec privilegio mero hoc quidem, quia, ut Baldus prudenter ad-

no-

[illegible] eripiatur, dicitur quod ei relictum [illegible] quia inferior dignitas eſt capitis hujus, & perſonam intuitus teſtator exiſtimatur, non aequum conjugii ſucceſſionem, non Rempublicam, a cujus utique clavo arcet is ſexus. Sic igitur anguſtiorem dictae legis ſententiam inſinuat inſcriptio. Ideoque nec Ulpianus Principem dixit omnibus legibus eſſe ſolutum, quia de legibus tantum caducariis Julia & Papia illi ſermo in his libris. Quamobrem non neceſſe eſt ad aliam illam ejus legis interpretationem deflectamus, ut Ulpianum de ſolennibus juris civilis loqui dicamus; quibus Imperatorem eſſe ſolutum lege Imperii, idem Alexander reſcripto quodam meminit. Sicuti nec Graecis Interpretibus aſſentimur, ea verba ad leges poenarias referentibus: tametſi & hoc ſane ſit veriſſimum, Principem iis non teneri peccantem, Principem ἁμαρτάνοντα ὑπὸ κολάζεσθαι, quia nec judicem habet ullum, & capita Principum ſacra criminalibus poenis eximi poſtulat ratio ipſa publicae venerationis, publicae etiam & multiplicis utilitatis. Atque optandos Principes bonos Tacitus, perſapienter, qualeſcunque tolerandos, non aliter atque ventos, & nimios imbres, & caetera mala naturae. Porro legum ferendarum, ſupplendarum, abrogandarum, aut derogandarum poteſtatem principi datam ſi ſpectamus, ſolutum illum legibus ea quoque notione dicemus non abſurde, & vigere placitum Principis loco legis, quod tradidit noſter *in d. l. Princeps* 31. quia in ea re vis etiam Principatus & imperii, quod lege Julia in Principem tralatum eſt, ſeſe oſtendit: non quidem ut verecundiam, ut pietatem, ut mores vulneret ulla ſanctione. Nam haec facta extra cujuſque poteſtatem eſſe veteres pronuntiarunt audenter, ut *l. filius* 15. *D. de condit. inſtit.* & ſimilibus; ſed ut juſtis cauſſis, pro temporum & locorum, & conſuetudinis ratione, & publicae manifeſtaeque utilitatis, ea, quae olim placuere, mutet in melius: quod & diſerte deſiderat idem Ulpianus in rebus novis conſtituendis, *l. in rebus* 2. *D. de conſtit. Princip.* nec non adhibitis in conſilium tum proceribus, tum ſapientibus & peritis; quemadmodum bonis ſemper Imperatoribus moris fuit, *l. humanum* 8 *in fi. C. de legib.* Ea ratione ſcripſit Pomponius *in l.* 2. §. *noviſſime* 11. *D. de orig. jur.* conſtituto Principe, datum ei eſſe hoc juris, ut quod conſtituiſſet, ratum eſſet. Ea Juſtinianus *in Novella* 105. *in fin.* Deum leges ipſas Principi ſubjeciſſe, ſitas infra Principem leges eſſe. Ea Plato; ea Chryſoſtomus, Auguſtinus, ſanctiſſimi alii ſapientiſſimique viri Principem τῶν νόμων ἐπάνω eſſe dixerunt, καὶ ἀκόλουθον? τῶν νόμων, ac diadema ejus auguſtiſſimum ſummis titulis & elogiis dignati ſunt: cui rei etiam praeeunt ſacri textus. Pari mente Juſtinianus *in l.* 3. *C. de quadrien. praeſcript.* cuncta ait eſſe Principis, non quod ſingulorum bona dominio poſſideat, & auferre cuiquam temere poſſit, ſed quia & imperio poſſidet ea, & ex criminis vel qua alia juſta ratione, vindicat fiſco ſuo: quis in rebus vis etiam & poteſtas elucet majeſtatis auguſtae. Quare & in leges jurare Imperatorem initio Principatus moris fuit, & eodem illum cum caeteris jure, uti aliis locis, traditum eſt: veluti ut jus ex codicillis vel ex imperfecto teſtamento capiendi non habeat, *l.* 23. *D. de legat.* 3. *l. ult. D. qui teſtam. fac. poſſ. l. cum heredes* 7. *C. eod. l. ex imperfecto* 3. *D. de teſtam.* quae lex, cum autorem ipſum habeat Alexandrum, non ſine Ulpiano promulgata eſt. Itemque ut ſolutus non ſit Princeps lege Falcidia, ſed detractionem patiatur

[illegible] num inferat fiſco, quod facta pro[illegible] [illegible] ſolutione reliquum erit; quae Alexandri quoque reſcriptio eſt, ſuadente & hoc Ulpiano tanquam alia, *l. res quae* 22. §. 1. *D. de jur. fiſc.* quodque in dubiis cauſſis contra fiſcum reſpondere & judicare monemur *in l. non puto* 10. *eod. tit. de jur. fiſc.* Plus dico: Principum quandoque quam privatorum fuit conditio deterior, & Principibus denegatum jus commune privatorum, *d. l. res quae* 22. § [illegible] *C. Theod. de teſtam.* meminit Symmachus noſter *lib.* 2. *epiſt.* 13. Et haec talia conſtanter & intrepide veteres aſſeruere Conſulti, ſane Ulpianus dictis locis. Quibus etiam adnectantur *l. non ambigitur* 9. *D. de legib.* ubi Senatum cum Principe ita exaequat, ut ambigere quemquam nolit, quin jus facere Senatus poſſit. Nec non *in l.* 1. § *de quo* 10. *D. de poſtul.* ubi Senatui non aliter atque Principi tribuit infamiae abolendae poteſtatem. Ab eoque in hunc modum inſtitutus Alexander, non Senatui tantum, ſed & populo reverentiam ſervavit inſignem, neque ſuum, ſed populi duxit Principatum. Teſtis etiamnum in radicibus Capitolii triumphalis arcus Principis hujus, ſolido e marmore, ubi poſt titulos victoriarum & trophaei, extant haec verba: OB IMPERIVM POP. ROM. PROPAGATVM. Ac certe, cum Principatum cauſſa populi inſtitutum eſſe conſtet, ſequitur, ut imperare eum demum oporteat, cui volenti imperant ſacrae leges, & in commune commodum promulgatae, quique earum lineas & retinacula tranſilire ſibi exiſtimat eſſe nefas: ſequitur denique, ut praeeſſe publicae rei non tam ſit Principis proprium, quam prodeſſe. Adeo ut recte Theodoſius & Valentinianus profiteantur, majus Principatu ipſo quiddam eſſe, ſi ſuum Princeps legibus ſubmittat Principatum; cum ab legum etiam autoritate pendeat ſalus & autoritas Principalis, *l. digna* 4. *C. de legib.* Et haec quidem de horum Ulpiani locorum genuina ſententia ad tuitionem tanti ſcriptoris hactenus ſatis. Ac de jure & finibus Principatus ſubſimiliter etiam Auguſtinus ex Repub. Tulliana *lib.* 18. *de civit. Dei.* De quibus Jac. Cujacius etiam paucis, *lib.* 5. *Obſerv. cap.* 7. & *lib.* 15. *cap.* 30.

Objicitur & Ulpiano crimen atrox & deforme temeratae religionis, quod videatur coetus illicitos dixiſſe Chriſtianorum, & eam, ut veteres locuti ſunt, ſectam oblique nonnunquam praeſtrinxiſſe, ut *l.* 2. *D. de extraor. crim. l.* 1. §. *medicos* 3. *verſ. non tamen. D. de var. & extraor. cogn.* & aliis quibuſdam locis, quos Triboniani incogitantia reliquos fecit in libris Digeſtorum. Sed, ut omittam quod expreſſim & nominatim adverſus eos extat nihil, & cum diſcrimine exiſtimationis tanti viri vagis ſuſpicionibus & conjecturis indulgere, ad quandam calumniandi libidinem accedit; Quaeſo, iniquitas haec quanta eſt, ut cultum & amorem Chriſtiani nominis in eo homine deſideremus, qui pertenui modo aura ſuſpicionis Dei veri intellectum ſortitus eſt, aut quem verius caligine in alta conſtitutum vana decepit antiquitas, pleniſſima, ut ait Arnobius, mater errorum? Quin potius nos, quorum animae divinitus inſtitutae, qui ex ejuſdem ignorantiae utero uno ad inopinam veritatis lucem expavimus, quibus benigniſſimus ille illuxit Sol, gratias agimus habemuſque perpetes Deo, & ſine arrogantiae labe, ſine faſtu, gentium miſereamur caecitatem. Etenim ritus longa ſeculorum ſerie ac ſapientum virorum exemplis coalitos retinere, conſul-

nio didicit nemo mortalium, in his viris deſideramus. Sed nec uſqueadeò infenſum Chriſtianis Ulpianum credat quiſquam, cum duriores Alexandri ſanctiones adverſus eos memorentur prorſus nullae. Quin aſperrimis illis inquiſitionibus, quas & Nero, & monſtra alia quaedam exercuerant, iſte abſtinuit, nec audita ſub eo vox feralis, CHRISTIANOS AD LEONEM. Lampridius *in eo* clare, *Chriſtianos eſſe paſſus eſt, neque expulit urbe Roma.* Et alibi, *Permiſit Chriſtianis publicum locum, quod diceret quomodocunque coli ab his divinitatem.* Plus etiam dico, Chriſtiana myſteria quamvis hebete & nubilo viſu quodam internoſſe viſus is Princeps. Nam & Chriſtum & Abrahamum in larario ſemper habuit (ut Lampridius quoque teſtatur) & his fecit rem divinam. Meditabatur & Chriſto aedem, ni ſacrorum conſultores obſtitiſſent, qui templorum aliorum vaſtitatem, & interitum rituum ſuorum ex ea re pertimeſcebant. Gnomas etiam Chriſtianorum, e literis ſacris hauſtas, in ore habuit lubens, & palatio publiciſque operibus juſſit inſcribi. Et haec talia invito repugnanteque Ulpiano facturus non fuit Princeps, praeceptorem & aſſeſſorem meritiſſimum venerari tot modis ſuetus, & habere dicta ejus, ut edicta. Sed & Ulpiani quoque ipſius in Chriſtiani dogmatis profeſſores moderatio colligatur non obſcure *ex l. generaliter* 3. §. *ult. D. de decur.* ubi cenſet eos, qui Judaicam ſuperſtitionem colunt, poſſe honores adipiſci, & Antonini ac Veri (ſic enim legendum, non, Severi) reſcriptum quoddam laudat, quo ſuperſtitio hujusmodi (ita loquitur) laedi vetatur. Enimvero de Chriſtianis ea Ulpiani verba haut dubie accipienda ſunt: ſiquidem & Judaeos ab honoribus ſubmoveri alibi expreſſum eſt, & quia origo pleraque Chriſtiani nominis ex Judaea, idcirco Judaeos, ſicuti & Samaritanos, pro Chriſtianis *ἀδιαφόρως* ſaepe dixere gentiles, Tacitus, Tranquillus, Plinius, alii. Et hanc ejus vocabuli illo loco eſſe notionem, confirmat illa ipſa mentio reſcripti Veri & Anto-

Auditores, ut exponam. Athenaeus *lib.* 15. de eo quiddam, & hoc tantum: *poſt* orationem habitam de Coronis, repentina calamitate, & magno cum bonorum omnium luctu, mortem obiiſſe felicem. Caeterum nec genus mortis, neque cauſſam, neque tempus accuratius expreſſit. Quiddam & *Zoſimus lib.* 1. ſed obſcure, nec ſat reliquae temporum hiſtoriae convenienter. Sed cum ſenior Maximinus, homo ſtirpe pariter barbarus moribuſque, occiſo Severo, & imperio per vim occupato, ſine ſexus aetatiſve diſcrimine, plebem ipſam incognitam ad millia quatuor trucidaverit, & Principatum nonniſi crudelitate poſſe teneri ab ipſo Principatus initio ſtatuerit, puto, amicis aſſeſſoribuſque Severi non pepercit, & non iſti cumprimis, quem praecipua apud Principem autoritate & gratia fuiſſe norat, nec niſi tanquam exprobrantem aſpici poſſe. Sicuti autem inani libertatis jactatione aut publici moeroris impatientia fatum Ulpianus non provocavit, qui philoſophorum culpat hunc morem *in l. ſiquis filio* 6. §. *ejus qui* 7. *D. de injuſt. rupt.* ita haut dubie, poſtquam intereſſe viſum publici exempli, conſtans & lubens ſupremam neceſſitatem excepit, mortemque pro Repub. honeſtiſſimam adulationi praetulit & ſervituti, & in tanta rerum perturbatione vile habuit mori poſſe, dum vinci non poſſet. Noviſſima dicta ejus ſaevities illorum temporum nobis invidit. Suſpicari vero ea proclive, de immortalitate animae; de temperantiae aſpero bono; de luxuriae blando malo; de philoſophia non ſimulata; de ſacerdotio aequi & boni; de divinis naturae ſeminibus; de contemtu fortuitorum. Apage in tenebras, neque infame ſilentium, praedonis nomen & parricidae, qui ſapientiae, qui virtutis ipſius auſus exitium! At nos imaginem noſtri ſemonis irretortis oculis conſideremus; hunc ſequamur; hunc audiamus, iter pulcherrimum ad magna, ad honeſta monſtrantem, & memoriae majeſtatique ejus lauream conſecremus Aeternitatis! Dixi.

F I N I S.

CORNELIO VANDER MILIO. ADRIANI F.
NOBILISSIMO JUVENUM,
JAC. LECTIUS J. C. S.

Enimvero ita eſt, Vander Mili Nobiliſſime, belli pariter pacisque artes propriæ cum laude retinetis Belgae meliores, & mihi uſu ac benevolentia cogniti illic aliquammulti, qui utriusque, magis tamen qui iſtius. In his aeternæ memoriae Vir Parens tuus, Ampliſſimus in primore Curia Praeſes, pietatis, prudentiae, ſanctimoniae grande exemplar: addo, per quam illuſtriora caetera illa animi bona fecit, moderationis. Naſci ab eo πλεονέκτημα tibi egregium ad res magnas, quando in hacquoque labe rerum haut mediocriter juvare amat ſors natalium. Sed praecipua veneratione dignum cenſeo, quod diſcipulus tu iſtius, aemulatorque, &, breviter, ipſus ſanguis. Aliena enim magis illa ſunt & externa, nobilitas, gratia, opes: hoc mancipio vere tuum & penes te, proprie haec daps ſolida & certa, condimentum modo illa & apparatus, qui circum te, & propter te. Haec pietatis in te noſtrae cauſa potior: cui acceſſit amor tuus adverſum me, qua & ipſa re haereditatem patris cernis: & acceſſit publica cauſa, quia favetis patriae huic meae vos, ô boni, & favit amplicer ille divus, quandiu vivus. Quare fateor propria fide, proprio adſectu coli te abs me ob haec cuncta: viderique iniquum ac deforme, niſi ſiquam in te mei, nec non publici noſtri animi do teſſellam. Habe igitur volens a volente debitum munus, texturam ſerii operis, ante coepti per haec bella, intercepti per haec ipſa: quod placiturum etiam magis ſperavi ei, qui & jura noſtra amet, & ſanctiſſimo Juris Antiſtite genitus ſit. Vale, & *hoc age*, Batavae juventutis flos eximie, & mihi animo, donec animus, poſſidende. Dat. ex Muſaeo Cal. Aug. ∞ IↃ.XCVII.

EX AEMIL. MACRI
LIBRIS DUOBUS,
De publicis judiciis, reliquae hae leges.

Ex lib. 1.

L. ſepulcri 8. *D. de ſepul. viol.*
L. concuſſionis 2. *D. de concuſſ.*
L. abigeatus 2. *de abig.*
L. Praevaricationis 3. *D. de Praevar.*
L. 1. *D. de publ. judic.*
L. vel antequam 18. *D. ad leg. Jul. de adult.*
L. marito 24. *D. eod.*
L. nihil intereſt 32. *D. eod.*
L. nec intereſt 3. *D. ad leg. Jul. de vi privat.*
L. de eo qui 10. *D. ad leg. Corn. de falſ.*
L. lege Julia 3. *ad leg. Jul. Repetund.*
L. in comites 5. *D. eod.*
L. Lex Julia 7. *D. eod.*

Ex lib. 2.

L. Divus Marcus 14. *D. de Off. Praeſ.*
L. non poterit 63. *D. de furt.*
L. Divus Severus 40. *D. de injuriis.*
L. de ſepulcro 9. *D. de ſepul. viol.*
L. ſi is 4. *D. de praevar.*
L. infamem 7. *D. de publ. judic.*
L. qui accuſare 8. *D. de accuſ.*
L. hi tamen 11. *D. eod.*
L. vel ob rem 9. *D. ad SC. Turpill.*
L. in ſenatuſconſultum 15. *D. eod.*
L. anni 2. *D. de requir. reis vel abſ. damn.*
L. annus 4. *D. eod.*
L. in ſervorum 10. *D. de poen.*
L. Imperatores 2. *D. de bon. eor. qui ant. ſent.*
L. Imperatores 34. *D. de jur. fiſc.*

AD LECTOREM.

Ocii aut verius negocii mei rationem nullus hic reddo, bone Lector. Conſtabit ea, ſi, quod voveo, aliquis etiam ex his talibus uſus tibi, qui curam noſtram adhuc viſus haut ſpernere. Caeterum *legem* 1. *D. de publ. judic.* etſi inferiore loco poſitam huic ſcriptori, quia tamen ad totius operis lucem praeit, revoco ecce primam ad frontem: tum ut exponere ſimul illam, ſimul ad partem hancce juris anteſari poſſimus quae neceſſum eſt. Ejus legis verba haec ſunt: *Non omnia judicia, in quibus crimen vertitur & publica ſunt; ſed ea tantum, quae ex legibus judiciorum publicorum veniunt: ut Julia majeſtatis, Julia de adulteriis, Cornelia de ſicariis & veneficiis, Pompeja parricidii, Julia peculatus, Cornelia de teſtamentis, Julia de vi privata, Julia de vi publica, Julia ambitus, Julia repetundarum, Julia de annona.*

JAC.

Digitized by Google

JUdicia ſive *dicas* ſicut in civilibus cauſis pro actionibus nonnunquam uſurpantur, ut in *l. in omnibus* 41. *D. de judic. l. in bonae fidei* 13. *C. de uſur.* & apud Theophil. §. 1. *Inſtit. de actionibus*; ita, cum de criminalibus & publicis agitur (veluti in horum librorum inſcriptione, & in *Rubr. D. de publ. judic.*) pro ipſis publicorum criminum accuſationibus accipi fas eſt. Etſi vocem eandem in his talibus pro ipſo intendendae, perveſtigandae & dirimendae accuſationis actu ſumi, non alienum eſt ab hocce tractatu: qua notione ea vox in *tit. de judic. D. & C.* nuncupatur. Sane pro dijudicatione, ſeu ſententia judicis nolim accipias. Publica vero judicia dicuntur, quorum executio plerumque cuivis de populo datur, auctore Juſtin. *tit. Inſtit. eod. in princ.* unde & publicas accuſationes J. C. dixere in *l. lege Cornelia teſtamentaria* 30. *D. ad leg. Corn. de falſ. l. 3. D. de praevar. l. 3. D. h. t.* Non igitur inde nomen, quod in foro & circumſtante populo judicia de criminibus exercerentur; ut Baro exiſtimavit: non item ex eo, quod in vetere Rep. non magiſtratuum, ſed populi eſſent haec judicia; quod Goveanus & Duarenus. Utique auctoritas Juſtiniani praeferenda, eam, quae ſupra dicta eſt, appellationis cauſam evidenter aſſerentis.

Nunc de ipſa re ſic habeto. Criminum quaedam publicum odium mereri magis viſa priſcis. Cavere de his expreſſim propriae leges, quae publicorum judiciorum appellatae ſunt, quaeque hac lege enumerantur. Ecquid a reliquis illa diſtent, ut pleniſſime intelligamus: actionum, quae ex maleficiis naſcuntur, expendenda quadriga eſt. Nempe earum aliae privatae, aliae extraordinariae, aliae populares, aliae publicae: & his ſingulis ſinguli in Pandectis tituli dati; utputa, *De privat. delict. De extraord. crimin. De popul. action. & De publ. judic.* Privatae actiones, ex privatis delictis natae, neque cuivis, ſed ei demum, cui nocitum eſt, conceduntur; neque ad ultionem publicam, ſed ad rem familiarem ſpectant; neque ex earum cauſa Reip. ſed privato poena penditur: & ordinaria quidem ac legitima ea poena eſt, a qua recedere judici nefas. Hujus generis eſt actio injuriarum ex lege Cornelia; actio damni ex lege Aquilia; actio vi bonorum raptorum; actio furti, & quaedam aliae, de quibus *lib.* 47. *D.* crebra mentio. Extraordinariae, ex delictis extraordinariis natae; veluti concuſſione, abigeatu, expilatione haereditatis, praevaricatione, ſtellionatu, per modum accuſationis & ad publicae diſciplinae vigorem intenduntur, & ex earum cauſa extraordinariam atque arbitrariam ultionem irrogat judex, *l. 1. §. qui adverſus 6. in fin. D. de poſtul. l. quid ergo 13. § ult. D. de his qui not. infam. l. 1. l. annonam 6. l. ſaccularii 7. D. de extraor. crimin. l. 1. D. de crim. ſtell. l. 1. D. de effract. l. oſſa 8. D. de relig. & ſumpt. fun. l. 3. C. qui accuſ. non poſſe.* Adde, quod ex privati quoque delicti cauſa criminaliter & extra ordinem agere licet, ſi is, qui laeſus eſt, ita malit, *l. ult. D. de privat. delict. l. ult. D. de furt. l. qui injuriarum 43. & l. ult. D. de injur. & famoſ. libell.*

Actiones populares tametſi ex maleficiis naſcantur, tamen nummariae ſunt, ac civiles: neque enim ad poenam corporis vel infamiae, aut ad mulctam proprie pertinent fiſco praeſtandam; ſed earum emolumentum bono civi utilitatem publicam propugnanti cedit. Dantur autem actiones hae unicuique, etiam ei, cujus privatim non interſit; quia per eas jus publicum tuemur & defendimus: unde & publicae nonnunquam nominantur, ut *l. eum qui 30. §. in popularibus 3. D. de jurejur.* De his in *l. ſi quis id quod 7. in princ. D. de juriſdict. omn. judic. l. 1. D. de ſuſpect. tutor. l. un. §. hoc interdictum 12. D. ne quid in flum. publ. l. 2 §. 1. D. ne quid in loc. publ. l. 1. D. de loc. & itiner. pub.* Publicae actiones ſeu judicia ex publicis criminibus ita oriuntur, ut omnibus pateant, & criminaliter ac ſolemni ordine quodam exerceantur, & ad vindictam, eamque certam & legitimam dentur imprimis, *l. lege Cornelia teſtamentaria 30. D. ad leg. Corn. de falſ. l. licet 3. in fin. C. ad leg Corn. de falſ.* & in titulis hisce paſſim. Ac publica quidem crimina iſta certo numero, certiſque legibus definire & comprehendere placuit priſcis; qui ea in publicam injuriam judicarunt ferri magis, ut hic & *l. 2. D de abig. l. 3. §. 1. D. de praevar.* Vide Cujacium *lib. 8. Obſervationum cap.* 33. Sic autem cuncti ad has accuſationes admittuntur, ut, ſi eundem accuſare plures velint, neque inter eos convenire poſſit, ut ſimul accuſent, idoneiorum cauſa cognita judex eligat, quae Divinatio dicta olim, *l. ſi plures 16. D. de accuſ.* quod etiam in popularibus actionibus receptum eſt in *l. 2. D. de popul. action.* Sed neque admittuntur prorſus omnes, verum qui legibus non prohibentur expreſſim. Dicam in *l. qui accuſare 8. D. de accuſat.*

Jam vero lucem huic tractatui conciliabit diſcriminum, civilia inter & criminalia judicia intercedentium, adnotatio; extra quae genus utrunque cauſarum per eoſdem fere tramites exercetur, abolita pridem imprimis publicorum judiciorum vetere forma, in qua varia ſolemnia, varii ritus, *l. ordo 8. D. de pub. jud.* Primum in civilibus cauſis procuratorum opera jure probatur, *tit. D. & Cod. de procur.* Criminalem vero cauſam per procuratorem agit nemo, *l. 1. D. an per alium cauſſ. appell. redd. poſſ. l. pen. §. ult. D. de pub. judic. l. 15. C. de accuſ.* Patrono nempe excepto, ingratum libertum accuſante, *l. ſed & hae 35. §. 1. D. de procur. l. 4. D. de obſeq.* Item Illuſtribus viris exceptis, privatam actionem injuriarum criminaliter exequentibus, *l. ult. C. de injur. §. in ſumma 10. Inſtit. tit. eod. de injur.* Adde item, niſi ad excuſandam rei vel accuſatoris abſentiam procurator interveniat, *l. abſens 71. & l. ſervum 33. §. publice 2. D. de procur. l. inter 10. l. accuſatore 13. D. hoc tit. l. 3. C. de accuſ.* Ideoque haud dubie in *d. §. publice* 2. ut Cujaciana fert emendatio, in vicem vulgatae lectionis, *innocentiam excuſantem*, legendum, *abſentiam excuſantem.* Alterum diſcrimen in eo eſt, quod in judiciis civilibus nulla deſideratur inſcriptio, quae quantum injuſte petitum erit, tantundem reo addicat: ſed qui vincitur, viatica litiſque ſumtus tantum praeſtat, *l. eum quem temere 79. D. de judic. tit. de poen. temer. litig. apud Juſtin.* Criminalia vero, veluti publica, ſine inſcriptionis libello non eduntur,

Digitized by Google

actoris, neque teſtium, neque ſervorum quaeſtione dirimitur, *l. Divus* 9. §. *ultim. D. d. quaeſt.* Paulus *loco eodem. in princ.* ni certas obſcuriorum cauſarum ſpecies exceperis, quae ſervorum quaeſtionem requirunt, *d. l. Divus* 9. *in princ. l. item apud* 15. §. *quaeſtionem* 41. *D. de injur. & famoſ. libell. l. unde Neratius* 23. §. *ſed & ſi ſervus* 4. *D. ad leg. Aquil. l.* 1. *& l. ult. C. de quaeſt. l. ult.* §. *licentia* 10. *C. de jur. deliber.* In criminis autem cauſa non tantum ſervi aut ſtatuliberi torquentur, *l. edictum* 8 § *ult. D. de quaeſt.* ſed & liberi homines, quorum vacillat teſtimonium, *l. ex libero* 15. *in princ. D. de quaeſt.* itemque rei ipſi, in quos criminalis actio dirigitur, ut crimen & criminis ſocios prodant, *l.* 1. *C. de falſ. monet. & toto. titul. D. & C. de quaeſtionibus.*

Univerſalis publicorum judiciorum diviſio hujusmodi eſt, ut quaedam ſint capitalia; quaedam non capitalia, *l.* 2. *D. de pub. jud. Juſtinianus* §. 1 *Inſtit. eod.* Capitalia non tantum ea dicuntur, quae ultimum ſupplicium, id eſt, mortem naturalem infligunt, *l.* 21 *D. de poen. l. tranſigere* 18. *C. de tranſact. l. ult. C. ſi reus vel accuſat. mort. fuer.* ſed etiam, quorum poena exilium eſt, vel interdictio aquae & ignis, vel in inſulam aut metalla deportatio, *l. Publicorum* 1 *D. de pub. jud. l licet capitalis* 103 *D. de verb. ſignif.* Non capitalia dicuntur, quae nec naturalem vitam adimunt, nec civilem; ſed infamiam tantum irrogant, cum damno pecuniario conjunctam: quin & relegatio ipſa in inſulam inter poenas non capitales recenſetur, *l.* 4. §. 1. *D. ſi quis cautio.* quoniam ex ea (cum civitate ſalva contingat) nulla naſcitur capitis diminutio. Capitalium praebet exemplum lex Julia majeſtatis, & lex Cornelia de ſicariis: non capitalium, lex Julia de adulteriis.

Quod autem publica judicia Macer ea definit, quae ex legibus publicorum veniunt, eo pertinet, ut eorum duntaxat criminum accuſatio unicuique permittatur, quae publica eſſe decrevit nominatim lex antiqua: quo fit ut extra certas criminum ſpecies iis tantum, quorum intereſt, liceat criminaliter experiri. Idem Macer *l.* 2. *D. de abig. l.* 3. §. 1. *D. de praevar.* Utique enim curioſam nimis atque improbam in ſcrutandis moribus alienis diligentiam περιεργίαν coercere, etiam placitum priſcis, quibus delatoria curioſitas odio ſemper, *l. nec ſupina* 6. *D. de jur. & fact. ign.* Poſtremo his duodecim publicorum criminum formis, quae hic ab Aemilio enumerantur, & hiſce libris fere tractantur, haereticae vel paganicae impietatis judicium hodie adjectum: quarum cauſarum publicam accuſationem pii Principes induxere, rati injuriam, quae Religioni divinae fit, ad omnes pertinere, *l.* 4. *C. de haeret. & Manich. l.* 8. *C. de pag. & ſacrif. eor.* Sed praevaricationis, concuſſionis, & ſepulchri violati crimina quaedam publicorum loco habentur, *d. l.* 3 *in princ. D. de praevar. l.* 2. *D. de concuſſ l.* 2. *D de ſepul. viol.* Verum tum hae, tum aliae graviorum delictorum ſpecies, facile ad unum aliquod ex his duodecim referantur.

Lex 8. *D. de ſepul. viol.*

Sepulchri violati crimen poteſt dici ad legem Juliam de vi publica pertinere ex illa parte, qua de eo cavetur, qui fecerit quid, quo minus aliquis funeretur, ſepeliaturve: *quia & qui ſepulchrum violat, facit quo quis minus ſepultus ſit.*

l. 1. *hoc tit.* tamen civilem quoque & pecuniariam actionem propoſuit ex ea cauſa Praetor: Primum ei, ad quem res pertinet, actionem in factum, ac tunc quanti intereſt aeſtimatur, *l.* 3 §. *qui de ſepulchri* 8. *&* §. *ult. l.* 6. *D. hoc tit.* deinde ſi nemo erit, ad quem res pertineat, aut ſi is, ad quem res pertinet, agere nolet, extraneo cuivis actori certum judicium centum aureorum, *d. l.* 3. *in princ.* nam & popularis haec actio eſt, *l. licet* 42. *in princip. D. de proc.* Itaque cum vel dupliciter, nempe & ejus, cujus intereſt, & cujuslibet extranei ratione civilis haec actio ſit, recte Macer ex ſepulchri violati cauſa pecuniariam actionem dari ſcripſit, *l.* 9. *D. h. t.* Quod autem ejus, quod filii haeredisve intereſt, judici relinquitur aeſtimatio; id bono eorum inductum eſt: ut ſi grave damnum acceperint (veluti ſtatuis & imaginibus majoris pretii forte ablatis aut corruptis) judex centum aureorum mulctam egrediatur; quam utique minuere poteſt nunquam, *d. l.* 3. *d.* §. *qui de ſepulchri* 8. Ideoque melior ejus, ad quem res pertinet, quam extranei conditio eſt: & generaliter eae actiones, quae in bonum & aequum conceptae ſunt, qualis iſta, ut in *l. pen. D. h. t.* & actio dotis, in *l. eas* 8. *D. de cap. minut.* & actio injuriarum, *l. non ſolum* 11. §. 1. *D. de injur* & actio de dejectis vel effuſis *l.* 1. §. *haec autem* 6. *D. de his qui dejec. vel effud.* hujusmodi ſunt, ut in his actoris potius, quam rei emolumento ſtudeat judex: cui idcirco committitur quantitatis definitio, ne ſi certa pecuniae quantitate juriſdictio ejus contineatur, minus, quam aequum eſt, cogatur nonnunquam actori adjudicare.

Sed enim legis Juliae de vi publica verba quaedam ad ſepulchri violati crimen Macer inflectit, ut id quoque publico & ſeveriore judicio coerceatur, *l.* 8. *D. hoc tit. junct. l.* 4. *C. eod.* Extant ea verba in *l.* 5. *D. ad leg. Jul. de vi pub.* illo loco, *Qui fecerit quominus ſepeliatur.* Nempe ea verba ad hunc quoque caſum porrigit Macer, quo quis facit, quominus ſepultus quis permaneat. Id genus interpretationis ex more Prudentum & jus dicentium ſolenne eſt, qui non modo verba, ſed vim legum, Senatusconſultorum, reſcriptorumque ſcrutantur, nec dubitant, ubi eadem ratio verſatur, articulum, lege non expreſſum, ad legem tamen aptare. Idonea exempla cumprimis in *l. ſi quis tutor* 60. §. *quamvis* 5. *D. de jur. dot. l.* 15. *l.* 16. *D. de ſponſal l. lex Julia* 6. *D. de fund. dotal. l. ſi quis id quod* 7. *D. de juriſd. omn. judic. l. ex ſententia* 29. *D. de teſtam. tutel. l.* 2. §. *quid ſi curatores* 29. *D. ad S. C. Tertull. l.* 5. *C. de bon. quae liber* §. 1. *Inſtit. de legit. patron. tutel.* Ariſtoteles *lib.* 1. *Polit. cap.* 6. *& lib.* 1. *Rhetor. cap.* 35.

Tunc autem, ex ſepulchri violatione, publicum legis Juliae de vi publica judicium exoritur, quando armis, aut alia vi quid tentatur, *l.* 3. §. *adverſus* 7. *& l. ult. D. h. t.* Ac ſane cauſam funeris publicam & favore dignam eſſe colligimus ex *l.* 2. *& l.* 3. *D. de in jus voc. l. ſunt perſonae* 43. *D. de relig. & ſumt. fune. l. interdum* 36. *D. de judic. juncta l. quidam* 27. *D. de condit. inſtit.* Quae ſententia non tantum ad funerandos ſine injuria & impedimento defunctos ſpectat, ut in *l. pen. D. ad leg. Jul. de vi priv. l. ſed & partus* 12. § *ult D. quod met. cau. l. ultim C. h. t. Nov.* 60. ſed etiam ad reliquiarum tuitionem & monumentorum; ut hic & *l.* 3. §. *non perpetuae* 4. *D. eod & l.* 4. *C eod.* Ad eamque partem verba illa legum duodecim pertinebant, *Deorum Manium jura ſancta ſunto.* Neque vero obſtat huic legi octavae Pauli auctoritas, *lib.* 5. *ſenten. tit.* 26.

Digitized by Google

quod omnium armorum uſum privatis hominibus Principes interdicerent, ut in *l. unica C. ut arm. uſus inſcio Principe interdict. ſit.* & in *Nov. de armis.* Et haſce Conſtitutiones, uſumque aevi ſui ſequitur hoc loco noſter, ut & Juſtinianus in *§. ſed ex Conſtitutionibus 6. Inſtit. de interdict.* & *§. item lex Julia de vi publica 8. Inſtit. de pub. judic.* Vide Jac. Cujac. *in comment. ad Paul. d. loco*, & Duarenum *Diſputat. anniverſ. lib. 1. cap* 22.

Sed cum criminaliter in *l.* 8. civiliter in *l. 9.* coërceri id factum ſcripſerit Macer, ex utriuſque capitis conjunctione oritur quaeſtio, an ex cauſa hujus criminis, aut publici cujuſpiam alterius utraque actio competat, & ita competat, ut una alteri non praejudicet. Et id vero juris eſſe innuit *ευδοξον* ille, *quoque. in l.* 9. Verum clarius Imperator rem definiit in *l. un. C. quan. civil. act.* nempe quoties ex uno eodemque facto oriuntur actiones duae, quarum una criminalis, altera nummaria eſt, moveri ſimul poſſe utramque, neque unius electione alteri quicquam derogari. Haec auctoritatibus exemplisque confirmantur ex *l. inde Neratius* 23. *§. ſi dolo 9. D. ad leg. Aquil. l. in eum* 15. *D. de accuſ. l. praetor* 7. *§.* 1. *D. de injur. §. liberum* 11. *Inſtit. de leg. Aquil.* & *l. un. C. Theod.* Victum civiliter agere criminaliter poſſe, *juncta l. nunquam* 130. *D. de reg. jur.* Omnium vero diſertiſſime Hermogenian. *in l. cum ex uno* 32. *D. de obl. & act.* poſt magnas varietates ita obtinuiſſe teſtatur, ut, cum ex uno delicto plures naſcuntur actiones, liceat omnibus iis adverſus eundem experiri. Atque adeo verba illa, *ex uno delicto*, non tam in ſententiam accipienda, quaſi plures actiones, ex pluribus factis ortae, una non competant, aut quaſi invicem ſeſe conſumant. Etenim in *l. ſi ſtuprum* 25. *D. de injur.* contra habetur: ſi ablata furto ſerva ac mox ſtuprum paſſa dicatur, domino inſolidum competere duas actiones, furti unam, alteram injuriarum. Quo exemplo ſi ſurreptus deinde occiſus ſervus fuerit, & furti & damni injuria dati actio domino datur: & qui feram ibi habet, qua iter fit, ſi cui ea noxam fecerit, & actione aedilitia tenebitur, quia contra Aedilium edictum feram ibi habuit, & actione legitima de pauperie, quia fera noxam fecit. Sed & uno ex facto pluribus competere plures actiones minus mirum; veluti, Si uxori filiaefamilias injuria facta erit, naſcuntur actiones tres injuriarum, quae quidem inſolidum dantur, ſed diverſis: uxori una, marito altera, tertia patri, *l. 1. §. 1. l. pater* 41. *D. de injur.* At in quaeſtione harum *legum* 8. & 9 *dictae l. inde Neratius* 13. & ſimilium ante dictarum, non ex variis factis, ſed ex uno, nec variis perſonis, ſed uni, eidemque dantur inſolidum actiones duae. Neque obſtat *l. plura* 53 *D. de oblig. & act.* ubi Modeſtinus ex pluribus delictis in una re plures actiones competere ita agnoſcit, ut omnibus eſſe utendum neget tamen. Cum enim actionem, quae ex maleficiis naſcuntur, aliae mere poenales, aliae mixtae, id eſt partim rei perſecutoriae ſint, partim poenae: his actionibus, quarum una rem, altera poenam perſequitur, ſimul experiri cuivis licet, quoniam eo genere bis peti eadem res non videtur. Sicque accipienda *d. l. cum ex uno* 32. quoque aliae pluribus actionibus uti permittunt. Idque exemplo actionis arborum, furtim caeſarum, confirmatur in *d. l. cum ex uno* 32. qua ex verſatio loquendi: ubi ex obligationum civilium collatione argumentatur. Nam & hae ipſae actiones quidem plures nonnunquam gignunt: ſed una tamen, non omnibus, utendum eſt, ne bis idem exigens actor doli mali exceptione ſubmoveatur. Denique eadem Modeſtini ſententia eſt in *d. l. plura* 53. quae Ulpiani in *l. nemo ex his* 43. *§. ult. D. de regu. jur.* ubi quoties concurrunt plures actiones ejuſdem rei perſecutoriae (puta, ſive ex contractu, ſive ex maleficio naſcantur) una quis experiri debet, unaque alteram tollit & conſumit. Etenim verba illa, *Ejuſdem rei*, aliud dicendum eſſe demonſtrant, ſi ex concurrentibus actionibus una rem; altera poenam perſequatur. Sane cum ex privatorum criminum cauſis duae actiones hac recte conjungantur & cumulentur: in atrocioribus publiciſque criminibus, quae proprium Reipub. priorum privatis damnum inferunt (veluti ſepulchri violatione, plagio, falſo) idem juris ſervari juſtiſſimum eſt, ut rei publicae pariter & privatae ratio habeatur, ut hic & *d. l. un. C. quan. civil. act.*

L. 2. D. de Abigeis.

Abigeatus crimen publici judicii non eſt: quia furtum magis eſt. Sed quia plerunque abigei & ferro utuntur, ſi deprehendentur, ideo graviter & puniri eorum admiſſum ſolet.

Abigeorum grave crimen, utpote exitioſum ruſticae rei; cujus utilitas cum neceſſitate certat. Quare proprius legum favor, propria cura paſſim ea in parte. Inde eſt, quod publicam abigeatus nomine dari actionem ſuſpicari quis potuit. Privatam tamen dari tantum Macer cenſet. Generalis illa cauſa eſt, quia legibus publicorum altum de hoc crimine ſilentium eſt: & ea demum publica judicia exiſtimantur, de quibus aliqua publicorum lege cautum nominatim, *l.* 1. *D. de pub. jud. l. 3. §. ſi ideo* 3. *D. de praevar.*

Sed huic cauſae alia etiam accuratior ex Aemilio ſubjungenda: quoniam abigeatus furtum magis (puta) rei alienae privataeque amotio eſt, & ex furto competunt tantum privatae actiones duae; condictio nempe furtiva, qua rem ſuam dominus repetit, & actio furti poenalis in duplum aut in quadruplum, *l. ſi pro fure* 7 *§. furti actio* 1. *D. de condict. furt. l. ſi pignore* 54. *§. actio furti* 3. *D. de furtis.* Nec mutat quod criminaliter ex furti cauſa agere licet interdum, ut *l. ult. D. eod. de furt.* Extraordinaria enim & in arbitrio judicis ſita haec eſt executio, ac ſine inſcriptione aliiſque publicorum judiciorum ſolennibus exercetur, *l. ult. D de privat. delict.* Et vero abigeatum ſpeciem furti, licet furti gravioris, eſſe firmat lex, *aut facta* 16. *§. quantitas* 7. *D. de poen.* & *l.* 3. *D. hoc tit.* quae furem ab abigeo ſola quantitate diſcernunt. Quin divina lex furtis quoque annumerat abigeatum, neque aliter abigeo poenam corporis infligit, quam ſi pecuniariam praeſtare non poſſit, *Exod. cap.* 22. *in princ.* Quanquam etiam ſtudio & arte fures ab abigeis diſcernuntur, *d. l. 3. §. qui ſaepius* 2. *D. h. t.* Etſi autem abigeatus furti potius loco regulariter habeatur; qui tamen ferro & velut conducta manu abigunt, hos graviori utique poe-

Digitized by Google

ut quantitate, quod aliis etiam modis in ſubjectu con-
tingere apparet, ex *d. l.* 1. *verſ.* 1. *& §. ſed & qui* 2. *& § ult. & d. l.* 3. *§.* 1. *l. oves* 3. *in verbo, bovem. D. hoc tit.*

Lex. 2. *D. De concuſſ.*

Concuſſionis judicium publicum non eſt: ſed ſi ideo pecuniam quis accepit, quod crimen minatus ſit, poteſt judicium publicum eſſe ex ſenatuſconſultis, quibus poena legis Corneliae teneri jubentur, qui in accuſationem innocentium coierint, quive ob accuſandum vel non accuſandum, denuntiandum vel non denuntiandum teſtimonium, pecuniam acceperint.

Judicium concuſſionis regulariter eſt duplex. Civile unum, quod ex Edicto Praetoris de calumniatoribus profectum eſt: quippe Praetor hoc Edicto actionem annalem in eum dat, qui, ut calumniae cauſa negotium faceret, pecuniam accepiſſe convincetur, quae utique concuſſio eſt: daturque actio illa in ſimplum poſt annum; in quadruplum intra annum *l.* 1. *D. de calumn.* Criminale alterum & quidem extraordinarium judicium eſt, & arbitrio dirimitur jus dicentis. In eo tamen utrumque judicium aſſimile eſt, quod utraque actio non cuivis, ſed ejus, cujus intereſt, detur demum; nimirum ei, propter quem data pecunia eſt, ut ei calumnia fieret: vel etiam innocenti, qui pecuniam vitandae calumniae cauſa dedit, *l.* 3. *§. illud* 3. *& l. ſi ab eo* 8. *D. eod. de calumn.* neque enim ei actio datur, qui pecuniam dedit turpi fine, malo exemplo, ut falſa moveatur accuſatio, *d. l.* 3. *§.* 1. *& l.* 5. *§.* 1. *D. eod de calumn.*

Verum praeter haec judicia publicum quoque ex cauſa concuſſionis dari Macer hoc loco tentat, & Paulus *lib.* 5. *ſent. tit.* 25. Movet legis Corneliae de falſis caput illud, quo notantur hi, qui ad aſtruendam advocationem, vel in obligationem innocentium coierint ſocietatem, quive ob accuſandum, vel non accuſandum, denuntiandum, vel non denuntiandum teſtimonium, pecuniam acceperint, hic, & *l.* 1. *§.* 1. *& §. ſed & ſi quis* 2. *D. ad leg. Corn de falſ.* Paulus *loco eodem.* Sed & Senatuſconſulti Turpilliani poena teneri eos traditum eſt, qui falſum accuſatorem ſubmittunt, vel inſtigant, *l.* 1. *§. incidit* 13. *l. in Senatusconſultum* 15. *D. ad S. C. Turpil.* Ex his igitur articulis elicit hanc ſententiam ratio eadem, & favor innocentiae, ut is quoque, qui accuſationem aut teſtimonium minando pecuniam ab innocente extorſerit, publico judicio legis Corneliae teneatur; quia delictis paribus pares poenae debentur: ſicque ea, quae legibus & Senatuſconſultis omiſſa ſunt, probabili interpretatione ſupplentur, & ex ſcriptis ad non ſcripta aptatur ratiocinatio. Dixi, probavi, in *l* 8. *de ſepul. viol.* ſupra.

Caeterum hoc loco pecuniae vox ad rem quamcunque aliam accommodanda, ut *d. l.* 1. *§.* 1. *D. de calumn. l. rei* 5. *l. rei* 23. *D. de verb. ſig.* Quin & pecuniam is videtur accepiſſe, quem creditor, cui teſtimonium vel accuſationem per calumniam minabatur, obligatione liberavit, *l.* 2. *junct. l.* 3. *D. de calumn. l. ſi quis obligatione* 115. *D. de reg. jur.* Sed & qui pecuniam aliamve rem ſibi dari eodem fine pactus erit, perinde tenetur, ac ſi acceperit, *d. l.* 1. *d. §.* 1. in verbis, *Pactuſve fuit. D. ad leg. Cor. de falſ.* Neque ſi calumniae aut tergiverſationis convincantur, peri poena conſtringi, neque delatorem edito mandatore liberari, *l.* 2. *§. Divus Pius* 5. *D. de jur. fiſ.* Paulus *lib.* 3. *ſentent. tit. de delator.*

L. 3. *De Praevar.*

Praevaricationis judicium aliud publicum; aliud moribus inductum eſt. §.* 1. *Nam ſi reus accuſatori publico judicio ideo praeſcribat, quod dicat* ſe eodem crimine ab alio accuſatum, & abſolutum: *cavetur lege Julia publicorum, ut non prius accuſetur, quam de prioris accuſatoris praevaricatione conſtiterit & pronuntiatum fuerit. Hujus ergo praevaricationis pronuntiatio publici judicii intelligitur.

Praevaricationis vocabulum a varia certatione manaſſe Labeo exiſtimat, *l. praevaricatores* 212, ubi Alc. *D. de verbor. ſigu.* Ulpianus a varicando, hoc eſt prave incedendo mavult, *l.* 4. *§. pen. D. de his qui notant. infam. l.* 1. *D. ad Turpil.* Notiones ejus vocis duae: Una propria, quae publici criminis accuſatori tribuitur, qui abſolutioni, quam damnationi magis incumbit; ut hic parte prima & *l.* 1. *§.* 1. ſupra *hoc tit.* Altera minus propria, quae patronum deſignat, diverſam partem adjuvantem prodita ſua, *d. l.* 4. *D. de his qui not. infam. & verſic. quod ſi advocato* infra. Priore notione praevaricator contrahit publicum crimen; poſteriore non contrahit. Nam qui publico judicio praevaricatur, ea poena tenetur, quam reus publici criminis, qui per praevaricationem abſolutus eſt, merebatur, hic, & *d. l.* 1. *& l. ab imperatore, pen. hoc tit.* & ideo ſiquis publici criminis reus hanc adverſario praeſcriptionem ſeu defenſionem opponat, quod jam ante crimine eodem accuſatum pariter & abſolutum ſeſe dicat: eo caſu poſterior accuſator ad priorem praevaricationis accuſandum admittitur: qui ſi praevaricationis convincatur, publici utique criminis convictus exiſtimabitur, poenamque reo per fraudem abſoluto debitam excipiet, certe infamiam, *d. l.* 4. *D. de his qui not. infam. l. infamem* 7. *D. de pub. jud. l. quaeſitum* 13. *D. de teſtib. l.* 6. *§.* 1. *D. ad leg. Jul. repet.* Idcirco autem de prioris accuſatoris praevaricatione prius cognoſcendum in hac ſpecie Macer cenſet, quoniam regulariter delatum ante jam & abſolutum neque deferre ex eodem facto idem poteſt, neque alius, *l.* 3. *D. de popul. act. l.* 11. *§. ult. D. de accuſ. l.* 9. *C. eod. de accuſ.* Excipitur modo is caſus legis noſtrae, ſi prioris accuſatoris praevaricatione deceptus judex reum abſolverit, hic, & *l. ſi quis homicidii* 11. *C. de accuſ.* Tamen ut ſecundae accuſationi locus detur, de ea praevaricatione pronuntiatum eſſe neceſſe eſt: neque enim convictus exiſtimatur, niſi qui condemnatus; neque condemnatus, niſi adverſus quem pronuntiata ſententia eſt, *l. ſi confeſſus* 5. *D. de cuſtod. & exhib. re. r. l. ejus qui delat. rem* 29. *D. de jur. fiſc. l. eorum* 10. *C. eod. de jur. fiſc. tit.* 10. *d. l.* 4. *§. calumniator* 4. *D. de his qui not. in. infam.*

Verum quaeras, an quemadmodum is, qui publico judicio praevaricatur, publicum crimen admittit, mereturque talionem: ita qui privatum judicium (veluti, furti, injuriarum, damni injuria dati) perfunctorie & oſcitanter exercet, talione item, aut privati cujuſquam criminis poena teneatur. Et teneri hunc poena quapiam traditur nuſquam. Ra-

tio

Digitized by Google

§. 2.

Quod ſi advocato praevaricationis crimen intendatur, publicum judicium non eſt: nec intereſt publico, an privato judicio praevaricatus dicatur.

ALia jam & minus propria ſignificatione vox praevaricandi ſumitur, & advocato tribuitur, qui parti ſuae fraudem facit, dum diverſam partem adjuvat magis, & fingit verius, quam accuſat, *d. l.* 1. ſupra *hoc tit.* & *d. l.* 4. §. *pen. D. de his qui not. infam.* Is publico crimine non tenetur, ſed tamen moribus & extraordinarie punitur, hic & *d. l.* 1. *in fin* & *l.* 2. ſupra *eod.* propterque eam praevaricationem, ut in priori quaeſtione, de principali cauſa denuo quaeritur, *l. minor autem* 18. *in princ. D. de minorib. l.* 1. *C. de advoc. diverſ. judic.*

§. 3.

Si ideo quis accuſetur, quod dicatur crimen judicii publici deſtituiſſe, judicium publicum non eſt: quia neque lege aliqua de hac re cautum eſt; neque per ſenatusconſultum, quo poena quinque auri librarum in deſiſtentem ſtatuitur, publica accuſatio inducta eſt.

QUa ratione & abigeatum & praevaricationis ſpeciem quandam publici judicii non eſſe dixit Macer *l.* 2. *D. de abig.* §. *quod ſi advocato* 2. ſupra; eadem intergiverſationem, id eſt, factum accuſatoris, crimen judicii publici deſtituentis, ad publica judicia pertinere idem negat: nempe quod de ea re in legibus publicorum mentio nulla, & ea demum publica judicia cenſentur, quae legibus publicorum publica inter relata ſunt; quibus legibus ſelecta ſuere facta quaedam gravitate ſua & momento publicam merentia accuſationem. Dixi ante ad *l.* 1. *de publ. jud.* ſupra. At pecuniaria tamen poena tergiverſator ex ſenatuſconſultis plectetur, qui & deinceps ab accuſando ſubmovebitur, hic & *l.* 1. §. 1. *l.* 2. *l.* 6. *l.* 15. *in pr. D. ad S. C. Turpill.* Quod in eo contra habetur, qui ſuſceptam privati vel extraordinarii judicii actionem deſtituerit; veluti furti, injuriarum, expilatae hereditatis, ſtellionatus: hic enim Turpilliano non tenetur, *d. l.* 1. §. *incidit* 13. *verſic. nam diffitendo l.* 7. §. 1. *ad S. C. Turpill.* Sed neque aliter poenam infamiae vel librarum auri quinque ſubit judicii publici deſertor, quam ſi ſine abolitione, hoc eſt, venia omittendae accuſationis publica privatave deſtiterit, *d. l.* 1. §. *ſed non utique* 3. *l.* 8. *l.* 9. *l.* 10. *D. ad S. C. Turpill.* vel rei mors intervenerit, *d. l.* 15. §. *ſi propter* 3. *eod tit. ad S. C. Turpill. l.* 3. *C. ſi reus vel accuſat.* vel variae praeſidum occupationes, aut civilium officiorum neceſſitates obſtiterint, *d. l.* 15. §. *qui poſt* 5. *D. ad S. C. Turpill.* Cur extra hos caſus publica accuſatio non deſeratur impune, cauſa haec eſt; quia ſi verum crimen fuit, peragi ejus accuſationem interfuit publicae utilitati.

5. *D. ad S. C. Turpill. l. ſine metu* 17. *C. ad leg. Jul. de adult. junct. l.* 11. *D. de in jus voc.* & *l.* 3 *D. de his qui not. infam. l.* 5. *D. rem rat. haberi.*

L. 18. *D. Ad leg. Jul. de adult.*

Vel antequam cum eo agi coeperit.

EX hoc Aemilii fragmento; ſi cum ultimis *legis* 17. & prioribus *legis* 19. verbis, ut neceſſum eſt, conjungatur, naſcitur haec ſententia: Si adulter non damnatus vita deceſſerit, adulterae ſuperſtitis ſalva nihilominus ſupereſt accuſatio. Ratio eſt, quia licet ipſas criminum accuſationes mors perimat, *l. ex judiciorum* 20. *D. de accuſat. l.* 3. *C ſi reus vel accuſ.* & *l. eorum* 10. *C. de jur. fiſc. lib.* 10. tamen, quoties criminum iſtiuſmodi communium quaeſtio vertitur, accuſatio quidem in perſona unius reorum, qui diem obiit, ſed non in perſona alterius, qui ſuperſtes eſt, evaneſcit, *l.* 2. *C. ſi reus vel accuſ.* neque enim, ut communia duorum haec ſunt crimina, ita commune judicium, aut accuſatio communis eſt. Nam & ſi uterque ſuperſtes ſit, poteſt omiſſo adultero adultera poſtulari, vel contra, *l.* 5. *l. ſi maritus* 15. §. *ultim. l. vim paſſam* 39. §. *duos* 6. *D. hoc tit. l. reos* 8. *C. eodem.* Quare & eodem exemplo poſt mortem mulieris recte adulterii vir ſuperſtes, & defuncta ſocru recte gener inceſti poſtulabitur, *l. miles* 11. §. *adulterii* 4. *d. l. vim paſſam* 39. §. *in matrimonio* 2. & *l. ult D. eod.* Neque obſtat, quod poſt mortem adulterii mulierem convincere difficilius futurum eſt, & contra. Etenim huic incommodo per vinculum inſcriptionis obviam itum, medeturque, qui temerarium accuſatorem terret talio: quandoquidem non modo extraneus accuſator, ſed etiam pater & maritus ſubſcribere in crimen compelluntur, *l.* 14. §. *ult. l.* 30. *D. h. tit. junct. l.* 37. §. 1. *D. de minor.* 25. *ann.* Sed nec mirum eſt, foeminam, defuncto eo, cum quo adulterium commiſiſſe dicitur, accuſari, cum recte etiam poſt viri mortem ab extraneo quolibet accuſetur, *l.* 1. §. *accuſationem* 10. *D. ad S. C. Turpill. l. mariti* 29. §. *ſex menſium* 5. & §. *ſeq. D. hoc tit.* praeſertim cum adulterii ac ſimul dotis quaeſtio poſt ipſius foeminae mortem duret, *l. ult. C. h. t.* Quanquam ſententia hujus loci ita accipienda eſt, ut intra tempus demum legibus definitum poſſit adulterii crimen intendi. Id tempus in adultero quinquennium continuum eſt: in adultera menſes utiles ſex, modo ne (quod perraro contingit) quinquennium continuum excedant, *d. l.* 1. *d.* §. *accuſationem* 10 *D. ad S. C. Turp. d. l. miles* 11. *d.* §. *adulterii* 4. *d. l. mariti* 20. *d.* §. *ſex menſium* 5. *D. h. tit.* Quod ipſum de adulterio ſimplici intelligendum; quoniam utique inceſti & raptus accuſatio, aut commiſſi per vim adulterii, non niſi communi vicennii praeſcriptione tollitur, *l. qui coetu* 5. §. *ult. D. ad leg. Jul. de vi pub. l. ult. D. ad leg. Pomp. de parric. l. querela* 12. *C. ad leg. Corn. de falſ.* & *d. l. mariti* 29. §. *ult. D. h. t.*

L. 24.

Digitized by Google

in ſcenam ſaltandi cantandive cauſa prodierit, judiciove publico damnatus neque in integrum reſtitutus erit, quive libertus ejus mariti, uxoriſve, patris, matris, filii, filiae, utrius eorum fuerit: nec intereſt proprius cujus eorum, an cum alio communis fuerit, quive ſervus erit.

DE adulterii publicis poenis primo loco; deinceps de domeſticis & privatis egiſſe Macrum probabile eſt, ut hic, & *l. nihil intereſt* 32. infra *eod.* Ex prioribus Macri verbis elicitur primum haec ſententia, *Uxorem in adulterio deprehenſam maritus ne occidito.* Hinc certe eſt, quod de adulterio tantum mentio illi; de adultera vero non item. Enimvero ad tempora quidem M. Catonis uxores adulteras necare viris licuit; uti ejus docet oratio apud Gellium *lib.* 20. *cap.* 23. quem ad morem, etſi abolitum aevo ſuo, Seneca *lib.* 1. *controv.* & 1. *declam.* reſpexit. Sed hanc poteſtatem abſtulit viris Auguſtus: ſeu quae ab eo denominata lex Julia eſt, *l. nec in ea* 22. *§. ult. D. hoc tit.* Cum enim adulterae foeminae dos viro quaeratur, *l. conſenſu* 8. *C. de repud.* veretur lex, ne lucro tali illectus vir uxorem parum gratam, licet non impudicam, occidat. Si tamen maritus, ira victus, uxorem in adulterio deprehenſam occiderit, lege Cornelia de ſicariis non plectetur, verum temporali exilio vel perpetuo, *l.* 1. *in fin. D. ad leg. Corn. de ſicar. l.* 3. *§. ſi tamen* 3. *D. ad S.C. Syllan. l. ſi adulterium* 38. *imperator* 8. *D. h. tit.* Super hac parte adnecte ea, quae praeclare Petrus Faber V. C *lib.* 3 *Semeſt. cap.* 21.

Altera haec definitio ex J. C. conſtituenda, *Pater adulterum quemlibet filiae ſuae impune quidem interficito: maritus tamen adulterum quemlibet uxoris ſuae impune ne interficito, ſed lenonem demum, hiſtrionem, & ſimiles.* Nempe patrem inter & maritum ſingulare ea in parte diſcrimen, *l. patri* 20. & *d. l. nec in ea* 22. *d § ult. D. hoc tit. l. Gracchus* 4. *C. eod.* Cujus diſcriminis ratio haec depromitur ex *d. l nec in ea* 22. & *ex d. l. ſi adulterium* 38. *d. §. imperator* 8. quia plerunque pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit, &, ut filiae parcat, adultero etiam parcit. Quae vero lex adulterum occidere patri permittit, eadem quoque filiae occidendae neceſſitatem patri imponit, *l. quod ait lex* 23. & *d. l. patri* 20. *D. hoc tit.* Verum fuit mariti facile in ſe ſua decernentis calor & impetus refraenandus, praeſertim cum non ut patri filiam, ut marito uxorem occidere lex Julia permittat, *d. l nec in ea* 22. Nam & cum adultera majorem viro quam parenti injuriam faciat, ultionem in viro magis eſſe metuendam ratio ſuadet. Quin ad jura patriae poteſtatis ea pars quoque pertinet, *l. in ſuis* 11. *in fin. D. de liber & poſtum. l. ult. in pr. C. de patr. poteſt.* quod vel ex eo probatur, quod filiae demum, in poteſtate ſua conſtitutae, adulterium plectere pater poteſt, non poteſt emancipatae, *d. l. nec in ea* 22. Ergo cum filiam una cum adultero occidere pater poſſit, uxorem vir non poſſit; rationi conſentaneum eſt, ut quemlibet quoque adulterum filiae ſuae occidere patri liceat, adulterum quemlibet uxoris ſuae occidere viro non liceat. Quanquam uno caſu non tantum adverſus adulterum, ſed adverſus ſuſpectum quemvis adulterii permittitur viro ferrum: nempe ſi eum ter ex ſcripto praeſentibus teſtibus tribus idoneis colloquio & convictu uxoris ſuae vis agit, [illegible] neque enim aliter haec occidendi poteſtas patri maritove permittitur, quam ſi in ipſa turpitudine, &, ut Graeci loquuntur, ἐπαυτοφώρῳ καὶ ἐν ἔργῳ filiam adulterumve deprehendant. Quare ſi ex teſtimoniis tantum vel argumentis pater mariteſve flagitium reſciverint, agendum jure, non ferro: quia nunc ſedare juſtum dolorem debuit tempus, quem illico temperare is, qui deprehendit, non item poteſt. Idque eſt, quod dicitur *d. l. quod ait lex* 23. *§. ult. inferendam eſſe necem in continenti*, hoc eſt, non in dies vel horas prolatandam.

Domi ſuae, non etiam ſoceri) Hac quoque in parte patri plus largimur, quam marito: Pater enim filiam & adulterum in domo generi jure occidit, ſed non adulterum in ſoceri domo gener. Diſcriminis ratio duplex. Prior, quia generum aedes ſoceri ſui cruentare nimiae audaciae nimiaeque eſt immanitatis: verum ſocero, qui utique patris loco eſt, juſtum eſt in aedibus generi plus licere. Altera, quoniam hoc genere non habet gener, quod queratur, cujus injuriam ſocer ulciſcitur: quae utique gravior eſt, quam quae ab adulterante filia parenti fit. Caeterum & ſi domus appellatione dominium proprie ſignificetur, ut apud Plautum *Moste, Act.* 2. *ſc.* 5. *vſ.* 40. *Oſtium hoc mihi domicilium, Athenis domus*, ſaepe tamen pro quavis habitatione ea vox uſurpatur, ut hic, & *d. l. nec in ea* 22. *§.* 1. *D. h. t.* eademque in aliis pleriſque juris articulis notio ejus, ut nullo diſcrimine notetur, propria domus ſit an conducta, an gratuita, an hoſpitium, portus, villa; veluti cum praecipitur, ne quis in jus de domo ſua vocetur, *l. plerique* 18. *D. de in jus voc. l. nemo* 103. *D. de regul. jur.* nequis domum cujuſquam vi introeat, *l.* 5. *§. domum* 2. *D. de injur.* & *§. domum* 8. *Inſtit. eod.* ne quis in cujuſquam domo alea ludat, *l.* 1. *§. item notandum* 2. *D. de aleat.* Amplitudo denique eadem hujus vocis & ſimilium cernitur in *l.* 1. *§.* 1. *l.* 2. *D. de agnoſc. liber. l.* 4. *§.* 1. *D. de damn. infect. l.* 1. *§. habitare* 9. *D. de his qui dejec. vel effud. l. in lege Cenſoria* 203. *D. de verbor. ſignif.*

In adulterio uxoris occidere) Occidendi verbum ita declarat Papinianus in *d. l. nec in ea* 22. *§. ſed qui occidere* 3. *D. hoc tit.* ut adulterum contumelia aut gravi vulnere afficere marito liceat multo magis. Supplenduinque ex Ulpiano *in l.* 29. *in princ.* & *in §. quid ergo* 6. *hoc tit.* ut quem nolit aut non liceat occidere, eum horas viginti continuas retinere teſtandae rei cauſa vir poſſit, &, ſi evaſerit, reductum per id tempus cuſtodire; licet alioqui permittatur privatus carcer nemini, *l.* 39. *§.* 1. *D. ad leg. Aquil. l.* 23. *C. de Epiſc. audi. l. un. C. de privat. carcer. inhiben.*

Eum qui leno fuerit) In his, quos ſine fraude vir occidit, lenones primo loco recenſentur. Nempe hos vitae turpitudo juſtiſſimo maritorum odio ac furori reddit obnoxios, & legi Juliae viſus eorum vilis ſanguis: nam & id hominum genus infame, *l.* 4 *§. ait Praetor* 2. *D. de his qui not. infam. l. palam* 43. *§. lenocinium* 6 *D. de rit. nupt. l. qui domum* 8. & *l. mater* 9. *§.* 1. *D hoc titulo.* Exaſperata quoque poena eorum Juſtiniano, decretaque capitalis, in *Novel. de lenon.* 14.

Quive artem ludicram ante fecerit, &c.) Enimvero mimi omnes, hiſtriones, citharoedi, ludiones, & actores fabularum viles item habentur & probroſi, *l.* 1. *in princ. l.* 2. *§. ait Praetor* 5. *D. de his qui not.* in-

Digitized by Google

& exercitationis cauſa haec fiant, infamiae locus non eſt: ut de eo, qui virtutis cauſa ac ſine mercede cum beſtiis pugnavit, cavet Praetor in *l.* 1. §. 6. in verbis *his igitur & qui operas. D. de poſtul.* nec non de athletis & equorum circenſium agitatoribus in *l.* 4. *D. de his qui not. infam.* Quanquam & qui ambitioſa vanaque oſtentatione prodit in ſcenam vel arenam, ſeque in his locis patitur honorari laudarique, hunc infamiae obnoxium putat Ulpianus *d. l.* 1. §. 6. in verbo *denique. D. de poſtul.* Quare hoc loco de triplici hoc genere hominum demum *lex Julia de adulteriis* accipienda; quoniam & hi demum viles & infames *dd. legibus.*

Verſiculi, *judiciove publico, &c.* ratio haec eſt, quoniam & qui judicio publico damnantur infames ſunt ipſo jure, *l.* 3. §. *lege* 5. *l.* 13. *l.* 15. *D. de teſtib. l. infamem* 7. *D. de pub. jud. l.* 6. §. 1. *D. ad leg. Jul. repet.* Quare etiam in teſtamento teſtibus eſſe his non licet, *l. qui teſtamento* 20. §. *eum qui* 5. *D. qui teſtam. fac. poſſ.* nec pro alio poſtulare, *l.* 1. §. *& qui* 6. *D. de poſtul.* Cave haec tamen ſic accipias, quaſi judicio privato damnatos infamia notet nunquam: nam ex privatarum quoque quarundam actionum cauſis criminaliter condemnati fiunt infames; ut furti, injuriarum, vi bonorum raptorum, doli mali, tutelae, depoſiti, mandati, ſocietatis, *l.* 4. *in fin. l.* 6. *D de his qui not. infam. l. in depoſiti* 9. *D. depoſ.* §. *recte* 9. *Inſtit. mandat. d. l. infamem* 7. *& ſimilibus.* Sed enim eos tantum, qui judicio publico damnati ſunt, occidere fas marito; non etiam eos, qui privato: quia quanto publica judicia graviora & atrociora ſunt privatis; tanto levior horum, quam illorum, macula & labes eſt. Damnatum autem ideo Macer dixit, ideo alii, quia non ſufficit cujuſquam famam in opinione hominum onerari (quae infamia facti dicitur) niſi & ſententia ſeu condemnatio ſequatur, quae vera & juris infamia eſt, *l.* 2. *D. de obſeq. a liber. l. ob haec verba* 20. *D. de his qui notant. infam. l. ea quae* 13. *l. verbum* 17. *C. eod.*

Neque in integrum reſtitutus) Superioribus articulis apponenda ex hoc verſiculo haec exceptio, Niſi infamiam horum omnium, qui ante delineati, aboleverit in integrum reſtitutio: quam exceptionem eorum quoque enumerationi Praetor adjecit, qui propter infamiam prohibentur poſtulare, *l.* 1. § 8. in verbis *hoc edicto. &* §. 10. in verbis *pro qua ſententia D. de poſtul.* Reſtitutionem vero accipe non quae a Praetore, ſed quae a Principe: reſtitutio enim capite vel infamia damnatorum Praetoris juriſdictionem excedit, *l.* 1. §. 10. in verbis *au autem. D. de poſtul.* Utique etiam ſine cauſae cognitione reſtitutionem in integrum Princeps indulget, cujus pietas ſpem omnem dignitatis & exiſtimationis recuperandae ad meliorem frugem migrantibus non praecidit, *l. ſolet a Principe* 10. *D. de his qui not. infam. l.* 2. §. *ſi qua mulier.* 4. *D. ad S. C. Tertul. l. imperialis* 23. *C. de nupt.* idque publici Patris beneficium, ut loquitur Caſſiodorus, *lib.* 2. *Variar. Maculoſas omnes notas vitioſae & turpis opinionis abſtergit:* atque adeo ne judicio quidem publico damnatis ea reſtitutio interdum denegatur, ut hic & *l. un* §. *qua lege* 2. *D. ad leg. Jul. de ambit.* Quamquam neque alia eſt reſtituendi auctoritas Senatui, quam Principi, *d. l.* 1. §. *de qua autem* 10. *D. de poſtul. junct. l. quiſquis* 5. in verbis, *nam & ipſi pars corporis noſtri ſunt, C. ad leg. Jul. majeſt.*

viliſſima ſervi conditio, & gravitas audaciae ſervilis in tali re, dominique ipſius dignitas furorem domini ſervile adulterium ulciſcentis excuſat. Nam & ſervi in libera quacunque adulterantis gravior, quam liberi hominis poena eſt; nempe capitis, *l. quaeſtionis* 7. *D. de quaeſt.* Atque adeo ſervi cum domina ſua etiam non nupta, etiam non invita ſcortantis poena eſt ignis, *l. un. C. de mulier. quae ſe prop. ſervis conjunx.* Caeterum hac in parte a filio ſervus differt, quia pater filium in noverca adulterantem occidens, quaſi parricida eſt *l.* 5. *D. ad leg Pomp de parric. junct. l. inauditum* 2. *D. ad leg. Corn. de ſicar. l. un. C. de emendat. propinq. & l. ult. C. de patria poteſtat.* Vide Obſervatorem, *lib.* 6. *cap.* 17. De libertus idem ex Macro exiſtimandum, quod de ſervis: quia reverentia patronalis injuriam hanc liberti gravat, & patroni perſona propter beneficium libertatis acceptae ſancta liberto, *l. praetor edixit* 7. §. *atrocem* 8. *D. de injur. l. aut facta* 16. §. *cauſa* 2. *D. de poen. junct. l.* 1. § *cum patronus* 10. *D. de offic. praef. Urb.* atque adeo ad patroni neceſſitudines id etiam porrigendum, ut hic, & *l.* 4. *D. de in jus voc. l. capitalium* 28. §. *omnia* 8. *D. de poen. l.* 3. *C. de nupt.* Paul. *lib* 2. *ſentent. tit. eod de nupt.*

Verſiculi, *neque intereſt*, ſenſus hic eſt: non libertum modo ſuum aut ſervum patronus dominusve in adulterio uxoris ſuae deprehenſum necat jure, ſed eum quoque, quem habet cum alio communem: licet enim res cum alio mihi communis mea proprie non dicatur, nec facile ad rem communem extendatur quod in re propria lex decernit, *l. Maevius fundum* 66. §. *duorum* 1. *D. de legat.* 2. *l. nemo ex ſociis* 68. *D. pro ſoc. l. dudum.* 14. *C. de contrah. emption.* tamen ubi de re individua, aut individuo jure agitur proprium alterius exiſtimatur quod commune eſt: tale vero jus Patronatus, tale jus dominicae poteſtatis, talis perſona tum ſervi, tum liberti, *l. ita ut omnes* 36. *D. mandat. l. quae de tota* 76. *D. de rei vind.* Quare hinc etiam fit, ut quo edicto libertus patronum ſuum in jus ſine venia vocare prohibetur, cenſeatur etiam is, qui pro parte libertus eſt patronum communem vocare prohiberi, *l communis* 23. *D. de in jus voc.* Sic ſervus communis ab uno ex dominis recte vapulat, neque ex ea cauſa alteri domino datur actio injuriarum, *l. item apud Labeonem* 15. §. *ſi communem* 36. *D. de injur.* quod etiam utente uno ex ſociis re communi proditum eſt, ut non detur actio furti, *l. merito* 15. *D. pro ſocio.* Sic denique in Senatusconſulto Syllaniano non tantum is, qui in ſolidum dominus eſt, domini appellatione venit, ſed etiam qui pro parte: nec ſervi communis vitae parcitur, *l.* 1. §. *domini* 6. *D. ad S. C. Syllan* Vide Alciat. *in l. ſervi* 5. §. *Labeo* 1. *&* §. *cum fundus* 2. *D. de legat.* 1. *& in l. pupillus* 239. §. *ult. D. de verb. ſign.*

§. I.

Et praecipitur, ut is maritus, qui horum quem occiderit, uxorem ſine mora dimittat.

SIcut uxorem adulteram occidere viro non licet lege Julia; ita nec licet in matrimonio retinere: fuitque ejusdem legis articulus in hanc mentem, *Vir qui lenonem, qui mimum, aut ſimilem alium in*

Digitized by Google

atque in l. 2. §. Lenocinii 2. l. mariti 21. D. h. t. l. 2. C. eod. Apud Paul. *lib.* 2. *ſent. cap. de adulter.* §. 2. Enimvero qui deprehenſam, damnatamve retinet, aut qui dimiſſam deinde recipit, is lenocinii crimen ſibi aſciſcit, & uxoris mores corrupiſſe, aut corruptae nunc probare exiſtimatur. Quemadmodum enim is leno eſt, qui ex adulterio uxoris quaeſtum facit; ita quisquis matrimonium ſuum contemnit, neque indignatur contaminationi tori ſui, quaſi leno eſt, *d. l.* 2. *in §. caeterum* 3. ſupra *h. tit.* Denique maritum, qui uxorem in adulterio deprehenſam detinuiſſet, Severus lenocinii condemnavit, *d. l.* 2. *§. unde quaeri* 6. Sane de uxoris deprehenſae impudicitia tam marito conſtat, quam de damnatae: ideoque deprehenſam retinere tam turpe eſt, quam damnatam. De deprehenſa autem hic agi perſpicuum eſt, cum adulterum a marito jam occiſum Macer ponat, qui non potuit, niſi cum uxore deprehenſus, occidi. Quod eo pertinet, ut tunc demum maritus quaſi lenocinii puniatur, cum excuſare ignorantiam ſuam non poteſt, vel praetextu incredibilitatis patientiam ſuam adumbrare, *d. l. mariti* 29. §. 1. *D. hoc tit.* Ideoque qui ſuſpectam modo uxorem in matrimonio reſtituit, extra crimen eſt, *d. l.* 2. *& l. quamvis* 30. *C. hoc tit.* Et ſecundum haec reſcripſit Valerianus in *l. ſine metu* 17. *C. eod.* poſſe uxorem ab eo viro in matrimonium revocari, qui cum libellos accuſationis obtuliſſet, vanam fuiſſe indignationem & ſuſpicionem ſuam deinde comperit: quia is demum in poenam legis Juliae committit, qui vel publice adulterii damnatam habet, vel ſciens adulteram retinet uxorem, *d. l. ſine metu* 17. *junct. l. generali* 34. §. *ream* 1. *D. de rit. nupt. l. auxilium* 37. §. *ult. D. de minor.* 25. *ann. & l.* 15. *D. ad S. C. Turpil.* Caeterum inter uxoris adulterium, atque aliud omne crimen, haec lex differentiam oſtendit: nam convictam damnatamve mulierem adulterii dimittere vir tenetur *dd. legibus*; non tenetur, imo nec poteſt alterius criminis convictam damnatamve. Unde ſi mulier initae cum latronibus ſocietatis condemnata & in exilium ire juſſa ſit, nuptiae idcirco non ſolvuntur, *l. vim paſſam* 39. §. *mulierem* 4. *D. hoc tit.* Serva autem cum uxore pariter ac marito mitius agi jure noviſſimo hac in parte, de q a hic Macer. Cum enim adultera, flagris caeſa, monaſticae vitae dedatur, eam intra biennium revocare viro permittit *Juſtinianea Conſtitutio* 134. *cap.* 10. Impium enim viſum eſt ac crudele *dıaventar* maritis in perpetuum interdicere, & reſipiſcentibus foeminis veniam omnem denegare, *d. Novell.* 134. Ex qua tamen ita cavetur ut ſi eam vir intra id biennium non revocabit, aut intra id biennium non revocata ea morietur, in ſolitudine deinceps agat ea, quandiu erit.

§. 2.

Caeterum ſui juris, an filiusfamilias ſit maritus, nihil intereſſe a plerisque dictum eſt.

QUod adulteros quosdam ſine uxoris impune a marito necari dictum ſupra, tam filiofamilias marito, quam patrifamilias tribuit Macer, ut ea occidendi poteſtas ne marito quidem, qui in patris poteſtate eſt, denegetur: nempe adulteram uxorem accuſare etiam filiofamilias viro permiſſum ſine voluntate patris, *l. filiumfamilias* 37. *& l. inter liberas* 6. *§. pen. D. hoc tit.* Partis utriusque ratio haec eſt, quia viro, maximi & juſtiſſimi doloris ulin aliis filiorumfamilias negotiis aliud exiſtimandum: exequi etiam aliam quamcunque injuriam, tametſi propriam, filiusfamilias invito vel inconſulto patre non poteſt, *l. ſed ſi unius* 17. §. *filiofamilias* 11. *D. de injur.* ſive maritus ſit filiusfamilias, ſive non ſit; quia nec nuptiae patriam poteſtatem extinguunt, vel imminuunt, *l. filiusfamilias* 9. *D. de his qui ſunt ſui vel al. jur. l.* 6. *D. de cap. min. l. nam quod* 14. *D. ad S. C. Trebel.* Ut igitur id jus regulare in filiofamilias, adulterium uxoris ſuae ulciſcente, non obtineat, injuriae iſtius gravitas evincit, *d. l. filiumfamilias* 37. *in fin.* Qua etiam in parte filiusfam. maritus a filiofam. patre longe differt, qui ſcil. filiam in adulterio deprehenſam occidere non poteſt, *l. patri* 20. *D. hoc tit.* Ratio diſcriminis evidens eſt; quia filiamfamilias demum occidere patri licet, non etiam emancipatam, *d. l. patri* 20. pater autem filiusfam lias filiam in poteſtate habere non poteſt, cum & ipſe ſit in poteſtate: quae ratio in filiofamilias ceſſat. Ideoque lex Julia filiumfamilias maritum a patrefam. marito non diſtinguit, diſtinguit tamen filiumfamilias patrem ab eo patre, qui ſui juris, *d. l. inter liberas* 6. *§. pen. d. l. filiumfam.* 37. *& d. l. patri* 20. *D. hoc tit.*

§. 3.

Illud in utroque ex ſententia legis quaeritur; an patri magiſtratum occidere liceat. Item, ſi filia ignominioſa ſit, aut uxor contra leges nupta, an id Jus nihilominus pater maritusve habeat. Et quid, ſi pater, maritus, leno, vel aliqua ignominia notatus eſt: & rectius dicetur, eos Jus occidendi habere, qui jure patris maritive accuſare poſſunt.

AD pleniorem legis Juliae explicationem proponuntur quaeſtiones tres hoc §. Prima haec eſt, cum a patre quemlibet adulterum filiae ſuae occidi poſſe dictum ſit, utrum etiam magiſtratum occidere pater poſſit. Secunda: cum vilium quorundam hominum necem maritis lex Julia permittat, an his etiam maritis ea poteſtas permiſſa cenſeatur, quorum uxores ipſae infamia laborant, aut prohibito legibus matrimonio conjunctae ſunt. Tertia, utrum haec facultas etiam infami patri, vel infami marito permittatur. Axiomate uno Macer dubitationes haſce definit, quod dictat occidendi jus habere eos, quibus jure patris vel mariti licet accuſare. Ut haec regula primae quaeſtioni definiendae uſui ſit, videndum, an pater magiſtratum in adulterio filiae ſuae deprehenſum jure patris accuſare poſſit, quoniam ex jure accuſandi pendet ac regitur jus occidendi. Et vero magiſtratus quidem accuſationem promitti in exitum muneris, receptum eſt in *l. ſi adulterium* 38. *§. ult. D. h. tit.* ſive praeſens ſit magiſtratus, ſive abſit, *l. ſi maritus* 15. *in princip. §. quod ſi quis* 3. *D. eod. tit. l. hos accuſare* 12. *D. de accuſ. l. Senatusconſulto* 16. *D. de off. Praeſ. l. tutor* 35. *§. ult. D. de jurejur.* Nempe hanc praerogativam magiſtratibus publicae utilitatis publicaeque dignitatis favor conciliavit, ut ante exitum muneris ſui inter reos referri non poſſint *dd. ll.* Attamen ſi tempore peritura ſit accuſatio, poteſt cauſa interim conteſtari: atque adeo, ſi hujuſmodi cauſa ſit, quam non perpetuet conteſtatio; tunc etiam ante exitum ma-

Digitized by Google

viro licet, ut *in principio hujus legis* ſupra. Nam ne patronum quidem infamen occidit recte vir libertus, in adulterio uxoris ſuae deprehenſum; quia cujus famae, multo magis vitae parcendum eſt, *l. 1. §. cum patronus* 10. *D. de offi. praef. Urb. l. ſi adulterium* 38. *§. liberto* 9. *in fin. D. h. tit.* De quaeſtione ſecunda ex eadem regula eodem modo dicendum. Cum enim ignominioſam aut illicito matrimonio junctam uxorem accuſare, jure mariti, vir non poſſit, *l. ſi uxor* 13. *in princ. & in §. ſed & in ea.* 2. *D. h. tit. l. quae adulterium* 29. *& l. ſi ejus* 24. *C. eod. junct. l.* 3. *D. de cap. minut. & l. ſervi* 23. *C. hoc tit.* conſequens eſt, ut nec maritus adulterum talis uxoris occidere, nec pater aut adulterum filiae talis, aut filiam talem occidere jure poſſit. Neque obſtat *d. l. ſi uxor* 13. *d. §. ſed & in ea* 2. ubi ſcribitur, ſive juſta ſive injuſta uxor fuerit, inſtitui a marito poſſe accuſationem. Injuſta enim uxor eo loco nominatur, cum qua matrimonium non rite neque ex ſolennibus juris civilis contractum eſt: quam ejus vocis notionem Cujaciana explicat Obſervatio *lib.* 6. *cap.* 16. Haec uxor eſſe non deſinit: at ea, cujus nuptiae legibus refragantur (veluti inceſtae) uxor non eſt. Ideoque nec poteſt ejus adulterium vindicari, cum nec moveri ob id poſſit accuſatio, quod hae foeminae propter vitae turpitudinem legum cura & obſervatione indignae eſſe videantur.

Tertia item quaeſtio ex eadem definitione decidenda eſt. Cum enim occidere liceat iis demum, quibus licet accuſare; jus autem accuſationis probroſis & inhoneſtis patribus maritisque denegetur in *l. cum mulier* 47. *D. ſolut. matr. l.* 3. *& d. l. ſi uxor* 13. *§. judex* 5. *D. hoc tit.* hinc fit, ut nec adulterum filiae ſuae uxorisve pater maritusve leno, vel alio modo infamis poſſit occidere: quoniam iſtos, jure paterno & maritali, exturbat vitae pravitas *dd. ll.* qua etiam ratione dotem uxoris adulterae vir leno non lucratur, *d. l. cum mulier.* 47.

L. 32. D. ad leg. Jul. de adult.

Nihil intereſt adulteram filiam prius pater occiderit, an non, dum utrumque occidat: nam ſi alterum occidit, lege Cornelia reus erit. Quod ſi altero occiſo alter vulneratus fuerit: verbis quidem legis non liberatur, ſed Divus Marcus & Commodus reſcripſerunt, impunitatem ei concedi; quia licet interempto adultero mulier ſupervixerit: poſt tam gravia vulnera, quae ei pater inflixerat, magis fato, quam voluntate ejus ſervata eſt, quia lex parem in eos, qui deprehenſi ſunt, indignationem exigit, & ſeveritatem requirit.

DE initio hujus legis, in quo patri ſit poteſtas adulteram filiam occidendi, dum & adulterum una occidat, dictum in *l. marito* 24. *in princ.* ſupra. Quod ex Imperatorum reſcriptis ſubjicit Macer, ſi, occiſo uno ex adulteris, gravia vulnera alter acceperit, impunitatem patri concedi, id ex ſententia legis Juliae ſumptum eſt; non ex verbis; quorum aucupia in jure noſtro non probantur, ut

Cum alterum ex adulteris elegerit maritus: alterum non ante accuſare poteſt, quam prius judicium finietur: quia duos ſimul ab eodem accuſari non licet. Non tamen prohibetur accuſator ſimul cum adultero vel adultera eum quoque accuſare, qui domum ſuam praebuit, vel conſilio fuit, ut crimen redimeretur.

SEntentia eſt: prius adulterum an adulteram vir accuſet, intereſt quidem nihil, ſed tamen eam accuſationem adverſus utrumque una movere, ne jure mariti quidem poteſt, hic, & *l. 5. l. ſi maritus* 15. *§. ult. l. vim paſſam* 39. *§. duos* 6. *l. denuntiaſſe* 17. *§. quaeritur* 6. *D. hoc tit. junct. l. 1. §. accuſationem* 10. *verſ. atqui idem. D. ad S. C. Turpil.* Sicque Imperator in *l. reos* 8. *C. hoc tit. Reos*, inquit, *adulterii duos ſimul marem & foeminam ex eadem cauſa fieri lex Julia de pudicitia vetat, ſed utroſque peragi ordine licet.* Neque id mirum, cum ne ex diverſis quidem criminibus publicis, eodem tempore, de tribus reis quis queratur, niſi ſuarum injuriarum cauſa tertium accuſet, *l. inter liberas* 6. *§. ultim. D. hoc tit. l. qui accuſare* 8. *verſ. & quid. l. hos accuſare* 12. *§. lege* 2. *D. de accuſat. & l. cum rationibus* 16. *C. qui accuſ. non poſſ.* Enimvero nimium accuſandi ſtudium ſeu libidinem lex coërcet, neque ſinit in diſcrimen vocari una plures, praeſertim cum abſolvi prior poſſit, profuturaque alteri ea ſit abſolutio, *d. l. denuntiaſſe* 17. *§. ult. D. h. tit. l. ſi crimine* 12. *C. eod.* Et hac in re inceſti commune crimen ab adulterio longe differt, quoniam illud adverſus duos intendi ſimul poteſt, hoc non poteſt, *l. qui pupillam* 7. *in fin. & d. l. vim paſſam* 39. *§. inceſti* 7. *D. hoc tit.* Vide Cujac. *lib.* 6. *Obſerv. cap.* 12. *& lib.* 20. *cap.* 17.

In verſic. *non tamen*, ſuperius praeceptum legis Juliae ita explicat, ut quamvis adulterum & adulteram ſimul poſtulare vir vetetur, poſſit tamen cum adultero etiam duplex hominum genus accuſare. Prius eſt lenonum lenarumve, qui, quaeve praebuerint domum ſuam, ut adulterium cum aliena matrefamilias fieret; quod genus etiam poena adulterii tenetur, *l. qui domum* 8. *l.* 10. *§. mulieres* 1. *D. hoc tit.* Ac lenocinium etiam adulterio aut ſtupro gravius eſſe poteſt dici, quoniam & ars quaedam eſt, & ex turpiſſimi quaeſtus cupiditate manat, atque adeo conſtantem pudicitiam illecebrae & miniſteria lenonum exturbant: ideoque adulterio ipſo ſeverius, capitali ſcilicet poena lenones coërcendos eſſe Juſtiniano viſum in *Novella de Lenonibus.* Nec valde alienus ab ea mente Paulus in *l. 1. §. qui puero* 2. *D. de extraord. crimin.* Denique lenones, ex Solonis praecepto, morte multatos ex Dinarcho, Aeſchine, & Athenaeo colligere eſt. Junge quae dixi in *l. marito* 24. *verſ. qui leno fuerit* ſupra. Appellatione vero *domus* hoc quoque loco habitatio quaelibet accipienda, imo etiam ager, balneum, hortus, nec non cujuſpiam amici domus, *l. qui domum* 8. *in fin. & l. ſeq. D. hoc tit.* Jungantur & quae dixi in *d. l. marito* 24. ad verba, *deprehenſum domi ſuae*, ſupra.

Eorum, qui cum adultero vel adultera recte poſtulantur, alterum genus ii conſtituunt, quorum

[illegible]) quia ſi maritus adulterum deprehenſum gratuito dimiſerit, lege Julia non tenetur, *l. 2. §. lenocinii 2. d. l. mariti 29 § caeterum 2. D. h. t.* Is namque demum leno eſt, qui pro comperto adulterio pretium accipit, pretiumve paciſcitur: non autem is, qui deprehenſi miſeretur, eumque gratis ultro dimittit, quod impune eſt, *l. ſi maritus 15. §. ſi negaverint 5. d. l. mariti 29. d. § caeterum 2. D. hoc tit.* Nec te turbet, quod dicitur nec gratuito quidem paciſci de adulterio licere, *l. tranſigere 18. C. de tranſact. & l. de crimine 10. C. hoc tit.* Etenim de accuſatore tantum id dicitur, qui cum adverſario colludit, & ſuſceptam adulterii accuſationem prodit: non utique de eo, qui adulterum noluit accuſare, ſed eum ſine pretio aut pactione dimiſit, quod verba *dictae l. de crimine 10. C. h. t.* ſatis evidenter oſtendunt. Cum autem adulterum pretio aut pactione dimittere lex Julia prohibeat, conſilium eam in rem dari etiam prohibet; nec tantum eum, qui pretium accipit, aut pactus eſt, ſed & ipſum conſilii auctorem una cum altero ex adulteris accuſare permittit, hic, & *d. l. is cujus 14. D. hoc tit.* Ratio eſt, quia ſuadere & hortari cauſam delicto praeſtare plerumque eſt, & qui ex alieno conſilio peccavit, non peccaturus, ſi conſilium defuiſſet, exiſtimatur, *arg. l. in hoc judicium 10. D. de ſervo corrup. & l. non ſolum 11. §. Attilicinus 6. D. de injur.* Quare is, cujus conſilio furtum, aut contumeliam alius admiſerit, etiam furti & injuriarum tenetur, ut in ſpecie *l. ſi quis uxori 52. §. cum Titio 21 D. de furtis. d. l. non ſolum 11. d. §. Attilicinus 6. l. Neratius 11. D. de ſervo corr. l. ult. C. de noxal. act.* Ex Edicto Praetoris tenetur non tantum qui tollit album aut corrumpit, ſed & qui mandat vel inſtigat, *l. ſi quis id quod 7. §. ultim. D. de juriſdict. omn. judic.* Quippe in talibus, etſi non re, tamen conſenſu etiam expreſſo crimen contrahi cenſetur, *l. 1. §. perſuadere 3. §. ſed utrum 4. d. tit. de ſervo corrupt. l. qui ſervo 36. D. de furtis. junct. l. conſilii 46. D. de regul. jur.* Utique conſtat in aliis non probroſis obligari neminem ex conſilio, *l. 1. §. idem Pomponius l. 2. in fin. l. ſi remunerandi 6. §. plane 5. D. mandat. l. 2. D. de proxenet. d. l. conſilii 47.* Caeterum eos, qui affini vel cognato operam & conſilium ad criminis redemptionem praeſtiterint, latebrasve praebuerint, non quidem abſolvendos, ſed nec ſevere admodum puniendos eſſe, colligatur non abſurde ex *l. ult. D. de receptat.*

L. 3. D. ad leg. Jul. de vi privata.

Nec intereſt liberos an ſervos, & ſuos an alienos quis ad vim faciendam convocaverit. §. 1. Nec minus hi, qui convocati ſunt, eadem lege tenentur. § 2. Sed ſi nulli convocati nullique pulſati ſint, per injuriam tamen ex bonis alienis quid ablatum ſit, hac lege teneri eum, qui id fecerit.

EXplicantur ex Aemilio verba illa Scaevolae in *l. 2. ſupra h. t. lege Julia de vi privata teneri eum, qui convocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberetur, pulſetur: tametſi occiſus homo non ſit.* Nimirum cum generalis & indefinita hominum mentio fiat, ad cujuscunque conditionis homines lex pertinet, liberos, ſervos, proprios, alienos, hic, & *l. 2. §. neque admodum 5. D. de vi bon. rap.* Quin & ſi armatum unum ad vim faciendam quis vocarit, legi Juliae locus erit, *d. l. 2. §. ſed & ſi 6. D. vi bo*[illegible] & §. *[illegible]*

jubente, etiam criminaliter ex lege Julia dominus ipſe convenitur, ut hic. Sicque apud Gellium *lib. 11. cap. 18.* ait Maſurius Sabinus non dubitare ſe, quin ſit dominus furti condemnandus, qui ſervo ſuo ut furtum faceret imperavit: & hoc tamen caſu ſervi plectuntur, *l. ſervos 8. C. ad leg. Jul. de vi pub. vel privat.* atque etiam poſtea manumiſſi recte ex his maleficiis conveniuntur, *l. ſervus 20. verſ. & quodcunque. D. de oblig. & action.* Imo & vim juſſu domini a ſe patratam ſervus luit; quia in atrocioribus delictis imperium domini ſervum non excuſat, *l. 2. D. de noxal. action. l. ſed ſi unius 17. §. ſi juſſu 1. D. de injur. l. ſi mulier 21. §. 1. rer. amot. l. ad ea 157. D. de reg. jur.* Aliud in levioribus dicendum eſt. In his namque ſervus, qui forte alioqui periturus domino paruit, excuſatur, nec poſt manumiſſionem quidem ex eorum cauſa convenitur, ut *l. 11. §. ſi tutoris 7. D. quod vi aut clam. l. ſi tacitum 13. D. ad leg. Falc. d. l. ſi mulier 21. §. 1. D. rer. amot. & d. l. ſervus 20. D. de oblig. & act.* Sed cum vis privata ad prioris generis delicta pertineat, & facti atrocitatem in ſe habeat, ſervum, juſſu domini vim facientem, tum in ſervitute, tum poſt manumiſſionem, graviter puniri recte dicemus.

§. 1. *Nec minus*) Hoc ait: & qui homines ad vim faciendam vocavit lege Julia tenetur, & qui vocati convenerunt, hic, & *l. 2. §. ſi quis non 12. D. vi bon. rapt.* Hanc tamen partem de ſervis nolim accipias, quia cum ſit inter poenas hujus criminis tertiae bonorum partis publicatio, cum infamia, *l. 1. & l. ult. D. hoc tit.* bonis autem & exiſtimatione careant ſervi, ſequitur, ut ad eos haec lex pertinere non poſſit, ut in *l. hos accuſare 12. §. omnibus 4. D. de accuſ.* Attamen etiam graviore poena plectuntur ex his cauſis, nempe morte, vel metallo, *d. l. ſervos 8. C. ad leg Jul. de vi pub. vel privat.*

§. 2. *Sed ſi nulli*) Si quis neminem ad vim faciendam vocavit, abſtulit tamen contumelioſe & indigne rem alienam, tenetur lege Julia de vi privata, ut hic. Exemplum eſt in eo, qui ex naufragio quippiam rapuit dolo malo, quoniam hic fur improbior eſt, *l. 1. §. 1. D. hoc tit. l. 4. § 1. D. de incend. ruin. naufrag.* Itemque in eo, qui ob debitum ipſius viri, vel ob civile munus pignori capit res uxoris, *l. 1. C. hoc tit.* denique etiam in creditore, qui non per judicem quid repetiit, licet vulneratus fuerit nemo, *l. 13. D. quod met. cauſ. l. pen. & l. ult. D. h. tit.* Quanquam ſi quis debitori ſuo fugienti, & nummos ſecum auferenti, eos extorſerit, id impune eſt, *l. ait Praetor 10. §. ſi debitorem 16. D. quae in fraud. credit. l. qui vas 48. in princ. D. de furt. l. generali 54. C. de decurion. lib. 10.*

L. 10. D. ad leg. Cornel. de falſis.

De eo, qui ei, in cujus poteſtate eſt, eique, qui in eadem poteſtate eſt, adſcripſerit, nihil ſenatusconſultis cavetur: ſed hoc quoque caſu committitur in legem; quia hujus rei emolumentum ad patrem dominumve pertinet, ad quem pertineret, ſi filius ſervusve ſibi adſcripſiſſent.

LEx Cornelia de falſis origine ſua tantum ad teſtamenta pertinuit, cui Libonianum S.C. adjectum eſt, quod & Claudiano deinde firmatum. His Senatusconſultis ita cavetur, ut ſi quis, cum al-

inde eſt, ac ſi ſibi filiusfamilias aut ſervus adſcripſerit: pariter enim hoc poſteriore caſu legati commodum patrifamilias vel domino acquireretur, ſi quidem quicquid filiusfamilias aut ſervus acquirit, patri dominove acquirit, uti notum. Itaque Senatuſconſultis hoc modo fraudem fieri vetat ratio, quorum ſententiam ab omni falſi ſuſpicione alienam ſi ſpectamus, adſcribere ſibi legatum non modo is videtur, qui manu ſua ſibi adſcripſit, ſed & cui ſervus, & filius, quem in poteſtate habet, adſcripſit, *d. l. Divus Claudius* 15. *in princ. & verſic. ſcribere. D. hoc tit.* Idemque de fratribus, in ejusdem patris poteſtate conſtitutis, dicendum eſt eadem cauſa, ut hic. Quanquam ſi teſtator ſpeciali ſubſcriptione ſua profeſſus ſit dictaſſe ſe ſervo cujuspiam, ut domino ejus legatum ab heredibus ſuis daretur, legatum quidem hoc pro non ſcripto eſt, ſed tamen dominus ab Imperatore veniam impetrat, ut legis Corneliae poenis eximatur, *d. l. Divus Claudius* 15. §. 1. *in fin. D. h. t.*

§. 1.

Illud conſtat, ſi extraneo quis adſcripſerit legatum, licet poſtea vivo teſtatore in poteſtate eum habere coeperit, Senatuſconſultis locum non eſſe.

Lege Cornelia & Senatuſconſultis tenetur qui legatum ei, quem in poteſtate habet, adſcripſerit, *l. filius emancipatus* 14. *in princ. D. h. t.* Quid ſi extraneo ſit adſcriptum, qui deinde in adſcriptoris poteſtatem venit? Valet adſcriptio: licet enim, quando in eum caſum res venerit, a quo incipere non poterat, infirmari quod actum eſt regula quaedam tradat, in *l. exiſtimo* 98. *D. de verb. obl.* §. 2. *verſ. item contra, Inſtitut. de inut. ſtipul.* tamen ea in plerisque parum vera, & initium cujusque actus cernitur magis, *l. pluribus, penult. §. & ſi placet* 2. *D. de verb. obl. l. 6. §. ſurdus* 1. *D. qui teſtam. fac. poſſ. l. pro parte* 11. *D. de ſervit. l. 1. in princ. & l. adminiſtrantes* 41. *§. eorum* 2. *D. de excuſ. tutor. l. in ambiguis* 85. §. 1. *D. de reg. jur.*

l. 3. D. ad leg. Jul. Repetund.

Lege Julia repetundarum tenetur, qui cum aliquam poteſtatem haberet, pecuniam ob judicandum, decernendumve acceperit.

DE crimine repetundarum a Decemviris ita cautum eſt, ut ſi Judex arbiterve pecuniam ob rem judicandam accepiſſe convinceretur capitale eſſet. Teſtis Gellius *lib.* 20. *cap.* 1. Sed eam ſeveritatem poſterior aetas temperavit, & exilio aut extra ordinem plecti hi coepere, *l. 7. §. hodie* 3. *D. h. t.* Ex hoc ipſum ita demum, ſi dolo malo & in fraudem legis factum id ſit: ut puta ſi gratia, vel inimicitiae, vel largitio, ſordesve arguantur evidenter, ut hic, in verb. *Pecuniam*, & in *l. filiusf.* 15. *D. de judic.* Quo caſu etiam ex ſanctione Conſtantini, & ſumptus & ſolidam litis aeſtimationem praeſtat judex, & infamis fit, *l. 2. C. de poen. judic. qui mal. judic.* Quinetiam ſi judex, pecunia corruptus, perperam judicavit; nulla ſententia eſt ipſo jure *l. 7. C.* dicum corruptelis hoc loco traduntur, non repugnat *lex 6. D. de off. Proconſ. aut lex* 18. *D. de off. Praeſ.* in quibus xenia accipere is, qui in officio eſt, non vetatur: etenim ad ea demum munuſcula pertinent leges illae, quae & uſum edulium non excedunt, & intra dies pauculos prodiguntur, *iiſdem ll.*

L. 5. D. eod. tit.

In comites quoque Judicum ex hac lege judicium datur.

Comites eodem ſenſu hic dicuntur, quo in *l. Senatuſconſulto* 16. *D. de off. Praeſ. & l. adminiſtrantes* 41. *§. eorum* 2. *D. de excuſat. tutor.* Enimvero lex Julia repetundarum non ad eos tantum pertinet, qui in magiſtratu, poteſtate, legatione, curatione, vel quo alio munere publico quid accipiunt, ſed etiam ad miniſtros, ſcribas, libertinos, praecones, qui cum his iter faciunt, & conſcientia ſcelerum obſtringuntur, hic, & in *l.* 1. in verbis, *vel cum ex cohorte cujus eorum eſt. D. hoc titul.* quod etiam in atrocioribus aliis factis obtinet, ut *l. 2. & l. 6. D. ad leg. Pompej. de parric. l. 1 §. qui eam. l. liberorum* 11. *l. non alia* 19. *D. de his qui not. infam. l. 1. §. ſervus* 3. *D. ad S. C. Syllan. l. 1. §. qui puero* 2. *D. de extraor. crimin. l.* 11 *verſ. quisquis, in fin D. ad leg. Jul. majeſt. §. alia* 6. in verbis, *vel conſcius criminis fuerit. Inſtit. de pub. judic.*

L. 7. D. eod. tit.

Lex Julia de repetundis praecipit, ne quis ob judicem arbitrumve dandum, mutandum, jubendumve, ut judicet: neve ob non dandum, non mutandum, non jubendum, ut judicet: neve ob hominem in vincula publica conjiciendum, vinciendum, vincirive jubendum, exve vinculis dimittendum: neve quis ob hominem condemnandum, abſolvendumve; neve ob litem aeſtimandam, judiciumve capitis, pecuniaeve faciendum vel non faciendum, aliquid acceperit.

POtiſſima pars hujus legis expoſita eſt in *l.* 3. ſupra *eod.* Quod dixerat Macer paucis, explicat plenius, munera pleraque magiſtratuum enumerans, in quibus ſi per avaritiam peccetur, legi Juliae repetundarum locus erit. Quod de judice dando ait, ex more priſco accipiendum eſt: judicabant enim magiſtratus ipſi raro; judices alios ſaepius dabant, qui Pedanei dicebantur in *l. eum Praetor* 12. *§. 1. D. de judic. l. 1. §. ſi quis* 3. *D. de appell. l. 1. D. qui & a quib. appell. & l. 1. C. de pedan. judic.* Ideoque etiam Jurisdictionem Ulpianus licentiam judicis dandi definit, *l. imperium* 3. *D. de juriſdict. omn. judic.* Ab his ad eos, qui dediſſent, fiebat appellatio, *d. l. 1. D. quis & a quo appell. & l. praecipimus* 32. *C. de appell.* Arbitros autem, qui a magiſtratibus dantur, cum Judicibus conjungit etiam Macer, ut & Juriſconſulti in *l. a Divo Pio* 15. *& l. furioſo* 9. *D. de re judic. &* Juſtin. *in §. 1. Inſtit. de act.* quoniam ut hi ſtrictis; ita illi bonae fidei actionibus diſceptandis adhibentur, ut paſſim in titulis *de judic.* & *famil. erciſcund. comm. divid. fin. regund.*

Digitized by Google

bellum apud magiſtratum inſinuetur, probeturque, *l. ſi pariter 9. D. de liber. cauſ. d. l. ult. C. de judic.* & *Nov.* 53. Sed & ſi judex datus vita deceſſiſſet, alius in locum ejus ab eodem magiſtratu ſufficiebatur, cui Subdito nomen fuit, *l. ſi judex* 32. & *l. mortuo* 60. *D. de judic.* ita tamen ut haec judicis dati mutatio aliud judicium non faceret, *d. l. proponebatur* 76. Jubendi vero judicis ideo meminit Macer, quia de qua re cognoverat judex datus, de ea quoque pronuntiare jubebatur, *l. 24. in princ. D. de judic. l. 3. §. ult. D. de vacat. & excuſ. muner.*

Inter munera autem magiſtratuum etiam lites aeſtimandae hoc loco recenſentur: quibus verbis non quidem id, quod intereſt, intelligitur; ſed pretium ejus rei, de qua lis eſt, *l. 3. D. pro empto.* Cic. clare in *Cluentiana.* Hinc jurare in litem is dicitur, qui jurejurando, quod Judex detulit, litem aeſtimat, hoc eſt, ea omnia, quae in condemnationem venire putat, certo pretio certaque ſumma comprehendit, *tit. de in lit. jurand.*

§. 1.

Apparet autem quod lex ab exceptis quidem in infinitum capere permittit: ab his autem, qui hoc capite enumerantur, a nullo neque ullam quantitatem capere permittit.

Lex Julia repetundarum poſtquam munera accipere prohibuit magiſtratum, exceptionem hanc adjecit, *Niſi a quibus licet accipere; puta ſobrinis, propioreve gradu cognatis, & uxore, l. 1. in fin. D. hoc tit.* & hos Exceptorum appellatione Macer intelligit. Quod autem ab his in infinitum capere licere ait; quemadmodum ſit accipiendum, aliaque in hujus loci ſententiam docet Obſervator *lib. 6. cap.* 18. ubi etiam verſiculi ſequentis lectionem emendat.

§. 2.

Illud quoque cavetur, ne cui acceptum feratur opus publicum faciendum, frumentum publice dandum, praebendum, apprehendendum, ſarta tecta tuenda, antequam perfecta, probata, praeſtita lege erunt.

Senſus eſt: ſi quis opus publicum faciendum aut reficiendum ſuſceperit, aut conduxerit, vel frumentum pecuniamve frumentariam Reipub. debeat, atque is, qui miniſterio publico fungitur, perfectum opus, probatum praeſtitumque frumentum falſo profiteatur, lege Julia tenetur: pertinetque hic §. imprimis ad magiſtros, ſeu curatores operum publicorum, itemque ad coactores publici frumenti, menſoreſve. De illis quidem mentio in *l. 1. in princ. l. 2. §. curatores 1. D. de oper. publ.* & apud Paul. *lib. 5. ſentent. tit.* 6. §. 2. de his autem in *l. menſores 26. D. de excuſ. tutor. l. in honoribus* 8. §. 1. *D. de vacat. & excuſ. muner. & l. 1. C. de condit. in publ. horr. lib.* 10. Caeterum non *apprehendendum*, aut non *appendendum*, ſed *approbandum* Cujacius hoc loco reponit recte, *lib. 11. Obſerv. cap.* 22.

rint, calore tamen inducti interfecerint vel innocentem, vel quem punire non debuerant? capite plecti debent, vel certe in inſulam deportari; ut plerique puniti ſunt.

De criminis repetundarum poenis iterum hoc loco Macer, de quibus ante dictum in *l. 3. ſupra.* Merito autem lex poenam ejus gravat, qui ad hominem morte damnandum quid acceperit, quod etiam extat *l. 1. §. 1. & in l. 4. in princ. D. ad leg. Cornel. de ſicar.* quia & atrocius factum iſtius. Viciſſim judicem illum, qui, pecunia accepta, nocentem abſolverit, damnari repetundarum Paulus tradit *lib. 5. ſent. tit.* 16. eademque poena affici, qua reus, quem liberavit, damnari potuiſſet. Ideoque olim Verres, horum ſcelerum ſibi conſcius, & poenam capitalem metuens, ante exitum accuſationis fuga ſibi conſuluit. Poſtremo etiam magiſtratus, qui non quidem pretio corruptus, ſed calore iracundiae correptus, innocentem morti addixit, etiam morte aut certe deportatione puniendum cenſet hoc loco Macer recte: quia in his talibus propter triſtitiam eventus & exempli atrocitatem non excuſat ira, quod factum eſt, *l. obſervandum* 19. *D. de offic. Praeſ. & l. ſi in rixa* 17. *D. ad leg. Corn. de ſicar.* imo nec culpa, *l. 2. D. de term. mot. l. eum qui 5. C. ad leg. Corn. de ſicar. l. qui aedes 9. D. de incend. rui. naufr. & l. ſi quis 38. §. qui abortionis 5. D. de poen.* Explicit autem liber prior noſtri hujus. Offertur ecce primum e ſecundo

Lex. 14. D. de off. Praeſid.

Divus Marcus & Commodus Scapulae Tertyllo reſcripſerunt in haec verba: Si tibi liquido compertum eſt, Aelium Priſcum in eo furore eſſe, ut continua mentis alienatione omni intellectu careat, nec ſubeſt ulla ſuſpicio matrem ab eo ſimulatione dementiae occiſam: potes de modo poenae ejus diſſimulare, cum ſatis furore ipſo puniatur: & tamen diligentius cuſtodiendus erit, ac, ſi putabis, etiam vinculo coercendus: quoniam tam ad poenam, quam ad tutelam ejus, & ſecuritatem proximorum pertinebit. Si vero, ut plerumque adſolet, intervallis quibusdam ſenſu ſaniore, non forte eo momento ſcelus admiſerit, nec morbo ejus danda eſt venia, diligenter explorabis: & ſiquid tale compereris, conſules nos, ut aeſtimemus an per immanitatem facinoris: ſi cum poſſet videri ſentire, commiſerit, ſupplicio adficiendus ſit. Cum autem ex literis tuis cognoverimus, tali eum loco atque ordine eſſe, ut a ſuis vel etiam in propria villa cuſtodiatur, recte facturus nobis videris, ſi eos, a quibus illo tempore obſervatus eſſet, vocaveris, & cauſam tantae negligentiae excuſſeris, & in unumquemque eorum, prout tibi levari vel onerari culpa ejus videbitur, conſtitueris. Nam cuſtodes furioſis non ad hoc ſolum adhibentur, ne quid pernicioſius ipſi in ſe moliantur,

Digitized by Google

mendatione inſeriorem Principes arbitrati. Priorem articulum ex reſcripti ſententia dirimit furioſorum nota diſtinctio: Perpetui nempe quidam; alii autem intermittentes, hic & *l. pen. C. de curat. furioſ.* Furor perpetuus triſtiſſimis factis conciliat impunitatem, etiam parricidio, ut hic *in princ. & in l. pen. D. ad leg. Pomp. de parr. l. quod infans* 60. *D. de rei vindic. l.* 3. §. 1. *D. de injur. & fam. libell. & l. impunitas* 7. *C. de poen.* Petantur ex hoc reſcripto cauſae duae. Prior, quia crimen admitti ſine intellectu & voluntate non poteſt, *l.* 1. *D. ſi quadrup. paup. fec. dicat l. perſpiciendum* 11. §. *delinquitur* 2. *D. de poen. l. omne delictum* 6. *D. de re milit. d. l.* 3. *d.* §. 1. *D. de injur.* Ubi autem furor perpetuus eſt, illa deficiunt, *l patre* 8 *D. de his qui ſunt ſui vel alien. jur. l.* 2. *D de contrah. empt. l. qui ſervum ſuum* 47. *D de acquir. haered. l. furioſi* 40. *D. de reg. jur.* & hic, in verbis, *ut omni intellectu careat.* Quare hinc fit etiam ut in aliis cunctis, quae praeſentiam animi deſiderant, id genus furioſi pro abſentibus vel invitis habeantur, ut *l. qui furere* 20 *D. de ſtat. homin. l. furioſum* 9. *C. qui teſtam. fac. poſſ. l. ſi cum dotem* 22. §. *ſi maritus* 7. *D. ſolut. matrim l.* 2. §. *furioſi* 3 *D. de jur. codicill. l.* 1. §. *ult. l. ſi a furioſo* 24. *D. de oblig. & act. l.* 1. §. 1. *& l.* 27. *D. de adquir. poſſeſſ. l.* 4. §. *furioſus* 3. *D. de uſurp & uſucap. l.* 4. *D. de divort. l. ſi nepos* 9 §. 1. *D. de rit. nupt. l.* 2. §. *ſi quis ex liberis* 11. *D. ad S. C. Tertull. l. ult. C de curat. furioſ. & in* §. *item furioſi.* 1. *Inſtit. quib. non eſt perm fac. teſtam.* apud Juſtinian. Eamque ob cauſam admiſſam a ſomniante caedem venia dignam putat Bartol. *in l. pen. D. ad leg. Pomp. de parr. l. ſummum* 24. §. 2. in verbo *vitium. D. de damn. infect. l. ſi ſervus ſervum* 27. §. *ſi fornicarius* 9. *& l. qui occidit* 30. *D. ad leg. Aquil.* Altera ratio, eaque, ex communi humanitate deprompta, ſubeſt illis verbis, *quia ſatis furore ipſo punitur.* Quo etiam argumento utitur Imperator in *l. infans* 12. *D. ad leg. Corn. de ſicar. & l. pen.* verſ. *ſufficere. D. ad leg. Pomp. de parr.* & confirmat M. Tullius in Oratione *de Aruſp. reſp.* ubi cenſet majorem nullam divinitus immitti poſſe poenam furore atque dementia. Sane cum plures pro eodem delicto poenas irrogari jura prohibeant, *l. Senatus* 14. *D. de accuſat. l. quod Senatus* 6. *D. de injur.* immane fit in atroci ea poena verſanti poenam aliam adjicere. Unde ejuſdem moderationis & miſericordiae intuitu ſcripſit Baldus in *l. humanitatis* 9. *C. de impub. & aliis ſubſtit.* & Alexander in *l. ex facto* 43. *D. de vulg. & pupil.* ex cauſa criminis, ante furorem perpetrati, furioſum poena corporali relevari: non quod furor ſuperveniens praeſtet inſontem, ſed quia is furor (dummodo abſit ſimulatio) ſatis grave ſupplicium eſt. Caeterum prius quam ad alteram furoris ſpeciem progrediamur, de qua, in §. *ſi vero*, vulgaris lectio emendanda eſt in verſiculo, *Quoniam tam ad poenam*, interpoſita negatione hoc modo: *Quoniam non tam ad poenam*, vel, *Quod non tam ad poenam* & reliqua: primum, ne a ſe ipſis diſſideant Imperatores, qui furioſo parricidae infligendam poenam ullam ante negarunt: deinde hoc fine, ut ne repugnans, ſed conſentiens potius aliis legum placitis emergat oratio, quae vincula & compedes cuſtodiae cauſa haberi monent, non ſupplicii, neque carceribus abutendum eſſe ad poenam, *l. aut damnum* 8. §. *ſolent* 9. *D. de poen. l.* 1. *C. de cuſtod. reor.* quia ratione vinculorum uſus & finis poena non eſt, ſed diligentior cuſtodia duntaxat *dd. ll.* licet inter poenarum genera τὰς δεσμὰς referat Plato *lib.* 10. *de legib.* & carceres quoſdam ad homines cuſtodiendos, quosdam ad puniendos inſtituat: quod & Pontificibus placuit magis, *cap. quamvis* 3. *de poen. in* 6.

De eo, cujus furor quaſdam inducias & intervalla ſortitur, ſic dicendum: ut ſi per id tempus caedem admiſerit, perinde teneatur ac ſi mente infirma fuisſet nunquam; ut hic. Sicque actus alios furioſorum per intervalla illa initos conſtat eodem jure cenſeri ac ſi ab hominibus profecti eſſent ſanis ſemper, *l. patre furioſo* 8. *D. de his qui ſui ſunt vel al. jur. l. cum praetor* 2. *l. cum furioſus* 39. *D. de judic. l.* 2. *l.* 10. §. *qui furioſi. D. qui teſtam. fac. poſſ. l. furioſum* 9. *C. eod.*

Quod tamen ſeſe a Praeſide conſuli prius jubent Impp. quam quid ſuper Aelii Priſci parricidae cauſa ſtatuant, de more temporum illorum eſt: neque enim tantum fieri quaedam inconſulto Principe jus ordinarium vetabat, ut decurionibus poenam decerni, *l.* 1. *D. quand. appell. ſit l.* 15. *& l.* 28. *D. de poen.* aut muros publicos, portas, aedificia publica ſtrui, *l.* 6. *D. de oper. publ.* aut interpretationem conſtitutionibus obſcurioribus accommodari, *l.* 1. *C. Theod. de relat.* ſed etiam ſuper privatis quibuſdam negotiis conſuli ſeſe interdum praecipiebant Imperatores, ſibique jus definiendae rei reſervabant, ut hic, & *l.* 1. *C. vectig. nov. inſt. non poſſ.*

In verſic. *cum autem* & ſeqq. ſermo eſt de furioſorum cuſtodibus extraneis gentilibusve puniendis, ſiquidem furioſi in ſe aut alios quid admiſerint: idque in tantum, ut cuſtodum ipſorum negligentia culpae ac ſceleri etiam adſcribatur, ut hic. Quo exemplo militem quoque, aut commentarienſem, cujus imprudentia reus evaſerit, corpore poenas luere traditum eſt in *l. non eſt facile* 14. *D. de cuſtod. reor. & l.* 14. *C. eod.* Sicque alia ſine dolo malo & per incogitantiam admiſſa placuit eſſe non impune, propter triſtitiam & infelicitatem eventus, & odium mali exempli; veluti caedem in *l.* 4. §. 1. *D. ad leg. Cornel. de ſicar. l. aut facta* 16. §. *eventus* 8. *D. de poen. Nov. Valentin. de homic. caſ. fac. Deuteron. cap.* 19 *verſ.* 4. lapidum finalium amotionem, *l.* 2. *D. de term. mot.* aedium incendium aut frumenti, *l. qui aedes* 9. *D. de incend. ruin. nauf.* poculi amatorii vel abortionis praebitionem, *l. ſi quis aliquid* 38. §. *qui abortionis* 5. *D. de poen.* omiſſam mercium apud publicanum profeſſionem, *l. ult.* § *Divi quoque* 6. *D. de pub.* eoque pertinet *lex* 1. *D. de leg.* ubi Lex etiam ἀκουσίων ἁμαρτημάτων ἐπανόρθωμα nuncupatur.

L. 63. D. de furt.

Non poterit Praeſes Provinciae efficere ut furti condemnatum non ſequatur infamia.

QUoties privatum furti judicium criminaliter exercetur, infamiam perpetuam infligit condemnatio, hic, & *l. infamem* 7. *D. de pub. jud. l. furt* 6. *l. quid ergo* 13. §. *ult. D. de his qui not. infam. l. ſi te* 12. *C. eod.* Paul. *lib.* 2. *ſent. cap.* 31. tamque inſita huic judicio labes ea eſt, ut nec Praeſides ita damnatorum ſervare famam poſſint, licet Praeſidum poſt Principem in provinciis regimen ſummum *l* 4. *D. de off Praeſ. Nov.* 17. Et cum infamia facto

Digitized by Google

tio non fungitur, *l. 8. D. de interdict. & releg. l. Pedius 7. D. de arbit. l. Divus 40. D. de injur. l. 8. C. de decur. & l. 2. C. de dignit. lib.* 11. nec judicio publico accuſat, dicam in *l. qui accuſare* 8. *D. de accuſat.* nec aſſidet magiſtratibus, *l. 2. D. de off. aſſeſſ.* nec eo in loco moratur, ubi Princeps, *l. 2. §. ignominia* 4. *D. de his qui not. infam. l. 3. C. de re milit. lib.* 12. nec militat, *l. 2. §. miles* 3. *D. de his qui not. inf.* & haeres inſtitutus per querelam fratris excluditur, *l. fratris* 21. *C. de inoff. teſtam.* & poenam ex cauſa criminis fert duriorem, *l. capitalium* 28. *§. ult. D. de poen.* Sed enim *damnatum* ideo Macer dixit, quia, pendente judicio publico privatove, infamiae nondum locus, *l. 1.* in verbis, *Publico judicio damnatus, D. de his qui not. infam. d. l. infamem 7. D. de pub. jud.* Atque adeo definitivam ſententiam, & a qua appellatum non ſit, intervenire ad infamiam neceſſe eſt; quis maculam interlocutio non aſpergit, *l. 13. §. quantum* 6. *D. de his qui not. infam. l. 1. D. ad S. C. Turpil. l. ult. §. ult. D. de temp. appell.* Porro quod de damnato furti ſtatuitur, etiam ad eum licet extendas, qui non expectato judicio declinandae poenae cauſa pretio pactus eſt: nam & hic pro damnato habetur & infamis, *l. 4. §. ult. D. de his qui not. inf. l. ult. D. de praevar. l. 1. D. de confeſſ. & l. 4. D. de jur. fiſ.*

Verum quaeras, an igitur clui infamia vel declinari remedio nullo poſſit; & conſtat duobus potiſſimum modis poſſe. Ecce enim, ſi furti vel famoſi alterius criminis reo poena major, quam quae legibus conſtituta eſt, irrogetur, ita condemnati integra manet exiſtimatio, *l. quid ergo* 13. *§. poena* 7. *D. de his qui not. inf.* veluti ſi damnatus furti in duplum aut in quadruplum exilio multatus ſit, vel ſi annali exilio multandus, quinquennali multatus ſit: quia ſeveritate ſententiae de exiſtimatione cum reo tranſactum eſt, *l. ordine* 15. *D. ad municip. l. generaliter* 3. *& l. ad tempus* 5. *D. de decur. l. 20. §. ult. D. de poen. l. 4. §. ad tempus* 4. *D. de re mil. & l. 4. C. ex quib. cau. inf. irrog.* Et ideo verba haec Macri de eo Praeſide accipi debent, qui vel legitimam vel certe clementiorem poenam infligit; quoniam utique reum infamia liberat Praeſes, qui legis modum excedit: ne alioqui ſaevitiae, aut nimiae ſeveritati locus detur. Porro autem ſervat aut reſtituit exiſtimationem Principalis reſtitutio, *l. 1. §. hoc edicto* 8. *& §. pro qua ſententia* 10. *D. de poſtul. l. ſolet a Principe* 10. *D. de his qui not. infam. l. ſi qua mulier.* 4. *C. ad S. C. Tertyll. l. 3. §. lege Julia* 5. *D. de teſtib.* quod beneficium emendatione vitae motus indulget ſaepe Princeps, *l. imperialis* 23. *C. de nupt.* non tantum iis, qui privato, ſed etiam qui publico judicio damnati ſunt, *l. un. D. ad leg. Jul. de amb. l. marito* 24. verſ. *quive judicio. D. ad leg. Jul. de adult. d. l. 1. dd. §§. D. de poſtul.* Quam ob cauſam non haec poſſe neminem Macer dixit, ſed non haec poſſe Praeſidem; quia quod non poteſt ipſe Praeſes (ut puta infamia notatos) in integrum reſtituere, poteſt Princeps: quem duriora juris ordinarii vincula non conſtringunt, *d. l. 1. §. an autem. D. de poſtul.* Poſſe alia pleraque unum Principem ſupra Judicum & Magiſtratuum ſita nutum, variis exemplis probare eſt, ut ex *l. ſi motus Jrbitrarios* 16. *D. qui teſtam. fac. poſſ. l. 1. D. a quib. appell. non lic. l. 3. §. in ſumma* 1. *D. de colleg. & corp. l. ult. D. de natal. reſtit. l. un. C. de leg. l. un. C. de his qui a Princ. vocat. accep. l. nemo judex* 14. *C. de decur. & fil. eor. eo lib.* 10. *l. un. C. de coll. donat. eod. l. teſtamenta* 18. *l. ſi non ſpeciali* 9. *C. de teſtam. l. 3. C. de his qui ven. aetat. impetr. § 2. Inſtit. de adopt. & Nov.* 260.

ctoritas rei judicatae non paritur, beneficio ſuo extinguit; quod Accurſius non advertens nimis tenebris implicat ſeſe.

L. 40. D. de injur. & famoſ. libell.

Divus Severus Dionyſio Diogeni ita ſcripſit: *Atrocis injuriae damnatus in ordine decurionum eſſe non poteſt. Nec prodeſſe tibi debet error Praeſidum, aut ejus, qui de te aliquid pronunciavit, aut eorum, qui contra formam juris manſiſſe te in ordine decurionum putaverunt.*

QUamvis privati judicii querelam injuriarum cauſa contineat, *l. infamem 7. D. de pub. jud.* quod apud Graecos contra habuiſſe ex Plutarcho colligitur in Solone: quemadmodum tamen furti actionem eſſe famoſam tradidit Macer, *l. non poterit* 63. *D. de furtis*, ita hoc loco cenſet illam: quod confirmatur ex *l. 1. §. 1. D. de his qui not. infam. & l. 7.* verſ. *quia qui famoſam. D. h. t.* & ex Paulo *lib. 5. ſent. tit.* 4. Neque alia cauſa eſt, cur actio injuriarum liberto adverſus patronum denegetur, *l. 2. D. de obſeq. l. non ſolum* 11. *§. quanquam* 7. *hoc tit.* imo & qui propter injuriam ſervo factam damnatus eſt, famoſus fit, *l. qui ſervum* 34. *D. de obl. & act.* Ideoque ſi quis ſervum in opprobrium domini verberaverit, recte ſuo, recte ſervi nomine aget dominus injuriarum, *l. item apud Labeonem* 15. *§. praetor.* 34. *& § ult. D. hoc tit. l. injuriarum* 10. *C. quib. ex cauſ. infam. irrog. d. l. qui ſervum* 34. Et hac in parte correcta primum a Praetoribus Juris antiquiſſimi mollities eſt, quandoquidem ex legibus duodecim poena injuriarum viginti quinque aſſes fuerant demum. Teſtis Gell. *lib.* 20. *cap.* 1.

Verumtamen non ex cujuslibet injuriae cauſa infamiam irrogari, atrocitatis mentio inſinuat. Enimvero lubricum linguae, aut leve convitium, quod per iram vel indignationem juſtam forte exciderit, aut levis pulſatio, vel levi poenae ſubjacet, vel impune eſt, *d. l. 7. §. praeterea* 2. in verbis, *qualitas injuriae. D. hoc tit. l. famoſi* 7. *§. nec lubricum* 3. *D. ad leg. Jul. majeſt. l. alimenta §. 1. D. de liber. hom. exhib. & l. 1. C. ſi quis Imper. maled.* ut Angelum, in *l. infamem* 7. *D. de pub. jud.* & Jul. Clarum *lib. 5. ſent.* conſtet opinione ſua deceptos, qui levem propter & modicam injuriam condemnatos, infames tamen fieri crediderunt: quod & huic loco, & ſimilibus ante dictis, atque adeo moderationi juris civilis adverſatur. Gravem autem injuriam & atrocem modo tempore fieri aut creſcere, modo loco, modo perſona, modo magnitudine vulneris, modo carmine, vel libello, & varios in his ſingulis eſſe anfractus docent Juriſconſulti in *d. l. 7. §. ult. & l. vulneris* 8. *& l. lex Cornelia* 5. *§. ſi quis* 9. *& l. quod Senatusconſultum* 6. *D. hoc tit. l. ſi ſervus ſervum* 27. *§. rupiſſe* 17. *D. ad leg. Aquil. l. ob carmen* 21. *D. de teſtib.* Juſtinian. *in §. atrox* 9. *Inſtit. de injur.* & Paulus *d. loco.*

Caeterum quod injuriarum damnatum ordine decurionum expellit Imperator, rationis eſt manifeſtae, quia infamia damnationis ejus comes magiſtratibus cunctis arcet, adimitque jam quaeſitos, *l. 8. C. de decur. & fil. eorum lib. 10. l. 2. C. de dignit. lib.* 12. dixi in *l. non poterit* 63. ſupra *de furt.* Neque mutat, quod ſpurii & inceſtuoſi ad decurionatum admittuntur, *l. 3. §. ſpurios* 2. *l. 6. D. de decur.* Etenim

Digitized by Google

mere haut poteſt Praeſes, in *d. l. non poterit* 63. ſupra *de furt.* ita nec damnatum injuriarum poteſt in decurionatu retinere error idem Praeſidis, ut hic. Neque obſtat auctoritas rerum judicatarum, quae Juris & veritatis loco habentur, etiam ubi inique judicatum eſt, *l. cum Praetor* 12. *D. de judic. l. exceptio* 28. *D. de re judic. l. pupillo* 27. *D. de tutor. & curat. dat. & l.* 107. *D. de reg. jur.* Hanc quippe juris regulam exceptiones multae reſtringunt: haec imprimis, Niſi legibus & Conſtitutionibus aut naturae ipſius inſtitutis ſententia ita repugnet, ut ſupino nimis errore, & dolo, & ſordibus lata videatur evidenter. Nam hoc genus ſententiarum concidit ipſo jure, & citra neceſſitatem appellationis, *l. ſi expreſſim* 19. *D. de appell.* Exempla habes in *l. ex diverſo* 17. *§. ult. D. ſolut. matr. & l.* 1. *§. item* 1. *D. quae ſentent. ſine appell. reſcin.* Et vero cum judicio injuriarum damnum exiſtimationis infligatur jure civili, quod ea quoque in parte juri naturali perpetuo & immutabili conſenſit, turpia haec admiſſa cenſenti, damnantique, conſequens eſt, ut proſit tantus error nemini. Adde, quod, cum ſolus Princeps actione famoſa condemnatum famae aut magiſtratui reſtituat (uti dictum probatumque in *d. l.*) non poterit, fruſtra eam reſtitutionem auſit Praeſes, aut per inſcitiam in re tam trita & ſolenni labatur.

Quae proxime ſequitur *lex* 9. *D. de ſepulc. viol.* expoſita eſt cum *l.* 8. *ejuſdem tit.* ſupra *lib.* 1.

L. 4. D. de Praevaric.

Si is, de cujus calumnia agi prohibetur, praevaricator, in cauſa judicii publici pronuntiatus ſit, infamis erit.

PRaevaricationem in judicii publici cauſa admiſſam conſtat, reum eidem poenae ſubjicere, quae reo per praevaricationem abſoluto debebatur, *l. ab Imperatore* 6. infra *h. t.* dixi *in l.* 3. *eod.* ſupra *lib.* 1. Certe famoſa illa perpetuo eſt, hic, & *l.* 4. *D. de his qui not. inf.* quia crimen publicum eſt, & quiſquis judicio publico damnatur infamis fit, *l. infamem* 7. *in princ. D. de pub. jud. l.* 6. *§.* 1. *D. ad leg. Jul. repet.* Adeo hoc verum, ut ne eorum quidem praevaricatio eximatur infamiae, qui calumniae accuſari & eo nomine infamiam pati non poſſunt, quod ſcilicet falſum crimen intenderint, aut defecerint probationibus: quos etiam in poenam Senatuſconſulti Turpil. non incidere tradit Macer in *l. in S. C* 15. *in §. eos* 2. *D. ad S. C. Turpil.* Eorum vero dum meminit, de quorum calumnia agi non poteſt, tutores primum & curatores intelligit; quoniam hi, cum ex officio & periculo ſuo res pupillorum & adoleſcentium adminiſtrent, calumniari in cauſis talibus non cenſentur; ut *l.* 2. *C. qui accuſ. non poſſ.* Secundo foeminae intelligendae ſuam vel ſuorum injuriam perſequentes. Ecce enim mater, quae filii ſui necem indicat, & hominem ſibi ſuſpectum accuſat, ſi eum non convicerit, excuſatur a calumniae praeſumptione, *l. ult. D. de pub. judic. l.* 2. *C. de calumn.* ſicuti calumniae poena viciſſim in paternae vel maternae mortis accuſatione ceſſat, *l.* 1. *in pr. D. ad S. C. Turpill. l.* 4. *C de calumn.* Tertio intelligit quemvis extraneum, qui juſſu teſta-

cenſeat Macer, cauſa ex ſuperioribus apparet; quoniam hae quidem ſine calumniandi animo poſſunt reum non convincere, at praevaricari, id eſt, in adverſam partem ſeſe conferre, & abſolutioni magis, quam condemnationi, ſtudere ſine dolo malo non poſſunt. Adde, quod ejuſmodi perſonarum praevaricatio publicum meretur odium magis: ſi quidem neceſſitate muneris aut vinculo ſanguinis accuſare tenentur, atque etiam ea diſſimulatione & oſcitantia ſocietatem & conſcientiam criminis pene fatentur. Sed & generaliter atrociorem praevaricationem eſſe calumnia, poteſt hac ratione contendi; quoniam calumniator privato homini facit injuriam; praevaricator autem publicae cauſae, ad quam publicorum criminum ultio ſpectat imprimis: ut qui ſi quis reo in privati judicii cauſa parcit, non Reipublicae, ſed ſibi fraudem facere eum dices recte; ideoque nec vitio hanc ei rem imputabis, hic, in verbis, *Judicii publici.* dixi in *d. l.* 3 ſupra *h. t.*

L. 7. D. de pub. Jud.

Infamem non ex omni crimine ſententia facit, ſed ex eo, quod judicii publici cauſam habuit. Itaque ex eo crimine, quod judicii publici non fuit, damnatum infamia non ſequetur: niſi id crimen ex ea actione fuit, quae etiam in privato judicio infamiam condemnato importat: veluti furti, vi bonorum raptorum, injuriarum.

HUjus legis capita duo; memoratum utrumque jam aliquoties in his libris. Haec Prioris ſententia eſt. Publicum omne crimen irrogat famae jacturam, hic, & *l.* 1. ubi Accurſ. *D. de his qui not. infam. l.* 3. *§. lege* 5. *l.* 15. *& l.* 18. *D. de teſtib. l. qui teſtamento* 20. *§. mulier* 6 *D. qui teſtam. fac. poſſ. & l.* 6. *§.* 1. *D. ad leg. Jul. repet.* quibus locis etiam idcirco ita damnati, teſtes in judicio eſſe vetantur: & ea cauſa Verrem Dolabellae in Sicilia legatum movit, ut rationes adminiſtrationis ſuae reddere cunctaretur, donec repetundarum damnatus eſſet Dolabella, cujus teſtimonio reprehendi poterat & convinci, Teſtis in Praetura urbana M. Tullius. Attamen judicio publico damnatum infamia notari, verum eſt ita demum, ſi ſuo nomine damnatus ſit: nam alieno nomine famoſo judicio damnatus infamia non notatur; ut curator, procurator, tutor, defenſor, qui pupilli, vel adoleſcentis, vel abſentis amici nomine conveniuntur: aut heres, qui non ex ſua perſona, ſed nomine defuncti convenitur, *l.* 6. *§. ſi quis alieno* 2. *l.* 14. *D. de his qui not. infam.*

Poſteriori capite id repetitur, quod ante ex eodem Macro expoſitum eſt in *l. non poterit* 63. *D. de furt. & l. Divus* 40. *D. de injur. & fam. libell.* ex privatis ipſis judiciis quaedam turpia eſſe famoſaque; ut puta, furti, & injuriarum. Judicium vi bonorum raptorum Macer addit: quam partem firmat Ulpianus in *l.* 4. *§. ult. D. de his qui not. infam.* ubi & de dolo malo, ac fraude judicium famoſum eſſe dicitur: quibus adde ſervi corrupti, *l. nec quicquam* 56. *D. pro ſoc.* Sed & quaedam judicia non ex delicto, verum ex contractu vel quaſi contractu profecta conſtat infamiam irrogare; ut mandati, de-

Digitized by Google

ut mulier, *ut pupillus: alii* propter ſacramentum, *ut qui ſtipendium merent: alii* propter magiſtratum, *poteſtatemve*, *in qua agentes ſine fraude in jus vocari non poſſunt: alii* propter delictum *proprium*, *ut infames: alii* propter turpem quaeſtum; *ut qui duo judicia adverſus duos reos ſubſcripta habent*, *nummosve ob accuſandum vel non accuſandum acceperint: alii* propter condicionem *ſuam*; *ut libertini contra patronos.*

JUs accuſandi quibus competat tota hac lege tractatur, & *l. hi tamen* 11. infr. *eod. tit.* Sane in omnibus juris articulis enarrandis potiſſimam perſonarum eſſe rationem veteres exiſtimarunt: ac prius de earum conditione, quam de juris ratione eſſe quaerendum, *l.* 2. *D. de ſtat. hom. l. juſtiſſime* 44. *D. de aedil. edict. l.* 4 *D. qui teſtam. fac. poſſ. l.* 14. *D. de jur codicill. l.* 3. *D. de teſtib.* Et vero, cum ad publicorum criminum accuſationes cuncti regulariter admittantur, in perſonis modo quibuſdam, ex eo ordine nominatim excipiendis, methodus Juriſconſulti verſatur, ut patere reliquis omnibus accuſationem conſequens ſit. Compendioſa & facilis ea docendi via auctoribus noſtris fere viſa. Sic in tractatu poſtulationum, teſtamentorum, teſtimoniorum, procurationum, de perſonis ſolum, ad eos actus non idoneis, dicere eos paſſim obſerves. Et exemplis talibus convenienter Imperatores *titulo C. qui accuſ. non poſſ.* cujus analyſis quaedam haec lex noſtra eſt, tantum in accuſandi facultate perſonis quibuſdam interdicenda commorantur. Horum autem, quae de accuſationibus hac lege traduntur ad teſtimoniorum quaeſtiones etiam uſus eſt; quoniam qui accuſatores eſſe non poſſunt, hi quidem vix eſt, ut teſtes eſſe poſſint, & contra: nam & accuſatorem inſtar teſtis & teſtem inſtar accuſatoris eſſe dixeris non abſurde, Bartol. in *l. famoſi* 7. *& l. ſeq. D. ad leg. Jul. maeſt.*

Primum foeminas ab accuſando jura prohibent, hic, in *princ.* & *l.* 1. ſupra *eod. l.* 3. *C. eod. de accuſ. l.* 4. *l.* 5. *l.* 12. *C. qui accuſ. non poſſ.* Cauſas duas Macer inſinuat, illis verbis, *Propter ſexum.* Prior eſt, quia virile munus eſt accuſatio, & matronali verecundiae ac pudori non congruens: quam rationem expreſſit J. C. foeminam vetans pro aliis in foro poſtulare vel defendere, *l.* 1. *§. ſexum* 5. *D. de poſtul. l. nec foemina* 54. *D. de procur. l. alienam* 18. *C. eod. de procur. junct. l. maritus* 21. *C. eod.* itemque a foeminis tutelam vetans adminiſtrari in *l. tutela* 16. *D. de tutel. l.* 1. *C. quand. mul. tutel. off. fung. poſſ.* Altera cauſa eſt Naturalis infirmitas ſexus hujuſce, propter quam nec referre poſſunt in fiſcum, *l.* 18. *in princ. D. de jur. fiſc.* nec pro aliis intercedere, aut ſuas res alieni nominis cauſa pignori dare, *l. qui exceptionem* 40. *D. de condict. indeb. l.* 1. *D. de conſt. pec. tit. Pand. & Cod. ad S. C. Vellejan.* quo & pertinet *l in filia. C. de inoff. teſtam. &* §. 1. *Inſtit. quib. alien. lic. vel non.* Cum igitur ſicut in ejuſmodi negotiis, ita in accuſationibus conſilii ac mentis integritas ac voluntatis conſtantia deſideretur, *l.* 1. §. 1. *& §. accuſationem* 10. *D. ad S. C. Turp. junct. l.* 3. *D. de teſtib.* Cic. *Act.* 1. *in Verr.* idcirco reum publico judicio quenquam facere prohibet ſexus infirmior, hic & *d. tt.* eaſdemque ob cauſas populari actione mulierem experiri non poſſe, traditum eſt in *l.* 6. *D. de pop. act.* quanquam in judicio Majeſtatis, ... propter

[illegible] prohibet, a teſtificando item prohibet. Et quidem diſtinctione opus: utique enim in teſtamentis teſtes foeminae nullae, *l. qui teſtamento* 20. *§. mulier.* 6. *D. qui teſtam. fac. poſſ. §. teſtes* 6. *Inſtit. de teſtam ord.* at in judiciis tum criminalibus, tum civilibus teſtimonium mulier dicit recte, *l. ex eo* 18. *D. de teſtib. l.* 2. *D. h. t. d. l. teſtamento* 20. *d. §. mulier* 6. Cauſa diſcriminis haec praecipua; quoniam major in judicio, quam in teſtamento vel contractu, teſtium penuria eſt: defectus vero vel inopia probationum in criminibus perſequendis Reip. nocet nimis. Ideoque abolitum jus antiquius, cui muliebrem fidem in omnibus vulgo cauſis diſplicuiſſe argumento eſt, quod honorem dicendi teſtimonii ſoli omnium foeminarum Tarraciae tributum fuiſſe ſcribit Gellius, *lib.* 6. *cap.* 7.

Ut pupillos exercendae accuſationis incapaces, ſecundo loco, cenſeat Macer, & Ulp. in *l. ſi maritus* 15 *§. lex Julia* 6. *D. ad leg. Jul. de adult.* utque hi ab actionibus popularibus ſimiliter removeantur *d. l.* 6. *D. de pop. act.* non conditio tantum ejus, qui in patris vel tutoris poteſtate eſt, ſed pupillaris etiam aetas facit, quia prope nullum impuberis judicium eſt, *l. ult. D. rem pupill. ſalv. for. l. ult. D. de jur. & fact. ignor. l.* 4. *C. Theod. de falſ. monet. §. pupillus* 9. *Inſtit. de inutil. ſtip.* licet pubertati proximus, quaſi haut prorſum intellectu vacuus, obligetur ex delicto, *l. excipiuntur* 14. *§. ult. D. ad S. C. Syllan.* Et hoc adeo verum eſt, ut ne ex tutoris quidem auctoritate accuſatoris partes obeat impubes, ſicut nec tutore auctore teſtamentum facere aut teſtimonium teſtatori perhibere poteſt, *l. qua aetate* 5. *l.* 19. *& l.* 20. *in princ. D. qui teſtam. fac. poſſ.* Quanquam ubi ad pupillum res pertinet, conſtat ex auctoritate & conſilio tutoris accuſare illum recte; veluti ſi mortem patris exequatur, aut ejus teſtamentum falſum dicat, *l.* 2. ſupra *h. t.* Paul. *lib.* 5. *ſent. tit. de jur. fiſc.*

Milites quoque ab accuſationibus repelli ſtatuitur, hic & *l. deferre* 18. *§. item milites* 6. *D. de jur. fiſc. l.* 8. *C. qui accuſ. non poſſ.* Sic neque miles procurator vel defenſor idoneus eſt, *l.* 8. *§. milites* 2. *l. neque* 54. *D. de procurat. l. militem* 7. *l. ita demum* 13. *C. eod. de procur. & l. milites* 31. *C de locato.* Vide Ambroſ. *lib.* 1. *Offic. cap.* 36. Juris hujuſce aperit Macer cauſas duas. Una eſt, quoniam milites, cum delectus habitus eſt, ſeſe ab ordinibus & ſignis ſuis non receſſuros profeſſi ſunt jurejurando: ideoque, cum jam ſui non ſint arbitrii, publicis accuſationibus exercendis occupari ſine perjurii diſcrimine non poſſunt, *l. pen. D. ex quib. cauſ. major.* Vide Veget. *lib.* 2. *cap.* 5. Ac militaris hujuſce ſacramenti fidem ſeveriſſime ſervari intereſt plurimum publicae pacis; pro qua quidem excubare proprium militum munus, *l mulierem* 13. *D. h. t. l. milites* 15. *C. de re mil. lib.* 12. Altera cauſa eſt, quoniam eos, qui ab Repub. aluntur, & armantur, ac ſtipendia, veſtes, donativa, commeatus, & annonas accipiunt, ratio depoſcit ſolis publicae militiae muniis operam dare, *d. l. milites* 31. *C. de locato. d. l. milites* 15. *C. de re mil. lib.* 12. Utique ex his cauſis factum pariter, ut milites, dicendi teſtimonii cauſſa, non vocentur *l.* 3. *§. teſtes* 6. *D. de teſtib.* Itemque agricultura, conductione, vel adminiſtratione alienarum rerum interdicantur, *l. ſi militem* 5. *C. de condict. ob cauſ. dator. d l. milites* 31. *C. de locato. l.* 7. *C. de fabric. lib* 11. clericorum exemplo, quibus hoc ipſum atque etiam pro alienarum rerum conductoribus aut Publicanis

fi-

Digitized by Google

[illegible] non licere magiſtratui. Po-ſterior, accuſari quoque magiſtratum poſſe a nemine. Confirmatur Prior ex *l. pars literarum* 48. *D. de jud. l. ſi maritus* 15. *in princ.* & *l. ſi adulterium cum inceſto* 38. *D. ad leg. Jul. de adult.* atque adeo, ne ex conſenſu quidem rei auditur Praetor accuſans, quandiu Praetor, *l. ille a quo* 13. §. *tempeſtivum* 4. *D. ad S.C. Trebell.* Enimvero ſuſpecta accuſantium dignitas priſcis: nec voluere nimis adverſarii viribus oppreſſum videri poſſe quenquam. Exempla Cicero profert *pro Metello*, & Valer. *lib.* 8. *cap.* 5. Porro autem juri dicundo, & adminiſtrandae Reip. operam dare, magiſtratuum propriae partes: nec publicae congruit dignitati deſcendere eos in exercendarum accuſationum hanc arenam; quas non intendere, ſed ab aliis intentas dirimere debent magis. Quod Secunda parte traditur, accuſari eoſdem magiſtratus vel in jus vocari non poſſe, illuſtratur etiam in *l.* 2. *D. de in jus voc. l. hos accuſare* 12. *in princ. D. h. t. l.* 2. §. *legatis* 3. *D. de judic. d. l. ſi maritus* 15. §. 1. *D. ad leg. Jul. de adult.* Ex eoque jure factum eſt, ut poſt finem muneris ſui per dies quinquaginta, celebri quopiam loco provinciae, jubeantur morum facere magiſtratus, cauſam dicturi, quam privatus quivis volet, *l. un. C. ut omn. judic. tam civil.* nempe quia ante honoris exitum accuſari hi non potuere. Utique omnium expoſtulationes adverſus inſignes viros admitti, turpe & Reip. dignitate inferius veteres exiſtimarunt: ac communis utilitatis intereſſe, ne hos, qui, dum Reip. operantur, multorum offenſiones atque odia nullo merito ſuo facile contrahunt, in jus trahere, & inter reos referre liceat cuique, *d. l. ſi maritus* 15. *d.* § 1. Idque eo facilius conſtitutum, quod temporales magiſtratus ac fere annui eſſent, ut notum eſt.

Caeterum utramque ſententiam de majoribus demum magiſtratibus (ut puta, qui cum imperio ac poteſtate ſunt) velim accipias, quales Conſules, Proconſules, Praeſides provinciarum, & Praetores: ut hic, in verbis, *qui in poteſtate*, & *d. l. pars literarum* 48. in verbo *ἄρχοντας*, *D. de judic junct. l.* 18. §. *clariſſimi* 1. *D. de jur. fiſc.* Magiſtratus quippe municipales, & judices ordinarios ad accuſandum admitti potuiſſe colligas recte ex *l. quemadmodum* 29. §. *magiſtratus* 7. *D. ad leg. Aquil. l. de ordinario* 4. *C. de offic. praef. Orient.* Ac ſimiliter illico eoſdem conveniri poſſe conſtat ex *l.* 12. *D. de juriſd. omn. Jud* & *d. l. quemadmodum* 29. *d.* §. *magiſtratus* 7.

Poſtremo ſciendum, ſi rei accuſationiſve jacturam mora minetur, aut ſi de repetundarum crimine agatur, accuſari his caſibus & in jus vocari magiſtratum quemlibet poſſe, *l. Senatusconſulto* 16. *D. de Off. Praeſid. l. jubemus* 4. *C. ad leg. Jul. repet.*

Alii propter delictum proprium ut infames) De talibus effectis infamiae dictum ſaepe ſupra, & delineatae cauſae plures. Exprimitur haec ipſa accuſandi prohibitio in *l. criminis* 15. *C. qui accuſ. non poſſ.* eoque pertinet *l.* 4. *D. de his qui not. infam.* & *l.* 9. ſupra *h. t.* [illegible]

Alii propter turpem quaeſtum, ut qui duo judicia, &c.) Qui delatos habet reos duos, tertium vetatur accuſare, hic, & *l. cum rationibus* 16. *C. qui accuſ. non poſſ.* niſi quis ſuam aut ſuorum injuriam perſequatur, *d. l. cum rationibus* 16. Nempe alioqui deferre ex diverſis criminibus eodem tempore reos plu-[illegible] duos quidem reos accuſari ſimul poſſe forte concludas, ex *l. hos accuſare* 12. §. *lege* 2. *D. h. t.* ubi ſcribitur, lege Julia publicorum judiciorum caveri, ne eodem tempore de duobus reis quis queratur, niſi ſuarum injuriarum cauſa: *ἀντινομία* evidens haec certe eſt; quam Cujaciana demum tollit emendatio, quae, *De tribus reis*, reponit. Hic ex numerorum notis ortus error. Vide Cujac. *Obſerv. lib.* 6 *cap* 12. Non obſtare etiam huic ſententiae Macri verba, in *l. nihil intereſt* 32. §. *cum alterum* 1. *D. ad leg. Jul. de adult.* facile colligas ex genuino ſenſu eorum, qui in *d. lege* expoſitus eſt ſupra *lib.* 1.

Alii propter conditionem ſuam, &c.) Accuſatoribus etiam obſtat conditio libertinitatis; ut puta, ſi liberti ad patronorum accuſationem proſiliant, hic, & *l. ult. C. qui accuſ. non poſſ.* ut nec teſtis libertus in patronum, *l.* 12. *C. de teſtib.* Harmenop. *lib.* 6. *cap.* 9. Quin & liberti contra patronos deferunt fiſco non impune, *l. Divus* 7. *D. de jur. patron. l.* 6. *in fin. D. de agnoſc. lib. l.* 2. §. *Imperator* 6. *D. de jur. fiſc.* Idque Claudii Imperatoris edicto confirmatum ſcribit Dio *lib.* 6. Reverentiam denique patronalem, & acceptae libertatis pretium, quacunque libertorum contumacia temerari, peſſimi exempli viſum ſemper, *l.* 1. *D. de jur. patr.* Certe laceſſere domini famam vetabitur ſervus multo magis; quia & publicorum actuum incapax ſervus, & domeſticus domini proditor atque hoſtis natura eſt. Quare ſervi dominum deferentis poena, ignis, *l.* 6. & *l. ult. C. de delat. lib.* 10. Capitolin. *in Pertin. Eos*, inquit, *qui calumniis appetiti per ſervos fuerant, punitis delatoribus ſervis liberavit.* Sed nec refert vera an falſa deferant ſervi, *l.* 20. *C. qui accuſ. non poſſ. d. l. ult. C. de delat. lib.* 10. Huc pertinet, quod ſervus in caput domini ſui in criminalibus cauſis non torquetur, nec dominum gravat voluntaria ſervi confeſſio, *l.* 1. §. *Divus* 5. & *l. unius* 18. §. *ſervo* 5. *D. de quaeſt.* Paul. *lib.* 5. *ſent. tit. de ſervor. quaeſt.* Caeterum huic quoque articulo ante dictae exceptiones accommodandae, ſiquidem ex cauſa Majeſtatis & Annonae, ſervi dominos, liberti patronos deferunt recte, *l. vix certis* 53. *D. de jud. l. famoſi* 7. § *ſervi* 2. *D. ad leg. Jul. majeſt. l.* 1. *D. ad leg. Jul. de annon. d. l.* 20. *C. qui accuſ. non poſſ.*

Quaerat aliquis, an non aliae quoque perſonae ab accuſatione removeantur. Et vero haec Macri tractatio ex aliis etiam juris auctoritatibus ſupplenda eſt: nam neque accuſat capitalis criminis fratrem frater, *l. ſi magnum* 13. *C. qui accuſ. non poſſ.* neque alumnus educatorem *l.* 12. & *d. l.* 20. *C. eod. qui accuſ. non poſſ.* Porro ab accuſationibus exercendis arcet etiam nimia egeſtas, ex qua ſuſpicio corruptionis & calumniae, *l. nonnulli* 10. infra *h. t.* ſicuti & jus dicendi teſtimonii eadem tollit *l.* 3. *D. de teſtib.* §. *corroborantes. Nov. Juſtin.* 90. & jus Reip. adminiſtrandae *l. reſcripto* 6. *D. de muner.* & *honor.* Ac jam olim ex ratione cenſus lectos de equeſtri ordine judices conſtat. Eandem accuſandi facultatem Paganis, Haereticis, Judaeis, Apoſtatis interdici colligere eſt ex *l. ult. C. de poſtul. l. nemo* 15. *C. de epiſc. aud. l. quoniam multi* 21. *C. de haeret* & *Manich. l.* 1. & *l.* 2. *C. de Apoſtat.* Poſtremo repellitur accuſator non inſcribens, nec ſatiſdans, *l. ſi cui crimen* 7. *D. de accuſ. l.* 3. *C. qui ſatisd. non poſſ.* Repelli autem omnes haſce perſonas adeo verum eſt, ut ne ex adverſarii

Digitized by Google

L. 11. *D. de accuſ. & Inſcript.*

Hi tamen omnes ſi ſuam injuriam exequantur, mortemve propinquorum deſcendant, ab accuſatione non excluduntur.

HAc lege reſtringitur ſententia *legis* 8. ſupra *h. t.* & praecipitur, ut quae perſonae ab accuſando repelli eo loco dicebantur, ſuam tamen aut propinquorum injuriam exequentes audiantur. Juris hujuſce cauſa haec eſt; quia de injuria ſua conquerentem quemque admitti aequitas naturalis deſiderat, neque id factum iis calumniae vel avaritiae ſuſpicionibus obnoxium eſt, quibus ſubjacet alienae injuriae perſecutio. Nam eo genere juſtus dolor juſtaque intercedit indignatio. Tum rationem pietatis naturalis habet jus civile, quae neceſſitudines, id eſt, ſanguinem quaſi ſuum unicuique commendat: nam & illata propinquis & affinibus noſtris injuria ad nos exiſtimatur pertinere, ut probatur in *l.* 5. *§. haec autem* 5. *D. de his qui dejec. vel effud. l.* 3. *§. militi* 1. *D. de liber. cauſ. l.* 2. *in fin. D. quand. appell. ſit l.* 2. *D. de recept. l. pen. l. ult. D. de poſtul.* Suorum autem & neceſſariorum & propinquorum appellatione non parentes tantum, liberi, nepotes continentur, ſed & patronus, & patrona, & qui ex his naſcuntur, *l.* 1. ſupra *h. t.* tum & ſocer, nurus, noverca, vitricus, privignus, & caeteri; adverſus quos teſtimonium perhibere non cogimur *d. l.* 1. & *l.* 2. ſupra *eod.*

De muliere primum hanc ſententiam recte accipias, quando ad eam aut ejus neceſſitudines res pertinet, *l.* 5. *C. ad leg. Fab. de plag. l. non ignorat* 9. & *l. de crimine* 12. *C. qui accuſ. non poſſ. d. l.* 2. ſup *eod.* ſicut eandem actione populari vel interdicto agere tum poſſe, receptum eſt, *l.* 6. *D. de pop. act. l.* 3. *§. ſed & ſi mulier* 11. *D. de liber. hom. exhib.* Quanquam adulterii accuſatio excipienda, ſi quidem conſtat *lege Julia de adulteriis* facultatem maſculo tantum datam accuſandi, jure mariti: foeminae non tributum idem juris, *l.* 1. *C. ad leg. Jul. de adult.* quod ex illo legum duodecim capite manat, cujus meminit Gell. *lib.* 10. *cap.* 23. Sed ex lege Julia de adulteriis injuriam ſuorum mulier vindicat nunquam, *l. quamvis* 19. *C. ad leg. Jul. de adult.* neque ea in parte *Conſtitutio* 134. aut qua alia derogat juri priſco. Crimen tamen in maritum accuſantem retorquere mulieri licuit ſemper, cui praeire virum oportet pudicitiae & probitatis exemplis, *l. ſi uxor.* 13. *§. judex* 5. *D. ad legem Juliam de adulteriis.*

Accuſare item in re propinquorum, aut ſua, tutore auctore, poſſe pupillum recte dices, veluti ad paternae necis ultionem: dixi in *l. qui accuſare* 8. ſupra *eod.* Militi eandem in his talibus competere facultatem, probatur in *d. l.* 3. *§. militi* 1. *D. de liber. cauſ.* & *l.* 8. *C. qui accuſ. non poſſ.* Infames quoque, ſeu qui pecuniam ad accuſandum acceperint, ſive alios pro ſe & neceſſariis perſonis accuſantes audiri colligitur ex *l.* 1. *§. ult.* & *l.* 3. *D. de poſtul. juncta l.* 4. ſupra *hoc titul.* ſicuti & qui delatos habent reos duos, ad tertiam eo genere delationem admittuntur, neque ea cauſa in caeterarum numerum cedit, *l. inter liberas* 6. *§. ult. D. ad leg. Jul. de adult. l.* 12. *§. lege* 2. infra *eod. tit.* At enim magiſtratibus exceptionem hujus legis cave tribuas: hos namque quandiu in publico munere agunt, non tantum cauſas alienas deferre non poſſe traditum eſt, ſed nec ſuas poſſe vel ſuorum, aut quorum curam adminiſtrant, tu-

Liberi, libertique, non ſunt prohibendi ſuarum rerum defendendarum gratia, de facto parentum patronorumve queri; veluti ſi dicant, vi ſe a poſſeſſione ab his expulſos, *ſcilicet* non ut crimen vis eis intendant, ſed ut poſſeſſionem recipiant. ***Nam & filius non quidem prohibitus eſt de facto matris queri, ſi dicat*** ſuppoſitum ab ea partum, quo magis cohaeredem haberet: ***ſed ream eam lege Cornelia facere permiſſum ei non eſt.***

LIberi, libertique an & quomodo ſuas injurias & ſuorum adverſus parentes & patronos exequi poſſint, Macer hoc §. tractat. Primum utique ſic generaliter conſtituendum: famoſas actiones illis in hos non permitti, hic, & *l.* 5. *§. ult. D. de obſeq. parent. & patron. praeſt.* ſive ex edicto Praetoris, ſive re ipſa, aut opinione hominum famoſae ſint actiones, atque habeant fraudis dolive mentionem, *d. l.* 5. *d. §. ult.* Non igitur actionem de dolo, vel injuriarum, vel furti permitti, *l. non debet* 11. *D. de dolo mal. l.* 11. *§. quanquam* 7. *D. de injur. l.* 2. *D. de obſeq. pat. & par. praeſt.* nec interdictum, quod vi aut clam. vel unde vi. *l. licet.* 7. *§* 1. *eod. tit. de obſeq. l.* 1. *§. interdictum hoc* 43. *D. de vi & vi armat.* nec actionem ſervi corrupti *l.* 6. *d. tit. de obſeq.* Eodem pertinet, quod libertus patronum calumniae cauſa in poſſeſſionem miſſam dicens non auditur, *d. l. licet* 7. *§. nec non* 4. quod ne civilem quidem actionem libertus ſine venia movet in patronum, *l.* 1. & *l. ult. D. de in jus vocand.* quod nec libertus in patronum teſtis unquam, *l.* 12. *C. de teſtib.* quod jusjurandum de calumnia patrono & parentibus remittitur, *l. ſi patronus* 16. *l. jusjurandum* 34. *§. qui jusjurandum* 4. *D. de jurejur. d. l. licet* 7. *§. nec deferentes* 3. denique quod ne famoſa quidem exceptione, veluti doli, utitur filius & libertus in parentem & patronum, *l. apud Celſum* 4. *§ adverſus* 16. *D. de doli mal. met. except.* Haec ideo quia liberto & filio honeſta ſemper & ſancta patroni parentiſque perſona videri debet: uni, quia vitae naturalis debitor eſt; alteri, quia civilis, *l.* 1. *in princ.* & *l. liberto* 9. *D. de obſeq. l.* 1. & *l.* 2. *D. de juſt. & jur. l.* 1. *D. de jur. patron.* Adde, quod vili etiam & plebejo adverſus Conſularem, & receptae auctoritatis virum turpes ejuſmodi actiones denegantur, *d. l. non debet* 11. *§.* 1. *D. de dol. mal.* Sed enim parentes & patronos de liberis & libertis male mereri non idcirco jura permittunt: quamvis enim caput & famam earum perſonarum laceſſere non poſſint, de earum tamen admiſſis queri poſſunt, ſemota ira, & verborum vel actionis atrocitate; ac ſufficere his oportet, ſi a parentibus & patronis quod ſuum erit, conſequantur: & eo fine actionem in factum Praetor indulſit, *l. quia* 11. *D. de praeſcr. verb. l. verum* 11. *D. de minor.* 25. *ann. l. item ſi* 9. *D. ad leg. Aquil.* Actionem namque doli, aliaſque famoſas temperat & emollit utilis actio in factum; utpote quae nullam malae fidei mentionem, nec perſecutionem vindictae, ſed narrationem tantum facti habet, quaſi imprudentia & ſimplicitate ſua deceptum ſe filius libertuſve profitetur, non fraude parentis vel patroni: ut hic, in verbis, *De facto parentum queri.* & in verbis, *in poſſeſſionem recipiant. junct. l. ult. C. qui & adverſ. quos in integr. reſt. non poſſ.* Sciendum tamen injuriae qualitatem, cum de

Digitized by Google

Nam & filius) Actionem modo in factum, ſeu verecundam expoſtulationem a filiis in parentes poſſe inſtitui, alio exemplo Macer oſtendit: quamvis enim ſupponens partum mater adverſus legem Corneliam, quae de falſis lata eſt, impingat ſummo jure; non tamen ex ea lege agere filio permiſſum eſt: ſed rei ſuae defendendae cauſſa de eo matris facto conqueri non prohibetur; ut puta, ne cohaeredem habeat fratrem falſum. Certe hujus criminis odium grande! hinc enim eſt, quod, matre eam mortua, moveri inſtituique poteſt ſuppoſiti partus quaeſtio, *l. 1. D. de his quae ut indign. l. 2. C. de Carb. edict.* & cum regulariter ſervi in caput dominorum non torqueantur vulgo, *l. 1. §. Divus 5. l. unius 18. §. ſervo 5. D. de quaeſt.* tamen ſi de generis fide ſeu de ſuppoſito partu quaeratur (ut puta, ſi is petit haereditatem, quem caeteri filii fratrem ſuum non eſſe contendunt) eo caſu propter haereditatis emolumentum de ſervis haereditariis quaeſtio habetur; quia non contra dominos caeteros filios id fit, ſed, uti conſtet, cuinam haereditas defuncti debeatur, *l. 2. l. extraneo 17. §. de quaeſtione 2. D. de quaeſt. l. 3. C. eod. de quaeſt.* At enim, cum haud dubie atrox ea matris injuria ſit, liberos autem emancipatos ex atrocioribus parentum factis famoſa actione uti poſſe, traditum ſit ex *d. l. 7. d. §. ſed & ſi quis 3. D. de injur.* forte objicias filium ſaltem emancipatum quacunque actione de ſuppoſito partu experiri adverſus matrem poſſe. In promptu reſponſio eſt: non enim, ſi quando famoſa & privata pariter actio permittitur, idcirco publico judicio & capitalem poenam irrogante uti licere concludendum eſt; argumento *d. l. ſi adulterium 38. d. §. liberto 9. in fin. D. ad leg. Jul. de adult.* & quamvis liberos foemina in poteſtate ſua non habeat, *l. nulla 13. D. de ſuis & legit.* Judex tamen liberos matribus reverentiam praeſtare compellit, *l. congruentius 4. C. de patr. poteſt.*

§. ult.

Ab alio delatum alius deferre non poteſt: ſed eum, qui, abolitione publica vel privata interveniente, aut deſiſtente accuſatore de reis exemptus eſt, alius deferre non prohibetur.

Illud conſtat, ſi reum plures ſimul deferant, idoneiorem eligit Praetor, eaque in re, mores, aetatem, affinitatem, & cujuſnam magis interſit, explorat, *l. 2. D. de pop. act. l. ult. in fin. D de colluſ. deteg.* Quid ſi unus agere jam occupavit? an pendente judicio reus idem ejuſdem criminis ab alio accuſabitur? Nequaquam, hic, & *l. qui de crimine 9. C. de accuſ.* Ratio eſt, quia prudenter atque humane veretur lex, ne reum opprimat accuſantium multitudo, forte inſontem: ac ſatis eſt ſuper eodem facto reum unum ab accuſatore uno vexari. Quare abſolutum ex eadem cauſa repetere eidem aliive accuſatori licebit; multo minus, propter actionem jam conſumptam, quam inſtaurari vulgaris exceptio rei judicatae non patietur, *l. 3. D. de pop. act.* exceptis tamen (praeſertim cum accuſator alius ingruit) caſibus certis: dicam jam nunc in verſ. *ſed eum*, cui ex eodem Macri libro conjungenda

repetere alius volet, ut hic, in d. verſ. *ſed eum.* & apud Paul. in *l. 3. §. ult.* ſupra *eod.* Enimvero inter abolitionem criminum, & abſolutionem reorum, hoc diſcrimen eſt, quod alium idem crimen deferentem abolitio non excludit, abſolutio certe excludit, ut quae propter vim rei judicatae ſecuritatem perpetuam reo conciliat, *l. 3. D. de pop. act.* niſi tamen prioris accuſatoris praevaricatione, aut judicis ſordibus abſolutum fuiſſe reum conſtet, *l. 3. D. de praevar. l. 7. §. 1 D. h. t.* vel niſi poſterioris accuſatoris proprie interſit; ut puta, dolorem ſuum perſequentis, *l. 4. §. ult. D. ad leg. Jul. de adult.* Quippe his caſibus liberatum ſententia judicis reum repeti ab alio praeſcriptio rei judicatae non prohibet *dd. ll.*

Sed & quod ad abolitionem quidem attinet; diſtinctio quaedam adhibenda eſt, quae ut plenius intelligatur, publicam abolitionem (cujus primo loco meminit Macer) pro generali quadam indulgentia, quae facto e re nata Senatuſconſulto conceditur, velim accipias; veluti propter nuptias Principis, vel propter natam Principi prolem, vel ad celebrandum natalem maximarum urbium diem, *l. abolitio 8. l. ſi interveniente 12. D. ad S. C. Turp. l. 2. D. de cuſt. reor. l. omnes dies 7. C. de feriis l. 15. C. de Epiſc. aud. & l. 1. C. Theod. de indulg. crim.* vel ob rem adverſus hoſtes proſpere geſtam, & propagatos fines imperii, ut notat Macer hac *l. 9. ad S. C. Turp.* Quippe his cauſis publica hilaritas, publicae feriae ſolitae indici, & reis vincula laxari, modo quidem homines liberi eſſent, non ſervi, *l. 16. D. ad S. C. Turp. l. 2. §. 1. D. de cuſtod. reor.* & ſilentium litibus factum per eos dies, *l. ſed ſi 26. §. ſi feriae 7. D. ex quib. cauſ. major. l. a nullo 4. C. de feriis.* Quanquam non ideo in perpetuum rei exempti, ſed finitis feriis, & Juſtitio repetere eos intra triginta utiles, ſeu judiciarios dies tum alii accuſatori licuit, tum eidem, *l. aut privatim 10. §. ult. D. ad S. C. Turp.* Paul. *lib. 5. ſent. titul. de abol.*

De abolitione privata ſic dicendum. Poſt eam quoque conceſſam reus ſine ſpeciali Principis permiſſu ab eodem accuſatore non repetitur, licet ab alio repeti poſſit, hic, & *d. l. 1. C. de abol.* quod ipſum indefinita abolitionis mentio demonſtrat in *d. l. 1. §. 1. D. ad S. C. Turp.* Eam abolitionem poſtulanti accuſatori indulget magiſtratus pro tribunali, redditis cauſis, quae doli mali & calumniae ſuſpicione eximant accuſatorem. Haec enim venia omittendae accuſationis, ſeu privata haec abolitio conceditur illis demum, qui cognita rei veritate nolunt in lite improba temere & inconſulto ſuſcepta perſeverare: non iis utique, qui cum reo colludunt, vel pecunia ſeſe redimenti parcunt, *l. deſtitiſſe 10. D. de judic. d. l. 1. §. abolitio 8. D. ad S. C. Turp. l. 2. C. de abol. l. fallaciter 9. C. de calum.* Denique accuſationem inchoatam omittere quisquis cupit, aut perſequi eam cogitur, aut approbare cauſas non perſequendi: alioqui de calumnia ejus pronuntiatur; cujus etiam moris in Plin. *Epiſtolis* aliquot extant exempla.

Ex d. verſ. *ſed eum*, colligitur alius etiam caſus, quo quidem exemptum vinculis reum deferre alius non vetatur; ut puta, ſi quis accuſationem calumniandi animo ſuſceptam ſine publica ulla privata-

abolitione deſtitutum repetere idem accuſator nunquam poteſt, qui, dum hoc modo deſtitit, calumniam ſuam confeſſus exiſtimatur, *l. 2. & l. 15. §. caeterum 4. D. ad S.C. Turp. l. 3. in fin. D. de praevar. l. 2. §. 1. D ad leg. Jul. de adult.* Idem vero dicendum, ſi reum condemnaverit accuſator, ſed appellante eo proſecutus non ſit appellationem: nam hic quoque ſi poſtea proſequi paratus ſit, non auditur: quia & illud deſiſtere eſt, *l. 1 §. ult D. ad S. C. Turp. l. minoribus 6. C. de his quibus ut indign.* Et haec adeo vera ſunt, ut reo poſtquam accuſator deſtitit vita functo, non ideo magis delictum accuſatorie relevetur, ſed legitimis deſiſtentium & tergiverſantium poenis locus detur, *d. l. 15. d. §. caeterum 4. D. ad S.C Turp.* Poſtremo, quod ait Macer deſiſtente citra abolitionem publicam aut privatam accuſatore deferri, ab alio reum poſſe, ad mortem etiam accuſatoris licet extendas; quia mors accuſatoris facultatem peragendi aliis intra eoſdem triginta dies repetentibus non eripit, *d. l. 3 §. ſi accuſator 4. D. de accuſ. & l. 4. D. ad S.C. Turp.* Paulus *lib. 5. ſent. titul. 17.*

L. 15. D. ad S.C. Turp.

In Senatusconſultum Turpillianum incidunt qui ſubjeciſſent accuſatores, aut ſubiecti poſtulaſſent, nec* peregiſſent reos, *aut aliter* quam abolitione *facta deſtitiſſent, quique chirographum ob accuſandum dediſſent, pactionemve aliquam interpoſuiſſent. Hoc autem verbum,* nec peregiſſent, *ad univerſos ſupra ſcriptos pertinere dicendum eſt.

Eorum, qui S.C. Turpiliani poena tenentur, Macer quaedam exempla proponit. Primum eſt, ſi quis accuſatorem inſtigaverit, ſubmiſerit, inſtruxerit, accuſationes & probationes ei ſubminiſtraverit, qui tamen non peregerit. Neque intereſt per ſe mandarit accuſationem, an per alium. Perinde enim periculo calumniae & deſertionis obnoxius eſt, hic, & *l. 1 §. incidit 13.* ſupra *h. t. l. ſervus 24 §. ult. D. de poen.* Eoque pertinet Adriani Conſtitutio, qua delator mandatorem edere compellitur publicis vinculis, *l. 2. §. 5. & l. 24. D. de jur. fiſc. l. 6 C. de delat.* Paul. *lib. 3. ſent. tit. eod. de delat.* Subjecti vero aut ſubmiſſi, vel ſubornati accuſatoris poena eadem; utpote qui ab initio mentionem mandatoris fecit nullam. Hic enim ſi deſtiterit, calumniatoris loco habetur, hic, & *d. l. 1. d. §. incidit* 13. verſ. *ſubmiſſas. h. t. l. 23. & d. l. 24 D. de jur. fiſc.* Sicque Titum imperatorem eaſdem mandatoribus, & delatoribus poenas inflixiſſe, Suetonio proditum eſt. Idque eſt, quod clarius deinde inſinuat Macer, verba illa Senatuſconſulti, *nec peregiſſent*, ad univerſos pertinere: ad ſubjicientes igitur aeque & ſubjectos; ad promittentes aeque & ſtipulantes. Utique hoc modo aliis communibus plurium factis placuit parem poenam communemque proponi: quod exemplis probatur in *l. Senatus 52. D. de contrah. empt. l. 1. & l. 2. D. ad leg. Fab. de plag. l. circumcidere 11. §. 1. D. ad leg. Cornel. de ſicar. l. 1. C. de commer. & merc. l. 1. C. de cupreſſ. ex luc. Daph. lib. 11.*

Caeterum coërceri deſiſtentem hoc modo delatorem adeo juſtum eſt, ut ne fraude quidem latitantis mandatoris, nec morte ejuſdem excuſetur, nec *Turp.* & hic, in ver. [illegible] caeteris accuſatoribus ſtatuitur, qui in S.C. Turpilianum incidere.

§. 1.

An ad eos, qui hodie de judiciis publicis extra ordinem cognoſcunt, Senatusconſultum pertineat, quaeritur. Sed jam hoc jure ex ſacris Conſtitutionibus utimur, ut pertineat, ita ut ex ſingulis cauſis ſingulae poenae irrogentur.

De Praefectis urbi, & Praeſidibus Provinciarum proprie hic ſermo. Cum enim de publicis criminibus extra ordinem hos cognoſcere proditum ſit, in *l. 1. D. de offi. Praef. urb. l. 1. §. generaliter 3. D. de poen.* ſic ille articulus declaratur, ut nihilominus poenas, Senatuſconſulto Turpiliano conſtitutas, deſiſtentibus aut praevaricantibus accuſatoribus, debeant hi magiſtratus irrogare. Quod enim extraordinaria eorum criminum cognitio dicitur, eo pertinet, ut ne in his publicorum Judiciorum ordo ritusve ſervetur, non etiam ut legum poena ceſſet, in *l. ordo 8. D. de publ. jud.* Vide, quae dixi ad *l. 1. D. de pub. judic.* ſupra *lib. 1.* Sic autem ſervanda his magiſtratibus poena legum, ut quot cauſae tot poenae ſint, niſi ſingulorum criminum, quae in unius perſonam admiſſa ſunt, impetrata fuerit abolitio, ut hic & *l. 1. §. ſi plura 9.* ſupra *eod.* quia plura delicta nunquam faciunt, ut impunitas ullius detur, *l. 2. D. de priv. delict. l. pen. D. de oblig. & act. l. ſi ſtuprum 25. D. de injur. l. nunquam 113. D. de reg. jur.* Junge, quae dixi in *l. 8. & 9. D. de ſepulc. viol.* ſupra.

§. 2.

Eos, de quorum calumnia agi non permittitur, ſi deſtiterint, non incidere in poenam hujus Senatusconſulti Conſtitutionibus cavetur.

Quae perſonae ſine calumniae metu accuſent, dictum in *l. 4. D. de praevar.* ſupra. Eaſdem quoque, ſi ſine abolitione deſiſtant, Senatusconſulto Turpiliano non teneri, Macer ait. Deſerit itaque accuſationem tutor impune, itemque mulier injuriam ſuam perſequens, aut ſuorum, & maritus uxoris deferens adulterium, & ſucceſſor extraneus, qui juſſu teſtatoris accuſat: quia nec de eorum calumnia, quamvis non probaverint, agi fas eſt, *l ult. D. de pub. jud. l. jure mariti 6. l. quamvis 19. C. ad leg. Jul. de adult. l. 1. §. quaeri 5. D. ad S.C. Turp. l. 2.* verſ. *ſed extraneus. C. de calumn. l. 2. C. qui accuſ. non poſſ.* His annumeramus Caeſarianum, qui non ipſe munus delatoris ultro ſuſcepit, ſed cauſam, ab alio delatam, inſtruxit juſſu Procuratoris, *l. 2. C. de delat. lib. 10.* Itemque advocatum fiſci ex *l. poſt legatum 5. §. advocatum 13. D. de his quae ut indign.* ac ſervos denique fiſcales, ut apud Paul. *lib. 5. ſent. tit. de delat.* Sane in hiſce perſonis ceſſat falſi & calumniae ſuſpicio propriis cauſis. Dixi in *d. l. 4. de praevar.*

§. 3.

Digitized by Google

§. 4.

Caeterum ſi poſtea quam accuſator deſtitit, reus deceſſerit, non ideo magis delictum accuſatoris relevatur: nam eum, qui ſemel deſtitit, ſi poſtea accuſare paratus ſit, non eſſe audiendum, Severus & Antoninus ſtatuerunt.

Quod citra abolitionem deſiſtere vetatur accuſator S. C. Turpiliano, ſic accipiendum ſentit Macer, niſi ſi reus, pendente Judicio, vita deceſſerit. Ad eos enim demum pertinet Senatusconſultum, qui viventium reorum accuſationem deſerunt; non ad eos, qui mortuorum, hic, & *l. ſi is quem* 3. *C. ſi reus vel accuſ. mort. fuer.* Ratio eſt, quia hoc genere non neceſſitas tantum, ſed poteſtas accuſationis perſequendae perit, cum, mortuo ante condemnationem reo, lis criminalis extinguatur, neque adverſus heredes duret, hic, & *l. 2. D. de bon. eorum, juncta l. 9. D. qui teſtam. fac. poſſ. & l. bonorum* 8. *D. de jur. fiſc.* idque, ne hoc quidem caſu excepto, cum reus condemnatus pendente appellatione deceſſit: tunc namque reus integro ſtatu decedit, & ſolvitur morte crimen, nec bona heredibus denegantur, *l. 2 C. ſi pend. appell. mors interv. l. ult. C. ſi reus vel accuſ. mort. fuer.* Certe hoc jus ipſa humanitatis ratio dictat: cum enim damnari inauditum & abſentem immane ſit, *l. abſentem* 5. *D. de poen.* & ſimilibus, defuncti bonis & memoriae parcendum multo magis; praeſertim cum rationes purgandi ejus vix ita ſucceſſoribus in promptu ſint.

Verum excipit Macer graviſſima crimina duo, Majeſtatis, & Repetundarum: quia in iſtis ſpeciale id quoque eſt, ut niſi a ſucceſſoribus refutentur, damnetur memoria reorum, & bona fiſco vindicentur, *l. ex judiciorum* 20. *D. de accuſ. l. ult. D. de bon. damnat.* Imo & horum criminum accuſationem propter publicam utilitatem inchoari poſt mortem poſſe placuit, *l. ſi quis 6. §. quod ſi* 10. *D. de injuſto rupt.* Generalius autem id vocabulum eſt Majeſtatis, & ejus ſpecies Perduellio eſt, deque ea potiſſimum ſpecie hic ſermo. Neque enim reus quilibet Majeſtatis poſt mortem accuſatur vel damnatur, ſed qui hoſtile aliquid in Remp. aut Principem molitus eſt, perduellis dictus idcirco, *l. ult. D. ad leg. Jul. maj. l. quos nos* 234. *D. de verb. ſign.*

Caeterum crimina morte ſolvi intelligimus naturali demum & fortuita; quia & hi, qui ſententiae antevertendae cauſſa, mortem ſibi conſciverunt, pro convictis habentur & confeſſis, ideoque nec teſtamentarium, nec legitimum ſortiuntur haeredem, *l. ult. §. idem reſcripſit* 2. *D. de bon. eorum.* Et eo quidem fine ſibi manus intuliſſe rei cenſentur, quoad non conſcientia criminis, ſed ſatietate vitae, vel impatientia doloris fuiſſe id factum, haeredes oſtenderint, *l. 6. §. ejus 7. D. de injuſto rupto.* Sed & ſi quis publici & capitalis criminis reus, cujus poena ſit bonorum publicatio, vel ſi quis rei talis indicio nominatus corrupto accuſatore diem ſuum obierit, ſolutum hoc caſu morte crimen nequaquam eſt, & bona fiſco cedunt, *l. 2. D. de bon. eorum.* Ratio eſt, quia crimen confiteri intelligitur, qui paciſcitur *l. 5. D. de his qui not. infam.* paciſcitur autem qui corrumpendi accuſatoris, & ad praevaricationem

bendum curaſſet, vita deceſſerit, *l. 4. l. 12. D. ad leg. Corn. de falſ.* Idem in crimine peculatus ſtatuendum eſt, *l. ult. D. ad leg. Jul. pecul.* Idem in veneficio, ex quo haereditas forte obvenit, *l. Lucius 9. D. de jur. fiſc.* Idem in adulterio ratione dotis, ne apud haeredes maneat, *l. ult. D. ad leg. Jul. de adult.* Idem, quando ſuppoſiti partus quaeſtio cum ſucceſſionis jure concurrit, *l. 1. D. de his quae ut indign. l. ultim. C. de Carbon. edict.* Idque ipſum in privatis delictis & judiciis poenalibus receptum eſt, ut eo, qui deliquit ante condemnationem vel etiam accuſationem, vita functo, haeredes ratione bonorum recte ab iis conveniantur, ad quos bona pertinent, *l. quod diximus 16. D. quod met. cauſ. l. 5. in princ. D. de calumn. l. un. C. ex delict. defunct. in quant. haer. conven.*

De ſententia §. 3. dixi in *l. hi tamen* 11. verſ. *ſed eum*, ſupra *de accuſ.*

§. 5.

Qui poſt inſcriptionem ante litem conteſtatam anno vel biennio agere non potuerint, variis Praeſidum occupationibus, vel etiam civilium officiorum neceſſitatibus diſtricti, in Senatusconſultum non incident.

Quamvis deſtitiſſe is intelligatur, qui intra praefinitum tempus accuſationis non peregit reum ſuum, *l. 6. §. deſtitiſſe* 2. ſupra *h. t. l. 1. C. ut intr. cert. temp. crim. quaeſt. term.* quemadmodum tamen accuſator, qui praeſcriptione temporis excluſus non peregit, calumniae poena relevatur, *l. quaerebatur* 11. ſupra *hoc tit.* ſic etiam qui intra certum tempus, propter varias praeſidum occupationes, agere non potuit, ut hic: quippe efficit neceſſitas juſtae cauſae, ne is affectum & voluntatem depoſuiſſe videatur, quod demum deſiſtere eſt, *d. l. 6. §. 1.* ſupra *eod.* Idemque dicendum videtur, ſi per reum ipſum ſteterit, quominus cauſa intra anni tempus vel biennii expediretur, *arg. l. 7. §. 1. D. de mun. & hon.* Certe legitima ea fuiſſe tempora in ipſis accuſationibus conſtituta, ſervandum eſt; puta anni, jure antiquo, *d. l. 7. in princ. D. de mun. & hon. l. 1. & l. 2. C. Theod. ut intr. ann. crim. quaeſt. term.* biennii autem jure novo, ex ſanctione Juſtiniani in *l. ubi 22. C. ad l. Corn. de fal. & l. ult. C. ut intra cert. temp.* Vide Obſervatorem *lib. 1. cap. 8. & lib. 17. c.* 33. Quod autem de civilibus officiis meminit Macer, ita accipe, ut excuſetur accuſator, qui civilibus & publicis muneribus diſtrictus, reum intra tempus peragere non potuit. Id nempe evincit favor publicae utilitatis & neceſſitatis horum munerum, quorum extant variae ſpecies & exempla in *l. 1. l. munerum 18. & tot. fere tit. D. de mun. & hon. & tit. C. de mun. patrim. lib.* 10.

§. ult.

Quanquam prius rerum quis detulerat, & ſi poſt abolitionem antequam reus repeteretur, alia abolitio ſupervenerit: non ex ſuperiore, ſed ex ſecunda abolitione, dies triginta computantur.

Quod traditum eſt ex die, quo feriae finitae ſunt, intra 30. utiles dies ab alio vel ab eodem

accuſator, & eos demum dies cedere juſtum eſt, quibus reus ſecum agendi poteſtatem fecit, *d. l.* 10. verſ. *vel ex juſta*, & verſ. ult. ſupra *h. t.* & §. *prox.* ſupra *h. l.*

L. 2. D. De requirendis reis, vel abſentibus damnandis.

Anni ſpatium ad occupanda bona ejus, qui requirendus adnotatus eſt, pertinet. §. 1. Sed ſi per viginti annos fiſcus bona non occupaverit, poſtea praeſcriptione vel ab ipſo reo, vel ab heredibus ejus ſubmovebitur.

L. 4. D. eod.

Annus exinde computandus eſt, ex quo ea adnotatio, quae vel edicto vel literis, ad magiſtratus factis, publice innotuit, § 1. Ergo & viginti annorum tempus fiſco exinde numeretur, ex quo adnotatio publice innotuit.

De praeſentium reorum cauſis hactenus dictum Macro: nunc tranſgreditur ad abſentium. Hos accuſari, damnarique cum nefas ſit, generali & antiquo jure Quiritum, *l. abſentem* 5. *D. de poen. l* 6. *C. de accuſat. l.* 1. *in princ.* ſupra *hoc tit.* Paul *lib.* 5. *ſentent. tit.* 5. Fuga tamen & contumacia impunitatem reis ut concilict, vigor publicae diſciplinae ferre non viſus. Quare huic malo remediis quibusdam obviam itum, decretumque, ut capitalis criminis reus factus abſens, publicis denuntiationibus & edictis triduo requiratur, & vocetur, literis etiam ad ejus provinciae Praeſidem miſſis, in quam transfugiſſe reus exſtimatur, *dicta l.* 1. §. *praeſides* 2. *hoc titulo. l.* 2. *C. quom & quand. judex. l.* 4. verſ. *quae vel edicto*, hic. *l. inter* 10 *D de pub. jud. d. l. abſentem* 5. *junct. Nov.* 80. & *Nov.* 134 Tum vero adnotantur ſeu publice deſcribuntur obſignanturque bona rei, cui & eorum uſus interdicitur, ut copiam ſui praeſtare ſic quoque moneatur, *l.* 1. & *l. ult. h t l.* 1. *C. eod.* Poſt haec reus intra annum ſi redierit, ſeque purgarit, bona recipit: ſin autem nec redierit, nec juſtas diuturnioris abſentiae rationes per alium allegaverit, occupat bona fiſcus anno elapſo, *d. l. ult. in princ. h. t. l. ult. C. eod. d. l. inter* 10. eique latitantis & contumacis rei juſta merces, qui ſeipſum hoc modo pene accuſat, pene convincit: unde nec appellari ab ea ſententia adverſus contumacem lata poterit, *l. & poſt* 72. §. *ult. D de jud. l* 1. *C. quorum appell. non recip.* Paul. *loco eod.* Is autem annus ex eo die computatur, quo publice innotuerit adnotatio, ut hic in *l.* 4. *in princ.* & *d. l.* 1. *C. eod.* Neque obſtat *l.* 2. *C. eodem.* quae, ſi ſubtilius verba urges, ex die accuſationis cenſet annum. Non urgenda vero verba illa, ſed intimatae ſeu ſignificatae accuſationis dies intelligendus; cum hoc modo rem explicent dicti textus. Adde, quod nocere abſenti accuſationem non ante juſtum fuerit, quam ipſa per ordinem hunc ſolennem innotuerit quoniam publicam auctoritatem contemnere & ſui praeſentiam denegare rite non vocatus dici non poteſt.

In § 1. *l.* 2. & §. 1. *l.* 4 hoc ait: Non occupare recte fiſcum bona poſt vicennium: quod ipſum tempus, ſiquidem de abſente reo agatur, ex eo quoque tempore numerandum, quo innotuit adnotatio, ſicuti de anno dictum ſupra. Ratio eſt, quia

atus niſi caſus [illegible] ſilentio nuntiatio earum perimatur, *l.* 1. § *pen. D. de jure fiſc.* niſi forte jam fuerit fiſco jus quaeſitum; quo caſu communi demum triginta vel quadraginta annorum praeſcriptione evaneſcit jus fiſcale, *l. comperit* 6. *C. de praeſcr.* 30. *vel* 40. *annorum.* Alioqui legitimam eam praeſcriptionem, qui Principes temeravere, reprehenſi ſordium illi, & fiſco ſuo nimis indulſiſſe exiſtimati.

At exceptionem tamen patitur ſuperior definitio tribus cauſis, quibus ſufficit quinquennium praeſcribendis. Prima eſt: ſi extraneus adulterii, ſtupri, vel lenocinii accuſationem intendat. Enimvero horum criminum poſt quinquennium, ex quo admiſſa eſſe dicuntur, ſera & inanis delatio eſt, *l. mariti* 29. §. *hoc quinquennium* 6. *D. ad l. Jul. de adult. l.* 1. §. *accuſationem* 10. *D. ad S. C. Turp.* Neque enim probatur factum ejus, qui curioſa nimis & longinqua inquiſitione matrimonium concors turbat: niſi tamen foeda iſta per vim admiſiſſe quis dicatur, quoniam utique raptus aut vis terminos & poteſtatem legis Juliae de adulteriis excedit, & generali demum vicennii praeſcriptione tollitur, *d. l. mariti* 29. *in fin. D. ad l. Jul. de adult.* & *l.* 5. *D. ad l. Jul. de vi publ.* Altera cauſa eſt: ſi de peculatu quaeſtio erit, quia deferri id crimen poſt quinquennium prohibet ſententia clementior, *l.* 7. *D. ad l. Jul. pec.* Tertia eſt: ſi idcirco haeres extraneus accuſetur, quod ante habitam de familia quaeſtionem, tabulas ejus aperuerit, quem familia occidiſſe dicatur Nam & cognitioni hujus criminis praefinitum modo quinquennium eſt, *l. in cognitione* 13. *D. ad Senatuſconſultum Syllan.* Jac. Cujac. *lib* 4. *Obſerv. cap.* 14. Atque harum exceptionum rationem habuit Imperator in *d. l. querela* 12. in verb. *fere. C. ad l. Corn. de falſ.*

§. ult. l. 4.

In ſumma ſciendum eſt, nulla temporis praeſcriptione, cauſae defenſione ſubmoveri eum, qui requirendus adnotatus eſt.

Quod dictum eſt, reverſis reis intra annum & innocentiae ſuae probationem exequutis, bona ante adnotata & obſignata reſtitui, itemque reorum, qui intra id tempus non redierint, redigi bona in fiſcum; hoc ita accipiendum Macer cenſet in §. *ult legis* 4 ut ſi reus poſt annum comparuerit, ac purgare ſeſe paratus ſit, nihilominus ad ſui defenſionem admittatur, atque adeo nulla penitus praeſcriptione longi temporis excludatur, etiam poſt coacta bona in fiſcum, hic, & *l. unius* 18. §. *pen. D. de quaeſt.* Non enim ſicut accuſatio, ita defenſio tempore certo praeſcribitur, nec vicennii lapſu quidem. Unicus innocentiae favor id evincit, cui ſummum jus nocere aequitas & clementia non patitur. Quamvis enim abſentia & contumacia diuturnior reum, quodammodo nocentem facere videatur, forte tamen nec defuere reo ejus abſentiae rationes haud ſpernendae: veluti, quod capitalem & calumnioſum hoſtem accuſantem exhorreſceret, aut quod teſtium, Praeſidisve ſuperioris integritati diffideret. Sciendum tamen ad exiſtimationem duntaxat, non etiam ad bona recuperanda hanc Macri ſententiam pertinere. Nam ſi reus adnotatus intra annum non redierit, ideoque ejus bona fiſcus occuparit, etſi reus poſt id tempus ſeſe purgaverit, remanent

ta-

Digitized by Google

L. 10 D. de poenis.

In ſervorum perſona ita obſervatur, ut exemplo humiliorum puniantur: & ex quibus cauſis liber fuſtibus caeditur, ex his ſervus flagellis caedi & domino reddi jubetur; & ex quibus liber fuſtibus caeſus in opus publicum damnatur, ex his ſervus ſub poena vinculorum ad ejus temporis ſpatium flagellis caeſus domino reddi jubetur. Si ſub poena vinculorum domino reddi juſſus, non recipiatur, venundari: & ſi emptorem non invenerit, in opus publicum & quidem perpetuum tradi jubetur.

DE poenis criminum quando agitur, perſonae a perſonis ſecernendae, ſervi a liberis, honeſtiores a plebejis. Priori generi hominum poena mitior; poſteriori durior irrogatur, hic & *l. 3. l. 9. l. 10. D. eod.* Quin & idem conditionum diſcrimen in tormentis *l. 3. l. 18. D. de quaeſt. l. qui ſententiam* 16 *C. de poenis. l. ſacrilegii* 6. in verbis, *pro qualitate perſonae*, & in verbis, *ſi honeſtiore loco natus*, *D. ad l. Jul. pec. l. Pedius* 4. in verbis, *ſi ſordidiores erunt*, *D. de inc. ruin. nauf. l. ult. D. de ſep. viol. l. ult. §. quanquam* 3. *D. de abig. l. 1. D. de furib. balneariis. & l. 1. §. expilatores* 1. *D. de effract.* niſi forte de perduellionis ſimiliſve criminis cauſa agatur, ex qua ſeveriſſimis poenis & quaeſtionibus nulla conditio ſubducitur *l. 16. C. de quaeſt. l. 7. C. de malef. & mathem.* Eo pertinet, quod Magiſtratibus municipalibus in ſervos quidem modica permittitur caſtigatio; in liberos autem prorſus nulla, *l. 12. D. de juriſd. omn. jud.* Imo ſtatuliber delicti convictus ſperatae libertatis praerogativa, non ut ſervus, propter ambiguam conditionem, ſed lenius, ut liber puniendus eſt, *l moris eſt* 9. *§. ult. D. de poen. l. ſtatuliber* 14. *D. de quaeſt.* Sed & milites, quod genus homines honeſtiore conditione eſſe cenſentur, neque tormentis, neque plebejorum poenis extra cauſam publicam ſubjiciuntur, *l. deſertorem* 3. *§. poenae* 1. *& §. is qui* 4. *D. de re milit. l. milites* 8. *C. de quaeſt* & liberi veteranorum ad primum uſque gradum poena metalli, vel operarum publicarum eximuntur, *l. honor.* 5. *C. de poen.* Neque vero haec aequalitati illi in judiciis commendatiſſimae refragantur, aut ad προσωποληψίας naevum accedunt, quia ſervos, plebejoſve minus plectit poena gravior, utpote cum illi quidem nullius exiſtimationis damnum faciant; hi vero prope nullius: liberi autem homines, vel generis dignitate, publicove munere conſpicui de celſiore loco deturbentur. Nam & plerumque talibus infamia ſola facti poena gravis eſt, *l. non debet* 11. *D. de dolo malo. l. 2. C. ut intra cert. temp. l. hoc opere, D. de oper. lib.* Bart. *in l. 1. §. ult. D. de poen.* Denique temporaria inſignioris viri relegatio & perpetuum plebeji hominis exilium poenae haud diſpares exiſtimantur. Utique in civilibus cauſis dirimendis, aut poenis pecuniariis irrogandis, non idem ſentiendum eſt: quippe in his nec conditionem perſonarum ſpectat judex, neque mores: niſi quod nobilioribus ipſis poenas pecuniarias majores infligit; quia & culorum in ſervo accipienda, quando ſervus nocens domino ita redditur, ut ei perpetuam ſervitutem ſerviat in vinculis; quae legitima eſt poena ſervorum, jus domini minime mutans, *l. aut damnum* 8. *§. ult. D. h. t.* Quod ſi ſervum, ſub vinculorum poena ita redditum, neque dominus, neque alius quiſpiam recipere, & ſervitio ejus uti velit, tunc vel in opus metalli, vel in opus publicum perpetuum ſervus datur. Verum quod ait, eum ſervum, quem nec dominus habendum ſemper in vinculis compedibusque recipere, nec emere quiſquam velit, in perpetuum opus publicum ablegari, ei obſtat *l. ſervus* 34. *D. h. t.* quae ait ſervos in opus publicum, ſeu perpetuum ſeu temporarium, non damnari. At proclivis reſponſio eſt: quippe ſervum Macer in opus publicum damnari poſſe, hoc demum caſu inſinuat, ſi ſervum ſub poena vinculorum domino reddi juſſum dominus deſerat, neque extet quiſquam emptor. Rectiſſima ratione, quia hoc caſu ſervum publicum fieri eum neceſſe eſt, & in opus publicum dari, vel metalli, ne alioqui impunitatem & libertatem conſequatur, *l. 5. D. de manum. l. ſi quis aliquid* 38. *§ qui ſe* 4. *D. h. t.* Sane eum ſi recipere dominus volet, damnationi in opus publicum locus non eſt, ſed in domini ſui poteſtate ſervus manet: ne ſi in opus publicum detur, levior ea poena ſit, quam compedum pariter & ſervitii, *d. l. ſervus* 34.

§. 1.

Qui ex cauſa in metallum dati ſunt, & poſt hoc deliquerint, in eos tanquam metallicos conſtitui debet, quamvis nondum in eum locum perducti fuerint, in quo operari habent: nam ſtatim, ut de his ſententia dicta eſt, conditionem ſuam permutant.

§. ult.

In perſonis tam plebejorum, quam decurionum illud conſtitutum eſt, ut qui majori poena adficitur, quam legibus ſtatuta eſt, infamis non fiat. Ergo & ſi opere temporario quis multatus ſit, vel tantum fuſtibus caeſus, licet in actione famoſa, veluti furti, dicendum erit infamem non eſſe: quia & ſolus fuſtium ictus gravior eſt, quam pecuniaria damnatio.

EUm, qui in metallum, aut miniſterium metallicorum damnatus eſt, conſtat fieri ſervum poenae, ex *l. aut damnum* 8. *§. ult. l. ſunt quidam* 17. *l. capitalium* 28. *§. Divus* 6. *& l. in metallum* 36. *D. h. t.* pertinetque poena ea tam ad liberos homines, quam ad ſervos, *l. metalli* 11. *C. h. t.* Ita damnatus, ſi iterato deliquit, graviore poena dignus haud dubie eſt, etiam extrema, ut hic, & *l. deſertorem* 3. *§. ſed ſi.* 12. *l. non omnes* 5. in verbis, *anteactae vitae*, & *§. a barbaris* 6. verſ. *ſi bonus. D. de re milit.* eoque ſpectat, quod ait *d. l. aut damnum* 8. *§. inter eos* 6. refugas ex opere metalli in metallum dari, refugas ex metallo gravius plecti. At finge: Titius in metallum datus damnatuſve deliquit, utique poſt ſententiam; ſed ante tamen quam ad eum locum perveniſſet, in

Abolitio criminum duplex ibid.
Abſentiam noſtram recte per procuratorem excuſamus in judiciis ipſis criminalibus 70
Abſentem damnari nefas 111
Abſens reus ut requiratur ibid.
Abſolvens nocentem judex pecunia corruptus ut teneatur Repetundarum 92
Abſolutum reum repetere utrum liceat 105. 106
Accuſare una reos plures nefas 86
—— adulterii ignominioſam uxorem viro non licet 85
—— cui non licet, nec teſtificari licet 99
—— vetatur milea duabus cauſis 100
—— magiſtratus cur non poſſit 101
—— prohibiti in re tamen ſua aut ſuorum audiuntur 103
Accuſari magiſtratus ante exitum muneris cur non poſſit 84. 85. 101
Accuſationibus peragendis tempora quænam præſtituta 110
Accuſatione deſiſtere quando vere dicamur 78
Actio in factum liberis & libertis quomodo detur 104. 105
Actiones civilis & criminalis quando moveri poſſint una 73. 74
Actus cujusque initium praecipue ſpectatur 89
Adnotatio bonorum rei contumacis quomodo fiat 111
Adſcribere legatum ſibi quis cenſeatur 89
Adulter omiſſa adultera jure accuſatur, & contra 78
Adulteram uxorem occidere marito fas jure veteri: novo, non item 79
Adulteram uxorem repudiare vir ut teneatur 82. 83
Adulterii quæſtio poſt mortem recte movetur ratione dotis 110
—— accuſationi quodnam tempus præſtitutum 78. 112
Adultero ante damnationem defuncto recte accuſatur adultera, & contra, & cur 78
Adulterum aliquandiu retinere vir poteſt jure 80
—— ſervum uxoris ſuae vir necat jure 82
—— & adulteram una accuſare vir vetatur 86
—— deprehenſum non dimittit vir impune pretio vel actione 87
Advocatus praevaricari quando dicatur 77
—— fiſci impune deſerit accuſationem 108
Aeſtimare litem officium eſt magiſtratuum 91
Annonæ crimen intendit quivis recte 101. 102
Appellatione pendente qui moritur, integro ſtatu moritur 109. 116
Appellatio ſententiam non ſuſpendit tantum, ſed reſcindit 115
Apoſtatae jus amittunt accuſationis 102
Arbitros dare in bonae fidei actionibus ſolebant magiſtratus 90
Arma olim privatis interdicta 73
Ἄρχοντες quinam magiſtratus dicantur 108
Athletae qui infames 81
Atrox demum injuria conciliat infamiam 96. 105
—— injuria quae 96
Auguſtus jus uxoris occidendae abſtulit viro 79

B.

BAronis opinio reprehenſa 69
Bartoli quoque 103
Bonorum ratione accuſatio recte poſt mortem inſtituitur 110

C.

CAeſarianus quando accuſatione deſiſtat impune 108
Calumniae argui qui non poſſint. 97. 98. 103. 108
—— mandator perinde ac mandatarius tenetur 76
Capitalia & non capitalia judicia quae dicantur 71
Carcer privatus viro adulterum deprehendenti permiſſus 80
—— Platoni duplex 94
Carceris poena quo ſenſu dicatur ibid.
Civilia inter & criminalia judicia plures differentiæ connotantur 70
Clerici quibus a negotiis removeantur 100

ex Conſilio quando obligemur, & quando non ibid.
Conſilium dans conſanguineo criminis reo plectitur lenius ibid.
Contumax reus ut edictis & bonorum adnotatione requirendus 111
Convicium leve actionem injuriarum non admittit 96
Corruptelae judicium ut puniendae 87. 90. 92
Creditor non per judicem quid repetens ut puniendus 88
—— fugienti debitori nummos extorquet impune ibid.
Criminalis cauſa procuratorem non admittit 70
—— cauſa non deciditur jurejurando 71
Curioſitas nimia odio priſcis ibid.
Cuſtodes furioſorum ob negligentiam ut puniendi 94

D.

DEcuriones Principe inconſulto non puniendi 94. 116
Defenſio nullo tempore praeſcribitur 112
Deferentibus pluribus eligit unum Prætor 105
Deferre ſimul reos plures licet nemini 102
—— reum ex eodem facto jam delatum licet nemini 76
Delator falſus mandatore edito non liberatur ibid.
Depoſiti actione damnatus infamis fit 81
Deprehenſus adulter quando dicatur 80
Deſiſtere accuſatione quis dicatur 78. 107
Doli mali actione damnatus infamis fit 81
Domus vocabulo quidnam veniat 80. 86
Dotis cauſa recte adulterii quaeſtio poſt mortem inſtituitur 110
Duareni opinio reprehenſa 69

E.

EDere mandatorem delator ut cogendus 107
Egeſtas adimit jus accuſandi 102
Emancipatae filiae adulterium non jure pater punit 79
Emancipatus recte agit injuriarum adverſus patrem ibid.
Error ſententiam quando vitiet 97
Extraordinaria judicia a publicis quomodo differant 69. 108
Extra ordinem de publicis criminibus cognoſcunt Praefecti Urbi & Praeſides Provinciarum 108

F.

FEriae quaenam reorum compedes laxent 106
Filiam adulteram quando pater puniat jure 79. 84
Filiusfamilias legatum patri fruſtra adſcribit 89
—— etiam maritus agere injuriarum ſine patre non poteſt 83
—— maritus adulteros quosdam uxoris ſuae cur occet jure 84
Filius necem patris perſequens calumniae fruſtra arguitur 97
Fiſcus quod poenae nomine exegit, an & quando reſtituat 113
—— impune deſerit accuſationem 108
—— quando praeſcriptione vicennii ſubmoveatur, & quando non 111. 112
Frumentum reipubl. praeſtitum vane profeſſus qua lege teneatur 91
Fugiens reus ut requiratur 111
Funeris cauſa favorabilis & publica eſt 72
Furioſis cuſtodiendis Praeſes invigilat 93
Furor omni poena gravior ibid.
—— perpetuus etiam parricidam excuſat ibid.
Furem ab abigeo ars & quantitas ſola diſcernit 74. 75
Furti nomine competunt actiones duae 74
—— nomine criminaliter agere licet ibid.
—— damnatus infamis fit 81. 94
—— damnatum Praeſes infamia eximere non poteſt 94

G.

GOveani ſententia refellitur 69

I.

Illuſtres recte agunt criminaliter injuriarum per procuratorem 70
Imprudentia quomodo & quando punienda 94
Inceſti accuſatio adverſus duos intendi ſimul poteſt : adulterii, non item 86
—— accuſatio nonniſi viennio praeſcribitur 78
ex Inceſto nati quando & quare ad decurionatum admittantur 96. 97
Infames Praetor non reſtituit, ſed Princeps 81
Infamiam quomodo tollat poena nimia 95
Infamiae varii effectus. ibid.
Infamis adulterum uxoris ſuae non necat jure 85
Injuriarum actio privati judicii eſt 96
—— damnatus infamis fit 81. 95. 98
—— poena quae vetus 96
Inſcriptionis uſus tantum eſt in criminalibus 70
Interlocutio non infligit infamiam. 95
Interpretari obſcuras Conſtitutiones inconſulto Principe non debet Praeſes 94
Ita injuſtitiam judicis non excuſat 92
Judex mutari accuſarive an & quando poſſit aut debeat 91
Judices dare mos olim magiſtratibus, magis quam judicare 90
—— ſtrictis, arbitri bonae fidei actionibus adhibentur ibid.
Judicia civilia a criminalibus ut differant 70
—— publica cur dicantur 69 71
Judicii vox πολύσημος 69
Judicio publico damnati regulariter fiunt infames 81
—— publico damnati qui infamiae non ſint obnoxii 98
—— privato damnati quidam fiunt infames 81
Judicum pecunia corruptorum poenae 89
Jurare in litem quis dicatur 91
Jurejurando non dirimitur lis criminalis 71

L.

Latitante mandatore an delator excuſetur 107. 108
Legatum ſibi adſcribere ne volente quidem teſtatore poteſt quiſquam. 89
—— ei, quem in poteſtate habemus, fruſtra adſcribimus ibid.
Lege Julia de vi privata qui teneantur 87 88
Legis Corneliae de falſis uſus antiquior 88. 89
Lex Petronia jus vitae necisque in ſervos dominis abſtulit 82
Lenonem adulterum maritus jure occidit 80
Lenonum genus univerſum infame ibid.
—— poena capitalis 80. 86
Lenocinium adulterio gravius aut ſtupro 86
Libertus in patronum fruſtra agit injuriarum 96. 102. 104
—— cum uxore patroni ſui adulterans jure occiditur a patrono 82
Litis aeſtimatio inter munera eſt magiſtratuum 91

M.

Magiſtratuum accuſatio in exitum muneris differenda 84
Magiſtratui cur plerunque accuſare non liceat 101. 103
Magiſtratus majores qui 101
Majeſtatis ſpecies duae 109
—— accuſat mulier recte 100
—— accuſatio recte poſt rei mortem peragitur, aut etiam inchoatur 109
—— accuſat miles recte 101
Mandator edendus a delatore 107
Mandati actione damnatus infamis fit 81
Mandator calumniae perinde ac mandatarius punitur 76
Maritis uxores adulteras necare fas olim : hodie ſecus 77
Maritus adulterum quemlibet uxoris ſuae non occidit impune: uno tamen caſu excepto ibid.
Menſores publici frumenti quando teneantur Repetundarum 91
Metalli poena liberorum hominum communis eſt & ſervorum 88
Milites accuſare & teſtificari vetantur duabus caſis 100
—— reo impune [illegible] 105
Mulier ſuam aut ſuorum injuriam recte exequitur 105
—— fruſtra agit ex lege Julia de adulteriis ibid.
—— adulterii crimen recte retorquet in maritum ibid.
—— accuſare cur vetetur 99. 100
—— quando teſtis eſſe poſſit & quando non 100
Munera accipere an magiſtratus poſſit & quae & a quibus 90. 91
Municipalibus magiſtratibus ſervos tantum caſtigandi jus competit 113
Muros publicos ſtruere inconſulto Principe Praeſidi [illegible] 94
Mutari judex an & quando poſſit, aut debeat 91
Mutatio judicis aliud judicium non facit ibid.

N.

Natalem magnarum urbium diem celebrare mos priſcus 106
ob Natam Principi prolem publice indulgetur abolitio ibid.
ex Naufragio qui quid rapuit fur eſt improbior 88
Neceſſitas ut relevet accuſatorem, qui reum intra tempus legitimum non peregit 110
Negotiari nefas militi 101
Nobilibus viris poenae pecuniariae irrogandae graviores 113
Nuptiae nihil officiunt patriae poteſtati 84

O.

Obſcurae conſtitutiones interpretationem Principis deſiderant 94
Occidere uxorem adulteram olim viro fas, hodie non item 79
Occidens uxorem adulteram vir mitius punitur ibid.
Occidere adulterum filiae ſuae patri non licet ibid.
Officia civilia quae 110
Opus publicum qui ſuſcepit quando incidat in crimen Repetundarum 91

P.

Paciſci de crimine confiteri eſt 109
Paganica ſuperſtitio jus adimit accuſandi 102
Pater adulterum filiae ſuae recte occidit 79
—— filium in noverca adulterantem occidens parricidii tenetur 82
Patronus libertum adulterantem ut jure occidat ibid.
—— ingratum libertum recte accuſat per procuratorem 70
Peculatus crimen morte non tollitur. 110
—— accuſatio quinquennio praeſcribitur 112
Pecuniae appellatione quid veniat 75. 76
Perduellionis crimen quid differat a Majeſtatis 109
Petronia lex dominicam poteſtatem imminuit 82
Platoni carcer duplex 94
Plebejus virum Conſularem fruſtra appetit actione famoſa 104
Pluribus delictis plures poenae debentur 111
Poena egrediens legis modum exiſtimationem damnati ſervat 95
—— par communibus plurium admiſſis 107
—— ſervorum propria compedes 114
Poenae pro conditione perſonarum irrogandae 113
Populares actiones a publicis judiciis quomodo differant 69
Popularis actio quando mulieri permittatur 103
Praefectus Urbi de publicis criminibus cognoſcit extra ordinem. 108
Praeſcriptione vicennii criminum accuſatio ut perimatur 112
Praetor infames fruſtra reſtituit 81
Praevaricandi vox unde profecta 76
ejus vocis notiones duae ibid.
Praevaricatio quando publicum crimen, & quando non ibid.
Praevaricator calumniatore deterior 98
Praevaricari in judicio privato impune eſt 76
—— in advocato quid ſit 77
Precibus flectere judicem licet, non pretio 116
Princeps in pleriſque negotiis, etiam privatis, conſulendus 94. 95. 116
Principis eſt infames reſtituere 81. 82. 95

Pri.

Digitized by Google

... tutis fiat obnoxius 96
Pupillus regulariter nc ex autoritate quidem tutoris accuſat 102

Q.

Quaeſtione ſervorum dirimitur lis nummaria certis caſibus 71
Quaeſtus turpis eſt, qui ex accuſatione plurium actorum affectatur 102
Querela, non accuſatio, liberis permittitur, & libertis 104. 105
Quinquennio quorum criminum praeſcribatur accuſatio. 112

R.

Raptus accuſatio non niſi vicennio praeſcribitur 78. 112
Recuſari judex quando & quomodo poſſit aut debeat 91
Repetere reum abſolutum an liceat 105 106 107
Repetundarum criminis poena quae vetus, quae poſterior 89 90
Repetundarum quisnam judex teneatur 90
Repudiare uxorem ex ſolius adulterii cauſa licet 83
Reſtituit famae ſolus Princeps aut Senatus 81. 82
Reſtituto a Principe quando poenam pecuniariam reddat ſiscus 112. 113

S.

Scribae Judicum ſordidorum tenentur etiam ipſi Repetundarum 90
Seditio feſtinationem ſupplicii ſaepe deſiderat 116
Senatus infames reſtituit efficaciter 81 82
Sententia veritatis loco quando habeatur 97
—— lata per ſordes ipſo jure nulla 89
—— palam pronuntianda 115
Sepulcri violati crimen & extra ordinem & civiliter poteſt exerceri 71. 72
—— violati actio in bonum & aequum concepta eſt 71. 72
—— violati crimen quando fit publicum 72
Servi ob vim admiſſam gravius puniendi 68
—— manumiſſi quando ex prioribus maleficiis conveniantur ibid.
—— cum domino ſcortantis poena, ignis 82

... ſuppoſiti partus quaeſtio quomodo a ſilio recte moveatur 105
—— partus quaeſtio poſt mortem matris movetur recte 110

T.

TAlio poena temerarii accuſatoris 71. 78
Taciturnia olim foeminarum ſola teſtis 100
Tergiverſatio publici judicii nequaquam eſt 77
Tergiverſari in privato judicio impune eſt, in publico non item ibid.
—— in publico judicio quis dicatur ibid.
Terminos per imprudentiam movere non impune eſt 94
Teſtes in cauſa criminali qui torqueantur 71
Teſtis eſſe non poteſt, qui accuſator non poteſt 79
—— eſſe vetatur miles duas ob cauſas 100
Tumultus ſedandi cauſa celerandum quorundam ſupplicium eſt 116
Turpiliano S. C. qui teneantur, aut ſecus 107. 108
Tutelae actione damnatus infamis fit 81
Tutor judicio publico damnatus infamis ut non fiat 98
—— & curator calumniae accuſari cur non poteſt 97. 108

V.

VErtis fuga ob crimen Repetundarum 92
Vicennii praeſcriptio crimina extinguit 112
Victoria populi Rom. publicae criminum abolitioni dat cauſam 106
Vinculorum perpetua mancipatio legibus interdicta 94
—— poena quaenam in ſervis 114
Vis publica privatave quaenam olim, quaenam hodie 73
Vim privatam faciens ſervus juſſu domini non puniendus 88
Utens re communi non tenetur furti 82
Uxor poſt viri mortem recte accuſatur adulterii, & cur, & quomodo 78
Uxorem adulteram vir qui retinet, ut lenonis loco eſt 83
—— ignominioſam adulterii poſtulare viro non licet 85

X.

XEnia accipere magiſtratui an & quae liceat 90. 91

F I N I S.

Digitized by Google

NOBILISSIMO VIRO

PHILIPPO CANAIO

DN. a Fraxinis, Regio Conſiliario,

JAC. LECTIUS J.C.

S.

Ita me vero deamet Themis, nobiliſſime Canaï, uti noſtra pariter ac poſterorum ſtudia meruiſti! Nempe adulari neſciunt mores mei, nec de iſtorum turba ego, qui laudant etiam malos. Sed ſi quod tamen purius ſidus in hac temporum caligine internoſcimus, non praedicare illud & venerari nefas duco. Ac tu quidem in hac vere caligine vere ſidus: ut qui ſanctitate vitae primum, dein conſilio, virtute, prudentia (dico aperte) par antiquis. Haec humanae utique mentis bona praecipua: queis judicii ſubtilitatem, eruditionem, facundiam, quodque in iſta honorum ſublimitate rarum, humanitatem adjunxiſti. Ergo & te Principum ſacra ſibi vindicant & Muſarum: cumque alterum ſinguli pauci, utrunque tu munus imples. Sed non ultra tero hunc campum, publica praedicatione ſolennem; & iſta verborum parſimonia Veritatem ipſam proclivius laedo quam te: qui modeſtiae cujusdam ſingularis [illegible] ſummas illas animi dotes ſemper ornaſti. Tamen te ut colerem, publicae imprimis cauſſae illae pervicere. Tum acceſſit proprius in me amor, quem prodidiſti ſaepe magnum, & indiciis non obſcuris. Ac ni aliquem gratiae guſtum reddo, peccem nimis. Accipe igitur obſervantiae meae ac pietatis adverſum te non quidem grande, aut claritudine tua dignum ſatis, ſed tamen pignus: ac Reipub. totius noſtrae, cui, ſcio, faves, haud abſimilem in te affectum recognoſce. Simul gravisſimarum quaeſtionum, quae hoc libello tractantur, jure proprio cenſor eſto: cum te non celſioris modo Sapientiae ac Virtutis, ſed etiam Juſtitiae ac diſciplinae civilis Antiſtitem invidia ipſa fateatur. Vale, Vir eximie, &c, uti facis, ſalutem publicam juva conſtanter. E Muſaeo noſtro. A. D. CIϽ. IϽ. XCII. v. Cal. Mart.

AD LECTOREM.

Cauſſas criminum, bone Lector, antiquitas diligenter, poſteriora tempora ſegnius diſſeruere. Et quamvis noſtro aevo pleraque alii proſpera fama, vix cujusquam tamen ea in parte proprius labor. Atquin magni ponderis ea, magni uſus, magnae etiam in plerisque difficultatis. Neque haec temere Juſtinianus in conſtitutione quadam [illegible] *appellavit. Breve ut faciam, vana & externa caetera illa de fortunis! In his exiſtimatio agitur, in his ſanguis, quandoque etiam ſumma rerum: niſi ſi forte in ſtillicidiis, in finibus regundis, in aqua pluvia arcenda, plus ſitum eſt publicae rei. Labante denique criminum ac delictorum indagine & vindicta, minantur occaſum res mortalium. Quid quod talibus cauſae adnexae fere civiles, & ex eo fonte ſaepe hi rivi? Quid quod pleraque iis communia cum graviſſimis fiſci cauſſis? Flexus varios horum temporum, forique tricas contexuere nonnulli: ſed flexus vere & tricas. Fateor, ut civilium tulit occaſio, libavere aliquando poenalia viri magni: ſed per hos tamen via ad ſacrarium juris priſci non aperta; aut aperta ſane, non praerepta. Ego ingredior, & in tuum facient iſta, quae & publice docui ante, & nunc cum cura recognovi. Neque terret, quod ſuper his cauſſis fragmenta veterum pauca extant. Etenim navigii reliquiae ad curſum quoque aptandae, & navigandum ſciſſo velo. Nec recuſo etiam alios ordinis hujusce Prudentes recenſere, niſi aut ero oneri impar, aut otium abnuent noſtri hi motus. Ave, &, ſi merui, fave Lector. Neque enim plura de me: & ambitioſos dominos imitari neſcimus, qui inſcribunt aedibus ſuis,* Hoſpes hic bene manebis.

EX LIBRIS QUATUOR MODESTINI

De Poenis, reliquae hae leges.

Ex lib. 1.

L. ſi fine 25. *D. de in jus voc.*
L. utique 21. *D. de liber. cauſa.*
L. hodie 32. *D. ad leg. Corn. de falſ.*
L. ſiquis aliquid 30. *D. de poenis.*

Ex lib. 2.

L. ſi multi 6. *D. de publican. & vectig.*
L. ex judiciorum 20. *D. de accuſat.*
L. ſi creditor 8. *D. ad l. Jul. de vi privat.*
L. is qui 13. *D. ad leg. Jul. peculat.*
L. unica D. ad leg. Jul. de amb.
L. in ſumma 17. *D. de jure fiſc.*

Ex lib. 3.

L. de perjurio 4. *D. de crim. ſtellion.*
L. cuſtodias 12. *D. de pub. judic.*
L. qui caedem 16. *D. ad leg. Corn. de ſicar.*
L. ſi quis 33. *D. ad leg. Corn. de falſ.*
L. Reperi 16. *D. de quaeſtion.*
L. ad beſtias 31. *D. de poenis.*

Ex lib. 4.

L. non eſt facile 14. *D. de cuſtod. & exhib. reor.*
L. deſertorem 3. *D. de re militar.*

JAC.

Digitized by Google

DE poenis in univerſum praefari, haud valde opus. In eo cortice alii multi, qui in obſcurioribus juris articulis pene muti. Parco tamen mori priſco: quando & breve, nec ſine fructu erit. Nempe ampliſſima poenae notio pleraque complectitur ambitu ſuo; veluti Uſuram, *l. qui ſine* 38. *D. de neg. geſt. l. lecta* 40. *D. de reb. cred.* Id quod intereſt, *l. Lucius* 47. *D. de action. empt. l. ult. D. de eo quod cert. loc. l. noviſſima* 19. *D. judicat. ſolv.* Coërcitiones heredum, quae teſtamentis codicilliſve ſtatuuntur, *tot. tit. Cod. de his quae poen. nom. in teſtam. vel codic. relinq.* Coërcitiones promiſſorum ſeu contrahentium, quae ſtipulationibus adjiciuntur, *l.* 8. *& l.* 115. *D. de verb. oblig.* Objurgationem, a judice proficiſcentem, *l. illicitas* 6 *§. praeſes* 9. *D. de offic. praeſ.* Condemnationem in expenſas, *vulg. tit. Inſtit. de poen. temer. litigant.* nocentium denique hominum criminalem nummariamve Vindictam, uti paſſim. Poſteriores has tantum ſpecies duas Modeſtinus his libris perſecutus eſt. Ac duplici demum eo genere ſumta poena, *delictorum ſeu criminum, quae ſponte vel ignorantia contrahuntur coercitio eſt, ad publicae diſciplinae emendationem lege inducta.* Delictorum ſive criminum ideo dicimus, quia innoxios ſive heredes noxiorum ſive alios dure haberi, nefas ſummum, *l. crimen* 26. *l. capitalium* 28. *§. non omnes* 2. *D. de poen. l. ſancimus* 22. *C. eod.* ſi tamen jus in graviſſimis perduellionis & αἱρέσεως criminibus probatum exceperis, *l. quiſquis* 5. *C. ad leg. Jul. majeſt. auth. Gazaros, C. de haereticis & manichaeis* exceperis etiam ſervos, qui quo tempore dominus occiſus eſt, ſub eodem tecto fuere, ut *l.* 1. *D. ad Silan.* Caſſius apud Tacit. *Annal.* 14. Ex iiſdem verbis collige, cogitationis poena plecti neminem, ut *l.* 1. *§.* 1. *D. de furt. vulg. l. cogitationis* 18. *D. de poen.* Cato apud Gell. *lib.* 7. *cap.* 3. Eorum, quae ignorantia committuntur, idcirco meminimus, quia nonnullam poenam ἀκουσίοις ἁμαρτήμασιν, aut quae per errorem vel ignorantiam excidunt, triſtitia eventus ſaepe conciliat, tum ne malis exemplis locus detur. Probatur in *l. ſiquis aliquid* 38. *§. qui abortionis* 5. *D. de poen. l. qui aedes* 9. *D. de incend. ruin. naufr. l.* 2. *D de term. mot. l. ult. §. Div. quoque* 6. *D. de publican. l.* 4. *§.* 1. *D. ad leg. Corn. de ſicar. l. eum qui* 5. *C. eod.* Quare Demoſthenem ſecutus J. C. legem ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων ἐπανόρθωμα recte appellat, *l.* 1. *D. de legibus.*

Poenarum inducendarum praecipuus ille finis, ut metum afferentibus exemplis diſciplina publica reformetur, emendetur, conſervetur, *l.* 1. *D. ne quis eum qui in jus voc. vi exim. l. ita vulneratus* 51. *D. ad leg. Aquil. l. in delictis* 4. *§. cum dominus* 2. *D. de noxal. action. l. locatio* 9. *§. quod illicite* 5. *D. de publican. l. capitalium* 28. *§. famoſos* 15. *D de poen. l. per omnes* 6. *C. de defenſor. civit. l.* 4 *C. ſi ſervus export. venier. l.* 1. *C. de fal. monet.* Vide Plin. *lib.* 8. *cap.* 16. *& lib.* 19. *cap.* 4. Caſſiodor. *lib.* 3. *variar. epiſt.* 31. Hinc παραδείγματα Graecis dictae poenae. Plato *in Gorgia.* Cael. Rodig. *antiq. lection. lib.* 6. Adde quod pravorum hominum lue ſublata, reliqui corporis incolumitas melius conſtat. Quin & ad eorum etiam, qui delinquunt, emendationem & utilitatem nonnunquam poenae ſpectant; puta nummariae & quae vitam naturalem non eripiunt. Plato *in Clitiphone & in Gorgia.* Porro dolori privatorum lex conſuluit, ut his, quibus injuria facta eſt, poena nocentium ſolatio ſit, ut *d. l. capitalium* 28. *d. §. famoſos* 15. Addo ne ſuas ipſi injurias ulciſcantur. Poſtremo, poenae ad reſarciendam etiam aut conſervandam privatorum exiſtimationem uſui ſunt, ut in calumniatorum poenis paret.

Irrogationem vero poenarum legi proprio jure competere, oſtendit *legis* mentio, ut *l.* 1. *& l. legis virtus* 7. *D. de legib. l.* 1. *§. nam ſiquidem* 4. *D. ad Turpill.* Seneca *lib.* 3. *controv. octava in fin.* Lex magiſtratibus poteſtatem velut miniſtris ſuis mandat, non privatis. Imo ne cunctis quidem magiſtratibus poenarum criminalium aut pecuniariarum irrogationem permittit, *l.* 1. *§.* 1. *l* 2 *§.* 1. *D. de poen. l.* 2. *§. ult. D. de judic. l.* 2. *& l.* 3. *C. de mod. multar.* Hinc extrema legum clauſula, *poenae ſanctio*, *l. ſanctio* 41. *D. de poen. l. ſacra* 9. *§. proprie* 3. *D. de rer. diviſ.* Et quamvis hodie extra ordinem & judicantium arbitrio crimina coërceri conſueverint, *l.* 7 *D. ad l. Jul. repet. l.* 3. *D. ad Turpill. l.* 1. *in fin. & l. hodie* 13. *D. de poen.* tamen a legitimis illis poenis atque certis non procul recedendum, ut *l. perſpiciendum* 11. *D. de poen. & l. ordine* 15. *verſ. minoribus. D. ad municip. & de incol.*

Lex 25. *D. de in jus voc.*

Si ſine edicti venia impetrata libertus patronum in jus vocaverit, ex querela patroni vel ſupradictam poenam, id eſt, quinquaginta aureos dat: vel a Praefecto urbi quaſi inofficioſus caſtigatur; ſi inopia dignoſcitur laborare.

CUm alias non ſatiſdantem adverſarium in jus ſequi, quiſque per ſe jubeat, *tot. tit. D. in jus voc. ut eant.* parentes tamen & patronos in jus ſine venia vocari vetat Praetor: ſiquidem id litis intendendae cauſa fiat, & aureos quinquaginta patrono aut parenti praeſtat temerator edicti, hic & *l.* 3. *& l.* 5. *eod. l.* 1. 2. *& ult. C. eod.* Nempe id honeſtas publica & reverentia naturalis aut patronalis non pati videbatur, *l. generaliter* 13. *D. hoc tit. l. honori* 2. *D. de obſeq. parent.* praeſertim, cum adverſarium nec ſatiſdantem nec ſequentem trahere invitum vulgo liceret, *l. quamvis* 11. *D. hoc tit.* Quin & omnia in eos admiſſa gravius puniri moris fuit, *l. capitalium* 28. *§. omnia* 8. *& l. aut facta* 16. *§ cauſa* 2. *D. de poen.* Et eoſdem, ſi quando in jus cum venia vocentur, qualemcunque fidejuſſorem judicio ſiſti dantes, dimitti jubet praetor, *l.* 5. *§.* 1. *D. qui ſatiſd. cog. l.* 3. *D. in jus vocat. ut eant.* Sed nec de dolo, aut de vi, aut injuriarum actionem hi metuunt a liberis aut libertis, *d. l. honori* 2. *D. de obſeq. junct. l.* 8. *in fin. D. de accuſat.* Sciendum tamen, ſi libertus, poenitentia ductus, ſtatim remittat actionem, temperandam ex aequitate juriſdictionem praetoris, *d. l. quamvis* 11. *h. t.* quia imperfectum delictum poenitentia repurgat, *l. qui cum major* 14. *§. accuſare* 8. *D. de bon. libertor.*

l.

Digitized by Google

belli vocationi in jus aut litis conteſtationi comparatur, ut temporales actiones perpetuet, *l. 1. C. quando libell. Princ. dat. lit. conteſt. fac.*

Ne autem eorum egeſtas, qui mulctam illam praeſtare non poſſent, edictum praetoris eluderet, extra ordinem caſtigari eos recte ſubjicitur: quod generaliter in publicis privatiſque criminibus obtinere Ulpianus ſcripſit, *l. 1. in fin. D. de poen.* ut, quemadmodum loquitur Caſſiodorus *lib. 9. & lib. 10. Var.* ro… debitum poenis, qui non poteſt compenſare pecuniis, & corporali ſupplicio poenam luat, qui non poteſt pecuniariae ſatisfactioni ſufficere. Probatur in *l. ſiquis id quod 7. §. ſervi quoque 1. D. de juriſd. omn. jud. l. quod ſi minor 24. §. ſi ſervus 3. D. de minor.* Neque improbat divina lex, *Exod. cap. 22. v. 3.* Quo exemplo ſiquis ob infamiam ſuam famoſum injuriarum judicium contemnat, corpore poenas luit. *l. ſiquis 35. D. de injur.* Quinimo ſi non ex cauſa delicti vel criminis, ſed ex culpa & negligentia mulcta debeatur, quam condemnatus perſolvere prae egeſtate non poſſit, poena pecuniaria in corporalem transfertur, ut *l. qui aedes 9. D. de incend. ruin. nauf.* utique alioqui exitiabilis reipub. vagaretur impunitas. Neque obſtat quod ſcribitur in *l. illicitas 6. in fin. D. de off. praeſ. & l. ult. in fin. C. de mod. mulctar.* poenas pecuniarias reis, egeſtate laborantibus, minui aut etiam remitti poſſe. Sic enim id accipiendum eſt, ſi leviſſime quis peccarit, ut ejus impunitas vigorem publicae diſciplinae non offendat.

Caeterum ſerva, caſtigandae egentium libertorum impietatis provinciam non ad Praetorem, ſed ad Praefectum Urbi pertinere. Hos quippe a Praetore ad Praefectum Urbi remitti innuit hoc loco Modeſtinus: quod clarius traditur in *l. 1. §. ſi filias 2. D. de obſeq. l. 1. §. 1. & §. cum patronus 10 D. de off. Praef. Urb.* Ut & tutores ac curatores, qui male in tutela verſati ſint, Praetor, qui de ſuſpecto cognovit, caſtigandos ad Praefectum urbi remittit, *d. l. 1. §. item ſolent 7. D. de off. Praef. Urb.* quia Praetori civilium, Praefecto criminalium cauſarum notio competit, *d. l. 1. in pr. & d. §. item ſolent 7. D. de off. Praef. Urb. junct. l. 1. §. ult. D. de ſuſp. tutor. & l. 2. §. deinde Cornelius 32. D. de orig. jur.* Nec repugnat ante *citata lex, ſiquis 35. D. de injur. aut l. quod ſi minor 24. §. ſi ſervus 3. D. de minor.* ubi jus quoddam animadverſionis Praetori tribuitur. Etenim iis locis ſervos tantum aut infames vileſque perſonas plectit Praetor. Neque enim paulo honeſtiores poteſt, cum eam juriſdictionem praefectura urbi ſibi vindicet *dd. ll.* Quemadmodum autem in urbe Roma aut extra urbem, intra centeſimum lapidem, eam libertorum coërcitionem exercebant Praefecti urbi, ita Praeſides in provinciis, ut *l. illicitas 6. §. qui univerſas 8. & l. ex omnibus 10. D. de off. praeſ. d. l. 1. §. generaliter 3. D. de poenis.*

Lex 21. D. de liberali cauſa.

Utique ejus duplum, quod propter emtionem vel dedit, vel obligatus eſt. Secundum quae id, quod alter eorum ſolverit, nihil ad exonerandum alterum pertinebit: quia placuit hanc actionem poenalem eſſe. Et ideo poſt annum non datur. Nec cum ſucceſſoribus cum ſit poenalis agetur, &c.

SIquis liberum hominem ſcientem ſciens dolo malo ignoranti emtori vendiderit, emtorem quæ… emtionis nomine emtor compenſaverit aut permutaverit, ut *l. 18. & l. 19. ſup. hoc tit.* Idemque dicendum, ſi nihil quidem eo nomine emtor venditori praeſtiterit, ſed tantum promiſerit & ea obligatione, quae per exceptionem elidi nequit, dare teneatur, *d. l. prox. in princ. & §. obligatum 2. ſup. hoc tit.*

Ad verſ. *ſecundum quae.*

EX ſuperioribus quaeritur, ſi pluſquam duplum aut ſi ſolidum quadruplum liber homo vel venditor emtori praeſtiterit, num ſolutio, ab uno praeſtita, alterum relevet aut exoneret. Et negatur: quoniam a ſingulis duplum pendi neceſſe eſt. Ratio eſt, quia hanc emtoris actionem poenalem eſſe Praetor edixit, ut hic & *l. 1. prox. in fin. ſup.* Et poenalium actionum ea natura eſt, ut cum plures deliquerint, poena unius alterum non liberet aut non relevet, *l. item Mela 11. §. ſed ſi plures 2. D. ad leg. Aquil. l. ſi familia 9. D. de juriſd. omn. jud. l. tres tutores 55. D. de adm. tutor. l. 1. C. de condict. indeb.* Dicam plenius, in *l. ſi multi 6. D. de publican.* infra.

Ad verſ. *Et ideo poſt annum.*

HOc illud eſt, quod Ulpianus notat in *l. ſeq. §. ult.* actionem hanc in duplum, quae praetorio edicto tum adverſus liberum hominem, tum adverſus venditorem datur, emtori poſt annum denegari: hac ratione, quod non tantum poenalis, ſed honoraria ſive praetoria haec ſit actio. Civiles actiones ſunt perpetuae, at praetoriae, ſicut Praetoris ipſius imperium, annales ſunt, *l. in honorariis 35. D. de obl. & act. tit. Inſt. de perp. & temp. act. in princ.* Quanquam illa diſtinctio ex *d. l. in honorariis 35.* adhibenda eſt, ut quae actiones honorariae rei & ejus, quod intereſt, perſecutionem habent, cujuſmodi perpetuae ſunt, eae poſt annum etiam dentur, caeterae poſt annum denegentur. Prioris generis eſt actio creditae pecuniae, quae a Praetore adverſus bonorum poſſeſſorem debitoris datur, *§. 1. Inſtit. de perp. & temp. act.* Actio Publiciana, *l. 12. D. ad leg. Aquil. l. 5. C. ſi alien. res pign.* Poſterioris generis eſt actio quod metus cauſa, *l. quod diximus 16 §. ult. D. quod met. cauſ.* Actio in factum ex edicto de eo, per quem factum erit, quominus quis in judicio ſiſtat, *l. 1. §. ult. D. de eo per quem factum erit.* Interdictum unde vi, *l. 1. §. ult. D. de vi & vi arm.* Interdictum quod vi aut clam, *l. 1. & l. ſemper 15. §. hoc interdictum 3. D. quod vi aut clam.* Actiones aliae praetoriae pleraeque, quae poenam, non rem, perſequuntur, *dd. ll.*

Ad verſ. *nec cum ſucceſſoribus.*

OPportune J. C. poſtquam poenalem hanc actionem finiti anno dixit, eandem ſubjicit non dari adverſus ſucceſſores. Etenim uſu venit ita fere, ut quas actiones poſt annum denegat Praetor, deneget eaſdem adverſus ſucceſſores, *d. l. in honorariis 35. D. de oblig. & act.* Praebet exemplum actio doli *l. in haeredem 26. & l. ſeq. D. de dolo.* Praebet actio in factum, adverſus calumniatores inducta *l. 1. in princ. & l. haec actio 4. D. de calumn.* Praebet interdictum unde vi, *l. 1. §. ult. D. de vi & vi armat.* Praebet actio patronis adverſus libertos ex cauſa inofficioſae in jus vocationis conceſſa, *l. pen. D. de in jus voc.* Actiones hae neque poſt annum neque adverſus heredes dantur *dd. ll.* Ratio in, eo quia poenales

has

condemnari; quia bonis moribus & aequitati congruit turpia lucra ſucceſſoribus, tum particularibus, tum univerſalibus extorqueri, *l. quod diximus* 16. *D. quod met. cauſ. l. in heredem* 26. *l. Sabinus* 29. *D. de dolo. l.* 2. *D. de eo per quem fact. er. l.* 5. *in princ. D. de calumn. l. Lucius* 9. *D. de jure fiſc. d. l. in honorariis* 35. *D. de oblig. & act. & d. l. un. C. ex delict. def.* Ergo & ad verba Modeſtini duplex ea reſtrictio accommodanda.

Caeterum iiſdem verbis illud innuit, quod expreſſius Ulpianus tradidit in *l. ſeq. in princ.* hanc actionem licet adverſus ſucceſſores non detur, ſucceſſoribus tamen dari. Emtor igitur heredem venditoris hac actione non conveniet; conveniet emtoris heres venditorem: quoniam haec actio, licet poenae nomine imprimis detur, tamen id, quod etiam intereſt heredis, perſequitur. Nam tum demum actiones poenales heredibus denegantur, quando eorum intereſt nihil; quod non minuta hereditas, ſed minuta fama defuncti ſit: quod patet in actione injuriarum, in actione ingrati & ſimilibus, quae quia vindictam & poenam merum, non autem rem e facultatibus ablatam perſequuntur, heredi ejus, cui injuria facta eſt, non competunt, *d. l. in honorariis* 35. *junct. d. l. pen. D. de in jus voc. l.* 2. *C. de revoc. donat.* ut contra actionem legis Aquiliae, furti, vi bonorum raptorum competere heredibus actoris conſtat; cum ad eos ex hujuſmodi factis eo minor perveniat hereditas. Tractant veri Interpretes in *d. l. in honorariis* 35. *& l.* 13. *D. de injur. l.* 1. *§.* 1. *D. de privat. delict.* Et his quidem haec, de qua agimus, actio adnumeretur. Cum enim ea non injuriam aut contumeliam, ſed damnum illatum & quod intereſt heredis perſequatur, licet non competat adverſus ſucceſſores venditoris, heredibus tamen emtoris certe competit, ut hic & *d. l. ſeq. in princ.*

Ad verſ. *Eam actionem.*

Eam actionem, quae ex hoc edicto oritur, manumiſſione non extingui rectiſſime dicetur: quia verum eſt autorem conveniri non poſſe: poſt quem ad eum, qui ad libertatem proclamavit, perveniebatur.

EMtor liberum hominem, quem ſervum eſſe putabat, manumiſit. Quaeritur, an vana illa & inutilis manumiſſio actionem in duplum, de qua ante dictum, auferat emtori. Cenſet J. C. liberum quidem hominem nihilominus hac actione teneri; autorem tamen, hoc eſt, venditorem non teneri: cum alioqui haec actio tum adverſus liberum hominem, tum adverſus venditorem detur. Nempe jus ſuum eo facto emtor imminuit, cum ſervo carere ultro voluerit: qua ratione ſiquis ſervum hominem manumiſerit, ei redhibitoriam & quanti minoris actionem perire proditum eſt, *l. ſi hominem* 47. *D. de aedil. edict.* Ac ſimiliter, ſi emtor ſervum, cujus nomine duplam ſtipulatus eſt, manumiſerit, nihil ex ea ſtipulatione conſequitur; quia non evincitur, quominus habere poſſit, quem ipſe voluntate ſua quae perdidit, quam liberum eſſe ſciret, *l. ſervum* 33.

nus illis verbis, *Eam actionem, quae ex hoc edicto oritur.* Huc pertinet *l. ſed ſi* 26. *D. de evict. & l.* 5. ſup. *hoc tit.*

Lex 32. *D. ad legem Corn. de falſis.*

Hodie qui edicta propoſita dolo malo corrumpunt, falſi poena plectuntur. §. 1. *Si venditor menſuras publice probatas vini, frumenti, vel cujuslibet rei, aut emtor corruperit, dolove malo fraudem fecerit, quanti ea res eſt, ejus dupli condemnatur.*

LEx Cornelia de falſis, cum origine ſua ad teſtamenta tantum pertineret, ad alias deinde falſi ſpecies porrecta eſt, *l.* 1. *§. qui in rationibus* 4. *D. ad leg. Corn. de falſ.* Paul. *lib.* 5. *ſentent. tit. ad leg. Corn. teſtam.* Eas inter proponuntur hoc loco duae fere praecipuae. Primum enim eam in legem edicti propoſiti corruptores impingunt, ut hic & apud Paul. *lib.* 1. *ſent. tit.* 13. ubi eum, qui album Praetoris raſerit, ſuſtulerit, mutaverit, quidve in eo turbaverit, falſi poena teneri aut etiam extra ordinem coërceri proditum eſt. Merito quidem! Nam & ipſa privatorum chirographa, cautiones, epiſtolae, rationes, ſi qua parte immutentur dolo malo, locus eſt legi Corneliae de falſis, *l. quid ſit falſum* 23. *D. ad leg. Corn. de falſ.* Et vero Praetoris autoritatem publicamque majeſtatem etiam violat edicti praetorii corruptor. Itaque cum olim non poena falſi, ſed quinquaginta aureorum mulcta, id genus indolentiae plecteretur, *l. ſi quis id quod* 7 *D. de juriſd. omn. jud. l. lege Cornelia* 25. *D. ad leg. Cornel.* quod & notat J. C. hoc loco, in verbo *hodie*, recte poſtea ſeverius vindicari coepit. Doli autem mali ideo Modeſtinus meminit, verbis edicti convenienter; quia ſi per ruſticitatem, vel imperitiam, vel ab ipſo Praetore juſſus, vel caſu, aliquis corruperit, non tenetur, *d. l. ſiquis id quod* 7. *in §. doli* 4. Caeterum, edicta intellige, quae perpetuae juriſdictionis cauſa a Praetore proponuntur, non peremptoria, aut citatoria, aliave, quae, prout res incidit in privatorum utilitatem proponuntur, quorum corruptionem levius caſtigandam colligitur ex *d. l. ſiquis id quod* 7. *in princ.*

Secundo loco pravis ponderibus aut menſuris uſus emtor aut venditor in legem Corneliam *de falſis* incidiſſe exiſtimatur, ut hic & *l.* 6. *D. de extraord. crim.* Cum enim uſu & conſuetudine certae quaedam menſurae ac pondera in ſingulis civitatibus invaluerint, ea qui corrumpit adverſus publicam autoritatem, peccat nimis, *l. Imperatores* 71. *D. de contrah. emt.* & hic in verbis, *publice probatas.* Sed neque falſi tantum crimen, ſed & furti, menſurarum corruptione contrahitur, ut *l. ſiquis uxori* 52. *§. majora* 22. *D. de furt.* ubi qui pondera majora commodavit, furti tenetur ei, qui jacturam paſſus eſt. Porro, ea re in legem quoque Juliam *de annona* peccatur; quia *annonam etiam onerant ſtaterae adulterinae*, ut ait J. C. in *l.* 6. *§.* 1. *D. de extraordin. crimin.* Unde & in Dardanarios propter falſum menſurarum modum, ob utilitatem popularis annonae,

Digitized by Google

belli vocationi in jus aut litis conteſtationi comparatur, aut temporales actiones perpetuet, *l. 1. C. quando libell. Princ. dat. lit. conteſt. fac.*

Ne autem eorum egeſtas, qui mulctam illam praeſtare non poſſent, edictum praetoris eluderet, extra ordinem caſtigari eos recte ſubjicitur: quod generaliter in publicis privatiſque criminibus obtinere Ulpianus ſcripſit, *l. 1. in fin. D. de poen.* ut, quemadmodum loquitur Caſſiodorus *lib. 9. & lib. 10. Var.* reddat debitum poenis, qui non poteſt compenſare pecuniis, & corporali ſupplicio poenam luat, qui non poteſt pecuniariae ſatisfactioni ſufficere. Probatur in *l. ſiquis id quod 7. §. ſervi quoque 1. D. de juriſd. omn. jud. l. quod ſi minor 24. §. ſi ſervus 3. D. de minor.* Noque improbat divina lex, *Exod. cap. 22. v. 3.* Quo exemplo ſiquis ob infamiam ſuam famoſum injuriarum judicium contemnat, corpore poenas luit, *l. ſiquis 35. D. de injur.* Quinimo ſi non ex cauſa delicti vel criminis, ſed ex culpa & negligentia mulcta debeatur, quam condemnatus perſolvere prae egeſtate non poſſit, poena pecuniaria in corporalem transfertur, ut *l. qui aedes 9. D. de incend. ruin. nauf.* utique alioqui exitiabilis reipub. vagaretur impunitas. Neque obſtat quod ſcribitur in *l. illicitas 6. in fin. D. de off. praeſ. & l. ult. in fin. C. de mod. mulctar.* poenas pecuniarias reis, egeſtate laborantibus, minui aut etiam remitti poſſe. Sic enim id accipiendum eſt, ſi leviſſime quis peccarit, ut ejus impunitas vigorem publicae diſciplinae non offendat.

Caeterum ſerva, caſtigandae egentium libertorum impietatis provinciam non ad Praetorem, ſed ad Praefectum Urbi pertinere. Hos quippe a Praetore ad Praefectum Urbi remitti innuit hoc loco Modeſtinus: quod clarius traditur in *l. 1. §. ſi filius 2. D. de obſeq. l. 1. §. 1. & §. cum patronus 10 D. de off. Praef. Urb.* Ut & tutores ac curatores, qui male in tutela verſati ſint, Praetor, qui de ſuſpecto cognovit, caſtigandos ad Praefectum urbi remittit, *d. l. 1. §. item ſolent 7. D. de off. Praef. Urb.* quia Praetori civilium, Praefecto criminalium cauſarum notio competit, *d. l. 1. in pr. & d. §. item ſolent 7. D. de off. Praef. Urb. junct. l. 1. §. ult. D. de ſuſp. tutor. & l. 2. §. deinde Cornelius 32. D. de orig. jur.* Nec repugnat ante *citata lex, ſiquis 35. D. de injur. aut l. quod ſi minor 24. §. ſi ſervus 3. D. de minor.* ubi jus quoddam animadverſionis Praetori tribuitur. Etenim iis locis ſervos tantum aut infames vileſque perſonas plectit Praetor. Neque enim paulo honeſtiores poteſt, cum eam juriſdictionem praefectura urbi ſibi vindicet *dd. ll.* Quemadmodum autem in urbe Roma aut extra urbem, intra centeſimum lapidem, eam libertorum coërcitionem exercebant Praefecti urbi, ita Praeſides in provinciis, ut *l. illicitas 6. §. qui univerſas 8. & l. ex omnibus 10. D. de off. praeſ. d. l. 1. §. generaliter 3. D. de poenis.*

Lex 21. *D. de liberali cauſa.*

Utique ejus duplum, quod propter emtionem vel dedit, vel obligatus eſt. Secundum quae id, quod alter eorum ſolverit, nihil ad exonerandum alterum pertinebit: quia placuit hanc actionem poenalem eſſe. Et ideo poſt annum non datur. Nec cum ſucceſſoribus cum ſit poenalis agetur, &c.

SIquis liberum hominem ſcientem ſciens dolo malo ignoranti emtori vendiderit, emtorem quaemtionis nomine emtor compenſaverit aut permutaverit, ut *l. 18. & l. 19. ſup. hoc. tit.* Idemque dicendum, ſi nihil quidem eo nomine emtor venditori praeſtiterit, ſed tantum promiſerit & ea obligatione, quae per exceptionem elidi nequit, dare teneatur, *d. l. prox. in princ.* & *§. obligatum 2. ſup. hoc tit.*

Ad verſ. *ſecundum quae.*

EX ſuperioribus quaeritur, ſi pluſquam duplum aut ſi ſolidum quadruplum liber homo vel venditor emtori praeſtiterit, num ſolutio, ab uno praeſtita, alterum relevet aut exoneret. Et negatur: quoniam a ſingulis duplum pendi neceſſe eſt. Ratio eſt, quia hanc emtoris actionem poenalem eſſe Praetor edixit, ut hic & *l. 1. prox. in fin.* ſup. Et poenalium actionum ea natura eſt, ut cum plures deliquerint, poena unius alterum non liberet aut non relevet, *l. item Mela 11. §. ſed ſi plures 2. D. ad leg. Aquil. l. ſi familia 9. D. de juriſd. omn. jud. l. tres tutores 55. D. de adm. tutor. l. 1. C. de condict. indeb.* Dicam plenius, in *l. ſi multi 6. D. de publican.* infra.

Ad verſ. *Et ideo poſt annum.*

HOc illud eſt, quod Ulpianus notat in *l. ſeq. §. ult.* actionem hanc in duplum, quae praetoris edicto tum adverſus liberum hominem, tum adverſus venditorem datur, emtori poſt annum denegari: hac ratione, quod non tantum poenalis, ſed honoraria ſive praetoria haec ſit actio. Civiles actiones ſunt perpetuae; at praetoriae, ſicut Praetoris ipſius imperium, annales ſunt, *l. in honorariis 35. D. de obl. & act. tit. Inſt. de perp & temp. act. in princ.* Quanquam illa diſtinctio ex *d. l. in honorariis 35.* adhibenda eſt, ut quae actiones honorariae rei & ejus, quod intereſt, perſecutionem habent, cujuſmodi perpauca ſunt, eae poſt annum etiam dentur, caeterae poſt annum denegentur. Prioris generis eſt actio creditae pecuniae, quae a Praetore adverſus bonorum poſſeſſorem debitoris datur, *§. 1. Inſtit. de perp. & temp. act.* Actio Publiciana, *l. 12. D. ad leg. Aquil. l. 5. C. ſi alien. res pign.* Poſterioris generis eſt actio quod metus cauſa, *l. quod diximus 16 §. ult. D. quod met. cauſ.* Actio in factum ex edicto de eo, per quem factum erit, quominus quis in judicio ſiſtat, *l. 1. §. ult. D. de eo per quem factum erit.* Interdictum unde vi, *l. 1. §. ult. D. de vi & vi arm.* Interdictum quod vi aut clam, *l. 1. & l. ſemper 15. §. hoc interdictum 3. D. quod vi aut clam.* Actiones aliae praetoriae pleraeque, quae poenam, non rem, perſequuntur, *dd. ll.*

Ad verſ. *nec cum ſucceſſoribus.*

OPportune J. C. poſtquam poenalem hanc actionem finiri anno dixit, eandem ſubjicit non dari adverſus ſucceſſores. Etenim uſu venit ita fere, ut quas actiones poſt annum denegat Praetor, deneget eaſdem adverſus ſucceſſores, *d. l. in honorariis 35. D. de oblig. & act.* Praebet exemplum actio doli *l. in haeredem 26. & l. ſeq. D. de dolo.* Praebet actio in factum, adverſus calumniatores inducta *l. 1. in princ. & l. haec actio 4. D. de calumn.* Praebet interdictum unde vi, *l. 1. §. ult. D. de vi & vi armat.* Praebet actio patronis adverſus libertos ex cauſa inofficioſae in jus vocationis conceſſa, *l. pen. D. de in jus voc.* Actiones hae neque poſt annum neque adverſus heredes dantur *dd. ll.* Ratio in, eo quia poenales
ſunt

Google

D. de reg. jur. l. un. C. ex delict. defunctor. Conſtat etiam heredes, licet lite non conteſtata cum defuncto, quatenus ad eos ex dolo defuncti pervenit, condemnari; quia bonis moribus & aequitati congruit turpia lucra ſucceſſoribus, tum particularibus, tum univerſalibus extorqueri, *l. quod diximus* 16. *D. quod met. cauſ. l. in heredem* 26. *l. Sabinus* 29. *D. de dolo. l.* 2. *D. de eo per quem fact. er. l.* 5. *in princ. D. de calumn. l. Lucius*, 9. *D. de jure fiſc. d. l. in honorariis* 35. *D. de oblig. & act. & d. l. un. C. ex delict. def.* Ergo & ad verba Modeſtini duplex ea reſtrictio accommodanda.

Caeterum iiſdem verbis illud innuit, quod expreſſius Ulpianus tradidit in *l. ſeq.* 33 *princ.* hanc actionem licet adverſus ſucceſſores non detur, ſucceſſoribus tamen dari. Emtor igitur heredem venditoris hac actione non conveniet; conveniet emtoris heres venditorem: quoniam haec actio, licet poenae nomine imprimis detur, tamen id, quod etiam intereſt heredis, perſequitur. Nam tum demum actiones poenales heredibus denegantur, quando eorum intereſt nihil, quod non minuta hereditas, ſed minuta fama defuncti ſit: quod patet in actione injuriarum, in actione ingrati & ſimilibus, quae quia vindictam & poenam meram, non autem rem e facultatibus ablatam perſequuntur, heredi ejus, cui injuria facta eſt, non competunt, *d. l. in honorariis* 35. *junct. d. l. pen. D. de in jus voc. l.* 2. *C. de revoc. donat.* ut contra actionem legis Aquiliae, furti, vi bonorum raptorum competere heredibus actoris conſtat; cum ad eos ex hujuſmodi factis eo minor perveniat hereditas. Tractant veri Interpretes in *d. l. in honorariis* 35. & *l.* 13. *D. de injur. l.* 1. §. 1. *D. de privat. delict.* Et his quidem haec, de qua agimus, actio adnumeretur. Cum enim ea non injuriam aut contumeliam, ſed damnum illatum & quod intereſt heredis perſequatur, licet non competat adverſus ſucceſſores venditoris, heredibus tamen emtoris certe competit, ut hic & *d. l. ſeq. in princ.*

Ad verſ. *Eam actionem.*

Eam actionem, quae ex hoc edicto oritur, manumiſſione non extingui rectiſſime dicetur: quia verum eſt autorem conveniri non poſſe: poſt quem ad eum, qui ad libertatem proclamavit, perveniebatur.

EMtor liberum hominem, quem ſervum eſſe putabat, manumiſit. Quaeritur, an vana illa & inutilis manumiſſio actionem in duplum, de qua ante dictum, auferat emtori. Cenſet J. C. liberum quidem hominem nihilominus hac actione teneri; autorem tamen, hoc eſt, venditorem non teneri: cum alioqui haec actio tum adverſus liberum hominem, tum adverſus venditorem detur. Nempe jus ſuum eo facto emtor imminuit, cum ſervo carere ultro voluerit: qua ratione ſiquis ſervum hominem manumiſerit, ei redhibitoriam & quanti minoris actionem perire proditum eſt, *l. ſi hominem* 47. *D. de aedil. edict.* Ac ſimiliter, ſi emtor ſervum, cujus nomine duplam ſtipulatus eſt, manumiſerit, nihil ex ea ſtipulatione conſequitur; quia non evincitur, quominus habere poſſit, quem ipſe voluntate ſua ante perdidit, quam liberum eſſe ſciret, *l. ſervum* 33. actione (puta ex emto) in id, quod intereſt, recte conveniet, quod eum, quem manumittere cogitavit, libertum habere non poſſit. Notat Modeſtinus illis verbis, *Eam actionem, quae ex hoc edicto oritur.* Huc pertinet *l. ſed hoc* 26. *D. de evict. & l.* 5. *ſup. hoc tit.*

Lex 32. *D. ad legem Corn. de falſis.*

Hodie qui edicta propoſita dolo malo corrumpunt, falſi poena plectuntur. §. 1. *Si venditor menſuras publice probatas vini, frumenti, vel cujuslibet rei, aut emtor corruperit, dolove malo fraudem fecerit, quanti ea res eſt, ejus dupli condemnatur.*

LEx Cornelia de falſis, cum origine ſua ad teſtamenta tantum pertineret ad alias deinde falſi ſpecies porrecta eſt, *l.* 1. *§. qui in rationibus* 4. *D. ad leg. Corn. de falſ.* Paul. *lib.* 5. *ſentent. tit. ad leg. Corn. teſtam.* Eas inter proponuntur hoc loco duae fere praecipuae. Primum enim eam in legem edicti propoſiti corruptores impingunt, ut hic & apud Paul. *lib.* 1. *ſent. tit.* 13. ubi eum, qui album Praetoris raſerit, ſuſtulerit, mutaverit, quidve in eo turbaverit, falſi poena teneri aut etiam extra ordinem coërceri proditum eſt. Merito quidem! Nam & ipſa privatorum chirographa, cautiones, epiſtolae, rationes, ſi qua parte immutentur dolo malo, locus eſt legi Corneliae de falſis, *l. quid ſit falſum* 23. *D. ad leg. Corn. de falſ.* Et vero Praetoris autoritatem publicamque majeſtatem etiam violat edicti praetorii corruptor. Itaque cum olim non poena falſi, ſed quinquaginta aureorum mulcta, id genus inſolentiae plecteretur, *l. ſi quis id quod* 7 *D. de juriſd. omn. jud. l. lege Cornelia* 25. *D. ad Silan.* quod & notat J. C. hoc loco, in verbo *hodie*, recte poſtea ſeverius vindicari coepit. Doli autem mali ideo Modeſtinus meminit, verbis edicti convenienter; quia ſi per ruſticitatem, vel imperitiam, vel ab ipſo Praetore juſſus, vel caſu, aliquis corruperit, non tenetur, *d. l. ſiquis id quod* 7. *in §. doli* 4. Caeterum, edicta intellige, quae perpetuae juriſdictionis cauſa a Praetore proponuntur, non peremptoria, aut citatoria, aliave, quae, prout res incidit in privatorum utilitatem proponuntur, quorum corruptionem levius caſtigandam colligitur ex *d. l. ſiquis id quod* 7. *in princ.*

Secundo loco pravis ponderibus aut menſuris uſus emtor aut venditor in legem Corneliam *de falſis* incidiſſe exiſtimatur, ut hic & *l.* 6. *D. de extraord. crim.* Cum enim uſu & conſuetudine certae quaedam menſurae ac pondera in ſingulis civitatibus invaluerint, ea qui corrumpit adverſus publicam autoritatem, peccat nimis, *l. Imperatores* 71. *D. de contrah. emt.* & hic in verbis, *publice probatas.* Sed neque falſi tantum crimen, ſed & furti, menſurarum corruptione contrahitur, ut *l. ſiquis uxori* 52. *§. majora* 22. *D. de furt.* ubi qui pondera majora commodavit, furti tenetur ei, qui jacturam paſſus eſt. Porro, ea re in legem quoque Juliam *de annona* peccatur; quia *annonam etiam onerant ſtaterae adulterinae*, ut ait J. C. in *l.* 6. *§.* 1. *D. de extraordin. crimin.* Unde & in Dardanarios propter falſum menſurarum modum, ob utilitatem popularis annonae,

Digitized by Google

menſuris, quam mos regionis ferat, poſſe contrahentes conſentire; quia nemo emere cogitur, ſi menſura diſpliceat, *l. arbitrio* 18. §. *de eo* 3. *D. de dolo malo. d. l. Imperatores* 71. *D. de contr. emt.* Quomodo autem in menſuris vel ponderibus fraus ab emtore (quod Modeſtinus hoc loco ſignificat) fieri poſſit, diſce ex ſpecie *d. l. ſiquis uxori* 52. *d. §. majora* 22. nempe ſi re ad pondus aut menſuram emta, majora pondera majoresve menſuras ſciens inſcienti venditori praeſtet, *d. § majora* 22. Sed & venditori fraus alio generi fieri poteſt, ut puta, ſiquis ſciens majora pondera, quibus emtori merces appenderentur, inſcienti venditori commodaverit: quo caſu venditor id, quod amplius mercis datum eſt, repetere ab eo poteſt, qui majora pondera commodavit, *d. l. arbitrio* 18. *d. § de eo* 3. Ubi etiam vice verſa, ſiquis, emtoris decipiendi cauſa, minora pondera aut menſuras ignoranti venditori commodaverit, in eum ex emto agi poteſt, ut reliqua merx tradatur: nempe ſi ea conditione merx non venit, ut illis aut illis ponderibus menſurisve traderetur: quo caſu pondera, menſuraeque, regionis conſuetudine receptae, ſervandae ſunt.

Lex 30. D. De poenis.

Siquis aliquid fecerit, quo leves hominum animi ſuperſtitione numinis terrerentur, D. Marcus hujusmodi homines in inſulam relegandos ſcripſit.

Sententiam hujus legis latiſſima ſuperſtitionis appellatio declarat. Veteres enim omnem in cauſa religionis errorem ſuperſtitionis voce complexi; & ut religione coli numen, ita ſuperſtitione violari judicarunt, autore Seneca *lib. 2. de Clementia*; ſed & hominum animos novis & ſuperſtitioſis ritibus conturbari: inde ſeditiones, inde turbas, ut hic & apud Paulum *lib. 5. ſentent. tit. 21.* ubi vaticinatores qui ſe [illegible] & Deo plenos aſſimulant futuraque conjectant, civitate pelluntur, *ne*, inquit, *humana credulitate publici mores ad ſpem alicujus rei corrumpantur, vel certe ex ea populares animi turbentur.* Quod & ad eos extendit, qui de ſalute Principis aut Reip. conſulti reſpondent: nec non ad eos, qui humano ſanguine litant, aut generaliter novas & uſu vel ratione incognitas religiones, ex quibus animi moveantur, inducunt. Non alia Athenis damnationis cauſa Socrati; non alia pleriſque Romae ſub Tiberio. Ideoque Romani etiam cives, qui ſe ſervosve ſuos Judaïco ritu circumcidi patiuntur, in inſulam relegantur; teſte eodem Paulo *lib. 5. ſentent. tit. 22.* quo & pertinet *l. circumcidere* 11. *D. ad l. Cornel. de ſicar.* Tenuia exempla haec longe certius ſecuti deinde Principes vere pii. Hinc qui δεισιδαιμονίαν plebi Chriſtianae perſuadere conarentur aut profanos aris ignes accenderent, capite puniti, *l. 5. & l. pen. C. de haeret. & Manich. l. 5. & l. 7. C. de pagan.* Atque αἱρέσεων & novorum rituum rei, publicorum inter criminum reos adnumerati, & eorum alii infamia vel exilio, alii ſanguinis poena affecti, *l. 4. l. Ariani* 5. *C. de haeret. & Manich.*

Lex 6. D. de publicanis.

Si multi publicani ſint, qui illicite quid exegerint, non multiplicatur dupli actio, ſed omnes partes praeſtabunt: & quod ab alio praeſtari non poteſt, ab altero exigetur, ſicut D. Severus & Antoninus reſcripſe-

[illegible] re a pluribus ſimul publicanis admiſſa ſit, utrum illa dupli actio pro numero publicanorum multiplicetur atque creſcat, ut in duplum ſinguli teneantur. Cenſet noſter praeſtari a ſingulis partes dupli, ac ſufficere, ſi ſolidum duplum ab omnibus ſimul publicanis ejuſdem fraudis reis conficiatur. Nempe hoc ipſum eſt, quod tradit ut in *l. 2. §. 1. & §. ſi plures* 2. *ſup. hoc tit.* non pro ſingulis ſervis, qui fraudem admiſerunt, ſingulas poenas dupli a vectigalibus ſociis pendi, ſed ſi tantum praeſtetur, quantum ſi liber unus deliquiſſet, abolitionem fieri juſtam. Suam tamen ipſe ſententiam ita interpretatur Modeſtinus, ut ſi ex pluribus publicanis, fraudis conſciis, quidam ſint non ſolvendo, pro his caeteri magis idonei conveniantur, ut *l. aufertur* 46. *§ ult. D. de jure fiſc. l. 7. C. eod.* Quod ipſum hodie in obligatione a duobus reis promittendi contracta ſervatur in *Nov. 99. cap. 1. l. 11. D. de duobus reis. §. ult. Inſtit. de replicat.* Ex his conſequens eſt, ut ſi jam ab uno publicanorum perſoluta fuerit poena dupli, caeteris omnibus quaeſita liberatio cenſeatur: ut ea quoque in re publicani plures pluribus depoſitariis, apud quos eadem res aeque depoſita eſt, comparentur, *l. eandem* 9. *D. de duob. reis. l. 1. §. ſi apud duos* 43. *D. depoſ.* Comparentur item tutoribus pluribus, qui communem in re pupillari dolum admiſerunt: quorum uno id, quod intereſt, perſolvente, contutores liberantur, *l. ſi ex duobus* 15. *D. de tut. & ration. diſtrah.*

Forte quis objiciat, publicae diſciplinae, quae in delictorum vindicta verſatur, repugnare, ut levius qui cum ſociis deliquere, plectantur, quam qui ſoli; & ea re homines ad ineundam ſcelerum ſocietatem invitari: qua ipſa ratione proditum videtur in *l. item Mela* 11. *§. ſed ſi plures* 2. *D. ad leg. Aquil.* ſi ſervus a pluribus percuſſus interierit, omnes quaſi occiderint, teneri, quod ex lege Aquilia, id, quod alius praeſtitit, alium non liberet. Receptum item in *l. ſiquis id quod* 7. *D. de juriſd. omn. jud.* ut quot numero ſervi album praetoris corrupere, totidem poenae a domino praeſtentur. Receptum denique in *l. 1. C. de [illegible]. furt.* ut ſi plures eandem rem furati ſint, ſinguli non pro eo, quod abſtulerint, ſed in ſolidum obligentur: quod ipſum in pluribus ejuſdem caedis reis obſervatur, *l. ult.* & ibi Bartol. *D. ad leg. Corn. de ſicar.* Sed hi vero nodi vel ex poſtremis ipſis verbis *hujus legis*, recte intellectis, diſſolventur. Enimvero fraudem a crimine, fraudis participes a criminis reis vehementer differre Imperatores adverterunt: Cum illis durius, cum his mitius eſſe agendum. Si plures ſint criminis rei, ſinguli tenentur in ſolidum: ac fruſtra quidam ex his poenam hac ratione deprecentur, quod jam ab aliis exacta ſit. Et eo pertinet ſupra *objecta lex*, *item Mela* 11. *§. ſi plures* 2. *D. ad leg. Aquil. d. l. ſiquis id quod* 7. *D. de juriſd. omn. jud. d. l. ult. D. ad leg. Corn. de ſicar. d. l. 1. C. de [illegible]. furt.* Quippe illis locis de homicidio, de corruptione edicti perpetui, de furto, hoc eſt, de criminibus meris agebatur. Atque haec etiam ſententia confirmatur ex *l. ſi plures* 34. *D. de injur. l. ita vulneratus* 5. *D. ad leg. Aquil. l. 21. §. 1. D. de furt. & l. utique* 21. *in verſ. primo, D. de liberal. cauſ. junct. l. 1. D. ad leg. Fab. de plagiar.* Hinc ex cauſa criminis adverſus collegium vel univerſitatem ita animadverti receptum eſt, ut ſingulis poena propria, etiam nonnunquam capitalis, infligatur. Notatur *in cap. ad petitionem* 21. *de accuſat.* Vide Lucium, de more Ambianorum antiquato *lib.* 12.

pla-

blicae tuendae cauſa, vindicandum: quo magis domini miniſterio proborum hominum uti aſſueſcant, aut ſervorum moribus invigilent. Denique ſi jus ſingulare *d. legis* 1. *D. ſi fam. furt. fec. dic.* & *d. l. illud* 31. *D. ad leg. Aquil.* exceperis, quoties crimen a pluribus admiſſum eſt, ſingulis ſingulae poenae debentur.

At enim ſi fraus a pluribus admiſſa ſit, ſingulorum melior conditio eſt, quam ſi ſoli deliquiſſent: & poena, ab uno praeſtita, caeteri liberantur, ut hic: & confirmatur in ſpecie *l.* 1. *§. ſi plures* 4. *D. de eo per quem fact.* & *l.* 1. *§. quoties* 13. *D. de vi & vi armat. l.* 3. *D. de his qui dejec. vel effud. l. tres tutores* 55. *§.* 1. *D. de adm. tutor. l. ſemper* 15. *§. ſi in ſepulchro* 2. *D. quod vi aut clam.* Nam his legibus cum fraudulenta facta magis, quam crimina admiſſa proponerentur, non multiplicari poenas traditum eſt. Et vero cum illicite publicani quid exigunt, fraudem demum admittunt: quare nec ſinguli duplum pendunt, puniendi utique durius, ſi per vim & concuſſionem quid extorſerint, ut *l. locatio* 9. *§. quod illicite* 5. *hoc tit.* Crimina quidem ipſa rigidius compeſcuntur: leviorum vero delictorum coërcitiones benignitate immixta temperandae, ne alioqui creſcat immenſum triſtiſſima poenarum multiplicatio. Et in his potiſſimum generalis illa de poenis molliendis ſententia locum obtinet, *l. interpretatione* 42. *D. de poen. l. non omnes* 5. *§. a barbaris* 6. *D. de re mil.* Denique in levioribus criminum cauſis ad lenitatem propendet judex magis; in gravioribus ſeveritatem legum ſervat.

Lex 20. *D. de accuſat.*

Ex judiciorum publicorum admiſſis non alias tranſeunt adverſus heredes poenae bonorum ademptionis, quam ſi lis conteſtata & condemnatio fuerit ſecuta: excepto repetundarum & majeſtatis judicio, quae etiam mortuis reis, cum quibus nihil actum eſt, adhuc exerceri placuit: ut bona eorum fiſco vindicentur: adeo ut Divus Severus & Antoninus reſcripſerint, ex quo quis aliquod ex his cauſis crimen contraxit, nihil ex bonis ſuis alienare, aut manumittere eum poſſe. *Ex caeteris vero delictis poena incipere ab herede ita demum poteſt, ſi vivo reo accuſatio mota eſt; licet non fuit condemnatio ſecuta.*

EX privatorum delictorum cauſis poenales actiones non niſi lite cum defuncto conteſtata adverſus ſucceſſores tranſmittuntur, *l.* 1 *D. de privat. delict. l. penult. D. de in jus voc.* Dixi plenius in *l. utique* 21. verſ. *nec cum ſucceſſoribus*, *D. de liber. cauſ.* ſupra. Quid in publicis criminibus publicationis bonorum poena dignis obtineat, ex hac lege intelligimus. Nempe illi locus ita demum, ſi & conteſtatio litis & condemnatio rei mortem anteceſſerit, ut hic & *l. eorum* 10. *C. de jur. fiſc.* Ex hoc jure ortum Imperatoris reſcriptum in *l. ſi is quem* 3. *C. ſi reus vel accuſ. mort. fuer.* ubi cum quis, homicidii poſtulatus, pendente reatu, deceſſiſſet, accuſa-

Eodemque modo, ſi quis, priuſquam Princeps de ejus poena conſultus reſpondiſſet, diem ſuum obierit, ejus morte crimen ſolvitur, *l.* 2 *D. de bon. eor. qui ant. ſent.* Ejuſdemque generis eſt, quod rei poſt accuſationem indemnati defuncti teſtamentum valet, *l.* 9. *D. qui teſtam. fac. poſſ.* Quorum omnium haec ſumma ratio eſt, quia continendorum hominum, non etiam puniendorum aut infamandorum mutandive eorum ſtatus cauſa, carceres reperti ſunt, *l. aut damnum* 8. *§. ſolent praeſides D. de poen.* Ac, dum vita ſupereſt reo, innocentiae probandae, aut veniae vel abolitionis impetrandae ſpes quaedam eſt, ut *l.* 3. & *l.* 4. *D. de abolit.* Denique abſentem & inauditum condemnari inhumanum eſt, *l. abſentem* 5. *D. de poen.* quanto inhumanius vita functum? Sane ſi in vita functum ſententia ferri non poteſt, ſequitur ut vita functi bona publicari non poſſint, *l. eorum* 10. *C. de jure fiſc. lib.* 10.

Sed generali huic definitioni juris haec exceptio ex Modeſtino ſubjicienda eſt, *niſi repetundarum aut majeſtatis poſtulatus ſit.* Nam ex horum criminum cauſis judicium mortuo ante condemnationem reo non ſolvitur, ut hic & *d. l.* 15. *D. ad Turpill. l. ultim. D. de bon. damnat. junct. l.* 7 & *l.* 8. *C. eodem ad Jul. majeſtat.* Confirmat exemplum Libonis Druſi apud Tacitum *libro* 2. *Annal.* Imo nec tantum horum criminum actio adverſus heredes durat, ſed & poſt mortem inchoari poteſt, atque inſtitui, ut & rei memoria damnetur, & defuncti bona heredibus ſive legitimis ſive teſtamentariis auferantur: ut hic & *l. ſi quis* 6. *§. quod ſi* 10. *D. de injuſt. rupt.* Tantae ſeveritatis ratio gravitati horum criminum & boni publici momento tribuenda; unde & ſpecialia alia ſatis multa in his criminibus recepta ſunt, uti notum. Tamen ſerva, quod generaliter de judicio majeſtatis hoc loco traditur, de judicio perduellionis proprie intelligendum. Enimvero non, quiſquis majeſtatis reus ante ſententiam decedit, in ea conditione eſt, ut ejus crimen etiam ab heredibus purgandum ſit: ſed is tantum, qui hoſtilia adverſus Rempub. aut Principem agitaſſe convincitur, qui & perduellio nominatur, ut *d. l. ult. ſub fin. D. ad leg. Jul. majeſt. l. defuncto* 6. *junct. l.* 3. *D. de pub. judic.* & *l. quos nos* 234. *D. de verb. ſign.* Majeſtatis imminutae ſpecies reliquae, reo ante ſententiam, nedum ante accuſationem, defuncto, tanquam leviores, extinguuntur: neque aut publicatione bonorum, aut condemnatione nominis ſeu memoriae vindicantur, *d. l. ult. D. ad leg. Jul. majeſt.*

Porro his exceptionibus adnectendae etiam aliae duae. Prima eſt, ſi quis publici alterius criminis reus, cujus poena ſit mors, bonorumve publicatio, ſibi mortem conſcientia criminis aſciverit. Tunc enim heredes, niſi innocentiam defuncti probaverint, bonis defuncti ſpoliantur in fiſcum devolvendis, *l. ult. §. idem reſcripſit* 2. *D. de bon. eor. qui ant. ſent. l.* 6. *§. ejus* 7. *D. de injuſt. rupt.* Ratio ea eſt, quoniam qui hujuſmodi criminum accuſati de ſe ſtatuunt, pro convictis, confeſſis & condemnatis habentur, *arg. l.* 3. *§.* 1. *D. de bon. eor. qui ant. ſent.* & *l.* 1. *C. de confeſſ.* Altera eſt, ſi reus publici criminis, cujus convicti bonis carent, corrupto adverſario perierit, etiam morte ſua. Nam & hujus quaſi confeſſi bona fiſco vindicantur, *l.* 1. & *l.* 2. *d. tit.*

Digitized by Google

omnium bonorum pertinere; nam aliis etiam de cauſis bona heredibus auferuntur, ſed non omnia, neque a fiſco ſemper auferuntur. Enimvero nullo in crimine bonorum, ſcelere partorum, quaeſtio morte ſolvitur; imo etiam ante accuſationem mortuo reo quaeſtio eorum recte inſtituitur, ut heredibus extorqueantur, veluti ſi quis, cum legatum ſibi falſo aſcripſiſſet, vita deceſſerit, *l. 4. & l. 12. D. ad leg. Corn. de falſ.* Ita & ratione pecuniae ſubreptae, peculatus & reſiduorum crimen tranſit adverſus heredem, *l. ult. D. ad leg. Jul. pecul.* & mortua veneficii rea, quae marito potionato ſucceſſit, licet extincta ex ſeſe ſit cognitio veneficii, bonorum tamen, eo ſcelere quaeſitorum, integra ad fiſcum delatio eſt, ut ea bona demum, non etiam univerſitas bonorum, heredibus auferatur, *l. Lucius 9. D. de jur. fiſc.* Ac ſimiliter, quamvis, extincto adultero, moveri quaeſtio adulterii non poſſit, *l. 18. D. ad leg. Jul. de adult.* tamen ratione dotis id judicium adverſus heredes viri tranſmittitur, *l. ult. D. ad leg. Jul. de adult.* quo & ſpectat *lex 2. D. de his quae ut indign. & l. 2. C. de Carb. edict.*

Ad verſic. *adeo ut Divus.*

REcte iſtud, tanquam in hiſce majeſtatis & repetundarum criminibus ſpeciale proponit, ut eorum criminum rei ſuarum rerum adminiſtrationem amittant. Nam alterius cujuſque criminis poſtulato libera interim bonorum adminiſtratio permittitur, etiam donandi facultas, *l. poſt contractum 15. l. donationes 31. D. de donat.* quemadmodum etiam regulariter debitoribus ſuis, pendente reatu, pecuniam ſolvere reos, aut iiſdem pecuniam a debitoribus ſolvi, vetat nihil, *l. reo criminis 41. D. de ſolut. l. aufertur 46. §. in reatu 6. D. de jure fiſc. l. 2. & l. 3. C. ſi reus vel acc. mort. fuer.* Itemque teſtamenta reorum ante ſententiam condemnationis facta valent, *l. 9. D. qui teſt. fac. poſſ.* quia nemo ante condemnationem ſtatum aut conditionem mutat, *l. 6. D. de pub. jud. l. 11. in princ. D. ad leg. Jul. majeſt. d. tit. 6. C. ſi reus vel acc. mort. fuer.* dictum ſupra *in princ. h. l.* Aliud tamen jure proprio in graviſſimis hiſce criminibus receptum eſt, ut actus hi cuncti & ſimiles, non tantum ſi accuſationem, ſed & ſi admiſſa ejuſmodi crimina ſecuti ſint, tanquam inanes & in fraudem fiſci facti, revocentur, ut hic & *l. deferre 18. §. ult. D. de jure fiſc. l. 5. §. emancipationes 4. l. 6. §. 1. C. ad leg. Jul. majeſt. & l. ult. in fin. D. de bon. damnat.*

Quod poſtremo loco ſubjicitur, ad privatorum delictorum cauſas, quibus privatam ultionem poenamque pecuniariam perſequimur, referendum eſt: nam ut ex his poenae ab heredibus incipiant, facit ſola litis conteſtatio, *l. non ſolet. 86. & l. poenalia 164. D. de reg. jur.* dixi in *d. l. utique 21. verſ. nec cum ſucceſſoribus agetur, D. de lib. cauſ.*

Lex 13. D. ad leg. Jul. pecul.

Is, qui praedam ab hoſtibus captam ſurripuit; lege peculatus tenetur, & in quadruplum damnatur.

SEnſus hic eſt: ſi quis praedam, quam populus Rom. ab hoſtibus reportavit, ſurripuerit, non furti, ſed peculatus poena tenetur. Rationem vel ipſa peculatus definitio ſubminiſtrat: nempe ut peculatus furtum pecuniae publicae ſit, *l. 1. ſup. hoc tit.* Reip. acquiri, hoc eſt, publicas fieri, conſtat: eſt enim praeda Populi vel Principis, non militum: ni prius eam ejuſve partem Princeps Populuſve militibus indulſerit.

Fruſtra objiciatur huic ſententiae, *lex, Si captivus 20. D. de capt. & poſtl. reverſ.* ubi cum hoſtes agrum, in ſolo Romano poſitum, invaſiſſent, & de eo deinde agro a Romanis militibus expulſi eſſent, impune ejus agri poſſeſſionem ingreditur dominus prior. Nempe hoc ideo, quia privatorum agri, quos ab hoſtibus occupatos Romani milites recepere, nequaquam cedunt in praedam, ſed velut poſtliminio ad priores dominos revertuntur. Nam quemadmodum perſonae, ita & res captae ab hoſtibus, poſtliminium quoddam habent, *l. 2. D. de capt. & poſtl. reverſ.* Quod tamen de his rebus accipiendum non eſt, quae in bello turpiter & cum flagitio fugae vel timoris amittuntur; cujuſmodi arma & veſtes. Haec a militibus Romanis amiſſa, ac deinceps recuperata cedunt in praedam, ideoque a prioribus dominis, perinde atque arma & veſtes hoſtium, non ſine peculatus crimine contrectantur, *d. l. 2. & l. 3. D. de capt. & poſtl. reverſ.* Plane naves, equi, agri, ſine culpa a fortiſſimis viris amittuntur, ideoque ſi virtute Romana ab hoſtibus recipiantur, tunc jure licito a prioribus dominis occupantur, *dictis ll.* Quod & de ſervis ab hoſtibus captis, deinde reverſis, aut ex hoſtium manu receptis, proditum eſt, ut dominis ſuis velut jure poſtliminii reſtituantur, *l. Sicut 10. C. de poſtl. reverſ.*

Lex ultima ad leg. Jul. de vi privata.

Si creditor ſine auctoritate judicis res debitoris occupet, hac lege tenetur, & tertia parte bonorum multatur, & infamis fit.

LEge Julia privatorum, ſive *de vi privata*, hi coërcentur, qui licet ſine armis, tamen non per judicem quid repoſcunt, etiamſi juſto alioqui titulo nitantur: qualis creditor rem debitoris propria auctoritate prehendens, ut hic & *l. ſi quis aliquem 5. D. eod. tit. l. extat. 13. D. quod metus cauſ. l. 3. D. quod vi aut clam. l. in poſſeſſionem 5. C. ad l. Juliam de vi pub. vel priv. & l. 3. C. vi bon. rapt.* Quod adeo verum eſt, ut ad creditorem pignora citra auctoritatem judicis auferentem porrigatur Paulus *libro ſecundo ſent. tit. 14.* Nec mutat, quod debitori fugienti creditor pecuniam extorquet impune, *l. ait praetor 10. §. ſi debitorem 16. D. quae in fraudem cred.* Odium quippe furis in fraude manifeſta deprehenſi, pariter & favor creditoris aut domini de jactura rei ſuae periclitantis, hoc evicit. Nam ſi publica auctoritas expectetur, non incertum imminet rei propriae amittendae diſcrimen: qua ratione qui vas furtivum furi aufert, furem nihilominus condemnat in duplum, *l. qui vas 48. in princip. D. de furtis.* Non obſtat etiam poena mitior, adverſus legatarios, res legatas propria auctoritate vindicantes, conſtituta, ut eas res heredi reſtituere tantum compellantur, quarum nomine heredem denuo poſſint convenire, non excidant jure legati, aut duriore aliqua poena plectantur, *l. 1. §. 1. D. quod legat.* Ratio diſcriminis in eo poſita eſt, quia creditor rem debitoris propria auctoritate vindicans, rem alienam vindicare cenſetur; cum res nobis debita, aut nobis pignerata, no-

Digitized by Google

cum eo, qui propriam, quam cum eo, qui alienam rem occupavit, eſſe agendum ratio ipſa ſuadet, modo non furenter & vi mera poſſeſſor expellatur: quo quidem caſu dominus ipſe rei ſuae proprietatem amittit, ſive legatarius is fuerit, ſive alius, *l. non eſt dubium 5. C. de legatis. l. ſi quis in tantam 7. C. unde vi.* Minus placet Iacobi Cujacii, clariſſimae memoriae viri, illa diſtinctio, quae in *l. extat* 13. *D. quod met. cauſ.* ut haec jura conciliet, edictum quod legatorum, ad eum legatarium demum refert, qui propria auctoritate rem legatam ante aditam hereditatem occupavit: quaſi minus nocentem eum faciat αἰτίαν vacantis hereditatis. Plane Praetor eo edicto de legatario quovis rem legatam ſine voluntate heredis occupante loquutus eſt, nec diſtinctam vacantis, aut poſſeſſae hereditatis mentionem fecit ullam. Quin edicto caſum utrumque contineri colligas, evidenter ex ſententia *dictae l. 1. in §. ſi duae* 12. cum enim legatarius hereditate vacante ex duabus rebus legatis, alteram ex voluntate heredis, alteram non ex voluntate ejuſdem, nequeat occupare, ſequitur ut in ſpecie ejus §. *ſi duae* 12. aditam hereditatem conſtituamus: quo tamen caſu rem ſine voluntate heredis occupatam interdicto quod legatorum reſtituendam, Ulpianus cenſet.

At cum ſententia hujus legis pugnat magis *lex* 3. *C. de pignoribus*: ubi creditores, propria auctoritate pignus occupantes, vim non feciſſe reſcriptum eſt, licet judicis auctoritate poſſeſſionem eos adipiſci debere, eodem reſcripto tractatur; quaſi modeſtiae cujuſdam urbanitatis demum adhibendae creditores admoneantur: non etiam tanquam ex cauſa vis commiſſae, aut crediti, aut tertiae partis bonorum, aut exiſtimationis jactura mulctentur. Sed enim ſciendum, in ſpecie ejus legis interveniſſe tale pactum, ut ſi conventa die debitor pecuniam non exſolveret, poſſeſſionem propria auctoritate ingredi creditori liceret: hoc enim oſtendunt illa verba, *Conventionem ingreſſi poſſeſſionem exercent.* Eo certe caſu creditorem violentis alienarum rerum invaſoribus comparari durum fuerit. Ei quippe nonnihil prodeſt priſtinus conſenſus debitoris, & expreſſa lex contractus, ne adverſus decretum divi Marci, aut leges Julias *de vi*, commiſiſſe videatur. Id enim pactum, quamvis publici juris ordini non congruat, tamen cum mutuus debitoris & creditoris conſenſus intervenerit, ad excuſandum quadantenus creditorem pertinebit. Quae igitur leges creditorem, propria auctoritate poſſeſſionem ingredientem, reum violentiae pronuntiant, variiſque poenis mulctant, eae omnes cum hac exceptione accipiendae ſunt, niſi debitoris conſenſus intervenerit, qui publicae auctoritatis adhibendae neceſſitatem ultro remiſerit, atque ita juri in favorem ſuum promulgato renuntiaverit. Et hoc tamen caſu, cum ſervari eum ordinem publicae quoque diſciplinae & utilitatis interſit; rem contra juris ordinem occupatam a creditore retineri lex non patitur. Imo creditor interdicto momentaneae poſſeſſionis eam rem reſtituere, aut ejus poſſeſſione decedere compellitur. Et merito! cum eo interdicto quovis modo interpellata poſſeſſio citra cunctationem redintegretur, etiam ab ipſo domino, *l. momentaneae* 8. *C. unde vi. l. unica C.* tionem non de pignore citra auctoritatem judicis occupando, ſed de obliganda re interpoſitam intelligimus. Atque adeo Graecis interpretibus, particulam disjunctionis pro copula accipientibus, aſſentimur, ut ad legitimam pignoris executionem conventio de re, in cauſam pignoris deducenda, pariter & judicis auctoritas requiratur: quod cum *legibus* initio *citatis* plane congruit.

Caeterum publicationem tertiae partis bonorum cum infamia, legitimam reorum, *lege Julia de vi privata*, damnatorum eſſe poenam, Modeſtinus inſinuat: ac de ea quidem poena publicationis conſtat etiam ex *l.* 1. ſup. *hoc tit.* & *§. item lex Julia de vi publica* 8. *Inſt. de pub. jud.* Atque infamiam ſimiliter huic flagitio deberi oſtendit *d. lex* 1. ſupra. Et vero generaliter judicio publico damnatos ſequitur infamia: ut non ſolum a muneribus publicis, ſed etiam a teſtimonii dictione prohibeantur, *l. teſtium* 3. *§. lege Julia* 5. *l.* 14. & *l.* 18. *D. de teſtibus l. qui teſtamento* 20. *§. eum qui* 5. & *§ mulier* 6. *D. qui teſt. fac. poſſ. l.* 6. *§.* 1. *D. ad leg. Jul. repetund.*

Lex unic. D. ad l. Jul. amb.

Haec lex in urbe hodie ceſſat: quia ad curam Principis magiſtratuum creatio pertinet, non ad populi favorem. §. 1. Quod ſi in municipio contra hanc legem magiſtratum aut ſacerdotium quis petierit: per Senatusconſultum centum aureis cum infamia punitur. §. 2. Qua lege damnatus, ſi alium convicerit, in integrum reſtituitur, non tamen pecuniam recipit. §. 3. Item is, qui novum vectigal inſtituerit, ex Senatusconſulto hac poena plectitur §. 4. Et ſi quis reus, vel accuſator domum judicis ingrediatur, per legem Juliam judiciariam in legem ambitus committit, id eſt, aureorum centum fiſco inferre jubetur.

Legem ambitus qui Auguſto velut auctori tribuunt, errant nimis. Renovavit eam, vigorique ſuo reſtituit magis ille, quam tulit. Nempe ambitum etiam vetus Reſpub. compeſcuit variis poenis. Rem ut noris, morem veterum in creandis magiſtratibus breviter ſic habeto. Populus diebus comitialibus in campum Martium conveniebat: ibi petitores munerum tribus circumibant, & prehenſatis ſingulorum manibus ſuffragia comiter poſtulabant: quin deinceps nomenclatores & diviſores invenit ambitio: hinc ſaepe turbae ac tumultus, & virtute veraboniſque artibus ſpretis velut mercatura magiſtratuum. Itaque gliſcenti malo mederi neceſſarium plane fuit. Huic rei lex Petilia lata primum, de qua Livius *lib.* 7. *cap.* 15. qui tamen ea lege proditam reticet poenam. Succeſſit multis poſt annis Calphurnia lex, quae ambitum infamia & honorum interdictione punivit: Cicero *pro Cluentio*, & ex Cicerone Pedianus. Deinceps Calphurniam Cicero ipſe, lata ex ſenatus decreto lege, quae de ejus nomine Tullia dicta eſt, addito etiam exilio decennii, reſtauravit. Memorat ipſe *pro Muraena*. Po-

ruptionis exſortem: prohibitum legibus antiquis illum quidem, hunc autem & conceſſum & maximis viris uſurpatum, etiam Tullio. Et morem illum verum infucatum, ac ſimplicem, Plinius *in epiſtola ad Metium* depingit.

Quod principio proponitur, uſum hujuſce legis in urbe ceſſare, quod populus jure ſuffragiorum exciderit, ni ad poſteriora Imperatorum tempora referatur, minus verum. Etenim Auguſtum jus creandorum magiſtratuum non ſtatim populo eripuiſſe, fides certa. Quin & ipſum candidatos ſuos nonnunquam in comitiis more priſco commendaſſe, Suetonius teſtatur. Alii quidam eam poteſtatem Senatui permiſere: ut Arcadius & Honorius, *l. tres 3. C. de Epiſc. audient. & l. ult. C. de officio Praet.* Sed cum ejuſmodi principum exempla pauca extarent, legem ambitus in urbe ceſſare, & ad curam Principis magiſtratuum creationem pertinere, Modeſtinus generaliter effatus eſt. Quanquam & ſub Principe nonnullum legis ambitus uſum eſſe poſſe, dixeris non abſurde. Nam quae cauſae cives ipſos, eaedem Principem vetant largitione corrumpi, nec minus Principi, quam populo, pudenda munerum publicorum nundinatio. Quare etiam ſpem obtinendorum largitione magiſtratuum boni Principes ſolemnibus Edictis praecidere. Hos inter Alexander *in Lampridio*, nec non Theodoſius in *l. unica C. hoc tit.* & Juſtinianus *novell.* 8. Veſpaſianum contra ob venditos honores infamant hiſtoriae. Verumtamen cum facilius & proclivius in civitatem liberam corruptio ſuffragiorum obrepat, juſta cauſa fuit hujus legis ad municipia potiſſimum amandandae: quoniam urbes iſtae, licet in Italico ſolo ſitae, duumviros tamen ſuos, decuriones, caeteroſque magiſtratus, non ab Imperatore accipere, ſed proprio ſuffragii jure inſtituere conſueverant. Qua in re a provinciis differebant, quibus adminiſtrandis Imperator praeſides arbitratu ſuo deſtinabat; uti notum.

Nec te turbet, quod petitor publici muneris ex pollicitatione civitati facta convenitur, *l. 1. §. 1. l. 9. l. 11. & toto fere tit. D. de pollicitat.* Enimvero non ſingulis civibus quidem, ſed Reip. ob honorem decernendum, vel decretum, quid praeſtare aut polliceri fas fuit; veluti ad opus publicum aut ad ſpectaculum edendum, ſive munus, forte gladiatorum aut venationis. Spontanea quippe hujuſmodi promiſſio vel praeſtatio a crimine ambitus fuit aliena, ut *d. l. 9. d. l. 11. in fin. D. de pollicitat. l. Publius* 36. *D. de condition. & demonſt.* Cicero aſſerit *pro Muraena*. Plutarchus *in Bruto*. Cornelius Tacitus *lib.* 3. *Annal.*

Caeterum ut in magiſtratibus, ita in ſacerdotiis obtinendis ambitum improbat noſter. Sane ob petitum largitione pontificatum reprehenditur Suetonio C. Caeſar, *in ejus vita cap.* 13. Multo ſanctius a ſacerdotiis vere ſacris eam luem Imperatores pii depulere: nam cum Epiſcopi & presbyteri ſuffragiis populi legerentur, ut *l. 49. & l. 75. Cod. Theod. de decurion.* ea munera pretio aut etiam precibus affectari, propoſita ambitus poena, prohibuere, *l. ſi quenquam* 31. *C. de Epiſc. & Cler. Novell.* 6. *cap.* 1. *Novell.* 123. *cap.* 3.

Ad §. 2. qua lege damnatus.

Hoc ipſum veterum inſtitutis jam fuiſſe receptum oſtendit Cicero *pro Cluent.* & Dio *lib.* 40. Non eos tantum praemiis placuit invitari, qui alios deferunt, ſed & qui ſe. Uſque adeo crimina innocentiae ...

Ad verſic. *non tamen* [illegible]

Superius beneficium reſtitutionis ad ſanandum ulcus infamiae, non etiam ad poenam pecuniariam recuperandam ſpectat. Nimirum hoc generali jure proditum eſt, poenas depenſas non condici, *l. quod a quoque 46. D. de regul. juris.* Probatur in *l. 1. §. ſive autem 3. & duobus §§. ſeqq. & l. 3. §. condemnatio 11. D. de tabulis exhibendis*: quo etiam pertinet *l. qui tabulas 27. in principio, & l. ſi debitor 79. D. de furtis. junct. l. ult. D. ne quis eum qui in jus voc. vi exim.* Ergo non aliter bona reo, in integrum reſtituto, redduntur, quam ſi Princeps hanc ſibi eſſe mentem expreſſerit, ut honori pariter boniſque reſtituat. Et hoc poſteriore tamen caſu reſtitutio de bonis, ad alium jam tranſlatis, non accipitur. Bart. in *l. Gallus 29. §. & quid ſi tantum 5. D. de liber. & poſtum. & l. quod ſi minor 24. §. Scaevola 2. D. de minoribus 25. ann.* Neque etiam ad poenam adverſario depenſam extenditur. Idem Bart. in *l. venia 2. C. de in jus voc.* Non extenditur denique ad fructus, in compendium fiſci verſos, *arg. auth. idem l.* 19. in verſ. *abſque ratione fructuum, Cod. de haeret. & Manich.* Atque ita poenam inter, aliamque rem debitam, diſcrimen magnum cernis. Nam ſi quid alterius rei nomine, veluti legati, aut crediti, indebitum ſolutum ſit, condici id neſcit nemo. At quod poenae nomine praeſtatur, id nec impetrata in integrum reſtitutione condicitur: quia tunc non, ut aliis in cauſis, ab initio, ſed ex poſt facto res indebita cenſetur. Qua ratione, ſi reus condemnatus, ex cauſa innocentiae poſt compertae, reſtituatur, haud dubie ampliſſimam interpretationem beneficium reſtitutionis admittit, ut & alienata res a fiſco, & poena adverſario praeſtita, & fructus a fiſco percepti repetantur; quia eo genere indebitum ab initio ſolutum eſt.

Ad §. 3. item is qui.

Non corruptionem tantum ſuffragiorum, ſed remotiores etiam alias factorum ſpecies, Imperatores ad ambitum retulere, veluti inſtitutionem novorum vectigalium. Neque injuria: cum ea res vere pertineat ad jus Principis, *l. 10. D. de publican. l. 1. & l. 2. C. vectig. nova inſtit. non poſſe.* Unde & in legem Juliam, *de vi publica*, novorum vectigalium exactores impingunt, *l. 12. D. ad l. Juliam de vi publ.* Atque adeo ne inſtitutis quidem vectigalibus additur, aut demitur quid impune, *l. 4. dicto tit. C. vect. nova inſtit. non poſſe.*

Ad §. 4. & ſi quis reus.

Adjicitur caput aliud legis ambitus: quod ſic accipe, ut qui aedes judicis, pretio precibuſve corrupturus, introïerit, ſive accuſator ille fuerit, ſive reus, ambitus poena teneatur. Nam ut ſuſpicio, aut facilitas corruptionis vitetur, familiaris horum & arcanus ad judicem aditus improbatur. Idque jam olim judiciariarum legum capite uno Auguſtus prohibuerat, ut hic, & apud Macrob. *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 10. & Dionem *lib.* 4. Quod deinde generaliter ad cauſas omnes (puta etiam civiles) a Theodoſio porrectum eſt *l. 1. C. de off. judic. civil. & l. 1. C. Theod. eodem de off. jud. Civil.* Poſtremo duobus etiam aliis modis contrahi ambitus crimen, Imperatores finxere: quorum extat unus in *l. unica, C. hoc tit.* alter in *l. unica C. de ſenatuſconſ.*

Lex

Digitized by Google

[illegible] ex hoc loco, [illegible] poenam ex-periatur. Neque enim jure illo πρωτοπραξίας uti-tur fiſcus in poenis exigendis, ut hic, & *l. ſi ma-rito* 31. *D. ſolut. matrim. l. non poſſunt* 11. *D. hoc. tit. l. un. C. de poenis fiſcal.* Ratio eſt, quia viget pri-vilegium illud ita demum, ſi fiſcus rem ſuam, hoc eſt, ex contractu ſuo ſibi debitam, perſequatur; non ſi poenam. Quare & eandem exceptionem re-cipiunt generalia verba *legis, aufertur* 46. *§. fiſcus* 3. *hoc tit.* quae ſonant, fiſcum in omnibus cauſis privilegii jus habere. Ad quam etiam reſpexiſſe Ul-pianus videtur in *l. reſcriptum* 10. *D. de pact.* negans, fiſcum privatis ſemper eſſe potiorem. Quibus con-ſequens eſt, ut dicamus, fiſco ex cauſa poenali taci-tam hypothecam in bonis debitoris non compete-re, Accurſius recte in *d. l. aufertur* 46. *d. §. fiſcus* 3. vide Lucium *lib.* 12. *Placitorum tit* 12. Ratio au-tem differentiae ex eo pendet, quia in actionibus rei perſecutoriis declinat fiſcus damnum; in poena-libus inhiat mero lucro: & generaliter de damno ſollicitus magis, quam lucrum adventitium captanti-bus, favendum eſt, ut *l. error* 7. *& l. ult. C. de juris & fact. ignor. l. aſſiduis* 12. *in fine, C. qui potior. in pign. l. quae fideicommiſſa* 71. *D. de legat. ſecundo. l.* 3. *§. ſi quis ignorans* 21. *D. de S. C. Sillan.* Neque obſtat Mo-deſtino *lex, Statius* 48. *§. ult. hoc tit.* nam cum in ejus legis ſpecie, fideicommiſſarius, cui reſtituere haereditatem rogatus à teſtatore haeres fuerat, vi-ventis adhuc haeredis bona, in fiſcum poenae nomi-ne devoluta, vindicaret, merito fiſcum Imperator antepoſuit: quia vivo haerede dies fideicommiſſi nondum venerat. Sed & cum in fiſcum bona he-redis una cum onere fideicommiſſi tranſirent, fidei-commiſſario ſatis conſultum videbatur, *dicta l. Sta-tius* 48. *in fine.*

Caeterum quando dicimus, non prius poſſe fi-ſcum poenam exigere, quam creditores ſuum recu-peraverint, creditores anteriores intelligimus: eo enim haec lex pertinet, ut nullum privilegium in perſequendis poenis fiſcus exerceat, non etiam ut jus commune privatorum amittat: quo receptum eſt priores tempore poſterioribus anteferri. Nam quemadmodum fiſco privilegium exactionis in poe-nis non conceditur, ita nec in iiſdem poenis dete-rior ejus, quam privatorum ſit conditio. Juriſconſ. evidenter in *l. quod placuit* 37. *hoc tit.* Itaque & fi-ſcus tempore prior privato poſteriori praefertur, & tempore poſterior privato antiquiori poſtponitur. Denique fiſco poenam perſequenti beneficium πρω-τοπραξίας demum, non etiam jus commune priva-torum denegatur, *d. l. quod placuit* 37.

Lex 4. D. de crimine ſtellion.

De perjurio, ſi ſua pignora eſſe quis in in-ſtrumento juravit, crimen ſtellionatus ſit: & ideo ad tempus exulat.

UT de ſtellionatu primum, deinceps de perju-rio dicatur, poſtulat ſententia Modeſtini, de eo debitore concepta, qui rem alienam, quam pi-gnori dabat, ſuam eſſe obligationis inſtrumento pe-jeravit. De ſtellionatu ita ſtatuendum, ſicut aliis pleriſque ex cauſis, ita ex eo facto extraordinariam hanc actionem dari, ſiquis ſciens prudenſque rem alienam non conſentiente domino pignori obligave-[illegible] domini, vel patris, ejuſmodi pignus [illegible]-tur, *l.* 1. *l. nec ſi major* 4. *l. ult. C. ſi aliena res pignori.* Sed neque res communes ſocius pro parte ſocii non conſentientis utiliter oppignerat, *l. un. C. ſi commun. res pign. data ſit*: licet alioqui res communes noſtrae eſſe videantur *l. pupillus* 239. *§. ult. D. de verb. ſign.* Unde ſequitur, ut nullam afferant ejuſmodi pigno-ra ſecuritatem creditori. Aliud dicendum, ſi ſcien-tis pariter & diſſimulantis domini res a non domino obligata ſit. Cum enim vafra illa domino diſſimu-latio & ſilentium pro voluntate habeatur & conſen-ſu, ideoque ea proſit obligatio creditori, debitor eo caſu ſtellionatus accuſationem non metuit; *l.* 30. *in fin. D. de rei vindic. l. mulier* 11. *C. de diſtract. pi-gnor.* Verum quaeras, quid de eo debitore ſtatuen-dum ſit, qui rem alienam, quam pignori dabat, ſuam eſſe exiſtimavit. Reſpondeo, hunc ſtelliona-tus quidem actione non teneri, quia ſtellionatus ab errante & doli mali vacuo non contrahitur, *l. ſi quis in pignore* 36. *§.* 1. in verbis, *ſciens prudenſque, D. de pign. act.* ſed civili tamen actione, quae contraria pignoratitia nominatur, teneri, *l. tutor.* 16. *§.* 1. *eod. tit. D. de pignor. act.*

Caeterum, ut haec vera ſint, uno tamen caſu aliena res etiam ignaro domino recte pigneratur. Creditor enim pignus, a debitore acceptum, alii creditori ſuo utiliter pignori dat, niſi ſi expreſ-ſim de pignore pignori non dando convenit, *l.* 8. *D. de diſtract. pign. l.* 1. *C. ſi pignus pign. dat. ſit*: quo-niam eo caſu creditor non tam rem alienam, quam jus, quod in aliena re habet, pignori dat. Unde etiam fit, ut tandiu demum ea pignoris, pignori dati, obli-gatio duret, quandiu ipſi pecunia non perſolvitur: nam ſi ſecundus creditor, poſt ſolutam primo credi-tori pecuniam, pignus ſibi obligatum diſtraxerit, eam diſtractionem prior debitor, idemque dominus pignoris, revocat & reſcindit, *d. l.* 1. *C. ſi pign. pign. datum ſit. & tit. C. ſi antiquior creditor.* Et vero quem-admodum pignus, ita & uſumfructum, & ſuper-ficiem ſoli alieni pignori recte dabis, *l. ſi uſusfructus* 66. *D. de jur. dot. l. ſi is qui* 11. *§. uſusfructus* 2. *& l. grege* 13. *§. & in ſuperficiariis* 3. *D. de pignor. l. etiam ſuperficies* 15 *D. qui potiores in pign. hab. d. l. tutor* 16. *§. ult. D. de pignor. act. l.* 6. *C. de uſufruct.* quoniam eo genere non rem alienam (qua voce proprietas ſignificatur) ſed jus, quod in aliena re nobis compe-tit, damus pignori, quod & cedere & vendere non vetamur, *l.* 12. *& l.* 63. *D. de uſufruct. junct. l. ſed & quod* 9. *D. de pignor. & l. ſi convenerit* 18. *in fine, D. de pignorat. act.*

Poſtremo illud adnotandum, uno caſu pignus rei alienae, etiam ignorante domino, contractum, ab ini-tio valere; tribus vero caſibus pignus rei alienae, fruſtra contractum, convaleſcere ex poſtfacto. Va-let ab initio, ſi non pure, ſed ſub hac conditione aliena res obligetur, ſi quando ad nos dominium ejus rei pervenerit, *l. ſi fundus* 16. *§. aliena* 7. *D. de pignor.* Convaleſcit ex poſtfacto, ſi verus dominus obligationem rei ſuae ratam habuerit *l.* 10. *& l.* 27. *D. de pign. act. l.* 7. *C. ſi aliena res pignori.* Conva-leſcit etiam, ſi rei alienae, pignori datae, dominium debitor acquiſierit, *l. rem* 4. *D. de pignor. act. l.* 5. *C. ſi aliena res pignori.* Convaleſcit denique, ſi debitor domino, cujus rem inutiliter obligavit, haeres ex-titerit, *l. ſi Titio* 22. *D. de pignor. l.* 3. *C. de reb. alie-ni:*

cum ait, ex ea cauſa fieri crimen ſtellionatus de perjurio: quaſi diceret, debitorem, qui rem alienam obligavit, recte ſtellionatus, non recte perjurii, conveniri a creditore. Quae diſtinctio ad illos juris locos pertinet, quibus traditur de perjurio per Deum admiſſo non quaeri. Quae ſententia, cum haud perinde ſemper in libris noſtris habeatur, Interpretes vexat mire. Libero ego, jura nova veteraque, pia ac profana diſcernens. Profecto ita eſt: qui per Principem, per genium, fortunam, aut ſalutem Principis pejeravit, fuſtibus plectitur, & infamia, *l. ſi duo patroni* 13. §. *ult. D. de jurejurando.* & *l.* 2. *C. de rebus creditis.* Qui autem per Deum pejeravit, legibus non punitur, ſed puniendus ipſi Deo permittitur, *dicta l.* 2. *C. de rebus credit.* Idem confirmatur in *l. non erit* 5. §. *dato* 2. *D. de jurejurando:* ubi ſi juratum eſſe dicatur, non jam illud quaeritur, an pecunia debeatur, ſed an ab adverſario juratum ſit: confirmatur & in *l. adverſus* 15. *D. de exception. praeſcr. & praejudic.* ubi adverſus jurisjurandi exceptionem replicatio doli mali non admittitur: quod Praetor id agere debeat, ne poſt cujusquam jusjurandum de perjurio quaeratur. Neque alia ſententia eſt *legis, quod ſi* 21. & *l. nam ſufficit* 22. *D. de dol. mal. l. admonendi* 31. *D. de jurejur. l.* 1. *C. de reb. cred.* Haec utique juris priſci. Veteres enim cum perjurii, quo crimine divina imprimis majeſtas impetitur, ſeveriſſimum ultorem Deum fore cenſerent, homines ab eo crimine ita magis abſterreri crediderunt, ſi nullam poenam perjurio ipſi ſtatuerent, ſed divinas poenas minarentur, *dicta l. nam ſufficit* 22. *D. de dol. malo. d. l.* 2. *C. de reb. cred.* Quare perjuria per Principem admiſſa tantum punivere: hinc illud Tiberii apud Cornelium Tacitum, *Deorum injurias diis curae:* nec non illud Tertulliani, *in Apologetico, cap.* 18. *Tutius apud gentes per omnes Deos, quam per unum genium Caeſaris pejerari.* At mox principes vere pii, cum divinae ultionis metum parum apud homines poſſe experirentur, & impietatis ipſius vindictam ad munus legum pertinere animadverterent, eum morem abrogarunt. Probatur conſtitutione Arcadii & Honorii, Chriſtianorum Impp. in *l. ſi quis major* 41. *C. de tranſact.* ubi qui adverſus pactionem jurejurando confirmatam fecerit, infamia & aliis quibusdam poenis plectitur. Probatur & *l.* 2. *C. de indicta viduit. toll. in fin.* verbis illis Juſtiniani, *Perinhumanum eſt cum perjuria legibus puniantur leges ipſas perjuriis viam aperire.* Probatur item in *l. ult. C. de reb. credit.* ubi cum quidam legatum aut fideicommiſſum ſibi deberi deferente haerede juraſſet, & ex judicis ſententia legatum aut fideicommiſſum eſſet adeptus, poſtea de perjurio conſtitiſſet, jurejurando non ſtari, neque ex perjurio lucrum quaeri Juſtinianus ſtatuit. Sed & res judicatas ex perjurii cauſa retractari, perjuriaque puniri, argumento eſt *Novella* Juſtiniani 77. §. & *quoniam* 1. ubi etiam qui per caput Dei jusjurandum concipiunt, ultimo ſupplicio puniuntur. Quae omnia cum legibus antiquis ethnicorum, perjurii poenam numini permittentibus, evidenter repugnent, neceſſe eſt poſterioribus temporibus eas leges, utpote minus pias, & publicae diſciplinae parum idoneas, Chriſtianos Principes abrogaſſe dicamus. Quod etiam Juſtinianus oſtendit non obſcure in *d. l. ult. C. de rebus cred.* illo loco, *nobis melius viſum eſt, &c.* Quare & in his locis conciliandis fruſtra laborant Interpretes, & perjurium *hac lege noſtra* plecti tradunt perperam.

xias dimittat, & nocentes, qui duriorem animadverſionem indigent, differat.

HUjus legis partes duae. Prior dictat, cuſtodiis interrogandis & audiendis tum clariſſimos viros, tum etiam Juriſconſultos adhibendos. Cuſtodias, haud dubie, reos in vincula & cuſtodiam datos Modeſtinus appellat. Etſi enim cuſtodiam carceres ipſos frequentius appellemus, tamen etiam in libris noſtris notio illa hujus vocis ſatis frequens, ut *l.* 6. *D. de offic. Proconſ. & Legat. l.* 8. *l.* 10. *l.* 12. *l.* 14. *D. de cuſtodia & exhibit. reorum:* neque aliter ea voce uſus Seneca *lib.* 1. *epiſtolarum epiſt.* 5. Suetonius *in Nerone cap.* 31. Idem *in Domitiano cap.* 14. Plinius *lib.* 21. *cap.* 3. Male quidam ea voce milites, cuſtodiendis reis applicitos, intellexit. Porro *cuſtodias auditurum* quando ait, Proconſules ſignificat & Praeſides provinciarum. Nam ut in urbe Roma cuſtodias audit ipſe Princeps, aut Praefectus praetorio vice Principis; ita Praeſides aut Proconſules in provinciis, *l. ex omnibus* 10. *D. de off. Praeſid.* Licet enim id munus Legatis ſuis aliquando mandent, tamen & extra ordinem, neque alio fine mandant, quam ut praeauditas cuſtodias ad ſe remittant; quia animadvertendi aut liberandi poteſtas in Legatos transferri non poteſt, *l.* 5. *l.* 6. *l.* 11. *D. de off. Proconſ. & Legat. l.* 70. *D. de reg. jur. l.* 1. *C. de off. Proconſul.* Sed & Praeſides aut Proconſules hic intelligi ex eo confirmatur, quod de puniendis cuſtodiis, aut poena earum differenda, hoc loco ſubjicitur, cum, ut dictum eſt, officium Legatorum minus late pateret.

Quod autem Praeſes aut Proconſul cuſtodias auditurus Juriſperitos ſibi adjungere jubetur, cauſarum criminalium gravitati imprimis tribuendum eſt: quae ut conſultius judicentur, attente audiendae cuſtodiae ſunt: quippe hae cauſae, cum ad ſanguinem aut exiſtimationem pertineant, ſummo judicio & conſilio tractandae, nec judici uni permittendae: ne quid imperitia aut dolo malo peccetur. Neque mirum! cum etiam pecuniariis ac civilibus cauſis dirimendis peritos in conſilium a judicibus adhiberi conſueſſe ſatis conſtet, vel ex Sulpitii Grammatici verbis apud Gellium *lib.* 12. *cap* 13. Imo etiam in Urbe cauſis omnibus judicandis, tum Principes, tum Praefecti Praetorio aſſeſſoribus Juriſconſultis utebantur. Lampridius *in Alexandro Severo.* Juſtinianus in *conſtitutione prima de novo Codice faciendo: & conſtitut. de Juſtin. Cod. confirm.* Alexander *l.* 4. *C. de contrahenda & commit. ſtipul.* Marcus Philoſophus & Aelius Verus in *l. divi fratres* 7. *D. de iure patronat.* Quod reſipit antiquiorem Jureconſultorum dignitatem, de qua Cicero *lib.* 3. *de Oratore*, & Juſtinianus in §. *reſponſa* 8. *Inſtit. de jure nat. gent. & civil.* Ulpianus *l.* 1. *D. de juſtitia & jure.* Veterum exemplo Carolus Quintus a cauſarum imprimis criminalium Judicibus Peritos conſuli jubet. Quem morem & in Italia aevo ſuo viguiſſe Bartolus hoc loco tradit.

Caeterum Clariſſimorum appellatio non pro his, qui ea voce, ſtrictius ſumpta, ab Illuſtribus, Perfectiſſimis, & Spectabilibus diſtinguuntur; ſed largius accipienda eſt: ut quoslibet, aut generis, aut publici muneris, vel doctrinae ſplendore, aut fide, rerumque experimentis conſpicuos, notione ſua complectatur.

Quid in cauſis criminalibus per dies feriatos exerceri poſſit, aut quid non poſſit, docet pars poſte-

rior.

by Google

cipe vel Senatu extra ordinem imperatae. Adde & natalitium Principis diem, & Januarias Calendas. Licet enim feriis illis cunctis, tum a litibus, tum ab opificiis ceſſaretur, ac ne ex conſenſu quidem partium judicare fas eſſet, ut *l. 1. §. ſed ſi 1. D. de feriis. l. omnes 7. C. eod.* & ſimilibus: tamen ob publicam utilitatem etiam cuſtodiarum cognitioni feriae illae impendebantur, ut hic: quod & de his, quae ad militarem diſciplinam pertinent, a Trajano reſcriptum eſt, *l. 9. D. de fer.* Quanquam aliud antiquioribus temporibus obtinuiſſe colligatur ex Tacito non abſurde, *Annal. lib. 4.* ubi extat exemplum accuſatoris, eam ob cauſam relegati, quod feriarum Latinarum die delationem inſtituiſſet. Religioſum morem illum ſubegit forſitan immutare feſtorum dierum numerus, paulatim deinde auctus immenſum. Sane & accidit utraque res ſub Principibus vere piis: cum enim Valentiniani, Theodoſii, & Gratiani Chriſtianorum Principum temporibus dies numini ſacri cauſarum omnium criminalium vacationem darent, *l. 2. l. 3. l. 6. l. 7. C. de fer.* merito nonnihil poſtea ab iiſdem Imperatoribus de ſcrupuloſo eo more remiſſum eſt, & graviorum imprimis criminum reos non audire tantum, ſed & torquere, ſanctiſſimis quibuſque diebus Praeſides juſſi, ne peſſimorum conſiliorum proditio quaeſtionibus elicienda differatur, *l. provinciarum 10. C. de fer. l. 3. C. de epiſcopali audientia.*

Quod ſubjicitur, innoxias cuſtodias feriatis diebus dimittendas, id aequiſſimus innocentiae favor ſuadet: quid enim reus, inique delatus, diutius habeatur in vinculis? aut quid feriatis ſacriſve diebus crudelitate poeceatur? At nocentes feriatis diebus plectere non item licet Praeſidi, ut hic, in fine, quamvis generaliter convictos velox poena ſubducat, *l. de his 5. C. de cuſtod. & exhib. reor.* Etenim ſuppliciis reorum temerari feſtos ritus antiquitas exiſtimavit: hinc illud Taciti *lib. 4. Annal. inter ſacra votaque induci laqueos* conquerentis: ſic Tiberium velut novae crudelitatis Suetonius accuſat, quod ne religioſos quidem dies a poena hominum ceſſare pateretur. Firmat Seneca *lib. 5. controverſ.* & Plutarch. *in Mario.* Sane audire cuſtodias de plano poteſt Praeſes, *l. unius 18. §. ult. D. de quaeſtion. l. 6. D. de accuſ.* At condemnare & ſeverius punire non niſi pro tribunali poteſt, ac propalam: cujus rei triſtitia feſtas caeremonias polluere & turbare credebatur.

Lex 16. D. ad leg. Corn. de ſicar.

Qui caedem admiſerunt ſponte dolove malo, in honore aliquo poſiti deportari ſolent: qui ſecundo gradu ſunt capite puniuntur. Facilius hoc in decuriones fieri poteſt: ſic tamen ut conſulto prius Principe & jubente id fiat; niſi forte tumultus aliter ſedari non poſſit.

Quae poenae & quibus caedis patratoribus *lege Cornelia de ſicariis* irrogentur, Modeſtinus oſtendit. Primum autem lege Cornelia eas demum caedes innuit plecti, quae ſponte aut dolo malo committuntur, hic, in verbis, *ſponte dolove malo,* & *l. Divus 14. D. eodem tit.* Idque ipſum eſt tur tamen, *l. 4. §. 1. l. eum qui 5. C. hoc tit. l. aut facta 16. §. eventus 8 & l. ſi quis aliquid 38. §. qui abortionis 5. D. de poen. junct. Novell.* Valentiniani, *de homicidio caſu facto*: quod ipſum in aliis pleriſque factorum cauſis receptum eſt, ut *l. 2. D. de termino moto. l. ult. § divi quoque 6. D. de public. l. qui aedes 9. D. de incend. ruin. naufrag.*

Voluntarias vero caedes variis poenarum generibus pro perſonarum conditione puniri, non eſt novum: durius quippe ſervi, quam liberi; plebeji, quam honeſtiores plectuntur, *l. in ſervorum 10. D. de poenis.* Imprimis autem decurionum ratio habetur, ut ad opus publicum, ad metallum, ad beſtias, ad furcas, graviorefve alias poenas non damnentur, *l. moris 9. §. iſtae fere 11. D. de poenis. l. 3. l. 9 C. eod. de poenis.* Sed & decuriones, aliique in honore poſiti, quaeſtionibus eximuntur, *l. 3. l. 8. D. de quaeſt. l. qui ſententiam 16. C. de poenis. l. ſeveram 10. C. de dignitatibus. lib. 12.* Si tamen crimen perduellionis aut alia exceperis crimina, quae gravitate ad perduellionem accedunt: in his enim nulla dignitas a tormentis & graviſſimis poenis eximitur, *l. 4. D. ad l. Jul. majeſt. l. decuriones 16. C. & l. de minore 10. D. de quaeſtion. l. 7. C. de malef. & mathemat.* Privilegiis autem illis etiam hi, qui decurionatum aliumve honorem gerere deſierunt, perfruuntur: id enim prioris dignitatis memoria & intuitus evincit, *l. ult. D. de decur. l. 17. C. eodem de decur.* perfruuntur etiam decurionum & aliorum magiſtratuum parentes, liberi, nepotes, pronepotes, *l. dico 11. C. de quaeſtion. l. 9. C. de poenis.* Si quid autem judex adverſus illa privilegia peccarit, viginti librarum & infamiae poena mulctatur, *l. omnes judices 33. C. de decur.* Neque vero haec diſcrimina poenarum adverſus *ἰσονομίαν* illam & aequalitatem in judiciis laudatiſſimam pugnant (ea quippe potiſſimum in contractibus pactiſque ſervatur) neque enim refert honeſtus plebejo pecuniam debeat, an honeſto plebejus: neque citra *προσωποληψίας* crimen ſuum magiſtratui potius, quam privato tribuitur. At enim aequales poenas conſtituere quaedam videtur inaequalitas: quia quo quis genere aut dignitate magis excellit, eo graviorem etiam ex leviore poena plagam accipit & infamiam: cum jacturam majoris exiſtimationis & dignitatis patiatur, quae cadere in vilem obſcurumque non poteſt. Sed & hoc veteres attendere, ut publica magiſtratuum auctoritas auguſtior apud populum redderetur: quae res ad Reip. quoque ſecuritatem & utilitatem ſpectat.

Ad verſ. *facilius hoc in decuriones.*

Eos inter, qui extra Urbem in honore poſiti ſunt, decuriones praecipue commendantur. Senatores municipales hi fuere, qui & claritudine generis, & publicis in civitate ſua muneribus excellebant, ac reliquos magiſtratus decretis ſuis conſtituebant, *l. 12. D. de appell. l. 10. §. ult. D. de poenis. l. omnes judices 33. C. de decur.* His ergo velut in laborum mercedem privilegia pleraque, tum in oneribus & praeſtationibus, tum in poenis, Principes indulſere *tit. D. de decurion.* & filiis eorum. Tale illud hujus loci, ut ne a Praeſidibus quidem provinciarum & Proconſulibus, inconſulto Principe, deportentur; quod etiam cernitur in *l. 2. §. 1. D. de*

ait de quibuſdam rebus cognoſcere non licere, conſtat nimis. Exempla in *l.* 6. §. 1. *D. de off. Proconſ. l. divus* 14. *D. de off. Praeſid. l.* 1. *in fin. D. de quaeſtion. l.* 45. *D. de re judic. l. divi fratres* 27. & *l. ad beſtias* 31. *D. de poenis.*

Uno tamen caſu Principis ſuper decurionis poena conſulendi neceſſitatem remitti Praeſidibus vel Judicibus, adjicit Modeſtinus: puta ſi praeſenti decurionis poena ſe dari tumultum expediat, ut hic *junct. l. ſi quis filio* 6. *§. qui tamen* 9. *D. de injuſto rupto*: ubi cum dixiſſet Juriſconſultus, ſi de cujuſquam poena ad Principem Praeſes ſcripſerit, poenam, quoad Princeps reſcripſerit, ſuſtinendam, continuo ſubjicit exceptionem: niſi ſeditio praerupta que facta (quam cauſam mox literis Praeſes excuſabit) feſtinationem poenae deſideret, & moram non recipiat: *tunc enim, punire*, inquit, *permittitur, deinde ſcribere.* Et ita idem Modeſtinus in *l. conſtitutiones* 16. *D. de appell.* ait, eas conſtitutiones, quae pendente appellatione novi quicquam fieri vetant, in iis locum non habere, quos damnatos ſine mora puniri publice intereſt; quales eſſe ait ſeditionum concitatores duceſve factionum. Ratio evidens eſt, quia periculis Reipub. praecipua cura medendum eſt, & omnium perſonarum privilegiis potior publica ſalus. Quanquam & huic exceptioni affinis alia jungenda eſt, ex *d. l. ſi quis filio* 6. & *d. l. conſtitutiones* 16. nam ſi manifeſtis probationibus decurio latrocinii convincatur, non tenetur Praeſes de ejus poena conſulere Imperatorem: quod & ad atrocia alia pariter & manifeſta facinora porrigi poſſe, arg. *legis, obſervare* 2. *C. quorum appellat. non recip.* & *l.* 7. *C. Theod. eod.* ubi reis manifeſti veneficii, caedis, aut violentiae, convictis, & confeſſis, beneficium appellationis denegatur. Poſtremo non obſtat huic ſententiae *lex decurionum* 12. *C. de poenis*: mentem enim ſuam aperiunt Imperatores, ut tunc variae populi voces non audiantur, quando, aut nocentem abſolvi, aut innocentem condemnari deſiderant.

Lex ultima D. ad Leg. Cornel. de falſis.

Si quis falſis conſtitutionibus nullo auctore habito utitur, lege Cornelia, aqua & igni ei interdicitur.

QUi falſis reſcriptis, ſeu falſis conſtitutionibus utuntur, majori poena plectuntur: hic & *l.* 4. *C. hoc titulo* Paulus *lib.* 5. *ſententiar. titul.* 25. Neque mirum! nam & qui nomine Praetoris literas falſas reddidiſſe convincitur, non tantum actione poenali in factum, ſed & legis Corneliae poena tenetur. Ulpian. *in l. qui nomine* 25. *D. hoc tit.* Idem ex eodem Ulpiano dicendum de eo, qui falſo & ſimulato Praetoris juſſu utitur, *l.* 1. *D. de concuſſionibus.* Sciendum autem non notari modo ejus factum, qui falſas conſtitutiones aut reſcriptiones confinxit, aut qui ſigillum vel ſubſcriptionem Principis imitatus eſt: ſed etiam ejus, qui licet ab aliis confictas illas profert dolo malo, atque ita ex alieno crimine lucrum quaerit; ut hic, in verbo, *utitur.* Nam & qui falſo utitur, falſi auctor tandiu exiſtimatur, quandiu auctorem non exhibet: idque in quovis inſtrumento ſervatur, *l.* 2. *C. de fide inſtrumentorum.* Utique ſiquis ab alio deceptus falſo utatur, exhibito eo, a quo accepit, poena ſeſe liberat, *l. qui ignorans* 3. *D. hoc tit. l. ne exemplum* 20. & *l.* 4. *C. eodem tit.* Eo pertinent verba illa Modeſtini, *nullo auctore*

De interdictione autem aquae & ignis, quando nec ſatis clare quidam, & de his talibus poenis in hoc tractatu crebra memini, dico paucis. Capitalis ea poena eſt, metalli poena levior, relegatione gravior. Damnatio in metallum maxima capitis diminutio eſt, civitatem pariter, & libertatem, & fortunas omnes auferens, proxima denique morti, *l.* 2. *l. capitalium* 28. *in princ. D. de poenis. l. inter poenas* 6. *D. de interd. & relegat.* Relegatio vi ſua, nec civitatem, nec libertatem eripit, nec fortunas: ſed infamiam tantum & temporale exilium infligit, *l.* 1. *l.* 4. *l.* 7. *l.* 14. *l.* 18. *D. de interdict. & relegat. l.* 1. *D. de bon. damnat. l. ejus* 8. *D. qui teſtam. fac. poſſ.* Aquae & ignis interdictio ita damnatum excipi domo non ſinebat, *d. l.* 1. *D. de interdict. & relegat.* Paulus *lib.* 5. *ſententiarum tit. ad leg. Jul. de vi publ.* Eum morem Fredericus imitatur in *conſtitutione de pace tenenda*, §. 1. & §. 2. ubi vetat excipi hoſpitio proſcriptum. Ei poenae a veteribus non aliam ob rem ea appellatio tributa, quam ut reos vita indignos pronunciaret, cum neutrius elementi uſu carere ſciat vita mortalium. Hi jure gentium demum, non etiam jure civitatis utebantur: *ἀπόλιδες* & peregrini ex eo dicti, *l. ſunt quidam* 17. §. 1. *D. de poenis.* Quare & excidebant jure togae, quae civium Romanorum propria veſtis. Plinius 4. *epiſt. Carent jure togae, quibus aqua & igni interdictum eſt.* Caeterum in ejus poenae locum ſucceſſit deinde deportatio: quae pares idcirco habet effectus, *l.* 2. *D. de poenis. l. inter poenas* 6. *D. de interdict. & relegat.*

Ad l. 16. D. de quaeſtion.

Repeti poſſe quaeſtionem Divi fratres reſcripſerunt §. 1 Is, qui de ſe confeſſus eſt, in caput aliorum non torquebitur, ut Divus Pius reſcripſit.

HAec lex iterari & repeti poſſe quaeſtionem dictat primo loco. Dubitationem movere poterat, quod quaeſtionem fragilem rem, & facilem eſſe traditum eſt. ideoque judices de ea facile non habenda paſſim commonentur, *l.* 1. §. 1. & *§. quaeſtioni* 23. & *§. Divus Severus* 17. *D. hoc tit.* Paulus *lib.* 5. *ſententiarum tit.* 16. Quare ab ea repetenda poterat multo magis religio quaedam avocare judicantes. Sed enim ſententiam hujus loci clare explicat Juriſconſultus, in *l. unius* 18. §. 1. *D. hoc tit.* cum ait reum, evidentioribus argumentis oppreſſum, in quaeſtionem repeti poſſe, maxime ſi in tormenta corpus animumque duraverit. Quid ergo generalius hoc loco proponitur, repeti poſſe quaeſtionem, ita reſtringendum eſt: ut tum demum locum habeat, quando vel novum indicium acceſſit, vel reum judex obfirmato animo & corpore dolorum patientiſſimo eſſe animadvertit. Tunc ſane ut tormenta repetantur favor eruendae veritatis evincit. Alioqui enim inſtandum eſt accuſatori, ut ejus criminis, quod intendit, fidem faciat, neque probationem eliciat e quaeſtione, & confeſſione rei, *d. l. unius* 18. *§. in ea* 2. *juncta. l. de minore* 10. *§. tormenta* 3. *D. hoc tit.* ne judex actione injuriarum, & in id, quod intereſt, condemnetur, ut *l. item apud Labeonem* 15. *§. quaeſtionis* 40. *D. de injur.* Quanquam poſterioribus temporibus eo deventum, ut tota haec res prudentis judicis arbitrio committatur. Nam quemadmodum judiciorum qualitatem & quaeſtionis modum arbitra-

by Google

ult. C. de accuſat. l. quoniam 11. *C. de teſtibus.* Ratio ex Paulo petenda eſt, *libro* 1. *ſententiarum tit.* 12. ne videlicet is, qui de ſua ſalute deſperavit, alienam ſalutem in diſcrimen adducat. Sed & in cauſis criminalibus teſtes integerrimae exiſtimationis audiuntur, quales convictos confeſſosve non eſſe nemo dixerit. Porro verendum, ne eos ipſos prodant a quibus delati, aut apprehenſi fuerint, ut *l.* 1. *§. cum quis* 26. *D. hoc tit. l.* 4. *C. eodem.* Verendum etiam ne viros, in dignitate poſitos, ſpe impunitatis conſequendae, in conſortium criminis vocent, ut notatur in *d. l. ult. C. de accuſ.*

Verum obſtat *lex* 1. *§. ult. D. hoc tit.* ubi de conſciis confiteri reus quaeſtione compellitur: quod confirmat Paulus *lib.* 15. *ſententiar. tit.* 14. *& tit.* 16. Sic Modeſtinus in *l. prius* 17. *D. ad Sillan.* familiam ſoclus faſſam interrogandam ſcribit, quo mandante ſcelus admiſſum ſit. Et *l.* 6. *eodem tit. ad Sillan.* ſi percuſſor certus fuerit, habendam tamen eſſe quaeſtionem, ut mandator caedis inveniatur. Et expreſſim, *l. qui ultimo* 29. *D. de poen.* eos, qui ultimo ſupplicio damnati ſunt, ſaepe in hoc ſervari poſt damnationem, ut ex iis quaeſtio in alios habeatur. Bartolus hoc loco ita conciliare nititur haſce pugnas: ut cum criminum alia odio imprimis alterius, alia proprii commodi ſtudio committantur, de his confeſſi rei in caput ſociorum interrogentur, & torqueantur: de illis confeſſi, non item. Frigidiſſima diſtinctio, ſine lege, ſine ratione, ſine exemplo. Grave genus utrumque delicti, utrumque pateſcere, utriuſque ſocios puniri intereſt publicae utilitatis. Porro odione, an privati commodi cupiditate crimina patrata ſint, ſaepe incertum. Ad Accurſii ſententiam potius accedendum in *d. l. ult. C. de accuſat.* quam & idem Bartolus, ſibi parum conſtans, probat in *eadem l. ult.* improbatam a ſe in *hac lege noſtra.* Regulare ſeu generale jus iſtud eſt, ne in ſocios criminis reus interrogetur aut torqueatur, ut hic, & *d. l. ult. C. de accuſat.* & ſimilibus. Verum id jus in graviſſimis criminibus patitur exceptionem; tum quod ea etiam cum aliquo alienae exiſtimationis diſcrimine indagari, Reipub. vehementer interſit: tum etiam quod ea ſine ſociis non facile admitti conſtet. Tale crimen perduellionis, ad cujus delationem etiam famoſi omnes admittuntur, *l. famoſi* 7. *l. in quaeſtionibus* 8. *D. ad leg. Jul. majeſtatis,* Tale crimen latrocinii, *l. Divus Adrianus* 6. *D. de cuſtod. & exhibit. reor. l. provinciarum* 10. *C. de feriis.* Tale crimen falſae monetae, *l.* 1. *in princ. C. de falſ. monet.* Tale crimen veneficii, *l. ult. C. de malef. & mathem.* Talis caedes dominorum a familia perpetrata, *l. ult. D. ad exhibendum. d. l. prius* 17. *ad Sillan.* Ad eas ergo criminum ſpecies reſtringendi textus illi, ubi de confeſſis reis quaeſtionem in ſocios habendam eſſe praecipitur: & hoc tamen ita, ut ad hujuſmodi reorum nominationem indicia alia accedere ſit neceſſe.

Lex 31. D. de poenis.

Ad beſtias damnatos, favore populi, Praeſes dimittere non debet. Sed ſi ejus roboris vel artificii ſint, ut digne populo Romano exhiberi poſſint, Principem conſulere debet. §. 1. Ex provincia autem in provinciam [...]

[...]tuat. Quemadmodum enim publici tumultus ſedandi cauſa non eſt innocens ſupplicio afficiendus, ita nec nocens abſolvendus, *l. decuriones* 16. *C. de quaeſtionibus.* Dixi ad *l. qui caedem* 16. *ſupra ad leg. Corn. de ſicar.*

Quod autem de reis robore & arte praeſtantibus ex provincia inconſulto Principe non tranſmittendis ſubjicitur, nolim ſic accipias, quaſi poena rei propter ejus fortitudinem & induſtriam ac favore pop. Rom. differatur, dum Principi pro criminis abolitione ſupplicetur: licet vulgatam hanc interpretationem Antonius Auguſtinus, libro *de Legibus & Senatusconſultis*, non penitus improbarit. Quin haec potius ſententia eſt, reum a Praeſide condemnatum non eſſe Romam inconſulto Principe tranſmittendum: quamvis eo robore ſit atque induſtria, ut ſpectanda poena ejus populo Romano digne exhiberi poſſit. Alioqui enim ad beſtias damnati a Praeſidibus provinciarum in ipſis provinciis conſumendi ſunt: quia generaliter ibi reus poena plectendus, ubi facinus admiſſum eſt, *l. ſi cui* 7. *§. idem Imperator* 4. *D. de accuſat. l.* 7. *& l.* 11. *D. de cuſtodia & exhibitione reor. l. deſertorem* 3. *D. de re militari Auth. ut omnes obed. jud. provinc.* 69. *c.* 2. *ſi igitur. Auth. ut judices ſine quoquo ſuffrag. fiant.* 8. *c.* 8. *§. ſi quis autem in fine. l.* 1. *& auth. qua in provincia. C. ubi de crim. agi oport. l.* 1. *C. ubi Senatores vel Clariſſimi. l.* 12. *C. ad leg. Jul. de adult.* Vide Alciatum *lib.* 2. παρέργων, *cap.* 29.

Lex 14. D. de cuſtod. & exhibit. reor.

Non eſt facile tironi cuſtodia credenda: nam ea prodita, is culpae reus eſt, qui eam ei commiſit. §. 1. Nec uni, ſed duobus cuſtodia committenda eſt. §. 2. Qui ſi negligentia amiſerint, pro modo culpae, vel caſtigantur, vel militiam mutant. Quod ſi levis perſona cuſtodiae fuit, caſtigati reſtituuntur: nam ſi miſeratione cuſtodiam quis miſerit, militiam mutat: fraudulenter autem ſi fuerit verſatus in dimittenda cuſtodia, vel capite punitur, vel in extremum gradum militiae datur: interdum venia datur: nam cum cuſtodia cum altero cuſtode ſimul fugiſſet, alteri venia data eſt. §. 3. Sed ſi ſe cuſtodia interfecerit, vel praecipitaverit: militi culpae adſcribitur, id eſt, caſtigabitur. §. 4. Quod ſi ipſe cuſtos cuſtodiam interfecerit, homicidii reus eſt. §. 5. Ergo ſi caſu cuſtodia defuncta dicatur, teſtationibus id probandum eſt: & ſic venia dabitur. §. 6. Solet praeterea, amiſſa culpa cuſtodia, ſi tamen interſit eam adprehendi, tempus cauſa cognita militi dari ad eam requirendam, applicito ei alio milite. §. 7. Quod ſi fugitivum domino reddendum prodiderit, ſi facultates habeat, domino pretium reddere juberi Saturninus probat.

De militibus, qui aut negligentia aut dolo malo cuſtodias evadere patiuntur, capita aliquot pro-

Digitized by Google

[illegible] graviorum criminum poſtulatis frequens. Sic enim eorum exiſtimationi parcebatur, ut in aedibus magiſtratuum haberentur. Exempla apud Dionem *lib.* 58. & apud Salluſtium *in bell. Catil.* Fidejuſſoribus ſive vadibus alii tradebantur: reus enim, qui locupletem fidejuſſorem, ſuumque periculum & poenam promittentem obtuliſſet, in vincula conjici non poterat, niſi graviſſimum ſcelus ab eo admiſſum eſſe conſtaret, ut *l. ult. §. ſic autem 6. D. de bon. eor. d. l. 1. & l. 3. D. hoc tit.* Exempla apud Tacitum *lib. 5. Annal.* apud Suet. *in Vitellio c. 1.* Militibus vales rei, aut graviorum criminum prope convicti, aut qui fidejuſſorem dare non poterant, tradebantur, ut hic & *d. l. 1. D. hoc tit.* ac ſaepe militem pariter & cuſtodiam eadem catena copulabat, ut loquitur Seneca *libro epiſt. 1. epiſt. 5. & lib. 1. de tranq. vitae cap.* 10. Minus utique frequens ſpecies ea cuſtodiae, & judicibus, quantum criminis modus ferre poterat, declinanda, ut *d. l. 1. & d. l. 3. hoc tit.* quam etiam in ſententiam Trajani ad Plinium epiſtolae multae extant. De ea ſpecie mentio fit in *l. ſed & ſi quis 4. §. 1. D. ſi quis caution. l. αὐτοκράτωρ 25. D. de appellat. l. 11. C. ex quib. cauſ. major.* Coepere deinceps duobus militibus cuſtodiae committi, quo ſecurius aſſervarentur, ut hic; quanquam tunc *ἐνδέτας* eos non fuiſſe propius vero eſt. Morem alium etiam Trajanus approbavit, ut rei per publicos civitatum ſervos cuſtodirentur: ne ſaepius milites a ſignis avocarentur. Conſtat ex epiſtola Plinii ad Trajanum, Trajanique ad Plinium, *libro* 10.

Nunc particulatim *legis noſtrae* ſententiam explicemus. Ut tironi cuſtodia committi non poſſit, imperitia facit aetatis, cui laborum aſſiduitas & ſtipendiorum prolixitas minime ſuffragatur, cum tirones nec dum in numeros relati ſint, ut *l. ex eo tempore 42. D. de teſtam. mil. & l. ult. C. de tiron. lib.* 12. Veteranis enim, hoc eſt, qui militia vicennali fidem & diligentiam ſuam probarunt (quae definitio colligitur ex *l. ult. C. de his qui non implet. ſtip. ſacram. ſolut. ſunt. lib.* 10.) multo plus fidei tribuitur. Quum autem ait Modeſtinus, eum, qui cuſtodiam tironi commiſit, ea prodita reum fieri culpae, judicem ex ea cauſa praecipuo in diſcrimine verſari ſignificat: cum tirone mitius agi, quia tironem imbecillitas judicii & lubricum aetatis excuſat; eoque argumento quidam Interpretes recte ſentiunt, judicem, qui non idoneos rei criminis fidejuſſores admiſit, poenam a fidejuſſore promiſſam ſolvere compelli.

Ad §. 2. Qui ſi negligentia.

Gravior tamen poena interdum militibus, reos e cuſtodia dimittentibus, irrogatur: veluti quando nimia militum culpa rei graviorum criminum evaſere: quo caſu capitis poena plectuntur, ut *l. 1. §. ſi quis. C. de falſ. monet.* Alioqui utique milites pro modo culpae puniuntur, ut hic: hoc eſt, poena eadem, quae reo cuſtodito debebatur, ut *l. 4. C. hoc tit.*

Ad verb. *Vel caſtigantur, vel militiam mutant.*

Caſtigationis voce, vitis, flagella, fuſtes, intelliguntur, ut *l. milites 13. §. irreverens 4. D. de re mil.* Plinius *natur. hiſtor. lib.* 14. Aelius Spartian. *in Adriano.* Fuit moleſtior viro forti militiae imprudentiae paſſim parcitur. Quod ſi dolus, aut culpa militis intercelſerit, damnatum ſequitur infamia, ut neque in Urbe, neque alibi, ubi eſt Princeps, morari miles poſſit, neque honoribus, qui integrae exiſtimationis debentur viris, utatur, *l. ſed & 8. §. ignominia 9. D. de excuſ. tut. l. 2. §. miles 3. D. de his qui not. infam. l. milites 3. C. de re mil. lib.* 12.

Ad verſic. *Vel in extremum militiae gradum datur.*

Gradu militiae dejici, aut in inferiorem gradum dari miles dicitur, qui, cum ampliorem in militia honorem obtineret, ad viliora munera diſturbatur: ut ſi legioni praefectus cohorti praeficiatur, aut ſiquis merere equo ſolitus peditum numero adſcribatur, aut pedes in funditorum numerum dejiciatur, *l. deſertorem 3. §. qui ſtationis 5. D. de re mil. l. ult. C. de libert. & eorum liber.*

Ad §. 3. ſed ſi. & §. ſeq.

Sententia hujuſmodi eſt: Si reus ſeipſum interfecerit, militi hic eventus imputatur: nec ſi ſuam objecerit innocentiam, auditur. Quod ſi caſu periiſſe dicatur, veluti incendio, vel ruina, vel fato ſuo, tunc & caſu periſſe reum & militis dolum culpamve non antecesſiſſe, a milite probandum eſt: quia & hoc genere miles in criminis ſuſpicione verſatur, ut hic & Acc. in *l. cum ita 32. §. ſpecies 5. D. de legat. ſecundo* Bart. in *l. ſi quis ex argentariis 6. §. 1. D. de edendo:* & *l. ſi in Aſia 12. §. ult. D. depoſ.* Sane generaliter caſus fortuiti, & culpa noſtra vacui non praeſumuntur, niſi probentur, *l. ſi vendita 11. D. de peric. & commod. rei vend. l. ſi ut certo 5. §. ſed interdum 7. D. commod. & l. ſi nulla culpa 8. C. de pign. act.* Utique de fortuitis caſibus teneri neminem, quod humana ſagacitate praevideri non poſſint, ſatis notum, *l. 1. §. 1. D. depoſiti. l. 10. C. de peric. & commod. rei vend. l. 50. C. de adminiſt. tut. l. 11. §. 1. C. locati. l. quae fortuitis 6. C. de pign. act.* Ex ſuperioribus, paragraphus *ſolet praeterea* 6. haud multo difficilius intelligi, quam legi poſſit.

Ad §. 7. Quod ſi fugitivum.

Servi, qui a dominis non defenduntur, in vinculis cauſam dicunt, *l. 2. D. hoc tit.* Hujuſmodi ſunt fugitivi, qui conſilio capto ita a dominis aufugerunt, ut ad illos deinde revertantur. Ulpianus *in l. quis eſt fugitivus 17. D. de aedil. edict. l. 1. §. fugitivum 5. D. de ſerv. fugit.* Hi apprehenſi diligenter a magiſtratibus cuſtodiendi, *d. l. 1. §. & merito 4. D. eod. de ſerv. fugit.* quae res militum prodentium crimen gravat. Neque mirum: cum enim animum ſervi corrumpere, &, ut dominum contemnat, perſuadere, grave delictum exiſtimetur, *l. 1. l. 15. D. de ſervo corrupt.* fugitivum, qui domino reddendus eſt, prodere, longe gravius: cum ita furtum committatur, ſicut de his, qui fugitivos celant, receptum eſt in *l. 1. in princ. D. de ſervis fugit.*

Ad verb. *Si facultates habeat.*

His verbis innuit militem, qui pretium ſervi fugitivi, quem prodidit, & e vinculis emiſit, domino praeſtare per egeſtatem non poteſt, corpore poenas luere, & extra ordinem caſtigari; quod generaliter in cauſis criminalibus receptum eſt, quoties

Digitized by Google

diendos militum opera non item hodie utamur, unus horum omnium in carcerariis ſeu commentarienſibus praecipuus eſt: nam & hi, ſi e cuſtodia debitor evaſerit, creditori ſuum perſolvere tenentur, &, ſi reus criminis evaſerit, ipſi plectuntur: quod & traditur in *l. 8. D. hoc tit. & l. ad commentarienſem 4. C. eod.* atque adeo fuga rei culpa commentarienſis accidiſſe ſemper creditur: qui praeſumptione niſi ſe liberet, tenetur, exemplo militis, de quo ſupra.

Lex 3. D. de re milit.

Deſertorem auditum, ad ſuum ducem cum elogio praeſes mittet: praeterquam ſi quid gravius ille deſertor in ea provincia, in qua repertus eſt, admiſerit: ibi enim eum plecti poena debere, ubi facinus admiſſum eſt, Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt. §. 1. Poenae militum hujuſcemodi ſunt: caſtigatio, pecuniaria mulcta, munerum indictio, militiae mutatio, gradus dejectio, ignominioſa miſſio: nam in metallum, aut in opus metalli, non dabuntur nec torquentur. §. 2. Emanſor eſt, qui diu vagatus, ad caſtra regreditur. &c.

ΣΤρατιωτικὴ eſt tota haec lex. Utilia tamen in ea plura, etiam non in bello. Nos capita praecipua & minus prona adnotemus. Militem, qui diu vagatus ad caſtra reducitur, deſertorem appellamus, quique belli tempore a ſignis abierit, ut *§. emanſor 2.* infra; *& l. 1. §. deſertor, C. de deſertoribus, lib.* 12. Et ab emanſore differt: qui licet diu vagatus ſit, ultro tamen in caſtra regreditur, *d. §. emanſor* 2. tametſi alii hoc diſcrimen magis probari ſcio, ut ille ſerius, hic citius in caſtra regrediatur: adeo ut deſertor fugitivo, emanſor erroni ſervo comparetur. Quod ait Modeſtinus deſertorem cum elogio ad ſuum ducem mitti, id ipſum eſt, quod traditur in *l. 9. D. de cuſtod. & exhib. reor. & l. unica C. de exhib. & tranſmitt. reis*, milites, qui in provinciis deliquerunt, ad ducem, ſub quo militant, a Praeſide remittendos: quod & in civilibus cauſis receptum eſt, *l. magiſteriae 6. C. de juriſdict. omnium jud. l. ult. C. de re milit. lib.* 12. Attamen militem prius audiet Praeſes, ut genus & probationem criminis epiſtola complectatur, quae elogium appellatur, ut hic, & *l. non eſt dubium* 11. *D. de cuſtod. & exhib. reor.* Quanquam elogiis Praeſidum credere Praefectus militum non tenetur, ſed de cauſa cognoſcere iterum poteſt, ut *l. divus Adrianus 6. D. eod. tit. de cuſtod. & exhib. reor.* Hac vero in parte jus generale violat militum favor, quoniam alioqui quaeſtiones criminum, quibus locis inchoata vel admiſſa crimina ſunt, vel ubi rei deprehenſi ſunt, exercentur, & judicantur, ut *l. 1. & auth. qua in provincia. C. ubi de crim. agi oport.* ſicut in contractibus receptum eſt, motas ſuper his lites eo loco dirimi poſſe, ubi contractus initi ſunt, *l. 3. C. eod. ubi de crim. agi oport.* Si tamen enorme facinus deſertor in provincia patrarit, a Praeſide, qui deprehendit, puniri eum poſſe, recte a Modeſtino ſubjicitur: quod confirmatur ex *l. ult. D. de accuſ. l. ult. C. ubi ſenatores vel clariſſimi. l. 1. C. ad exhib.*

dicit Juſtinianus, qui binas militias a Principe impetrare tentavit in *l. his quidem 5. verſ. in poſterum. C. qui militare non poſſunt. lib.* 12. Exempla alia in *l. 2. l. devotum 5. C. de metat. & l. lege 13. C. de erogat. milit. annon. lib.* 12.

Munerum indictione plecti dicitur miles, quando onera munerum civilium, quae cum ſumtu & ſine dignitate ſunt, ſuſcipere compellitur, ut *l. honor 14. §. 1. D. de muneribus. & honor.* cum alioqui ab hujuſmodi muneribus milites excuſentur, *l. 2. verſ. eſt & quartum. C. de his qui not. infam. l. 7. D. de vacat. & excuſ. mun. & l. ult. D. de jur. immun.* Perperam quidam cum haec verba non perciperet, *munerum interdictio*, emendavit.

Poena militum alia ſubjicitur, ignominioſa miſſio. Ea eſt, cum quis ob delictum ſacramento ſolvitur, & caſtris abſcedere jubetur, *l. milites 13. §. miſſionum 3. D hoc. tit.* Hunc neque Romae, neque in ſacro comitatu degere fas eſt, *l. 1. D. de his qui notant. infam. l. milites 3. C. de re milit. lib.* 12. Quaenam hujus miſſionis forma eſſet, quibusve verbis fieret, Caeſaris docet oratio apud Hirtium *de B. Afr. c.* 54. Fuerunt miſſionis ſpecies aliae duae: honeſta una, quae poſt expletos viginti annos indulgebatur emeritis; altera cauſaria, quae corporis vel animi morbo minus idoneis factis permittebatur: unde cauſarii dicti ipſi, apud Plinium *libro* 21. & Livium *lib.* 7. Triplicis hujus miſſionis mentio fit in *d. l. 2. §. ignominiae 2. D. de his qui not. infam. & d. l. milites 13. d. §. miſſionum.* 3. Caeterum hae ſunt ordinariae militum poenae; quaedam enim delicta graviorem poenam militibus indicunt, ut *l. 1. D. de obſeq. a liber: & l. quaedam 14. D. de poen.*

Ad verſ. *nam in metallum.*

NEmpe militibus hic etiam favor indulgetur, ut neque tormentis neque plebejorum poenis ſubjiciantur: quod & in eorum liberis ad primum uſque gradum ſervatur, *l. milites 8. C. de quaeſt. l. honor 5. C. de poenis.* Publica tamen & graviora crimina excipienda: nam in his milites hujuſmodi immunitate non fruuntur, *l. milites 8. C. de quaeſt. & §. is qui 10. infra, hac lege.*

Ad §. 4. is qui exploratione.

DE emanſoribus dictum ſupra. Eos, qui a foſſa vel vallo recedunt, aut qui foſſam vallumve tranſiliunt, quive caſtra per murum ingrediuntur, capite puniri oſtendit Harmenopulus *lib. 1. tit. 6.* Idem in muris publicis foſſiſque receptum eſt, *l. ult. D. rerum diviſ. & §. ſi vero* 18. infra.

Ad §. 5. qui ſtationis. & *§. 6. ſi praeſidis.*

GRavius tamen ea facta aliquando punita: nam centuriones ab Octavio ob ſtationem deſertam capite punitos memorat Suetonius *in Octav. c.* 24. Appius quoque Claudius, in Volſcos miſſus, centuriones, qui ordinem reliquerant, virgis caeſos ſecuri percuſſit, teſte Livio *lib.* 2. Sic qui excubias palatii deſeruit, quive aliis in exercitu pugnantibus non pugnat, aut qui ſedet imbellis, capite punitur, *§. qui excubias 10. infra, hoc tit.* Julius Capitol. *in Opilio.* Eo pertinet *lex 3. D. ad legem Juliam majeſtat.*

Digitized by Google

& §. penult. infra, hac lege. Denique non tantum males animus, ſed & metus militis atque ignavia punitur. Hinc qui in acie fugam primus fecit, ſpectantibus militibus ad exemplum capite punitur, l. omne delictum 6. §. qui in acie 3. infra, hoc tit.

Ad §. 7. ſi ad diem.

Militibus, qui commeatus cauſa mittuntur, tempus, quo ire & redire commode poſſint, Imperator praeſcribit. Id tempus ſi exceſſerint, emanſorum vel deſertorum loco habentur, hic, & *l. qui commeatus* 14. infra *eod. tit. l. 2. C. de commeatu.* Huc illud Jabolem, in *l. miles* 34. *D. ex quib. cauſ. major.* militem, qui, commeatu accepto, domi ſuae ſit, Reip. cauſa abeſſe non videri: quod ita tamen accipiendum, ſi juſtas morae cauſas nullas habeat, hic, & *l. ſi cui* 38. §. *Tamdiu* 1. *D. ex quib. cauſ. major. d. l. qui commeatus* 14.

Ad verſ. *§. 9. Sed tironibus parcendum eſt.*

UT mitius cum tironibus agatur, facit aetas. Neque enim tantum impuberes, ſed & minores lenius quam adulti puniuntur, *l.* 16. §. *perſona* 3. *D. de poenis. l. auxilium* 37. *D. de min. l. ſi adulterium* 38. §. *fratres* 4. *D. ad leg. Jul. de adult. l. ſacrilegii* 6. in verbo, *aetatis. D. ad leg. Jul. pecul. & l. un. C. de falſ. monet.*

Ad verſ. *Qui ſi iterato.*

QUi ſaepius ac iterato deliquit, gravius punitur, quam qui ſemel, hic, & *l. capitalium* 28. §. *graſſatores* 10. & §. *ſolent.* 3. *D. de poenis. l. non omnes* 5. *in princ.* in verb. & *anteactae vitae*, *junct.* §. *deſertor* 3. *hoc tit. l ſervos* 8. *C. ad leg. Jul. de vi pub. auth. qui ſemel. C. quomodo. & quando Jud.* Poenas enim vita bene anteacta temperat & minuit, *d. l. non omnes* 5. in verſic. *iterum.* infra, *hoc tit.* §. *ſed ſi ex improviſo* 12. infra, *hac lege.*

Ad §. 10. is qui ad hoſtem.

DE transfugis agitur hoc §. Transfugae non tantum hi dicuntur, qui malo conſilio & proditorum animo ad hoſtes ſeſe conferunt, & hoſtibus conſilia noſtra renunciant: ſed & qui malo animo illuc ſe conferunt, unde abduci non poſſint: aut qui ab hoſtibus capti, cum redire poſſent, non redierunt, licet ex improviſo capti fuerint, *l. non omnes* 5. §. *qui captus* 5. *D. de re mil. l. poſtliminium* 19. §. *transfuga* 8. *D. de capt. & poſtlim. reverſ. l. amiſſione* 5. *D. de capit. minut.* Transfugarum poena eſt, furca, ignis, damnatio ad beſtias, licet alioqui milites ab his poenis immunes ſint: quia nec hi pro militibus, ſed pro hoſtibus jam habentur, hic & *l. ſi quis* 38. §. 1. & *l. aut damnum* 8. §. *hoſtes* 2. *D*

Ad §. 13. miles qui in bello.

DE eo, qui in bello arma amiſit, agitur etiam in *l. 2. D. de capt. & poſtlim. reverſ.* ubi ſcribitur arma ſine flagitio non amitti. De eo, qui alienat, agit *lex, qui commeatus* 14. §. *arma* 1. infra, *hoc titul.* Et utrumque factum deſertioni comparatur.

Ad §. 14. qui aliena.

FUrta, rapinae, abigeatus, populationes militum gravius, quam Paganorum, puniuntur: ut plurimum poena ſanguinis, *l. ult. D. de furib. balnear. l. nemo* 13. *C. de re mil. lib.* 12. *l.* 1. & *l.* 12. *C. quand. lic. unic. ſine jud. vind. ſe.* In hiſtoriis paſſim exempla.

Ad §. 15. in bello.

MIles qui duci non obtemperat, capite punitur, hic, & *l. milites* 13. §. *irreverens* 4. infra *hoc tit.* Exempla apud Xenoph. in *paed. Cyr. lib.* 4 & Liv. *lib.* 8. Neque intereſt, rectene an ſecus ceſſerit res. Nam & qui Principis pugnant injuſſu, etſi vicerint, capite plectuntur, ut hic, & *l. lex duodecim* 3. *D. ad leg. Jul. majeſt. l. omne delictum* 6. §. *contumacia* 2. infra, *hoc tit.* Teſtis Livius, Valerius, alii plures.

Ad §. 19. qui ſeditionem.

GRave & luendum morte crimen ſeditio eſt, militaris imprimis, hic & *l. ult.* infra *eod. l. quiſquis* 5. *C. ad leg. Jul. majeſt.* nec ſeditioſorum appellationes recipiuntur, *l. conſtitutiones* 16. *D. de appell.* Aliquando tamen levius puniti milites ſeditioſi, veluti ignominioſa miſſione a C. Caeſare apud Hirt. *de B. Afr. c.* 54. Item mulcta pecuniaria ab eodem apud Tranquill. *in Caeſare c.* 70. Quod in eo probatum eſt, qui ſeditionem commovere tentavit, *l.* 1. *C. de ſeditioſ.* Principes tamen ſeditionis mulctati morte ſemper. Vociferatio autem vel ſtrepitus ab atroci ſeditione diſtinguendus, ut hic: & conſilium tumultuantium imprimis conſiderandum.

Ad §. 22. qui Praepoſitum.

EXplicandus hic articulus ex *l. omne delictum* 6. §. *pen.* infra, *hoc tit.* ubi qui praepoſitum ſuum, cum poſſet, non protexit, in pari cum ſicario cauſa habetur: neque enim aliter ei parcendum, quam ſi reſiſtere non potuit. Ut ea quoque in parte milites ſervis comparentur, qui cuſtodiam dominis ſuis, tam a domeſticis, quam ab extraneis praeſtare coguntur, *l.* 1. *in princ. D. ad Syllan.* Atque haec hactenus.

F I N I S.

IN

Digitized by Google

... ſucceſſores dentur 128. Et quomodo id intelligendum 128. 129. 133
Actiones poenales quando heredibus dentur aut non dentur 129
Actio injuriarum heredi non competit *ibid.*
Aetatis ratio in poenis ut habenda 155
Agrorum poſtliminium etiam quoddam eſt, & cur 136
Alienae rei pignus quando valeat 141. 142
Ambitum vetus Reſp. etiam ante Auguſti tempora compeſcuit 138
Ambitus genera duo 139
Annonam onerans ſtaterae adulterinae 130. 131
Aruſpicem qui ſuadet, capite punitur 131
Appellationis beneficium quibus denegatur 147
Arma amiſſa, mox recepta, cedunt in praedam & quare 136

B.

Bartoli opinio refellitur 149
Bona prave parta heredibus extorquentur 135

C.

Caedes etiam non ſponte admiſſae vindicantur 146
Caſtigationis voce quae continentur 151
Caſtra per murum ingredi capitale 154
Caſus fortuiti non praeſumuntur 152
Circumcidi ſeſe patientium poena 131
Clariſſimi qui dicantur 144
Collegium ex cauſa criminis ut puniatur 132
Conditio perſonarum an in poenis attendenda 146
Communis rei an pignori dari poſſit 148
Contutores quatenus ex communi dolo teneantur 132
Creditor pignus ſine autoritate judicis non auferet 130
Creditor fugienti debitori pecuniam recte extorquet *ibid.*
Crimen a fraude quantum differat 132. 133
Crimina ubi admiſſa, ubi puniantur 153
Crimina quae morte ſolvantur 133. 134
Cujacii opinio improbata 137
Cuſtodia modo carcerem deſignat, modo reum, qui in carcere 144
Cuſtodiam dimittentis poena 151

D.

Damnati publico judicio infames fiunt 138
Damnati ad beſtias bona publicantur 150
Decuriones, qui 146
Decurionum privilegia in quaeſtionibus & poenis *ibid.*
Deferentium ſeſe merces 139
Deportatio in locum interdictionis aquae & ignis ſucceſſit 148
Deſertoris & emanſoris diſcrimen 153
Diebus feſtis & ſolennibus cauſae criminales an tractentur 145
Dies feſti ſuppliciis reorum non temerandi *ibid.*

E.

Ebrius, qui occidit, mitius punitur & quare 146
Edicti praetoris corruptor cui poenae jure priſco, cui noviſſimo ſubjaceat 130
Elogia praeſidum 153
Emanſoris & deſertoris diſcrimen *ibid.*
Siquis Emerit liberum hominem ſcientem ſciens, ut puniatur 127. 128
Equi ex hoſtibus recepti non cedunt in praedam 136
Errore admiſſa puniuntur, & quare 125
Excubias deſerere, capitale 154

F.

Falſi ſpecies variae 130
Feriatis diebus criminales cauſſae recte tractantur 145
Fidejuſſoribus qui rei committantur 151
Furti communis nomine an ſinguli in ſolidum obligentur 132
Furta militum gravius quam paganorum puniuntur 156
Furti a familia admiſſi nomine dominus ut teneatur 133

G.

GRadu militiae dejici quid 152

H.

HAereſis, crimen publicum eſt 131
Haereticorum filii jure puniuntur 125
Haeredes quatenus ex dolo defuncti teneantur 129
Hypotheca tacita an ex cauſa poenali fiſco competat 148

I.

IGnavia militis capite punitur 155
Ignominioſae miſſionis forma 154
Infamia ſequitur judicio publico damnatos 138
Injuriarum actio heredi non competit 129
Interdictio aquae & ignis a relegatione & metalli poena ut differat 148
Iterato delinquentis gravior poena eſt 155
Judex temere torquens ut teneatur 148
Judicis aedes introire, olim nefas reo 140
Jurare per caput Dei, capitale eſt 143
Jurisjurandi exceptio validiſſima *ibid.*
Juriſconſultos ſibi adjungere jubetur Praeſes 144

L.

LEgatarius ſine judice occupans rem legatam, an excidat jure ſuo 136. 137
Legatarius a creditore ut differat *ibid.*
Legato animadvertendi poteſtas non competit 144
Lege Cornelia de falſis qui teneantur 130
Leges Petilia & Calphurnia ambitum coërcuere 138
Lex Tullia adverſus ambitum lata *ibid.*
Lex poenam proprie irrogat, non jus dicens 126
Liberi hominis, qui pro ſervo vendi ſe patitur, poena 127. 128.
Liberti egentis pariter & irreverentis poena. 126. 127

M.

In MAgiſtratibus creandis mos vetus 139
Majeſtatis crimen morte non ſolvitur 134
Majeſtatis delatus non adminiſtrat bona ſua 135
Menſurarum corruptio qua poena vindicetur 130 131
Militis reum dimittentis poena 153
Milites, qui deliquere, praeſes ad ducem ſuum remittit *ibid.*
Miles praepoſitum non protegens capite punitur 156
Milites tormentis & plebeorum poenis eximuntur 154
Militum poena quandoque Pecuniaria *ibid.*
Miſſionis variae formae *ibid.*
Momentaneae poſſeſſionis interdicto quis tenetur 137
Mulctae quando in poenas corporales transferantur & quare 127
Mulctae dependſae non redduntur 140
Munerum indictio, quid 154
Municipiorum magiſtratus qui 139

N.

NAvium poſtliminium quoddam eſt, & cur 136

O.

OBjurgatio ſpecies poenae eſt 125
Obligari res aliena quando poſſit 142. 143

P.

PArentem & patronum in jus ſine venia vocari quae vetent cauſſae 126

Pa-

Digitized by Google

Poenae definitio 125
Poenae multiplex ſignificatio 125
Poenarum varii uſus, varii fines & qui *ibid.*
Poenae pecuniariae ut in corporales transferantur 127. 152. 153
Poenam indicere proprium legis 126
Poenarum irrogatio non cunctis magiſtratibus permiſſa *ibid.*
Poena ab uno praeſtita quando caeteri rei liberentur 132. 133
Poenales actiones neque poſt annum neque adverſus ſucceſſores dantur: & quomodo id accipiendum 128. 129. 133. 134
Poenales actiones quando heredibus dentur, aut non dentur. 159
Poenae legitimae fere ſervandae 126
Poenae quando benignitate temperandae 133
Poenitentia ut delictum minuat aut repurget 126
Pollicitatio civitati facta quare obliget 139
Ponderis pravus uſus ut puniatur 130
Poſtliminium quarum rerum eſſe ſoleat 136
Poſſeſſionis momentaneae interdicto quis teneatur 137
Praeda populi eſt vel principis 135
Praedam ex hoſtibus captam qui ſurripit qua poena teneatur 136
Praefectus Urbi criminum imprimis cognitionem ſibi vindicat 127
Praeſidum ea authoritas in Provinciis, quae praefectorum urbi, Romae *ibid.*
Praetor de civilibus praecipue cognoſcit *ibid.*
Princeps cui de poena decurionis conſulendus 147
Principe inconſulto judex de quibuſdam non cognoſcit *ibid.*
Publicani plus exigentis poena. 132
Publicani ſinguli ex cauſa delicti non tenentur in ſolidum. *ibid.*
Publicani magis idonei pro egentibus conveniuntur. 132

Q.

Quaeſtio bonorum ſcelere paſtorum morte non ſolvitur 135
Quaeſtio, lubrica res 148
Quaeſtio de inſignibus reis per dies feſtos recte habetur 145
de Quaeſtione habenda vel repetenda 148

R.

Repeti quaeſtio utrum poſſit 148. 149
Repetundarum reus non adminiſtrat bona ſua 135
Repetundarum crimen morte non ſolvitur 148. 149
Reſcripto falſo utens ut puniatur. 147
Reſiduorum crimen adverſus heredes ut duret 135
Reſtitutus a Principe, an mulctam ſolutam condicat 140
Rei aſſervati olim variis modis 151
Reis criminum, adminiſtratio bonorum ſuorum permittitur regulariter, & quare 135
Ruſticitati & imperitiae ut parcendum 130

S.

In Sacerdotiis obtinendis ambitus ut puniatur 139
Seditioſi appellantes quando plectantur 147. 156
Seditioſi milites ut puniti 156
Servi ex hoſtibus recepti prioribus dominis reſtituuntur 136
Sortitio in poenis 154. 155
Stellionatus eſt, rem alienam obligare 141
Superficies pignori datur recte 142
Supplicare Principi adverſus parentem aut patronum, an liceat ſine venia Praetoris 126
Superſtitio quid 131
Superſtitionem animis hominum qui inſtillant, ut puniendi *ibid.*

T.

Tacita hypotheca an competat fiſco poenam exigenti 141
Teſtamenta reorum ante condemnationem facta quando valeant 135
Tironi cuſtodia non committitur 151
Togae uſus interdictis aqua & igni non permiſſus 148
Torquere inſignes reos diebus feſtis licet 145
Torquere quoſdam, Judici nefas 146
Transfugarum poenae variae 155
Transfugarum appellatio quam late pateat *ibid.*
Tumultuantium militum poena 156
Tumultus praeſenti quorundam poena ut ſedandus 147

V.

Vaticinatores jam olim ejecti orbe Romano 138
Vectigalium inſtitutio Principis eſt. 140
ſiquis Vendiderit liberum hominem ſcientem ſciens, ut punitur 127. 128
Veſtes non recuperantur poſtliminio 136
Vis eſt, rem debitoris auferre ſine judice *ibid.*
Vita anteacta in poenis attendenda 155
Univerſitas ex cauſa delicti ut plectatur 132. 133
Vocatio in jus a ſupplicatione quae fit Principi ut differatur. 127
Uſura, ſpecies poenae eſt 125
Uſusfructus pignori datur recte 142
Utens falſo praeſumitur auctor falſi 142

F I N I S.

APO:

by Google

APOLOGETICA
DISSERTATIO
DE
JURIS UTRIUSQUE
ARCHITECTIS,
JUSTINIANO, TRIBONIANO,
GRATIANO ET S. RAYMUNDO:

AUCTORE

JOANNE CHIFLETIO, J. C. Veſontino,
Sereniſſimo Archiduci LEOPOLDO à Sacris Oratorii.

Digitized by Google

Digitized by Google

BARONIS LIMALIANI, INCLYTI MUSAGETAE,

EILIO MAJORI NATU,

PALLADIS UTRIUSQUE EXIMIO CULTORI,

JOANNES CHIFLETIUS.

Hanc ad Te Diſſertationem reverti tam aequum eſt, quam ex mari obortas aquas in ipſum revolvi. Littus Oceani Juris una legebamus in copioſiſſima Ill^mi Parentis Tui Bibliotheca, omnium facultatum & ſcientiarum Theſauro vere magno; cujus primaria capita jure ſibi vindicant locum Genii illi Juſtitiae praeſides, mortui, ut ita dicam, Senatores, humanae ſocietatis arbitri, Jureconſultorum Principes, digni omni veneratione & ſaeculorum ſequentium obſervantia: cum ecce etiam non obſcurae notae Scriptores, ceu piratico lembo vecti, Navarchos noſtros maledictis concidere & vexare contumeliis. Adeo lubentius homines aliena errata, quam beneficia meminimus. Nimirum, Tribonjanus atheus fuit, impius, Chriſtiani cultus ex profeſſo hoſtis: indoctus, ſimplex, ſtolidus ac plane rudis Juſtinianus: miſellus compilator Gratianus: imprudentior Raymondus in Decretalibus colligendis; aliaque ejuſmodi critico ingenio ac mordaci nimium affinia. Erant ad manum quot plutei veſtri tot clypei; e quibus Te vel maxime excitante pauculos hoſce, quos eorum telis opponerem, ſtatim arripui, & lubens ſub Tui nominis auſpiciis opere tumultuario in eorum defenſionem incubui, qui rationem paraverunt ac viam, qua diſciplinae brevius & facilius ordine traderentur, pluſque illis attulere commodi atque lucis, quam qui multarum rerum copiam in eas invexerunt. Sine immoderato ſtudio, ſine odio rem exequor, ſententiam non ex ambitione, ſed ex vero dicturus, non ingenio aut eruditione fretus, ſed frequenti Auctorum appellatione; ut quo rarius meis verbis loquar, eo minus ſuſpicione laborem, auctoritate amplius roborer. Tu defende quoque, & ſacris Themidos initiatus nimiam cenſurae ſeverioris libertatem compeſce. Tuum hoc eſt, Hiſpanum eſt, & priſcae humanitatis; ita enim in rem meam transfero verba Senecae Philoſophi, qui patriam habuit Cordubam, veterem illam florentemque in Hiſpania Boetica coloniam: *Epiſt.* LXIV. *Multum egerunt qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt; ſuſpiciendi tamen ſunt. Quam venerationem praeceptoribus meis debeo, eamdem illis praeceptoribus generis humani. Si Conſulem videro, aut Praetorem, omnia, quibus honor haberi ſolet, faciam, equo deſiliam, caput adaperiam, ſemita cedam. Quid ergo?* non dicam Catonem aut Laelium, ſed Juſtinianum ſapientiſſimum Imperatorem, & doctiſſimum ejus Quaeſtorem Tribonianum; Gratiani labores tot Interpretum lucubrationibus illuſtratos; Raymundum Barcinonenſem, nobilitate generis, eruditione ac ſanctitatis laude clariſſimum, *in animum meum ſine dignatione ſumma recipiam? Ego vero illos veneror, & tantis nominibus ſemper aſſurgo.* Decet haec modeſtia & grati animi ſignificatio non litteratos modo, ſed etiam illuſtri ſanguine natos; Teque adeo, qui eos habuiſti progenitores, quorum virtus uno Orbe claudi neſcia, egredi fines Europae noſtrae veluti anguſtos debuit. Avus ſiquidem Tuus Antonius (nam Majores cogere intra unius Epiſtolae brevitatem nequeo) Ulloano apud Gallaecios genere oriundus, ac multas inſigneſque familias avita nobilitate complexus, rebus praeclare geſtis notiorem ſe poſteritati reddidit, cum non poſſet eſſe nobilior, ſibique haberet cognomines Comites, Marchiones, ac deinde Magnates Hiſpaniae, pari affinium dignitate. Europam itaque emenſus, in Aſiam usque penetravit, quam cum ſui admiratione nominis & recte factorum gloria compleſſet, in Americam perrexit, ubi apud Braſilianos praeſertim (majori dubites Dei gloria, an Regis ac Patriae emolumento) Gentilium res atque fortunas debilitavit; Chriſtianorum confirmavit, erexit; medioque in ſtrepitu armorum virtuti ſtudium Religionis adjungens, Baptiſmo tingi curavit barbarorum quamplurimos: nec victoriarum quas reportavit, tropaeorum, quae retulit, monumentum, Arcem muniſſimam dumtaxat, ſed Aedes etiam duas Parochiales, quas Chriſtiani hodieque frequentant, longe illuſtriori uſu atque oſtentatione condidit. Unde *ob ejus aucta in dies merita, & illuſtrem Ulloanorum originem, fidem, fortitudinem, experientiam,* PHILIP-

Digitized by Google

[illegible] Thomas Lopes de Ulloa, Dominus de [illegible]
Conſiliis noſtris bellicis in Belgio, & Aerarii noſtri militaris Summus Praefectus; Nobis praeſtitit; peculiarem in eo oſtendens affectum ſuum, Praedeceſſorum ſuorum exemplo, & nominatim Antonii Lopes de Ulloa ejus Parentis, qui & ipſe Coronae noſtrae multa & laudabilia praeſtitit obſequia, praeſertim in Braſilia, ubi Arcem conſtruxit, & fortiter defendit plurimis copiis & propriis impenſis, graſſantibus ibidem bellorum tumultibus; pro cujus reductione ad obedientiam Praedeceſſorum noſtrorum multum contulit, & in multis aliis occaſionibus noſtri obſequii non mediocrem bonorum ſuorum partem impendit. Praeterquam quod praedictus Thomas Lopes de Ulloa deſcendat legitime, lineaque directa & maſculina, ex antiqua & Illuſtri Domo Ulloanorum in noſtra ditione & Regno Gallaeciae; e qua multi prodiere magni & ſtrenui viri, quique inſignia Coronae noſtrae praeſtiterunt obſequia. Ferdinandus vero Romanorum Imperator M. DC. XLVI: *Edocti*, inquit, *fide dignis teſtimoniis, Thoma Lopes de Ulloa, Baro de Limale, ea te proſapia ortum eſſe, quae uti a multis retro ſaeculis illuſtrem inter ſuos locum decuſque obtinuerit, ita in conſtantiſſima erga Reges & Principes ſuos, tum ſacrum quoque Romanum Imperium, atque univerſam noſtram Auſtriae Domum, fide, obſervantia & devotione perſtiterit; quos inter Pater tuus Antonius Sereniſſimae Coronae Hiſpaniae, in Braſilia praecipue Arcem exſtructam, graſſantibus ibidem tum bellorum motibus, plurimis copiis, propriiſque ſumptibus & impenſis, cum non exigua fortunarum ſuarum jactura ſtrenue defenderit ac conſervarit, egregio ſingularique ad poſteritatem exemplo: cujus laudabilibus veſtigiis tu quoque gnaviter inſiſtens, domeſticum illud decus praeclariſſimis obſequiorum tuorum ſtudiis eouſque protuleris, ut a Sereniſſimo Conſobrino noſtro Hiſpaniarum Rege Catholico non modo apud Belgas in Conſiliarium ſuum, rerum publicarum aerariique militaris Summum Praefectum, verum etiam Liberorum Baronum coetui ac numero aggregari meritus ſis. Unde & Nos confiſi, te deinceps quoque nullam de Nobis, Sacro Imperio, univerſaque noſtra Auſtriae Domo benemerendi occaſionem neglecturum, praetermittere ſane noluimus, quin ad perpetuum & numquam intermoriturum gratiae noſtrae Caeſareae erga te totamque poſteritatem tuam legitimam ſtatuendum monumentum, amplioribus te honorum titulis & ornamentis augendum & cohoneſtandum ſuſciperemus. Ex certa itaque ſcientia, animo bene deliberato, ſane ac maturo accedente conſilio, deque Caeſareae noſtrae poteſtatis plenitudine, te Thomam Lopes de Ulloa, omneſque & ſingulos liberos, heredes, poſteros ac deſcendentes tuos legitimos natos, aeternaque ſerie naſcituros in infinitum, Noſtros & Sacri Romani Imperii Marchiones creavimus, fecimus & nominavimus, tituliſque, honore & dignitate Marchionum auximus, amplificavimus, inſignivimus, condecoravimus; quemadmodum vigore praeſentis Noſtri Diplomatis Imperialis creamus, facimus, nominamus, augemus, amplificamus, inſignimus & condecoramus; voſque omnes & ſingulos ordini, gradui, ſocietati, collegio, atque communioni eorumdem adjungimus.*

Illud itaque ſuſpiciendum magis,

Quod tot nominibus cum ſis generoſus avorum,
Exſuperes morum nobilitate genus;

& Muſis addictus manſuetioribus, non minus litterarum quam armorum pacifidem Minervam colas. Hoc enim quidquid eſt operis, facile quivis intelliget, ſpecimen eſſe dumtaxat excerptorum Bibliothecae Veſtrae; quo nomine appellitamus ea, quae ex libris veluti flores extrahimus. Iis nimirum locum, unde haec educta atque excerpta ſunt, quaſi Σοφίας ἱεροφυλακεῖον, ſeu *Sapientiae ſacrarium*, coronare mens fuit, atque ejus faſtigio imponere Στεφανώτριδα βίβλον, *Papyrum coronariam.* Exile quidem munus, ſed quo nihilominus, extrema jam aetate cum in Aegyptum navigaſſet, delectatum Ageſilaum Regem Theophraſtus ait, διὰ τὴν λιτότητα τῶν στεφάνων, *propter exilitatem coronarum*: eaſque illum petiiſſe a Rege cum inde navigaret. Addit Plutarchus, fama celeberrimi nominis excitos Aegyptios conveniſſe ad hominem ſpectandum, miratoſque eſſe, quod munera vilia rejectis pretioſis acciperet. Eamdem a Te ut expectem gratiam facit humanitas illa Tua ſingularis, qua de ſtudiis deque viris litteratis bene merendi Patris conſuetudinem ſequens, ad magna & ſublimia virtutis gradu tendis, atque eum, quem imitaris, refers, & eadem naturae propenſione, non tantum moribus exprimis. Accipies igitur ſolita benevolentia munuſculum litterarium, quod & Ill[mo.] Parenti offerre videor cum Tibi. Bruxellae VII. Januarii, Raymundi Barcinonenſis feſto die, M. DC. LI.

JOAN-

Digitized by Google

CAPUT I.

Aditus in Tractationem, ſeu futurae Diſſertationis argumentum.

I. *Illis habendae gratiae, a quibus inſtitutus fueris.*

II. *Novi Juris Architecti ab ipſis utriusque Prudentiae ſtudioſis ſupra modum maledictis atque injuriis laceſſiti.*

III. *Triboniani expoſtulatio apud Lipſium.*

IV. *Vanis hiſce opinionibus occurrendum.*

SI navata Juris utriusque Prudentiae opera nonnullis aliquando ſaluti fuit; a quibus id accepimus, quo ceteris opitulari, & alios ſervare poſſemus, hiſce profecto ipſi, quantum eſt ſitum in nobis, & opem ferre, & gratias immortales habere debemus.

II. Sed quoniam humano malo livor & invidia pronis auribus excipiuntur, plerique pergentes non qua eundem erat, ſed qua alios ire intuebantur, nihil minus antiquum habuerunt, quam quod ratio officii illorum poſtulabat. Quibus enim ludibriis Antiſtitum utriuſque Juris graviſſimam dignitatem & ampliſſimam auctoritatem exagitatam videmus? Hanc publice atque in foro graphiis quotidie confodiunt,

Ut libet illudunt, lacerant impune, manusque
Tingunt magiſtri feriatas ſanguine:

cujuſmodi minerval apud Prudentium *Periſtephan. Hymno* 8. *v.* 39. Doctori ſuo Caſſino juventus ingrata perſolvit. Cicero *pro Planc. cap.* 23. *Nihil eſt tam volucre quam maledictum; nihil facilius emittitur; nihil citius excipitur; nihil latius diſſipatur.*

III. Hinc in Satyra Menippaea Lipſii, inter Jureconſultos clamores & confuſae voces Triboniani audiebantur: *Ecce me infelicem! & ô vanos labores meos! non corrigunt me ſolum, ſed corripiunt, quaſi mala, imo nulla fide in exſcribendis legibus verſatum. Quod ſanctum, quod immotum eſt, tangunt. Violatores majeſtatis, & ultore gladio puniendi.*

IV. Occurrendum itaque vanis hiſce opinionibus credidi, ipſiſque Jureconſultis conſulendum, ne contra ſe pugnent, velintque aliquando ab ingrati animi nota liberari; cum ſit illa exploratiſſimae veritatis B. Ambroſii ſententia *lib.* 2. *de Virginib. Primum ardorem diſcendi, nobilitatem eſſe magiſtri:* tantoque turpius gratiam iis non referre, a quibus inſtitutus fueris, quanto honeſtior cauſa referendae: cujus etiam eſt obligatio aliqua naturalis, non quidem ejuſmodi, ut vim habeat obligationis juris naturalis, quam Jus gentium induxit; ſed quae ab honeſtate naturae ducitur, & apud bonos & claros viros ſatis habet momenti: *Quare hanc praeſtare debemus,* inquit Franciſcus Connanus *lib.* 1. *Comment. Juris Civil. cap.* 11. *Num.* 7. *quamquam nec gentium nec civitatum Lege teneamur. Judex autem nos condemnare ejus rei nomine non poſſet; Lex vero civilis id poſſet conſtituere, quod fecit Lex Macedonum, quae dedit in ingratos actionem.*

CAPUT II.

In Juſtinianum Imperatorem, & ejus Quaeſtorem Tribonianum ad invidiam comparatae invectiones.

I. En proborum portenta, quae in doctiſſimum Caeſarum, & ejus Quaeſtorem paſſim congeruntur! *Tribonianus homo nocentiſſimus, avarus, Gentilitiae ſuperſtitionis reus, jus quotidie novum variumque conſtituit.*

II. *Juſtinianus Imp. indoctus ac plane rudis, ſaeculo infeliciſſimo Juri concinnando ſe accingit, unius Triboniani ope & ingenio fretus.*

III. *Tribonianus pernicioſiſſimus aſſentator, atheus, in Codicem Juſtinianeum leges invehit ipſorum Auguſtorum, qui Chriſtianam Religionem perſecuti ſunt.*

IV. *Hinc factum eſſe, ut ſtudium Civilis Prudentiae Clericis & Regularibus interdiceretur.*

V. *Antonius Faber, Budaeus, Duarenus, aliique, Triboniani facinora, audaciam atque inſcitiam notant.*

VI. *Juſtinianus analphabetus, ſimplex, ſtolidus, more aſinino auriculas movet.*

VII. *Franciſcus Balduinus deflet perturbationem Juris a Juſtiniano relicti: Triboniani flagitia, ſtultitiam atque audacem ignorantiam refert.*

I. FUerit igitur, ſi Superis placet, in Aula Juſtiniani homo quidam nocentiſſimus, immani avaritia, cui fides, decus, pietas, honeſta atque inhoneſta omnia quaeſtui fuere; quid ad famam ſui relinquere potuit, niſi memoriam ſcelerum ſuorum? Hunc Tribonianum fuiſſe ajunt Pamphylium neſcio quem, *pecuniae ad miraculum avidum*, auctore Suida, *Jus pretio vendere ſolitum, impium, & omnibus modis a Chriſtiana Religione alienum*; quem cum Juſtinianus Imperator Quaeſturae praefeciſſet anno Imperii ſui tertio, Gentilitiae ſuperſtitionis reum agere coactus eſt, eique a populo ad caedem quaeſito magiſtratum abrogare: ſed cum exauctorato ſucceſſiſſet in paucos dies Baſilides, brevi ſedatis turbis, priſtinae dignitati reſtitutus, ſic eam adminiſtravit, ut homo avarus nulla fide, nulla juſtitia, Jus quotidie novum variumque conſtitueret.

II. Hoc uno tamen auctore, quis ferat? Civilis Prudentiae diſciplina poſteris tradita eſt, certiſque finibus circumſcripta; quodque Julius Caeſar, & nonnulli poſt eum Imperatores multo paucioribus in libris & aetate ingenioſiſſimorum hominum feraciſſima attingere auſi non erant, hujus unius ſuaſu atque impulſu Juſtinianus Imperator indoctus ac plane rudis, longe pluribus in libris, & omnium bonarum artium interitu ac ſaeculo infeliciſſimo aggreſſus eſt, ut hoc inſigni ac peraudaci facinore

natos difficillimum, maximeque arduum Romanis Sapientibus viſum erat, dum ſibi praeclari adeo negotii curam a Principe non modo commiſſam, verum etiam permiſſam intueretur; pernicioſiſſimus aſſentator multa illi velut auctori primo adſcribere non dubitavit, quae multo ante Juſtinianum tempore ab aliis Principibus Jurisque conditoribus ſtatuta fuerant. Raevard. *lib.* 4. *Varior. c.* 14. Aſſidens Imperatori, teſte Procopio, vereri ſe vehementer affirmabat, ne ob ſingularem pietatem in caelum improviſo ſurriperetur. Ἦν δὲ ὁ Τριβωνιανὸς ἕλλην τε καὶ ἄθεος, inquit Heſychius Mileſius *lib. de Viris Illuſtr.* Procopii aequalis: *Erat quippe Tribonianus gentilis & atheus:* unde Leges ſcribens nomine ipſius Juſtiniani ea apponere verba conſuevit: *Noſtrum Numen: Noſtra ſanxit Aeternitas. De Conceptione Digeſtor. & l. ult. C. de Epiſcopis & Clericis. aliiſque.* Baronius *anno Chriſti* 529. *n.* 26. Contius *cap.* 7. *Lection.* impioſque Imperatores, Zenonem & Anaſtaſium, ſententia Romani Pontificis e catalogo Imperatorum abraſos, penituſque damnatos, nihilominus cum inſigni pietatis titulo in Legibus, a Triboniano conſcriptis, reperimus nominatos: cujus etiam ſtudio factum eſt, ut cum Chriſtianorum Principum ſanctionibus Chriſtiana Religio abundaret, ſuis nihilominus favens Ethnicis Imperatoribus, Ethnicus ipſe Legum conditor atque collector in Codice Juſtinianeo exſcripſerit Leges ipſorum Auguſtorum, ut Diocletiani & aliorum, qui Chriſtianam Religionem perſecuti ſunt.

IV. Quamobrem ſummi Eccleſiae Romanae Pontifices, poena anathematis propoſita, ſeveriſſime prohibuerunt, Chriſti militiae addictos, ejusve Sacris initiatos, Legibus Civilibus operam dare; ne illarum ſtudio fierent putidi Legulei, cantores formularum, praecones actionum, aucupes ſyllabarum, implicandarum litium artifices, magisque Juris, quam Juſtitiae conſulti; non tam aequitatis vindices, quam textores laqueorum, quibus irretirentur miſeri litigantes; *cap. Non magnopere* 3. *& cap. final. Ne Clerici vel Monachi. cap. Statutum* 1. *cap. Ut periculoſa* 2. *eod. in* 6. *cap. Super ſpecula* 18. *de Privileg.* Claud. Clemens *lib.* 2. *Muſei. ſect.* 1. *cap.* 10. Plautus *in Ter.* * &, quod ſcite Comicus dixit, *Legibus fundatas Reſpublicas Legibus everterent.* Certe talem fuiſſe Tribonianum illum hominem Ethnicum, quo praecipue uſus eſt Juſtinianus ad colligendum & emendandum cum Codicem, quem a ſuo nomine Juſtinianeum appellavit, monet Baronius, *ubi ſupra.* Hic enim homo pecuniae, quam aequitatis ſtudioſior, Jus pretio vendebat, ac pro illa auctoritate, qua pollebat apud Juſtinianum, Leges quotidie pro cujusque neceſſitate vel condebat vel antiquabat, prout famelicum canem (ſic ejuſmodi homines, qui non quale quid ſit quaerunt, ſed quanti, Seneca *Epiſt.* 115. & Bartolus *in l. Omnes populi* 9. *ff. De Juſtitia & Jure.* appellant) aura bene nummati marſupii afflaviſſet.

Eodem plane ſenſu Ludovicus Vives de cauſis corruptarum artium: *lib.* 7. *Quod,* inquit, *dicunt Tribonianum fuiſſe magnum & eruditione & prudentia & judicio virum; non dubito; ſed hominem nec optimum, & quem Suidas ait conſueſſe Leges vendere pretio, & tales figere ac refigere, quales congruerent iis, qui plurimum numerarent.* Neque in eum clementior

* Neque talis Comoedia, neque talia verba extant apud Plautum, ſed Plinius *in Panegyrico cap.* 34. *Ne,* inquit, *fundata legibus civitas everſa legibus videretur.*

tientemque in caelum tranſiiſſe ut.

V. Vis & judicium Antonii Fabri *lib.* 8. *Conjectur. c.* 8. 9. 18. *lib.* 10. *cap.* 20. *lib.* 11. *c.* 1. *lib.* 12. *cap.* 1. 16. *& alibi paſſim?* At quanti viri! Is paſſim Triboniani facinora, audaciam atque inſcitiam notat, & monet plus Juris rationi tribuendum, quam illi, qui ſecum ipſe pugnans, multa de ſuo, nimia Juris imperitia, ſtylo parum eleganti adjecerit; ab obſcuro ad obſcurius, ab abſurdo ad abſurdius gradum fecerit; quique inhumanas & impias manus veterum Prudentum ſcriptis intulerit, & barbare loquens *l. Si debitori* 21. *ff. de Judiciis. cautelam* pro *cautione* ſcripſerit, aliaque ejuſmodi.

Sed quid Duarenus *in tit. de Pactis? Verum eſt,* inquit, *quod Budaeus noſter dictitabat, Tribonianum acciſas nobis Pandectas, & mutilas verius quam compendioſas tradidiſſe: adeo ut quotidie nobis divinandum ſit in his, quibus, ſi veterum extarent monumenta, nihil erat futurum dilucidius. Neque tamen haſce reliquias, qualescumque ſint, ideo reſpuere & averſari, ſed amplecti potius & boni conſulere debemus; ſimiamque illam imitari, quam ſcriptores quidam tradunt, cum catulum quemdam ſuum pulchellum & carum amiſiſſet, alterum foediorem, quem prius invisum habuerat, deperiiſſe.*

Veterum etiam Interpretum ſimplicitatem, in Triboniano explicando mire anxiam, ſugillat idonea ſimilitudine Bartholomaeus Fajus, Regius Lutetiae Senator, *Praefat. in Comment. Juris Civilis* Franciſci Connani, ubi ait: *Coeptum illud confuſaneum, ineruditum ac redundans cum ſcribendi, tum profitendi Juris genus paſſim a recentioribus Juriſperitis repudiari: neque injuria; cum in eo vix ſtudiis aſſequendo haud multum differre ab iis videremur, qui metalla veſtigant, quibus immenſos montes perforare, ingentem terrae vim eruere magnis impenſis ac laboribus neceſſe eſt, priuſquam vel ad plumbum veniant, qui argentum quaerunt: ac plerumque ſpe eluſi, impenſam atque operam ſe perdidiſſe perquam graviter ferunt, indignanturque. Atque utinam Cajo Caeſari egregia illa cogitata de Jure Civili ad certum modum redigendo, ac ex immenſa diffuſaque Legum copia optima quaeque neceſſaria in pauciſſimos libros conferendo proceſſiſſent! Nam ut Juſtiniani multo poſt Imperatoris par prope voluntas ſingularisque ratio fuerit, praecipua quaeque Conſultorum monumenta in centonem contrahendi, ne perpetuo aliquin intercepta opere, ſuas eximiis auctoribus laudes inviderent; haec tamen perfunctoria Triboniani & ejus ſociorum opera acciſa verius, quam tentata adhuc ſupremam inſignis cujuſdam artificis manum deſideret. Accuravere Graeculi illi ad Perpetui Edicti imitationem, ſolum titulorum ordinem, reliqua cuique titulo ſubjecta capita & reſponſa, deformi ſeu membrorum transpoſitione, non tam corpus quam monſtrum e pluribus compoſitorum operum fragmentis effingentes, ultro etiam confudere. Et dubio procul eſt, quibus nullus fere procurando eo, quem in ſe receperant, moderato ordine rerum & ſententiarum delectus fuerit, praeſertim variis & diverſae ſectae auctoribus in unum cogendis, non pauca invicem obſtantia excidiſſe. Quia ita Architectum illum* (Tribonianum intelligit) *parum ſincere hic verſatum, quippe Leges pretio fixiſſe ac refixiſſe Suidas teſtatur. Procopio iſtius objecti fidem ſic elevante, ut conceſſo interim avaritiae crimine, paene aſtruere videatur. Utcumque conſtat harum aliquas ſub Juſtiniani nomine recens latas, ab eodem ſubinde antiquatas fuiſſe; aliis praepoſtere adeo ſuperinductis, ut utra ab altera corrigatur, non ſemel ab Accurſianis, tum de lana*

ſa-

by Google

rumori belli gloriam a Perſis & Beliſario; pacis deco-ra a Triboniano & Dorotheo fuiſſe parta? Si tamen quod intra ſentio, libere apud te poſſum deponere, mihi Juſtinianus nequaquam videtur bene de mortalium genere meruiſſe. Gemino quippe facinore, quod utrumque plerique ſuſpiciunt, ſi paulo attentius rem introſpicimus, ingenti poſteris detrimento fuit. Niſi enim Gothos, etiam tum miteſcentes, Italia noſtra expuliſſet, nos eos nunc omni barbarie diſcuſſa, & ruditate deterſa, optimos Principes haberemus. Et niſi huic rurſum pernicioſa illa inceſſiſſet libido Juris Romanorum Civilis perturbandi, & veterum Juriſperitorum libros deflorandi, non regnaret nunc in reginam Artium Juriſprudentiam tanta ſtoliditas & ignorantia, quantam ne in ipſius quidem Juſtiniani ingenio fuiſſe Procopius putet, etiamſi auriculas, ut ille ait, more aſinino agitaret: quantamque neque Budaeus, neque Alciatus opinari poſſint ſub Juſtiniani cranium habitaſſe, quem hominem ex Suida Analphabetum vocarunt. Neque ego quid ſciverit, quidve ignoraverit Juſtinianus valde curandum, neque qua lingua, Graecane an Latina, an Illyrica loqueretur, accuratius inveſtigandum crediderim. Illud vero in primis contenderim, Juris Civilis ordinandi ſolam divi Julii mentem fuiſſe capacem, ad eamque rem aggredi opportuiſſe animum Juſtiniano φιλοσοφώτερον. Quem nimirum *ſimplicem* appellat Contius, *lib.* 9. *Lection.* & Petrus Gregorius Tholoſanus, *De Jure univerſo lib.* 47. *tit.* 11. Tiraquellus *in l.* 11. *Connubialem. num.* 2. *ſtolidum, mulieroſum, flexum a mulieris arbitrio in quam vellet partem.*

VII. Addo querelas, vota, invectiones & lamenta doctiſſimi Balduini, *Commentar. de Juſtiniano, ſive de Jure novo. Equidem,* inquit, *ſaepe cogor & accuſare perturbationem Juris a Juſtiniano relicti, quae nos tam miſere jactat; & optare, ut ille ſaltem Corpus Juris concinnaſſet poſtremis ſui Imperii annis. Sed cum fruſtra optando nihil quidquam conficiamus, & quod ille intrivit, nobis exedendum ſit; illud tantum ſupereſt, ut confuſa Jura diſcernamus, ſi forte poſſimus vel ea concoquere, vel hanc moleſtiam devorare.*

Quis non dixerit libros Juris noſtri miſere eſſe contaminatos, miſeramque eſſe noſtram conditionem, qui in iis volutamur? ſed eorum eſſe miſeriorem, qui ne quidem ſentiunt quid tractent?

Tam varie, tamque perplexe Jus illud involvit Juſtinianus, & poſtea, cum Novellas ederet, ita revolvit ac permiſcuit, ut in eo fruſtra & verboſe recitando neque me neque lectorem meum cum faſtidio fatigare exiſtimem eſſe operae pretium.

Nos miſeri, & bis terque miſeri, qui tales inter ſcopulos jactamur: ſed multo illi etiam miſeriores, qui neque vident, neque ſentiunt, ac ne per ſomnium quidem cogitant quidquam de Triboniani ſive flagitio, ſive ſtultitia, ſive audacia in Pandectarum capitibus, non jam dico componendis, ſed potius cauponandis.

Optarem equidem habuiſſet Juſtinianus Scriptores ſuarum Legum diligentiores. Habuit profecto nimis verboſos; ſed in rebus ipſis alioqui explicandis negligentiſſimos: quae negligentia noſtram Juriſprudentiam miſere perturbat & commiſcet.

Fuit certe magna Triboniani culpa, pugnantes ſententias Pandectis inſerentis: ſed multo eſt major, cum id facit, ubi etiam Juſtinianus alteram prius rejecit, alteram recepit. Peccatum tamen non ſemel in hoc quoque genere abs Triboniano eſſe res ipſa loquitur: & imprudenter verecundi ſunt Interpretes (ne ineptos & in-tia, niſi ſi earum tribulos & aculeos Tribonianus Pandectis inſperſiſſet.

Graeculorum Jus Civile, Juriſconſultorum Romanorum diſputationes illotis manibus tractantium, & ut catuli lacerant panniculos (quemadmodum ait ille apud Platonem) diſcerpentium hallucinationem & imperitiam potius accuſaverim.

CAPUT III.

Tribonianus defenſus adverſus vituperatorum nimiam acerbitatem.

I. *Summa Civilis Prudentiae cognitione excelluit Tribonianus.*
II. *Doctiſſimus fuit, humaniſſimus, minime avarus, vel ipſius Procopii ſuffragio.*
III. *Ejus ſtylus expenſus.*
IV. *Aſſentationis in Juſtinianum Imp. falſo inſimulatur.*
V. *Non fuit Gentilis, neque Atheus.*
VI. *Delrius, Baronius, Contius, aliique in eum inclementiores.*
VII. *Veteres Jureconſulti contemtores divitiarum, & aequitatis ſtudioſiſſimi.*

I. Excerpta a me ſupra, & alia ejuſmodi adverſus Juſtinianum & ejus Quaeſtorem Tribonianum fere afferri ſolent; quae ſi quis mecum attentius conſideret, videbit haud dubie, non tam multa in iis reprehendenda eſſe, quam videtur iis, qui audita tantum altera parte pronuntiant.

Ut enim de Triboniano ſententiam explicem meam, dicam, & quidem paucis, tam me peccaturum, ſi ab eo perveſtigata omnia comprehenſaque eſſe contenderem, quam ſi eidem, quod interdum falſa pro veris retulerit, ſummam rerum Civilium cognitionem detraherem. *Budaeus quidem in Annotationibus ad Pandectas loca plurima collegit, in quibus conſarcinandis ei Tribonianus dormitaſſe viſus eſt: non quod tamen deſperaret fieri poſſe, ut concordarentur, ſed ut doctorum hominum ingenia potius excitaret; quemadmodum ſibi a Budaeo relatum Franciſcus Connanus teſtatur.* Vide Gilbert. Regium *lib.* 1. Ἐναντιοφανῶν *cap.* 11.

Sic etiam aliquando de veris uſucapionum differentiis contra Tribonianum diſſeruit Raevardus, non ut opinioni; quam de illo viri docti imbiberant, aliquid omnino ſubduceret; ſed ut veritati, quae in diſciplinis omnibus principem tenet locum, fideliter inſerviret. Neque enim cuiquam umquam contigit nuſquam offendere; & majus eſt quam ut convenire in humanam fragilitatem queat. Atque in tanta veterum diſputationum copia cavere ubique non potuit Tribonianus, quin imprudens in Pandectis relinqueret ſubinde earumdem veſtigia; ut fuſe docuit Balduinus *Comment. de Juſtiniano, ſive de Jure Novo:* qui tamen, quem paulo ante *oblivioſum* appellaverat, illatae injuriae immemor, alibi paſſim, &, praeſertim in hoc Uſucapionum argumento, *bene memorem* Tribonianum ſcribit. *Cum jampridem,* inquit, *quicumque in orbe Romano habitabant, erant Cives Romani, ſic & omnes provinciae & regiones hujus Orbis, Juris Italici intelligi eſſe debebant.*

Sed

rationis bene memor Tribonianus, ubi veteres meminerant anni aut biennii, in Pandectis caute ſcripſit tempus ſtatutum, conſtitutum, Lege definitum, ſaepe etiam longum aut diutinum, ubi veteres biennium dixerant.

II. Hunc ſane Scriptores antiquiores, plerique omnes, ita prudentem Juris, ita litteris inſtitutum exiſtimarunt, ut ſe illi in omni ſcientia nemo auderet comparare. *Ad ſummam pervenerat eruditionem, nemini ſuae aetatis inferior*, auctore Suida. *Vir erat moribus & diſciplina omnium artium nulli ſecundus*, Procopii ſuffragio; eodemque teſte *lib. 1. de Bello Perſico* (ne facile apud quemquam ut homo ſuperbiſſimus, aut pecuniae ad miraculum avidus male audiat) eodem inquam teſte, *juſtum ſectabatur lucrum natura mitis & humanus*. Unde apparet, illum, quod ab Imperatore Conſtantino *l. 5. C. de Poſtulando* (Vide & *Auth.* 82. *de Judicib.* ac Franc. Pollet. *Hiſt. Fori Romani lib. 5. cap.* 10.) jure vetitum ſciebat, oumquam exiſtimationi ſuae immenſa atque illicita compendia praetuliſſe. Et mirum profecto, Franciſcum Guinetum, *in Juſtiniano Magno*, eximium alioqui Triboniani propugnatorem, ad hunc Procopii locum animum non advertiſſe; ait enim: *Supereſt avaritiae crimen, quo Tribonianus abſolvi non debet: graviſſimorum enim teſtium fide convictus tenetur, qui conſtanter eum hujus cupiditatis luto reſpergunt; cum hac tamen modeſtia, qua profitentur unam aviditatem pecuniae ſummas viri praeſtantis virtutes infeciſſe, iſtamque ipſam labem ejus eloquentiae & moribus ſuaviſſimis facile condonatam: adeo ut nullus ei unquam, ne levi quidem contumelia inſultaverit, niſi quod inſana ſeditione populus furens a Juſtiniano, lenire lymphatos animos tentante, aliquando extorſit, ut magiſtratu dejiceretur: ſed mox, tumultu deferveſcente, reſtitutus eſt, ac deinde cum vitam placidam quieto curſu egiſſet, ſenex facili exitu ſolutus eſt.*

III. Ad ſtylum illius quod attinet: haud equidem prorſus negaverim quaedam eſſe in ipſis Inſtitutionibus, quae non usquequaque Romanam in dicendo puritatem atque elegantiam redoleant: neque inficior, ut alia omittam, Triboniano ſatis familiare fuiſſe, dictiones *quatenus* & *competenter* in Conſtitutionibus frequentiſſime uſurpare, quas vix ac ne vix quidem eo ſenſu in Jureconſultorum ſcriptis, adeoque priorum Imperatorum reſponſis reperias. Anton. Faber *lib. 6. Conjectur. cap.* 19. Sed ut omnis peregrini ſermonis illuvies, quantum rerum natura patitur, Jureconſulto vitanda eſt; ita etiam interdum rebus magis, quam Suadae litandum eſt; neque magnopere curanda delicata illa & nimium affectata quorumdam elegantia, qui ſi fortasſe legant, *Cognatum propter ſervitutem capite minutum, nequidem ſi manumiſſus fuerit recipere cognationem*; §. *Quod autem 6. Inſt. de Capitis deminut.* vel ex Lege XII. Tabularum, *Nequidem inter matrem & filium, filiamve ultro citroque hereditatis capiendae jus dari*; *princ. Inſtit. de S.C. Tertulliano*, protinus exclament cum Auguſtino Datho Senenſi, Indignum facinus! hoc non dici niſi locutione violenta: inter haec verba *ne* & *quidem*, ſemper intervenire aliquid neceſſario debere, uti recte de Excuſationibus Tutorum: *Propter adverſam valetudinem, propter quam ne ſuis quidem negotiis intereſſe poteſt, excuſatio locum habet*, §. 7. *Inſt. eod. tit.* Itemque de Inutilibus Stipulationibus: *Qui in poteſtate parentis eſt impubes, ne auctore quidem patre obligatur*, §. 10. *in fin. Inſt. eod. tit.* Sed circa minutias haſce languere, ſine quarum explicatione ſumma Legis aeque conſtiterit, quantulum obſecro laudis habet? Habeant ſibi ſuas particulas Grammati-

ia, ut ...

audax, nec a Jureconſultis quidem temperavit, quo minus illis diem diceret, & de verborum quorumdam ſignificatione, ſeu Latinae majeſtatis laeſae reos faceret: cujus accuſationis novem & viginti capita breviter confutavit Alciatus; tum ut tantam ejus arrogantiam, certe φιλαυτίαν, aliquatenus retunderet; tum ut hi litteratores non eſſe temere a noſtris recedendum cognoſcerent, & veriora a Jureconſultis etiam in alienis profeſſionibus tradi, quam ipſemet Valla, alioquin Grammaticorum praeſtantiſſimus, in propria arte commentari potuerit.

Aufugiant itaque a nobis hi Ariſtarchi, qui vocabula, eorumque uſum atque ordinem non admittunt, niſi cum fidejuſſore quopiam antiquo! Si enim fortaſſis exciderit homini Graeco vox ignota caſtae Latinitatis principibus, quaeque jus civitatis non ſit adepta; ſi quod verbulum jam ſeneſcente Latini ſermonis puritate, ex alterius linguae faece Romanae adhaeſerit, non ex eo ſtatim ſequitur, barbare ubique locutum Tribonianum. Anton. Auguſtin. *lib. 2. Emendat. cap.* 1. Franciſc. Connanus *Comment. Juris Civil. lib.* 10. *c.* 2. *num.* 12. Budaeus 1. *Parte Annot. in Pandect. Durus ille quidem & aſper*, quod de Ammiano Marcellino dici ſolet: Lindenbrogius *Praef.* in Ammianum Marcellinum, *ſi cum Auguſti aevo conferatur*: ſed tamen ornatus interdum, & ſuos habens lepores; atque ut in ſenticeto roſae nonnunquam & lilia ſuccreſcunt, ita in hujus aſpritie velut floſculi quidam elegantiarum urbanarum renident.

IV. Minime vero mirandum, ſi forte Graeci; atque inter eos Tribonianus, florente Reipublicae ſtatu, Imperatorem aliosque Principes viros, non tam dignitatum vel officiorum indigetamentis, quam inanium titulorum crepitaculis extulerint; cum ne hodie quidem, acciſis rebus & preſſi jugo ſervitutis, hac in parte certis terminis coërceri poſſe videantur. Si tamen ex aequo & bono nobis accedant honorarii arbitri, numquam paſſuros eos eſſe confido, ut in re falſa Tribonianus in jus vocetur, litemque illi quisquam de nimia in Juſtinianum adulatione conteſtetur, quaſi, primus Leges illius nomine conſcribens, appoſuerit haec verba: *Noſtra ſanxit Aeternitas*: quae multo ante in Conſtantio Imp. deriſerat Ammianus *lib.* 15. *in princip.* Alemannus *in Notis ad Arcanam* Procopii *Hiſtoriam*. Imperatores paſſim *Sacratiſſimi* & *Diviniſſimi* appellantur: eorum diplomata *Sacrae*, *Divinae litterae* nuncupantur. Orbiculari illo diademate (quod diis olim Gentilitas, nos Sanctis viris tribuimus) redimita Imperatorum capita in eorum nummis nonne videmus? Ea porro non meriti, ſed Imperialis & Regiae dignitatis praerogativa eſt.

V. Nam de Triboniani Paganiſmo quid attinet dicere? Scriptum diſerte ab Huberto Giphanio J. C. celeberrimo, *Comment. de Imp. Juſtiniano.* illum falſo tantae caecitatis inſimulari, traducique erroris, cum tot praeclaras Leges de Chriſtiana Religione plane Catholicas eo dictante Imperator Juſtinianus divulgarit, & Magiſtratum niſi Chriſtiano capere nemini tum licuerit. Unde aperte idem Imperator, ubi de Compoſitione Digeſtorum: *Omnia*, inquit, *confecta ſunt, Domino & Deo noſtro* JESU CHRISTO *poſſibilitatem tam nobis, quam* NOSTRIS *in hoc* SATELLITIBUS *praeſtante*. Et fuit, qui quandoque ſuſpicaretur, Vacca in *Proœmio Digeſtor.* Cajum, magnum illum Jureconſultum a Juſtiniano ſive Triboniano *Noſtrum* §. *In his.* §. *Quas ex omni-*

bus

Digitized by Google

ſtratum ſuis exceperit manibus, & una cum uxore Antonina filium adoptaverit; quo more Chriſtiani conſueverunt liberos adſciſcere.

His lubet adjungere praeclaram Triboniani defenſionem a Franciſco Guineto J. C. inſtitutam, ea Lucubratione, quam JUSTINIANUM MAGNUM inſcripſit; *Inter delectos heroas captivam Juſtitiam confuſioni erepturos, toto vertice unus eminebat Tribonianus, dux operis a Juſtiniano dictus, at ejus incredibili ſagacitate aliorum induſtria gubernaretur. De hoc Triboniano, de cujus ingenii nobilitate nemo dubitat, famam ambiguam ſcriptorum alii diſſiparunt, alii ſaeviores collecta infami criminum nube totum hominem iniqui rumoris amara invidia perfuderant, quaſi nullum ſcelus, quantumvis dira facie occurrens, horruerit; & ſiniſtris moribus adeo profligatam improbitatem uſſaeverit, ut non aliis, quam ſuae libidinis finibus fas atque nefas diſcerneret. Iſta vero ſcriptorum, iracundia feroci detonantium, accuſatio omnis duobus in criminibus vertitur, Avaritia & Impietate, ſive, ut loquuntur illi, Paganiſmo: quia nempe ajunt, eum mirabili fraude (ſi memorare dignum eſt) illuſum Juſtinianum induxiſſe, ut ſerio crederet immortalem ſe eſſe, & in caelum certo evolaturum corporis vinculis non exſolutum. Sed haec ridiculae vanitatis pleniſſima fabula Graeculi ſcriptoris, ſolemniter delirantis, ſomnium eſt, non Triboniani crimen. Nam ô bonae anus! quanti ludibrii hocce portentum? Chriſtianiſſimum Principem, religioſae pietatis laudibus inclytum, hoſtium caeli hoſtem acerrimum, eleganti eruditione per quotidiana Epiſcoporum colloquia imbutum, in tum frequenti conſuetudine cum Pontificibus Romanis, jam declivi aetate, toties violentia morborum in extremae vitae anguſtias projectum, ſibi vivo caelum ſperaſſe? hanc opinionem intime inſidentem animo habuiſſe, extra mortis ictum ſe verſari? quodque magis mirere, omnes ejuſdem temporis ſcriptores tam deviae ſtultitiae memorabile exemplum aut oblitos aut neſciviſſe? uni poſt quingentos annos nonnulli auctori per oraculum forte admonito non excidiſſe?*

Ipſe Andreas Alciatus, poſteaquam retulit ex Suida, *Tribonianum hominem fuiſſe Graecum, omnis religionis contemtorem, & praeſertim a Chriſtiana Fide abhorrentem, adulatorem ac fraudulentum*; mox mitiora ſubjungens, *lib.* 4. *Diſpunct. c.* 7. (Vide Gregor. Lopez *Praef. Libri Singular. Animadverſ. & cap.* 7. *n.* 4.) *Sunt tamen*, inquit, *qui aliter de Triboniano ſentiant, nec temere Grammaticis de Jureconſulto credendum arbitrentur: quandoquidem etiamnum videamus, & ſaepiſſime experiamur, quanto ſupercilio id hominum genus, quo jure, qua injuria, & mortuos & viventes inſectetur; quamque ſuis in ſtudiis hi ſibi placeant Moriae beneficio felices, alios omnes contemnant: & epiſtolis ante ipſos Legum Codices praefixis, Accurſium, Bartolum, ceteroſque acerbiſſimis conviciis dilacerent: Imperatoris ſui Laurentii Vallae exemplo provocati, cui mortuo honos hoc Epitaphio habitus fuit.*

Tandem Valla ſilet, ſolitus qui parcere nulli eſt.

Si quaeris, quid agat: Nunc quoque mordet humum.

Quod ſane carmen longe magis ipſis, quam Vallae conveniſſet, cujus doctrinae pleraque ejuſmodi condonanda ſunt: at hi ea maxime reprobant, quae non intelligunt.

Sed Gentilis fuerit Tribonianus (nam objectum illi avaritiae crimen jam ſupra diluimus) Deique Optimi Maximi beneficio lucem veritatis per Chri-

etiam magnos, deque Republica literaria optime meritos, Triboniani impugnandi ſtudium impulerit. *Falluntur Juriſtae*, inquit Delrius *lib.* 6. *Diſquiſ. Magicar. q.* 2. *qui exiſtimunt, Jure Civili licere maleficiis uti in bonum finem: nempe ad curandos morbos, vel ad repellendas tempeſtates, ut Hoſtienſis in Summa, Azo in Summa, Petrus Aerodius libro Rerum judicatarum, Bartolus, Salycetus, Godefridus & alii in* l. Eorum 4. C. de Malefic. *Troilus Malvetius de Sortibus, Grillandus de Sortilegiis, & alii communiter. Dico falluntur, quia Legem illam Conſtantini, qua nituntur, recentiore Lege ſuſtulit poſtea Leo Imperator Conſt.* LXV. *ad Stylianum, de Incantatorum poena, ut recte advertunt Nicolaus Remigius, Petrus Gregorius & Godelmannus; quam quod Tribonianus homo plane ſceleſtus praetermiſerit, cauſam aliam non video, quam quia ab omni erat pietate & vera religione alienus.* Hactenus Delrius, non ſine inſigni lapſu & metachroniſmo: neque enim potuit Tribonianus Leonis Conſtitutionem laudare, qui hujus nominis Imperator VI. Baſilii Macedonis filius, annis plusquam trecentis a Juſtiniani aevo floruit. Qua de re audiendus Henricus Agylaeus Leonis interpres, qui ante annos ferme centum in ejus Conſtitutiones Veſontione, Maxima Sequanorum, ita praefatus eſt: *Cum Juſtinianus Princeps Jus Civile ex veterum variis multiplicibusque ſcriptis in compendium redegiſſet, ac inſuper pro rerum poſtmodum emergentium natura Conſtitutiones ſcripſiſſet, eaeque in eam, quam videmus, multitudinem atque molem excreviſſent; is vero ejus labor Baſilio Macedoni Orientis Principi multis de cauſis diſpliceret; communicata ipſe cum Conſtantino ac Leone filiis ſuis opera, quaecumque ille ejuſdem argumenti diverſis locis tractaſſet, ſub ſuis titulis collectius digeſſit: quae obſcuriora viderentur, apertius perſcripſit: verboſitatem reſecavit: ac denique, prout mutatum Reipublicae ſtatum poſtulare putabat, alia rejecit, alia reformavit, alia noviter introduxit. Quo ipſo in opere, cum poſt patris fratriſque obitum ſceptra Leo ſolus obtinens nonnulla partim non probaret, partim requireret; continua, ut facile conjicere eſt, ſcriptione correctis, adjectiſque quae viderentur, velut colophonem illi addidit, ſummamque manum illi impoſuit. Singulas autem res ſingulis fere Conſtitutionibus incluſit, atque ita diligenter quaſque rationibus communivit, ut non jubere Leges, ſed perſuadere poſſe videatur. In quo profecto cognomini ſuo reſpondere voluit, ne cum aliis in rebus omnibus Philoſophus dici mereretur, ubi praecipue prudentiam ſuam exercere deberet, ſui diſſimilis eſſet.* Ita quidem Agylaeus; & recte, ſi chronologiam ſpectes: non tamen hoc loco praetermiſerim Claudii Chifletii J. C. Sequani, Propatrui mei, judicium plane contrarium de Leone Imp. deque praeſtantia Juris a Juſtiniano relicti: *Diſquiſitione de Secundo Capite Legis Aquiliae. Ipſe*, inquit, *Juſtinianus veterem reparaturus Juriſprudentiam, tantam ipſi antiquitati reverentiam habuit, ut multis in locis Juris deſuetudine inumbrati veſtigia ſupereſſe voluerit, ne antiquitatis memoria & primae illae Legum Romanarum origines ignorarentur ab iis, qui Legibus Romanis viverent. Diſſimili multo propoſito atque Baſilicorum auctor Leo, qui non contentus Juſtiniani Juris Civilis editione, rapſodiam aliam Legum Romanarum Orienti invexit, a priore illa uſque adeo degenerem, ut tantum*

deleret prorſus & extingueret.

Crediderit haud dubie doctiſſimus Delrius, non hunc fuiſſe auctorem Conſtitutionis de Incantatorum poena, ſed alium Leonem Juſtiniani Imp. deceſſorem; cujus, & cum elogio quidem inclytae recordationis, meminit Tribonianus, ita ut quo ſe cumque vertat Delrius (pace tam praeclari Scriptoris dixerim) errorem male ſubducti calculi, magno viro injurioſum, excuſare non poſſit. Ait enim Juſtinianus *in Inſtitutionibus*, Triboniani ſtylo exaratis, hanc ſtipulationem, *Si navis ex Aſia venerit, hodie dare ſpondes*, inutilem olim fuiſſe, quia praepoſtere concepta eſſet; ſed ſe talem conceptionem confirmaſſe: *Quod* LEO INCLYTAE RECORDATIONIS, *in dotibus eamdem ſtipulationem, quae praepoſtera nuncupatur, non eſſe rejiciendam exiſtimaverit*, *§. item ſi* 14. *Inſtit. De Inutilibus Stipulationib.* & *l. Praepoſteri* 25. *C. de Teſtam.*

VII. At enim ſuis favens Ethnicis Imperatoribus, notante Baronio, Contio, aliiſque (vide ſupra *cap.* 11. *num.* 111.) ipſe Ethnicus Legum conditor atque collector Tribonianus malitioſe in Codicem Juſtinianeum eorum Leges invexit, ut Diocletiani & aliorum, qui Chriſtianam Religionem perſecuti ſunt.

Non damno querimoniam, quae ex odio Gentilitiae ſuperſtitionis & fidei pietate promanat. Verum quamvis impii, & omnibus modis a Chriſtiana Religione alieni fuerint, non continuo quidquid edixere, impium eſt; praeſertim cum, in ſuis Conſtitutionibus edendis, Jureconſultorum opera fere uſi ſint *l. Divi fratres* 17. *ff. De Jure Patron.* Cujacius *lib.* 19. *Quaeſt. Papinian.* qui minime fallaces, contemtores divitiarum, adeoque aequitatis ſtudioſiſſimi fuere. Quid enim ab his tam longe alienum fuit, quam ratio fallendi, cum ceteros ab omni fraude cohiberent, & correctores pravitatis humanae, aequum ab iniquo ſepararent, licitum ab illicito diſcernerent, bonos denique non ſolum metu poenarum, verum etiam praemiorum exhortatione efficerent? *l.* 1. *§.* 1. *ff. De Juſtitia & Jure.*

Voluntas fingendi ac mentiendi eorum eſt, qui opes appetunt, lucra deſiderant; quae res procul dubio ab antiquis illis Juriſprudentibus abfuit: ita enim delegato ſibi officio fungebantur, ut, derelictis omnibus, vix ad tutelam vitae neceſſaria poſſiderent. Atque adeo cum Legati Aetolorum, auctore Plinio, *Hiſtor. Natural. lib.* 33. *c.* 2. Sextum Aelium Jureconſultum in Conſulatu prandentem in fictilibus adiiſſent, miſſa ab ipſis vaſa argentea non accepit; neque aliud habuit argenti ad ſupremum vitae diem, quam duo pocula, quae Lucius Paulus ſocer ei ob virtutem donaverat. Ipſi Juris Anteceſſores hoc primum profitebantur; Mercenariam operam ſpernere, *l.* 1. *§.* 4. *ff. De Extraord. Cognitionib.* ne Civilem ſapientiam, quam Ulpianus rem ſanctiſſimam vocat, pretii nummarii aeſtimatione dehoneſtarent. Ergo a quibus abfuit ſtudium lucri, abfuit etiam voluntas peccandi, & cauſſa fallendi, ut recte ſcribit Lactantius.

CAPUT IV.

Juſtinianus Imperator doctrina & moribus vere magnus.

I. *Juſtinianus ſapientiſſimus Imperator, Princeps doctus.*

manae Eccleſiae Pontifices honorifice locuti: quantum ejus induſtriae & ſollicitudini debeant Civilis Prudentiae ſtudioſi.

VI. *Avaritiae labem, aperto mendacio, optimo Principi inurit Procopius, in ſeipſum injurius.*

VII. *Quid cauſae ſit, cur multa de perſonis Eccleſiaſticis ſtatuerit.*

VIII. *Studium Civilis Prudentiae a viris Religioſis & Sacris initiatis in pretio habitum.*

IX. *Juris utriuſque cognitio Jureconſultis neceſſaria.*

I. POtuit ad haec Juſtinianus, quem merito Theodahatus, Rex Gothorum, modo *Sapientiſſimum Imperatorem*, modo *Principem doctum* appellat apud Caſſiodorum, *lib.* 1. *Var. Epiſt.* 9. & 22. potuit, inquam, Juriſprudentia pollens, & Chriſtianus Imperator, mulieris captivae radere caput, ut habetur *in Deuteronomio*, ſupercilia & ungues amputare, ac ſic illam habere in conjugio; potuit ſuggerentibus Epiſcopis Conſtantinopolitanis Epiphanio & Menna, hominum Ethnicorum ſapientiam, in ſalutem generis humani, de ancilla atque captiva Iraëlitidem ſeu Chriſtianam facere, & quidquid in ea mortuum erat, idololatriae, voluptatis, erroris, libidinum vel praecidere vel radere. Hinc muliebres & profanos funerum leſſus convertit in cantus ſacros, & Praeficarum loco Pſaltrias ſubſtituit, *Novella* 59. Hinc ab illo omiſſa omnia, quae ad Sacra Gentilium pertinebant, quorum jus erat penes Collegium Pontificum, ſecundum ea, quae Numa ſtatuerat: hinc laudavit ſuorum temporum caſtitatem, *pr. Inſt. Quibus modis tutela finitur.* rejecit veterum, ſi non Romanorum, ut voluit Raevardus *lib.* 4. *Varior. c.* 10. Plato *lib. de Legib.* 11. at certe Graecorum & Lacedaemoniorum licentiam, qui aetatem, ad nuptias idoneam, ab inhoneſtis & obſcoenis nudatorum corporum inſpectionibus aeſtimabant. Et licet fortaſſis Jure Civili toleretur concubinatus, *l.* 1. *§. ult. ff. de Concubin.* quia tamen, ut Marcellus ait, *l. Probrum* 14. *ff. de Ritu nupt.* Concubina non habet honeſtatem; primique Juris praecepti apud viros bonos ea vis eſt, ut non modo quod liceat ſpectent, ſed magis quod honeſtum eſt, omnes boni eam abominabuntur: idemque juris erit apud illos de donationibus erga meretrices, *l. Affectionis* 5. *ff. de Donationib.* quas Lex quidem omnino non prohibet, ſed tamen judicat eſſe inhoneſtas.

II. Si quis praeterea miretur, Juſtinianum (qui toties ſe Chriſtianum, & ſacrorum Canonum cultorem defenſoremque eſſe, Rituſque Paganorum damnare profitetur: *C. De ſumma Trinitate & Fide Catholica*, *tot. Tit. De Paganis & Sacrificiis eorum*) divortia ſuis & anteriorum Principum, quas Codici ſuo inſeruit, Conſtitutionibus admiſiſſe; Franc. Balduinus *in Juſtiniano:* equidem non illud ſentiam quod Alciatus *lib.* Παρέργων *c.* 20. & Duarenus *ad Tit. ff. De Divortiis*; ſeu Legem iſtam Chriſti, qua conjunctos ſeparari vetuit, aliter primis ſaeculis intellectam fuiſſe (id enim confutavit Didacus Covarruvias *lib.* 4. *Epitom. Decretal. p.* 2. *c.* 7. *§* 4.) verum dicam potius cum Gudelino, *lib.* 2. *de Jure No-*

vo-

evanuerunt. Ad rem facit monitum Raevardi lib. 4. Variar. cap. 19. ubi ait: *Juſtinianum Imp. eam dediſſe Triboniano in Prudentum Reſponſis digerendis auctoritatem, ut illud omne, quod Pandectis incluſum eſt, ad ſui temporis rationem accommodari voluerit*; de quo etiam audiendus Nicolaus Alemannus *Praefatione ad Arcanam* Procopii *Hiſtoriam*.

III. *De partis*, inquit, *victoriis, Imperioque Romano propagato nihil attinet dicere, cum ſola modo reliqua illorum memoria ſit. Conſtitutiones autem ab eo ſapientiſſime conditae, vel veterum Imperatorum Leges uno in Codice ordine diſtributae, vel antiquorum Sapientum Reſponſa ex immenſa congerie, ſumma ſtudiorum facilitate ac brevitate digeſta, vel haec eadem ad Inſtitutionis modum enucleata, eam Juſtiniano gloriam pepererunt, ut undecim jam & amplius hominum aetates eamdem quaſi per manus acceperint, foverint, & magnus amplificaverint. Nec ſane facilius Juſtiniano quidquam fuit, quam vel hanc ſolam ob rem gloriae ac nominis laude reliquos omnes Romanos Principes infra ſe ponere; cum illi pro ſuorum quiſque facinorum praeſtantia, in Romana Republ. velut in Theatro, alius alio, vel humiliore vel editiore loco, titulos nomenque ſibi ſtatuiſſe videantur: ipſe vero, qui Romanis Legibus ſuum praefixit, eminentiſſimum locum atque aeternum invenerit. Quamobrem, in tanto publici favoris applauſu, ſiniſtri de eo rumores paene ſiluerunt, ac tanta gloriae ac temporis diuturnitate omnis de illo ingrata memoria exolevit. Exolevit autem tum apud alios, tum apud eos praeſertim, qui cum dies noctesque aſſidui cum Juſtiniano ſunt, eam de illius juſtitia, temperantia, pietate, innocentia conceperunt animo opinionem, quae non rebus ab eo geſtis (ad quas parum fortaſſis intendunt animum) reſpondeat, ſed quae latis ab eo Legibus conveniat; in quibus nihil fere eſt, quod non ad abſolutam virtutis normam ſcriptum inveniant, & quaſi in imagine ſuis coloribus expreſſum contemplentur. Neque ipſis quidem aliter de Juſtiniano ſentire praeſtat, cujus commendationem non minimum eſſe ſuorum ſtudiorum ornamentum putant.* Quod animo futurum praeſagiebat Nicolaus Alemannus, re ipſa ſuarum partium eſſe credidit Thomas Rivius, Jureconſultus Anglus, qui adverſus Procopium, poſt veras laudes in Juſtinianum congeſtas, turpiter a ſeipſo deſciſcentem, ejuſque interpretem Alemannum calamum ſtringens, Juſtiniani Imperatoris defenſionem ex profeſſo ſuſcepit.

IV. Facti hiſtoriam Balthaſar Bonifacius ſic expreſſit in Epiſtola ad Dominicum Molinum, quem *veritatis aſſertorem, obtrectationis & calumniae depulſorem* vocat. Et *quod unum*, inquit, *maxime omnium ſitientiſſime avere ſolet mortalium curioſa cupiditas, mortuum vidi ab inferis excitatum; nec vidi ſolum, ſed hiſce manibus contrectavi, fecique adeo mihi familiarem, ut collatis etiam capitibus, de rebus arcanis colloquamur, ſive potius confabulemur. Tu mihi, Domine, redivivum Procopium, ejus, inquam,* Ἀνέκδοτα, *hoc eſt (ut ejus interpres de ſuo addit) Arcanam Hiſtoriam (quam ego diſperiiſſe funditus, & ad nihilum revertiſſe, ſi modo quidquam fuit unquam, exiſtimabam) integram, incolumem, ornatam, lautam, imo etiam ceruſſatam & calamiſtratam oſtendis. Sed & aliud portentum mirabilius oſtendis; immortalem, inquam, virum, homuncionis pugione tamquam Diomedis gladio confoſſum, obtruncatum & contrucidatum, Anſimum & tenuiſſimum animam reddituris erat, eo titulo etiam tum vivus uti voluit. Nunc demum Juſtinianus vere Alemannicus nuncupatur, profligato Alemanno, ejuſque cervice dejecta, qui ſe ſupra Auguſtos erexerat. Quamquam vero non ſua manu rem ipſe confecit, ſed per Rivium Legatum ſuum, ipſe tamen geſſiſſe videtur, cujus auſpiciis geſtum eſt bellum.* Et nonnullis interjectis, quorum ante meminimus: *Quod autem*, ſubdit, *ad Procopium attinet, ejuſque interpretem Alemannum; ego neutrum laudare poſſum. Primum enim* Ἀνέκδοτα *illa Procopiana, putidam potius rabidi cujuſdam ſyllographi ſatyram, quam incorruptum verum geſtarum ſcriptoris monumentum eſſe pronuntio. Germanuſne commentarius ille ſit, an commentitius & adulterinus, mihi, ut verum fatear, nondum ſatis liquet; & miror a Rivio non ei motam de ſtatu quaeſtionem: non enim minus intereſt rei litterariae certos & legitimos Auctores agnoſci, quam fictos & ſuppoſititios explodi. Tum deinde Hiſtoricas notas Alemanni, quamquam hominis utriuſque ſermonis intelligentiſſimi, & bonorum Auctorum aſſidua lectione doctiſſimi, eo nomine nequaquam laudaverim, quod tot Juſtiniani dedecora vere an falſo prodiderit. Certe ſi librum hunc ſcripſit Procopius, ingratum & infidum ſe Principi ſuo fuiſſe negare non poteſt, a quo per omnes dignitatum gradus ad ſummum in Romana Republica honoris apicem ſit provectus: ut vere de eo praedixiſſe Juvenalis Sat. 7. vſ. 197. videatur,*

Si fortuna volet, fies de Rhetore Conſul.

Nam de Rabula & magiſtello Praefectus Aeternae Urbis dictus eſt Procopius a Caeſare Juſtiniano; in quem modo tamquam Coſſ. equis detracto fraeno inſolenter incurrit & furioſe debacchatur. Ceterum ipſe ſibi ſuiſque hiſtoriis fidem abrogavit, cum hujuſcemodi palinodiam importuniſſime recantaret: & omnem ſinceri Scriptoris gloriam, quam ſibi octo prioribus libris comparaverat, hiſce ineditis (quae utinam ſemper inedita permanſiſſent!) corrupit ac depeculavit. Cui ſane vel pueri, quos ille in arte dicendi erudiebat, illud Catonis objicere potuiſſent:

Laudaris quodcumque palam, quodcumque probaris,
Hoc cave ne rurſus levitatis crimine damnes.

At quomodo tandem damnat, quos paulo ante effuſe laudaverat, ac tantum non Superis inſeruerat? Quomodo, inquam, damnat? quo pudore, quave impudentia? non equidem lego Hiſtoricum, res uti geſtae ſunt enarrantem, ſed intentiſſima voce declamatorem tragoedias excitantem. Si per alterius cujuſpiam Angli ſciomantiam revixerit unquam Plutarchus, qui Herodotum ſcripto in eum libro non ſine amarulentia damnavit malignitatis; multo acrius & multo etiam juſtius invehetur in hunc Procopium, cujus profecto eſt heroica malignitas: nam quemadmodum Heroum virtus definitur eſſe virtutis quaedam hyperbole; ita hujus conſummatiſſima improbitas non inepte forſitan improbitatis hyperbole dici poteſt. In ſumma ſic ſtatuo, eſſe in hac, cujuſcumque illa ſit Auctoris, rhyparographia loquentiae ſatis, licentiae nimis, inſolentiae plus nimio; nimium livoris, plus odii, plurimum inſcitiae, parum ordinis, minus facundiae, minimum judicii, nihil memoriae, minus nihilo ſinceritatis. Quorum tamen criminum non cenſeo Procopium temere condemnandum: fieri enim potuit, ut ab aliquo non hujus aetatis nebulone Pſeudo-anecdota illa fuerint confecta, ut nos aliquando, ſpiſſa quadam cali-

honorifice locutos eſſe conſtat? cujus induſtriae & ſolicitudini debemus, quod praeclara illa veterum Juriſprudentum & Legiſlatorum monumenta ſummo totius orbis bono habeamus concinnata? *Magna laude*, inquit Franciſcus Connanus, *lib. 1. Comment. Juris Civilis cap. 9. num. 4. dignus eſſe videtur Juſtinianus, hoc tam glorioſo dicam an audaci facto? qui ſqualenti huic Commentariorum ſylvae primus ſecurim injecerit.* Alioquin nempe futurum erat, ut deſudati illi veterum labores egregii jam eſſent irriti: Henricus Salmuth *in cap. 10. Novor. Repertor. Pancirolli.* quorum nimiam prolixitatem, & inutilem diſſonantiam, ut cum Paulo Diacono dicam, Juſtinianus mirabili brevitate correxit; cum antea tam vaſta illorum moles eſſet, ut in arte tam longa perdiſcenda, & vita tam brevi, vel tria Neſtoris ſaecula, vel naturam Phoenicis redivivam concedi oporteret; aut certe metuendum foret, ne redundans illa Scriptorum copia in deſperationem ſtudioſos pertraheret, aut vero etiam in odium apud eos vocari poſſet. Ceterum ut in macie plus ſanguinis eſſe Phyſicis placet, ita in reciſis antiquorum Legibus, apte tamen coagmentatis, plus frugis, minus laboris invenitur. Ut merito ridendi ſint, qui antiquata veterum Jureconſultorum Reſponſa tam anxie requirunt, & non minus lugent, quam Aegyptii quondam perditum Oſirim numquam ſatis quaeſitum lamentabantur. Hinc Bibliothecas omnes rimantur & inveſtigant, ſicubi naneiſci Fragmenta Jureconſultorum amiſſa poſſint: non diſſimiles quidem pueris, qui non admodum curant poma in coenis comedere, ſed, aliis comedentibus, analecta & cortices comedunt avidiſſime: aut ut quidam veterum, invento frumento, glandibus veſci malunt, in memoriam videlicet exoletae vetuſtatis; & hanc ſaginam dulcibus, ſed parcis epulis praeferunt, neſcii non plurimo cibo, ſed ſaluberrimo homines juvari. Jam ſi quid obſcuri in toto Jure Civili repererint, aut duriuſculum, vel quod humanum quidpiam ſapiat, illico vociferantur, & univerſum illud opus, divinum ceteroquin, rejiciunt ac damnant audaculi pariter ac ridiculi non minus forſan, quam Anaxagoras, caelum omne ex lapidibus compoſitum aſſerens, quod Dimylo Principe unicus lapis e caelo cecidiſſet; ſicuti ex Laërtio eleganter protulit Stephanus Forcatulus. At quanto fuerat aequius, uni atque alteri hujuſcemodi errori utilitatis contra immenſitatem opponere! quae tanta profecto eſt, ut exploſis veterum ſanctionibus & praeceptionibus, & rurſum optimis quibusque vulgatis talem ſe permutationem feciſſe Juſtinianus, §. *ult. Procem. Digeſtorum.* merito glorietur, qualem apud Homerum Glaucus & Diomedes inter ſe feciſſe memorantur; *Iliad. Z. vſ. 236.*

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι᾽ ἐννεαβοίων:

Aurea aereis, centenaria novenariis, permutantes

VI. *Nimium vero aſtutus fuit noſter Juſtinianus* (verba ſunt Balduini *Comment. de Juſtiniano, ſeu de Jure Novo*) *qui, ut Principem patitur donare quantumlibet, ſic & Principi privatos libere & ſine inſinuatione donare poſſe ſtatuit; & abſurdum eſſe judicat, non eodem jure cenſeri utrumque donationis genus: hoc eſt; ſive Princeps donet, ſive ipſi donetur. Quantum tamen interſit, facile quisque intelligit.*

Scio inuſtam optimo Principi, ut & ejus Quaeſtori Triboniano, avaritiae notam; quod Praefecturas vendiderit; quod demortuorum heredem ſe

tarum incurſio deſaevierit; [illegible] *duodecim centenariorum ex publicis vectigalibus remiſſionem factam fuiſſe*; Scytopoli vero, quae hoſtium damna minus ſenſerat, [illegible] *unius tantum centenarii remiſſionem dandam Epiſcopos decreviſſe*; nempe Antonium Aſcalonitam & Zachariam Pellenſem, quos penſitandis Clericorum & Eccleſiaſticorum damnis Juſtinianus praefecerat; ut idem Cyrillus narrat.

Jam vero, cum decretas a Juſtiniano in haereticos capitis poenas Procopius damnat, in ſcirpo quaerere nodum videtur, niſi forte cum haereticis & ipſe ſentiebat: unde & fatetur Alemannus, coactus veritatis viribus, *mirari ſe, quod de noſtrae Religionis myſteriis ita dicat, ut, ab iis modo alienus, nonnumquam recte ſentire videatur.* Nimirum bilinguis homini ea fuit aliena inſectandi & exagitandi libido, ut dum Principi optime de ſe merito non parcit, in ſeipſum deſaeviat; &, quod vulgo dici ſolet, vineta ipſemet caedat ſua. Neque rhetori illi par eſt in aliis credere, quem conſtat, ex Suida, Juſtiniano infenſum fuiſſe: quo nomine & pleraque alii rhetores ei obtrectant, inſcitumque & illiteratum appellant, *quod ipſi*, inquit Alciatus *lib. 5. Parergōn. c. 2. ἄθεοι & infideles Chriſtianiſſimum Imperatorem (quo nemo dignior umquam ad Imperium aſſumptus eſt) ferre non poſſent.*

VII. Vetus quidem querela eſt, multa illum, quae erant Antiſtitum Eccleſiae, uſurpaſſe; multa de perſonis Eccleſiaſticis ſtatuiſſe, dum ſe Divinis immiſcet, qui humanis tantum praefectus eſſet rebus: quod nec Ethnici Imperatores praeſumpſerint, niſi creati primum Pontifices Maximi. *Ejus in Sacerdotalem ordinem*, inquit Alemannus, *in ſummos Sacrorum Antiſtites, in rem Eccleſiae publicam, ad hanc ferme diem mirati ſumus effuſam licentiam. Et Cardinalis Baronius aequalis doctrinae vir ac pietatis, cum hujus Imperatoris res in Annales referret, vehementer etiam atque etiam hunc Procopii librum expetivit, quod inde compertum fore putaret, Imperatoris Juſtiniani mores, qui fuerint, quod ingenium, quae prudentia, quae denique pietas; cum non bonam de illo opinionem movere videretur illa ejus in Eccleſiaſticos licentia, quam in pium probumque Principem cadere minime poſſe, & ſummus ille vir affirmabat, & boni omnes intelligunt.*

Verum ad ejus excuſationem multa etiam ſunt, quae poſſunt aſſerri, eodem teſte Eminentiſſimo Annalium ſcriptore Baronio; *Atque primum*, inquit, *illud accipe de his conſilium ejus: Quod enim ipſe vidiſſet, plurimisque exemplis patefactum intellexiſſet, nullam eſſe Eccleſiaſticorum Canonum obſervationem, cum imperaſſent Principes Fidei Catholicae minime ſtudioſi, imo perduelles, ut fuerunt Zenon, Baſiliſcus & Anaſtaſius; ſed haereticorum arbitrio cuncta eſſe permiſſa, miſceri atque confundi: ſed & eveniſſet interdum, imo ſaepius contigiſſet, ut Conſtantinopolitanae Eccleſiae haeretici Antiſtites praeſiderent, penes quos nulla penitus eſſet Canonum ratio, ſed ſtudium tantum privatae fortunae: Haec, inquam, ipſe conſiderans, illud ſibi arrogandum putavit (quod alias inconceſſum videri poſſet) ut plures de rebus & perſonis Eccleſiaſticis ederet Sanctiones, quibus coërceri poſſent infrenes haeretici, & petulantes ſchiſmatici cohiberi, atque ſoluti diſciplina reſtringi; probe ſciens, juſtis non eſſe poſitam legem, ſed praevaricatoribus.*

VIII.

Digitized by Google

Antiſtiti, ipſiusque Monaſticae vitae cultori, ſi probe ante Juris utriusque praeceptis inſtructus fuerit, citra piaculum liceat de Jure reſpondere. Notum eſt Matthaei Iterani, quem Auguſtinum poſtea dixere, nobile factum; Raderus 2. *parte Viridarii Sanctor. cap.* 5. qui cum avita majorum nobilitate clareret, & Juris conſultiſſimus Leges publicitus expoſuiſſet, in album Sodalium S. Auguſtini, nomen ab Eremo trahentium, relatus, generis nobilitatem doctrinaeque praeſtantiam ita diſſimulavit, ut idiotae perſonam ignotus omnibus ſumeret, & infima mediaſtinorum ſervorum officia ſervitiaque obiret. Sed ubi Roſiae didicit, Fratrum familiam in periculo amittendi praedii verſari, ac controverſiam ancipitem eſſe, ſuosque magnis injuriis premi, Coenobii Procuratorem adiit, petiitque poteſtatem pauca ſcribendi, quae bono futura eſſent ſuis. Riſit primum ut ſimplicis petitionem Procurator, quem neque litteras noſſe, neque characteres formare poſſe credebat. Perſeveranti tamen porrexit chartam, ſtilum, atramentum. Complexus eſt Matthaeus cauſam paucis, & ſchedium juſſit Jacobo Pagliorenſi, adverſariae partis actori, tradi; qui perlecto ac perpenſo ſcripto, brevi illo quidem, ſed nervoſo, & ſententiarum pondere gravi. Aut, inquit, hoc a malo genio profectum eſt, aut ab Angelo ſancto, aut a Matthaeo Iterano, quicum operam dedi bonis artibus Bononiae, quem militiae tandem armis occubuiſſe cognovi. Procuratore ab illitterato & agreſti homine ſcripturam factam aſſirmante: Non eſt ita, inquit; hic quisquis eſt, Juris ſcientiſſimus eſt; & percontando progreſſus Roſiam in rem praeſentem venit, ipſumque Auguſtinum, condiſcipulum olim ſuum, mox agnitum complexus totum lacrymis perfudit, cauſamque totam Coenobio transſcripſit. Et verſus ad conventum: Cuſtodite, inquit, hunc Theſaurum ſapientiae & virtutis, quo meliorem nusquam reperietis.

De B. Ambroſio, quem nemo neſcit coactum fuiſſe a populo in ſacram militiam dare nomen, & a foro ad Inſulas aſcendere, refert Auguſtinus *lib* 6. *Confeſſion. cap.* 6. adeo fuiſſe illum obrutum cognitione alienarum cauſarum, ut vix daretur ei reſpirandi facultas, atque adeo toto tempore, quo ipſe Auguſtinus Mediolani reſedit, numquam nactus ſit Ambroſium ab his liberum & otioſum. Verum, ut iſta deeſſent, mirum quantum ſuperiori ſaeculo auctoritas eruditiſſimi Antiſtitis Antonii Auguſtini, Ilerdae primum, deinde Tarraconenſis Epiſcopi, ſtudium Civilis Prudentiae cohoneſtarit; quippe qui ſuis Emendationum libris, aſſidua & indefeſſa prorſus diligentia, quamplurima reſtituerit vetuſtate collapſa, quae alioqui Jureconſultis negotium non mediocre faceſſebant, *cap.* 5. *De Novi operis nuntiatione.* Nimirum ſancta Dei Eccleſia Legum ſaecularium, quae aequitatis & juſtitiae veſtigia imitantur, famulatum non reſpuit, ſed eas ſuis ipſa Legibus ac Decretis confirmare conſuevit; tametſi illarum non Chriſtianus Princeps, ſed Diocletianus fuerit promulgator, vel quivis alius perſecutor Eccleſiae, *cap. Super ſpecula* 28. *De Privilegiis. Can. Si in adjutorium* 7. *diſt.* 10. Unde in Academiis nonnullis, ex Romanorum Pontificum privilegio, ſaeculares Clericos Sacris initiatos, Juri conſulti dicendi ſunt, niſi utrumque intelligant. Jurisprudentia enim recte ab Ulpiano definitur, RERUM DIVINARUM ATQUE HUMANARUM NOTITIA. Et haec cauſa eſt, cur apud ipſos Ethnicos nobiles Jureconſulti pares in utraque facultate eſſent. Sic Valerius Maximus *lib.* 8. *c.* 8. ait, Scaevolam bene ac diu jura Civium & Caeremoniarum ordinaſſe: & *lib.* 5. *c.* 8. Titum Manlium Torquatum, Juris Civilis & ſacrorum Pontificalium peritiſſimum fuiſſe memorat. Sic Tacitus *lib.* 3. *Ann. cap.* 70. Aelium Capitonem humani divinique Juris ſcientem ſcribit. Eadem laus ab eodem *lib.* 6. *Ann. cap.* 26. tribuitur Coccejo Nervae. Et Gratianum noſtrum in Decretalium compoſitione multas Imperatorum Conſtitutiones allegare ſcimus, easque interdum, quae non extant in Jure Caeſareo.

CAPUT V.

Reſutatio eorum, quae in Gratianum & ejus Decretum adduci ſolent.

I. *Accuſatur Gratianus, quod privatus homo non habuerit auctoritatem Legis ferendae.*

II. *Quod Compilator inſignis nihil fere habeat utile, unde propriam laudem mereatur.*

III. *Quod antiquas Decretorum Collectiones corruperit, & mala fide in citandis Auctoribus uſus ſit.*

IV. *An fuerit S. R. E. Cardinalis, & frater Petri Lombardi & Peteri Comeſtoris.*

V. *Cur illius doctrina appelletur Authentica.*

VI. *Ejus Decretum publice in Academiis pro Jure proponi & doceri juſſit Eugenius III.*

VII. *A Graegorio XIII. approbatur.*

VIII. *Quid vox* Palea, *Canonibus identidem appoſita*

IX. *Gratiani Collectio a Theologis non minus, quam a Jurisperitis in pretio habetur.*

X. *In ipſum Joannis Molinaei ſcomma nimis invidioſum.*

XI. *Contius, in eum commotior ob male citatum Pauli locum, veritatem expertus reſipiſcit.*

1. SEd objiciunt Theologorum, adeoque Jureconſultorum non pauci (quod futurum erat tertia pars Diſſertationis noſtrae) Gratianum, Monachum Ordinis S. Benedicti, privato ſtudio Decretum compoſuiſſe, nec auctoritatem habuiſſe Legis ferendae: quodque noviti quidam Scriptores Boëtius Epo *lib.* 2. *de Jure Sacro cap.* 2. *n.* 135.) teſtari voluerunt, hanc illius operam ab Eugenio III. ſub quo vixit, approbatam fuiſſe, nullo, praeter unum Trithemium, idoneo teſte confirmari, adeo-

pilator inſignis nihil fere habet utile, quod proprium dicere poſſis: ſed corniculae illi ſimilis, ut eſt in fabulis, riſum ſcientibus, admirationem ignorantibus movet. Si verba conſideres, nihil illo tritius; ſi artem requiras & ordinem dicendi, fruſtra laboribis. Ita multa refert alieno loco ponenda, ita pro certis incerta conſtituit, ut malis illa eadem in ipſis libris non ſolum Conciliorum, ſed etiam Burchardi & Ivonis & aliorum Collectorum requirere.

III. Nam, ut auctor eſt Sigebertus apud Genebrardum *lib. 2. Chronogr.* veteres Eccleſiae Canones in unum Volumen congeſſerat Burchardus, primo Lobienſis Monachus, deinde Epiſcopus Wormatienſis, adjutus ope Olberti Leodienſis Abbatis: quos poſtea dum Gratianus redegit in ordinem, non parum corrupit; quamquam alii malint, cum ſua ex Decreto Ivonis Carnotenſis Epiſcopi delibaſſe. Sed Antonium Contium *Lection. cap. 10.* hic omiſiſſe ſit nefas: *Ut maxima*, inquit, *cum minimis conferam, cum Imperatore Monachum, cum Juſtiniano Gratianum, locos ex ejus farragine quoſdam notabo, ex quibus mihi perquam ſuſpecta eſſe coepit ejus in citandis Auctoribus fides. Equidem qua fide Canones Conciliorum & Pontificum Epiſtolas tranſcripſerit, lubenter in praeſentiarum totam hanc cenſuram Theologis ceſſerim; ea, quae ad Jus Civile pertinent, tantum attingam. Nam alterum mihi crimen falſi eſſe videtur, falſum quod in altero deprehenderis excuſare vel diſſimulare; ut alterum parricidium recte dixit Papinianus parricidium defendere. Ceterum Imperatoria Majeſtas omni falſi ſuſpicione Juſtinianum liberat; Gratianum privatum hominem non aeque. Is igitur Iſidoro adſcribit cap. 1. XXV. quaeſt. IV. & cap. 1. & ultimum XXXV. quaeſt. V. quae capita apud Iſidorum typis excuſum non inveniuntur; ut valde mirer, extitiſſe quoſdam tantae falſitatis confirmatores, qui & librum & caput, quo apud Iſidorum inveniretur, notaverunt ad marginem librorum, quibus in tam aperto mendacio nulla venia ſuffragatur. Sed quod attinet ad prolixum illud caput ultimum, quod eſt XXXV. quaeſt. V. nullum verbum ejus extat apud Iſidorum; ſed integrum illud caput decerptum eſt ex receptis Pauli ſententiis, in quarum Fragmentis hodie quoque legitur, & multo quidem emendatius & ſincerius, quam apud Gratianum. Parum enim fuit ſub Iſidori nomine Paulo abuti, niſi major fraus in contaminandis Pauli verbis, & cum barbari cujuſdam interpretis ineptiis comminiſcendis interveniret. Sed & toto capite tot fere ſunt errorum monſtra, quot vocabula; ut cum in ſecundo gradu fratrem & ſororem numerat; deinde in eodem gradu patruum & avunculum collocat, quod ſint fratres patris & matris. Quis haec portenta diſſimulet?*

IV. Haec illi. At poſſem ego, ante omnia, Gratianum in altiore dignitatis gradu collocare, atque ex Monacho Benedictino Cardinalem facere, propter auctoritatem Alberici, qui in Chronico ſuo, nondum in lucem edito, anno M. C. XLVI. *Item*, inquit, *in eodem anno, id eſt, Frederici Imp. quinto, quidam magiſter egregius, Omnibonus nomine, librum de Concordantia diſcordantium Canonum diligentiſſime ordinavit in duas partes; Primam partem in XVI. Diſtinctiones; Secundam in Cauſas XXXVII. per quaeſtiones diverſas, ſatis artificioſe poſitas. Et hic liber, a nomine Auctoris, Omne bonum appellatur. Et hunc ſecutus eſt tempore Alexandri Papae Gratianus Cardinalis, qui multa addidit, ita quod de XVI. Diſtinctionibus, centum Diſtinctiones fecit, & per ipſum iſta doctrina facta eſt magis Authentica.* Ita Albericus. Ve-

creavit, et [illegible] atque adjutorem eſſe voluit, anno ſalutis M C. LXXVII. Unde forte orta Alberici opinio in eam hiſtoriae ſpeciem coaluit, quam poſtea bona fide litteris conſignavit. Tiraquellus *de Nobilitate c. 15. num. 32.* Neque certioribus argumentis, ut exiſtimo, ſenſim ſine ſenſu fabula adolevit ea, qua Gratianum, Petrum Lombardum & Petrum Comeſtorem germanos fratres fuiſſe ferunt; quorum primus Etruſcus fuit ex Cluſio civitate, alter, Lombardus Novarienſis, tertius, Gallus Trecenſis, non magis ſanguine, quam patria inter ſe juncti. Bellarminus *de Scriptorib. Eccleſ. in Petro Lombardo.* Genebrardus *lib. 2. Chronographiae.*

V. Ceterum merito cuipiam videri poſſit, ſingularem quamdam auctoritatem operis Gratianaei indicare voluiſſe Albericum, cum ſcripſit, *Per ipſum hanc doctrinam factam eſſe magis* AUTHENTICAM: id enim prae ſe fert vis ac ratio Graeci vocabuli, quo etiam Juſtinianus Novellas ſuas Conſtitutiones appellari juſſit, quod certae ac praecipuae fidei eſſent, ad diſtinctionem earum, quarum Epitomen compoſuerat Julianus Anteceſſor Conſtantinopolitanus circa tempora ipſius Juſtiniani. Ant. Contius *Praef. ad Abuſum Novellar.*

VI. Nam, ut Adrianus Imperator ex Perpetuo Edicto, quod Salvius Julianus J. C. Romanus privatim compoſuerat (Eutropius *lib. 9. l. 2. C. De Veteri Jure enucleando: l. penult. C. De Condictione indebiti. l. Inter Antiquam 15. C. De uſufructu*) Jus publice dici poſtea voluit; ſic Eugenius Pontifex (Weſembecius *in Oecon. Juris Canonici, Auctor Vitae Gratiani, quae Decreto praefigi ſolet*) hoc Decreti opus, a privato tantum homine digeſtum, publice in Academiis pro Jure proponi ac doceri deinceps juſſit. Unde quamvis multi alii viri docti ante Gratianum in hoc ſcribendi genere operam non mediocrem poſuiſſent, ut Dionyſius, Iſidorus, Creſconius, Burchardus, Ivo, & ſi qui ſunt alii: ipſe tamen ſolus obtinuit, ut publice in Gymnaſiis praelegeretur, & multorum doctiſſimorum hominum Commentariis illuſtraretur. Andr. Alciatus *lib. 4. Parergon cap. 23.*

VII. Praeterea, propagatam jam aliquot ſaeculis illius auctoritatem ex eo mirum in modum confirmatam fuiſſe, quod Summorum Pontificum ſedula cura, adlaborantibus conſultiſſimis quibuſque viris, antiquae fidei reſtitutus fuerit, atque a librariorum maculis repurgatus: quae tamen ratio cum ſatis per ſe valida ſit, vix aliquem dubitandi locum relinquit. Unde Tuſchus Cardinalis aperte litteris conſignavit, *Decretum Canonicum per Gregorium XIII. fuiſſe approbatum, & contenta in eo eſſe Leges Canonicas effectas.* Verbo *Decretum Canonicum.*

Neque magnopere obſtat ſuperioris Eugenianae approbationis mutam prorſus eſſe memoriam, aliorumque Scriptorum ſilentium; haud ita quippe firmum eſt argumentum, cum quid ideo negatur eſſe, quod ab Auctoribus non traditur, a quibus tradi deberet.

VIII. Ceterum huic Gratiani Collectioni Paleam diſcipulum aliquot addidiſſe capita, quibus ejus nomen adſcribitur, vero propius eſt, Anton. Auguſtinus *Praef. ad Antiquas Decretalium collectiones*, quam quod cenſuit Gilbertus Regius Noſerenus, *Enantiophanon lib. 1. c. 24.* ubi ſcriptum reliquit: *Dubitari video, quid ſignificet haec vox* PALEA, *quae plurimis in locis Decretorum eſt adpoſita. Non fuit a Gratiano adſcripta, ſed a Pontifice Eugenio III. ut me meum*

Digitized by Google

ſtae ſuo: *Ludis tu quidem, ut ſoles, perurbane, & mihi videris pro tua praeclara dicendi facultate magnas res contemnere & pro nihilo ducere; minores vero in caelum tollere, atque augere dicendo. Nam (ut dem tibi, nihil fere aut pauca de ſuo Gratianum attuliſſe; quod falſum eſt) adfert etiam multa, quae in aliis Collectionibus non invenies, qualia ſunt, quae per Burchardum & Ivonem ſunt nata; item multorum difficultatum ſolutiones: ſed quamvis nulla attulerit, feliciorem tamen ceteris Collectoribus negare non poterit, quos in tenebris diu fuiſſe novimus, dum hic in omnium manibus verſatur, multorum interpretum illuſtratur lucubrationibus, refertur denique in judiciis omnibus, atque a Theologis non minus, quam Juris utriusque peritis, in pretio habetur. Quod ſi in illo verborum elegantium deſideras, temporis eſt non hominis culpa; tritis utitur verbis, ut omnibus prodeſſe poſſit.*

Et Boëtius Epo *lib de Jure ſacro: Gratianus*, inquit, *non quidem Legiſlator ipſemet, ſed ab Eccleſiaſticis Legumlatoribus in Eccleſia Chriſti probatus*. Idemque *de Arte & ordine Decreti Gratianaei: Quoniam*, inquit, *Gratiani Volumen illud inſignis & incomparabilis eſt omnis & Antiquitatis & Legiſlationis Eccleſiaſticae Theſaurus, a Summis Pontificibus olim, ſicut & nuper a Gregorio PP. XIII. nobis ad obſervandum traditus: non in initio, non inutiliter nec importune pro ſtudioſorum commoditate, de tanti ac tam vaſti quaeremus Operis vel Arte vel Ordine.*

X. Atque ejusmodi argumento accuratiſſime verſato ſubjicit: *Judicium Joannis Molinaei, Gratianum noſtrum temere prorſusque pueriliter calumniantis, & in ſua Decreti Gratianaei profeſſione praevaricatorem ſe declarantis, ut editionem Decreti Ivonici ſuam redderet plauſibiliorem, vehementer equidem demiror atque deſidero: nec ullo modo ferendum reor tam inſolens hominis intemperantis in Interpretes omnes noſtros, qui Gratiani laborem ſuis illuſtrarunt Commentariis, viros doctiſſimos atque perſpicaciſſimos, vel ſcomma vel dicterium; quaſi qui dum ordinem quaerunt in Gratiano, venationem inſtituerent aut delphinorum in ſylvis, aut aprorum in fluctibus. Illud non invitus agnoſco, ſimile quid interdum praeter ſpem ſuam & expectationem acciadiſſe Gratiano, quale metuentibus peſtem; quandoquidem ut hi ſaepenumero per diverticula primi in eam incidunt; ita Gratianus ab ordinis confuſione ſibi vel maxime metuens, in eam fluctuantius impegit interdum; ſed in medio quaſi curſu diverticuloque duntaxat, non in ſummis generibus utcumque conſtituendis. Quod ut ut ſit, certo Gratianus Ivonem longiſſime ſuperat & ordinis commoditate & rerum Eccleſiaſticarum copia: neque vel umbram ullam veri habet, quod Joannes iſte Molinaeus jactitat, Ivonis Volumen Gratianaeo Decreto majus eſſe atque locupletius; cum e contrario tertia paene parte ſit majus, & rebus Eccleſiaſticis inſtructius Gratiani Volumen Volumine iſto Ivonis, ut maxime Gloſſarum quaſi veſtimento denudaretur Gratianus; id quod optare videtur Molinaeus. Habet hoc item commodi Gratianus prae ceteris Decretorum Collectoribus, quod in utramque partem quaeſtiones omnes graviſſimas luculenter agitet, non Scholiaſtico tantum, ſed & forenſi more; qui diſputandi mos proculdubio ſemper ad recte de rebus omnibus judicandum vehementer neceſſarius.*

Quod Canonem *Judicantem*. xxx. *quaeſt*. v. quae num libro ſcriptum reliquit, *Ibid*. ad marginem: *Poſt priorem hujus libri editionem rurſum diligenter contuli omnes libros Iſidori hactenus impreſſos, tam Venetiis, quam in Gallia; in quibus omnibus nulla eſt Pauli mentio vel titulo. Tandem vero in Bibliothecae cujusdam veteris manuſcriptum Iſidorum incidi, ubi miniatis litteris adnotatum reperi, ex Pauli ſententiis illud decerptum eſſe; qui tamen locus a quibuſdam videtur interciſus. Hoc candide moneo, ne quis me putet, quamquam prudenter ſcienterque falſi inſimulare velle. Equidem hactenus culpa vaco, qui tantiſper omnium impreſſorum & quorumdam manuſcriptorum fidem ſecutus ſum, donec in alterum illum incidi, utcumque etiam corruptum.*

CAPUT VI.

Raymundi Barcinonenſis, viri ſummi atque omnibus ſanctimoniae notis illuſtris, doctrina ſingularis aſſerta adverſus ineptum cavillatorem.

I. *Raymundus Barcinonenſis, Ordinis Praedicatorum magnum lumen, Angelo ſuo tutelari familiariſſime uſus.*

II. *Imprudentiae falſo arguitur in Decretalibus concinnandis.*

III. *Ita laudatur, ut majore commendatione cohoneſtari nemo poſſit.*

Eſto, quod etiam alicubi voluit Antonius Auguſtinus, *Praefat. ad Antiquas Decretalium collectiones*, & ſentiunt plerique omnes tam Civilis, quam Pontificii Juris Interpretes, non plus tribuat ponderis Eccleſia locis, quae apud Gratianum leguntur, quam ferat meritum ejus, a quo illa depromſit! Nolo venditare Decretum tamquam Jus Eccleſiae, & ab ea donatum ſumma auctoritate. Angelus Rocca *de Canonizat. Sanctor. c.* 39. Bellarminus *de Scriptorib. Eccl. in Gratiano*. Anton Auguſtinus *in Dialog. de Emendatione Gratiani*. Covarruvias *lib. 4. c.* 13. *Tom.* 2. *& in Annot. ad Can. Anaſtaſius* 9. *diſt*. 19. Baronius *ad annum Chriſti* 487. & 497. Aegid. de Coninck *Praef. in Commentar. de Sacram.* Franc. Connanus *Commentar. Juris Civilis lib.* 1. *c.* 6. *n.* 8. *& lib.* 9. *c.* 8. *num.* 11. Adſcripſerit Gratianus interdum Sanctis Patribus, quae vel his numquam venerunt in mentem, vel etiam iis, quae ipſi ſcripta nobis reliquerunt, penitus repugnant. Abſit tamen, ut vel Gregorium IX. Pont. Max. vel certe Raymundum Barcinonenſem, Ordinis Praedicatorum magnum lumen, perverſi hac in parte judicii inſimulare quisquam audeat, & oſcitantiae traducere! Nam ſi Socrates, quod illi a puero Genius neſcio quis adhaeſiſſet, Tertullianus *de Anima cap.* 1. Laërtius *de Vitis Philoſoph.* ſapientiſſimus habitus eſt ſecundum Pythii quoque daemonis ſuffragium, qui Cherophonti id oraculum edidit, quod in omnium ore eſt: *Mortalium unus Socrates vere ſapit*; in Opere Decretalium concinnando Raymundus non accuratiſſimus eſſe non potuit, qui Angelo ſuo tutelari tam uſus eſt familiariter, ut non raro ad ſtatas ab eo preces excitaretur: Bzovius *in ejus Vita*; qui nobilitate generis, eruditione & ſanctitatis laude cla-

ris-

Digitized by Google

propenſa ipſius Pontificis voluntate, ut ipſe de eo Orationem compoſuerit, quam in Officio Divino retinuere Praedicatores.

II. Quare, ut ne mentiar, ſaepe mihi ſtomachum movit is, qui in Praefationem Decretalium Gregorii IX. notulas quaſdam conſcripſit. Nam quo loco ait Pontifex; *Ad communem & maxime ſtudentium utilitatem, per dilectum filium Fratrem Raymundum, Capellunum & Poenitentiarium noſtrum, illas in unum Volumen, reſecatis ſuperfluis, providimus redigendas*; adjecit ille: *Interdum & utilibus; quod de Triboniano dicitur, qui fuit Raymundo iſto doctior.* Equidem miratus ſum non ſemel, homini fortaſſe non indocto tam ineptum ac puerile judicium excidiſſe: adeo pauci ſunt, qui veram ac ſolidam ſapientiam pro merito aeſtimare norint. At quanto melius Henricus Gandavenſis, Doctor ille Sorbonae Pariſienſis, ac Philoſophus ſaeculi ſui celeberrimus, communique Academiae ſuffragio, Doctor solemnis appellatus: *Raymundus*, inquit, *Juris peritiſſimus ad mandatum Domini Gregorii Compilator fuit illius Codicis, qui modo Novum Jus appellatur.*

III. Et Platina in Gregorio IX. *Raymundum Barcinonenſem, quo adjutore in compilando Libro Decretalium Gregorius uſus eſt, ita quidam laudant, ut majori commendatione commendari nemo poſſit.* Sic & Leander Albertus *in ejus Vita: Raymundus de Pennaforti Catalanus originem retulit in Aragonum Reges. Is poſtquam adolevit, miſſus eſt ad Gymnaſium, ut ſcientiam hauriret; in quo tantum brevi admodum tempore profecit, ut ea tempeſtate in Pontificio atque Imperatorio Jure inter viros clariſſimos facile connumerari poſſet. Quamobres Cives Benonienſes, tanti viri famam exaudientes, publico ſtipendio ipſum ad docendum conduxere. Et cognita ejus inſigni doctrina, a Gregorio IX. Pontifice juſſus eſt Epiſtolas Pontificum, ac Conciliorum Decretales in unum corpus redigere, quod hactenus in uſu habetur in Gymnaſiis, & ad amuſſim ſervatur; prout dignoſci poteſt in Prooemio ex ejus nominis citatione ab eodem Pontifice. Fecit & ipſum Pontifex Capellanum ſuum & Poenitentiarium: quae dignitas temporibus illis nonniſi valde litteratis conferebutur.* Additque Franciſcus Diagus, apud R. P. Joannem Bollandum *in Actis Sanctorum 7. Januarii.* cum anno M. CC. XXXVIII. totius Ordinis Praedicatorum Praeſes Generalis electus eſſet, ſecundiſſimo Bononienſis Academiae plauſu acceptam eſſe electionem, & viſam quodammodo confirmari divinitus, cum accumbentibus menſae Patribus, cuidam de more ſacram lectionem auſpicaturo, fortuito ea Joëlis verba occurrerent: *Filii Sion exultate, & laetamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis* Doctorem Justitiae.

CAPUT VII. ET ULTIMUM.

Antiſtitum Juris utriusque honores bonis artibus quaeſitos, minime ſugillandos eſſe.

I. *Juſtiniani Imperatoris elogia.*

II. *Mendoſus Suidae locus, de ejus ignorantia, ex Procopio corrigendus.*

III. *Civilis Prudentia multum debet Triboniano.*

IV. *Gratianus & Raymundus viri illuſtres, & Principum virorum amicitia noti.*

I. NE patiamur itaque tantorum virorum memoriam apud nos ſeneſcere, maneat in com-

aliquando ille ſaeculi noſtri Apelles, ſeu [illegible]ribus muſis magis inclytus, Petrus Paulus Rubenius ex Codice Anglicano deſcripſit, & ſervat etiamnum tanto parente digniſſimus filius, Regi in Concilio ſanctiori Bruxellae a Secretis. Legi, non ſine horrore, impudiciſſimas lacunas, mera propudia, infamem licentiam & malevolentiam redolentia, ut veritati Scriptoris detrahere poſſint jure quam meritiſſimo. Hic tamen, ſi Superis places, hic homo eſt, quo arbitrio ſtet Juſtinianus vel cadat. Vide Thomam Rivium J. C. ac Regis in Anglia Advocatum *lib. pro Defenſione Juſtiniani adverſus Procopium*; Beſoldum *in Synopſi rerum ab Orbe condito, & Comment. de lib. Jur. num. 4. atque in Praecognit. Digeſtor. quaeſt.* 12. Nos contra Imperiali diademate Magiſtrum radiantem grati ſuſpiciamus, quem numquam tenebras paſſurum Sanctiſſimi Chriſti Vicarii, Eccleſiae Romanae Pontifices, cultu praecipuo dilexere; *l. Inter claras* 8. *C. de Summa Trinit. & Fide Cath.* Magerus *de Advocat. Armat. c. 5. n.* 267. *& ſeq.* non id utique facturi, niſi aliquos magni Principis etiam in Religione errores (quorum poenituiſſe illum veriſimile eſt) benigna Chriſtianae charitatis interpretatione molliri potius, quam acerba increpatione exaſperari debuiſſe judicaſſent. Quod etiam magis liquet ex Praefatione Sextae Synodi, quae Juſtinianum beata quiete dignatur apud Nicephorum *lib. 17. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 31. verbis ejuſcemodi: Ἐπειδὴ αἱ ἅγιαι καὶ οἰκουμενικαὶ δύο σύνοδοι αἱ ἐν ταύτῃ τῇ βασιλίδι καὶ θεοφυλάκτῳ πόλει συναθροισθεῖσαι· ἡ μὲν ἐπὶ τῶν χρόνων Ἰουστινιανοῦ τοῦ τῆς θείας λήξεως· ἡ δὲ ἐπὶ τοῦ ἐν εὐσεβεῖ τῇ μνήμῃ γενομένου βασιλέως ἡμῶν Κωνσταντίνου: *Quandoquidem ſanctae & Oecumenicae Synodi duae, quae in imperante hac & religioſa urbe coactae ſunt, altera quidem Juſtiniani divinae memoriae temporibus, altera vero ſub piae recordationis Imperatoris noſtri Conſtantini*, &c. Additque Nicephorus: *Sed enim Acta quoque ejus Concilii, cum mentio ejus facienda eſt,* ἀεὶ τὸν ἐν ἁγίοις Ἰουστινιανὸν λέγουσι, *ſemper eum, qui in Sanctis eſt, Juſtinianum dicunt. In quibus & ſcholium ſive brevem annotationem inveni, quod Joannes Chalcedonis filius, cum Conſtantinopolitanae praeeſſet Eccleſiae, Alexii Comneni aetate, in ipſo Dei Verbi Sapientiae Templo quotannis magnifice memoriam ejus celebraris, populi univerſi concione ad rem Divinam coacta.* Vide Cornelium a Rynthelen *in Juriſtu Catholico cap.* 124. *Memoria ejus Epheſi quoque, in delubro diſcipuli ejus, qui ſupra pectus Salvatoris recubuit, culta: quod delubrum ipſe Juſtinianus conſtruxerat. In quacumque vero ille demum apud Deum & homines eſt exiſtimatione, tum quidem hanc etiam ob cauſam illum ſacrum Eutychium, atque alios plures throno expuliſſe ajunt. Ceterum moriturus, ſicuti divus Conſtantinus Athanaſii, ita & hic Eutychii reſtitutionem in teſtamento Juſtino ſucceſſori ſuo mandavit. Equidem opinor, non autem decerno, propter alia ipſius egregie & recte facta, & praeſtantem in Divinum Numen aemulationem, piamque in omnibus religionem, interveniente quoque mirifico Dei Verbi Sapientiae Templi opere, ſi quid tum in eo deſideratum, id infinita Dei miſericordia contectum iri.*

Agatho Summus Pontifex jam ſupra memoratus, *cap. 4. num.* 5. ſua & centum vigintiquinque Epiſcoporum auctoritate ſuccinctus, Epiſtola, quae in eadem Sexta Synodo perlecta eſt, ita de Juſtiniano pronuntiat annis quindecim ſupra centum ab ejumor-

Digitized by Google

Sane quidem teſtatur ipſemet Juſtinianus, ſe fuligines lucubrationum ebibiſſe, Henric. Salmuth *in Deperdita Pancirolli*, & pro diei luce intempeſtam noctem ſaepiſſime uſurpaiſſe, ut ſecundum id, quod maxime ſocietati hominum & juſtitiae expediret, jura promulgaret, & ſibi quodammodo vitam produceret, §. 1. *Authent.* 8. *Ut Judices ſine quoquo ſuffragio fiant: Omnes*, inquit, *nobis dies & noctes contingit cum omni lucubratione & cogitatione degere, ſemper volentibus, ut aliquid utile & placens Deo a nobis collatoribus praebeatur. Et non in vano vigilias ducimus: ſed in ejusmodi eas expendimus conſilia, pernoctantes & noctibus ſub aequalitate dierum utentes; ut noſtri ſubjecti ſub omni quiete conſiſtant ſolicitudine liberati; nobis in nosmet ipſos pro omnibus cogitationem ſuscipientibus. Per omnem namque curioſitatem & inquiſitionem ſubtilem diſcurrimus, illa agere quaerentes, quae utilitatem noſtris ſubjectis introducendo, omni eos onere liberent.*

Id plane admirationem movet, in Aula, in tam eminenti genere vitae, totius orbis plauſu, bellicis occupationibus, potuiſſe tantum Imperatorem in rebus forenſibus ſcriptisque ſic eſſe. Studia quoque ſua non celet magnus ille Princeps eruditionis, ſcribatque Lucilio ſuo, *Epiſt.* 8. *Nullus mihi per otium dies exit: partem noctium ſtudiis vindico. Non vaco ſomno, ſed ſuccumbo; & oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere detineo. Seceſſi non tantum ab hominibus, ſed etiam a rebus: & primum a meis. Poſterorum negotium ago: illis aliqua, quae poſſint prodeſſe, conſcribo.* Quae ad illa Senecae verba ſubjungit Lipſius, *Judicio ſuper Seneca ejusque ſcriptis*, de noſtro etiam Juſtiniano veriſſime uſurpem: *En virum diligentem ſtudiorum, & noſtri! quis non amet pariter nobis ſic natum & occupatum? Verba ea repete & examina, quisquis es: pudebit vel ſpargere vel audire calumniam in generis humani ſic amantem. Voluptati, ſomno, vitae detraxit, quod nobis impendit.*

ta Muſſiponti. Fruſtra fabularum Scriptores ... trant, fruſtra tot vitiorum foedam caliginem ... viri doctibus ignorantia mendaci effuderunt. *Fac et nos meliores*, inquit Seneca, *Epiſt.* 81. *ſi cogitaverimus quid aliquando nobis profuerit ille, cui iraſcimur.*

III. Non igitur diſſimulemus, quod & Balduinus agnovit, Juriſprudentiam noſtram multum Triboniano debere, quem accuſare non poſſumus, ſi Juſtinianum ipſum, haud injuria tantopere laudatum, liberare velimus: *Nemo*, inquit *Comment. de Juſtiniano, ſive de Jure Novo, exiſtimet, me Pandectas, quibus nihil habeo antiquius, nihilque ex illa antiquitate relictum eſſe ſentio, quod colere magis debemus, convellere velle; non modo ingratus, ſed & prope inſanus eſſem, ſi id vellem, praeſertim cum eas ipſe doceam. Neque, opinor, inſolens cuiquam videbitur Legum interpolatio, cum Triboniano etiam mandata nominatim ab Juſtiniano ſit, & nos multa exempla paſſim oſtenderimus.*

Maledicentiae & livori unum, ſed quod inſtar omnium eſſe poſſit, magni illius Cujacii judicium opponendum: *Comment. in Tit.* 13. *de Rei Uxoriae &c. lib.* 5. *Cod. Tribonianus*, inquit, *maximus ſane fuit Jureconſultus: haec laus ei eripi non poteſt, idque monſtrant* OMNES LEGES, *quae ab eodem editae ſunt ſub nomine Juſtiniani: nam pleniſſimae ſunt eruditionis, & prudentiae legitimae; quamobrem ſum omnibus auctor, ut omnes Juſtiniani Conſtitutiones perlegant, diligenterque perſcrutentur.*

IV. Ne ultra imperiti, ne minus ſolertes, ne plagiarii audiant Gratianus & S. Raymundus, viri illuſtres, & Principum ac Sanctiſſimorum hominum amicitia noti! Sileant Ariſtarchi, neque ultra ſuis obelis mortuorum famam non ſine ſacrilegio figant! Credamus nihil eſſe grato animo honeſtius: & ſi gratiam tantam referre non poſſumus, quantam debemus, habeamus tamen tantam, quammaximam animus capere poteſt.

F I N I S.

INDEX CAPITUM.

Caput I. Aditus *in Tractationem, ſeu futurae Diſſertationis argumentum.* Pag. 169

Caput II. *In Juſtinianum Imperatorem, & ejus Quaeſtorem Tribonianum ad invidiam comparatae invectiones.* 170

Caput III. *Tribonianus defenſus adverſus vituperatorum nimiam acerbitatem.* 174

Caput IV. *Juſtinianus Imperator doctrina & moribus vere magnus.* 179

Caput V. *Refutatio eorum, quae in Gratianum & ejus Decretum adduci ſolent.* 186

Caput VI. *Raymundi Barcinonenſis, viri ſummi atque omnibus ſanctimoniae notis illuſtris, doctrina ſingularis aſſerta adverſus ineptum cavillatorem.* 190

Caput VII. et ultimum. *Antiſtitum Juris utriusque honores, bonis artibus quaeſitos, minime ſugillandos eſſe.* 191

F I N I S.

G A-

Digitized by Google

GABRIELIS TRIVORII
J. U. DOCTORIS
ET
HISTORIOGRAPHI REGII
OBSERVATIO APOLOGETICA

Ad inſcriptionem Orationis ad Anteceſſores Digeſtis Juſtiniani praepoſitae

Adverſus quosdam J. C. & Procopii Anecdota.

Ubi etiam agitur de vera Francorum Origine a Gallis deducta, primis geſtis, Monarchiae fundamentis in Galliis, atque interitu Imperii Occidentalis.

Digitized by Google

tuarum illaeſo, alterius patrocinio committi poſſet. Prior pars, Deo dicata, indiget adminiculo pietatis eximiae, quae in te fundamentum eſt omnium virtutum, ad legitime tuendam venerandi nominis Domini noſtri JESU CHRISTI invocationem, Digeſtis Juſtiniani praepoſitam. Nam ſicut in coelo, terraque nullum eſt nomen auguſtius, cujus au[illegible]linm potentius ac efficacius ab hominibus imploretur: ita vetus Chriſtianorum conſuetudo, cum Juſtinianea, in illius obteſtatione praeſcrenda omnibus incoeptis, ab eminentiori poteſtate cujuſcumque viri firmius retineri nequit, quam a Regia Majeſtate, quae vivam in terris ſummi rerum opificis ac moderatoris refert imaginem. Prae ceteris, qui tanta dignitate ſulgent, non ſolum Chriſtianiſſimi Regis propria eſt iſta defenſio, ſed etiam tuae Religionis: cum nihil in publicis privatiſque negotiis aggredi ſoleas, niſi conſultis prius divinae virtutis auguriis. Maxime poſtquam expertus es ſaepenumero belli paciſque artes, optima conſilia, ſecundos rerum eventus, Regum ſceptra, legumque vigorem ab ea pendere. Jamque proſpere domitis, ope coeleſti, haereticae factionis perduellibus ſublata in diverſis provinciis orthodoxae fidei altaria pia venciatione gratae mentis ad antiqui cultus formam reſtituiſti. Alterum ſummumque ſequentis animadverſionis caput praepotentem quoque tuae juſtitiae manum in ſuam tutelam neceſſario flagitat, ut glorioſam Imperatoris Juſtiniani memoriam ſervet illibatam adverſus Procopii calumnias ab annis octo tantum, poſt longiſſimam undecim ſeculorum vetuſtatem, in vulgus emiſſas. Siquidem divina Juſtiia paſſa non eſt illas ante lucem intueri, quam damnari poſſent ab Imperatore Francorum, qui primus Juſti cognomen meruit inter omnium gentium, omniſque memoriae Reges ac Imperatores: Quique Principum contumeliis opertorum, atque armata vi ſuae ditionis finibus expulſorum aequo vindex eſt humaniſſimus ac potentiſſimus. Quamobrem hinc Juſtinianum conviciis petulanter jactatum, inde calumniatorem Procopium ſacro Majeſtatis tux judicio ſiſtere, Teque rogare videtur, ut, audita urriuſque cauſa, qualis ſummatim hoc opuſculo proponitur, in tuam fidem ſuſcipias legum Auctorem, quarum praeſcriptis ipſa ſubditis tuis ſanctiſſime adminiſtratur. Nocenti vero ac in jure confeſſo pro modo admiſſi criminis poenam imponas. Ille hanc a Te, tanquam Juſtiſſimo Rege ac foederatorum ſuorum fautore, gratiam repoſcit, ſibi quondam promeritam a primis Francorum Regibus, quibus Imperii Gallici jure ceſſit, inito cum ipſis foedere in Gotthos, Arrianos, Italiae atque Hiſpaniae invaſores. Quinetiam orbis terrarum dominatum, a ſe quondam affectatum, ut indicavit ipſius ſtatua, globum palma ſuſtinens, in Auguſtaeo poſita, juſtitiae tuae ac magnanimitati potius deberi confitetur. Contra Hiſtoriographus ejuſdem Imperatoris, famoſum Anecdoton libellum decreti tui cenſurae ſubjicere non veretur: ne quidquam, turpium fabularum praetextu, immortali Principis laudi, dudum, ut quidam opinantur, Beatitudinis aeternae gaudio perfruentis, mortales detrahant. Sibi vero indulgentiam delicti certiſſimis poenitentiae argumentis deprecatur: quod longe ante obitum informem ſuaque facundia indignum hujuſmodi partum pro derelicto habuerit, pulvere ac ſitu procedentis temporis delendum, niſi praeter animi ſui ſententiam in lucem editus eſſet. Ut autem bellicae Juſtiniani virtutes & iniquae Procopii accuſationes maniſeſtius omnium oculis exhibeantur, in umbilico fere hujus libri totius Imperii occidentalis interitum accurata brevitate retexui: juſtaſque rationes, quibus, ita ordinante divina providentia, idem Imperator, Africam, Illyricum, Germaniae partes & Italiam, intactis Regni Francici limitibus, iterum Romanae dominationi addidit, paucis attigi. Sed quandoquidem iis temporibus prima Monarchiae tuae fundamenta ſtabilita ſunt: ideo muneris mihi nuper beneficio tuo injuncti memor diffuſiorem, quam e re eſt, tractatum injeci de Francorum origine ab antiquis Gallis deducta, geſtiſque praecipuis, donec illi ad univerſae Galliae poſſeſſionem, extincto in perpetuum Romanorum Imperio, Gallorum omninm conſenſu a Deo vocati ſunt: & tandem Juſtiniani, juri ſuo renuntiantis, per pragmaticam ſanctionem ratihabitio ſubſecuta eſt. Inter alia majorum noſtrorum inclyta facta, cum tuis inſignioribus collata, praetermiſſum non eſt Gallicanas cohortes ab Hiſtoricis dictas eſſe Imperiorum arbitras. Eo felicius quod nunc prima, ſecundaque in Italiam expeditione, qua tuo ductu, tuiſque auſpiciis expugnata Sabaudia, cum proxima parte Subalpinae regionis, priorem atque poſteriorem Caſalis obſidiouem ſolviſti, Mantuani Ducis principatu ſpoliati redintegrandi gratia, priſtina Gallicae virtutis gloria illuſtrior, quam ſub anteceſſoribus tuis refloreſcat. Amplior quoque victoriarum tuarum celebritate: quia ipſo excelſior eſt imperio. Sic rerum a Te geſtarum ſplendore populorum, quibus imperas, antiquitas illuſtrata nova ratione ſinu tuo foveri geſtit; ut, ſi quidem haſce primitias

Hiſto-

Sacrae M. T.

Humillimus, devotiſſimus & obſequentiſſimus ſervus & ſubditus
GABRIEL TRIVORIUS

AD CANDIDUM LECTOREM.

JUriſconſulti, uon Hiſtorici, opuſculum, inter plura ejusdem generis a me per plurimos annos elaborata, non tamen ab Hiſtorico prorſus alienum, nunc primum tibi damus, Lector benevole, ut potiſſimum in evulgandis primis lucubrationibus meis fauſtum, cum Juſtiniano, ducam initium a nomine Domini Jeſu Chriſti, iu ejus invocatione tuenda, quae extat in primo limine Digeſtorum.

Eodem libello Juſtiniani vindiciae in re militari & libris Juris adverſus Procopii calumnias ſpecialiter continentur ſub obſervationis titulo Juriſconſultorum more, tum quod nulla de re cum tanti nominis auctore coutendendum exiſtimaverim absque ſcriptoris alicujus auctoritate, loco ſimul adnotato. Tum quod majori licentia in obſervationum, quam alterius inſcriptionis libellum, plura Capita de Fraucorum, Alamauorum, Germanorum, Vandalorum, Gotthorum, Alanorum, aliorumque populorum origine, primis geſtis, Monarchiae noſtrae fundamentis iu Galliis, atque interitu Occideutalis Imperii referre potuerim, factis etiam noſtrorum temporum illuſtrioribus cum autiquis ſimilibus obiter collatis, uou ſine veterum, recentiorumque Juriſconſultorum ac Hiſtoricorum exemplis.

Prima & diuturna juris profeſſio, quam ſemper cum optimarum literarum & hiſtoriae cognitione conjunxi, tale quod a me primum edeudum exegit. Livor quoque vel initio extorſit, ut eo levi ſtudiorum priſtinorum ſpecimine, perſpectum tibi ſit, Lector humaniſſime, nou ea tantum a me impenſa fuiſſe in vulgarem legum interpretationem, ſed ad earum ornatum haud leviter conſumta in hiſtoriarum & cujuscunque diſciplinae lectionem; quarum floſculis jam uti poſſum ad hiſtoriae noſtrae illuſtrationem.

Qui nunc Juriſconſulti munere fungor hiſtoriarum haud imperiti, non infeliciori Miuerva Hiſtorici partibus propediem, Deo daute, perfungi potero. Nec dubitabunt illi, hac de re, quibus non eſt incoguitus labor meus improbus. Non eo tamen, fateor, eloquentiae ſupremo genere, quo Avunculus meus Nicolaus Renoardus, in cujus locum Priucipis noſtri beneficio ſucceſſi, Francicam ornaſſet hiſtoriam, ſi longa valetudine, quam tandem mors eſt inſecuta, praeveutus non eſſet; ſed idoneo ſatis, uiſi propria me fallat φιλαυτία, ut ea, quam tibi daturum ſpero, vera & dilucida narratione, pietate ac Juſtitia Regis noſtri Chriſtianiſſimi non indigua cenſeatur, nec inutilis noſtris temporibus ac poſteritati, ſententiarum varietate atque diligenti rerum, locorumque deſcriptioue.

Interim forte panegyricum aliquem a me deſideraſſes de iis, quae huic obſervationi ex hiſtoria noſtra recenti, cum veteri collata, ſparſim inſerui. Sed aliae ſuut partes Pauegyriſtae, aliae Hiſtorici. Deiude irritae oſtentationis eſſe credidi poſt tot viros eloqueutiſſimos, qui auno ſuperiore, quaſi aere collato, undique iu hanc rem uberrimos facundiae rivulos, feliciter effuderunt, ſimile quid, nova licet ac foecunda ſuccreſcente materia, in primis aggredi a Doctoribus meis jam dudum didici Pythagoricum iſtud, διὰ τῆς λεωφόρου μὴ βαδίζειν: hoc eſt, per viam publicam iucedeudum non eſſe. Placuit potius quid ex obſcuris hiſtoriae noſtrae cunabulis, in quibus, tanquam in arena prima, exercuerunt ſe Hiſtorici uoſtri celebriores, iu lucem emittere, parum ab his animadverſum, aut non ſatis ex antiquis & receptis auctoribus perſpicue probatum.

Nec etiam debui, quamvis quidam coutra ſentiant, qualemcuuque ſententiam meam de Francorum origine opere ſingulari complecti, antequam per obſervationem tentarem an haec peritioribus arrideat, cum eam noverim a magni nominis Hiſtorico & quibusdam aliis repudiari, & ejus argumenti multos multa jam, non ſine lectorum taedio, iu litteras miſiſſe. Quod ſi haec noſtra conjectura, paucis expoſita, tibi minus diſpliceat, ut verior & primis Francis, Gallisque, nunc vero Francogallis glorioſior, quam ſi, cum aliis, eorum originem ex quadam fortuitorum militum incertae natiouis Germanicae coïtioue deducas, tum uberiorem tractatum dare nou pigebit.

Rurſus ſi requiras integram Juſtiniani defenſiouem adverſus Procopium, aut vitam; incuriam tuam, non noſtram accuſa; noſtra propterea perlegere ne dedigneris; aliena vero

ſcri-

Orationi ad Anteceſſores adverſus quoſdam Juriſconſultos, & Procopii Anecdota, ſed etiam ad tuendos Juſtini I. Imperatoris & Juſtiniani praecipuos mores, Connani, Juſtini hiſtorici, aliorumque ſcriptorum ſententias defendendas, religionis quoque Orthodoxae auctoritatem probandam, tam contra eundem Procopium, quam recentiores auctores, haereticos etiam veteres ac novos.

Sed quia penitus in nullo peccare ſolius Divinitatis magis, quam mortalitatis eſt, inquit Juſtinianus noſter; ideo humani ingenii fragilitati condones velim, ſi qua in re lapſus ſim: nec enim is ſum, qui mordicus teneam, quae a me ſunt effata, quaſi e Tripode pronunciata. Cenſuram cujuslibet me peritioris, quales plurimos eſſe non ignoro, aequo animo feram. Tu quoque, Candide Lector, ſi quid bene dictum ſit a me, aequi bonique conſule; hisque fave primitiis.

INDEX CAPITUM,

Quae in hac Obſervatione continentur.

CAP. I. H*ujus obſervationis ſcopus. Inſcriptio in Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex praecedentibus conſtitutionibus ante Orationem ad Anteceſſores repetita. Nec eo loci, nec ante conſtitutionem de confirmatione Inſtitutionum expungenda; & quare Nomina Jeſu Chriſti in ſumma veneratione apud Prophetas & Chriſtianos. Mos vetus haec nomina invocandi qua ratione nixus.*

CAP. II. *Antiquum Chriſtianorum inſtitutum in Domini noſtri Jeſu Chriſti nomine invocando ſervatum a Juſtiniano non tantum in Legum inſcriptionibus, ſed etiam in omnibus rebus magni momenti. Sacroſanctae Trinitatis invocandae mos vetus inter Chriſtianos & rutie. Juſtiniani ſpes in auxilio divino ipſius teſtimonio demonſtratur. Idem auxilium experti ſunt ſaepe multi principes & nuper Chriſtianiſſimus Rex noſter Ludovicus* XIII.

CAP. III. *Leges ſuas orditur Juſtinianus ab invocatione divini Numinis exemplo veterum Legiſlatorum, Philoſophorum, Oratorum, Poëtarum. Juſtinus ἀναλφάβητος. Juſtinianus eruditiſſimus. Suidae locus emendatur, cum quibuſdam inſcriptionibus & ſubſcriptionibus Legum. Chriſtus verus Juſtitiae Deus Juſtiniani Leges ab interitu vindicavit, caeterae cum falſis Diis earum auctoribus abolitae.*

CAP. IV. *Ad verba Imperator, Caeſar, Flavius, Auguſtus: quo ſenſu Octavianus dictus eſt Imperator; quo tempore Auguſtus; & quo lex Regia primum renovata. Quid Auguſtum privilegium. Quid anni Auguſtani. Nec Auguſtus, nec Tiberius ſe Dominos appellari paſſi ſunt. Caeteri Principes Romani, Imperatores dicti, Caeſares, Auguſti. Cur Juſtinianus, Juſtinus, & alii Imperatores Flavii nomen aſſumpſerunt.*

CAP. V. *Ad vocem, Juſtinianus, haeſitatio Accurſii. Meruit Juſtinianus a Juſtitia cognominari, ſed Juſtus ab ea potius quam Juſtinianus denominandus. Qui juſti cognominati. Inter familias Romanas cognitum Juſtiniani nomen. Impoſitum Juſtiniano proprium nomen ſecundum morem ſuorum temporum.*

CAP. VI. *Juſtiniani Pater non Conſtantinus, ſed Sabbatius quidam. Sabbatii nomen vetuſtiſſimum & celeberrimum in Italia. Bigleniza Juſtiniani mater. Juſtinus Pater ejus adoptivus, Juſtini patria, adoleſcentia, militia, dignitates. Suidas emendatus. Primicerius & decem primi domeſticorum & protectorum ſenatoriae dignitatis erant. Juſtinus in familiam Anicierum tranſit. Germanus fratruelis Juſtiniani. Quis ſit fratruelis, quis ἀνεψιός.*

CAP. VII. *Juſtinus Senatoriam dignitatem, tanquam unus e Decemprimis protectorum adeptus videtur ſub Zenone, qui δορυφόροι & protectores. Initio Anaſtaſiani Imperii Cohortum Praefectus divinitus carcere liberatur; inter praecipuos poſtea Anaſtaſii duces numeratur. Petrum captivum litteris erudiendum tradit. Comes domeſticorum factus Anaſtaſio ſuccedit. A Senatu Imperator Ordinatus Orthodoxorum voto. Juſtinianus ſub Zenone natus Fauſto Conſule. Quo loco natus & educatus. Quid χωρίον Φρέγαι apud Procopium. In qua Provincia ſita Bederiana: quibus nominibus poſt tempora Juſtiniani appellata.*

CAP. VIII. *Summa cura Juſtini Juſtinianus inſtitutus. Juvenis egregia edidit facinora. Perduellionis reus cum Avunculo divinitus liberatus. Comes domeſticorum, Dux vice Magiſtri militum. Hermogenes Magiſter officiorum & Militum. Quo tempore Juſtinianus Magiſter militum & Patricius factus. Patricii poſſunt fieri tempore Magiſtratus. Marcellinus Comes Cancellarius Juſtiniani Patricii adhuc vices gerentis Magiſtri militum. Qui Cancellarii.*

CAP. IX. *Nulli Patricii militibus praeſunt & Juriſdictionem habent, niſi ſint Magiſtratus aut vice Magiſtratuum fungantur. A quo tempore Juſtinianus Patricius factus: quid illuſtris Patricia ſedes. Sedis & ſedium diverſa ſignificatio: quid per ſedeta Theophilus ſignificet.*

CAP. X. *Juſtinianus alio tempore nobiliſſimus, alio Caeſar. Conſtantini temporibus, tres tituli, Auguſti, Caeſaris, Nobiliſſimi, diſtincti. Quis Auguſtus, quis Caeſar, quis Nobiliſſimus in Gallia. Criſpus, Conſtantinus, Conſtantini Magni liberi, Licinianus, Nobiliſſimi Caeſares facti. Conſtantius, Conſtans alii ejuſdem Conſtantini liberi, Dalmatius fratris filius diverſo tempore Caeſares facti. Conſtantius, Annaballianus Dalmatii fratres primi Nobiliſſimi. Gallus, Julianus, Decentius Caeſares. Gratianus, Valentinianus* II, *Honorius nobiliſſimi pueri & Conſules. Conſtans & Julianus Conſtantini Tyranni liberi, Valentinianus* III. *Nobiliſſimi.*

CAP. XI. *Ad Caeſaris & Imperatoris culmen evectus Juſtinianus per omnes honorum gradus. Famoſiſſimus ejus Conſulatus. Omnia Imperii munia capeſſit, cum Juſtinus eſſet ſeptuagenario major. Suggerit leges, &*

Quae.

Digitized by Google

Cap. XII. *Quaeſtiones inferius agitandae adverſus Procopium proponuntur. Praevia dilacerati Imperii cognitio promittitur. Summa Breviarii S. Rufi. Series belli Perſici a temporibus Pompeji uſque ad tempora Juſtiniani ſummatim delineatur. Barbaricae gentes, quibus bellum intulit Juſtinianus in limitibus Orientis, indicantur.*

Cap. XIII. *Qui populi circa tempora Juſtiniani partes Imperii Occidentalis poſſidebant. Belloveſus & Sigoveſus Galli ad novas ſedes quaerendas miſſi. Sigoveſus loca Germaniae, in quibus poſtea ſita fuit Francia Orientalis, aliaque loca Hercyniae ſylvae proxima occupat. Tectoſages, Salyi, Helvetii in iis ſedes fixerunt. Quo tempore Belloveſus & Sigoveſus Colonias deduxerunt. Quo tempore Belgius & Brennus Graeciam & Macedoniam adorti ſunt. Polybii locus expoſitus. Quibus temporibus Pyrrhus Italiam ingreſſus, Senones & Boji, Ptolemaeus, & Soſthenes victi & bellum Delphicum ſuſceptum. Alii auctores non diſſentiunt a Juſtino hac in re. Galli toto orbe terribiles, antequam notum eſſe Germanorum nomen.*

Cap. XIV. *Non longo tempore ante Gallienum extincta Gallorum memoria in Germania. Quo anno Galli primum Italiam & Germaniam ingreſſi: quo tempore ab iis Roma capta: quo tempore Belgii & Brenni expeditio facta. Ex Gallia & Germania copiae Belgii & Brenni coactae. Tectoſagum propriae & adventitiae ſedes. Luturii nomen ad Reges Francorum transmiſſum. Galli ſaepe Colonias in alienas regiones deduxerunt. Qui Tigurini Galli. Cimbri Celtoſcythae a Cimmeriis denominati. Quouſque Celtica olim extendebatur: quam Cimbri Germaniae partem occuparunt: iidem novas ſedes quaerunt. Iis ſe Teutoni conjungunt. Teutoni & Cimbri, Galli vocantur & fratres. Victi a Mario ſuperſtites redeunt ſimul in ſedes Teutonorum. Qui Cimbri mediterranei. Cimbri & Teutoni Galli dicuntur tam a Graecis quam a Romanis. Sicambri a Scythis orti; Teutonis finitimi Franci, Sicambri dicti. Germani moribus & forma Gallis ſimiles, Gallorum nomen adhuc retinebant temporibus Julii Caeſaris. Scordiſci temporibus Auguſti domiti, a Gallis oriundi. Gallorum memoria recens in Germania Taciti aetate. Cur Galli dicti ſunt Celtoſcythae, Cimbri, Sicambri, Teutoni, Catti, Germani, Scordiſci.*

Cap. XV. *Quid Germanorum & Alamanorum voces ſignificent. Celtoteutonica, ſeu Galloteutonica gens prima Germanorum nomen ſibi vindicavit. Gallica virtus Imperii Romani curſum pene ſuppreſſit, decurſum extinxit, Germanico Imperio initium dedit, Orientale tenuit. Tectoſagorum Germanorum Juſtitia & laus bellica. Gallo-Teutoni primi Germani appellati Germaniae nomen dederunt. Per Celtos ſemper Germani intelliguntur apud Dionem; a devictis Germanis, primi Principes Romani Imperatores dicti. Cur citeriores Rheni Accolae Germanicam originem affectaverint. Primus Auguſtus Germaniam in formam provinciae redegit. Germani ſaepe victi, nunquam devicti. Una primum fuit Germaniae provincia, deinde in duas diviſa. Suevica gens Alamanorum nomen ſumit temporibus Caracallae. Alamani, antequam ſub ea appellatione noti, Germani dicti.*

Cap. XVI. *Caracallae & Gallieni temporibus Victori Seniori & Trebellio notum Alamanorum nomen; poſteriores auctores ab aliis Germanis Alamanos diſtinguunt. Alamania eſt Germania Rhetis objecta. Gens Alamanorum multiplex. Alamani ab aliis Suevis diſtincti, Alpes regunt, ex quibus oritur Danubius. Suevia Dalmatiis, Pannoniis, Bajobaris, Francis, Turingis vicina, Alamanorum patria. Celtogermani cur ſub Gal-* [illegible] *rum arbitra. Franci Regiones, quae ſunt inter Rhenum, Nicrum, Albim, & Oceanum inſedere. Batavium & quaſdam eis Rhenum terras invadunt temporibus Maximiani. Francorum plures Reges, Francorum Regio Francia dicta, inter intimas Germaniae nationes ſita. Criſpus Caeſar Francos vincit. Franci a Saxonibus bellis appetiti.*

Cap. XVII. *Gotthorum, Gepidarum, Sclavinorum, Antarum, Vandalorum, Alanorum, Perſarum ſedes propriae & adventitiae. Prima inter Romanas provincias, Dacia trans Danubium amiſſa. Pannoniae primum a Vandalis, Alanis, Gotthis, & Hunnis occupatae, deinde amiſſae. Hiſpaniae a Vandalis, Alanis, Suevis, poſſeſſae. Alaricus Gotthorum Rex Italiam invadit, Romam capit. Athaulfus Gallias ingreditur. Placidiam uxorem ducit. Compulſus a Conſtantio Narbonenſi provincia excedere, Hiſpaniam petit, & ibi moritur.*

Cap. XVIII. *Qua ratione occupata ſit ab Anglis Britannia Inſula. Armoricus tractus cum multis Galliarum provinciis a Romanorum jugo ſe liberat. Burgundiones Arriani partem Galliarum occupant. Cur ſic appellati. Galli trans Rhenum decumates agros exercent. Transrhenana poſſeſſio dubia in* l. xi. D. de evictionibus. *Arborichi limitanei milites Romani cum Francis ſocietatem ineunt, in unam gentem coeunt, & Gallias poſtea invadunt. Placidia Honorio per Emplutium Magiſterianum a Gotthis reddita. Conſtantio nubit. Ex his Honoria & Valentinianus* iii. *nati. Wallia Gotthorum Rex Vandalos & Alanos caedit in Hiſpania revocatus in Gallias a Conſtantio Regni ſedem Toloſae collocat, & Aquitaniam ſubigit. Narbonenſis provincia, cum quibuſdam aliis Galliae provinciis, paret Romanis. Quis ſit ὁ μαγιϛεριανὸς apud Photium & alios authores. Evocati a Bonifacio Vandali & Alani Africam occupant.*

Cap. XIX. *Franci Galliarum veteres indigenae, iidem tamen Germani appellati. Germani a Gallis oriundi; eadem Hercyniae ſilvae loca proxima tenuere, quae Galli. Franci Regum Imperio ſubditi in Francia Transrhenana. Quibus temporibus floruerunt primi quinque Francorum Reges, qui partes Galliarum poſſederunt. Gregorii Turonenſis locus emendatur. Metatheſis in Proſperi Chronico reſtituitur. Faramundus partem Galliarum quam occupaverat amiſit. Pannoniae a Romanis receptae, mox amiſſae. Attila fratris a ſe occiſi regnum invadit; Germanicis, Scythicisque regnis imperat. Praefectus Praetorio Illyrici Theſſalonicum e Sirmio profugit.* Novella Juſtiniani xi. *emendata. Attila in Galliis victus redit in Pannonias & Daciam. In quibus provinciis variae gentes Attilae ſubditae, poſt ejus mortem conſedere. Alamani fines extendunt uſque ad Alpes Rheticas. Qua ratione Romanum Imperium extinctum ſit in Italia. Theodoricus Italiae regno potitur.*

Cap. XX. *Imperii Romani interitus in Galliis. Clodoveus Francorum Rex ad veram Chriſti fidem qua ratione converſus. A Divo Remigio poſt futurorum, de ſucceſſorum geſtis, praedictionem, baptizatur, ſolemnibus Eccleſiae ritibus adhibitis, cum ſororibus & pluribus Francorum millibus. Ampulla divino Chriſmate repleta D. Remigio a columba offertur. Eo Chriſmate inaugurandi Reges unguntur. Animos Orthodoxorum Gallorum in ſe convertit Clodoveus poſt Baptiſmum. Gundobaldum Burgundionum Regem vincit, eique tributa indicit, Gundobaldus agnoſcit, ſed non vult palam profiteri S. Trinitatem. Clodoveus ſororem Audefledam petenti Theodorico dat in uxorem. Divinis auſpiciis & auxiliis fultu*

Digitized by Google

& Ludovicus appellatus. Ludovici Aviorum Haereticorum domitores. Cur Dei gratia Francorum Reges nuncupent ſe Chriſtianiſſimi noſtri Principes. Clodoveus ſaevit in propinquos & ſocios Monarchiae ſtabiliendae cauſa. Anno Chriſti 509. moritur. Gregorius Turonenſis emendatus. Quibus temporibus Theodoricus, Theodebertus & Theodebaldus in Galliis regnaverunt. Quomodo & quo tempore Gundobaldus Burgundionum Rex patria & vita privatus. Lacuna apud Gregorium lib. 3. repleta. Quibus temporibus Geſelicus, Amolaricus, Theodis regnum Hiſpaniae tenuerunt. Chronica Viſigotthorum emendata. Procopii lapſus multiplex in hiſtoria Gallicana: mendum apud eum tollitur. Vera ejuſdem narratio de Thoringorum Regno ditioni Francorum ſubdito, & Galliarum diviſione in tres partes. De Clodomere, Godomaro, & Britannis quaedam adduntur.

Cap. XXII. Divina providentia Clodoveum in Occidente, Juſtinum & Juſtinianum in Oriente ad imperium vocavit. Zeno & Anaſtaſius Edictis ſuis Chalcedonenſe Concilium damnant; haereticos fovent; Catholicos vexant per quadraginta annos. Libya Aegypto proxima Orientali ſubdita Imperio. Vandalorum Reges Orthodoxos Epiſcopos expellunt; fideles variis modis exagitant. Anaſtaſius fulmine ictus. Juſtinus omnium Orthodoxorum votis a Deo evectus ad Imperium. Leges fert, quibus Orthodoxorum jura tuetur. Haereticorum ſectas coërcet. LL. XI. XII. XIII. Cod. de haereticis & Manich. ſunt Juſtini; poſteriores Juſtiniani. Quo affectus animo ad Imperium pervenit Juſtinianus. Ob ingentem numerum Eccleſiarum, a ſe conſtructarum, & operum publicorum, quae fieri curavit, orbis reparator appellatus. Armis & legibus regit Reipublicae ſtatum; legum appellatione jus publicum & privatum ſignificatur. Jus publicum proprium Principis. Cur edictis & legibus ſuis Juſtinianus, quae ad fidem Orthodoxam & politiam Eccleſiaſticam pertinent, ſit complexus. Quot Edicta de fide inſeruit Titulo Codicis de ſumma Trinitate.

Cap. XXIII. Juſtinianus laudatur, quod Imperii proferendi votum ad effectum perduxerit. In Perſas Beliſarium mittit. Orientalis limitis arces munitiſſimas reddit. Beliſarius Peroſam vincit. Victus ab Ezavetha eum compulit in Perſidem redire. Juſtinianus cum Aethiopibus & Homeritis ſocietatem contrahit. Phaeniciam Mediterraneam dono accepit. Inter Blemyas, & Nobatas, & Pentapoleos cultores religionem Chriſtianam inſtituit. Quae gentes in Armenia per Dorotheum & Sittam domitae, quae Chriſtianae factae. Emendatur inſcriptio l. ultimae Cod. de officio Magiſtri Militum. Per Germanum & Chilbudium duces Thraciae fines ultra Boſphorum promoti. Antae, aliique Barbari domiti. Quid geſſit Juſtinianus in Illyrico per Mundonem. Quae Provinciae per illos Duces purgatae a barbarorum jugo. Quae Imperio additae. Quo tempore adverſus Vandalos in Africa bellum pene confectum. Quo tempore bellum Gotthicum in Italia ſuſceptum. Quae cognomina ſibi jure vindicavit Juſtinianus.

Cap. XXIV. Cur Juſtinianus Alamanici, Gotthici, Francici nomina uſurpaverit, antequam praelio viciſſet Gotthos, Francos, Alamanos. Romanus Imperator Orbis terrarum olim Dominus. Procopii locus emendatus. Cur orbi Crux impoſita tam a Juſtiniano, quam a Theodoſio. Orbis dominatum affectavit Juſtinianus. Francorum Monarchia in Galliis a Juſtiniano ſpeciali-

Cap. XXV. Juſtinianus ante devictos omnes populos, a quibus agnomina ſumpſit, ea inſeruit legum inſcriptionibus. Alanicus dictus ab Alanis, qui in Africa Vandalis juncti erant. Qui Imperatores Germanici dicti. Qui Alamanici. Qui Gotthici. Qui Francici. Juſtinianus Princeps generoſiſſimus, vigilantiſſimus, prudentiſſimus, acerrimus rectae fidei defenſor, aditu facilis M. Antonini exemplo. Quilibet Magiſtratus facilem aditum ad ſe praebere debet.

Cap. XXVI. Juſtinianus eadem ſorte incurrit in odium Procopii, qua viri boni in odium improborum. Virtutes Juſtiniani extenuat Procopius. Daemonem eum eſſe aſſerit ob ingentem numerum hominum, qui bellis ab eo confectis ceciderunt. Quomodo Daemonem eum eſſe probat. Hunnos Daemones fuiſſe ſcribit Jornandes. Hiſtorici Pagani laudes Principum Chriſtianorum reticent. Procopius Deam fortunam agnoſcit veterum Paganorum more. Tanquam Paganus principi Chriſtianiſſimo infeſtus. Armis Juſtiniani ſera Dei vindicta ſumpta de Vandalis, Gotthiſque Arrianis. Procopius ſummae inſaniae putat eſſe, cum Paganis, Dei naturam inveſtigare. Nullius fidei debet eſſe, tam in iis, quae ad religionem Chriſtianam pertinent, quam in conviciis, temere in Chriſtianiſſimum Principem effuſis.

Cap. XXVII. Procopius a potioribus honoribus remotus per 35. annos, quod ſuſpectus eſſet Graecae religionis. Juſjurandum magiſtratuum. Invidia laborat Procopius. Infelix Juſtinianus quod hiſtoricum nactus ſit, virtutes ejus diſſimulantem. Principum & Reip. intereſt egregia facta non reticeri. Procopius in tacitam Juſtiniani offenſam incurrit. Libros de aedificiis aggreditur, ut offenſum Juſtiniani animum mitiget, ſanam de Chriſto religionem profitendo, & divinam providentiam in geſtis ejus obſervando. Fons natus in Caſtris Juſtiniani, & Alexandri, donum Dei.

Cap. XXVIII. Procopius in libris de aedificiis Juſtinianum demulcet. Laudat eum ab animi magnitudine, a Juriſprudentiae cultu, a Manſuetudine, a Clementia, a Munificentia, a Charitate Chriſtiana. Monaſterium poenitentiae. Ordo mulierum poenitentium, & Magdalenetarum quando Pariſiis inſtitutus. Conviciatores aeterno igni mancipantur a Chriſto. Tertia cauſa detegitur, cur Juſtinianum odio habuerit Procopius propter annua ſtipendia, ei non ſoluta. Italis Profeſſoribus liberalium artium tempore belli Gotthici a Juſtiniano denegata ſolaria, mox reſtituta. In gratiam Juſtiniani redit Procopius: fit Praefectus urbi & Quaeſtor. Poenitentia ductus extremam non habuit manum Anecdotωn libello. Principum intereſt, ne denegentur literatis e publico ſtipendia. Juſtinianus primus Byzantinorum Imperatorum liberae poteſtatis.

Cap. XXIX. Zoſimi, Conſtantini & Chriſtianorum Principum hoſtis, manes ab Evagrio & Nicephoro compellantur. Juſtinianus ambitionis accuſatus a Procopio in componendis legibus. Leges, a Juſtiniano latae, ab eodem denominantur exemplo legum, ab aliis Legiſlatoribus promulgatarum; ad publicam utilitatem pertinent. Privati Juriſconſulti libris Juris a ſe compoſitis nomen ſuum imponunt. Auditores Inſtitutionum cur dicti Juſtiniani novi. Civitates a Juſtiniano conditae & reſtitutae, cur nomen ab eo accipiant. Item novi Magiſtratus & milites. Alciatus in poſterioribus libris Juſtinianum omnibus Imperatoribus praefert. Procopium vero inter Atheos Rhetores connumerat.

Cap. XXX. Ad verba Inſcriptionis Juſtinianeae,

… *nomen affectavit Juſtinianus.*

CAP. XXXI. *Cur Imperatores, qui Pii dicti, Felices ſimul appellati. Maxima Conſtantini felicitas ob ejus pietatem. Juſtinianus cur Felix dictus, Victor ac Triumphator, Callinicas. Qui & a quo tempore Imperatores dicti Victores ac Triumphatores ante Juſtinianum. Qui Inclyti. Cur vox, Inclyti, conveniat Principibus Romanis; unde ſit deducta. Quo tempore Juſtinianus dictus Pius, Felix, Inclytus, Victor, ac Triumphator.*

*Valentiniani Tertii, quorum eſt 1. unic. Cod. de ſtu*diis liberalibus urbis Romae. *Lex illa privatam diſciplinam probat. Quomodo ſit accipiendus* §. haec autem 7. *Orationis ad Anteceſſores. Qui Anteceſſores Illuſtres & Comites ſacri Conſiſtorii. Qui ſimpliciter Anteceſſores dicti. Graeci interpretes Theophili. Bardas optimarum literarum reſtaurator. Quibus temporibus vixit Theophilus Inſtitutionum Juſtiniani Paraphraſtes.*

GABRIELIS TRIVORII
J. U. DOCTORIS,
ET
HISTORIOGRAPHI REGII,
OBSERVATIO APOLOGETICA

Ad inſcriptionem Orationis ad Anteceſſores Digeſtis Juſtiniani praepoſitae,

Adverſus quosdam J. C. & PROCOPII Anecdota.

CAPUT I.

I. II. *Hujus obſervationis ſcopus.* III. IV. *Inſcriptio in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex praecedentibus conſtitutionibus ante Orationem ad Anteceſſores repetita.* V. *Nec eo loci, nec ante Conſtitutionem de confirmatione Inſtitutionum expungenda, & quare. Nomina Jeſu Chriſti in ſumma veneratione apud Prophetas & Chriſtianos.* VI. VII. *Mos vetus haec nomina invocandi qua ratione nixus.*

I. Qui commentarios aut obſervationes in varias Digeſtorum partes ediderunt, leviter attigerunt orationem ad Anteceſſores, quae vulgo Prooemium Digeſtorum appellatur; integram pauci ſunt interpretati. Quidam primam partem inſcriptionis huic orationi praepoſitae tollendam cenſuerunt. Procopius *in Anecdotis* Juſtinianum poſteriorem ſibi falſo arrogare ſignificat, dum bellicas ejus laudes, quas prae ſe fert inſcriptio, non tantum atrocibus conviciis obſcurare, ſed etiam pene obſtruere petulanter contendit. Nulla tamen Juſtiniani Conſtitutio eruditione plenior, & alicujus Juriſconſulti opera dignior videtur, ut ex ejus diligenti perſcrutatione certa Juris docendi diſcendique methodus conſtituatur: qua ratione motus juſtum ad eam ſcripſi Commentarium.

II. Sed antequam rem aggredior operae pretium mihi viſum eſt, primitias laborum meorum Deo Opt. Max. ut par eſt, dicare; ac ſimul in limine Digeſtorum in rebus bellicis & legum ſanctionibus Juſtinianum a maledictis Procopii purgare, praemiſſo ad utramque inſcriptionis partem libello. Prima divini Numinis invocationem; altera plures titulos, quos ſibi tribuit Juſtinianus, complectitur. Fauſta prioris auſpicia retinenda primum tribus capitibus perſpicue demonſtrabo; poſterioris aſſertionem ſequentibus fuſius proponere conabor: ut ſcrupulus omnis, quem creare potuerunt manifeſtae in Juſtinianum Procopii calumniae, paucis abhinc annis editae, Juri civili operam daturo eximatur, & cuilibet penitus innoteſcat, qualis Imperator fuerit compoſitionis Inſtitutionum, Pandectarum, Codicis, & Novellarum auctor. Praeterea multa praeviae cognitionis cauſa, & obſervationis licentia de vera Francorum origine, geſtis, Monarchia in Galliis, & de interitu Occidentalis imperii non injucunda, nec dum obſervata interſerui.

III. Primae partis verba ſunt: IN NOMINE DOMINI DEI NOSTRI JESU CHRISTI. Secundae: IMPERATOR CAESAR FLAVIUS JUSTINIANUS, ALAMANICUS, GOTTHICUS, FRANCICUS, GERMANICUS, ANTICUS, ALANICUS, VANDALICUS, AFRICANUS, PIUS, FELIX, INCLYTUS, VICTOR AC TRIUMPHATOR SEMPER AUGUSTUS, THEOPHILO, DOROTHEO, THEODORO, ISIDORO, ANATOLIO, THALLELEO, ET GRATINO VIRIS ILLUSTRIBUS ANTECESSORIBUS. ITEM SALAMINIO VIRO DISERTISSIMO ANTECESSORI, SALUTEM.

IV. Prior in Pandectis Florentinis praefixa eſt conſtitutionibus *De confirmatione Digeſtorum*, quarum una latina eſt, altera graeca. Utraque Conſtitutio a Juſtiniano collocata eſt, Taurello monente, ante orationem ad anteceſſores. Sed quia ſub *titulo Codicis De vet. Jure enucl.* repetita eſt poſt Conſtitutionem *De conceptione Digeſtorum*, ideo brevitatis cauſa in vulgari editione eſt omiſſa, ſola oratione *ad Anteceſſores*, prooemii vice, ad libros quinquaginta Digeſtorum retenta. Non igitur temere, ſed omnino ex mente Juſtiniani, in prima fronte hujus ora-

Digitized by Google

[illegible] immo quis non videt Pii & Chriſtianiſſimi Principis eſſe (quo titulo non dubitavit Joannes Pontifex Maximus Juſtinianum inſignire in *l. ult. C. de ſumma Trinitate*) ea inſcriptione, initio immenſi Digeſtorum operis a ſe ſuſcepti, divini Numinis opem provocare? quis neſcit, ex Euſebio *lib.* 1. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 3. pios olim prophetas in ſumma veneratione habuiſſe ſeparata Jeſu & Chriſti nomina? conjuncta deinde Jesu Christi Chriſtianos ex divinis ſacrae Scripturae documentis? *D. Marc. cap. ult. Joan. cap.* 14. *&* 15. *Act. cap.* 4. quod glorioſum nomen Jesu Christi ſit ſuper omne nomen, eique omnia coeleſtia, terreſtria, & inferna ſint ſubdita, *cap.* 2. *ad Philip.*

VI. Hinc vetus mos invaluit inter eos, ut nihil ab iis publice, privatimve gereretur, niſi divino illo nomine prius invocato, *Quod in eo*, inquit Apoſtolus *cap.* 3. *ad Epheſ. habenda ſit omnia fiducia & acceſſus in confidentia per fidem ejus.* Rationem adnotat D. Hieronymus ad eum locum, *ut noſter ad Jeſum Chriſtum ſenſus accedat & diligentius contempletur, ut aliquid ſibi de ejus majeſtate aſſumat, & vindicet, & quaſi de radiis Solis calorem quendam, ſplendoremque luminis mutetur, & dicat: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.*

VII. Tanti nominis virtutem inveterata Chriſtianorum conſuetudo innumeris miraculis ita comprobavit, ut eam etiam Infideles ſint experti, eodem Hieronymo teſte, *in cap.* 3. *ad Galatas.* Immo impii quoque & perditi homines aleatores felicem aleae jactum, inſcripto tabulae luſoriae illo nomine divino, ſperaverint: ut primus indicavit doctiſſimus Salmaſius ex Gruteri tabula *in Saturninum* Vopiſci; ſed rationem hujus abuſus omiſit.

CAPUT II.

I. *Antiquum Chriſtianorum inſtitutum in Domini noſtri Jeſu Chriſti nomine invocando ſervatum a Juſtiniano, non tantum in legum inſcriptionibus, ſed etiam in omnibus rebus magni momenti.* II. III. *Sacroſanctae Trinitatis invocandae mos inter Chriſtianos, & ratio.* IV. *Juſtiniani ſpes in auxilio divino ipſius teſtimonio demonſtratur.* V. *Idem auxilium experti ſunt ſaepe multi Principes, & nuper Chriſtianiſſimus Rex noſter, Ludovicus* XIII.

I. ANtiquum Chriſtianorum inſtitutum, de quo dictum eſt proximo capite, diligenter a Juſtiniano ſervatum non tantum in legum compoſitarum & promulgatarum inſcriptionibus, ſed etiam in omnibus rebus magni momenti a ſe ſuſceptis, patet manifeſtis argumentis. Nonne veriſimillimum eſt, eum Principem, qui ante compoſitionem Digeſtorum inſcriptionem, In nomine Domini nostri Jesu Christi, praepoſuit Conſtitutioni *De novo Cod. fac.* ut praeferretur Codici Juſtinianeo, ſicut Codici repetitae praelectionis; & poſt editionem Digeſtorum *legi primae C. de Offic. praef. praet. Afr. Nov.* 17. 42. quae ſub eadem inſcriptione in 2. *Tomo Conciliorum* extat. *Nov* 43. 134. 139. *Novellarum Collectioni, Edicto* 7. *de argentariorum contra-*

[illegible] *mos ad Dei omnipotentis erigimus adjutorium, ut neque armis confidamus, neque militibus noſtris, neque bellorum ducibus, vel noſtro ingenio, ſed omnem ſpem ad ſolam referamus ſummae providentiam Trinitatis, unde & mundi totius elementa proceſſerunt, & eorum diſpoſitio in orbem terrarum producta eſt.*

II. Non eſt hujus loci veterum Patrum auctoritates proferre, quorum exempla ſecutus eſt Juſtinianus in auxilio ſupremae Trinitatis invocando; ſed non erit alienum hujus moris rationem verbis Juſtiniani ſubtexere, quam affert D. Dionyſius, *De divinis nominibus c.* 3. *Quia*, inquit, *beatiſſima Trinitas bonitatis eſt princeps, & omnibus rebus adeſt, non ei adſunt omnia.*

III. Quamobrem idem Imperator Codicem ſuum, primum Juris opus, a ſummae Trinitatis profeſſione, & adverſus Arrianos hujus myſterii impugnatores defenſione, feliciter eſt auſpicatus, titulo *de ſumma Trinitate & fide Catholica.* Praeterea *legiſlationes ſuas a ſpe in Deum pendere, & in eam reſpicere* teſtatur, *Nov.* 109. *hoc eis principium eſſe, medium, & finem, quod haec ſpes det ei & animae & imperii ſalutem:* animae ſalutem ſperat, certam fiduciam in dictis Apoſtoli collocans, qui 1. *Cor. cap.* 1. *vſ. pen.* ait *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum nobis factum eſſe a Deo ſapientiam, & juſtitiam, & ſanctificationem, & redemptionem.* Et ad *Galat. cap.* 2. *&* 3. *In eo omnium hominum animas ſanctificari ex fide, non ex lege.* Quodnam antiquius poteſt eſſe teſtimoniorum ad aſſerendam ſupradictam inſcriptionem, quam ipſius Juſtiniani?

IV. Sed & in omnibus aliis rebus ipſemet profitetur ſe magnum Deum ſervatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, & ipſius auxilium διὰ παντὸς invocaſſe τὸν μέγαν Θεὸν καὶ σωτῆρα ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ τῆς αὐτοῦ βοηθείας. *Nov* 85. Quibus verbis confirmat, quod antea dixerat in *l.* 2. *C. de officio praef. praet. Afric. Se in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ad omnia conſilia, omneſque actus ſemper progreſſum fuiſſe.* Inter caetera fatetur Procopius 1. *de bello Vandal. &* 6. *de aedificiis*, ſola eum Dei potentia fretum Vandalicum bellum ſuſcepiſſe, & ferme intra trimeſtre ſpatium citra omnem ſpem humanam confeciſſe, atque Africam totam imperio adjunxiſſe. Qua de cauſa debitas Deo gratias agit in *l.* 1. *C. de offic. praef. praetor. Afr.* his verbis: *Quas gratias, aut quas laudes Domino Deo noſtro Jeſu Chriſto exhibere debeamus, nec mens noſtra poteſt concipere, nec lingua proferre.*

V. Idem auxilium divinum expertum eſſe in celeberrimis victoriis Conſtantinum Magnum refert Euſebius 1. *de vita Conſtantini.* Gratianum Oroſius *lib.* 7. *cap.* 33. Theodoſium D. Auguſtinus 5. *de civitate Dei cap.* 26. & alii, de quibus *cap.* 24. *infra.* De Clodoveo, primo Francorum Rege Chriſtiano, idem teſtati ſunt plures auctores, ut probatum eſt *cap.* 20. *infra.* Ut caeteros omittam Principes, quam manifeſta ope divina nuper fultus ſit Rex noſter Ludovicus XIII. teſtis eſt omnis Gallia, qui praeter omnium ſpem, invocato prius divini Numinis auxilio, parva quidem, ſed forti manu coeleſti potiſſimum robore firmata, non tantum inſulae Rheae propugnaculum ab Anglorum & Calviniſtrarum obſidione liberavit, ſed etiam obſidentes de-

Digitized by Google

ria alius mihi plenior erit dicendi locus, eodem favente Numine.

CAPUT III.

I. *Leges ſuas orditur Juſtinianus ab invocatione divini Numinis, exemplo veterum Legislatorum, Philoſophorum, Oratorum, Poëtarum.* II. *Juſtinus* ἀναλφάβητος. II. IV. *Juſtinianus eruditiſſimus.* II. III. *Suidae locus emendatur, cum quibusdam inſcriptionibus Legum.* V. VI. VII. VIII. *Chriſtus verus Juſtitiae Deus Juſtiniani leges ab interitu vindicavit; caeterae cum falſis diis earum auctoribus abolitae.*

I. SI cuilibet notum eſſet, Juſtinianum optimarum artium cognitione imbutum eſſe, nullus ſupereſſet labor in aſſerenda inſcriptione noſtra: nam mirum non eſſet, cum in primis legum Cunabulis, & operoſa Digeſtorum mole, omnium fere legiſlatorum exempla imitatum fuiſſe, qui ſibi falſa Numina, Moyſe ſolo excepto, legum ſuarum auctores finxerunt, nec non etiam Philoſophorum, Oratorum, & Poëtarum, qui ab invocatione alicujus Numinis, diſputationum, orationum, poëmatum primordia ſumere ſolent; ut ab aliis probatum eſt.

II. Sed quoniam ante *Anecdotῶn* editionem plerique literati & Juriſconſulti auctoritate corrupti apud Suidam loci adducti ſunt, ut crederent, Juſtinianum fuiſſe ἀναλφάβητον, adhuc quoſdam haec ſubire poteſt cogitatio, an rudis ac imperitus literarum antiquitatis ſolemnes ritus reſpexerit; idcirco dubitationis omnis tollendae cauſa otioſum non erit veriſſimum contendere, quod doctiſſimus *Anecdotῶn* interpres multis probavit Juſtinianum acutiſſimi fuiſſe ingenii, & omnibus diſciplinarum generibus inſtructiſſimi; ut etiam paſſim colligere eſt ex illo Procopii libello: nam ſicuti ex herbis & ſuccis venenatis ſalubria componuntur pharmaca; ita ex foetida illa conviciorum & calumniarum in Juſtinianum ſentina multa in ejus laudem erui poſſunt, de quibus antea dubitabatur. Inter alia cum eadem hujus auctoris verba, quibus Juſtinus pater adoptivus Juſtiniani dicitur ἀναλφάβητος, reperiantur apud Suidam in tertia voce [illegible], nemo non videt in ea mendum eſſe, & legendum [illegible]: quod miror correctorum noſtrarum oculos effugiſſe, cum in fine hujus articuli Suidas mentionem faciat Juſtini, & textus proprior ſit de Juſtino Philoſopho; duo vero priores de Juſtiniano primo & ſecundo, Imperatoribus.

III. Facilis eſt harum vocum commutatio, ut conſtat ex quibuſdam inſcriptionibus & ſubſcriptionibus legum noſtrarum. Nam agnoſco ejuſdem interpretis veram emendationem inſcriptionum, *l.* 6. 7. 8. *C. de advocat. diverſ. judic. l.* 7. *C. de natur. lib. l.* 23. *C. de nuptiis*, ut pro *Juſtinianus* legatur *Juſtinus*. Addo ſubſcriptionem *d. l.* 23. ſic eſſe reſtituendam: *Juſtiniano & Valerio Coſſ.* ut ſimilis ſit inſcriptio & ſubſcriptio ei, quae reperitur in *l.* 8. *C. qui teſtam. fac. poſ.* & in ſubſcriptione *d. l.* 6. pro *Conſtantino*, legendum, *Juſtino*. Item in ſubſcriptione *l. Repetita* 41. *C de Epiſc. & Cler.* pro *Juſtiniano*, ſubſtituendum, *Juſtino*. Apud Gratianum quoque recte a doctiſſimis emendatoribus pro voce, *Juſtinianus*, repoſitum, *Jovinianus*, in inſcriptione, *Can. Si quis* 6. *De*

tur.

V. Licet autem tantus vir fuerit Juſtinianus, ejus tamen pietati potius tribuenda eſt veneranda illa inſcriptio, qua de agitur, quam ſummae literaturae. In eo vero longe felicior eſt omnibus legiſlatoribus poſt Moyſem, quod Chriſtum verum juſtitiae Deum legum ſuarum patronum elegerit. De quo intelliguntur verba Hieremiae. D. Hieronymo *in cap.* 3. *ad Galat.* teſte. *Suſcitabo David germen juſtum; & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet judicium, & juſtitiam in terra.* Et paulo poſt: *Hoc eſt nomen, quo vocabunt eum, Dominus juſtus noſter, ſive, juſtitia noſtra.* Et Pſalmiſtes canens, *Orietur in diebus ejus juſtitia. Pſal.* 71. Et alio loco, *Dilexiſti juſtitiam, propterea unxit te Deus oleo laetitiae prae conſortibus tuis.* Sic Daniel *cap.* 9. Vocat Chriſtum *Juſtitiam ſempiternam*: & D. Paulus *ad Romanos c.* 10. *v.* 4. τέλος νόμου εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι, hoc eſt, *finem legis ad Juſtitiam omni credenti.*

VI. At caeteri Legiſlatores utpote Ethnici fictitios Deos legum ſuarum auctores habuerunt, Triſmegiſtus Mercurium *in Paemandro.* Minos Jovem, a quo ſimulabat ſe conſilium capere in quadam ſpelunca. Diodorus *lib.* 5. *cap.* 79. Dionyſius Halicarnaſ. *lib.* 2. *cap.* 62. Zaleucus Minervam. Clemens Alexandrinus ex Ariſtotele & aliis *lib.* 1. *Strom. p.* 352. Lycurgus Apollinem. Clemens *d. loco.* Plutarchus *in ejus vita.* Iſidorus *lib.* 5. *cap.* 1. *diſt.* 17. *Can.* 1. Numa Pompilius Aegeriam nympham. Livius *lib.* 1. *cap.* 29. Dionyſ. Halic. *d. lib. d. cap.* qui cum Plutarcho *in ejus vita* addit eum congreſſum habuiſſe cum una ex novem Muſis.

VII. Alios mitto, taedii vitandi cauſa, quorum omnium leges ex hominum memoria una cum falſis diis evanuerunt; & forte Romanae ſimul interiiſſent, niſi eas aeternas fieri, ac in omne aevum valituras, feliciſſimo ſacro ſanctae Trinitatis, & maximi Dei Domini noſtri Jeſu Chriſti auxilio enixis precibus invocato Juſtinianus impetraſſet *l.* 2. §. 1. & §. *pen. C. De veteri jure enucl.* & initio Conſtitutionis *ad Anteceſſores.* Hinc, everſo jam dudum imperio Romano, eae per ſe ſolae hactenus viguerunt.

VIII. Alia ratio etiam reddi poteſt ex Tertulliano *in Apologet. cap.* 45. quod maxime, inter alias, *ad innocentiam hae pergere videantur, de divina lege, ut antiquioris formae, mutuatae.*

CAPUT IV.

I. II. *Ad verba Imperator, Caeſar, Flavius, Auguſtus: quo ſenſu Octavianus dictus eſt Imperator.* III. *Cur Caeſar.* IV. *Quo tempore Auguſtus, & quo lex Regia primum renovata, quid Auguſtum privilegium, & anni Auguſtani.* V. *Nec Auguſtus, nec Tiberius ſe dominos appellari paſſi ſunt.* VI. *Caeteri Principes Romani Imperatores dicti, Caeſares, Auguſti.* VII. *Cur Juſtinianus, Juſtinus & alii Imperatores Flavii nomen aſſumpſerunt.*

I. EXpoſitis cauſis, propter quas prima inſcriptionis propoſitae pars retinenda eſt ante orationem ad Anteceſſores, tranſeo ad ſecundam, quam potiſſimum a calumniis, temere in Juſtinianum effuſis, tueri conſtitui. Sed, ne quidquam praetermitte-

Juſtini tempora invehitur. Pauca primum de prioribus verbis attingam, ut vulgo notiora; quibus addam aliquid de vocabulo *Auguſtus*, quia vix priora absque eo commode poſſunt exponi. Spectant enim hae voces ad vulgares Imperatorum titulos.

II. Octavianus quintum Conſul Imperator dictus eſt, non eo ſenſu, quo ad tempus ſic vicies appellatus eſt ob victoriam, ſaepius ab hoſtibus reportatam, & nominatim a Germanis devictis per Vinicium & Tiberium. (Dio *lib.* 53. *&* 55.) ſed quo ſummam Reipublicae in perpetuum penes eum eſſe demonſtraretur, ſicut jam antea decretum fuerat Julio Caeſari patri adoptivo, filiisque ejus ac nepotibus, ut narrat Dio *lib.* 52. *ſub fin.* At ipſe ſolo Principis nomine uſus eſt. Tacit. *lib.* 1. *cap.* 9. *Annal.*

III. Caeſaris cognomen aſſumpſit ex teſtamento C. Julii Caeſaris avunculi majoris. Sueton. *in Auguſto cap.* 7.

IV. Auguſti nomen a Senatu accepit ſeptimum Conſul: cum prius in Senatu tractatum eſſet, an Romolus vocaretur, quia condidiſſet imperium. Florus *lib.* 4. *cap.* 12. *in fine.* quo tempore lex Regia primum de ejus imperio renovata eſt. Dio *lib.* 53. Suetonius *d. loco.* Inde *Auguſtum privilegium* dictum eſt lex illa *in l. unic.* §. *pen. C. de Caduc. toll.* per quam populus in Auguſtum, paucis ante diebus ita cognominatum, omne imperium & poteſtatem tranſtulerat: *hoc modo*, inquit Dio, *omne populi, Senatusque imperium ad Auguſtum pervenit, ab eoque*, ut recte ſuppleta eſt lacuna Dionis, *perfecta Monarchia Romanorum initium accepit.* Quibus verbis legem Regiam intelligit; ut conſtat ex fragmentis illius legis, & *l.* 1. *D. de Conſtit. princ.* Ab eo tempore anni Auguſtani, ſive Auguſtorum incipiunt, ut teſtis eſt Cenſorinus *De die natali cap.* 21. *&* 22.

V. Domini appellationem, ut maledictum & opprobrium ſemper exhorruit; Dominumque ſe ne a liberis quidem aut nepotibus ſuis vel ſerio vel joco paſſus eſt appellari. Suetonius *in Auguſto cap.* 53. Oroſius *lib.* 6. *cap.* 22. Ejus quoque ſucceſſor Tiberius neque Dominum ſe, neque Imperatorem, niſi a militibus, vocari voluit. Dio *lib.* 57. Suetonius *in Tiberio c.* 26.

VI. Caeteri deinceps Romani Principes Imperatoris, Caeſaris, Auguſti, nomina ſibi vindicarunt, inter quos Caeſaris nomine maxime gloriatur Juſtinianus. *Nov.* 30. *in princ.*

VII. Flavii quoque praenomen ſumpſit ex adoptiva familia Juſtini avunculi. Hic vero, exemplo quatuor Imperatorum praecedentium, Flaviorum familiam ſibi adſcivit; ſicut Severus Antoninorum. Spartianus *in vita Severi.* Poteſt etiam dici ad colendam glorioſam Conſtantini Magni memoriam, qui primus Chriſti fidem in ſublime Imperii ſolium invexerat, & ex antiqua Flaviorum gente, jam inde a Veſpaſiani temporibus celeberrima, originem traxerat. pleroſque poſteriores Imperatores Flavii nomen ſibi arrogaſſe, ut vult Alciatus *lib.* 5. *parerg. cap.* 3. Sed ejuſdem emendatione hoc loco non eſt opus. Rectius enim in Pandectis Florentinis vox *Flavius* procedit hanc *Juſtinianus*, quam ſequitur in vulgari editione. Non omittam, quod ait Aurelius Victor ſenior, Flavii Conſtantini meritis urbis fanum & baſilicum patres dicaſſe, &

Romanas cognitum Juſtiniani nomen VII. *Impoſitum Juſtiniano proprium nomen ſecundum morem ſuorum temporum.*

I. Haeret hoc loco Gloſſa in voce *Juſtinianus*, an ſic appelletur Juſtinianus a Patre adoptivo Juſtino, an a Juſtitia, quam coluit, & colendam ſubditis injunxit. Quaerit etiam, cur filius Conſtantini dicatur. *Diſtinct.* 16. *can. habeo librum* 6. an quod Conſtantini regno ſucceſſerit, an vero id accipiendum ſit de alio Juſtiniano. Infelix Accurſii ſeculum, non ipſe Accurſius gloſſographus eſt accuſandus in tanta hiſtoriae Romanae imperitia: infelicior nunc Juris interpres dici poſſet, niſi perſpicuam hiſtoriae facem praeferret Juſtinianei Juris cognitioni.

II. In hanc rem proximi ſeculi maximi Juriſconſulti feliciter incubuerunt; ſed cum in dies e latebris vetuſtatis prodeant in lucem libri, nondum antehac editi, ideo poſterior aetas poteſt ſemper quid novi emittere, & obſervare quod priori fuit incognitum. Perſequar igitur hoc capite, & ſex ſequentibus, quae pollicitus ſum proximo, de Juſtiniano & Juſtino, ut Accurſii dubitatio diſſolvatur, & Procopii conviciis occurratur.

III. Quod ad Juſtiniani nomen attinet; verum eſt Juſtinianum cognomen a Juſtitia deductum meruiſſe, quod religioſiſſimus fuerit Juſtitiae cultor; Juſtitiae ac juris humani divinique tam repertor novi, quam inveterati cuſtos: hoc elogium Hadriano tribuit junior Aurelius. Id conſtat ex tot Juris libris & Conſtitutionibus, ab eo editis; ex eo quod ſaepiſſime jus dixerit loco potiorum magiſtratuum more veterum Imperatorum, Auguſti, Tiberii, Claudii, Neronis, Domitiani, caeterorumque, ut notum eſt ex Suetonio, Dione, aliiſque auctoribus hiſtoriae Auguſtae. Quibus patet, quam iniquus ſit obtrectator Procopius *in Anecdotis*, qui id Juſtiniano vitio vertit. Idem quoque comprobat illuſtre juſtitiae exemplum, quod eſt apud Agathiam *lib.* 4. de Gubazis, Lazorum Regis nece, ſolemniter per Athanaſium vindicata, ſumpto capitis ſupplicio de reis Joanne & Ruſtico damnatis in finibus Imperii, adſtante & ſpectante univerſo exercitu. In ea ſententia videtur eſſe Pontianus Epiſcopus in quadam Epiſtola ad Juſtinianum, quae extat *in fine primi tomi Conciliorum*, his verbis: *Principaliter nomen ab ipſis cunabilis juſtitiae ſuſcepiſti, & juſtus Dominus, qui ita praeſcivit, ut nomen ante juſtitiae tribueret, cui imperii poſtmodum gubernacula contuliſſet*; quod non omiſit Contius *in vita Juſtiniani.* Idem antea dictum fuerat de Juſtino Imperatore, & Juſtiniano nondum imperante, ſed rerum ſummam adminiſtrante ſub Juſtino An. Chr. 519. *in relatione de ſcelere Theſſalonicenſium*, quae extat apud Baronium *ad Ann. Chr.* 519.

IV. Sed quis non videt, a juſtitia eum potius denominandum fuiſſe *Juſtum*, quam *Juſtinianum*; εὖ ὢν λέγε), inquit Ariſtoteles 2. *Ethic. cap.* 4., ὅτι ἐκ τοῦ τὰ δίκαια πράττειν ὁ δίκαιος γίνετ): id eſt, *igitur recte dicitur ex eo, quod quis agat ea, quae juſta ſunt, juſtum eum fieri & appellari.* Sic juſtus vocatus eſt Jacobus, frater Domini, primus Epiſcopus Hieroſolymitanus, ob excellentiam juſtitiae, qua praeditus fuit; ut teſtatur Euſebius *lib.* 2. *cap.* 1. *&* 23. ex

mus Epiſcopus Aurelianenſis Gabriel Albaſpinus *lib.* 1. *Obſervationum*, *cap.* 25. docuit ſanctos & juſtos non tantum dici inter Chriſtianos, quos Eccleſia poſt mortem vindicaſſet, & in Beatorum numerum retuliſſet, ſed etiam eos, qui inter mortales viſcerentur, ſi eximiae eſſent pietatis.

V. Inter veteres belli Duces ſolus Ariſtides reperitur ita cognominatus; *nullus enim Rex unquam juſti cognomen appetiit*, inquit Plutarchus *in ejus vita*, *ſed potius ſtudium regibus fuit, ut urbium expugnatores & fulmina dicerentur; quia viribus & potentia praeſtare, quam virtute maluerant: quamvis ea nihil pulchrius, nihil honeſtius, nihil divinius.* Legimus tamen apud Juniorem Hegeſippum, *lib.* 5. *cap.* 9. *De excidio urbis Hieroſolymitanae*, Primum conditorem Sanctae civitatis Hieroſolymae fuiſſe Chananaeorum quendam potentem, qui vocaretur *Rex Juſtus.* At tandem inter Principes & Reges noſtris temporibus merito Juſti cognomen a populo delatum eſt Ludovico XIII. Francorum Regi Chriſtianiſſimo, qui licet ob innumeras urbes a ſe oppugnatas, & populos rebelles, quos inſtar fulminis contrivit, *Victoris*, *Triumphatoris*, *urbium expugnatoris*, *fulminatoris* nomina ſibi comparaverit, praeter morem caeterorum Principum, gaudet magis Juſti cognomine; quia juſtitiam, quae in ſeſe omnes virtutes complectitur, maxime prae caeteris exoſculatur, & ab ejus orbita, numquam deflectit. Et ſane fatendum eſt, Juſti nomen potiori jure ei deberi, quam Juſtiniano, aut cuilibet alii Principi.

VI. Vox vero Juſtiniani Romanae familiae nomen eſt. Nam Zozimus *lib.* 5. & 6. ait, ejus nominis fuiſſe quendam Romanum patronum, Stiliconis aſſeſſorem: deinde ducem ordinatum a Conſtantino tyranno militibus Celticis, & interfectum a Saro Duce Stiliconis temporibus Honorii. Fuit etiam anno trigeſimo quinto poſt obitum D. Martini quidam Juſtinianus, Turonenſis Epiſcopus, teſte Gregorio Turonenſi *lib.* 1. *Hiſt.*

VII. Unde probabile eſt, patrem Juſtiniani noſtri ex familia Juſtinianorum ortum fuiſſe, & hoc ei nomen impoſuiſſe tempore nativitatis ſive Baptiſmi. Nam ea tempeſtate moris fuit cognatorum nomina recenter natis imponere: ſic apud Procopium *lib.* 2. & 3. *de bello Gotthico*, Germanus conſobrinus Juſtiniani primum filium Boraïdem appellavit; ſecundum, Juſtum; tertium, Germanum: ex quo primus filius procreatus Juſtinus dictus eſt, ſecundus Juſtinianus, ad recolendam memoriam cognatorum Imperatorum Juſtini & Juſtiniani. Quis autem fuerit Juſtiniani noſtri pater, dicam capite ſequenti.

CAPUT VI.

I. II. *Juſtiniani pater non Conſtantinus, ſed Sabbatius quidam.* III. *Sabbatii nomen vetuſtiſſimum & celeberrimum in Italia.* IV. *Bigleniza Juſtiniani mater.* V. *Juſtinus pater ejus adoptivus.* VI. *Juſtini patria, adoleſcentia, militia, dignitates; Suidas emendatus.* VII. *Primicerius & decem primi domeſticorum & protectorum ſenatoriae dignitatis erant.* VII. *Juſtinus in familiam Aniciorum tranſit. Germanus fratruelis Juſtiniani.* VIII. *Quis ſit fratruelis.* IX. *Quis ἀνεψιός.*

I. Nullus hodie Juriſconſultus, leviter in Hiſtoria verſatus, cum Accurſio dubitat, quin ...

ſtantinopolitana 6. Nonas Maji, poſt Conſulatum Beliſarii; ut ex actis ejus apparet.

II. Quis autem fuerit hujus pater naturalis ante *Anecdotῶn* editionem, ab omnibus ignorabatur. Sed auctor illius libelli inducit matrem ejus narrantem, non hunc ex Sabbatio marito, ſed ex aliquo daemone a ſe procreatum. Unde colligere eſt, exploſa daemonis leviſſima fabula (qua de re fuſius infra dicam) Juſtiniani patrem fuiſſe Sabbatium quendam.

III. Sabbatii nomen vetuſtiſſimum, & clariſſimum fuit in Italia. Nam Cato *in fragmentis originum*, oppidum Sabum in Sabatia Hetruriae parte collocat a Sabo conditum. Pomponius Mela *lib.* 2. *cap. de Italia* 4. ait Sabatium oppidum ſitum eſſe in Liguria. Vadum Sabatium vocat Plinius *lib.* 3. *cap.* 5. Vada Sabatia, Capitolinus *in Pertinace cap.* 13. Stagna Sabatia, Silius Italicus *lib.* 8. *v.* 492. Inde Strabo *lib.* 4. quoſdam populos Sabbatos dictos fuiſſe affirmat: & forte Juppiter Sabazius ab illis locis dicitur, apud Valerium Max. *lib.* 1. *cap.* 3. & in tribus inſcriptionibus apud Gruterum *pag.* 22. 4. 5. 6. quamvis idem Strabo *lib.* 10. vocem hanc ortam eſſe velit e Phrygiis ſacris Matris Deorum, & Bacchicis.

IV. Nomen matris Juſtiniani prodidit *Anecdotῶn* interpres. Biglenizam a Theophilo *in vita Juſtiniani* eam vocari ſcribit: haec fuit ſoror Juſtini Imperatoris ſenioris, Jornande *lib. de ſucceſſ. temp.* & Marcellino *in Chron.* Nicephoro, aliiſque auctoribus.

V. Juſtinum hunc patrem ſuum vocat Juſtinianus, *l. ult. C. de advocatis diverſ. judic.* §. *Eſt & aliud* 3. *Inſtit. de donation.* §. *caecus* 4. *Inſtit. Quibus non eſt permiſſum fac. teſt.* His & ſimilibus locis recte conjiciunt pene omnes interpretes, Juſtinianum a Juſtino adoptatum fuiſſe: quamvis apud Hiſtoricos hujus adoptionis nulla mentio fiat. De tempore, quo facta videtur, inferius conjecturam aliquam adnectam.

VI. Ut autem cura Juſtini avunculi, jam clariſſimi facti eo tempore, duo natus eſt Juſtinianus, cum diligenter educatum & inſtitutum cognoſcamus, prius quaedam de Juſtini patria, militia, & dignitatibus hoc & ſequenti capite diſſeram. Hic, ut vult Procopius *in Anecdotis*, in civitate Illyrici, quae Bederiana dicitur, natus, agriculturae laboribus aſſuetus, & penuria laborans, adhuc adoleſcens Byzantium eſt profectus, & a Leone Imperatore numeris militum eſt inſcriptus. Deinde ob egregiam corporis formam ad Palatii cuſtodiam ſelectus eſt: atque ita fuit e numero ſcholariorum domeſticorum & protectorum, *qui*, ut ait idem auctor alio loco, *ad cuſtodiam Palatii deſtinati erant, inter caeteros milites majore honore & ſtipendio fruentes, & numerum trium millium quingentorum implentes.* Quem Procopii locum expreſſit Guido Pancirolus *cap.* 89. *ad notitiam Orientalis Imperii*; poſt Suidam in Σχολάριοι: ubi mendum in his verbis ἐπὶ φυλακῇ τῦ Παλάντος, ſic eſt reſtituendum, τῦ παλατίυ.

VII. Domeſtici autem & protectores, cum primum ad Decemprimatus gradum, ordine militiae, temporis prolixitate pervenerant, praeter primicerium, decem primi ſequentes ſecundocerius, terciocerius, & alii deinceps, Senatoriam dignitatem ſibi vindicabant ex conſtitutione Honorii & Theodoſii *l.* 7. *C. Theod. De Domeſtic. & Protect.* Quibus militiae palatinae gradibus promotus Juſtinus,

&

Digitized by Google

lio, *in vita Piſonis tyranni*, notat, Ciceronem ſe, nobilitandi cauſa, Piſonum familiae ſociaſſe.

VIII. Quaeri poteſt, quid vox, *Fratruelis*, apud Jornandem ſignificet. Is eſt ſine dubio amitae vel materterae filius. Priore ſenſu Paulus Diaconus *lib.* 14. Valentinianum tertium *fratruelem* Theodoſii vocat, Placidiae ſcilicet filium, quae erat amita Theodoſii junioris, ſoror Arcadii, & Honorii. Poſteriore Iſidorus *lib.* 9. *cap.* 6. ait *fratrueles* eſſe materterae filios: & Vetus Gloſſarium fratris filium appellat fraternum; materterae filium *fratruelem*. Hoc ſenſu puto apud Jornandem *fratruelis* nomen accipi, quaſi Germanus natus eſſet ex altera ſorore Juſtini.

IX. In eadem plane ſignificatione Germanus ἀνεψιὸς Juſtiniani dicitur a Procopio *lib.* 2. *De bello Perſico. lib.* 2. *De bello Vandal. lib.* 3. *de bello Gotth. & in Anecdotis*. Nam haec vox, proprie & per ſe ſumpta, ſine relatione, conſobrinum ſignificat, id eſt, materterae filium, fratrem patruelem, amitinum; nec alias ſignificat fratris vel ſororis filium, quam ſi nominatim referatur ad θεῖον, hoc eſt, patruum, vel avunculum in eadem oratione. Probatio hujus rei non aliunde petenda eſt, quam ex Libris juris, in quibus maxime proprietas vocabulorum ſervatur. Theophilus *ad* §. 1. *Inſtit. de nuptiis*, & ad principium tituli *De legat. agnat. ſucc.* Synopſis Baſilicῶν *lib.* 28. *tit. De gradibus cognationis*. Harmenopulus *lib.* 4. *tit.* 6. §. 5. ea voce utuntur, ut exprimant quartum gradum in linea collaterali. Philoxeni & Cyrilli Gloſſae, plenae vocabulorum Juris, patruelem reddunt graece ἀνεψιόν, & contra ἀνεψιόν, ἀνεψιοὺς, ἀνεψιὰν, ἀνεψιότητα, latine vertunt conſobrinum, patrueles, amitinos, conſobrinam, conſobrinitatem: quod etiam intellexit Pollux *lib* 3. *Onomaſt. cap.* 4. Cum vero vox ἀνεψιὸς refertur ad θεῖον, ut & apud Harmenop. *dicto loco* §. 12. fratris vel ſororis filium ſignificat; ſicut vox ἐξανεψιὸς ad θεῖον μέγαν, hoc eſt, ad patruum vel avunculum magnum relata, fratris vel ſororis nepotem. Aliquando leges circumlocutione utuntur, ut ſignificent fratris vel ſororis filium. Quare cum Procopius dictis locis ἀνεψιὸν Juſtiniani ſimpliciter appellet Germanum, quem Jornandes *fratruelem* dicit, *conſobrinum* Juſtiniani mallem eum affirmare, quam, cum *Anecdotῶν* interprete, *fratris filium*. Vera eſt autem emendatio Jornandis *ſub finem lib. de reb. Get.* ut ibi, ſicut in duobus locis prioribus, *fratrueli ſuo*, non *fratri ſuo*, legatur.

CAPUT VII.

I. II. *Juſtinus Senatoriam dignitatem tanquam unus e decem primis protectorum adeptus videtur ſub Zenone. Qui* δορυφόροι *& protectores.* III. *Initio Anaſtaſiani imperii cohortum praefectus, divinitus carcere liberatur.* IV. *Inter praecipuos poſtea Anaſtaſii Duces numeratur. Petrum captivum literis erudiendum tradit.* V. *Comes domeſticorum factus Anaſtaſio ſuccedit, a Senatu Imperator ordinatus orthodoxorum voto.* VI. *Juſtinianus ſub Zenone natus Fauſto Conſule.* VII. *Quo loco natus & educa-*

anno undecimo ſit primicerius, qui poſt adeptum tribunatum ſpectabilis eſt dignitatis inter duces, *l.* 2. *& l. ult. C. de domeſt. & protect* At militiae tempus videtur impleviſſe Juſtinus *Dynamio & Siſidio Coſſ.* aut anno ſequenti, Chriſti 488. vel 489. aetatis ſuae 38. vel 39. Quare ſtatim ad gradus decemprimorum pervenire potuit in reliquis tribus annis ante obitum Zenonis; & circiter annum aetatis 49. primicerius & tribunus fieri ſub Anaſtaſio poſt tempus belli Iſaurici, quod Marcellino teſte *in Chron.* primis ſex annis Anaſtaſii confectum eſt. Itaque hujus belli tempore arbitror, cum e numero fuiſſe decemprimorum inter Protectores Anaſtaſii, qui a Graecis δορυφόροι principis appellantur.

II. Sunt autem illi, *qui*, ut ait *l.* 9. *C. Theod. eod. armatam militiam ſubeuntes non ſolum defendendi corporis, ſed etiam protegendi lateris principis ſollicitudinem patiuntur.*

III. In ea vero expeditione in Iſauros ſub Joanne Gibbo exercitus Duce, quibuſdam cohortibus praefectus, in ſuſpicionem venit alicujus criminis, & in carcerem conjectus eſt; ſed divinitus eſt liberatus, cum ter per quietem admonitus eſſet Dux ille, ut quem cuſtodiae tradiderat, dimitteret, quod hujus hominis, & propinquorum ejus miniſterio Deus aliquando uti deſtinaſſet. Quod temere dedit anſam Procopio Juſtinum & Juſtinianum calumniandi *in Anecdotis*; ſed non intellexit, Deum orthodoxorum Principum armis & legibus ſeram vindictam ab Arrianis, Vandalis, & Gotthis, aliiſque haereticis ſumpturum; Africam & Italiam ab eorum tyrannide liberaturum, ut inferius oſtendam.

IV. Addit Iſaurico bello peracto, Juſtinum magnam potentiam conſecutum. Ideo *lib.* 1. *de bello Perſ.* numerat eum inter praecipuos belli duces, quo tempore a Cabade Perſarum Rege Amida capta eſt, quod contigiſſe ait Marcellinus *in Chron.* Probo, ſive Pompejo, & Avieno Coſſ. anno Chriſti 502. Tum attigerat Juſtinus annum aetatis 52. ut colligi poteſt ab ea aetate, in qua Chronicum Alexandrinum vult Juſtinum deceſſiſſe; nimirum anno aetatis 77. qui fuit Chriſti 527. Natus eſt ergo *Martiano A. & Adelphio Coſſ.* anno Chriſti 451. Leone vero imperante, ut ex Procopio dictum eſt *proximo capite*, Byzantium potuit proficiſci, *Anthemio A.* 11. *Coſ.* anno Chriſti 468. vel ſequenti, aetatis ſuae 18. vel 19. ſtipendia & caetera munia implere, iis, quos praenotavi, annis. Ibidem ſcribit Procopius, Juſtinum cum aliis Ducibus incurſionem in Perſidem feciſſe; Petrum puerum captivum abduxiſſe, literiſque erudiendum tradidiſſe; procedente tempore ſcriba eodem uſum eſſe, & ad Ducis dignitatem eum evexiſſe, poſtquam Imperator factus eſt.

V. Ante obitum Anaſtaſii Comes fuit Domeſticorum Juſtinus, auctore Procopio *in Anecdot.* ſic enim vocabatur iis temporibus is, quem hic auctor vocat ἄρχοντα τῶν ἐν παλατίῳ φυλάκων: eratque Vir illuſtris *l. unic. C. Theod. Qui a praebitione tyronum*, *l.* 64. *l.* 65. *C. de decurionibus*. Anaſtaſio defuncto non vi potentatus, ut vult Procopius, vel corruptis militum animis, ut alii; ſed a Senatu Imperator eſt ordinatus, teſte Marcellino, ab ampliſſimis proceribus ſacri palatii & ſanctiſſimi Senatus, nec

non

Digitized by Google

Annalibus Eccleſ. Quae dixi de Comite Domeſticorum, Marcellini auctoritas comprobat, qui praefectum militibus principis cuſtodibus vocat *Comitem Domeſticorum* ſub Anaſtaſio. Eandem dignitatem geſſit Beliſarius ſub Juſtiniano, quem Procop. *lib.* 4. *de bello Gotthico* appellat βασιλικῶν σωματοφυλάκων ἄρχοντα; alia tum erat dignitas praefectorum praetorio. Hactenus de Juſtino.

VI. Subjiciam quaedam de Juſtiniani Nativitate, & loco, in quo educatus eſt; reliqua de ejus vita, quandiu privatus fuit, perſequar ſequentibus Capitibus. Quo anno ſub Zenone natus ſit dubitatur. Probabile eſt, quod notavit Giphanius in *Commentario de vita Juſtiniani*, cum natum eſſe *Fauſto Conſule*. Nam ſi cum Zonara & Cedreno fatearis, cum annum aetatis quadrageſimum quintum egiſſe, quando ad Imperium pervenit Calendis Aprilis, Mavortio Coſ. ex Marcellino *in Chron.* anno Chriſti 527. invenies primum quadrageſimi quinti currere Fauſto Coſ. anno Chriſti 488. Rurſus ſi addas recte, cum *Anecdotῶn* interprete & Victore Tunnenſi, Juſtinianum exegiſſe annum Imperii trigeſimum nonum, menſes ſeptem, ac dies tredecim, & anno Chriſti 566. deceſſiſſe, reperies eum anno aetatis octuageſimo quarto mortem oppetiiſſe; cujus numeri primus annus incipit, *Fauſto Conſule*.

VII. Quod attinet ad locum nativitatis ac educationis, utrumque optime diſtinxit Interpres *Anecdotῶn*, adjutus Codice Vaticano Procopii, qui emendatior eſt Auguſtano *lib.* 4. *de aedific.* ut locus nativitatis ſit, *Taureſium*, educationis vero *Bederiana*. Nam omnino haec duo loca fuiſſe a Procopio diſtincta conſtat; quod priorem locum χωρίον appellet, hoc eſt, *oppidum*; poſteriorem φρούριον, id eſt, *Caſtellum*, in quo ſtationarii milites commorabantur. Muros illius quadrangulares effecit, &, ab impoſitis turribus quatuor in ſingulis angulis, *quadriturrita* coepit urbs illa vocari; in hoc ſplendidiſſimam civitatem condidit, quam de ſuo nomine *Juſtinianam primam* appellavit. Sic Sebaſtopolim in Lazorum regione (quae *Nov.* 28. ἐν φρουρίοις potius connumeratur, quam ἐν πόλεσι. & a Procopio *lib.* 2. *de bello Perſico*, & *lib.* 4. *de bello Goth.*) reſtauravit Juſtinianus, & reddidit πόλιν ἀξιολογωτάτην, eodem teſte *lib.* 3. *de aedif.* τὰ φρούρια, inquit idem *lib.* 2. *de aedific.* καθάπερ τῇ Λατίνων καλοῦσι φωνῇ.

VIII. Porro notum eſt ex Agathia *lib.* 5. *Bederinam*, ſive, ut vult Procopius, *Bederianam* eſſe Illyrici oppidum, ſitum in Pannonia ſecunda, *Nov.* 11. ſive in Dardania Europaea, poſt Epidamni ſive Dyrrachii terminos; in ea regione, quae poſtea *Bulgaria* dicta eſt: ſed tandem nomen mutavit. Nam *Juſtiniana prima* a Juſtiniano; a poſteris vero *Acride* dicta eſt. Nicephorus *lib.* 17. *cap.* 18.

CAPUT VIII.

I. ***Summa cura Juſtini Juſtinianus inſtitutus.* II. *Juvenis egregia edidit facinora. Perduellionis reus cum avunculo divinitus liberatus.* III. *Comes Domeſticorum, Dux vicemagiſtri militum. Hermogenes magiſter officiorum & militum.* IV. *Quo tempore Juſtinianus Magiſter militum & patricius factus. Patricii poſſunt fieri tempore magiſtratus.* V. *Marcellinus Comes Cancellarius Juſtiniani patricii, adbuc vices gerentis Magiſtri militum. Qui Cancellarii.***

ſuis ſororem juvare, & iterum experimentis edoceri, quantum ei obfuerit literarum imperitia, cum ſcilicet jam proximus eſſet emeritorum ſtipendiorum: & anno infantiae Juſtiniani ſexto vel ſeptimo clariſſimatus honore decoratus videatur; paulo poſt vero militiae praefecturis inſignioribus. Deinde qui puerum captivum literis informandum curavit, poſtea ſcribam habuit, denique ducem ordinavit; quam multo magis curam non adhiberet, ut omnibus diſciplinis inſtructus eſſet ſororis filius? Mitto praeterea, quae de Theophilo Juſtiniani praeceptore, & ſingulari eruditione Juſtiniani diſci poſſunt ab erudito *Anecdotῶn* interprete, quodque filii loco ſemper habitus ſit a Juſtino: nam ſatis ex his colligi poteſt ſtudium Juſtini, & diligens inſtitutio Juſtiniani.

II. Sic inſtitutus Juſtinianus multa edidit in juventute egregia corporis robore facinora. *Agath. lib.* 5. ſub Juſtino forte avunculo fortiſſimo viro, & ſtrenuiſſimo Duce; interjectis aliquot annis ante Anaſtaſii exceſſum Byzantium venit, & laeſae Majeſtatis, ſeu tyrannidis affectatae reus cum avunculo factus, per Sergium & Bacchum Martyres divinitus eſt ſervatus. Nam ab iis monitus Anaſtaſius eos eſſe vaſa electa, per quos Dei voluntas & providentia eſſet adimplenda, confeſtim abſolutos dimiſit, Zonara & Cedreno teſtibus, & Theophilo *in vita Juſtiniani* apud *Anecdotῶn* interpretem. Quae ſi conjungantur cum eo, quod dictum eſt *proximo capite* de Juſtino reo, ſimiliter liberato, manifeſto probant, contra falſas Procopii criminationes, utrumque principem a Deo ad Imperium eſſe vocatum & dilectum.

III. Juſtino imperante in Comitis Domeſticorum dignitatem ei ſucceſſit Juſtinianus, ut patet ex Epiſtolis a Juſtiniano ad Hormiſdam, Pontificem Romanum, & ab Hormiſda ad Juſtinianum ſcriptis, quae extant apud Baronium: in his etiam recte *V. I.* hoc eſt, *Vir illuſtris* dicitur: quia, ut jam dixi, talis erat Comes Domeſticorum. Poſtea Dux, vice Magiſtri militum, in Orientem miſſus eſt. Nam Procopius *lib.* 1. *de bello Perſ.* ait, Sittam & Beliſarium, dum adhuc prima lanugo malas eorum veſtiret fuiſſe Βελισαρίου στρατηγοῦ δορυφόρω: quibus verbis ſignificare videtur στρατηγὸν αὐτοκράτορα, hoc eſt, *Magiſtrum militum aut Ducem, qui exercitui praeſit vice Magiſtri militum, ſive Principis.* Nam illi ſoli δορυφόρους, hoc eſt, *armigeros*, ſeu ut jam dixi, *protectores* habent; quia vices Principis in exercitu gerunt. Ideoque Procopius paſſim libris *de bello Vandalico & Gotthico* eos tribuit Beliſario, quem tempore belli Vandalici τῶν ἰδίων αὖθις καταλόγων ἄρχειν ait. *lib.* 1. *de bello Vand.* Et Juſtinianus vocat Magiſtrum militum per Orientem *l.* 2. *C. de offic. praeſ. praet. Afr.* Idem auctor Sittae, duci Orientis *lib.* 1. *de bello Perſ.* δορυφόρους aſſignat, qui fuit Magiſter militum *l. ult. C. de offic. mag. mil.* Sed & eodem jure utitur, qui vice Magiſtri militum fungitur, & στρατηγὸς ſimpliciter appellatur; ſicut Beliſarius *lib.* 1. *de bello Perſ.* cum ei adjunctus eſt Hermogenes, magiſter militum per Orientem anno Chriſti 529. Nam anno praecedente Hermogenes fuit Magiſter officiorum, *l. Raptores* 53. *C. de Epiſc. & Cler. l. pen. de repud. l. unic. C. de S. C. Claudian.* Magiſterii vero dignitatem depoſuit in fine anni Chriſti 530. qui fuit quartus Juſtiniani; tumque haec dignitas Beliſario conceſſa eſt.

IV. Ante Vitaliani caedem Magiſtri militum dignitatem nondum erat adeptus Juſtinianus, ſed vice ejus in Orientem exercitum duxerat; Zonaras enim

Digitized by Google

tropius primum Conſul, deinde *Patricius* factus eſt; ſed utraque poſtea dignitate ſpoliatus eſt, *l.* 17. *C. Theod. De poenis.* Nam ex conſtitutione Zenonis, *l.* 3. *C. de Conſulib. & non ſparg. ab his pecun.* adhuc illas adminiſtrationes actu gerentes *Patriciam dignitatem* conſequi potuerunt. Ita Jornandes *lib. de reb. Getic.* ait, Juſtinianum triumphum a Vandalis reportaſſe per Beliſarium *Patricium*, qui, ut dixi, eodem tempore fuit Magiſter militum.

V. Sed & eo tempore, quo Juſtinianus in Orientem duxit exercitum vice Magiſtri militum, jam *Patricium* eum fuiſſe veriſimile eſt, cum nondum in gratiam Juſtini Vitalianus rediiſſet; quia ipſo actu *Magiſtri* munus obibat, nec tantum *Armigeros* habuiſſe, ſed etiam *Cancellarium* Marcellinum Comitem, cum Magiſteriae dignitatis jurisdictionem exerceret, & multo magis poſtquam Magiſterio potitus eſt. Sic accipio quod ait Caſſiodorus *lib. de divinis lectionib. Marcellinum Comitem Juſtiniani adhuc Patricii Cancellos egiſſe.* Sunt autem Cancellarii, eodem Caſſiodoro deſcribente, *lib.* 11. *Variar. cap.* 6. *& lib.* 12. *cap.* 1. *Qui ſecreta judicum cuſtodiant, juſſu & edicta expediunt.*

CAPUT IX.

I. II. *Nulli Patricii militibus praeſunt, & jurisdictionem habent, niſi ſint magiſtratus, aut vice magiſtratuum fungantur.* III. *A quo tempore Juſtinianus Patricius factus.* IV. *Quid Illuſtris Patricia ſedes.* V. *Sedis & Sedium diverſa ſignificatio. Quid per Sedeta Theophilus ſignificet.*

I. Quae dixi proximo capite, indagitione paulo latiori videntur indigere, an aliqua ſola Patriciatus dignitas jus tribuerit Juſtiniano militibus praeeundi, & jurisdictionem militarem exercendi, conſequenter *Cancellarios*, caeteroſque Magiſtratuum officiales habendi, quaſi tertius ſit quidam *Patriciorum* ordo, a quo etiam *Illuſtris Patria Sedes* dicatur in quadam inſcriptione, quae refertur a Doctiſſimo Sirmondo *ad Sidonii Epiſt.* 9. *lib.* 1. ut vult Jacobus Gutherius *lib.* 2. *de officiis domus Auguſtae cap.* 19. Veniam dabit vir eruditiſſimus, ſi de re obſcura, ut ipſemet fatetur, qualemcumque conjecturam ab ejus ſententia paulo diſſidentem hic inſeram.

II. Crederem neque Juſtiniano, neque ulli alii *Patricio* ſolam *Patriciatus* dignitatem talia, quae propoſui, jura tribuiſſe, niſi ei conjuncta eſſet alicujus magiſtratus poteſtas *Patricio* digna, aut *Patricius* vice magiſtratus fungeretur. Moveor auctoritate Caſſiodori *lib.* 6. *Variar. cap.* 2. cujus verba ſunt; *Hinc eſt quod & honor ipſe cinctus eſt, cum vacaret, nihil jurisdictionis habens, & judicantis cingulum non deponens.* Senſus eſt, *Patriciatus* honorem, de cujus formula ibi agitur, hoc praecipuum habere, ut morte *Patricii* non extinguatur; ut nihil jurisdictionis habeat; licet judicantis inſigne, ne quidem poſt *Patricii* obitum, deponat; quod ſcilicet, ut addit Caſſiodorus, exemplo Pontificatus in mortui locum alius ſubſtituatur. Ait ergo, *Patricium* nullam jurisdictionem habere, & tamen judicantis cingulo decorari: quod, ſi magiſtratum gerat, vel mandata ſit ei a principe aliqua jurisdictio, temporalis illa eſt. *Patriciatus* vero dignitas nuda poſt

vices gerat. Sic invenio Anthemium *Praefectum praetorio, & Patricium* ſimul, *l.* 14. *C. Theod. de legatis & decretis legationum*; qui *Patricius* tantum dicitur a Marcellino Comite, cum Imperator a Leone creatus eſt: Taurum *Praefectum praetorio & Patricium*, *l.* 1. *C. Theod. de bonis Cleric. & Monach:* Helionem *Patricium & Magiſtrum Officiorum l.* 4. *C. Theod. de metatis*: Conſtantium & Ricimer. *Magiſtros utriusque militiae Patricios* in inſcriptionibus: Beliſarium *Magiſtrum militiae & Patricium* apud Victorem Tunnenſem:

III. Juſtinianum quoque *Patricium, & Magiſtrum militiae* eo tempore, quo imperii collega & Caeſar factus eſt a Juſtino avunculo apud Nicephorum *lib.* 17. *cap.* 7. & ita deſiit eſſe *Patricias*, & habere Marcellinum *Cancellariam*, cum antea fuiſſet *Patricius*, *& Perpetuus Magiſter militum* a morte Vitaliani. An vero ante hujus mortem *Patricius* fuerit, vix auſim affirmare, niſi ex privilegio ſanguinis ſpeciali, licet dux fuerit in Oriente vice *Magiſtri militum*; quia haec *Patriciatus* dignitas iis ſolis defertur, qui magiſtratibus expreſſis *l.* 3. *C. de Conſul.* funguntur aut functi ſunt.

IV. Utut ſit, *Illuſtrem Patriciam Sedem* eſſe arbitror forum ſive tribunal alicujus *Patricii*, qui potiorem Magiſtratum gerit, civilem vel militarem, aut vice illius fungitur; eo ſenſu paſſim in legibus noſtris dicitur *Sedes, Excelſa, Ampliſſima, Magnifica, Eminentiſſima, Sublimiſſima, Glorioſiſſima, Praetoriana, Urbicaria, Magiſtri militum, Ordinaria, l.* 3. *C. de alluvion. l.* 3. *C. ubi Senator. vel Clariſſ. l.* 37. *C. de fidejuſſ. l.* 7. *l.* 11. *l.* 17. *l.* 19. *C. de advoc. diverſ. judicior. l.* 3. *C. de offic. mag. mil. l.* 3. *C. de jurisdict.* & multis aliis, a quibus differt tantum *Sedes Patricia*, quod illis praeſit non *Patricius*; huic vero *Patricius*. Utriusque Sedis par quidem imperium, par jurisdictio eſt. At hujus major eſt majeſtas, quam illius; quia *Patriciatus* dignitas auget honorem, ita ut caeteris in pari dignitate conſtitutis, non *Patriciis*, *Patricias* praeferatur, *l. unic. C. Theod. de Conſulib. praefectis, magiſtris militum, & patriciis.*

V. Non poteſt autem *Patricia Sedes* petinere ad ſtationem militum, quibus *Patricius* imperat; nam haec, *Sedium*, non *Sedis*, appellatione ſignificatur, ut probant auctorum loci adducti a viro doctiſſimo. Hanc differentiam ſervat Juſtinianus ſub *tit. C. de Offic. praeſ. praet. Afric.* nam cum in *l.* 1. §. 1.* *Sedem Praefecti praetorio Africae* jubet eſſe Carthaginem, intelligit in ea urbe collocandum eſſe hujus *Praefecti* tribunal, in quo jus dicat. At in *l.* 2. §. 1. cum agit de pluribus ducum Africanorum ſtationibus, recte *Sedium* voce utitur. Similes *Sedes* intelligit Theophilus per Σέδιλα, *tit. de Teſtam. mil.* non vero ſoſſata, ut *veteres gloſſae Baſilicūn*, & Suidas in Σέδλοι; quod advertit coryphaeus juris interpretum Cujacius in *prioribus notis* ad dictum titulum, Viglium ſecutus: quamvis reclamet vulgaris lectio Inſtitutionum, in qua pro, *Sedibus*, ſcriptum eſt, *aedibus*. Sed de hac quaeſtione fuſius dicam in *notis* inſtitutionum. Alio ſenſu *Sedium* nomine intelligimus domum & domicilium uniuscujusque *l.* 203. *D. De verb. ſignif.* Ammianus *lib.* 29. *in pr. Et Rex quidem Parthus hiemem Cteſiphonte acturus rediit ad ſedes.* Nihil frequentius occurrit apud Caſſiodorum, Jornandem & alios auctores.

ſtincti. IV. *Quis Auguſtus, quis Caeſar, quis Nobiliſſimus in Gallia.* V. VI. VII VIII. *Criſpus, Conſtantinus, Conſtantini Magni liberi, Licinianus Nobiliſſimi Caeſares facti. Conſtantius, Conſtans, alii ejuſdem liberi, Dalmatius fratris filius diverſo tempore Caeſares facti, Conſtantinus, Anaballianus primi Nobiliſſimi.* IX. X. XI. XII. *Gallus & Julianus, Decentius Caeſares: Gratianus, Valentinianus* II. *Honorius Nobiliſſimi pueri & Conſules: Conſtans & Julianus Conſtantini tyranni liberi, Valentinianus* III. *Nobiliſſimi.*

I. POſtquam *Patricius* factus eſt Juſtinianus, non multo poſt eum *Nobiliſſimum* deſignatum eſſe arbitror. Non alio tamen tempore *Caeſarem* creatum, quam *Mavortio Coſ. quo jam dudum*, inquit Marcellinus *in Chron. Juſtinus illum a ſe Nobiliſſimum deſignatum, participem regni ſui, ſucceſſoremque creavit*, hoc eſt, *Caeſarem, ac Imperii Collegam* fecit. Sic eum tum *Caeſarem* factum ait Victor Tunnenſis

II. Nobiliſſimus deſignatus videtur, cum rogatus Juſtinus a principibus Senatus Juſtinianum *Caeſarem* facere, reſpondit non expedire Juniorem purpura amiciri; auctore Zonara: nam, ne illos in totum a petitione ſummoviſſe videretur, Juſtiniano decretum ab iis *Nobiliſſimi* titulum codicillis ſuis comprobavit. Nec eſt abſurdum, eum tum temporis Juſtinianum adoptaſſe, & *Flavii, Nobiliſſimique* nomina ſimul jure adoptionis & cognationis illi dediſſe: quod actum fuiſſe primis annis Imperii Juſtini conjicere eſt ex eo, quod Procopius *lib.* 1. *de bello Perſ.* refert: *Procium quaeſtorem obſtitiſſe, quo minus Juſtinus adoptaret Choſroem, Cabadis Perſarum Regis filium, ne hoc modo eum ſucceſſorem Imperii deſtinaret, & imperandi ſpem Juſtiniano eriperet, qui jam futurus Imperii ſucceſſor ſperabatur.* Id enim agitatum fuit anno Juſtini quarto vel quinto, cum jam Lazi in ditionem Romanorum a Juſtiniano redacti eſſent anno Juſtini ſecundo & tertio: qua de cauſſa ille ſe *Lazicum* vocat *Nov.* 43. adde *Nov.* 48. Hac de re conqueritur Cabades apud Procop. *d. loc. & lib.* 15. *Miſcell. Hiſt. quod anno quinto Imperii Zatus Lazorum Rex Byzantium veniſſet, ut Chriſtianus fieret, & a Juſtino appellaretur Imperator Lazorum.* Sic primo Juſtini anno Juſtinianus factus videtur *Comes Domeſticorum*; ſecundo *Dux Vice Magiſtri Militum*, & forte *Patricius*; tertio *Magiſter Militum & Nobiliſſimus*; quarto *primum Conſul*; quinto de adoptando Choſroe tractatum: quo tempore ſignificat Proclus annis ſuperioribus, Juſtinianum *Nobiliſſimum* factum, nondum tamen *Caeſarem*.

III. Nam a temporibus Conſtantini Magni tres tituli, *Auguſti, Caeſaris, Nobiliſſimi*, diſtincti ſunt. *Auguſti* nomen ſoli, ut antea, Imperatori ſervatum. *Caeſar* dictus eſt certus ſucceſſor Imperii; *Nobiliſſimus*, qui ſperabat aliquando ſe futurum *Caeſarem* & *Auguſtum*, & quodammodo particeps erat imperii, ideoque purpura, & aureis ornata limbis veſte utebatur: quales primum *Nobiliſſimos*, hoc modo creatos, a Conſtantino ait Zozimus *lib.* 2. Conſtantium & Anaballianum agnationis jure, quorum frater Dalmatius *Caeſar* ab eodem declaratus erat.

IV. Ita, in noſtro Francorum Regno, *Auguſtorum* loco ſunt Reges; *Caeſarum* Delphini; *Nobiliſſimorum* proximiores Regiae ſtirpis Principes. Sed haec apud nos certa ſunt.

ſubſcriptiones legum intelligendas neceſſarium, breviter nunc percurram.

VI. Conſtantinus, victo Maxentio, ſororem ſuam Conſtantiam Licinio Mediolanum accito matrimonio copulavit, filiumque Criſpum, ex Minervina concubina ſuſceptum, Conſtantinum primum filium legitimum, ex Fauſta uxore iiſdem diebus in oppido Arelatenſi natum, & Licinianum, Licinii filium, menſium fere viginti *Caeſares* effecit. Junior Aurelius Vict. *epit. cap.* 41. Criſpi & Conſtantini quinquennalia celebrat, Nazarius *in Panegyr.* ubi Criſpum *Nobiliſſimum Caeſarem* vocat; ter vero eundem & Conſtantinum *Nobiliſſimos Caeſares*. In multis Conſtitutionibus *Cod. Theod. & Juſtinian.* frequens horum Caeſarum mentio fit *Licinio & Conſtantino Coſſ.* vel illis *Caeſaribus Coſſ.*

VII. Criſpo vero e medio, propter ſuſpicionem adulterii cum noverca, ſublato, Conſtantinus in Vicennalibus Conſtantium ſecundum filium, circa Tricennalia Conſtantem Tertium filium, paulo poſt Dalmatium, fratris ejusdem nominis filium, *Caeſares* fecit, Euſeb. *lib.* 4. *de Vita Conſtant.* Victor *de Caeſarib.* Miſcel. *hiſt. lib.* 11. Sozom *lib.* 5. *cap.* 2. Dalmatii fratres *Nobiliſſimi* titulo, non *Caeſaris*, ut dixi, cohoneſtavit. Dalmatius nondum *Caeſar* fuit tempore Conſulatus. Unde in quibusdam faſtis Conſularibus male *Conſul* & *Caeſar* ſcribitur cum Xenophilo ſeu Zenophilo. Recte vox *Caeſaris* abeſt in ſubſcriptione *l.* 23. *C. de admin. tut.* & in multis Conſtitutionib. *Cod. Theod.*

VIII. Mortuo Conſtantino patre, & Dalmatio extincto, Anaballianus *Nobiliſſimus* rexit Armeniam, nationesque circum ſocias: reliquo imperio inter tres Conſtantini liberos Conſtantinum, Conſtantium, & Conſtantem diviſo. *Senior Victor de Caeſaribus cap.* 41.

IX. Sed, Conſtantino per fratrem Conſtantem obtruncato, & Conſtante per Magnentium tyrannum, Gallum patruelem Conſtantius; Magnentius Decentium fratrem *Caeſares* creavit. Idatius *in Chron.* Junior. Aurel. Victor *Epit. cap.* 42. Occiſo Gallo, anno ſequenti, fratrem ejus Julianum *Caeſarem* fecit Conſtantius.

X. Temporibus Valentiniani reperio, Gratianum & Valentinianum ſecundum filios primi Valentiniani *Nobiliſſimos* extitiſſe, nondum *Caeſares*, neque *Auguſtos*, ſed *Conſules* factos; illum anno aetatis ſeptimo, hunc ſecundo. Idatius *in Chron.* ſic ille cum Dagalaipho Conſul dicitur *Nobiliſſimus puer* in ſubſcriptione, *l.* 6. *C. Theod. ad S. C. Claud. l.* 11. *C. de ſuſcept. l.* 9. *C. Veteran.* Ex priore reſtituenda eſt ſubſcriptio, *l.* 4. *C. de calumniat.* Hic vero Conſul cum Victore ſic vocatur *Nob. P. in l.* 2. *C. de fruct. & lit. expenſ.* & multis aliis. Ille *Auguſtus* a patre factus eſt, anno ſequenti. Idatius. Hic vero a militibus poſt mortem patris. Idatius, Ammian. *lib.* 30. qui *lib.* 27. *cap.* 14. ait: *Valentinianum patrem morem inſtitutum antiquitus ſupergreſſum non Caeſares, ſed Auguſtos Valentem germanum, & Gratianum filium nuncupaſſe.* Ante Gratiani mortem, intra quinquennium, Arcadius fuiſſe videtur *Nobiliſſimus*; ſed nulla hujus rei extant veſtigia: mortuo Gratiano *Auguſtus* factus eſt; Honorius vero alter, Theodoſii ſenioris filius, bimus *Conſul* fuit cum Euodio, & ſimul *Nob. P.* dicitur *in l.* 14. *C. de religioſ.* & *Nobiliſſimus* tantum, *in l.* 4. *C. Theod. De prox. Comit. diſpoſ.* Idatius, aliique auctores conſentiunt. Solus Marcellinus tum vocat eum *Caeſarem*, *in Chron.*

XI. Sub Honorii Imperio narrat Olympiodorus

apud

Digitized by Google

ſtat, qui & quo ſenſu *Nobiliſſimi* poſt Conſtantinum fuerint a *Caeſaribus* diſtincti; atque ita Juſtinianum ſolo *Nobiliſſimi* titulo potuiſſe decorari, licet nondum *Caeſar* eſſet. De his, qui *Nobiliſſimi* dicti ſunt ante Conſtantinum, deeſt hoc loco tractatus; ſed illum in alium locum, ſtudio brevitatis, rejiciam, ut titulis, quibus ornatus eſt Juſtinianus, antequam Imperator factus eſſet, capite ſequenti finem imponam.

CAPUT XI.

I. *Ad Caeſaris & Imperatoris culmen evectus Juſtinianus per omnes honorum gradus. Famoſiſſimus ejus Conſulatus.* II. *Omnia Imperii munia capeſſit, cum Juſtinus eſſet ſeptuagenario major, ſuggerit leges, & Quaeſtoris officio fungitur.* III. IV. Legis 23. C. de nuptiis *ſententia & ratio adverſus Procopium defenſa.* V. *Quo tempore Caeſar, & Imperii Collega factus: quo ſolus coepit imperare divina providentia, ut potiſſimum fidem orthodoxam & ſedem Apoſtolicam tueretur.* VI. *Qui principes ſedis illius patrocinium ſuſceperunt.*

I. AD Regiam licet fortunam natus eſſet Juſtinianus, ὃν δὴ καὶ φύσει βασιλέα καλῶν τις, οἶμαι (inquit Procopius *lib. 1. De aedific. in prooemio*) ὀρθῶς ἂν εἴποι, hoc eſt, *quem ſi quis natura Regem vocaverit, exiſtimo eum id vere dicturum*: tamen non niſi per omnes honorum gradus ad eam eſt evectus. Nam, poſtquam, ſub Juſtino duce, fortiſſimo magiſtro, primis ab annis tolerare militiam, & grave Martis opus aſſuevit, prioresque militiae praefecturas eſt adeptus, & ſub eodem Imperatore *Comes Domeſticorum*, *Dux*, *Patricius*, *Magiſter militum*, *Nobiliſſimus* factus eſt, nihil amplius reliqui fuit, quam ut *Conſulatum* iniret; quia ex Conſtitutione Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii *l. unic. C. Theod. de Conſulibus*, *Praefectis*, *Magiſtris militum*, *& Patriciis*, ſi *Patriciatus* dignitati ſit conjunctus Conſulatus, praeponendus eſt omnibus faſtigiis dignitatum; & ut Jornandes ait, de Theoderici Regis Conſulatu loquens, *ſummum bonum*, *primumque in mundo Decus dicitur*. Itaque anno Juſtini quarto Chriſti 521. cum Valerio primum geſſit Conſulatum, quem Marcellinus Comes *famoſiſſimum* vocat, eo quod *liberalitatibus omnium Orientalium Conſulatu munificentior fuerit, cum Juſtinianus CCLXXXVIII. millia ſolidorum in populum, inque ſpectacula, ſive in ſpectaculorum machinam erogaverit. XX. leones, XXX. pardos, aliaſque feras in amphitheatro exhibuerit, numeroſos praeterea phaleratoſque in circo caballos jam donatis quoque impertiverit aurigis.*

II. Cum abiiſſet eo magiſtratu, utriuſque militiae magiſterium retinuiſſe videtur, ut jam dixi *proximo capite*, antequam *Caeſar* & *Imperii ſocius* eſſet: interim tamen permiſit ei Juſtinus omnia Imperatoris munia capeſſere, quia jam ſeptuagenario major erat biennio, & natura minus idoneus ad Imperii adminiſtrationem: Procopius *lib. 1. de bello Vandal.* & *in Anecd.* Excuſat autem haec aetas in jure etiam privatos a muneribus perſonalibus, *l. 3. §. 1. D. de vacat. & excuſ. mun.* hujus adminiſtrationis tempore. Fateor quidem, Juſtinianum Quaeſtoris officio

nuptiae inter Senatores & ſcenicas, quaeſtumque corpore facientes mulieres, ut illius legis velamento, qua cuilibet etiam Senatori & Patricio permittitur ex reſcripto Principis ſcenicas mulieres, quae ſpreta mala conditione ad meliorem migravere ſententiam, & inhoneſtam profeſſionem effugerunt, uxores ducere; liceret ei nuptias contrahere cum Theodora ſcenica, quondam & vulgo proſtituta muliere.

IV. Verum licet iis de cauſis motus fuerit Juſtinianus ad illius *legis* 23. promulgationem, & Theodora talis fuerit, qualem eam deſcribit Procopius, non propterea eſt haec lex Chriſtiano indigna viro; nec tantopere haec ei culpa eſt imputanda, niſi ab eo, qui alterius religionis, quam Chriſtianae ſectator fuit, ut de Procopio infra fuſius probabo. Nam quid magis congruit Chriſtianae charitati, quam ratio *legis* his verbis expreſſa? *Nam ita credimus Dei benevolentiam, & circa genus humanum nimiam clementiam (quantum noſtrae naturae poſſibile eſt) imitari, qui cottidianis hominum peccatis ſemper ignoſcere dignatur, & poenitentiam ſuſcipere noſtram, & ad meliorem eam ſtatum deducere. Quod ſi circa noſtro ſubjectos imperio nos etiam facere differamus, nulla venia digni eſſe videbimur.* Nonne haec conſentanea ſunt auctoritatibus ac exemplis tam veteris, quam novi Teſtamenti, ſententiis Patrum, & Pontificum decretis; *Joſuae cap. 6. Oſeae cap. 1. & 3. cauſa. 123. q. 1. Can. pen. & ult. cap. inter opera. 20. de ſponſalibus apud Gregorium*; quae ſingula expendere non hujus loci.

V. Tandem, ut jam dictum eſt, Juſtinianus *Caeſar ac Imperii Collega* pronuntiatus eſt a Juſtino, invito quidem, Cal. April. ſed ad ſupplicationem Senatus Victor Turonenſis: corona ei impoſita coram Senatu ab Epiphanio, Patriarcha Conſtantinopolitano, & populo fauſtis eum acclamationibus excipiente (Zozaras, Cedrenus) non vero, ut calumniatur *Anecdotῶn* auctor, metu illato Senatui, & minis populo intentatis. Immo potius, providentia divina, mortuo Juſtino initio menſis Auguſti, ſolus coepit imperare, ut orthodoxae fidei oppugnatores Vandalos & Gotthos e medio tolleret, tot tantaſque leges orbi Chriſtiano in perpetuum daret, tot Deo dicatas Eccleſias, & urbes ſplendidiſſimas (quas recenſet Procopius *libris De aedific.*) extrueret, remotiſſimas gentes barbaras, earumque Reges ad fidem Chriſtianam amplectendam impelleret, Sedem etiam Apoſtolicam, dudum ingemiſcentem ſub Arrianorum Principum ſervitute, liberaret,

VI. Hinc audacius dictum eſt, quam decet, a Volaterrano, in epiſtola praemiſſa libris Procopii *de bello Perſico*, *fruſtro jam dudum jacta fuiſſe Apoſtolica fundamenta ſine ope Juſtiniani.* Nam non unius tantum Juſtiniani miniſterio uſa eſt divina providentia ad ſedem illam tuendam, ſed plurimorum Principum Chriſtianorum; ut pollicitationem Chriſti D. Petro factam comprobaret. Ante Juſtiniani tempora a gentilium perſecutione opera Conſtantini Magni eam eripuit; ab haereticorum & gentilium jugo per Jovinianum, Valentianum, Theodoſium, Honorium, egregiis factis vindicavit. Et tandem aliquot ſeculis poſt Juſtinianum, ſaepiſſime Regum noſtrorum auxiliaribus armis, ad eum reipublicae ſtatum, quo nunc eſt, evexit; haereticorum & ſchiſmaticorum depraedationibus protexit: ſicut in ve-

Sabaudiae Ducis repagulis, reſeratiſque Pedemontanis Suſae clauſtris, Hiſpanica & Sabaudica praeſidia firmiſſima fortiſſime contrivit, delevitque; & Caroli Mantuani Ducis, Sedis Apoſtolicae, Franciaeque foederati ſubditos intra Caſalis, oppidi Ducatus Montisferratenſis, muros, arcemque munitisſimam jam per decem menſes & amplius ab Hiſpanis foſſa, valloque ſeptos, injecta Hiſpanorum animis formidine invictiſſimi exercitus recenti victoria, ſummaque felicitate, ab obſidione liberavit.

Hactenus de Juſtino & Juſtiniano praeſtiti, quae antea pollicitus eram. Nunc qualis fuerit Imperator in rebus bellicis exponam Capitibus ſequentibus.

CAPUT XII.

I. *Quaeſtiones inferius agitandae adverſus Procopium proponuntur. Praevia dilacerati Imperii cognitio promittitur.* II. *Summa breviarii S. Ruſi.* III. *Series belli Perſici a temporibus Pompeji uſque ad tempora Juſtiniani ſummatim delineatur.* IV. *Barbaricae gentes, quibus bellum intulit Juſtinianus in limitibus Orientis, indicantur.*

I. Inſcriptionis noſtrae ſequentia verba poſt vocem, Justinianus, agnomina Juſtiniano tribuunt Alamanici, Gotthici, Francici, Germanici, Antici, Alanici, Vandalici, Africani. Jure an injuria quaeſtionis eſt; potiſſimum eo tempore, quo illa eſt editioni Digeſtorum praepoſita. Si Procopii Calumniis fidem habeamus, omnibus eſt indignus Juſtinianus; ſi veritatem propius intueamur, vix tria priora meruerat eo tempore, quo Inſtitutiones & Digeſta evulgavit; ſed ſequentibus annis abſque dubio promeruit: cur autem ea ſibi vindicare praeverterit, nullus adhuc rationes inveſtigavit; nullus etiam ſpecialiter bellicarum ejus virtutum vindicias ad aſſerendos omnes hujus inſcriptionis titulos adverſus Procopii maledicta tentavit, & irarum ejus cauſas detexit. Ideoque in his Digeſtorum prolegomenis haec omnia, Deo dante, pro infirmis ingenii viribus, breviter demonſtrare inſtitui; ut Juris ſtudioſis innoteſcat, quantis bellorum & pacis artibus praeditus fuerit Juſtinianus, cujus auctoritate libri Juris compoſiti ſunt; ne viperinis auctoris virulenti morſibus infecti, ab eorum lectione quodammodo avertantur. Sed de his, quae domi geſſit in ordinanda re publica, ſcribendi locus erit ad verba Conſtitutionis ad Anteceſſores. Nunc inſcriptionis propoſitae veſtigiis inſerviens, crimina, ei ab auctore maledico in re bellica objecta, diluere conabor; non quibusdam oratoriis pigmentis, quae nulla ſunt in hoc ſcribendi genere, ſed rudi obſervationis penicillo: quo magis disjectis falſitatis umbraculis, aliqua nudae veritatis lux affulgeat. Verum quia vix obſcurae vetuſtatis velum removeri poteſt, quam prius utriusque Imperii Orientalis, & Occidentalis ſtatus pernoſcatur, & pauci ſint illius temporis Hiſtorici, qui dilacerati ſeriem Imperii contexuerint ante Juſtiniani tempora, παρεκβασίας ἕνεκα inſtitutae orationis filum relinquam, ut quaſi per indicem quibusdam capitibus notem, quae antea provinciae deſierint eſſe ditionis Romanae, a quibus, & quo tempore occupatae; qui veteres, qui novi hoſtes, cum quibus bellum geſſit Juſtinianus. Nam, his ita cognitis, ne-

ſi Breviario, quo modo Reipublicae ac Imperio acceſſerint ſequentes provinciae ultra fines Italiae, Sicilia, Sardinia, Corſica, Africa, Numidia, Mauritania, Hiſpania, Cantabria, Gallia (ſub qua comprehenduntur Britannia, & Germaniae duae) Illyricum, Creta, omnis Achaja, Epirus, Theſſalia, Macedonia, Dardania, Moeſia, Alpes, Norici, Pannoniae, Valeria, Dacia, Thracia, Aſia, Lydia, Caria, Helleſpontus, Phrygiae, Rhodia, Inſulae, Pamphilia, Lycia, Piſidia, Iſauria, Bithynia, Galatia, Cappadocia, Pontus, Paphlagonia, Syriae, Cilicia, Cyprus, Cyrenae, Pentapolis, Libya, Aegyptus, Armeniae, Oſroëna, Meſopotamia, Syria, Phoenice, Palaeſtina, Aſſyria, Arabia. Quod attinet ad limites Imperii Orientalis Orientem verſus, addit Rufus, Pompejum Boſphoranis & Colchis Regem impoſuiſſe; Albanis ter victis pacem dediſſe; Iberiam in ditionem accepiſſe; Saracenos & Arabas viciſſe: Trajanum Albanis Regem dediſſe; Iberos, Boſphoranos, Colchos in fidem Romanae ditionis accepiſſe; Saracenorum loca & Arabiam occupaſſe; Armeniam, Meſopotamiam, Aſſyriam, quae inter Tigridem atque Euphratem ſita eſt, provincias feciſſe: ſed Hadrianum, gloriae Trajani invidentem ſponte propria, eductis inde exercitibus, tres poſtremas provincias Parthis conceſſiſſe, ut inter eos, & Romanos medius intercederet Euphrates. Victo Narſeo, Perſarum Rege, a Maximiano Meſopotamiam, cum quinque tranſtigranis regionibus, a Perſis receptam, pacemque factam; quae uſque ad ipſius Rufi memoriam utilis perduravit: Niſibim poſtea ter a Perſis obſeſſam Conſtantii virtute liberatam, ſed a Joviniano, poſt Juliani obitum, cum parte Meſopotamiae ipſis traditam. Hactenus Rufus.

III. Ammianus, *lib. 27. cap. 29. ſub finem*, hiſtoriam belli Perſici ſub Valente perſequitur, notatque, diviſionem Hiberiae ab eo factam inter Sauromacem & Aſpacuram, ut ille Armeniis finitima & Lazis retineret, hic Albaniae, Perſiſque contigua; quam aegre tulit Perſarum Rex, idcirco prior foedera rupit; ſed a Valente repulſus eſt, ut idem auctor refert, *lib. 29. in princ.* Inter eos poſtea de Armenia magnae contentiones ortae ſunt, de quibus idem *lib. 30. in princ.* caetera fere, a temporibus Arcadii uſque ad Juſtinianum inter Romanos & Perſas geſta, nota ſunt ex Procopio *lib. 1. de bello Perſico.*

IV. In reliquis Aſiae limitibus circa tempora Juſtiniani undique ferociſſimi hoſtes ingruebant praeter Perſas Saraceni, Arabes, aliaeque gentes barbaricae, Armeniae, Colchidi, & Moeoticae paludi proximae; Alani, Lazi, Iberi, Sunitae, Hunni, Antae, Sclavini; de quibus paſſim loquitur idem Procopius, tam a prioribus libris, quam in *Anecdotis.*

CAPUT XIII.

I. *Qui populi circa tempora Juſtiniani partes imperii Occidentalis poſſidebant.* II. III. *Belloveſus & Sigoveſus Galli ad novas ſedes quaerendas miſſi. Sigoveſus Loca Hercyniae ſylvae proxima, in quibus poſtea ſita fuit Francia Orientalis, occupat* IV. V. *Tectoſages, Salyi, Helvetii in iis ſedes fixerunt.* VI. *Quo tempore Belloveſus, & Sigoveſus colonias deduxerunt; quo tempo-*

Digitized by Google

manorum nomen.

I. CIrca tempora Juſtiniani Occidentalis Imperii partes Alamani, Franci, Germani, Gotthi, Burgundiones, Angli, Vandali, & Alani poſſidebant. Alamani utramque Rheni ripam Rhetiae objectam, Rhetiae partem, Alpeſque proximas regebant; Franci utramque Rheni ripam inferiorem Galliae oppoſitam, & majorem Galliarum partem; Gotthi Pannoniae, & Illyrici partem, Italiam totam & Hiſpaniam; Burgundiones Galliae partem trans Rhodanum, qui adjacet Lugdunenſi civitati; Angli Britanniam; Vandali & Alani Africam. De harum gentium origine & quibuſdam geſtis, antequam Imperii lacerationem perſtringam, praefari non erit incongruum. Ab Alamanis, Francis, & Germanis vicinis incipiam, ſecutus ordinem inſcriptionis & temporis, quo prius cum iis gentibus, quam cum aliis, Romani bella geſſerunt. Sed quia Francos a Gallis potius, quam a ſolis Germanis primam originem deduxiſſe mihi veriſimilius eſt, cum Cannano J. C. *lib.* 2. *Comment. Jur. civilis cap.* 9. & Genebrardo *lib.* 2. *Chronologiae* ad annum U. C. 709. Et tamen haec ſententia non placet doctiſſimo viro Scipioni Dupleix in prolegomenis *Hiſtoriae Francicae*. Ideo, ejus aſtruendae & illuſtrandae cauſa, quaedam primum de Gallorum primis expeditionibus hoc capite praemittam: de Germanis vero, Alamanis, & Francis alia, eidem ſententiae conſentanea, tribus ſequentibus capitibus ſubjiciam, antequam Imperii dilacerati everſionem attingam.

II. Ab iis temporibus, quibus Noëmi filii vel nepotes primum Galliam incolere coeperunt, uſque ad ea, quibus inter Romanos regnavit Tarquinius Priſcus, omnes Galliae populi in eam creverunt multitudinem, ut Ambigatus Gallorum Rex (quem regno Celtico Bituriges dederant, penes quos ea tempeſtate fuit Imperii Gallici ſumma) vix Galliam ſine motibus regi poſſe crederet. Ideo exonerandi regni cauſa duos ſororis filios Belloveſum & Sigoveſum ad novas ſedes quaerendas miſit. Sigoveſo ſortibus dati ſunt Hercynii ſaltus; Belloveſo Italia deſtinata eſt. Hujus geſta, & ab eo deſcendentium nota ſunt ex Livio *lib.* 5. *cap.* 34. & Polybio *lib.* 2. Illius vero obſcura.

III. Juſtinus *lib.* 24. *cap.* 4. narrat, *portionem Gallorum* (qui nimirum Sigoveſum ſecuti ſunt) *per ſtrages barbarorum Illyricos ſinus penetraſſe, & in Pannonia conſediſſe; ibique, domitis Pannoniis, per multos annos cum finitimis bella geſſiſſe.* Utinam hic Trogi Pompeji hiſtoria eſſet integra! eſt enim probabile eum expoſuiſſe, quae bella cum finitimis tam Sigoveſus, quam ejus ſucceſſores geſſerint per trecentos circiter annos, quos intelligit Juſtinus, quaeque loca ſint ab iis occupata; inter alia reperire liceret, Gallos ſedes collocaſſe in ea regione, quae, longo tempore poſt, *Francia Orientalis ſeu Franconia* dicta eſt: haec, deſcribente Munſtero *lib.* 3. *Coſmograph. Sueviam & Bavariam ab meridie habet, ab ortu Bohemos, a Septentrione Haſſos, & Thuringos. Regio latis ac denſiſſimis ſylvis, aſperiſque montibus clauſa difficulter adiri poteſt. Intus plana eſt. Sylva, quae Hercynia dicitur, editiſſimis jugis per circuitum obfirmat eam, veluti nativo muro ambit. Moganus* (ſive Moenus) *navigabile flumen, Sala, & Tuberus, Neccaruſque* (ſive Nicer) *perlabuntur.* In eam Germa-*lant, Volcae Tectoſages occuparunt, atque ibi conſederunt; quae gens ad hoc tempus iis ſedibus ſe continet, ſummamque habet juſtitiae, & bellicae laudis opinionem. Nunc quod in eadem inopia, egeſtate, patientiaque Germani permanent.* Hujus vero verba ita ſe habent, *lib. de moribus German. cap.* 28. *Validiores olim Gallorum res fuiſſe ſummus Auctorum D. Julius tradit, eoque credibile eſt etiam Gallos in Germaniam tranſgreſſos; quantulum enim amnis obſtabat, quominus, ut quaeque gens evaluerat, occuparet; permutaretque ſedes promiſcuas adhuc, & nulla regnorum potentia diviſas. Igitur inter Hercyniam ſylvam, Rhenumque & Moenum amnes Helvetii, ulteriora Boji, Gallica utraque gens tenuere. Manet adhuc Bojemi nomen, ſignificatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus.*

IV. Utriuſque auctor's textum de regione Franciae & proximis locis intelligi minime dubitandum. Nam Caeſar circum Hercyniam ſylvam Gallos collocat, aitque hujus ſylvae latitudinem eſſe IX. dierum: eam vero ab Helvetiorum & Nemetum, & Rauracorum finibus oriri. In medio hujus latitudinis tractu ſita eſt *Francia*, quae Moenus fluvius mediam ſecat. Ad Nicrum ſive Neccarum, ubi eſt *Techtenſis Ducatus*, Munſtrerus *Tectoſages* ſedes poſuiſſe putat. *Salyi* quoque, veteres Maſſilienſium hoſtes ex Livio *d. loco*, Salae fluvii, ab iis forte ſic denominati, primum accolae fuiſſe videntur: praeterea *Helvetii* nominatim a Tacito *d. loc.* dicuntur inter Hercyniam ſylvam Rhenumque & Moenum ſedes fixiſſe; quae omnia manifeſte demonſtrant regionem Franciae, qualis deſcripta eſt a Munſtero, ejuſque loca proxima. Temporibus Caeſaris adhuc regionem, ſupra notatam, tenuiſſe *Tectoſagos*, idem Caeſar teſtatur; quorum finibus proximi erant Ubii, Ubiis Sicambri. Quod vero Tacitus de *Helvetiis* conceſſus eſt, non idem auſus eſt affirmare de *Cattis*, a quibus *Batavi* deſcendunt: & tamen *Cattos* juxta Hercyniam ſylvam recte collocat, *cap.* 30. quibus *Chauci* proximi fuere. Sed recte Beatus Rhenanus obſervavit in *Germaniam* Taciti, multa loca illis populis proxima, & circa fluvium Albim ab *Andegavis*, *Belovacis*, *Senonibus*, aliiſque Gallis occupata, nomenque adhuc hodie ab illis retinere.

V. Accedit auctoritati graviſſimorum auctorum Caeſaris, Livii, Taciti, & rationi Taciti non leviſſima conjectura, quod facilius fuerit Gallis proxima Galliae loca circa Hercyniam ſylvam occupare, quam remotiſſima quaerere, inter bellicoſiores totius orbis nationes. At quis ignorat partem eorum, etiam ducibus avibus, ut ait Juſtinus *dicto loco*, in Illyricum & Pannoniam uſque penetraſſe; immo & in regiones ulteriores Dardaniam, Graeciam, Macedoniam, Thraciam, Aſiam?

VI. Deſignantur a Juſtino & aliis duo harum expeditionum tempora, interjecto, ut jam dixi, inter ea 300. annorum intervallo: Primum, quo Sigoveſi & Belloveſi Coloniae miſſae ſunt, ducentis annis, ut ait Livius *dicto loco*, ante urbem a Gallis captam: Secundum, quo Belgius & Brennus Dardaniam, Graeciam, Macedoniam ingreſſi ſunt, auctore Juſtino, *lib.* 24. *cap.* 5. & 6. Livius *lib.* 38. *cap.* 16. ſolum Brennum ducem nominat centum annis ab urbe capta. Plutarchus *in Pyrrho* ait: *Pyrrho nunciatum Ptolemaeum Ceraunum Macedonum Re-*

Digitized by Google

quinto, antequam Galli Ciſalpini a Marco Curio deleti eſſent, ut arbitratur in *Memorialibus Galliarum* eruditiſſimus Scipio Dupleix *lib.* 2. *cap.* 27. Polybii verba ſunt: Ταῦτα δὲ συνέβαινε γενέσθαι τῷ τρίτῳ, πρότερον ἔτει τῆς Πύῤῥου διαβάσεως εἰς τὴν Ἰταλίαν, πέμπτῳ δὲ τῆς τῶν Γαλατῶν περὶ Δελφοὺς διαφθορᾶς: hoc eſt, *Haec*, quae ſcilicet narravit de ſtrage Senorum & Bojorum, *contigerunt anno tertio, antequam Pyrrhus in Italiam veniret, & quinto, antequam* (πρότερον tacite repetendum eſt) *circa Delphos Gallorum exercitus peremptus eſſet.*

VII. Igitur cum certum ſit, Pyrrhum cum Laevino Coſ. A. U. C. 474. primum certamen iniiſſe, Juſtin. *lib.* 18. *cap.* 1. Senones vero & Bojos victos eſſe a P. Cornelio Dolabella Coſ. A. U. C. 471. Eutropius *lib.* 2. triennio ante Pyrrhi in Italiam adventum, poſtquam Lucius Caecilius Praetor cum Legionibus a Gallis Senonibus caeſus eſt, Florus *Epit.* 12. & in ejus locum ſuffectus Manius Curius (Μάνιον vocat Polybius, *dicto loco*, non Marcum) a quo miſſi legati ad redimendos captivos interfecti ſunt (anno, ut exiſtimo, praecedenti) Servilio & Caecilio Coſſ. U. C. 470. Nam, ob violatum a Senonibus jus gentium, indictum eſt eis bellum, duce Dolabella Coſ. Veriſimile eſt eodem anno, quo Pyrrhus Italiam adortus eſt, victum eſſe a Belgio Ptolemaeum Ceraunum; biennio ſequenti A. U. C. 476. Soſthenem a Brenno; cum is ſibi jam Thermopylarum aditum pateſeciſſet, ſicuti refert Pauſanias in *Phocicis*. Non videtur tamen recta perrexiſſe ad ſpoliandum templum Delphicum (nam totam hanc hiſtoriam conturbat Pauſanias *dicto loco*) ſed prius, victo Soſthene, Macedoniam depraedatum, cum ſpolia ei terrena ſorderent, animum ad templa Deorum convertiſſe, ut vult Juſtinus.

VIII. Haec temporum computatio congruit hiſtoriae Juſtini *lib.* 23. & 24. & comprobatur aliis duobus Polybii locis, *eodem libro:* uno, quo ait *Ptolemaeum Ceraunam circa Olympiadem* 124. *fato functum eſſe*; altero, quo *Pyrrhum eodem tempore in Italiam tranſiiſſe* memorat. Coepit autem Olympias 125. Laevino Coſ. ſi credamus putationi doctiſſimi Petavii *lib.* 13. *de doctrina temporum*; quod non eſt hujus loci diſcutere: quae omnia conſonant inter ſe, & cum Flori, & Eutropii *epitomis:* atque ita patet non eſſe ineluctabile argumentum, quo nitebatur vir doctus, ut probaret Brennum prius ſibi violentas manus intuliſſe, quam Soſthenes victus eſſet; & Juſtinum cum Trogo Pompejo defendi poſſe.

IX. Sed ad rem! Num admodum probabile eſt Gallos omnia fertiliora loca, Hercyniae ſylvae proxima, variis temporibus coloniis ſuis repleviſſe; quibus ne quidem Germanorum & Alamanorum erant nota nomina? tantum abeſt, ut regna etiam ab illis aliqua eſſent potentia diviſa, ut inquit Tacitus, cum Galli, per quandringentos fere annos, jam toti terrarum orbi ſummo terrori eſſent, & omni genere terribiles ad hominum interitum, & urbium ſtragem nati viderentur; Florus *lib.* 1. *cap.* 13. Juſtinus, Polybius, Livius, *dictis locis:* cum etiam ducibus duobus praecipuis Lomnorio & Lutario inter ſeptemdecim Regulos, Brenni reliquiae Thraciam, Helleſpontum, totamque Aſiam ſibi vectigalem reddidiſſent; Livius *lib.* 38. *cap.* 16. Mnemon *cap.* 20. *apud Phot. Biblioth* cum denique ab iis Celtiberi, hoc eſt robur Hiſpaniae, ut vult Florus *lib.* 2. *cap.* 17. Celtoſcythae, & Britanni orti eſſent; ut ab aliis recte demonſtratum eſt.

capta. Quo tempore Belgii & Brenni expeditio facta. Ex Gallia & Germania copiae Belgii & Brenni coactae. Tectoſagum propriae & adventitiae ſedes. Lutarii nomen ad Reges Francorum transmiſſum. III. *Galli ſaepe colonias in alienas regiones deduxerunt.* IV. *Qui Tigurini Galli, Cimbri Celtoſcythae a Cimmeriis denominati. Quouſque Celtica extendebatur; quam Cimbri Germaniae partem occuparunt; iidem novas ſedes quaerunt; iis ſe Teutoni conjungunt. Teutoni & Cimbri Galli vocantur & fratres.* V. VI. *Victi a Mario ſuperſtites redeunt ſimul in ſedes Teutonorum: qui Cimbri mediterranei.* VII. *Cimbri, Teutoni, Galli dicuntur tam a Graecis quam a Romanis.* VIII. *Sicambri a Scythis orti, Teutonis finitimi Franci, Sicambri dicti.* IX. *Germani moribus & forma Gallis ſimiles.* X. *Gallorum nomen adhuc retinebant temporibus Julii Caeſaris.* XI. *Scordiſci temporibus Auguſti domiti a Gallis oriundi.* XII. XIII. *Gallorum memoria recens in Germania Taciti aetate.* XIV. *Cur Galli dicti ſunt Celtoſcythae, Cimbri, Sicambri, Teutoni, Catti, Germani, Scordiſci.*

I. ADverſus ea, quae ſtatuta ſunt proximo capite de Gallis Germaniae incolis, diverſae ſententiae auctores fatentur quidem, aliquando in loca Hercyniae Sylvae finitima deductas fuiſſe Gallorum Colonias: ſed abſurdum eſſe exiſtimant, poſt annos mille ab iis repetere Francorum originem, cum Franci paſſim apud Hiſtoricos melioris notae Germanorum nomine ſignificentur. Inter primam Gallorum profectionem in Italiam & Germaniam, & Gallieni tempora, quibus primum innotuit Francorum nomen, intercedunt quidem anni circiter nongenti; ſed non ita pridem ante Gallienum extinctam fuiſſe in Germania Gallorum memoriam, perſpicuum erit ex his, quae inferius dicentur.

II. Anno urbis conditae 364. Italiam & Germaniam primum ingreſſi ſunt Galli. Nam Livius *lib.* 5. *cap.* 34. ait, eos in Italiam tranſcendiſſe ducentis annis, antequam urbem caperent. Urbs autem capta eſt anno U. C. 364. qui fuit ſecundus a creatis ſex Tribunis militaribus. Anno vero ab urbe capta 110. & a condita 474. notatum eſt ſupra, Belgium & Brennum Macedoniam & Graeciam diviſis exercitibus petiiſſe: an autem ex Pannoniis tantum & Illyrico copias contraxerint, an etiam ex univerſa Gallia & Germania, incertum eſt. Veriſimilius tamen eſt, eos tam numeroſum exercitum trecentorum millium, ut refert Juſtinus *lib.* 24. *cap.* 4. ex illis omnibus locis comparaſſe. Quod etiam affirmat Pauſanias in *Phocicis:* ſed male Belgii & Brenni duas expeditiones facit, eaſque temporibus diſtinguit: nam Trogi Pompeji ex Juſtino deſumpta hiſtoriam, ut antiquior, ita verior. Ipſum etiam *Belgii* nomen ſatis indicat, eum a *Belgica* regione profectum. Brennus vero delectum habuiſſe videtur in Gallia Bracchata, Celtica & Germania: tum quod ex ejus copiis cum Lomnorio & Lutario Regulis, ſeceſſione a Brenno facta, in Aſiam

trans.

vocat Mnemon, longiſſimo tempore poſt transmiſſum ſit ad Francorum Reges, qui regnarunt in Gallia: in quorum prima ſtirpe *Clotharii* quatuor, in ſecunda *Lotharius* unus reperiuntur. Ex quo manifeſtum indicium induci poteſt, Germanos ſive Teutonos a Gallis; Francos a Germanis longa temporum intercapedine fuiſſe progenitos. Nam ſic facilius retorqueri poteſt argumentum, quo Rhenanus in Tacitum *De moribus German.* utitur, ut probet, primos Gallos a Germanis ortos eſſe: quod omnino pugnat cum veterum Hiſtoricorum Graecorum & Latinorum auctoritatibus.

III. Praeterea vix in dubium revocari poteſt, quin ſaepe Transalpini Celtae, aliique Galli, majorum exemplo, ſponte ſua novas in Germaniam & Illyricum colonias miſerint diverſis temporibus, vel etiam exciti a Gallis, Germanis & Illyricis, ſicuti ſaepius eos, a Ciſalpinis in Italiam evocatos, vel etiam proprio motu Alpes tranſiliiſſe conſtat ex Polybio, *lib.* 2. Id vero nominatim de gente *Tectoſagorum* aſſerit Juſtinus, *lib.* 32 *cap.* 3. Aliquo tempore poſtquam pars eorum, quae ſupererat ex Brenni exercitu, in antiquam patriam Toloſam rediiſſet: *Ex gente*, inquit, *Tectoſagorum non mediocris populus praedae dulcedine Illyricum repetunt, ſpoliatisque Iſtris in Pannonio conſedit.*

IV. A Belgii & Brenni expeditionibus, anno circiter 166. hoc eſt A. U. C 640. ut vult Tacitus, *lib. de mor. Germ. cap.* 37. Cimbricum bellum ortum eſt; quod *Gallis* a pleriſque Hiſtoricis tribuitur, non tantum propter *Tigurinos Gallos*, Cimbrorum eo bello ſocios, e pago Helvetiorum oriundos, *epit. Liv.* 65. ſed etiam propter Cimbros & Teutonos. Plutarchus *in Mario* ait: *ex quorundam ſententia Celticam ab extremo mari Septentrionali, Orientem verſus, ad Maeotidem paludem uſque, Ponticam Scythiam attingere, ejusque regionis populos Celtoſcythas appellari; Cimbros vero a Cimmeriis denominatos, primo quoque vere novas ſedes veſtigaſſe.* Addere debuit, eos peninſulam, quae olim Cartris (hodie Dania) vocatur, occupaſſe, indeque Cimbricum promontorium dictum: Teutonis etiam proximos fuiſſe, Plinius *lib.* 4. *cap.* 13 & 14. Munſterus *lib.* 4. *Coſmogr.* ab extremis illis Celticae ſeu Galliae profugos, cum terras eorum inundaſſet Oceanus, novas ſedes toto orbe quaeſiiſſe, Florus *lib.* 4. *cap.* 3. Sed recte monet Cimbros de tranſitu in Italiam ideo cogitaſſe, quod audiiſſent, Celtas (a quibus ſcilicet orti erant) partem Italiae fertiliſſimam antiquitus in ditionem ſuam redegiſſe. Non male quoque adnotant quidam, tum temporis quosdam Teutonos, qui eam Germaniae partem, quae poſtea Franconia, & Bavaria dicta eſt, a Suevis expulſos, Cimbris ſe conjunxiſſe: quod contigiſſe refert *epit. Liv.* 65. & 67. poſtquam Silanus Scaurus, C Manlius, & L. Servilius Caepio Proconſules a Cimbris victi eſſent, & ipſi, vaſtatis omnibus, quae circa Rhodanum & Pyrenaeum ſunt, & a Celtiberis in Hiſpania fugati, in Galliam reverſi eſſent. Qua de re agens Oroſius, *lib.* 5. *cap.* 16. ait, Gallorum & Germanorum gentes inter ſe conſpiraſſe Romanum Imperium extinguere, Teutonos & Cimbros Alpium nives emenſos eſſe. Deinde eosdem bis *Gallos* appellat: non alia ratione, quam quod omnes eſſent originis Celticae ſeu Gallicae.

monii foederisque ſocietate invicem conjuncti eſſent.

VI. Qui ex praeliis, quibus tam Teutoni, quam Cimbri a Mario deleti ſunt, ſuperſtites fuere, cum Tigurinorum manu, quae quaſi in ſubſidio Cimbrorum Noricos inſederat Alpium tumulos, in diverſa lapſi fuga ignobili, & latrociniis evanuere, inquit Florus *dicto loco.* Sed tum ejusmodi reliquiae in Teutonorum ſedes conceſſerunt; & Cimbri in Nigra Sylva Hercynia urbem condiderunt, Munſtero auctore *lib.* 3. Hi ſunt, qui *Cimbri mediterranei* dicuntur a Plinio *lib.* 4. *cap.* 14.

VII. Expoſitam Cimbrorum & Teutonorum originem nullus auctor apertius explicat, quam Diodorus Siculus *lib.* 5. *cap.* 32. Aſſerit enim, *eas gentes, quae ultra Celtas & Oceani littora, Hercyniumque ſaltum ad Scythiam usque habitant,* Γάλαται, *hoc eſt, Gallos appellari, a Romanis tam eas, quam Celtas, Gallos nuncupari. Gallos corrupto nomine Cimbros appellatos, qui antea Cimmerii dicebantur; eosdem eſſe, qui Roma capta, Delphico templo ſpoliato, magnam Europae partem, non parvam Aſiae vectigalem reddiderunt: denique qui plures magnosque Romanorum exercitus deleverunt.* Hanc hiſtoriam paucis verbis attingit Juſtinus, *lib.* 25. *c.* 1. cum ait, *Gallos a Brenno relictos ad terminos gentis tuendos, fugaſſe Getarum Triballorumque copias;* ſed & Trebellius Pollio inter Scytharum populos, qui praedae cupiditate in Romanum ſolum venerunt, *Celtas* numerat *in Claudio.*

VIII. Quae de *Cimbrorum* origine dicta ſunt; eadem de *Sicambris* affirmari poſſe puto, quorum exemplum forte, ſicut & *Celtarum*, ſecuti *Cimbri* in Germania conſederunt. Nam *Sicambri* Teutonis etiam Gallis contermini fuerunt, & cum iis matrimonia contraxiſſe videntur. Qua de cauſa Franci, a Gallis transrhenanis orti, aliquando apud auctores *Sicambri* vocantur; puta Flodoardum *lib.* 1. *cap.* 13. & alios jam ab aliis notatos: potiſſimum cum in Sicambrorum regionem fines extendiſſent. Quod occaſionem videtur dediſſe fabulae a Trithemio *Comp. lib. annal. & Compend. de origine Francorum* relatae, quaſi Francorum origo a Trojanis, Scythis & Sicambris deduceretur. Trojanam originem inter alios eruditiſſime Popelinarius profligavit, *lib.* 2. *de nova Francorum hiſtoria.*

IX. Conducit etiam ad tuendam transrhenanorum accolarum Gallicam originem *Germanorum* appellationis ratio, quam affert Strabo *lib.* 7. quod forma & moribus Gallis ſimiles eſſent, tanquam *Germani fratres.* Nam licet antiquum *Teutonorum* nomen in *Germanorum* vocabulum alia ratione vernacula eorum lingua mutatum ſit, quod fortes & ſtrenui viri eſſent: tamen magnum eſt originis Gallicae argumentum, ſi forma & moribus ſimiles apparuerint *Germani* Gallis.

X. Sed & agnovit Caeſar *lib.* 6. *cap.* 24. *de bello Gall. Volſcas Tectoſages Gallos*, inter *Germanos*, & Diodor. Siculus ait eundem Caeſarem *Gallos* transrhenanos domuiſſe, & in poteſtatem ſuam redegiſſe.

XI. Quid de *Scordiſcis* memorare opus eſt, eos Thracia expulſos ultra Danubium a Druſo. Florus *lib.* 3. *cap.* 4. & Macedoniam adhuc infeſtantes temporibus Auguſti, tandem cum Pannoniis per Tibe-

Danubii & Savi conſedit, *Scordiſcosque* ſe appellari voluit, ut refert Juſtinus *lib.* 32. *cap.* 32.

XII. Nondum etiam *Gallorum* originem inter *Germanos* abolitam fuiſſe Taciti aetate, notum eſt ex *ſuperiori Capite.* Floruit autem Tacitus usque ad tempora Trajani, qui obiit anno Domini 117. *Nigro & Aproniano Coſſ.* ab ejus obitu ad Gallienum anni circiter 144. intercedunt, ſub quo Galli Transrhenani *Francorum* nomen ſibi vindicarunt. Nam Gallienus ſolus coepit imperare, eodem *Gallieno* 5. & *Volaſiano Coſſ.* anno Chriſti 261.

XIII. Ex dictis ergo patet, non ab anno milleſimo Francorum originem a Gallis deduci, cum apud tot auctores usque ad Trajanum memoria *Gallorum* inter *Germanos* viguerit.

XIV. Nec obſtat, quod paulo ante tempora Julii Caeſaris *Germanorum* nomine *Galli*, trans Rhenum habitantes, cum caeteris Germaniae gentibus ſignificarentur; ſed & *Franci* poſt tempora Gallieni. Nam ut ait Manlius Conſul apud Livium *lib.* 38. *cap.* 17. de Gallo-graecis loquens: *Sicut in frugibus pecudibusque non tantum ſemina ad ſervandam indolem valent, quantum terrae proprietas, coelique ſub quo aluntur, mutat: ita novi coloni tandem locorum, in quibus ſedes fixerunt, mores & nomen ſuſcipiunt. Sic Macedones, qui Alexandriam in Aegypto, qui Seleuciam & Babyloniam, quique alias ſparſas per orbem terrarum colonias habent, in Syros, Parthos, Aegyptios degenerarunt. Maſſilia inter Gallos ſita traxit aliquantulum ab accolis animorum.* Florus *lib.* 2. *cap.* 11. *Ut frugum ſemina mutato ſolo degenerant, ſic illa genuina feritas Gallorum Aſiatica amoenitate mollita eſt.* Idem quoque teſtatur Dionyſius Halic. *lib.* 1. *ſub fin.* de variis populis, & nominatim de Gallis, in civitatem Romanam receptis. Quid mirum igitur, ſi Galli, qui novas ſedes inter Scythas, Cimbros, Sicambros, Teutonos, Germanos, Thraces, propter ſoli coelique naturam, aliquid feritatis cum linguae, nominisque mutatione trahentes, tandem degeneraverint in Celtoſcythas, Cimbros, Sicambros, Cattos, Teutonos, Germanos, Scordiſcos aliosque populos? Hoc tamen non impedit, quo minus priſcam & veram originem agnoſcere poſſint.

CAPUT XV.

I. *Quid Germanorum, & Alamanorum voces ſignificent. Celto-teutonica, ſeu Gallo-teutonica gens prima Germanorum nomen ſibi vindicavit. Gallica virtus Imperii Romani curſum pene ſuppreſſit, decurſum extinxit, Germanico Imperio initium dedit, Orientale tenuit.* II. *Tectoſagorum Germanorum juſtitia & laus bellica.* III. *Gallo-teutoni, primi Germani appellati, Germaniae nomen dederunt: per Celtas ſemper Germani intelliguntur apud Dionem: a devictis Germanis primi principes Romani Imperatores dicti.* IV. *Cur citeriores Rheni accolae Germanicam originem affectaverint.* V. *Primus Auguſtus Germaniam in formam provinciae redegit. Germani ſaepe victi, nunquam devicti.* VI. *Una primum fuit Germaniae provincia, deinde in duas diviſa.* VII. *Suevica gens Alamanorum nomen ſumit temporibus Caracallae.* VIII. *Alamani, antequam ſub ea appellatione noti, Germani dicti.*

Francos Germanicae nationis fuiſſe? Huic objectioni hoc & ſequenti capite, in quantum rei obſcuritas patitur, ſatisfaciendi mihi onus incumbet. Quis credat, primum *Teutonos Celtas*, ſeu *Gallos Germanorum* nomen ſibi vindicaſſe? Et, ut primis temporibus ab iis *Celtica* denominata eſt, ita ab iisdem totam *Celticam* illam generaliter ſumptam, quae eſt ultra Rhenum & Danubium, *Germaniam* fuiſſe appellatam? Id tamen ex iis, quae de *Celtis Teutonis* a me relata ſunt, inducere haud erit arduum. Nam cum Mynſingerus, magnae apud Germanos auctoritatis Juriſconſultus, cum quibusdam aliis, probet voces *Germanorum* & *Alamanorum* eos ſignificare, qui toti viri ſunt, ſive gentem virilem, fortem, ſtrenuam: quae gens circa tempora belli Cimbrici, quibus primum *Germanorum* vox prodita eſt, inter alios *Teutonos* eo nomine magis gloriari meruit, quam quae fuit Gallicae originis *Celto-teutonica*, ſeu *Gallo-teutonica?* Reliquarum gentium ne quidem Romanis nota tum erant nomina; tantum abeſt, ut virtus bellica jam aliqua fama emicuiſſet. At Gallica virtus non tantum toto terrarum orbe notiſſima, ſed etiam per quingentos & amplius annos antea formidanda; quae ut rapidiſſimum naſcentis Romanorum Imperii curſum pene una incurſione ſuppreſſit; ita ſeneſcentis Occidentalis decurſum *Francorum* virtute, reparatis viribus extinxit. Germanici vero praeſentis initium dedit. Orientalis quoque habenas aliquando tenuit. Et nunc totius orbis dominatum obtinere poſſet, ſub fauſtis invicti Regis noſtri LUDOVICI XIII. auſpiciis, niſi tantus princeps, jus ſuum cuique tribuendi ſtudio, mallet foederatorum ſuorum jura, quam imperii fines ulterius prorogare. Sic occupata hoc anno pene tota Sabaudia cum proximis Subalpinae regionis oppidis, & iterum, ſoluta Caſalis obſidione Mantuani Ducis, in proprias ſedes reſtitutionem victoriarum ſuarum terminum conſtituit.

II. Eandem ſententiam comprobat elogium, quod tribuit Caeſar *lib.* 6. *cap.* 24. *de bell. Gall.* *Tectoſagis Germanis; quae gens*, inquit, *ad hoc tempus iis ſedibus ſe continuit, ſummamque habet juſtitiae, & bellicae laudis opinionem. Nunc*, quod in eadem inopia, *egeſtate, patientiaque, Germani permanent.*

III. Sed, ne caetera perſequar argumenta, maxime fundatur illa ſententia diſertis verbis Dionis *lib.* 53. Nam cum Octavius, conceſſis Senatui populoque Romano multis provinciis, alias minus quietas ſibi reciperet, inter eas Dio quosdam *Celtos* ſeu *Galli-Teutonos* commemorat, eosque proprie *Germanos* appellari ait, & *Germaniae* nomen dediſſe: Κελτῶν γάρ τινες, inquit, οὓς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς τῷ Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες Γερμανίαν ὀνομάζεσθαι ἐποίησαν, ἣ μὲν ἄνω τὴν μετὰ τὰς τοῦ ποταμοῦ πηγάς, τὴν δὲ κάτω τὴν μέχρι τοῦ Ὠκεανοῦ τοῦ Βρεττανικοῦ οὖσαν. Hoc eſt: *Nam quod Celtorum*, ſeu Gallo-teutonorum *quidam populi, quos Germanos vocamus, omnem Celticam, quae ad Rheni ripam ſita eſt, ab ejus fontibus ad Oceanum Britannicum uſque, occupaſſent, propterea haec regio Germania dicta eſt.* Hac igitur auctoritate Dionis conſtat, *Celtas transrhenanos* a fontibus ad oſtia Rheni proximas ripae regiones incoluiſſe, eos *Germanos* proprie dictos, *Germaniamque* ab iis ſic denominatam. Hinc factum eſt, ut haec bellicae laudis nomina decora ſint ad alias *Celticae* gentes tranſlata, cum *Celticorum Germanorum* geſta imitarentur; quales ſunt Suevi, Marcomanni, Burgundiones, Longobardi, Angli, aliique: ſed de

Cele

tum eſſe Auguſto, Tiberio, Claudio *lib.* 53. 55. & 60.

IV. Quod autem attinet ad eos *Celtas*, qui citeriorem Rheni ripam accolebant, hi quoque *Germanicam* originem affectare coeperunt; quales ſuerunt Treveri, Nervii, Vangiones, Treboci, Nemetes, Ubii ſive Agrippinenſes. Tacit. *lib. de moribus Germ. cap.* 29. maxime poſtquam Auguſtus Suevos & Sicambros ſe dedentes, & Tiberius quadraginta millia deditiorum in Galliam transmiſere. Sueton. *in Auguſt. cap.* 21. & *Tiber. cap.* 9. Quamvis, eodem Tacito auctore, Germania omnis a Gallis, Rhetisque, & Pannoniis Rheno & Danubio fluminibus, a Sarmatis, Dacisque mutuo metu aut montibus ſeparetur Quare idem auctor non ſemel in *libris Annalium* citeriorem Rheni ripam vocat *Gallicam*; ſed ideo ejus cultores Germanicam affectarunt originem, quod, ut idem ait *in vita Agricolae, cap.* 11. *Galli primum quidem in bellis floruerint, mox libertate amiſſa virtutem ſimul amiſerint, ſegnitia, cum otio gliſcente.* Foedam Galliarum faciem poſt amiſſam libertatem, durumque Romanorum jugum, propter quod annorum longa ſerie emarcuit Gallica virtus, eleganter deſcribit Oroſius *lib.* 6. *cap.* 12.

V. Primus autem Auguſtus *Germaniam* in provinciae formam redigere tentavit. In eam miſſus Druſus primos domuit Uſipetes; percurrit Teuctheros, Cattos, Cheruſcos, Suevos, Sicambros; in tutelam provinciarum praeſidia & cuſtodias ubique diſpoſuit per Moſam flumen, per Albim, per Viſurgim; per Rheni quidem ripam quinquaginta & amplius caſtella direxit, invium atque inacceſſum in id tempus Hercynium ſaltum patefecit. Sed haec omnia Vari clade turpius amiſſa, quam glorioſe acquiſita. Florus *lib.* 4. *cap.* 12. Immo *Germani*, tantae cladis auctores, tanquam a *Cimbris* & *Teutonis* deſcendentes, novam *Cimbricam*, *Teutonicam*que militiam Italiae minabantur. Vell. Paterc. *lib.* 2. *cap.* 120. Poſtea per Tiberium & Germanicum victi magis, quam devicti. Florus *dicto loco.* Ideoque nullam diſcordiae & civilium bellorum occaſionem praetermiſerunt, quin expugnatis legionum hibernis etiam Rhenum trajicientes Gallias affectaverint. Sed rurſus inde pulſi, & triumphati magis, quam victi. Tacit. *de moribus Germanorum cap.* 37. ſicuti temporibus Veſpaſiani. Tacit. *lib.* 4. *hiſtor. cap.* 78. 79. Marci Antonini, ſub quo etiam Italiam auſi ſunt ingredi. Dio *lib.* 71. & frequentius poſt tempora Gallieni, quibus *Francorum* cognomen ſibi ſumpſerunt, ut *ſequenti capite* ſum probaturus.

VI. Romani tamen utramque Rheni ripam inſedere, ibique unam Germaniae provinciam fecere, quae deinde in duas eſt diviſa ſub duobus Praeſidibus, ſicut Myſia *leg.* 3. *D. de offic. aſſeſſor.* ſcilicet in ſuperiorem. Sueton. *in Domitian. cap.* 6. & inferiorem; in qua collocantur a Paulo Agrippinenſes *l.* 8. §. *In Germania.* 2. *D. de cenſibus.* poſtea ſuperior dicta eſt prima, inferior ſecunda. Ammianus *lib.* 15. *cap* 27. Temporibus Juliani in prima collocat Moguntiacum, Vangiones, Nemetes, Argentoratum; in ſecunda Agrippinam & Tungrim. Conſentiunt *Itinerarium*, Ammianus *lib.* 20. *Notitia Imperii*, aliique recentiores. In utraque transrhenana inte-

Mynſingerus. Olim *Suevi* ditioni Romanae ſubditi ſuere ſub Rege Maroboduo, qui Romanorum partes ſequebatur adverſus Arminium, Germanicae libertatis vindicem acerrimum. Praeerat etiam Maroboduus Marcomannis, a quibus *Boji Galli* ſedibus ſuis erant expulſi. Mox profugus Ravennae per duodeviginti annos habitus, ut, ſi quando inſoleſcerent *Suevi*, quaſi rediturus in regnum oſtentaretur. Tacit. *lib.* 2. *Annal. cap.* 63. & *de morib. Germ. cap.* 38. Sed tandem, temporibus Caracallae, quidam *Suevi*, Rheno proximiores, a ſervitute Romana in libertatem proclamantes *Alamanos* ſe, quaſi viros fortes ſervitutis jugum minime tolerantes, quadam factione bellica, nominari conſtituerunt.

VIII. Victor ſenior *de Caeſar. cap.* 21. ait *gentem Alamanorum ex equo mirifice pugnantem a Caracalla devictam.* Vopiſcus eosdem a Proculo contritos eſſe refert; additque tum adhuc *Germanos* appellatos, quod ſcilicet nondum omnibus ſub *Alamanorum* appellatione noti eſſent; & contra uſu adhuc receptus eſſet, ut ii communi *Germanorum* vocabulo ſignificarentur. Unde temporibus Vopiſci, qui ſub Conſtantio patre Conſtantini, vel ſub Conſtantino vixit, jam inter omnes conſtabat, *Alamanorum*, *Francorum*, *Germanorum* vocibus diverſas gentes ſignificari, ita ut; per *Alamanos*, gens quaedam Suevica; per *Francos*, Celto-teutonica ſeu Gallo-teutonica; per *Germanos*, caeterae Germaniae gentes intelligerentur. Quae diſtinctio adhuc locum habuit temporibus Juſtiniani, ut oſtendit inſcriptio noſtra Juſtinianea; quod, quia non eſt ſine controverſia inter Auctores, idcirco ſpeciali capite probandum eſt.

CAPUT XVI.

I. *Caracallae & Gallieni temporibus Victori Seniori, & Trebellio notum Alamanorum nomen; poſteriores auctores ab aliis Germanis Alamanos diſtinguunt.* II. *Alamania eſt Germania Rhetis objecta. Gens Alamanorum multiplex. Alamani ab aliis Suevis diſtincti Alpes regunt, ex quibus oritur Danubius. Suevia Dalmatiis, Pannoniis, Bajobaris, Francis, Turingis vicina Alamanorum patria.* III. *Celtae Germani cur ſub Gallieno Franci appellati. Germani tributa non patiuntur.* IV. *Franci ab Alamanis nomine diſcreti a Victore Seniore temporibus Gallieni, cur ab aliis Germani dicti.* V. *Oroſii textus expenſus.* VI. *Francorum origo a Celtis, ſeu Gallis deducta.* VII. VIII. *Sedes eaedem cum ſedibus Germanorum, Teutonorum, Celtarum ſeu Gallorum.* IX. *Gallica virtus revireſcit ſub Gallieno, Imperatores creat, Imperiorum arbitra.* X. *Franci regiones, quae ſunt inter Rhenum, Nicrum, Albim & Oceanum inſedere, Bataviam & quasdam cis Rhenum terras invadunt temporibus Maximiani; Francorum plures Reges. Francorum regio Francia dicta, inter in-*

Digitized by Google

Ita eſſet *Alamanorum* appellatio, tamen jam peritis rerum & verborum Hiſtoricis, ut Trebellio Pollioni perſpecta fuit. Nam *in Mario Tyranno* omnem *Alamaniam*, omnemque *Germaniam* diſtinxit recte; ſed & Victor uterque. Senior *de Caeſar. cap.* 21. quidem *Alamanorum* mentionem facit *in Caracalla*, ut dictum eſt. Junior vero, *Epit. cap.* 34. in *Claudio II. Imperatore*, a Claudio eos prope lacum Benacum fuſos eſſe ait. Poſteriores quoque Hiſtorici de his loquuntur, ut de gentibus nomine & regione diſtinctis ab aliis *Germanis*. Sic Ammianus & Idatius referunt eos a Juliano & Valentiniano ſuperatos. Aurelius Victor Junior, *epit. cap.* 47. Ammianus *lib.* 27. *cap.* 22. Jornandes *lib. de temp. ſucceſſ.* Pacatus *in Panegyr.* a Gratiano & Theodoſio ſeniore, quod quibuſdam auctoritatibus comprobare mihi erit in promptu.

II. Panegyricus dictus Maximiano, cujus initium, *Omnes*, *cap.* 17. *Gothi Burgundios penitus excindunt: rurſus pro victis armantur Alamani.* Et infra: *Burgundiones Alamanorum agros occupavere, ſed ſua quoque clade quaeſitas Alamaniae terras amiſere, ſed repetunt.* Alius Panegyr. eidem dictus, cujus initium, *Cum omnibus*, *cap.* 9. *Ingreſſus es nuper illam quae Rhetis eſt objecta Germaniam*; hoc eſt, *Alamaniam*. Sic enim alius Panegyr. eidem dictus, cujus initium, *Si mihi*, *cap.* 2. *A ponte Rheni devaſtata atque exhauſta penitus Alamannia.* Et cum Mamertinus ait, *in gratiarum actione* Julianum *Alamaniam* domuiſſe, ſatis indicat Ammianus *lib.* 16. id non intelligi de omni *Alamania*, ſed de quadam ſpeciali *Alamanorum* regione. Sic Ennodius *in Panegyr.* ait: *Alamaniae generalitatem intra Italiae terminos ſine detrimento Romanae poſſeſſionis a Theoderico Italiae Rege incluſam eſſe.* Id enim intelligitur de receptis *Alamanis*, cum ditioni *Francorum* ſubdita eſſet natio *Alamanica*. Porro generalitatis verbum ſignificat multiplicem fuiſſe gentem *Alamanicam*: unam invenio, quae fuit *Bucinobantum*; haec contra Moguntiacum erat temporibus Valentiniani, & Regem Fraomarium in locum Macriani ordinavit apud Ammianum *lib.* 29. *cap.* 21. Aliam, quae dicitur *Lentienſis*, populus *Alamanicus* tractibus Rhetiarum confinis, apud eundem *lib.* 31. *cap.* 26. Hic populus circa tempora Juſtiniani fines extendit uſque ad Alpes Rheticas. Jornandes *lib. de rebus Getic. Regio Suevorum ab Oriente Bajobaros habet, ab Occidente Francos, a Meridie Burgundiones, a Septentrione Turingos. Quibus Suevis tunc juncti Alamani etiam aderant; ipſique Alpes erectas omnino regentes, unde nonnulla fluenta Danubium influunt, nimio cum ſono vergentia.* Alio loco: *In Alamanicis arvis*, ait, *Danubium exoriri*; alio: *Sueviam Dalmatiis vicinam, nec a Pannoniis multum diſtare.* Sed & poſt tempora Juſtiniani a Paulo Diacono, *lib.* 2. *de geſtis Longobardorum: Alamanorum patria Suevia dicitur verſus Septentrionem eſſe poſita.* Et *lib.* 3. *Dr[illegible]lf Dux ex Suevorum, hoc eſt, Alamanorum gente oriundus.* Ex quibus apparet, poſterioribus tantum temporibus, omnibus Germanis, & omni Germaniae *Alamanorum*, & *Alamaniae* nomina fuiſſe data.

III. Eadem ratione moti *Celto-germani*, ſeu *Gallo-germani*, qua *Alamani* ſub Gallieno *Francorum* nomen uſurparunt; ut ſignificarent, ſe liberos eſſe populos ab omnibus tributis immunes, perpetuos libertatis adverſus Romanos aſſertores: nam *Franc* lingua noſtra Francica ſignificat *liberum*: quod ſaepe quidem victi fuerint *Franci*, nunquam domiti, ut jam probatum eſt de Germanis, qui poſtea Francici dicti ſunt. Inter Celto-germanos *Catti* fuere, tunt. Unde [illegible] *hinc coargui Oſos non eſſe Germanos, quod tributa paterentur.*

IV. Coeperunt igitur tunc temporis *Franci* differri ab *Alamanis* nomine, jam ſatis antea origine atque ſedibus diſcreti, ut ex dictis colligi poteſt. *Alamanorum* nomen vetuſtius ſub Caracalla; *Francorum* recentius, ſub Gallieno primum inventum. *Alamanorum vis*, inquit Victor ſenior *de Caeſar. cap.* 33. *tunc aeque Italiam: Francorum gentes direpta Gallia Hiſpaniam poſſiderent vaſtato ac pene direpto Tarraconenſium oppido, nactiſque in tempore navigiis, pars in uſque Africam permearet.* Prima haec eſt Germanorum ſub *Francorum* nomine expeditio. Nec officit, quod Eutropius *lib.* 9. & Oroſius *lib.* 7. *cap.* 2. de hujuſmodi incurſione agentes *Germanos* vocent, quos ille *Francos*: nam iiſdem, quos ſupra oſtendimus primos *Germanorum* vocabulo decoratos, placuit iterum mutata *Germanorum* appellatione, quae omnibus Germaniae populis tum communis erat, *Francos* appellari. Unde non male *Germani* vocantur eo tempore, quo adhuc pleriſque *Francorum* nomen erat ignotum, ſed & a poſterioribus Auctoribus Graecis & Latinis, veteri *Germanorum* voce, recte ſignificantur.

V. Ignoſcet hic vir de Hiſtoria noſtra benemeritus Scipio Dupleix, cujus virtutes imitari fateor arduum eſſe in retractandis iis, quae vel omittenda putavit, vel aliquando remiſſa ingenii humani ſolertia, inter immenſos labores parum advertit, ſi probare non poſſim, quod ait in prolegomenis *ad hiſtoriam Francicam*, Oroſium, *dicto loco*, uti novo *Alamanorum* nomine, ut *Francos* ſignificet: hoc enim nuſquam reperies: ſed contra cum Eutropio & Victore diſtinguere *Alamanos* a *Germanis* ulterioribus, hoc eſt, *Francis*. Illorum tranſitum in Italiam notare; horum irruptionem in Hiſpaniam. Itali tum recte vocabant *Alamanos* proximiores Italiae *Germanos*; *Francos* vero ulteriores *Germanos*, non ulteriores *Alamanos*; quia *Germanorum* nomen tunc commune fuit, nondum *Alamanorum*.

VI. Origine quoque diſcretae ſunt hae gentes. Nam ſatis oſtenſum eſt, ſupra, *Alamanos* a Suevis oriundos, qui, ut vult Tacitus *lib. de morib. German. cap.* 38. *a caeteris Germaniae populis ſunt nationibus, nominibuſque diſcreti.* At iidem, qui primo *Galli* & *Celtae* dicti ſunt, poſtea *Teutoni*, mox *Germani*, denique *Franci* ſunt appellati: quod poſtremum ſupereſt demonſtrandum. Suidas in Κελτοί. Κελτοὶ ὄνομα ἔθνος, οἱ λεγόμενοι Γερμανοὶ οἱ ἀμφὶ τὸν Ῥῆνον ποταμὸν οἰκοῦν. hoc eſt, *Celti gentis nomen eorum qui Germani dicuntur, Rheni fluminis accolae.* Et alio loco in Γερμανικός. Γερμανικὸς ὁ Φράγγος· οἱ Γερμανοὶ Κελτοὶ λέγονται οἱ ἀμφὶ τὸν Ῥῆνον ποταμὸν οἰκ. hoc eſt, *Germanicus ſignificat Francum. Germani Rheni fluminis Accolae Celti dicuntur.* Sed & locuples hujus rei teſtis eſt D. Hieronymus *in vita Hilarionis. Inter Saxones*, inquit, *& Alemanos gens ejus non tam lata, quam valida, apud Hiſtoricos Germania, nunc vero Francia vocatur.* His verbis confirmatur, quod jam ſaepe dictum eſt, *Celtas*, *ſeu Gallos transrhenanos*, primum dictos eſſe *Germanos*, praeterea *Celto-germanos* nuncupatos fuiſſe *Francos*. Sic Jornandes *lib. de rebus Getic.* inter Celticas vel Germanicas nationes *Francos* connumerat.

VII. Diverſae denique fuerunt ſedes, ſed contiguae *Alamanorum* & *Francorum*: de ſedibus priorum jam ſatis dictum eſt. De locis, ex quibus orti ſunt poſteriores, aliquid addendum; potiſſimum ut intelligamus verum eſſe, quod ab initio probandum ſuſcepimus,

Digitized by Google

veſtigia extant apud Auctores. Deinde Saxonum, aliarumque gentium bellis infeſtatos in *Franconiae* antea deſcriptae limites aliquo tempore coactos eſſe, ex qua illi profecti Gallias occupaverunt. Sed antequam haec probentur, prius de *Gallorum* virtute iiſdem temporibus refloreſcente quaedam interſerenda ſunt: nam horum viribus ſaepiſſime poſtea contriti ſunt *Franci*, quae iterum barbaricarum gentium undique concurrentium ad Galliarum invaſionem armis attritae, tandem renovatae, *Francorum* virtute, Romanum Imperium in Galliis extinxere.

IX. Trebellius Pollio in *Poſtumio* refert, *Gallos*, luxuriam Gallieni vehementiſſimo proſequentes odio, cum omni exercitu Imperatorem creaſſe Poſtumium transrhenani limitis Ducem, Galliae praeſidem, *virum digniſſimum ſeveritate Gallorum; quod ſubmotis omnibus Germanicis gentibus Romanum in priſtinam ſecuritatem revocaſſet Imperium.* Ex quo loco & auctoritate veteris libri recte alium ejuſdem auctoris locum corruptum, *in Gallienis cap.* 4. ſic reſtituendum putat eruditiſſimus Salmaſius: *Galli, quibus inſitum eſt, leves ac degenerantes a virtute Romana Principes & luxurioſos ferre non poſſe, Poſtumium ad Imperium vocarunt.* Eadem ſaepe poſterioribus temporibus utentes licentia, Imperium detulerunt, miſſis Tyrannis pluribus, Conſtantio, Conſtantino Magno, Juliano. Unde Vopiſcus *in Saturnino: Gallorum gentem*, ait, *avidam ſemper fuiſſe vel faciendi principis, vel Imperii.* Ammianus *lib.* 30. *cap.* 31. *cohortes Gallicanas Imperiorum arbitras eſſe.* Auctor incertus expoſitionis totius mundi Galliam Imperatore ſemper indigere, αὐτοκράτορος ἀεὶ δεῖν. Redeo jam ad veteres *Francorum* ſedes.

X. In antiqua *Germanorum* hiſtoria refertur, eos a Rheni ripa ultra fluvium Albim expulſos ab Auguſto, Tiberio, Druſo, Germanico. Sueton. *in Auguſto cap.* 21. Vell. Paterc. *lib.* 2. *cap.* 106. Florus *lib.* 4. *cap.* 12. Tacitus *lib.* 2. *Ann. cap.* 22. Ab iiſdem quoque Rheni littoribus *Francos* removit Probus ultra Nicrum & Albam ſive Albim; ut narrat Vopiſcus *in Probo cap.* 13. ſub *Germanorum* tamen nomine. Jam vero *Francorum* regionem Nicrum praeterlabi ſupra notatum eſt. Addit Vopiſcus, a novem eorum Regibus ſedecim tyronum millia eundem Probum accepiſſe. Id autem intelligi de *Francis*, *Alamanis*, aliiſque *Germanis* alius locus probat, qui hujus victoriae teſtes facit *cap.* 12. *Francos in viis ſtratos paludibus, Alamanos & Germanos.* Paludes intelligit, in quibus accepta eſt Variana clades, & aliquo tempore poſt victi ſunt *Germani* a Germanico. Tacit. *lib.* 1. & 2. Sedes poſtulantibus quibuſdam *Francis* conceſſit Probus. Zoſimus *lib.* 1. in Ponto; ut ſignificat Panegyricus, Maximiano dictus, cujus initium, *Si mihi Caeſar*, *cap.* 18. eos etiam captivos fuiſſe ait, *& correptis navibus incredibili audacia & felicitate Graeciam, Aſiamque populatos & pleriſque Libyae littoribus appulſos Syracuſas cepiſſe, & immenſo itinere pervectos Oceanum, qua terras rupit intraviſſe, ſicque ad ſuos rediiſſe.* Ea tempeſtate videntur *Franci* fines protuliſſe ad Oceanum uſque; nam, pellecti tot provinciarum ſpoliis, mare poſtea junctis Saxonibus infeſtarunt, cum temporibus Maximiani Carauſius adverſus eos miſſus eſt. Eutropius *lib.* 9. Iidem recte *Germani* vocantur a *Galliae, non amplius Rheno amne munirentur, cum quidquid ultra Rhenum proſpiceretur, Romanum eſſet.* Alius Panegyricus, cujus initium, *Si mihi*, *cap.* 21. ſubjungit a Maximiano poſt reſtitutam Britanniam, *Francorum gentes penitus exciſas, ejuſque natu Nerviorum, & Trevirorum arva lectum poſtliminio reſtitutum & receptum in leges Francum.* Eadem fere de Conſtantio Patre Conſtantini Magni praedicat Panegyricus, Conſtantino dictus, cujus initium, *Facerem.* ait enim *cap.* 5. *eum terram Bataviam, a diverſis Francorum Regibus, gentibus occupatam, omni hoſte purgaſſe; nec contentum viciſſe ipſas, in Romanas tranſtuliſſe nationes, ut non ſolum arma, ſed & feritatem ponere cogerentur.* Et *cap.* 6. *Quid loquar*, inquit Panegyriſtes, *rurſus intimas Franciae nationes, non jam ab his locis, quae olim Romani invaſerant, ſed a propriis ex origine ſuis ſedibus, atque ab ultimis barbariae littoribus avulſas, ut in deſertis Galliae regionibus collocatae, etiam pacem Romani imperii cultu juvarent & arma dilectu.* Hic notandum *Franciam* inter intimas Germaniae nationes numerari. Sic infra idem Panegyricus, de Conſtantino loquens, *cap.* 10. *affeciſti poena temeritatis reges ipſos Franciae.* Munſterus *lib.* 3. ait eam eſſe fere Germaniae meditullium. A *Francis* Francia, ſicut ab *Alamanis* Alamania dicta eſt. Auſonius in *Moſella*, *Edyl.* 10. *v.* 433.

Accedent vires, quas Francia, quaſque Chamaves,
Germanique tremant.

Nazarius Conſtantinum ſummis effert laudibus, *quod ipſi Franci praeter caeteros truces, quorum vis cum ad bellum efferveſceret, ultra ipſum Oceanum aeſtu furoris evecta, Hiſpaniarum etiam oras armis infeſtas habebat, ſub armis ejus ita conciderint, ut deleri funditus poſſent, niſi divino inſtinctu, quo regebat omnia, quos ipſe affecerat, afficiendos filio reſervaſſet* (per filium hic *Criſpum Caeſarem* intelligit) nam tum alius Conſtantini Magni filius Conſtantinus infans erat, quamvis Conſul. Subjicit autem, *Foecundam ſuis malis nationem Francorum ita raptim adoleviſſe robuſteque recreatam eſſe, ut fortiſſimo Caeſari primitias ingentis victoriae daret: cum memoria acceptae cladis non infracta, ſed aſperata pugnaret.* Hujus victoriae alibi mentio non extat; priorem Conſtantinianam Panegyr. cujus initium, *Unde mihi*, praefert omnibus victoriis, quas alii Imperatores ex Graecia & Oriente retulerunt, *quod trucem Francum ferina ſola carne diſtentum, qui vitam pro victus ſui utilitate contemnat, magnae molis fuerit ſuperare vel capere, atque ita a Tuſco Albula ad Germanicum Albim proferre.* Mitto quae de *Salyis Francis* & *Attbuariis* ab aliis notata ſunt ex Ammiano ſuperioribus locis congruentia; cum ſatis ex dictis pateat, *Francorum* ſedes eaſdem fuiſſe, quae veterum *Germanorum.* Sed poſtea *Francos Salyos* a Saxonibus bello appetitos narrat Zozimus *lib.* 3. Mox ingruentibus aliis gentibus intra *Franciae* fines ſe aliquando continuiſſe probabile eſt. Perſpicue Procopius *lib.* 1. *de bello Vandal.* ait Vandalos irruiſſe *in Germanos, qui nunc Franci appellantur*, ἐς Γερμανοὺς οἳ νῦν Φράγγοι καλοῦνται. Jornandes *lib. de rebus Get. Gotthi Germanorum terras, quas nunc Franci obtinent, depopulati ſunt.* Ut ergo huic Tractatui finem imponam, puto ex his, quae dicta ſunt, conſtare *Francos* a Germanis, *Germanos* a Teutonis, *Teutonos* a Celtis, ſeu Gallis primis auctoribus originem duxiſſe, eaſdemque ſedes ſibi ſervaſſe a ſedi-

Digitized by Google

I. II. III. IV. V. *Gotthorum*, *Gepidarum*, *Sclavinorum*, *Antarum*, *Vandalorum*, *Alamanorum*, *Perſarum ſedes propriae & adventitiae.* VI. *Prima inter Romanas provincias Dacia trans Danubium amiſſa.* VII. *Pannoniae primum a Vandalis, Alanis, Gotthis, & Hunnis occupatae, deinde amiſſae.* VIII. *Hiſpaniae a Vandalis, Alanis, Suevis poſſeſſae.* IX. *Alaricus Gotthorum Rex Italiam invadit, Romam capit: Athaulſus Gallias ingreditur, Placidiam uxorem ducit.* X. *Compulſus a Conſtantio Narbonenſi provincia excedere Hiſpaniam petit, & ibi moritur.*

I. HActenus de Alamanis, Francis et Germanis dictum uberius, quam hic locus pati videtur; ſed hoc ab humaniſſimis lectoribus novo condonabitur Francorum Regis Hiſtoriographo, ſed & obiter de Anglis & Burgundionibus; nunc de Gotthorum, Vandalorum, & Alanorum hiſtoria quid delibandum; deinde uti unaquaeque Imperii Romani provincia ante Juſtinianum amiſſa ſit, breviter percurrendum

II. Quemadmodum ad claſſicum *Celtarum*, ſeu *Gallorum* Germanicas & Scythicas gentes, propriis quondam ſedibus excitas, ſibi novas quaeſiiſſe diximus: ita in extremis *Celticae* oris inter Celtoſcythas e Scanzia inſula, Viſtulae fluvii oſtiis oppoſita, orti *Getae*, antiqui populi, qui poſtea *Gotthi* ſunt appellati, Oroſio teſte *lib.* 1. *cap.* 17. Scythiam peragrantes ad extremam ejus partem, quae Pontico mari vicina eſt, pervenerunt, non procul ab oſtiis Iſtri ſeu Danubii. Alii quoque *Getae* tardius eadem inſula egredientes convicio quodam *Gepidae* dicti ſunt, quod lingua *Getica*, pigra, *Gepanta* dicatur, & in prima Scythia Occidentali conſedere: in cujus interiori parte *Dacia* eſt, ad coronae ſpeciem, arduis montibus circumvallata: ad Viſtulam per immenſa ſpatia extendebat ſe tum *Vinidarum* natio populoſa, qui temporibus Juſtiniani *Sclavini* & *Antae* vocabantur: quorum fortiſſimi ad Ponticum mare & Danubium fines protulerant. Haec *Jornandes lib. de rebus Geticis.*

Vandalos etiam & *Alanos* Gotthicum genus fuisſe vult Procopius *lib.* 1. *de bello Vandal.* & circa Moeotidem paludem olim conſediſſe. Sed verius eſt, *Vandalos* Oceani Germanici oras primum incoluiſſe, victosque a *Getis* fuiſſe, antequam hi Scythiam interiorem penetraſſent: poſtea vero ab Oceano ad Daciam uſque vix per anni ſpatium perveniſſe, eamque partem *Daciae* occupaſſe, quae antea *Gotthia*, & Jornandis aetate *Gepidia* dicta eſt, ut narrat Jornandes *dicto loco* ex Dexippo in hiſtoria Scythica.

III. Quod attinet ad *Alanos*: Ammiani diligentia potius, quam ſupina Procopii negligentia ſequenda eſt. Nam ille *lib.* 31. *cap.* 5. ait *Alanos ultra Tanaim immenſum extentas Scythiae ſolitudines inhabitaſſe, ex montium appellatione ſic cognominatos, paulatimque nationes conterminas, crebritate victoriarum attritas, ad gentilitatem ſui vocabuli traxiſſe; ut Perſas, qui ſunt originitus Scythae.* Addere poſſumus ut *Celtas* Sigoveſi comites, qui *Celticae* ad Scythiae terminos uſque crebra victoriarum gloria nomen impoſuerunt.

IV. Inter alia, quae de *Alanis* fuſius tracta Am-

Gotthis quoque [illegible]
& *Alanos* auxilio fuiſſe adverſus Valentem Imperatorem. Iis temporibus terras *Vandalis*, in Pannonia tum degentibus, proximas quidam *Alani* occupaſſe videntur, foedusque cum illis pepigiſſe. Quibus locis poſtea tam *Vandali*, quam *Alani* a *Gotthis* expulſi, deinde a Stilicone evocati, in Gallias & Hiſpanias tranſiere. Sed haec ad hiſtoriam Imperii lacerati pertinent, quam nunc leviter attingere locus hic deſiderat.

V. Non referam, quibus irruptionibus barbaricarum gentium, poſt *Cimbricam* & *Teutonicam*, variis temporibus vaſtatae ſunt Imperii Romani provinciae; ſed ab Imperatoribus Marco Antonino, Claudio, Aureliano in integrum reſtitutae: ſumma tantum earum capita, quibus amiſſae ſunt ante Juſtinianum, perſtringam.

VI. Prima inter eas *Dacia* trans Danubium a Trajano ſubacta; quae in circuitu decies centies millia paſſuum habuit, amiſſa eſt, eo tempore, quo capto a Perſis Valeriano, Gallienus filius ejus luxuriae, ludibriis & helluationi Romae vacabat, circa annum Chriſti 267. Nam tum *Gotthi*, aliique Scythiae populi, qui jam vivo Valeriano effuderant ſe per varias provincias, non tantum Daciam, in qua Vandali adhuc habitabant, Romanis ademerunt; ſed etiam Thracias, Danubium & Pontum emenſi, hinc Macedoniam, Achajam, Epirum; Acarnaniam, Boeotiam, Illyricum: inde pleraſque Aſiae provincias vaſtarunt; Per Aurelianum poſtea, tranſlatis e *Dacia* Romanis, duae *Daciae* in regionibus Moeſiae ac Dardaniae factae ſunt. Sext. Ruf. *Breviar.* Trebell. *in Gallien.* Iſid. *Chron. Gotth.* In annis Chriſti numerandis Contii noſtri putationem ſequor, quam etiam amplexi ſunt peritiores noſtri temporis Chronologi, non vulgarem.

VII. Pannoniae deinde cum quibuſdam adjacentibus provinciis, a Vandalis, Alanis, Gotthis, & Hunnis occupatae ſunt, ſed non ſtatim Romanorum imperio exemptae. Primum enim, cum Sarmatarum regionem ingreſſi eſſent *Gotthi* ſub Rege Geberiche, & ab iis Vandalorum Rex Vuiſumar, cum magna parte gentis Vandalicae, proſtratus eſſet, Conſtantinus, a quo Gotthi Danubium transgreſſi certamine inſigni ſuperati, & ultra Danubii ripas repulſi, anno Imperii 26. vel 27. Chriſti 331. vel 332. *Vandalis* Pannoniam habitandi cauſa petentibus conceſſit; ea lege ut tanquam incolae Imperatorum decretis obtemperarent. Sic in ea regione per LX. annos, adſcitis, poſtea, ut dixi, *Alanis*, conſedere. Interim, *Hunnis*, *Alanis*que Gotthorum ditioni ſubditas terras longe lateque vaſtantibus, *Vueſegothi*, id eſt, *Occidentalis ſoli cultores*, illorum metu ab *Oſtrogotthis*, id eſt, *Orientalis plagae incolis*, ſeceſſerunt, & Danubium transmeantes Valentis Imperatoris permiſſu anno Imperii 13. vel 14. Chriſti 376. vel 377. hac conditione, ut legibus Romanis viverent, *Daciam ripenſem*, *Moeſiam*, *Thraciasque* inſedere; & ab eodem, haereſeos Arrianae doctoribus acceptis, Arriani potius, quam Chriſtiani effecti ſunt. Hujus poſtea ſectae doctrinam perverſam ad *Oſtrogothos* & *Gepidas* parentes ſuos transmiſere. Illis vero regionibus, ut propriis, non multo poſt ſunt potiti, victo ab iis & incendio abſumpto Valente anno Chriſti 378. at anno Theodoſii 3. Chriſti 381. foedus cum iis pactum eſt: deinde iidem multis donis ſociati, *foederati* ſunt appellati. Poſt obitum Theodoſii ſolitis penſionibus fruſtrati Alaricum Regem creant, &, pulſis e Pannonia *Vandalis*, & *Alanis*, Italiam petunt, *Stilicone & Aureliano*

Digitized by Google

re habito, *Arcadio* 5. *&* *Honorio* 5. *Coſſ.* anno Chriſti 402. Stiliconem cum exercitu Romano ſibi inſidiantem Polentiae victum fugavit. Cumque poſtea in Epirum ſe recepiſſet, antequam mortuo Stilicone iterum in Italiam deſcenderet, in Noricum venit; ex quo loco, pecunia non magna accepta, in Pannoniam copias ſe abducturum pollicebatur. Iſidorus *in Chron. Goth.* Idatius *in Chron.* Jornandes *de rebus Geticis.* Caſſiodori *Chron.* Oroſius *lib.* 7. *cap.* 37. Paul. Diaconus *lib.* 13. Zoſimus *lib.* 5. Marcell. *Chron.*

VIII. *Pannoniis* in longum tempus ita detentis, Hiſpaniae deinceps cum Galliarum parte a Vandalis, Alanis, Suevis, & Veſegotthis poſſeſſae ſunt. Nam *Vandali* aliquandiu in Suevia commorantes in *Francos* irruunt. Sed ab his ad internecionem usque deleti eſſent, niſi *Alanorum* vis eis ſubveniſſet. Cumque metu *Gotthorum* in Pannonias redire non auderent, a Stilicone Comite, qui e Vandalorum genere originem traxerat, tumque Honorio ſpreto Imperium affectabat, donis pecuniisque illecti in Gallias evocantur; cum Alanis, Suevis, Francis Rhenum trajiciunt, & pridie Cal. Januarias *Arcadio* 6. *&* *Probo Coſſ.* Gallias invadunt, ultimo die anni Chriſti 406. Biennio deinde continuo & amplius paſſim in iis vagantur, & omnia populantur; ſed patefactis per barbaros milites Conſtantini (qui noviſſime in Britannia & Galliis tyrannidem arripuerat) Pyrenaeorum clauſtris, Hiſpanias cum Alanis & Suevis ingreſſi ſunt, *Honorio* 8. *&* *Theodoſio* 3. *Coſſ.* anno Chriſti 409. Eodem Honorio conſentiente; ea lege tamen, ut Hiſpaniae cultoribus nullum damnum inferrent.

IX. Interim poſt Stiliconis necem, ab Honorio mandatam, pacis conditionibus cum Alarico repudiatis, iterum Italiam invadit *Alaricus*, *Athaulfum* uxoris fratrem, qui Hunnorum Gotthorumque copiis praeerat, ex Pannonia ſuperiore arceſſit; ſed eo non expectato Romam recta contendit & obſidet, eamque, rupto per inducias de componendis rebus colloquio, anno ſequenti Chriſti 410. *Varari ſeu Varane ſolo Coſ.* capit. Quo mortuo *Athaulfus* a Gotthis in locum ejus Rex ſubſtituitur. Is, Romam profectus, quidquid ibi reſidui fuit, poſt Alarici direptionem, depraedatur. Attali hortatu Gallias petit, & ſecum *Placidiam*, Theodoſii Magni filiam, Honorii ſororem abducit: Gallias *Honorio* 9. *&* *Theodoſio* 5. *Coſſ.* anno Chriſti 412. ingreditur. *Jovinum* dedititium pacis conciliandae cauſa mittit ad *Honorium* Narbonae menſe Januario inſequentis anni 413. Placidiam uxorem ducit, ex ea filium Theodoſium ſuſcipit, qui haud poſt multum temporis moritur.

X. Conſtantinus vero, apud Arelatum conſiſtens, Gotthos Narbona exegit, & in Vandalos arma movere ſuaſit, vel etiam compulit. *Athaulfus* apud Barcinonem a Gottho quodam *Honorio* 10. *&* *Theodoſio* 6. *Coſſ.* occiſus eſt anno Chriſti 415. Procopius *lib.* 1. *de bello Vandal.* Gregor. Turon. *lib.* 2. Jornandes *lib. de rebus Getic.* Oroſ. *lib.* 7. *cap.* 38 *&* 40. Miſcell. *lib.* 14. Paulus Diacon. *lib.* 13. Proſper. *Chron.* Idat. *Chron.* Zoſim. *lib.* 5. Marcell. *Chron.* Olimpiodorus *apud Photii Bibliothecam.*

tanei milites Romani cum Francis ſocietatem ineunt, in unam gentem coëunt, & Gallias poſtea invadunt. V. *Placidia Honorio per Emplutium Magiſterianum a Gotthis reddita Conſtantino nubit. Ex his Honoria & Valentinianus* III. *nati. Wallia Gotthorum Rex Vandalos & Alanos caedit in Hiſpania. Revocatus in Gallias a Conſtantio Regni ſedem Toloſae collocat, & Aquitaniam ſubigit. Narbonenſis provincia, cum quibusdam aliis Galliae provinciis, paret Romanis* VI. *Quis ſit* ὁ Μαγιστριανός, *apud Photium & alios auctores* VII. *Evocati a Boniſacio Vandali & Alani Africam occupant.*

I. DUm illa, quae dicta ſunt praecedenti Capite, in Italia, Narbonenſi provincia, & Hiſpaniis geruntur, commotis a Gerontio, propter Juſtum ſibi praelatum, adverſus Conſtantinum Galliarum Tyrannum, Barbaris, eodem anno quo Roma capta eſt ab Alarico, Chriſti 410. transrhenanae gentes inſulam Britanniam, & Gallias populantur; ſed primum *Britanni* ſumptis armis ſe a barbarorum incurſionibus liberant, & Romanorum jugum excutiunt: tandem Pictonum & Scotorum bellis attriti *Anglos*, ſive *Saxones* in auxilium evocant. Sed *quos*, inquit Paulus Diaconus *lib.* 14. *ſub fine*, *amicabili ſocietate exceptos, verſa in contrarium vice, hoſtes pro adjutoribus, impugnatoresque ſenſere: nam hi Britanniam ſuae ditionis fecerunt.* Proſperi *Chronicon* id contigiſſe refert ad annum Theodoſii & Valentiniani 18. *Dioſcoro & Eudoxio Coſſ.* anno Chriſti 442. Sed Miſcella ſignificat primum quidem *Anglos*, ſive *Saxones* arceſſitos: deinde, nova Saxonum claſſe in Britanniam appulſa, victis hoſtibus in *Britones* converſos, conficta occaſione, totam ſibi fere inſulam ſubegiſſe, circa tempora, quibus obiit Theodoſius Junior, hoc eſt, circa annum Chriſti 450. Hinc apparet verum eſſe quod ajunt Beda *lib.* 1. *Eccleſiaſticae hiſtoriae gentis Anglorum*, & Polid. Virg. *lib.* 3. *Anglic. hiſtor.* circa hoc tempus occupatam eſſe ab Anglis Britanniam. Zoſimus *lib.* 6. Paulus Diaconus *lib.* 14 Miſcell. *lib.* 14.

II. Britannorum exemplo in Galliis totus *Armorichus tractus*, caeteraeque Galliarum provinciae, ejectis praeſidibus Romanis, in priſtinam libertatem ſe vindicant, propria quadam republica ſuo arbitratu conſtituta. Zoſimus *dicto loco.*

III. Haec Gallorum rebellio majores ſtimulos addidit omnibus transrhenanis populis, dudum inhiantibus Galliarum poſſeſſioni, ut earum partes occuparent. Primi *Burgundiones Lucio* ſive *Luciano ſolo Coſ.* anno Chriſti 413. Alamanorum vicini, hoſteſque antiqui, partem Galliae Rheno propinquam obtinuere; deinde ulterius progreſſi, Clodii Francorum Regis temporibus, usque ad Rhodanum, qui Lugdunenſi civitati adjacet, fines protulerunt, data eis *Sabaudia* cum indigenis dividenda. Hi Arianorum ſecta primum infecti ſunt. Non eſt autem improbabilis eorum ſententia, qui putant ſic appellatos eſſe *Burgundiones*, quod crebra per limitem Imperii Romani habitacula conſtituiſſent, quae

Digitized by Google

immerito jactitarent.

IV. Sic narrat Tacitus *de mor. Germ. cap.* 29. *Gallos quoſdam inopia audaces, qui decumates agros exercebant, trans Rhenum, Danubiumque conſediſſe, & dubiae poſſeſſionis ſolum occupaſſe; mox aucto limite, promotisque praeſidiis ſinum Imperii, partemque provinciae habitos.* Dubiam poſſeſſionem vocat, de qua Juriſconſultus agit *l.* XI. *D. de evictionibus.* Eadem ratione Procopius refert, *Arborichos*, limitaneos Romanorum milites, *Francis* vicinis, bellum ſibi frequenter inferentibus, aliquot annis viriliter obſtitiſſe; ſed tandem cum iis ſocietatem iniiſſe, ſimulque in unum populum coëuntes, Gallias invaſiſſe. De *Francorum* poſſeſſione proximo capite dicam; nunc, annorum ſerie ſervata, de *Gotthorum* ſedibus in Aquitania, & Africae invaſione *Vandalica* quid praemittendum. Proſper. Caſſiod. *Chron.* Greg. Turon. *lib.* 2. Oroſ. *lib.* 7. *cap.* 32. Ammian Marcell. *lib.* 28. Tacit. *lib. de morib. Germ.* Procop. *lib.* 1. *de Bello Goth.*

V. Quod ad Gotthos attinet: *Empiutius Magiſterianus*, hoc eſt, *unus ex agentibus in rebus* numero Biarchorum, ut puto, miſſus ab Honorio per magiſtrum officiorum, procurante Conſtantio, ad Walliam, qui, poſt *Sigericum* ſeptimo regni die interemptum, *Athaulfo* ſucceſſerat, cum frumentatione ſexcentorum millium, Placidiae recipiendae foederisque componendi cauſa, utrumque conſequitur, & *Placidiam* ad Honorium fratrem reducit. Quo facto nuptias quidem Placidiae promeritus eſt Conſtantius *Theodoſio* 7. *& Palladio Coſſ.* anno Chriſti 416. ſed eam, diutius illas detrectantem, Honorius etiam invitam Conſtantio tandem deſpondit, ipſis *Honorio* XI. *& Conſtantio* 2. *Coſſ.* anno Chriſti 417. Ex quo Matrimonio primum *Honoria*; deinde *Valentinianus* tertius natus eſt, *Honorio* 12. *& Theodoſio* 8. *Coſſ.* vel, ut probabilius eſt, *Monaxio & Plinta Coſſ.* Anno Chriſti 418. vel 419. Interim, *Wallia* in Hiſpania converſus in Vandalos, Alanos, & Suevos, qui partiti erant inter ſe Hiſpanias, Vandalos Silingos omnes primum in Baetica extinxit. Alanos vero, qui reliquis Vandalis & Suevis imperitabant, adeo caecidit, ut, perempto Atace Rege, pauci eorum ſuperſtites, abolito regni nomine, ſubjecerint ſe *Gunderico* Regi Vandalorum, qui in Gallaecia reſederat; ſed is poſtea in Baeticam transmigravit. *Gothos* autem, tot victoriarum fama claros, tumque foederatos in Gallias, adhuc in rebellione perſeverantes, revocavit Conſtantius. Illi Aquitaniam a Tholoſa uſque ad Oceanum armis ſubegerunt, & Hiſpaniarum regno addiderunt, conſtituta Tholoſae regni ſede; cum reliqua pars Narbonenſis provinciae, & quaedam aliae Galliarum provinciae Romanorum Imperio adhuc parerent. Olimpiodorus *apud Phot. Biblioth.* Proſp. Caſſiodorus, & Idatius *in Chron.*

VI. ὁ Μαγιστριανὸς apud Photium, Novellas Juſtiniani, & alios auctores per ſyncopen dicitur pro, ὁ Μαγιστεριανὸς, apud Suidam, Gloſſas Baſilicῶn, & Euagrium *lib.* 3. *cap.* 16. Rectius autem Latine redditur, *Magiſterianus*, quam, *Magiſtrianus*. Vetus interpres *Novell.* 17. *cap.* 4. & *Nov.* 124. *cap.* 3. vertit *Magiſterianum:* ideo apud Victorem Tunnenſem legendum, *Literas ſatis idoneas Juſtiniano principi per Olympium Magiſterianum mittunt*, non *Magiſtranum*. Porro ſcite in Philoxeni *Gloſſis*, *Agens in rebus* vertitur Graece ὁ Μαγιστριανὸς. Dicuntur autem agentes in rebus *Magiſteriani* a Magiſteria poteſtate, hoc eſt a *Magiſtro officiorum*, a quo diriguntur in provincias ad varia Reip. negotia pera-

lis & Alanis obtulit. *Bonifacius*, vir fortitudinis & Juſtitiae laudibus clariſſimus, ab inepto Caſtino Magiſtro militum, in *Vandalos* miſſo, contumeliis affectus in Africam ſe recepit, *Honorio* 13. *C. Theodoſio* 10. *Coſſ.* anno Chriſti 422. *Placidiam* Conſtantinopoli agentem ob Honorii fratris indignationem pecunia juvit, nullumque non movit lapidem, ut illa rediret cum liberis ad Imperium, cum ipſe Africae praeeſſet. Poſt Honorii obitum (qui aquae intercutis morbo Cal. Septembris *Aſclepiodoto, & Mariniano Coſſ.* anno Chriſti 423. extinctus eſt) magna potentia fretus *Aetii Patricii* aemuli artibus in offenſam Placidiae & Valentiniani Junioris incidit, quaſi tyrannidem affectaret. Duces, in ſe miſſos, Mavortium, Gallionem & Sinocem caedit; ſed cum adverſus Sigisvultum Comitem ſe viribus imparem cerneret, Genſericum Regem Vandalorum & Alanorum ex Hiſpaniis arceſſit. Hic cum octoginta hominum millibus in Mauritaniam trajicit, *Hierio, & Ardaburio Coſſ.* anno Chriſti 427. & longe lateque Africam populatur. Fraude *Aetii* poſtea per *Bonifacii* amicos Imperatori revelata, is in gratiam Principis rediit. Verum, facti poenitens, non potuit a Vandalis & Alanis, vel prece, vel pretio, vel armorum vi reditum eorum in Hiſpanias impetrare; immo victus ab iis in urbem Hipponem confugit. Aſpare quoque Theodoſii Duce ſuperato pax cum Vandalis facta, *Theodoſio* 15. *& Valentiniano* 4. *Coſſ.* anno Chriſti 435. ſed poſt quadriennium dolo pacis Genſericus Carthaginem invadit, 10. Cal. Novembris *Theodoſio* 17. *& Feſto Coſſ.* anno Chriſti 439. Ab eo tempore uſque ad tertium Juſtiniani Conſulatum, Anno Chriſti 533. quo Africa per Beliſarium a Vandalis recepta eſt, recte Juſtinianus ait *in l.* 1. *C. de offic. praef. praet. Afr.* 95. annos interceſſiſſe; cum revera aliquot annis antea Vandali Africam eſſent ingreſſi. Olimpiod. *dicto loco.* Proſp. Idat. *Chron.* Miſcella *lib.* 14. Paulus Diaconus *lib.* 14. Procop. *lib.* 1. *de bello Vandal.* Victor Utic. Marcell. *Chron.*

CAPUT XIX.

I. II. *Franci Galliarum veteres indigenae; iidem tamen Germani appellati.* III. *Germani a Gallis oriundi eadem loca Hercyniae ſylvae proxima tenuere, quae Galli.* IV. *Franci Regum imperio ſubditi in Francia transrhenana.* V. *Quibus temporibus floruerunt primi quinque Reges, qui partem Galliarum poſſederunt.* VI *Gregorii Turonenſis locus emendatur.* VII. *Metathesis in Proſperi Chronico reſtituitur.* VIII. *Faramundus partem Galliarum, quam occupaverat, amiſit.* IX. *Pannoniae a Romanis receptae, mox amiſſae. Attila fratris a ſe occiſi regnum invadit. Germanicis, Scythicisque regnis imperat.* X. *Praefectus praetorio Illyrici Theſſalonicam e Sirmio profugit. Novella Juſtiniani* XI. *emendata. Attila in Galliis victus redit in Pannonias & Daciam.* XI. *In quibus provinciis variae gentes Attilae ſubditae poſt ejus mortem conſedere.* XII. *Alamani fines extendunt uſque ad Alpes Rheticas.* XIII. *Qua ratione Romanum Imperium extinctum ſit in Italia.* XIV. *Theodoricus Italiae Regno potitur.*

1. AD

geſtis Francorum in princ. & aliis, *Francos* originem a Trojanis & Sicambria, urbe Pannoniae, traxiſſe fingas. Nam recte Procopius *lib. 1. de bello Gotth.* ait, eos, *qui antea Germani dicebantur, poſtea Francos eſſe appellatos, & in iiſdem Paludibus ſedes habuiſſe.* In iisdem quoque paluſtribus, campis & ſaltibus Quintinus, Maximi dux, a *Francis*, fugam ſimulantibus, circumfuſus, ut olim Varus a *Germanis*, cum exercitu ſimiliter periit; auctore Sulpitio Alexandro apud Gregorium Turonenſem *lib. 2. Hiſtor.* Idem auctor paulo poſt inter *Francorum* populos, quos Arbogaſtes odio gentili Sunnonis & Marcomeris depopulatus eſt, *Bricteros*, *Chamanos*, *Ampſuarios*, *Cattos*, veteres Germanos commemorat. In eadem ſententia eſt Agathias *lib. 1.*

III. Ne tamen propterea *Francos* a ſolis *Germanis* deſcendere arbitreris, cum jam ſatis probatum ſit *Germanos* a *Gallis* oriundos, eademque loca Rheno & Nicro fluviis ac Hercyniae ſylvae proxima poſſediſſe. De ſedibus *Francorum* in Hercyniae ſylva ſic Claudianus *lib. 1. de laudibus Stilic. vſ.* 225.

Ut jam trans fluviam non indignante Cayco
Paſcat Belga pecus, mediumque ingreſſa per Albim,
Gallica Francoram montes armenta pererrent:
Ut procul Hercyniae per vaſta ſilentia ſylvae
Venari tuto liceat.

Sidonius *Carm. 7. vſ.* 324.

—— *Ulvoſa quem vel Nicer allait unda*
Prorumpit Francus, cedit cito ſecta bipenni,
Hercynia in lintres.

IV. Ne dubites etiam cum Gregorio, *dicto loco*, ſub Ducibus, an ſub Regibus *Franci* trans Rhenum in Francia vixerint ante Gallias, ab iis occupatas. Nam jam *ſupra* multa de Regibus eorum dicta ſunt, & Proſperi *Chronicon*, a Pithoeo editum, ad annum Gratiani quartum, *Priamum* quendam in Francia regnaſſe memorat, anno Chriſti 307. & de his ſic laudatus poëta Claudianus *dicto loco* cecinit *vſ.* 203.

—— *Crinigero flaventes vertice Reges.*

Et paulo poſt *vſ.* 237.

—— *Fallax quem Francia Reges*
Quos dederis.

Et infra *vſ.* 240.

Regia Romanis diſquivit crimina carcer,
Marcomer, Sunroque docet.

V. Hujus Marcomeri filium Aimonius vult eſſe *Faramundum*, quem primum *Francorum* Regem vulgo dictitant. *Faramundus*, teſte Proſpero *dicto loco*, in Francia regnavit Honorii anno 26. qui fuit Chriſti 420. *Clodius*, anno Theodoſii Junioris V. poſt obitum Honorii, Chriſti 428. exiit hic annus 26. die Auguſti, quo mortem Honorii contigiſſe *praecedenti capite* relatum eſt. *Meroveus* affinis Clodii anno Theodoſii 25. Chriſti 448. Proſper deinceps uſque ad finem *Chronici* annos octo numerat, intra quos nullum alium *Francoram* Regem recenſet. Unde conſtat, *Meroveum* expleviſſe annum Chriſti 455. Jam ex eo, quod Aimonius, poſt *Meroveum*, filium ejus *Childericum* per 24. annorum curricula Francorum regnum ſtrenue gubernaſſe referat, & Gregorius, filium Childerici *Clodoveum* ei ſucceſſiſſe, mortemque oppetiiſſe poſt annos regni 30. anno 112. a tranſitu Divi Martini; ſequitur *Meroveum* anno Chriſti 456. obiiſſe, *Childericum* anno 480. *Clodoveum* anno 509. quo deſinit annus ille 112. a tranſitu D. Martini. Nam idem auctor *lib* 1. ait D. Gregorium *in fine libri* 1. ubi legitur, *a paſſione Domini uſque ad tranſitum D. Martini annos* CCCXII. *computari.* Nam ſi ſecundum Gregorii computationem ab anno 399. demas 33. annos, quibus vixit Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſupererunt tantum *anni* CCCLXVI. ſicque omnino legendum. Facile Notae L. in C. & XVI. in XII. librariorum incuria ſunt commutatae.

VII. Ex his manifeſta metatheſis apparet in Proſperi *Chronico*, ubi tranſitus D. Martini ad annum quintum Arcadii & Honorii adſcribitur; cum verſiculus ille manifeſte tranſpoſitus ſit, & ad annum ſecundum ſit reſtituendus. Nam Gregorius non tantum aſſerit tranſitum D. Martini contigiſſe *Attico, Caeſareoque Coſſ.* ſed etiam anno Honorii & Theodoſii ſecundo.

VIII. Porro cum Proſper ait Priamum & Faramundum in *Francia* regnaſſe; id de transrhenana, quae poſtea *Franconia* dicta eſt, accipiendum, ad differentiam novae, Galliarum finibus circumſcriptae, patet ex D. Hieronymi, Auſonii, Claudiani & Panegyrici locis ſupra relatis. Quod ad *Faramundum* attinet: anno Chriſti 427. propinquam Rheno partem Galliarum occupaſſe videtur, ſed eam Aëtius *Felice & Tauro Coſſ.* anno Chriſti 428. caeſis Francis recepit. Caſſiod. *Chron.* Qua ratione puto, cum non male primum inter *Francorum Reges* connumerari, qui partes Galliarum poſſederunt. Nam ejus veſtigiis reliqui deinceps inſiſtentes, *Franciae transrhenanae* portionem aliquam Galliarum adjunxerunt, donec pleno jure integrarum Galliarum poſſeſſores, dominique effecti, Romanorum Imperium, Burgundionum, Weſegotthorum, Alamanorumque regna in Gallia extinxerint. Qua de re commodius *capite ſequenti* ſpecialiter verba ſum facturus.

IX. Interim quid in Pannoniis, Italia & aliis provinciis geſtum, breviter hic adnotandi locus eſt. *Pannoniae*, quas per quinquaginta annos *Hunni* poſſederant, a Romanis receptae ſunt *Hierio & Ardaburio Coſſ.* anno Chriſti 427. ſed non multo poſt amiſſae ſunt, cum Hunni ſub duobus regibus fratribus *Attila* & *Bleda* Illyricum, Thraciamque devaſtarunt, *Dioſcoro & Eudoxo Coſſ.* anno Chriſti 442. Marcell. & Caſſiod. *Chron.* *Attila* poſtea, occiſo fratre, regnum ejus invaſit, & innumeris gentibus per Pannonias, Daciam, Scythiamque, Germanicis, Scythicisque regnis imperavit, *Theodoſio* 18. & *Albino Coſſ.* anno Chriſti 444. Caſſiodor. Proſp. *Chron.* Miſcella *lib.* 14. Jornandes *de rebus Get.*

X. Illis *Attilanis* temporibus praefectus praetorio Illyrici, *Theſſalonicam* profugit e *Sirmio*. Sic omnino legendum, non, *Firmio*, in *Novella* XI. *Sirmium* prima fuit inter Pannonias urbes, ut ait Jornandes *dicto loco*, hoc eſt, Pannoniae caput. *Ea Sirmienſium civitas*, inquit Ennodius in *Panegyrico*, *olim limes Italiae fuit, in qua ſeniores domini excubabant. Haec poſtea per regentium neglectum in Gepidarum jura conceſſit.* Praeterea inſtigatus *Attila* in Valentinianum ab Honoria, ejus ſorore, perditis moribus virgine, & in Weſegothos a Genſerico, Vandalorum Rege, Gallias eſt ingreſſus, anno Martiani primo, Chriſti 451. ſed in campis Cathalaunicis victus eſt ab *Aetio* cum auxiliaribus copiis, potiſſimum *Theodorici*, Gotthorum Regis, qui in acie cecidit, & *Merovei* Francorum Regis. Capta deinde Aquileja, re-

diit

XI. Attila, mortuo *Vincomalo & Opilione Coſſ.* anno Chriſti 453. *Gepidae* Hunnorum ſibi ſedes vindicantes velut victores totius Daciae finibus potiti ſunt, & foedus pepigerunt cum Romanis, ea lege, ut quaedam ſolatia quotannis ab iis acciperent. *Oſtrogotthi* quoque, Hunnorum imperio ſubditi, rebellantes, eadem conditione *Pannoniam citeriorem* occupavere; *Satagae* interiorem; *Sauromatae*, *Caemandri*, cum quibuſdam Hunnis, aliam Illyrici partem ad caſtrum Martenam. *Sciri*, *Satagarii*, & caeteri Alanorum, cum ſuo Duce; *Scythiam minorem*, inferioremque *Moeſiam*, quidam *Hunni*, cum Attilae filio *Hernac*, minoris *Scythiae* ſedes delegere; alii in *Daciam ripenſem*, alii in *Romaniam* ſive *Thraciam*, ſe receperunt: Minor vero populus *Gotthorum* immenſus *Moeſiam* regionem incoluit. Caſſiod. *Chron.* Jornand. *dicto loco.*

XII. Iiſdem temporibus puto *Alamanos* Regni fines ad Alpes Rheticas uſque protuliſſe. Nam idem Jornandes ait, Theodemirum, patrem Theodorici, qui Rex Italiae fuit, Suevos, quibus juncti tum erant *Alamani*, Alpes Rheticas regentes cecidiſſe.

XIII. Ad Imperii extinctionem in Italia ſic perventum eſt ante Juſtinianum. Occidentis Imperium adverſus tot barbaras & bellicoſiſſimas gentes *Aetii Patricii* ſola virtute ſubſtitit inconcuſſum. At poſtquam is manu *Valentiniani* peremptus eſſet, nec multo poſt ipſemet Valentinianus ab Aëtii amicis, Maximo necis auctore, tum ruere coepit ad interitum, & tertio *Roma* ſpoliata eſt a Genſerico Vandalorum Rege, qui ab Eudoxia, Valentiniani uxore, in Maximum Imperatorem accerſitus eſt, *Valentiniano 8. & Anthemio Coſſ.* anno Chriſti 455. Caſſiod. Idat. Marcell. *Chron.* Ulterius non progreditur Proſperi *Chronicon.* Imperio Maximi ſucceſſit Avitus, Avito Majorianus, Majoriano Severus, Severo Anthemius, Anthemio Olybrius, Olybrio Glycerius, Glycerio Nepos, Nepoti Auguſtulus, Auguſtulo Odoacer, Herulorum Rex; *Baſiliſco & Armato Coſſ.* anno Chriſti 476. Caſſiod. Marcell. *Chron.* Auguſtulus ultimus fuit in Italia Imperator Romanorum; ſicut Imperatorum primus Auguſtus.

XIV. Odoacer vero Regis nomen aſſumpſit, & per quatuordecim annos quietus regnavit in Italia. Paul. Diac. *lib.* 16. At hic a Theodorico, Oſtrogotthorum Rege, ita poſtea occiſus eſt. Cum ſaepe *Oſtrogotthi* Pannoniarum incolae, ſolitis donis & muneribus a principibus ſibi non ſolutis, proximas regiones vaſtaſſent, tandem iis placatis, & renovato foedere *Theodoricus*, Theodemiri filius, obſes Leoni Principi datus eſt. Remiſſus in Pannoniam a Leone Rex a Gotthis eſt ordinatus poſt mortem patris. Revocatus Conſtantinopolim a Zenone *Conſul* factus eſt; ſed, Gotthis ſubditis inopia laborantibus, ab eodem Imperatore impetravit, ut ei cum Gotthis in *Odoacrem* exercitum movere liceret. Italiam ingreſſus, *Probino & Euſebio Coſſ.* anno Chriſti 489. *Odoacrem* bis fundit fugatque. Anno ſequenti Ravennae obſidet. Obſidionis anno tertio cum eo componit; *Ravennam* ingreditur; ſed mox inſidias ſibi molientem *Odoacrem* occidit, & ſolus Italiae regno potitur. *Caetheo* poſtea *Coſ.* victis Bulgaribus *Sirmium* cum *Pannoniis* recepit per Comitem Petzanim. anno Chriſti 504. Caſſiod. Marcell. *Chron.* Jornand. *de reb. Get.*

CAPUT XX.

I. *Imperii Romani interitus in Galliis.* II. III. *Clodoveus, Francorum Rex, ad veram Chriſti fidem qua ratione converſus.* IV. *... ſororibus & pluribus Francorum millibus. Ampulla divino chriſmate repleta D. Remigio a columba offertur. Eo Chriſmate inaugurandi Reges unguntur.* V. *Animos Gallorum orthodoxorum in ſe convertit Clodoveus poſt baptiſmum.* VI. *Gundobaldum, Burgundionum Regem, vincit, eique tributa indicit. Gundobaldus agnoſcit, ſed non vult palam profiteri S. Trinitatem.* VII. *Clodoveus ſororem Audefledam petenti Theodorico dat in uxorem.* VIII. *Divinis auſpiciis & auxiliis fultus Gotthorum exercitum juxta Pictavos fundit, Alaricum interficit, & Gotthorum regnum in Galliis tollit.* IX. *Procopius expenditur.*

I. DEflendus fuit hac tempeſtate, cum Proſpero in *Chronico*, *valde miſerabilis Reip. ſtatus, cum ne una quidem eſſet abſque barbaro cultore provincia pagano, vel Arriano. Infanda tum Arrianorum haereſis, quae ſe nationibus barbaris miſcuerat, Catholicae nomen fidei toto orbe diffuſa praeſumpſerat.* Inundaverant potiſſimum Gallias hujuſmodi barbarae gentes, ut ſcribit Salvianus Maſſilienſis Epiſcopus, horum temporum ſcriptor, *lib. 6. de gubernat. Dei.* Hinc Arriani *Burgundiones* quidem provincias, quae Rhodanum Maſſiliam uſque contingunt, poſſidebant. *Gotthi* vero Narbonenſem provinciam uſque ad Rhodanum, Aquitaniamque totam uſque ad Ligerim. Inde *Romani* vix intra Ligerim Rhenumque tuebantur ſe adverſus gentiles Saxones, Francos, Alamanos. *Saxones*, Odovacrio duce, Aurelianum & Andegavos uſque in Gallias proruperant. *Clodius* Francorum Rex Cameracum & Tornacum urbes obtinuerat. Poſt Aëtii caedem Sidonius *Carm.* 7. ſignificat, *Meroveum* quosdam Germanos & Belgas domuiſſe his verbis:

Francus Germanum primum, Belgamque ſecundum Sternebat.

Quae congruunt cum iis, quae de *Meroveo* refert Trithemius *Compend. lib.* 1. *Annal. Childericus* Merovei filius *Aegidio Patricio*, qui a Romanis tuendae Galliae curam ſuſceperat, & Rex a Francis in locum Childerici ad tempus ſuffectus erat, victo, reliquas civitates Romanas intra Sueſſionas & Rhenum ſitas, inter quas etiam *Agrippina* fuit, ſibi ſubjecerat: ipſe vero *Aegidius* Sueſſionas confugerat. *Odovacrio* quoque fugato, & *Paulo*, Romanarum partium Comite, interempto, Aurelianum & Andegavos occupaverat. Deinde inito cum Odovacrio foedere, una cum eo *Alamanos*, qui partem Italiae pervaſerant, ſubjugaverat. *Clodoveus* anno regni quinto, Chriſti 484. dejectum Sueſſionibus *Syagrium* Aegidii filium ab Alarico, ad quem confugerat, traditum, ſolum e Romanis ducibus ſuperſtitem, interfici juſſerat. *Thoringos*, anno Regni 10. Chriſti 489. ſubegerat, & ad Sequanam uſque fines regni dilataverat. Sicque totum Occidentis Imperium erat extinctum in Galliis. Soli *Aſtures* & *Cantabri* in Hiſpania Gotthorum jugum diſcuſſerant; ſicut poſtea Saracenorum paſſi non ſunt. Nam, quemadmodum ultimi Romano ſunt imperio ſubacti; ita ultimi quoque ab eo defecerunt. Greg. Turon. *lib.* 2. Aimon. *lib.* 1. Jornand. *de reb. Getic.* Sigebert. Flodoard. *lib.* 1. *cap.* 13. Platina *in vita Joannis* VI.

II. Cum haec ita ſe haberent in Galliis, ecce *Gallis* fidem orthodoxam profitentibus propitia fuit Divina Providentia! nam extraordinaria ejus ope fretus

Digitized by Google

ge. Cumque duos ex ea ſuſcepiſſet liberos, eoſque paſſus eſſet baptizari (nunquam enim hoſtili animo in Chriſtianos paganorum more affectus eſt: nondum tamen potuerat per eam exorari, ut Chriſtianus fieret) tandem anno quarto aut quinto a contracto matrimonio bellum ortum eſt adverſus *Alamanos*, anno Chriſti 494. aut 495. Tempore conflictus, inclinante jam *Francorum* acie, commonefactus ab Aureliano, fido ejus conſiliario, Chriſti auxilium invocavit ſub voto Chriſtianae Religionis amplectendae, cujus formula extat apud *Gregorium*; & abſque mora hoſtes proterit, in fugam vertit, eoſque, occiſo in acie Rege, in ditionem ſuam redigit. In reditu Rhemis aliquandiu commoratus, ancipiti cura ſolvendi voti angebatur, ne Francorum indignationem incurreret. Uxor Chrotildis *D. Remigium* accerſit: a quo ad veram Chriſti fidem converſus inter Catechumenos deputatus eſt; & interim habita oratione ad *Francos* ad eandem illos convertere conatur. Extat oratio apud Aimonium *lib.* 1.

IV. Intra paucos dies *D. Remigius*, multis ſtipatus Clericis, cubile Regis ingreditur die Dominicae paſſionis, ut, *abſoluto curis ſecularibus Rege*, *liberius ei committere valeret*, inquit Flodoardus, *ſacri myſteria verbi*. Exceptus ab occurrente Rege, in oratorium Beatiſſimi Apoſtolorum Principis, cubiculo Regis contiguum, ductus eſt, *ubi ſanctus Pontifex Divina luce fulgente irradiatus, ſpiritu prophetico inter alia futuros ſucceſſorum ejus eventus pronuntiavit. Quo modo poſteritas eorum nobiliter eſſet Regnum propagatura, Eccleſiam quoque Chriſti ſublimatura, Romanaque dignitate, vel regno potitura, & victorias contra impetus aliarum gentium perceptura, ſi non a bono degenerantes ſalutis viam forte relinquerent.* Poſtera die, quae Paſchalem ſolemnitatem antecedebat, beatus Epiſcopus manu Regem tenens, praecedentibus ſacroſanctis Euangelijs, & Crucibus, cum Litaniis, Hymnis, & Canticis ſpiritalibus, ab aula perduxit eum ad Eccleſiae baptiſterium. Sanctificato fonte nutu divino chriſma defuit, cum Clericus, chriſma ferens, populi magna frequentia interceptus, ad fontem pertingere nullo modo poſſet: ſed effuſo in preces & lachrymas Pontifici advolans candida columba, & roſtro deferens ampullam, coeleſtis doni chriſmate repletam, tradidit; quae etiam nunc *Rhemis* aſſervatur, ut educto ex ea divino chriſmate uncti Reges noſtri ad Monarchiam inaugurentur; ſacri muneris liquore fonte conſperſo a ſancto praeſule, Rex, tantae gratiae conſpecto miraculo laetus, abnegatis Diaboli pompis & operibus petiit baptizari, & fontem ingreſſus libenter audiit haec pontificis verba: *Mitis depone colla Sicamber, adora quod incendiſti, incende quod adoraſti.* Sicque poſt orthodoxae confeſſionem fidei trina tinctus merſione, divino ſummae, individuaeque Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſub nomine ſuſcipitur, delibutuſque eſt ſacro chriſmate cum ſignaculo Crucis Chriſti. De hujuſmodi miraculis non dubitat S. Hormiſda Papa in Epiſtola ad S. Remigium, quae extat apud Hincmarum *in Opuſculo* LV. *Capitul.* eaque Apoſtolorum miraculis aequiparat. Baptizata eſt deinde ſoror Regis *Alboſledis*, & altera, quae in Arrianorum haereſim prolapſa erat, *Lanthildis* nomine, chriſmata eſt: ſimulque baptiſmum accipiunt de Francorum exercitu virorum tria *migii*, Flodoardo *lib.* 1. *cap.* 13.

V. Hocce Baptiſmo Clodoveus interiora omnium *Gallorum* corda, etiam eorum, qui Burgundionibus & Weſegotthis ſubditi erant, in ſe convertit. Id teſtatur Avitus Viennenſis Epiſcopus in Epiſtola, nuper ab erudito P. Sirmondo edita *in primo Conciliorum Galliae tomo*, quam e Burgundionum regno ad *Clodoveum* gratulationis cauſa ſcripſit. Ait Avitus, *ſe miniſteriis baptiſmi corporaliter non acceſſiſſe, gaudiorum tamen commemoratione non defuiſſe.* Et paulo poſt: *Quidquid felicitas armorum ei praeſtitit, huic ſanctitatem addituram.* Idem comprobat Gregorius *dicto loco*: *Multi*, inquit, *jam tunc ex Galliis habere Francos dominos ſummo deſiderio cupiebant. Unde factum eſt, ut Quintianus Rutenorum Epiſcopus per hoc odium ab urbe depelleretur; dicebant enim ei* (Gotthi ſcilicet) *quia deſiderium tuum eſt, ut Francorum dominatio poſſideat terram hanc.*

VI. Gallorum orthodoxorum votis Deus annuit. Nam, diſſidio inter duos fratres Gundobaldum & Godegeſilum Burgundionum Reges nato, arceſſitus a Godegeſilo *Clodoveus*, percepta benedictione a Beato Remigio in *Burgundiones* duxit exercitum. Conjunctus deinde Godegeſilo Gundobaldum ad Oſcaram fluvium ſecus Divionem caſtrum fugat, & Avenione incluſum obſidet: obſidionem ſolvens ei tributa indicit. Sed poſtquam ad proprias ſedes rediit, Gundobaldus Viennam capit, fratrem obtruncat, & ab Avito Epiſcopo confuſus clam *S. Trinitatem* agnovit; noluit tamen eam, quamdiu vixit, coram populo palam profiteri, & in hac inſania uſque ad exitum vitae perduravit. Gregorius, Aimonius, Flodoardus, *dictis locis*.

VII. Sub haec tempora *Theodoricus* Rex Oſtrogotthorum & Italiae, miſſa legatione ad *Clodoveum*, videtur filiam ejus *Audeſledam* in matrimonium petiiſſe, quam ille libenter conceſſit, ut filios ſuos cum gente Gotthorum juſto foedere ſociaret, ut ait Jornandes: ſed quia *Clodoveus* vix potuit tum viripotentem puellam habere ex juſto matrimonio procreatam; rectius eam *Clodovei* ſororem dixeris cum Gregorio *lib.* 3. *cap.* 31. & Aimonio *lib.* 2. *cap.* 9. Quidquid ſit: *Theodoricus* Rex pro reliquis *Alamanorum*, quas in Italiam receperat poſt Clodovei victoriam ab iis reportatam, tanquam a Chriſtiano Principe & affine veniam deprecatur; apud Caſſiod. *lib.* 2. *variar. ep.* 10. *Reliquias Alamanorum* vocat Caſſiodorus, quas Ennodius *in Panegyr. Alamaniae generalitatem* dixit.

VIII. Juſta quoque poſtea belli gerendi adverſus Gotthos occaſio talis ſuborta eſt. Indignatio quaedam caeca propter *Gallorum* affectum in *Clodoveum*, & querelas eorum, qui propterea e patria pellebantur, ad bellum ſtimulabat animos *Alarici* & *Clodovei*: miſſis tamen ſaepius utrinque Legatis, pacis conciliandae cauſa, *Clodovei* legati tandem renuntiant, *Alaricum* clam inſidias moliri eo loco, in quem convenire utrique placuerat. Quapropter uterque ſe ad bellum accingebat. *Theodoricus*, Rex Italiae amborum affinis, hac de re ſollicitus (nam filiam *Alarico* matrimonio copulaverat, & inde natus fuerat *Amalaricus*) ad utrumque epiſtolas ſcripſit, & legatos miſit, quibus eos ad arbitros eligendos, querelarum componendarum cauſa, ſummopere hortatus eſt, & interminatus ei ſe bellum indicturum, qui pacis conditionibus repudiatis prior ad certamen pro-

haec verba prorupit: *Valde moleſte fero*, inquit apud Gregorium, *quod hi Arriani Gotthi partem Galliarum tenent. Eamus cum Dei adjutorio, & iis ſuperatis redigamus terram in ditionem noſtram.* Fauſtis poſtea divini auxilii auſpiciis Pictavos, ubi tunc Alaricus commorabatur, exercitum dirigit. Nam, miſſis ad D. Martini baſilicam nuntiis ad belli omen aliquod accipiendum, Antiphonam ex improviſo primicerius qui erat incepit: *Praecinxiſti me, Domine virtute ad bellum, ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus te, & inimicorum meorum dediſti mihi dorſum: & odientes me diſperdidiſti.* Accedente quoque ad campum *Vocladenſem* decimo ab urbe Pictava milliario Rege, dum eminus in tentoriis commoraretur, pharus ignea, de baſilica S. Hilarii egreſſa, viſa eſt ei tanquam ſuper ſe advenire: ſcilicet, inquit Gregorius, *ut lumine tanti Confeſſoris adjutus Hilarii liberius haereticas acies, contra quas ſaepe idem ſacerdos conflixerat, debellaret.* Igitur Gotthorum exercitum ibi delevit, *Alaricum* ſua manu interfecit, anno Anaſtaſii 17. ſalutis 507. ſi credimus Iſidori *Chronico Gotthorum*, ubi dicitur Alaricum regnaſſe XXIII. annos; non tamen completos: nam Gregorius viginti duos annos exceſſiſſe ſignificat. His ita geſtis *Theodoricum* filium ad Arvernos dirigit *Clodoveus*, ipſe vero apud urbem Burdegalenſem hyemavit. Vere novo Toloſam petiit, & inde Theſauros *Alarici* auferens Engoliſmam venit. Ad ejus conſpectum divino nutu muri corruerunt. Dum redit & Turonis commoratur Codicillos ab Imperatore Anaſtaſio accepit, quibus Conſulatus & Patriciatus ei oblatus eſt, cum corona, tunicaque aurea. Mox Pariſios pervenit: ubi etiam Theodoricus reverſus eſt, poſtquam Gotthorum urbes uſque ad Burgundionum fines patris ditionibus ſubjugaſſet.

IX. Haec omnia confundit Procopius *lib. 1. de bello Goth.* cum obſidione urbis Carcaſonis; quae non potuit a Francis obſideri, niſi poſtquam in regione Pictavienſi occiſus eſt *Alaricus*: quod tamen narrat de ſoluta obſidione hujus urbis metu exercitus miſſi a *Theodorico Italiae Rege*, & de parte Galliarum ab eo recuperata, excepta regione, quae ad Oceanum tendit, verum eſt. Nam Jornandes ait, per Ibbam, *Theodorici* comitem, triginta Francorum millia caeſa. Caſſiodorus notat id factum, *Venantio & Celere Coſſ.* anno Chriſti 508. Caſſiodor. *lib. 3. variar. ep. 1. & 4. & in Chron.* Gregor. *lib. 2.* Aimon. *lib. 1.* Jornandes *de rebus Getic.* Paulus Diaconus *lib. 17.*

CAPUT XXI.

I. *Edicti Nemauſenſis 1629. artic. 2. ex dictis exponitur.* LUDOVICI XIII. *clementia & charitas. Cur Eccleſiae, quas reformatas vocant, non ſunt orthodoxae.* II. *Sub fatali Ludovici nomine haereſes extirpatae. Clodoveus ad fidem orthodoxam & Galliarum Monarchiam a Deo vocatus, ut Arrianiſmum tolleret.* III. *Idem Rex Clodoveus & Ludovicus appellatus.* IV. *Ludovici Albiorum haereticorum domitores. Cur Dei gratia Francorum Reges nuncupent ſe Chriſtianiſſimi noſtri Principes.* V. *Clodoveus ſaevit in propinquos & ſocios Monarchiae ſtabiliendae cauſa. Anno Chriſti 509. moritur. Gregorius Turonenſis emendatus. Quibus temporibus Theodoricus, Ostrogotthi Geſelicus, Amalaricus, Theodis regnaverunt. Chronica Wiſigotthorum emendata.* IX. *Procopii lapſus multiplex in Hiſtoria Gallicana. Mendum apud eum tollitur.* X. XI. *Vera ejuſdem narratio de Thuringorum regno ditioni Francorum ſubdito, & Galliarum diviſione in tres partes. De Clodomere, Godomaro, & Britannis quaedam adduntur.*

I. POtui debuique, properans ad propoſitam ab initio inſcriptionis noſtrae defenſionem, ea, quae ſuperius expoſita ſunt breviori compendio perſtringere. Sed qui ſibi temperaret Hiſtoriographi Regii titulo decoratus, quando Rex noſter LUDOVICUS perruptis Cebennae montis faucibus, caſtellis, oppidiſque munitiſſimis, fractiſque tandem perduellium haereticorum partibus, univerſae Galliae pacem dedit, ac *Edictum Nemauſenſe* promulgavit An. Chr. 1629. menſe Julio; cujus Articulo 2. humaniſſime ſubditos ab Eccleſia Catholica devios hortatur, *omnem animorum contentionem ac pervicaciam deponere, ut coeleſtis gratiae illuſtratione digniores ſe praeſtent, & in hujus Eccleſiae gremium redire poſſint, in qua Chriſtianiſſimi Reges deceſſores ſui, jam per undecim ſecula & amplius, absque ulla temporis intermiſſione, aut religionis innovatione conſtanter vixerunt*; qui fieri poſſet, inquam, ut ille, quamvis aliud agens, in ea tamen incidens tempora, regio indicata edicto, antequam hujus rebellionis originem, progreſſus, & finem, probro atque inſectatione omni abſtinens, in lucem ederet, laudata Regis clementia ac ſingulari charitate, non anteverteret curioſius tempus adnotare, quo primus Francorum Rex e paganica ſuperſtitione ad eandem fidem orthodoxam, quam hodie ſucceſſor ejus Rex, *Juſti* cognomine merito inſignitus, profitetur, divinitus eſt vocatus; oratoria, Baſilicas D. Petro dicatas, & ſolemnes illius temporis ritus Eccleſiaſticos in Crucibus Epiſcoporum antecedentibus, Litaniis, Hymnis, Canticis ſpiritalibus per vias urbicas recitatis, ſacroſanctae Trinitatis confeſſione, baptiſmi petitione, chriſmatis unctione cum ſignaculo Crucis: quibus omnibus, & aliis ſimilibus, non ſine antiquitatis veneratione nunc utitur Eccleſia Romana. Nam hinc, inter alios hujus obſervationis lectores, bona fide mecum obiter agnoſcant neceſſe eſt, qui benigna & paterna Regis oratione invitantur ad eandem immortalis vitae ſemitam, qua ipſemet caſte, juſte, & pie progreditur, contendendam, non eſſe orthodoxas Chriſti Eccleſias, quas *reformatas* praetendunt, cum eae tantopere ab antiquis moribus Eccleſiaſticis abhorreant, ut vix ullum eorum veſtigium retinuerint.

II. Praeterea, ut iidem fatale *Ludovici* nomen venerentur, tanquam aliquod proſperum ſidus, cujus micanti lumine ſinuoſis errorum maeandris abſoluti, ad tutum in Petri cymba ſalutis portum appellere mereantur, non inutile viſum eſt diligentius obſervare, qua ratione ſub hujus nominis auſpiciis, Deo ita ordinante, cum initiis Chriſtianae *Francorum* Monarchiae in Galliis haereſis Arrianae monſtrum profligatum fuit. Quaſi *Clodoveus* ea potiſſimum de cauſa ad fidem orthodoxam, & univerſarum Galliarum imperium ſit a Deo vocatus, ut, coeleſti gratia & virtute corroboratus, haereſim illam radicitus extirparet. Idcirco in oratione quam habuit ad exercitum apud Aimonium *lib. 1. cap. 20.* ante Gotthicam

Digitized by Google

mico aliqua perdant, hic centuplicata reſtituit. Haeretici vero nec acquirunt, ſed quod videntur habere, auſertur ab eis. Probavit hoc Godegeſili, Gundobaldi, & Gundomari interitus, qui & patriam ſimul & animas perdiderunt.

III. Sed quid, inquiet aliquis, haec faciunt ad *Ludovici* nomen? Immo, quem noſtri rudiuſcule *Clodoveum*, Latinae linguae peritiores *Ludovicum* nominant; Jornandes *lib. de rebus Get.* cum *Lodoiu* appellat; Caſſiodorus *Luduin* & *Ludovicum*, *lib.* 2. *variar. epiſt.* 41. & *lib.* 3. *ep.* 3. & 4. Flodoardus modo *Clodoveum*, modo *Ludovicum lib.* 1. *cap.* 14. & *cap.* 15. D. Remigius ſemper *Ludovicum* in formula Teſtamenti, quae apud eundem Flodoardum extat *lib.* 1. *cap.* 18. id etiam doctus Hiſtoriographus Regius Dupleix non omiſit, *in vita Clodovei.* Licet propterea diverſae appellationes regum noſtrorum non ſint confundendae in hiſtoria Francica.

IV. Superfluum eſſet hic adjicere de domitoribus Albiorum haereticorum *Ludovicis*, quod cuique notum eſt. Sed non praetermittam ex hiſtoria ſuperiori liquere, quam jure meritoque Chriſtianiſſimi Reges in edictis, monumentiſque publicis ſe *Dei gratia Reges* nuncupent, cum ſolo Dei beneficio inter alios Principes, communique Gallorum aſſenſu ad totius Gallici Regni gubernacula regenda in perpetuum ſint evecti.

V. Caetera nunc breviter attingam, quae poſt bellum Gotthicum, & obitum Clodovei uſque ad Juſtiniani tempora in Galliis geſta ſunt. Revertus ab expeditione Gotthica Clodoveus anxie nimis operam dedit, ut ſolus in Gallis & antiquis Germaniae ſedibus Regno potiretur, & tuta ſibi liberiſque ſuis jaceret Monarchiae fundamenta; nam ideo ſaeviit in propinquos & ſocios, qui cis & ultra Rhenum quibuſdam Francis imperitabant, eoſque Regno ſimul & vita leviſſimis de cauſis ſpoliavit. Sed non multo poſt ipſemet ſua morte crimen expiavit, anno aetatis 45. Chriſti, ut jam dixi, 509. qui tertius fuit poſt proelium *Vocladenſe*, in quo *Alaricus* occiſus eſt. Nam puto ſcriptum apud Gregorium *in fine lib.* 2. *anno* III. non *anno* v. & apud Aimonium *lib.* 1. *cap.* 25. Nemo non videt facilem eſſe harum notarum transmutationem. Jam autem quibuſdam argumentis *capite praecedenti* probavi, *Alaricum* interemptum An. Chriſti 507. & *Clodoveum* obiiſſe anno 509. praeter ea, quae in hanc rem accurate congeſſit Doctiſſimus Petavius *lib.* XI. *doctrina temporum cap.* 41. Quibus etiam conſequens eſt, Theodobertum filium Theodorici, qui ſecundum Gregorium *lib.* 3. *cap.* 23. anno regni 23. deceſſit, patri ſucceſſiſſe an. Chriſti 532. & cum ipſe annis 14. regnaverit, Theodebaldum ejus filium anno Chriſti 546. regnum iniiſſe: eundem vero mortuum eſſe anno Chriſti 553. Regni 7. eodem Gregorio teſte *in fine lib.* 3. & *lib.* 4. *cap.* 9. Quae omnia mirum in modum conſentiunt iis, quae de vita & bellis a Juſtiniano ſuſceptis ſcripſere tam Procopius, quam Agathias & Marcellini appendix, in qua *Theodebaldus* dicitur mortuus, anno poſt Conſulatum Baſilii XII. Chriſti 553.

VI. Idem quoque comprobari poteſt hiſtoria ſequenti. Anno Chriſti 507. poſt caedem *Alarici*, Geſelicus filius ejus naturalis a Weſegotthis Rex Nar-das Galliarum partes, quas non ita pridem ſibi quaeſierant, in *Burgundiones* belli ſocietatem inierunt, certamque pecuniae ſummam invicem ſtipulati ſunt ab iis, qui proelio non intereſſent. Sed *Theodoricus*, Rex Italiae, *Francis* callidior mandavit Ibbae Comiti ut ante certaminis exitum opperiretur, quam copias in hoſtes educeret, *ne*, inquit Caſſiodorus *lib.* 8. *Variar. epiſt.* 10. *adverſa manus praeſumeret, quod ejus exercitus impenſis laboribus vindicaſſet.* Itaque, cum a ſolis Francis victi *Burgundiones* in ultimas terras, quas incolebant cum tutioribus praeſidiis, eſſent fugati, ſuperveniens Theodorici exercitus, ſoluta Francis poena, in diviſionem locorum venit, quorum poſſeſſionem nacti erant eo bello *Franci*; quod idem auctor vocat *triumphum ſine pugna, ſine labore palmam, ſine caede victoriam.* Eo tempore patria & vita privatus eſt *Gundobaldus* relictis Sigiſmundo & Godomaro filiis Regni ſucceſſoribus: tum Ibba Comes Hiſpaniam ingreſſus Theodorici juſſu fugae ignominia Regni faſces ſeu inſignia *Geſelico* ademit. Cumque is partim in Africa, partim in Aquitania latitaſſet per anni ſpatium, tandem, duodecimo a Barcinona urbe milliario, ab eodem Theodorici duce fuſus fugatuſque eſt, mox occiſus. Sic *Theodoricus* tutelam agens *Amalarici* nepotis de Italia regnavit in Hiſpania annos XV. hoc eſt ab anno Chriſti 511. uſque ad annum 526. quo deceſſit, ut ex Procopii *hiſtoria* notum eſt. *Amalaricus* vero ei ſucceſſit: annos quinque regnavit: & extinctus eſt anno Chriſti 531. *Theudis*, ſeu *Theodis* poſtea regni habenas tenuit per ſexdecim annos, menſes ſex, & deceſſit anno Chriſti 548. vel 549.

VII. Haec narratio periit apud Gregorium *lib.* 3. quam ſine dubio non omiſerat. Nam *cap.* 1. meminit interitus *Gundobaldi* & *Godomari* Arrianorum. Fugati *Godomari* exitium narrat *cap.* XI. *Gundobaldi* caſum expoſuerat ante *cap.* 5. proinde ita *Caput* 5. exorſus eſt: *Igitur mortuo Gundobaldo* &c. Sed haec lacuna ex dictis repleri poteſt, & colligi ex Procopio *lib.* 1. *de bello Gotth Chronico Gotthorum*, Caſſiodoro *dicto loco*, Jornande *lib. de rebus Get.* & *Chron. Wiſigotthorum.* In quibus ſic omnino legendum: *Geſaericus regnavit annos* III. & *in latebra annum* I. *Theudericus de Italia regnat in Hiſpania tutelam agens Amalarico, nepoti ſuo, per comites annos* XV. *Amalaricus regnavit annos quinque, Theudis regnavit annos ſexdecim, menſes ſex.*

VIII. Quae dixi de ſocietate Oſtrogotthorum & Francorum, male Procopius putat eam praeceſſiſſe *Theodorici* expeditionem Gallicanam: nam haec non eſt ſuſcepta, niſi poſt caedem *Alarici*, ut jam dixi, & anteceſſit callidum Theodorici conſilium, ut perſpicuum eſt ex *dicto loco* Caſſiodori: ſicut ex duobus aliis locis conſtat, *Gundobaldum* adhuc fuiſſe ſuperſtitem & maligne gaviſum eſſe de Alarici & Clodovei certamine, ſcilicet *lib.* 2. *Variar. ep.* 1. & 2. ut victi regnum invaderet, quod & eum feciſſe probat *Chronicum Gotth.* quemadmodum tempore belli, cum Odoacre a Theodorico geſti, antea Liguriam occupaverat; auctore Abbate Urſpergenſi *in Chron.* Item male facit *Amalaricum* Alarici nepotem ex filia, cum ille ſit nepos *Theodorici*, filius vero *Alarici*; quamvis affirmare auſim mendum eſſe in Graeco Hoeſchelii, & horum verborum loco, τῷ ἐξ Ἀλαρίχου θυγατρὸς παιδὸς, legendum, τῷ ἐξ ἰδ. Ἀλαρίχου: nam re-

ſe; filia Clodovei, Chrotildis nomine, ſoror Theodorici, qui pater fuit Theodeberti: item male ait, eundem Amalaricum occiſum eſſe a *Theodeberto:* nam id patratum eſt a *Childeberto*, fratre Chrotildis; quod illam ad Arrianam haereſim amplectendam compellere tentaſſet. Solent Auctores de locis, a ſe procul diſſitis, minus fideliter referre, quae parum eis ſunt cognita. Sic errant ſaepe Auctores noſtri, cum de rebus a Juſtiniano geſtis loquuntur.

X. Idem tamen Procopius recte ſcripſit poſt mortem Theodorici, Italiae Regis, Francos duce *Theodorico* primo Clodovei filio, *Thuringos*, occiſo eorum Rege Hermenefrido, in ditionem ſuam redegiſſe; & temporibus belli Gothici a Juſtiniano ſuſcepti *Beliſario Coſ.* anno Chriſti 536. Gallias in tres partes fuiſſe diviſas inter *Childebertum*, *Clotarium*, & *Theodebertum*; cum ſcilicet jam Clodomeris, unus ex quatuor filiis Clodovei, bello Burgundico adverſus *Godomarum* occiſus eſſet, & Godomari Regnum ditionis Francorum factum eſſet a *Childeberto* & *Clotario*. Recte quoque Agathias *lib.* 1. ait, *Theodebertum* circa haec tempora *Alamanos, qui adhuc pagani erant, ſubegiſſe.*

XI. *Britanni* denique, Armorici nimirum, teſte Gregorio *lib.* 4. *cap.* 4. *ſemper ſub Francorum poteſtate fuerunt poſt obitum Clodovei, & Comites, non Reges habuerunt.*

CAPUT XXII.

I. *Divina providentia Clodoveum in Occidente, Juſtinum & Juſtinianum in Oriente ad Imperium vocavit.* II. *Zeno & Anaſtaſius edictis ſuis Chalcedonenſe Concilium damnant, haereticos fovent, Catholicos vexant per* XL. *annos.* III. *Libya Aegypto proxima Orientali ſubdita Imperio. Vandalorum Reges Orthodoxos Epiſcopos expellunt, fideles variis modis exagitant.* IV. *Anaſtaſius fulmine ictus. Juſtinus, omnium Orthodoxorum votis a Deo evectus ad Imperium, leges fert, quibus Orthodoxorum jura tuetur, haereticorum ſectas coërcet.* V. L XI. XII XIII. C. de Haereticis & Manich. *ſunt Juſtini, poſteriores Juſtiniani.* VI. VII. *Quo affectus animo ad Imperium pervenit Juſtinianus.* VIII. *Ob ingentem numerum Eccleſiarum a ſe conſtructarum, & operum publicorum, quae fieri curavit, Orbis reparator appellatus.* IX. *Armis & legibus regit Reip. ſtatum.* X. *Legum appellatione jus publicum & privatum ſignificatur. Jus publicum proprium Principis.* XI. *Cur edictis & legibus ſuis Juſtinianus, quae ad fidem orthodoxam, & politiam Eccleſiaſticam pertinent, ſit complexus.* XII. *Quot edicta de fide inſeruit* Titulo Cod. de ſumma Trinitate.

I. Sic ordinata, ut dictum eſt, tam Orientis, quam Occidentis Republica, omnes Orthodoxi vel inviti agnoſcere debent, non tantum in Occidente providentiam divinam anno Anaſtaſii quinto, Chriſti 495. inter medias paganorum & Arrianorum turbas, quibus ad exitium uſque fere divexata eſt Eccleſia Catholica, Apoſtolica & Romana, *Clodoveum* Francorum Regem ad fidem orthodoxam, & univerſarum Galliarum, Franciae Orientalis, ... orthodoxos, ad Imperium ſuſtuliſſe; ut Orientis Eccleſiae dudum ab haereticis poſſeſſae cum Apoſtolica Sede conciliarentur, haereſes Neſtorianorum, Manichaeorum, Eutychianorum, Sabellianorum, Arrianorum, eorum ope tollerentur, Conciliorum oecumenicorum, & ſacrorum Canonum decreta ſervarentur, & fides Catholica una cum Imperio ad infideles transmitteretur.

II. Nam qui Eccleſiaſticae hiſtoriae ſcriptores & inter alios Nicephorum, & Baronii *Annales* diligenter excuſſerit, diſcet, *Zenonem* Acacii haeretici Conſtantinopolitani Epiſcopi ſuaſionibus, *Henotico edicto*, quo Eccleſias uniri jubebat per concordem Nicenae fidei profeſſionem, Concilium Chalcedonenſe damnaſſe: Alexandrinum Patriarcham Petrum, & alium Petrum Antiochenum Patriarcham *Henotico* ſubſcripſiſſe; atque ita orthodoxos prohibitos fuiſſe fidem Catholicam, Apoſtolicam & Romanam profiteri. *Anaſtaſium* in ſuo Imperii Praeſulibus Eccleſiarum facultatem dediſſe quamcunque vellent doctrinam populo exponendi; indeque factum ut in multas ſectas Orientales, Occidentalesque ac Libycae Eccleſiae ſub Orientis imperii diviſae ſint, ut neque Oriens cum Occidente, neque Libya cum utroque conſentiret, nec inter ſe Orientales Eccleſiae, nec Occidentales, nec Libycae convenirent. Sed non poſt multum temporis *Anaſtaſium* Chalcedonenſem Synodum repudiaſſe, Manichaeos, Arrianos, Eutychianos, aliosque haereticos foviſſe, &, quandiu vixit, Orthodoxos odio habuiſſe, eosque multis poenis coërcuiſſe: quo tempore ait Gregorius *lib.* 2. *Hiſtoriarum cap.* 3. *Beatum Avitum hortatu Gundobaldi in errores Eutychianos & Sabellianos, qui apud urbem Conſtantinopolitanam inſurrexerant, ſcripſiſſe.* Recte contra Mocianum Facundus, quem nudiuſtertius nobis dedit P. Jacobus Sirmondus: *Zeno*, inquit, *Sedis Apoſtolicae decreta contemnens praedicto Acacio communicaverat, & omnes Eccleſias, in ſui regni finibus conſtitutas, idem facere compellebat. Anaſtaſio deinde, in Imperium & in praeſumptionem ſimilem ſuccedente, omnis Oriens praeter admodum paucos, qui in illa multitudine occulti latebant, a communione Sedis Apoſtolicae remotus per undecim ferme annos uſque ad tempora Juſtini permanſit.*

III. Quod autem dictum eſt ex Nicephoro *lib.* 16. *cap.* 25. de Libycis partibus, id de Libya Aegypto proxima, Cyrenaica, & Pentapolitana, ad cujus fines extendebatur Orientis Imperium, teſte Procopio *lib.* 6. *de aedific.* eſt accipiendum, ut *cap.* 12. *ſupra.* non de Africa proprie dicta, Numidia Bizacena, Mauritania, Caeſarienſi, & Tripolitana, quas tum Arriani, Vandali, multis modis in Orthodoxos ſaevientes, poſſidebant. Marcellinus *in Chron.* refert, Hunericum, ſive Honoricum II. Vandalorum Regem, pluſquam CCCXXXIII. Epiſcopos Catholicos in exilium miſiſſe, Eccleſiis eorum clauſis, & plebe fidelium variis ſubacta ſuppliciis. Notitia, edita ab eodem Sirmondo inter *Opuſcula dogmatica veterum ſcriptorum*, continet CCCCLXVI. Epiſcopos illis provinciis & Inſula Sardinia interdictos. Succeſſores Honorici ejus exemplo legimus apud Procopium *lib.* 1. *de bello Vandal.* fideles exagitaſſe uſque ad tempora Hilderici quinti, Vandalorum Regis in Africa, noſtro Juſtiniano ſtrictis amicitiae vinculis conjuncti, qui per ſeptennium Catholicorum Eccleſiis quietem dedit; donec propterea Regno deſtitutus eſſet a Vandalis, Gilimere, fidelibus infeſto, in ejus locum ſubſtituto.

IV. Verum ſera tandem in haereticorum capita im-

rat. Illyricianus Catholicus dicitur a Victore Tunnenſi, Synodi Chalcedonenſis amator, ſimulque defenſor. Quapropter Othodoxorum omnium Epiſtolae gratulatoriae ad eum miſſae undique concurrebant, cum edicto revocaſſet omnes Orthodoxos ab exilio, ut notat Baronius ex actis S. Sabae. Ipſe quoque ad Hormiſdam ſummum Pontificem literas ſcripſit *quaſi primitias Imperii Beato Petro reddens*, ut ait idem Hormiſda, *gratulationis paginam* ad eundem per Alexandrum reſcribens. Populi quoque acclamationes Conſtantinopoli omnibus in locis perſonabant, etiam in Eccleſia, relatae in actione quinta Concilii Conſtantinopolitani ſub Menna, quod editum eſt a P. Frontone Ducaeo, quales ſunt hae: *Juſtinus imperat; quid verendum eſt? vicit fides Auguſti. Ex Deo eſt hoc Imperium, Novus eſt Conſtantinus, Vicit Juſtinus, Unus Deus eſt, qui hoc fecit, Unus Deus, una fides ad pacem Eccleſiarum.*

V. Mox leges tulit, quibus Orthodoxorum jura tuitus eſt; Manichaeorum vero caeterorumque Haereticorum, exceptis Gotthis foederatis, ſectas prohibuit, aut antiquis Conſtitutionum poenis mulctavit. Hae videntur eſſe, quae titulo *Cod. de Haereticis & Manich.* inſertae ſunt numero XI. XII. & XIII. Non ſunt enim *Anaſtaſii*, quia, ut jam dixi, Manichaeos, alioſque Haereticos fovit; at *Juſtiniani* ſunt *l.* 14. & ſequentes uſque ad finem *ejuſdem Tituli*; ut colligi poteſt ex Procopio in *Anecdotis*, Theophane, & aliis.

VI. Praeterea ſatagente potiſſimum Juſtiniano, literiſque ipſiuſmet Juſtiniani Comitis Conſtantinopolim evocatur *Hormiſda.* Sed is Legatos tantum cum mandatis direxit, ut ex Baronio notum eſt, ſedente tunc in Eccleſia Conſtantinopolitana Joanne; cui de conciliata Eccleſiarum Orientalium cum ſede Apoſtolica concordia e Galliis noſtris *Avitus* gratulatur quadam epiſtola, cujus fragmentum dedit idem Sirmondus *in Notis ad lib.* 12. *Facundi.*

VII Operi tanto a Juſtino inchoato manum extremam adhibuit *Juſtinianus.* Nam cum ad Imperium pervenit annis 45. maturus, non niſi ad ſeria & ſublimia erexit animum, multa jam rerum experientia exercitatum. Ruinis Barbarorum, & Haereticorum undequaque tum deformatum erat Orientis Imperium; Haereſis adbuc indomita latebat; Jura fori confuſa pro Magiſtratuum libidine reddebantur; Arma paſſim in limitibus Imperii ſtrepebant, aſſiduis Perſarum, Hunnorum, Gotthorum, Bulgarorum, Sarmatarum, Sclavinorum, Antarum incurſionibus. Ad haec omnia reparanda & propulſanda non tantum ingenii acerrimi ſtudia, & ſummas vigilias convertit, ſed etiam ad propagandum longe lateque Orientis Imperium, & Occidentale recuperandum.

VIII. Quod attinet ad collapſarum Eccleſiarum refectionem & novarum conſtructionem, munimentorum & propugnaculorum in omnibus Imperii partibus reſtitutionem, & novorum fabricationem, cuilibet diligenter mecum rimanti apud Procopium in ſex libris *de aedificiis* omnia aedificia, quae perfecit Juſtinianus, ſumma ejus pietas ac prudentia liquido, ſed non abſque ſtupore innoteſcet. Quis enim ejus Principis pietatem non miretur is, qui ab eo ferme 180. Eccleſias B. Virginis, Michaelis Archangeli, Apoſtolotibus, viis publicis, aquaeductibus, porticibus, balneis, praetoriis, portubus, quibus aeſtuoſum mare, jactis in altum molibus, fraenavit, aut reparandis, aut inſtituendis. In tota fere cum muris Conſlantinopoli renovanda, regiiſque domibus pluribus, aliiſque ſuperbis operibus exornanda, quorum omnium operum ſingula pleraque tam eximia, & ardua fuerunt, ut vix ad quodlibet eorum perficiendum longa unius Principis vita ſufficere videatur: & merito dicatur a Procopio Ἰουστινιανὸς Βασιλεὺς ὁ τῆς οἰκουμένης οἰκιστής. hoc eſt; *Juſtinianus Imperator totius orbis reparator*; potiori jure quam Trajanus, qui in tribus inſcriptionibus apud Gruterum *pag.* 1084. 9. 10. 11. vocatur τῆς οἰκουμένης κτίστης, id eſt, *Orbis conditor:* quam etiam Conſlantius Auguſtus, & Julianus Caeſar, qui dicuntur *reparatores orbis, atque urbium reſtitutores: pag.* 179. 2.

IX. Jam vero ad utrumque tempus bellorum & pacis regendum in quacunque republica, nemo neſcit opus eſſe armis ac legibus. Non ineleganter Jornandes librum *de regnorum & temporum ſucceſſione* ſic orditur: *Romani, ut ait Jamblichus, armis & legibus exercentes ſe orbem terrae ſuum fecerunt: armis ſiquidem conſtruxerunt, legibus autem conſervarunt.* Juſtinianus multis in locis profitetur, ſe utramque Imperii adminiſtrandi rationem imiſſe, & nominatim initio Conſtitutionis *de novo Codice faciendo.* De *armis* Juſtiniani dicam *ſequentibus Capitibus.* De *legibus* ejus, quae pertinent ad jus publicum, pauca hic ſubjungam, de aliis, quae ad jus privatum ſpectant, dicturus in *Commentariis* ad orationem *ad Anteceſſores.*

X. Per leges enim intelligimus duplex jus, publicum & privatum: publicum ad ſtatum rei Romanae pertinet, & conſiſtit in ſacris, ſacerdotibus, & Magiſtratibus; quod abſque religione & Magiſtratuum juriſdictione, nulla ſtare poſſit Reſpublica: Privatum ad ſingulorum utilitatem ſpectat, *l.* 1. §. *Hujus ſtudii* 2. *D. de Juſtit. & jure. Can. penult. diſt.* 1. *apud Gratianum.* Illud juſtitiae, non litigandi vias tradit, propriumque eſt legiſlatorum ſeu Principis. Cicer. *lib.* 1. *cap.* 6. *de legibus l.* 1. *D. ad legem Juliam ambit.*

XI. Inter paganos Princeps Pontificis officio fungebatur, ut paſſim notum eſt ex hiſtoriarum libris, Principum Inſcriptionibus, legibus noſtris, & *Can.* 1. *Diſtinct* XXI. Et inter Chriſtianos quidquid Conciliis & ſacris Canonibus decretum eſt, priores Imperatores edictis ſuis populo ſervandum proponebant, ut eorum exemplo ſacrarum legum praeceptis populus obtemperaret, poenis etiam temporalibus in temeratores ſtatutis: quod ſuis Conſtitutionibus tantum praeſtitit Juſtinianus, quas *Codici* inſeruit, ut in illis & *Novellis* paſſim teſtatur. Id etiam agnovit doctiſſimus Baronius in *Annalibus.* Unde mirum videri non debuit, ſi Conſtantini, caeterorumque Principum Orthodoxorum veſtigia ſecutus, eo tempore, quo maxime Eccleſia Catholica, Apoſtolica, & Romana tanti Principis auxilio indigebat, tot leg.s promulgaverit ad politiam Eccleſiaſticam pertinentes, quae poſtea, jure Pontificio, receptae ſunt.

XII. Laudatur etiam a Facundo *lib.* 1. quod initio Imperii rectam fidem edictis ſuis profeſſus ſit. *Quid enim*, inquit, *prius laudetur in homine, quid ex-*

Digitized by Google

da eſt *legis ſeptimae* interpretatio, & emendatio, quam dedit Leunclavius: nec enim illa eſt confundenda cum *l.* 8. Tantum vero ſuis legibus Chriſtianae Reip. profuit Juſtinianus, ut tandem teſte Nicephoro *lib.* 17. *cap.* 8. eo imperante, cunctae ubique Eccleſiae idem ſenſerint, neque diſſidium aliquod in iis remanſerit, & omnes omnium ditionum Patriarchae, & Epiſcopi eis ſubditi convenerint. Reliqui temporis idonea defenſio adverſus Euagrium colligi poteſt ex Nicephoro, & ex his, quae in utramque partem congeſſit Baronius in *Annalibus*. Nunc accedo ad res ejus bellicas in Epigraphe orationis *ad Anteceſſores* perſtrictas.

CAPUT XXIII.

I. *Juſtinianus laudatur, quod Imperii proferendi votum ad effectum perduxerit.* II. *In Perſas Beliſarium mittit. Orientalis limitis arces munitiſſimas reddit.* III. *Beliſarius Peroſam vincit. Victus ab Ezaretha eum compulit in Perſidem redire.* IV. V. *Juſtinianus cum Aethiopibus & Homeritis ſocietatem contrahit. Phoeniciam mediterraneam dono accepit. Inter Blemyas & Nobatas, & Pentapoleos cultores Religionem Chriſtianam inſtituit.* VI. VII. *Quae gentes in Armenia per Dorotheum & Sittam domitae, quae Chriſtianae factae, emendatur inſcriptio* l. ult. C. de officio mag. Mil. VIII. *Per Germanum & Chilbudium Duces Thraciae fines ultra Boſphorum promoti; Antae aliique barbari domiti.* IX. *Quid geſſit Juſtinianus in Illyrico per Mundonem. Quae provinciae per illos Duces purgatae a barbarorum jugo, quae Imperio additae.* X. *Quo tempore adverſus Vandalos in Africa bellum pene confectum.* XI. *Quo tempore bellum Gotthicum in Italia ſuſceptum. Quae cognomina ſibi jure vindicavit Juſtinianus.*

I. NOn minori ſtudio bellicos ſudores, quam legum curam ſuſcepit Juſtinianus, antequam anno Imperii ſeptimo, Chriſti 533. Digeſta in lucem emitteret. Qua in re tantum abeſt, ut Procopii in *Anecdotis* vituperio (de quo agam infra) dignus ſit, quin immo generoſi & magnanimi Principis certum dedit argumentum, ut ipſemet Procopius teſtatur in tribus locis inſignibus priorum librorum. Primus eſt, *lib.* 2. *de bello Perſ.* ubi ingenue fatetur, *hoſtes Imperii nullas alias deſciſcendi, & bellum gerendi cauſas praetexuiſſe, quam quod Juſtinianus florentius imperium reddendi, ejusque proferendi votum animo conceptum ad effectum perducere quotidie accelerat; cum generoſi potius Imperatoris ſtudia ejusmodi maximis laudibus eſſent extollenda:* ἃ βασιλεῖ γενναίῳ εἰκότως ἂν ἐγκώμια εἴη. *Nam eadem objici poſſent Cyro Perſarum Regi, & Alexandro Macedoni. Sed nullum*, inquit, *invidiae cum juſtitia commercium eſt.* Secundus eſt *lib.* 1. *de bello Vandal.* Quando monet ideo Juſtinianum pacem cum Perſis ſanxiſſe, ut bellum in Africam transferret: *Novis quippe adinveniendis conſiliis*, ait, cum *acerrimi fuiſſe judicii; impigrum vero in iis, quae ſemel apud ſe decreverat, exequendis.* Tertius eſt *lib.* 1. *de bello Gotth.* eo loci, quo Theodatum alloquens Petrus Juſtiniani Orator ge-

larii Ducem adverſus Perſas miſit, cui conſilii cauſa *Procopium* noſtrum adjunxit, ut aſſeſſoris officio fungeretur. Poſtquam vero ſolus imperare coepit, eundem Beliſarium Ducem Orientis conſtituit; ſed praeterea Hermogenem, Magiſtrum militum, ei conjungi voluit anno Chriſti 529. ab utroque ſimul victus eſt Peroſas, Perſarum Dux apud Daram. Hoc oppidum tot munimentis ſeptum erat a Juſtiniano, ut jam formidandum eſſet Perſis Imperium Romanum. Qua de cauſa pacis conditiones per Ruffinum oblatas Cabades Perſarum Rex repudiavit, niſi prius dirutum eſſet hoc propugnaculum.

III. Anno Juſtiniani quarto, Chriſti 530. rediit Conſtantinopolim Hermogenes; Juſtinianus vero ita communit arces Amidae, caeteraque per Meſopotamiam propugnacula, ut illa Provincia Perſis invia coeperit eſſe, & inſtauraturus bellum Cabades conſilio Alamandari, Saracenorum Ducis, Ezaretham exercitus Perſici praefectum, omiſſa Meſopotamia, Comagenam adoriri juſſerit. Sed occurrit ei Beliſarius junctis Saracenorum copiis, quibus Aretas ſub Regis titulo praepoſitus erat in Arabia. Miſſus quoque ad Perſas legatus Hermogenes junxit ſe Beliſario. Hic, pugnam detrectans, a militibus coactus eſt aciem inſtruere. Victus tamen Ezaretham compulit in Perſidem redire. Procop. *lib.* 1. *de bello Perſic. & lib.* 2. *de aedificiis.*

IV. Iiſdem temporibus Juſtinianus cum Aethiopibus & Homeritis adverſus Perſas ſocietatem init: in amicitiam quoque ſuam Abochalarum Saracenorum praefectum in Phoenicia mediterranea pellexit, eamque regionem ab eo dono accepit. Poſtea eundem Saracenorum Philarchum in Paleſtina conſtituit. Dirum autem morem humanas hoſtias Soli ſacrificandi abolevit inter Blemyas & Nobatas, Deorum templa diruit, & religionem Chriſtianam ibi per Narſem Perſamenium inſtituit. Procopius *dicto loco.*

V. In finibus etiam Pentapoleos magnam navavit operam, ut Gentiles Ammoni & Alexandro Macedoni ſacrificantes in utraque Aegila, Boreoque oppidis, una cum Judaeis hujus regionis incolis, ad fidem Catholicam converterentur. Procopius *lib.* 6. *de Aedific.*

VI. Sittas interim, cum Dorotheo, Armeniae praefectus, primis Juſtiniani annis, in ditionem ejus redegit Perſamenios Sunitas, Alanis proximos, Tzanos, nunquam antea imperio Romano ſubditos, ut ait Juſtinianus *Novell.* 1. & 28. Suanos, Scymnos, Apſilas, Abaſgos. Recepit etiam a Perſis maxima caſtra, Archaeopolim & Rhodopolim; item Scandias, Sarapanes, Muriſios, & Luſieros, ut conſtat ex *dicta Novella* 28. Procopio *dicto loco*, & *l. ult. C. de officio Magiſtri militum*, in cujus inſcriptione pro *Zetae* legendum *Sittae*, ut apud Procopium *lib.* 1. & 2. *de bello Perſ.* Huic autem *l. ult.* conjungendum quod dicitur initio Conſtitutionis *de Juſtinianeo Cod. Confirm.* de correctione militarium ordinum. Mitto tum Abaſgos & Tzanos, aliosque populos Juſtiniani cura Chriſti fidem amplexos eſſe. Procop. *lib.* 1. *de bello Perſ. lib.* 3. *de aedific.* Euagr. *lib.* 4. *cap.* 22.

VII. Idem Sittas in locum Beliſarii Conſtantinopolim evocati, ut in Vandalos mitteretur, ad Orientis cuſtodiam eſt ſuffectus. Tum Perſae Martyropolim, quae eſt in Sophanena, obſedere. Sed conungente Cabadis morte, renovatiſque pacis legibus per Hermogenem legatum obſidionem ſolverunt, & pax aeterna cum Choſroë Cabadis ſucces-

Digitized by Google

quarto *Chilbudium*, ut legitur in *editione Auguſtana*, propinquum ſuum ſtrenuiſſimum virum *Germano* ſubſtituiſſe. Ille intra triennium Iſtro ſaepius ſuperato Hunnos, Sclavinos, Antas praelio vicit, &, ultra Boſphorum ad Maeotidem paludem, Tauros & Tauroſcythas; ſicque imperii limites circa Pontum protulit. Ipſum vero Boſphorum & alias civitates, muris, aedificiisque refectis reſtituit, ut docet Procopius *lib. 3. de aedific.* qua de re conqueruntur, *lib. 2. de bello Goth.* apud Choſroëm, Perſarum Regem, Armenii adverſus Juſtinianum rebellantes. *Eodem libro* ait idem Auctor, Juſtinianum cum Herulis, circa Iſtrum habitantibus, ſocietatem iniiſſe, eosque ad fidem Chriſtianam amplectendam induxiſſe.

IX. In Illyrico ante Conſulatum *Lampadii & Oreſtis* Mundo Illyricianae utriusque militiae ductor dudum Gotthis, Illyricum diſcurſantibus, primus omnium Romanorum ducum increbuit, eosque haud paucis ipſorum interemptis fugavit. Deinde *iiſdem Coſſ.* anno Chriſti 530. idem Dux, in Thraciam advolans, praedantes eam Bulgares feliciore pugna cecidit. Marcell. *Chron.* Sic per eosdem Duces Juſtinianus multas in Illyrico & Thracia provincias a Barbarorum jugo liberavit, quos ſupra dictum eſt, poſt Attilae obitum iis in locis conſediſſe; & quasdam novas Imperio adjunxit, purgavit Thraciam, Moeſiam ſuperiorem, inferiorem, Macedoniam primam & ſecundam, Daciam Ripenſem & Mediterraneam, Praevalitanam, Dardaniam, Pannoniam ſecundam, & Pannoniae primae partem, cujus antiquiores incolae *Germani* fuerunt, a quibus etiam *Germanicus* cognominatur. Aſſerit autem *Novella 11.* in Dacia utraque ripa Danubii auctum eſſe Imperium, & ultra Danubium ſe potitum fuiſſe Viminacio, Recidua & Literata. Sed Procopius *lib. 4. de aedific.* ait, cum citeriorem tantum ripam propugnaculis muniiſſe, non ulteriorem, propter frequentes barbarorum incurſiones.

X. Sequeretur hic agendum de bello, juſta ex cauſa adverſus Vandalos ſuſcepto. Sed cum id notum ſit ex legibus noſtris, & Procopii libris *de bello Vandal.* ac pene tribus menſibus bellum illud Vandalicum confectum fuiſſe *Juſtiniano 3. Coſ.* anno Chriſti 533. antequam Digeſta emitterentur in vulgus, ſuperfluum eſſet quid ea de re adnotare; niſi quod ait Procopius *lib. 6. de aedificiis*, *Juſtinianum, hoc bellum nemine approbante, immo exhorreſcentibus omnibus, ſolo duce Deo, auſpice, & opitulatore ſuſcepiſſe.* Meminerant quippe prudentiores, idem bellum fruſtra tentatum fuiſſe a Leone, licet centum millium exercitum terreſtrem in Africam miſiſſet duce Baſiliſco, ut idem Procopius docet *lib. 1. de bello Vandal.* Sed plus potuit Juſtiniani ſumma in Deum fiducia, quam humana vis & prudentia. Nam tunc Deus Juſtiniani miniſterio eſt uſus ad Vandalorum & Alanorum gentes delendas, poſtquam per nonaginta quinque annos tota potiti ſunt Africa, juſto ultionis divinae judicio, propter diram in Catholicos ſaevitiam.

XI. Nihil autem de Gotthica expeditione ſubjiciam: nam *Beliſario* tantum *Coſ.* anno Chriſti 536. coeptum eſt bellum illud Italicum in Gotthos triennio poſt editionem Digeſtorum. Quare nondum juſta ratione potuit Juſtinianus ſibi vindicare nomen GOTTHICI, multo minus FRANCICI & ALAMANI-

praelio viciſſet Gotthos, Francos, Alamanos. Romanus Imperator orbis terrarum olim dominus. II. Procopii locus emendatus. Cur orbi Crux impoſita tam a Juſtiniano quam a Theodoſio. III. Orbis dominatum affectavit Juſtinianus. IV. Francorum Monarchia in Galliis a Juſtiniano ſpecialiter confirmata. Idem Imperator Francorum Regibus permiſit aureis, in Gallia cuſis, propriam imaginem inſculpere. V. Cur Juſtinianus Gepedicus & Longobardicus dictus; Gepedum, Longobardorum, Herulorum, Alamanorum, Francorum ſedes temporibus Juſtiniani; Theodebertus accingit ſe ad bellum Juſtiniano inferendum. VI. Juſtinianus omnia cognomina, quae ſibi vindicare praevertit, tandem meruit. Loci apud Paulum Diaconum & Cujacium emendati.

I. DIligentius jam diſquirendum eſt *hoc capite*, qua ratione optimus Princeps Juſtinianus ALAMANICI, GOTTHICI, FRANCICI nomina uſurpaverit eo tempore, quo Digeſta in lucem emiſit, antequam Alamanos, Gotthos, Francos praelio vicerit. An quod leges, ab omnibus populis tanquam ſibi ſubditis ſervandas, compoſuerit ac promulgaverit, quaſi legum Romanarum Dominus, juſtitiae, aequitatisque rector; ut de Valentiniano dicitur in quadam inſcriptione apud Gruterum *pag.* 1086. 9. Sed abſurda eſſent hujusmodi cognomina propter hanc rationem. Deinde quod hi populi, excuſſo Imperii jugo, nullo modo illis legibus eſſent obnoxii. An ſpe recuperandarum provinciarum, quae ab his gentibus erant occupatae, cum antea fuiſſent Romanae ditionis; quod probat *Novella 30. in fine.* An potius quod totius orbis dominatum affectando illum ſibi aſſereret exemplo aliorum Imperatorum. Refert Voluſius Metianus reſcriptum Antonini Pii *in l. pen. D. de Lege Rhodia*, in quo Princeps ille ſe τοῦ κόσμου κύριον, id eſt, *mundi Dominum* appellat. *Conſtantius* etiam in baſi obeliſci Conſtantiniani apud Gruter. *pag.* 186. *mundi dominus* dicitur his verſibus:

At dominus mundi Conſtantius omnia fretus
Cedere virtuti.

Julianus, in alia inſcriptione apud eundem *pag.* 1086. vocatur *dominus orbis terrarum.* Hinc Theodoſius apud Ammianum *lib. 29. cap. 32.* interrogatus a quodam Africae Rege, cujus loci eſſet, *Comes ſum*, reſpondit, *Valentiniani orbis terrarum Domini.*

II. Eodem modo Juſtinianus *in l. 2. §. penult. C. de veteri jure enucl.* ſuam Aſiam, Africam, & Europam vocat, quaſi ſuae ditioni ſubditas. Idem quoque ſignificari voluit per ſtatuam in Auguſtaeo poſitam, quae laeva tenebat πόλον, id eſt, *orbem* (ſic enim legendum recte monet Leunclavius apud Procopium *lib. 1. de aedefic.* non πόλιν, hoc eſt, *urbem*, ſicut *infra* legitur ἐπὶ τὴν πόλιν) ſubjungit rationem Procopius his verbis παραδηλῶν ὁ πλάστης ὅτι γῆ τε αὐτῷ καὶ θάλασσα δεδούλωται πᾶσα. id eſt, *ſculptor ſignificans eum dominari terrae ac mari.* Cur autem Crux orbi ſit impoſita, docet idem Auctor; quod ni-

Digitized by Google

in qua foemina, *Romam* ſignificans, manu orbem Cruci ſuppoſitum geſtabat, & canis in ſpeciem latrantis aſſiſtebat, *Theodoſium* denotans, qui Catholicae, Apoſtolicae, & Romanae fidei; Imperiique Romani acerrimus defenſor extitit adverſus hoſtes ejus Arrianos, alioſque haereticos & gentiles. Unde Pithoeanus Proſper *in Chron.* anno Theodoſii quinto poſt mortem Gratiani, ait, Arrianos, qui pene Orientem atque Occidentem commaculaverant, edicto glorioſi hujus Principis Eccleſiis ſpoliatos, quae Catholicis deputatae ſunt. Intelligit hic Auctor *l.* XIV. XV, & XVI. *C. Theod. De haereticis.* Nam illae latae ſunt anno Theodoſii quinto poſt mortem Gratiani, Chriſti 388. quibus confirmantur multae aliae, ab eodem latae, adverſus quoſcunque haereticos, quae extant *dicto titulo.* Multas etiam tulit idem Princeps adverſus paganos, quae collocatae ſunt ſub titulo *Theod. de paganis ſacrif. & templ.* Rufinus *lib.* 2. *cap.* 33. narrat, eundem Imperatorem inſignem reportaſſe victoriam ab Eugenio Tyranno ſub nomine *Domini noſtri Jeſu Chriſti*, abs ſe prius invocato. Addit Paulus Diaconus *lib.* 12. tum *ſigno Crucis ſignum praelio dediſſe.* Sed ad rem.

III. Orbis dominatum a Juſtiniano affectatum probant ejusdem Principis literae, ad *Francos* ſcriptae, quas Procopius inſeruit *lib.* 1. *de bello Gotth.* Nam in his Italiam ſuam eſſe affirmat, & conqueritur quod Gotthi eam non tantum, invitis Imperatoribus, occupaverint & adhuc retinerent, ſed etiam ultro non provocati ſibi injuriam intulerint. Deinde auxilium petit adverſus eos, tanquam Arrianos, communes hoſtes Orthodoxorum Romanorum, & Francorum. Quod etiam confirmat Beliſarius in quodam colloquio cum Legatis Gotthorum habito *lib.* 2. *de bello Gotth.* Ait enim Gotthos miſſos eſſe a *Zenone* in Italiam adverſus Odoacrum Tyrannum, *non ut illi ſibi eam poſſiderent & ſuae ditionis facerent, ſed ut Imperio Romano reſtituerent. Reos autem eſſe criminis non tantum eos, qui vim inferunt, ſed etiam qui, cum res alienas poſſident, domino eas non reſtituunt.*

IV. Haud multum diſſimili ratione *Francis* aliqua fuit cauſa ſibi metuendi a *Juſtiniano*; non quidem, quod ab Imperatoribus in Gallias miſſi, ſicut in Italiam Gotthi; ſed quod eas, quondam Imperio Romano ſubditas, pulſis ac deletis tam Romanis, quam Weſegotthis & Burgundionibus, longe ante bellum Gotthicum occupaverint; & poſt illud bellum partim cedentibus, partim ſuperatis Oſtrogotthis, etiam aliquam partem Italiae, Alpibus proximam, poſſederint. Ideo licet Galliarum poſſeſſio, inito bis foedere, honoribus, doniſque multis acceptis tam ab *Anaſtaſio*, quam ab ipſo *Juſtiniano*, tacite jam iis eſſet confirmata, ut patet ex iis, quae ſuperius dicta ſunt, prioribus annis belli Gotthici, vel clam, vel palam Gotthis auxilium tulere adverſus Romanos, vel utriſque ſimul bellum indixere. Procop. *lib.* 1. & 2. *de bello Gotth.* donec tandem per pragmaticam ſanctionem ſpecialem poſſeſſionis Galliarum confirmationem impetraverunt; potiſſimum earum provinciarum, quae iis a Gotthis ceſſae ſunt; non alias ſe tuto Gallias poſſeſſuros, abſque tali ratihabitione, credentes; in cujus aeternum argumentum, ab eodem Imperatore permiſſum eſt, *Francorum Regibus*, nummos aureos propria, non Imperatoris, imagine expreſſa cudere; quod nulli alii barbarorum, ne Perſarum quidem Regi fas unquam fuerat: quae quia ad juſtae Francorum Monarchiae aeterna fundamenta pertinent, ideo non erit alienum, hoc loco verba Procopii ex *libro* 3. *de bello*
[illegible] ἀλλὰ καὶ βασιλεὺς Ἰουστινιανὸς ἐπέῤῥωσε σφίσι τοῦ μή τι οἱ ἐναντιώμενοι τούτων δὴ τῶν βαρβάρων ἐκπεπολεμωμένων ὑπαιτιᾶσθαι. οὐ γάρ ποτε ᾤοντο Γαλλίας ξὺν τῷ ἀσφαλεῖ κεκτῆσθαι Φράγγοι μὴ τοῦ αὐτοκράτορος τὸ ἔργον ἐπισφραγίσαντος. τοῦτό γε καὶ ἀπ' αὐτοῦ οἱ Γερμανῶν Μασσαλίαν τε καὶ τὴν Φωκαέων ἀποικίαν, καὶ ξύμπαντα τὰ ἐπιθαλασσίδια χωρία ἔσχον, θαλάσσης τε τῆς ἐκείνῃ ἐκράτησαν. καὶ νῦν κάθηνται μὲν ἐν τῇ Ἀρελάτῳ τὸν ἱππικὸν ἀγῶνα θεώμενοι. νόμισμα δὲ χρυσοῦν ἐκ τῶν ἐν Γάλλοις μετάλλων πεποίηνται, οὐ τοῦ Ῥωμαίων αὐτοκράτορος (ᾗπερ εἴθισται) χαρακτῆρα ἐμβαλόντες τῷ στατῆρι τούτῳ, ἀλλὰ τὴν σφετέραν αὐτῶν εἰκόνα. καίτοι νόμισμα μὲν ἀργυροῦν ὁ Περσῶν βασιλεὺς, ᾗ βούλεται, ποιεῖν εἴωθε, χαρακτῆρα δὲ ἴδιον ἐμβαλέσθαι στατῆρι χρυσῷ, οὔτε αὐτῷ θέμις ἀρχαῖα οὔτε ἄλλῳ ὁτῳοῦν βασιλεῖ τῶν πάντων βαρβάρων, καὶ ταῦτα μάλιστα ὄντα χρυσοῦ κυρίῳ. hoc eſt; *Omnibus Galliae provinciis ſuae ditioni ſubditis initio hujus belli Francis ceſſere Gotthi, cum vires eorum non paterentur, ut eodem tempore duplici Francorum & Romanorum exercitui obſiſterent, ſicut jam a me dictum eſt in prioribus libris: nec etiam Romani hujuſmodi facto poſſent intercedere. Quin immo Imperator Juſtinianus huic ceſſioni ſubſcripſit, & reliquarum Galliarum, quas armis ſibi paraverant Franci, dominatum ratum habuit. Neque aliter ſecuritati ſuae conſuluiſſe arbitrabantur Franci, quam ſi Galliarum integram poſſeſſionem* (pragmatica ſanctione) *manu ſua ſubſignata Imperator comprobaſſet. Unde factum eſt, ut deinceps Francorum Reges quieti fuerint Maſſiliae Phocenſium coloniae totiuſque orae illius maritimae poſſeſſores, nuncque in Arelatis circo ſedeant equeſtris certaminis ſpectatores, nummumque aureum e Gallico metallo percutiant, non Imperatoris Romani, ut fieri aſſolet, characterem ſolido imprimentes, ſed propriam ipſorum imaginem. Nam Perſarum Rex nummos quidem argenteos quoquo modo velit ferire ſolitus eſt, ſed ei fas non eſt effigiem ſuam aureo inſculpere; neque ulli alii omnium barbarorum Regi, quamvis auri in ſuo regno reperti dominus exiſtat.*

V. Adjecit praeterea Juſtinianus titulis FRANCICI, ALAMANICI, GERMANICI cognomina GEPEDICI & LONGOBARDICI, ut ait Agathias *lib.* 1. a Gepedis & Longobardis, praelio victis; cum *Gepedi* tempore belli Gotthici *Sirmium* & alias Dalmatiae civitates, quas a Gotthis ipſe receperat, iterum vi occupaſſent; ut conſtat ex Procopio *lib.* 3. & 4. *de bello Gotth.* Sed hi poſtea cum Longobardis & Herulis *foederatorum* loco habiti ſunt. *Gepedi* tum cis & ultra Iſtrum proxima Singido & Sirmio loca incoluerunt. *Longobardi* Norico urbe & aliis praeſidiis in Pannonia ſitis, & magna pecunia donati ſunt a *Juſtiniano*. Reliqui a propriis ſedibus exciti ſupra Iſtrum non procul a Gepedis conſederunt. *Heruli* quoque Juſtiniani permiſſu alia *Dalmatiae* loca tenuerunt circa Sigidonum urbem; ultra Noricum civitatem *Alamani* Francis ſubditi, & *Franci* Galliarum & Germaniae reliquas provincias ad Oceanum uſque a longo tempore antea poſſidebant. Procopius, *dicto libro* 3. Cum ergo quaſi a devictis illis omnibus populis *Juſtinianus* ſuperiora cognomina, dominatum totius orbis affectando, legibus ſuis praefixiſſet inter imperiales titulos ante & poſt ſuſceptum bellum Gotthicum, ad ſtomachum movit *Theodeberto* Francorum Regi. Quamobrem talis injuriae ulciſcendae cauſa, provocavit Longobardos, Gepedos, alioſque vicinos Germaniae populos ad bellum ei denuntiandum, magnumque belli apparatum fieri curavit, quaſi ducturus exercitum Byzantium uſque: ſed fato praeventus eſt. Poſt finem Belli Gotthici, Leuthare & Bultino *Theodebaldi* ducibus,

Digitized by Google

18. *Hiſp.* Ita etiam emendanda inſcriptio privilegii, a Juſtiniano conceſſi *Titionum* familiae, quod extat apud eruditiſſimum Cujacium, *lib.* 10. *obſ. c.* 12. tam in vulgatis libris, quam in *editione Nivelliana*, quae manu ipſius Cujacii aucta & emendata avunculo meo *Joanni Renoardo*, quondam Biturico Juris Profeſſore celeberrimo, ab Auctore donata, & ad me poſt illius obitum transmiſſa. Nam illis in locis legendum in prima voce, ALAMANICUS, non ALANICUS.

CAPUT XXV.

I. *Juſtinianus ante devictos omnes populos, a quibus agnomina ſumpſit, ea inſeruit legum inſcriptionibus.* II. *Alanicus dictus ab Alanis, qui in Africa juncti erant Vandalis.* III. *Qui Imperatores Germanici dicti.* IV *Qui Alamanici.* V. *Qui Gotthici.* VI. *Qui Francici.* VII. *Juſtinianus Princeps generoſiſſimus, vigilantiſſimus, prudentiſſimus, acerrimus rectae fidei defenſor, aditu facilis, M. Antonini exemplo. Quilibet Magiſtratus facilem aditum ad ſe praebere debet.*

I. Tutius dici poſſet Juſtinianum agnomina, de quibus dictum eſt *ſuperiori capite*, poſt victorias de Alamanis, Gotthis, Francis reportatas, ſicut de Germanis, caeteriſque populis, ex poſt facto legum inſcriptionibus inſeruiſſe. Sed verius eſt cum ſtatim atque Digeſta compoſita ſunt, & Codex repetitae praelectionis editus eſt, propter rationes ſupra relatas ſibi haec arrogaſſe. Nam aeque licuiſſet prioribus Conſtitutionibus *de novo Cod. fac.* & *de Juſtinianeo Cod. confirm.* omnes illos titulos praefigere, ac orationi *ad Anteceſſores* & aliis poſterioribus; quod tamen praeſtitum non eſt. Deinde id omnino evincit quod dictum eſt ex Agathia, Hiſtorico de Francis benemerito, de *Theodeberto*, qui aegre tulit faſtum illum Juſtiniani; cum nondum Franci & Alamani ab eo praelio ſuperati fuiſſent.

II. Quod attinet ad *Alanici* cognomen, aliquando addubitavi, an Juſtinianus illud ſibi ſumpſerit ab *Alanis*, qui cum Vandalis in unum populum coïerant; ut alio loco ex Idatio & aliis eſt animadverſum (nam Procopius *lib.* 1. *de bello Vandal.* refert, Gizericum Vandalos & Alanos ſecum in Africam abduxiſſe, & cum aliis barbaris ibi ſocietatem iniviſſe; ſed, abolito Alanorum caeterorumque nomine, praeter Mauruſios, reliquos omnes, *Vandalos*, appellaſſe) An vero ab *Alanis*, Cholchidis vicinis, quos ad Perſas deficientes potuit per Sittam & alios duces ſubigere: An denique ab *Alanis*, Scythiae minoris incolis, quos etiam per Germanum & Chilbudium cum Antis, Sclavinis, aliiſque barbaris acie ſuperare potuit. Sed cum de duobus poſtremis populis debellatis nihil certi habeamus, puto probabilius eſſe, Juſtinianum a prioribus *Alanicum* fuiſſe cognominatum, quod etiam probatur *Novella* 30. *in fine.* inſpecta ſcilicet rei veritate atque origine. Sic de ambobus populis conjunctis a Vallia, Weſegotthorum Rege devictis, antequam in Africam illi transfretarent, Sidonius cecinit *carmine* 2.

Quod Tarteſiacis avus ejus Vallia terris
Vandalicas turmas & juncti Martis Alanos
Stravit.

ptionibus, quae extant apud Gruterum; ſed non ſine lectoris taedio hic inſeri poſſunt. Idem teſtantur de Druſo, Auguſto, Tiberio, Claudio, M. Antonino, Dio multis locis; de Caeſare Auguſto, *Notae* Senecae; de Domitiano, Suetonius; de Caracalla, Spartianus; de Gordiano, Capitolinus; De Maximino, Euſeb. *lib.* 9. *hiſt. Eccleſ.* de Maxentio, idem *in fin. lib.* 8. de Gratiano, Auſonius *in Panegyr.*

IV. ALAMANICI appellati ſunt Caracalla, Valentinianus, Valens, Gratianus, Theodoſius Senior, ut docent Spartianus, Aurelius Victor Senior, Auſonius *dicto loco*, Pacatus *in Panegyrico*, Gruter. *inſcriptiones pag.* 160. 4. *pag.* 159. 7. *pag.* 1082. 13.

V. GOTTHICI, ſive Gotthorum victores, Gordianus, Probus, Valentinianus, Valens, Gratianus apud Capitolinum *in Gordianis in fine.* Vopiſcum *in Probo.* Eutropium *in epiſtolae inſcriptione*, qua dicat Valenti Hiſtoriarum libros, & Gruterum *dictis locis.*

VI. FRANCICI Probus, Valentinianus, Valens, Gratianus apud eundem Vopiſcum & Gruterum *dictis locis.*

VII. His igitur exemplis & rationibus, a me ſuperius allatis, motus Juſtinianus tot agnomina ſibi vindicavit, quae prae ſe fert inſcriptio praepoſita orationi *ad Anteceſſores.* Jure an injuria ex dictis judicare poterit humaniſſimus lector. Sane qualis quantusque fuerit Imperator, nemini jam obſcurum eſſe arbitror. Nec enim tot hoſtes, ferociter undique ingruentes tota Aſia, Africa, Europa, inclinante jam Orientis Imperio, & Occidentali penitus extincto, coërceri atque edomari potuerunt, niſi a generoſiſſimo Principe, qui ſummis veſtigiis, acrique ingenio cum eximia prudentia conjuncto ad fines Imperii non modo tuendos, ſed etiam longe lateque promovendos conſilium ac omne ſtudium ſuum intenderat. Nec etiam tot haereſes in utroque Imperio potuerunt aboleri, niſi a ſummo, acerrimoque fidei Catholicae, Apoſtolicae, & Romanae defenſore. Procopius *lib.* 1. *de Aedific. & in Anecdotis, aliiſque locis*, ait, cum, *e lecto quotidie ſummo mane ſurrexiſſe, matutinum, meridianum, ac ſerotinum tempus impendiſſe ad ſeram noctem uſque, ut Reip. invigilaret, ſummaque ejus negotia, & articulos fidei cum ſacerdotibus pertractaret. Aditu quoque ſe facilem cuilibet praebuiſſe.* Quo nomine optimus Princeps Marcus Antoninus laudatur ab Herodiano *lib.* 1. *in princ.* & quilibet Magiſtratus a Calliſtrato *l.* 19. *D. de officio Praeſidis.*

CAPUT XXVI.

I. *Juſtinianus eadem ſorte incurrit in odium Procopii, qua viri boni in odium improborum.* II. *Virtutes Juſtiniani extenuat Procopius.* III. *Daemonem eum eſſe aſſerit ob ingentem numerum, hominum, qui bellis ab eo confectis ceciderunt.* IV. *Quo modo daemonem eum eſſe probat. Hunnos daemones fuiſſe ſcribit Jornandes.* V. *Hiſtorici pagani laudes Principum Chriſtianorum reticent.* VI *Procopius Deam Fortunam agnoſcit Paganorum more.* VII. *Tanquam pa-*

paganis, Dei naturam inveſtigare. Nullius fidei debet eſſe tam in iis, quae ad Religionem pertinent, quam in conviciis, temere in Chriſtianiſſimum Principem effuſis.

I. Pauca delibavi ſupra de operibus publicis, orthodoxa fide, & bellicis virtutibus *Juſtiniani*, quae ſufficere videntur, ut quilibet breviter intelligat, eum non tantum cum maximis Imperatoribus comparandum, ſed etiam facile praeferendum. Neſcio tamen quo fato, niſi eadem ſorte, qua viri boni ſolent ab improbis dicteriis & calumniis per invidiam proſcindi, ut docet D. Ambroſius *lib. 1. de offic. cap.* 48. in Procopii, rerum a ſe geſtarum hiſtoriographi, odium acerbiſſimum, ſed latens incurrit. Nam raro admodum laudes ejus prioribus libris aſpergit, & in libello famoſiſſimo *Anecdotũn* in eum ſcripto, non ita pridem poſt tanta temporum ſpatia, quibus ſub Juſtiniano vixit hic auctor, e latebris ſcilicet undecim ſeculorum octo ab hinc annis in lucem emiſſo, tot convicia, fidem omnem exſuperantia, in optimum Imperatorem inſulſe congerit, ut infeſtiſſimum animum ejusque cauſas manifeſte prodat.

II. Fateri quidem compellitur, admirandas in eo fuiſſe corporis animique dotes, ſed omnes calumnioſe in invidiam trahit; inter alia quod de ſummis ejus vigiliis vere teſtatus eſt, *lib. 1. de Aedific.* ſic extenuat: *Si perpetuas*, inquit, *vigilias & labores rebus bene gerendis inſumpſiſſet, ad ſummam foelicitatem Reſpublica perveniſſet. Verum his naturae viribus utebatur ad excogitandas peracri ingenio rationes, easque ad effectum quam celerrime perducendas in everſionem Imperii & omnium gentium.*

III. Quae vero de rebus ejus bellicis, ad quas reſpiciunt Imperiales tituli inſcriptionis noſtrae, octo libris complexus eſt, quoniam admiratione digna ſunt, nec ſine auxilio coeleſti, ſub fauſtiſſimis divini nominis *Jeſu Chriſti* auſpiciis, feliciter peracta, ideo ſcriptor impius alio *Anecdotũn* loco *pag.* 80. & 81. nimio maledicendi ſtudio excaecatus fingit, Juſtinianum ſub humana ſpecie *daemonem* quendam, non ſimilem caeteris mortalibus hominem, fuiſſe, natumque ad perniciem & internecionem omnium gentium. Quod ex immenſo caeſorum hominum numero in bellis, ab eo confectis, colligi poſſe putat; ait enim: *Africano bello Vandalorum, Africanorum, Mauritanorum, quinquies decies centena hominum millia extincta, praeter innumeras clades Hunnorum, Sclavinorum, Antarum, qui provincias, Danubio proximas, primis annis Juſtiniani aſſiduis excurſionibus infeſtabant. Item Perſarum, Saracenorum, aliarumque gentium barbararum, quae Cholchida, & Armeniam vaſtabant; majorem quoque hominum multitudinem in Italia bello Gotthico, quam Africano in Africa (licet haec triplo major ſit quam Italia) periiſſe memorat. Denique ducenties decies centena hominum millia caeſa recenſet, eo imperante, uſque ad annum* 32. *Imperii, quo talia ſcriptis mandabat.*

IV. Ut autem probet Juſtinianum *daemonem* fuiſſe, gravis hiſtorici auctoritatem abjudicat a ſe, &, hominis Graeculi levitatem induens, animum convertit ad aniles fabulas *pag.* 57. Inter alias ineptias, quas hic omitto, matrem Juſtiniani narraſſe ſcribit *ad ſe* (quaſi ad Phychen quandam) *maritum daemonem adveniſſe, manibus, auribusque, ſicut concubitu, non tamen oculis perceptum: ex hujuſmodi conjunctione, non e Sabbatio conjuge, Juſtinianum procreatum.* Quid hac fabella futilius eſſe poteſt? quid ab Hiſtorici gravi-qualis Procopii ſummo, cum caeteris Gotthis, odio proſequens Hunnos, Gotthorum hoſtes antiquos, comminiſcitur, *lib. de rebus Getic* eos *ex magis mulieribus, quas Gotthi in Scythicas ſolitudines amandarant, & immundis ſpiritibus progenitos.* Cum ergo *ſupra* jam copioſe ſatis de juſtis cauſis bellorum, a Juſtiniano ſuſceptorum, dictum ſit, reſtat tantum, ut cauſas inteſtini odii, quo Procopius Juſtinianum ad amentiam usque inſectatus eſt, a nemine, quod ſciam, adhuc animadverſas, detegam.

V. Hujus odii tres potiſſimum cauſae fuiſſe videntur; quarum primam hic aperiam; alias in duo ſequentia capita rejecturus. Plerique inſigniores Hiſtorici, qui floruerunt a temporibus Conſtantini usque ad Juſtinianum, exceptis Eccleſiaſticis, gentilitiam ſuperſtitionem clam ſecuti ſunt, & Chriſtianorum Principum laudes dolo malo reticuerunt, vel eos palam multis calumniis impetierunt, ut Zoſimus, aliique ſimiles. Eorum numero absque dubio Procopius noſter eſt adſcribendus. Nam paſſim Deam quandam Fortunam agnoſcit rerum omnium dominam; laudes Chriſtianiſſimi Principis occultat; nec non, in *Anecdotũn* libello mentis quodam furore percitus, & Chriſtianae verecundiae praecepta ſupergreſſus, impie in eum debacchatur.

VI. *Fortunam*, aſſerit *in Anecd. conſiliis Juſtiniani ſe miniſtram praebuiſſe, quod nullum bellum ſit aggreſſus, quin tandem hoſtes contriverit.* Eandem de Fortuna ſententiam ſaepiſſime in prioribus libris inculcavit. Unum tantum e multis locum ſeligam, ne quid ei videatur imponi. *Lib.* 2. *de bello Gotth. ſub fin.* ait: *ſibi, Romanum exercitum Ravennam ingredientem contemplanti, hanc cogitationem in mentem veniſſe, quaſi ea, quae ab hominibus geruntur minime perficiantur animi magnitudine, aut multitudinis robore, aut qualibet virtute, ſed eſſe quendam fortunae genium, qui eorum mentes pervertit, & transverſas agit, ita ut nulla ratione fatum, ad quod impelluntur, effugere poſſint*, quae eſt interpretatio ſequentium verborum: Ἐμοὶ δὲ τότε διασκοπουμένῳ τὴν ἐς Ῥάβενναν εἴσοδον τοῦ Ῥωμαίων στρατοῦ, ἔννοιά τις ἐγένετο, ἀνθρώπων μὲν ἢ ἀνδρίᾳ, ἢ πλήθει, ἢ τῇ ἄλλῃ ἀρετῇ, ὡς ἥκιστα πράσσεσθαι τὰ πρασσόμενα· εἶναι δέ τι δαιμόνιον, ὅπερ αὐτῶν ἀεὶ τρέφον τὰς διανοίας, ἐς ταῦθα ἄγει, ᾗ δὴ κωλύμη τοῖς πεπρωμένοις οὐδεμία ἔσται. Hoc loco & ſimilibus exprimit veterem paganorum ſententiam, quae non ſemel apud Homerum, aliosque poëtas repetitur, ut *Iliad.* ρ.

τις θεῶν ——— ἐξέλετο φρένας
ἐσθλάς.

VII. Cum ergo talis ſit Procopius *Daemonii* cujusdam, quod Fortunam vocat, religioſiſſimus cultor, caeterorum paganorum more Graecam ſectatus ſuperſtitionem; quid mirum, ſi diutinae ſimulationis cineribus tectam iracundiam fovens in Chriſtianiſſimum Principem, erroris paganici, omnisque haereſeos hoſtem implacabilem (ut teſtatur Cedrenus *in Juſtiniano*) tandem in eos furoris aeſtus exarſerit, quos abrupte ad quoslibet non ſanae mentis motus incondito prorſus ſtylo, ultimaque manu tanti ſcriptoris indigno, in libellum *Anecdotũn* contulit? Si vere orthodoxus fuiſſet, nonne potius ad aeternam Dei providentiam attendiſſet, cujus nutu tot bella feliciter confecit Juſtinianus? propter ſummam fiduciam, quam collocaverat in NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, ET SACROSANCTAE TRINITATIS invocatione, maximumque ſtudium Religionis Chriſtianae inter paganos, fideique Orthodoxae inter haereticos propagandae: qua de re dixi *cap.* 2. *ſupra.* Num confeſſus eſſet Deum tandem ar-

-mis

Digitized by Google

lis ſit Dei natura, quod ingenii humani viribus comprehendi non poſſit. Quae ſententia eſt *Meliſſi* cujuſdam philoſophi pagani apud Heſychium Illuſtrium, exiſtimantis, περὶ Θεῶν μὴ δεῖν ἀποφαίνεσθαι. μὴ γὰρ εἶναι γνῶσιν αὐτῶν. Quamobrem merito *Anecdotῶn* interpres cenſet, nullam fidem habendam eſſe in iis, quae Procopius de Religione ſcribit. At qui erga Religionem Chriſtianam tam male ſe affectum prodidit, ut nullius eſſe debeat auctoritatis, quo poteſt eſſe animo affectus erga Principem ſeverum hujus Religionis vindicem, ut fides ejus indubitata debeat eſſe in conviciis, homine vere Chriſtiano prorſus indignis, quibus calumnioſo Juſtinianum inſectatur? Qui fieri poteſt, ut Religioſe credendum ſit ei, qui nullius eſt Religionis? In tuendis tamen hujus Auctoris calumniis videtur ejus interpres quaſi pro aris fociſque dimicare, *propter effuſam*, ut exiſtimat, *Juſtiniani licentiam ad Religionis dogmata definienda, Eccleſiaſticasque leges ſanciendas.* Sed huic opinioni, qua deceptus eſt, a me, cum doctiſſimo Baronio, ſatisfactum eſſe arbitror; ut hinc ſatis appareat fruſtra eum acerbius in optimum Principem invexiſſe.

CAPUT XXVII.

I. II. *Procopius a potioribus honoribus remotus per 35. annos, quod ſuſpectus eſſet Graecae Religionis. Juſjurandum Magiſtratuum. Invidia laborat Procopius.* III. *Infelix Juſtinianus, quod Hiſtoricum nactus ſit virtutes ejus diſſimulantem: Principum & Reipublicae intereſt egregia facta non reticeri.* IV. V. VI. VII. VIII IX. *Procopius in tacitam Juſtiniani offenſam incurrit. Libros* de Aedificiis *aggreditur, ut offenſum Juſtiniani animum mitiget, ſanam de Chriſto Religionem profitendo, & divinam providentiam in geſtis ejus obſervando. Fons natus in caſtris Juſtiniani & Alexandri donum Dei.*

I. Sicut inveterati morbi; ita & odii cura difficilis; immo magis ac magis in dies vis ejus potius ingraveſcit, ſi nova ſupervenerit aegritudinis cauſa. Procopii dolorem non mediocriter exacuit, quod per annos triginta quinque a potioribus Imperii honoribus fuerit remotus poſt multos cum Beliſario, cui adſidebat, ut dictum eſt, Reipublicae cauſa, labores exanthlatos, praelatis ei ſaepenumero minus idoneis. At juſta cauſa fuit eum removendi, cum Graecae Religionis ſuſpectum ſe manifeſtis praebuerit argumentis, ut probatum eſt *proximo capite.* Debet enim quilibet magiſtratus ex *Nov.* 9. inter alia *jurejurando affirmare, ſe communionem habere cum ſanctiſſima Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia.* Κοινωνὸν εἶναι τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ Καθολικῇ καὶ Ἀποστολικῇ Ἐκκλησίᾳ. Hinc nova in Juſtinianum infenſi animi acceſſit cauſa, invidia ſtimulante. Ἀλλὰ, ut jam ex *eodem lib. 2. de bello Perſ.* dictum eſt *ſupra cap.* 22. φθόνῳ τὸ δίκαιον οὐδαμῇ εἴωθε ξυνοικίζεσθαι. hoc eſt, *Nullum invidiae cum juſtitia conſortium eſſe ſolet.*

γίαν δὲ ἀναβεβηκότα κατ' ἄλλο οὐδὲν ἢ ὅτι πονηρότατός τε ἦν ἀνθρώπων ἁπάντων, καὶ πόρους χρημάτων ἀδίκων ἱκανώτατος ἐξευρεῖν.

III. Quis laeſam hoc loco & ſimilibus Juſtiniani patientiam non miretur? quis, inter tot proſperos rerum a ſe geſtarum ſucceſſus, magnam ejus infelicitatem in hiſtorico non agnoſcat? Sed nullus in terris ex omni parte beatus eſſe poteſt. Non defuere Juſtiniano ſtrenuiſſimi belli Duces, ſummi Juriſconſulti, Architecti; defuit Hiſtoricus, qui bona fide virtutes ejus memoriae mandaret. *Certum eſt*, ut ait Vopiſcus *in Probo*, *cap.* 1. *quod Salluſtius Criſpus, quodque Marcus Cato, & Gellius Hiſtorici ſententiae modo in literas retulerunt, omnes omnium virtutes tantas eſſe, quantas videri eas voluerint eorum ingenia, qui uniuscujusque facta deſcripſerint. Inde eſſe quod Alexander Magnus Macedo, cum ad Achillis ſepulchrum veniſſet, graviter ingemiſcens, felicem te, inquit, Juvenis, qui talem praeconem tuarum virtutum reperiſti; Homerum intelligi volens, qui Achillem tantum in virtutum ſtudio finxit, quantum ipſo valebat ingenio.* Hactenus Vopiſcus. Similis locus eſt apud Ciceronem *pro Archia poëta*, *cap.* 7. & apud D. Hieronymum *in vita Hilarionis.* Quis igitur non videat, infelicem fuiſſe hoc modo Juſtinianum, quod hujusmodi praecone laudum ſuarum caruerit; ſed contra ſcriptorem nactus ſit, illas paſſim reticentem, propter averſionem a Chriſtiana Religione: ſed & adminiſtrationis ejus conſilia, odio invidiaque praeventum, temere carpentem, donec is tandem in atrociſſimum calumniatorem deſciverit? Humanae felicitatis non minima pars eſt, ſi laudatiſſimorum Principum egregia facta non diſſimulentur, cujuscunque etiam Reipub. valde intereſt, ut in literarum aeterna monumenta redigantur a poſteris imitanda.

IV. Qui Juſtinianum ingenii acutiſſimi Principem cum virtutum ejus obtrectatore fatebitur, an cum tantae ſtoliditatis fuiſſe putet, ut in tacitam laeſi Principis offenſam non inciderit Procopius? Certe hac de re dubium eſſe non poteſt: tum quod libris Hiſtoriarum paganorum ſententias inſeruerit, minus probatas Chriſtianiſſimo Principi; tum quod adminiſtrandi rationem improbaverit. Prudenter tamen ultimam indignationis cauſam diſſimulavit Juſtinianus; priorem tantum, tanquam adverſus male ſentientem de Religione Chriſtiana, non reticens. Non aliter vero factum vindicavit quam per juſtam ab honoribus praecipuis repulſam, tam propter ſummam ejus literaturam, quam quod multis obſequiorum laboribus de Republica bene meritus eſſet: ei tamen videtur injunxiſſe, ut in poſterioribus libris *de Aedificiis* gentilitiae ſuperſtitionis ſuſpicionem aboleret.

V. Qua de cauſa in id potiſſimum totus incumbit paſſim his libris praeter morem ſuum, ut ſanam de Chriſto ſententiam profiteatur, divinam Dei providentiam in bellis, a Juſtiniano ſuſceptis agnoſcat, & meritas laudes ejus, antea diſſimulatas, ad animum Juſtiniani mitigandum, praedicet.

VI. In limine *lib.* 1. laudat Juſtinianum, *quod cum initio Imperii diverſas de Divinitate perſuaſiones inter Chriſtianos inveniſſet, ſublatis erroneis, ſolidum unius fidei fundamentum ſtabilierit.* Id autem ſcripſiſſe vi-

Digitized by Google

natura Dei controverſiam *ἀνοίας μανιώδης* eſſe pronuntiat; poſteriore ſub Arſacis perſona eum deſidiae notare videtur, quod ad multam noctem inter ſacerdotes aetatis provectae ſemper otioſus ſedeat ad perſcrutandos Chriſtianorum libros anxie intentus. Eodem *lib.* 1. *de Aedific.* veram de Chriſto fidei profeſſionem edit, ut maculam erroris paganici prioribus libris contractam elueret; dum ait: *Deum, hominem factum, ex triplici parentum gradu deſcendiſſe; genealogiam vero accepiſſe a matre ſecundum hominis ſimilitudinem.*

VII. Alio ejuſdem libri loco adverſus ea, quae toties, ad nauſeam uſque, ſcripſerat de inſtabili fortunae genio, divinam Dei providentiam ſuſpicit, *quod temporibus Juſtiniani, pietatis ejus compenſandae cauſa, nuta divino quorundam Apoſtolorum, item Divorum Coſmi & Damiani corpora reperta ſint, quae antea latebant, donec ea hominibus manifeſtari congruum eſſet.* Addit, *eorum Martyrum reliquias genibus Principis admotas eſſe, & inde priſtinam ei valetudinem reſtitutam, effuſo ex arcula divinitus oleo, quo dolores, quibus cruciabatur, leniti & ſublati ſunt; oleum vero adhuc aſſervari in tanti miraculi memoriam.*

VIII *Lib.* 5. fatetur Juſtinianum *in omnibus rebus, etiam difficillimis, divinum auxilium expertum fuiſſe; novum lapidem in montibus Hieroſolymis proximis detexiſſe, Deo ita permittente, cui nihil eſt anceps ac impoſſibile, ut ibi templum in honorem Dei Genitricis aedificaretur. Prophetiam quoque domini noſtri de futura Eccleſia in monte Gazari eo tempore in perſona Juſtiniani adimpletam fuiſſe.*

IX. *Libro* 6. eundem Imperatorem meritis laudibus extollit, *quod in Pentapoli ſummam curam adhibuerat, non tam ad tuenda ſubditorum corpora, quam ad eorum animas ſervandas; operam dando, ut illis vera Chriſtianae Religionis fides traderetur.* Denique *ſolius Dei auſpiciis & ope ſingulari Beliſarium in Africam miſiſſe, & Vandalorum potentiam contriviſſe. Hujusque rei ſignum evidentiſſimum demonſtratum in eo fonte, qui mediis in caſtris erupit, cum primum exercitus Romanus e navibus in Africae ſiccas arenas deſcendiſſet.* Sic Alexander Magnus donum Dei credi voluit fontem, conſpectum in ipſius tabernaculo, cum Indis bellum inferret, ut narrat Q. Curtius *lib.* 7. *cap.* 38.

CAPUT XXVIII.

I. *Procopius in libris* de Aedificiis *Juſtinianum demulcet.* II. *Laudat eum ab animi magnitudine.* III. *A Juriſprudentiae cultu.* IV. *A manſuetudine.* V. *A clementia.* VI. *A munificentia.* VII. *A charitate Chriſtiana. Monaſterium poenitentiae; Ordo mulierum poenitentium, & Magdalenetarum quando Pariſiis inſtitutus; conviciatores aeterno igni mancipantur a Chriſto.* VIII. IX. *Tertia cauſa detegitur, cur Juſtinianum odio habuerit Procopius propter annua ſtipendia ei non ſoluta.* X. *Italis Profeſſoribus liberalium artium tempore Belli Gotthici a Juſtiniano denegata ſalaria, mox reſtituta.* XI. *In gratiam Juſtiniani redit Procopius. Fit Praefectus urbi & Quaeſtor.* XII. *Poenitentia ductus extremam non adhibuit manum* Anecdotōn *libello.* XIII. XIV. *Prin-*

S... laudes, dolo malo praetermiſſas a Procopio in prioribus Hiſtoriarum libris, quibus ille, praeter ea, quae *proximo capite* relata ſunt, exaſperatum animum Juſtiniani, poſt obitum Theodorae, demulcere conatus eſt *in libris de Aedificiis*, ut pleraeque in unum faſciculum coacervatae, & breviter collatae cum criminibus, quae falſo utrique intendit in *Anecdotis*, manifeſtam ejus arguant impoſturam.

II. In primis *in praefatione* horum librorum laudem Juſtiniano debitam attingit, quam fere ſolam prioribus libris inſeruerat, *quod Imperii fines longe lateque protulerit, majeſtatemque illuſtriorem multo reddiderit.* Optimum hoc Imperatoris factum quis odii praeſtigiis haud faſcinatus, non tribuat potius animi magnitudini, quam, cum ejus calumniatore in *Anecdotis*, ſanguinis humani aviditati?

III. Secundo: inter ejus encomia non minima interſerit ſummum Juriſprudentiae ſtudium, in confuſis & contrariis legibus tollendis, & utilibus in luculentam conſonantiam librorum Juris erigendis; quod nemo poteſt inficiari Principe, Juris religioſiſſimo, digniſſimum: id tamen in *Anecdotis* ita elevat, ut ei novum opus nuntiare videatur; quaſi per ambitionem id ab eo tantum praeſtitum ſit, ut omninus rebus, etiam legibus antiquis, nomen ſuum imponeret. Verum hac de re fuſius *capite ſequenti.*

IV. Tertio: manſuetudinem ejus tanto effert elogio, *quod ei eſſet ingenita, ut eam propterea Regem a natura natum eſſe* dicat; Homeri auctoritate in hanc rem utens, his verbis, ὅτι ἢ πατὴρ ὡς ἤπιος ἦεν. Integra Homeri verba extant 2. *Odyſſ. vſ.* 45.

—— —— ὅς ποτ' ἐν ὑμῖν
Τοῖσδεσσιν βασίλευε, πατὴρ δ' ὣς ἤπιος ἦεν.

hoc eſt; *qui quondam nobis imperabat, & tanquam pater mitis erat.* Nec eam quoque negat *in Anecdotis*, cum fatetur ad eum facilem cuilibet aditum patuiſſe. Sed, calumniantium more, hanc virtutem ad vitium ei proximum inflectit; dum ait, *iis artibus eum uſum eſſe ad fraudes obtegendas, & animi ſententias diſſimulandas.*

V. Quarto: illius clementiam merito commendat, quam exercuit in Artabanem & ſocios perduellionis reos, *quod non tantum criminis veniam, & bona eis indulſerit, ſed etiam praefecturis exercitus & Conſulatus dignitate illos decoraverit.* Quod exemplum inſigne ſufficere videtur, ut omnis ſaevitiae ſuſpicio, qua eum animoſius accuſat *in Anecdotis*, ex animis lectorum deleatur.

VI. Quinto: ejuſdem liberalitatem ac munificentiam paſſim *in libris de Aedificiis* ſummis extollit praeconiis, qua tot Eccleſias, propugnacula, & alia innumera opera publica, quae ab eo deſcribuntur, aedificavit; longe ſuperans hac in re omnes Imperii Principes anteriores: At in *Anecdotis* quis non videt, id ei vitio liberalitati ſimili per calumniam verti, nimirum nimiae divitiarum & theſaurorum profuſioni?

VII. Denique *lib.* 1. pluribus verbis effert, ut par eſt, conjunctam quandam divini & humani juris communicatione *Juſtiniani* & *Theodorae Auguſtae* charitatem erga mulierculas (quingentas fuiſſe ait *in Anecd.*) quae propter ſummam penuriam lenonum miniſteriis in Byzantino foro corpore quaeſtum faciebant. Narrat enim: *Infamem lupanaris locum ab iis expurgatum & lenonum nomen abolitum. Illas vero mulieres, ab intemperantia ſervili liberatas, ut liberam ſervarent caſtitatem in Monaſterio, cui nomen μετανοίας;*

hoc

in Anecdotis? Theodorae potiſſimum ſaevitiam accuſat, *quaſi per vim ſcorta in monaſterium retruſerit, & ita meliorem vitae rationem inire coegerit.* Nemo non videt, nimio calumniandi ſtudio, laudandum dignumque *Auguſtae* caſtitate factum in manifeſtam invidiam vis illatae trahi. Hoc ſingulare Chriſtianae charitatis in Theodora exemplum, ad procurandam muliebris pudicitiae integritatem, plus ponderis debet eſſe apud veros Chriſti cultores (qui apud D. Mathaeum *cap. 5. vſ. 22.* tantum abeſt, ut permittat optimorum Principum famam laceſſere, quin immo eum, qui quemlibet *fatuum* appellaverit, horrendis aeternae gehennae flammis urendum mancipat) quam quidquid Auctor atheus, cum inverecunda protervitate, & acerba inſultatione in Principes, de Religione Chriſtiana in pleriſque bene meritos effundit.

VIII. Quid autem haec verae fidei profeſſio, divinae providentiae celebratio, laudumque Juſtiniani commemoratio (*in libris de Aedific.*) Procopio pro fuerint, mox dicturus ſum, ſi prius ultimum ejus ulcus detexero, cujus dolore perculſus facilius profiluit ad temerarios auſus famoſi illius libelli condendi.

IX. Non ſemel in prioribus libris conqueritur denegata fuiſſe militibus ſtipendia, *lib. 1. & 2. de bello Perſ.* & *lib. 4. de bello Goth.* Beliſarium iterum in Italiam miſſum abſque ullis pecuniae ſubſidiis, ut conſtat ex Epiſtola Beliſarii ad Juſtinianum ſcripta *lib. 3. de bello Goth.* quod pluribus inculcat *in Anecd.* additque: *omnium ordinum hominibus ſalaria minime perſoluta. Magiſtros & Profeſſores liberalium artium neceſſariis ad vitam caruiſſe, ſportulamque iis ademptam, quam ſuperiores Principes liberaliſſime largiti ſunt.* Ex quibus evidens eſt, cum aſſiduus comes datus eſſet Beliſario ab initio Imperii, e publico ſolatia ei quotannis praeſtita, nequitia Comitum, qui largitionibus praeerant, fuiſſe intercepta; indeque novam exulcerati pectoris aegritudinem refricatam eſſe, ut peſtiferum linguae virus famoſo libello, quo nullus unquam atrocior fuit, in *Juſtinianum* & *Theodoram*, omneſque Imperii proceres, qui adminiſtrationis participes fuerant, evomeret.

. X. Quod autem ibi tradit de ſtipendiis, denegatis liberalium artium profeſſoribus: id in Italia factum eſt, temporibus belli Gotthici; ſed ad petitionem *Vigilii* ſummi Pontificis Juſtinianus annonam, quam Theodoricus Rex Italiae ſolitus fuerat largiri, Medicis, Grammaticis, Oratoribus, & Juriſperitis reſtituit anno Imperii 28. Id conſtat ex *cap. 22. Pragmaticae ſanctionis*, a Juſtiniano promulgatae.

XI. Licet haec ita ſe habuerint, tamen, *libris de Aedificiis*, ſibi tandem Juſtiniani benevolentiam conciliavit Procopius. Vix enim aſſentiri poſſum ejus Interpreti, qui, nullo auctore laudato, vult iſtos libros ſcriptos eſſe extremo Juſtiniani Imperio *in notis hiſtoricis:* cum multis argumentis contrarium evinci poſſit; quae nunc brevitatis ſtudio praetermitto. Probabilius eſt, ad eos ſcribendos animum appuliſſe poſt annum Juſtiniani 32. eoſque evolvendos obtuliſſe Juſtiniano ante annum 35. forte antequam ederet: potuit vero aliquo tempore poſt in vulgus emittere. Quidquid ſit, veroſimillimum eſt eapropter delinitum Juſtinianum anno Imperii 35. *praefecturam urbis* ei detuliſſe. Nam eo anno, cum is eſſet urbi praefectus, cognovit de quadam conjuratione in Juſtinianum, cujus accuſatus eſt etiam ipſe Beli-*diverſis reſcript. Ut omnes Principis juſſiones ſubſcriptionem habeant glorioſiſſimi Quaeſtoris.* Caſſiodorus *lib. 6. cap. 5. Variar.* ait quidem, *Quaeſtorem omnibus poſtulantibus legum remedia ſufficere debuiſſe*: ſed nondum ejus ſubſcriptio ante dictam *Novellam* deſiderabatur.

XII. Auſim etiam aſſerere, ſtipendia Procopio perſoluta fuiſſe ab anno 32. Juſtiniani, in quo finem libellum calumnioſum ſcribendi fecit: immo tot etiam calumniarum eum poenituiſſe; ideoque extremam limam ei libello non addidiſſe, tanto ſcriptore dignam; quod nemo inficiabitur, qui tumultuariam in eo ſcribendi rationem repetitionemque eorundem verborum bona fide agnoverit: animae vero ſaluti magis conſuluiſſet, ſi flammis eum aeternis perire paſſus eſſet.

XIII. Hoc Procopii libello manifeſte Principes, principaliumque conſiliorum participes edocentur, ne literatos unquam patiantur meritis fraudari ſolatiis, quorum ſcriptis egregia facta occultari, extenuari, & vituperari poſſunt. Sapienter, Lampridio referente *cap. 3.* Alexander Severus *literatos homines reformidabat, ne quid de ſe aſperum ſcriberent.*

XIV. Aequior multo fuit Agathias Juſtiniano; cum ſcripſit *lib. 5.* cum, poſtquam Africam recuperavit, & Italiam in poteſtatem redegit, tot tantaque bella confecit, primum omnium Imperatorum, qui Byzantii imperium tenuere, & nomine, & re ipſa liberae poteſtatis fuiſſe; ſed accuſat tantum vitium extremae ſenectae; odiumque ſtipendiorum non ſolutorum in duces, alioſque Reipublicae adminiſtratores rejicit.

CAPUT XXIX.

I. *Zoſimi, Conſtantini & Chriſtianorum Principum hoſtis, manes ab Evagrio & Nicephoro compellantur.* II. *Juſtinianus ambitionis accuſatus a Procopio in componendis legibus.* III. IV. *Leges, a Juſtiniano latae, ab eodem denominantur, exemplo legum, ab aliis Legiſlatoribus promulgatarum. Ad publicam utilitatem pertinent.* V. *Privati Juriſconſulti libris Juris, a ſe compoſitis, nomen ſuum imponunt Auditores Inſtitutionum cur dicti Juſtiniani novi.* VI. VII. VIII. *Civitates, a Juſtiniano conditae & reſtitutae, cur nomen ab eo accipiant.* IX. *Item novi Magiſtratus ab eodem creati.* X. *Alciatus in poſterioribus libris Juſtinianum omnibus Imperatoribus praefert. Procopium vero inter atheos Rhetores connumerat.*

I. HAec Digeſtorum praeludia vix pati poſſunt, ut, quamvis inſcriptio, ad quam ſuperiora ſcripta ſunt, res bellicas Juſtiniani tantum reſpiciat, in proprium commentarii locum differatur ſolutio eorum, quibus etiam Juſtiniano probro vertere conatur *Anecdotûn* auctor, nunquam ſatis laudandum univerſum juris corpus, ab eo compoſitum; immo potius poſtulare videntur, ut acceſſionis vice (quod ſaepe in Digeſtis fieri norunt Juriſconſulti) in anteceſſum hic ſubdatur, tanquam quid antecedentibus conſequens. Qua in re fas erit mihi

pis vindex eſſet.

II. Quid eſt, quod canino dente tantopere oggannis, *Juſtinianum, ſtatim atque ad Imperium pervenit, omnia miſcuiſſe? quod abolitas leges Reipublicae reſtituerit? quod uſu recepsas aboleverit, quaſi non niſi ad immutandum Reipublicae ſtatum in aliam Imperii formam habentes ejus ſuſcepiſſet? Quod novas dignitates, leges, militumque numeros, veteribus ſublatis, inſtituiſſet; non ut Juſtitiae ac utilitati publicae conſuleret, ſed nimio tantum ſtudio rerum omnium innovandarum, illisque ſuum nomen imponendi, quas mutare non potuerit?*

III. At quis, vel in Juris hiſtoria dupondius, non audierit, non legerit ab urbe condita uſque ad Juſtiniani tempora tales rerum humanarum mutationes? Romulum, Numam, Servium, Reges, Conſules, Dictatores, Decemviros, Tribunos plebis, Praetores, Cornelium Syllam, Julium Caeſarem, Auguſtum, Hadrianum, Conſtantinum, Theodoſium Juniorem, aliosque Imperatores in promulgandis novis legibus, veteribus abolitis reſtituendis, aut uſu receptis abrogandis, pro diverſo Reipublicae ſtatu, variisque hominum moribus antea praeſtitiſſe, quod eorum exemplo, juſtitia, pene legum mole preſſa, id omnino efflagitante, feliciter peregit Juſtinianus? Quidni potius, quod ipſe dolo malo retices in prioribus libris, & in poſterioribus *de Aedificiis* leviter tangis, laudem hanc eximiam ſoli Juſtiniano tribuis, quod divinum Digeſtorum opus, ab aliis fruſtra tentatum, ſuo juſſu, ſuisque ſumptibus perfici curaverit & recognoverit; ex quo immortalem ſibi apud omnes gentes gloriam peperit, cum absque illius ope rudis illa indigeſta, confuſaque Juris compages multis labentibus ignorantiae ſeculis penitus jam fuiſſet obruta? Contra vero ut coruſcantibus hujus facti radiis nebulas aliquas calumniatoris opponas, & ita, tanquam praeſtigiator, tenebras lectorum oculis animisque offundas, ſic illud conaris eludere, ut dicas, id a Juſtiniano peractum, *non utilitatis publicae, ſed famae tantum, nominisque ſui propagandi cauſa:* omnium tamen populorum manifeſta reclamat utilitas, qui hujusmodi legibus, etiam hodie, ſublato licet imperio Romano, ſaltem ad confirmandas juris ſui rationes utuntur.

IV. Non hoc eum innuis reſpexiſſe; ſed ut Codex, Digeſta, Inſtitutiones, auditores primi anni de ſuo nomine appellarentur. Quid vero magis ridiculum, quam id ſoli Juſtiniano inter Legiſlatores imputare? Nonne id in omnibus antiquis legibus citra controverſiam vulgo receptum eſt, ut ab auctorum nominibus nuncuparentur leges Draconis, Solonis, Romuli, Corneliae, Pompejae, Juliae, & innumerae ſimiles?

V. Dices: leges alienas compoſuit, quaſdam tantum ſuas veteribus inſeruit. Quid ſi tantum compoſuiſſet, ut in Digeſtis? cur ei minus juris eſſet, quam privatis Juriſconſultis, a quibus denominatur Jus Papirianum, Aelianum, Codex Gregorianus, Hermogenianus? Si ſuas inſeruit, ut in Codice & Inſtitutionibus, cur non exemplo Theodoſii Junioris, qui Codicem, editum a ſe, de ſuo nomine *Theodoſianum* vocari voluit, ſuum etiam Codicem *Juſtinianeum* & Inſtitutiones *Juſtiniani* potuit appellare? Cui unquam durum viſum eſt, ut auditores & ſectatores Sabini *Sabiniani*, Proculi *Proculejani*, Papiniani *Papinianiſtae* dicerentur? Cur non auditores Inſtitutionum *Juſtiniani* potuerunt *Juſtiniani novi* appellari?

VI. Significas praeterea, Interpretis tui conjectura, plurimas urbes *Juſtiniani* nomine inſignitas: [illegible] *lio Hadriano* impoſitum? Ab eodem quoque plures urbes *Hadrianopoles* dictas, infinitis etiam aquaeductibus nomen *Hadriano* datum? teſte Spartiano *in Hadriano. cap.* 20. Mitto innumera hujuſmodi exempla; e quorum numero fateor quidem deridendam eſſe *Commodi* dementiam; quod urbem Romam *Coloniam Commodianam*, & ſimilia quaedam abſque ulla ratione de ſuo nomine appellari voluerit. Lampridius *in Commodo cap.* 8. Sed idem de Juſtiniano Imperatore graviſſimo nullo modo affirmari poteſt.

VII. Neſcis antiquis Romanorum legibus ſolis Principibus permiſſum, nomen inſcribere publicis operibus, etiam aliena impenſa conſtructis, non vero aliis ſine permiſſu Principis? *l.* 3. *§. ult. l.* 4. *l.* 6. *D. de operibus publ. l. Si qui judices* 10. *C. eodem.* Quid ſi principis ſumptibus civitates novae conditae, aut veteres ruinis ac incendiis deformatae ſunt reſtitutae? ut de Juſtiniano paſſim fateris *in libris de Aedific.* Euagrius *lib.* 4. *cap.* 18. in Africa ſola centum quinquaginta urbes ita inſtauratas a Juſtiniano memorat; cur nudum principis nomen iis imponi vetaretur? ſicut *Cyrtae* oppido, quod Alexandri obſidione ceciderat, a Conſtantino repoſito, exornatoque, nomen *Conſtantina* in honorem *Conſtantini* eſt inditum; ut ait Aurelius ſenior *de Caeſ. cap.* 40. Potuiſti tam in Italia, quam in aliis Imperii partibus, operum publicorum inſcriptiones inſpicere (quarum quaedam extant apud Gruterum ſub titulo *de operibus & locis publicis*) fere omnes Imperatorum nomina prae ſe ferentes.

VIII. Diſtinctionis quoque cauſa Juſtinianus quoſdam Magiſtratus, quibus novam juriſdictionem tribuit, *Juſtinianos* vocavit in *Novellis*; exemplo Praetoris *Conſtantiniani*, *l. ult. C. de praediis & aliis rebus minorum.* Quoties mutata eſt Reipublicae facies, toties novis Magiſtratibus opus fuit: hac ratione Conſtantinus inter alios Principes, cum primus Imperatorum Chriſtianam Religionem palam profeſſus eſſet, novas etiam dignitates creavit. Nec mirum ſi ab hiſtorico Zoſimo, erroris paganici maximo cultore, ſit eo nomine reprehenſus, quod Magiſtratuum officia conturbaverit; quod unam dignitatem in plures ſit diſpertitus! Nam ita paulatim a ſuprema Imperii ſede relegatus eſt error ille gentilitius ad ruſticos & agreſtes pagorum, Graeciaeque incolas, a quibus etiam gentiles, *pagani & Graeci* dicti videntur.

IX. Non omittam militum numeros, quibus Juſtinianus ſuum nomen dedit. Hi ſunt Vandali, *Juſtiniani ſtationarii.* Quid aequius, quam victos hoſtes victoris nomen aſſumere, in cujus ditionem ſe ſuaque dediderunt, & nova, ſub ejus militia, ſtipendia meruerunt? cum victor ipſe a victis *Vandalici* nomen ſibi vindicet, ut dictum eſt. Nec illud etiam exemplo caret. Quid enim frequentius occurrit in *Notitia utriuſque Imperii*, quam milites novos a nominibus Imperatorum dici *Auguſtenſes*, *Jovianos*, *Herculianos*, *Conſtantinianos*, *Honorianos*, *& ſimiles?*

X. Subjungit idem interpres, etiam Juriſconſultos levitatem Juſtiniani notare; nominatim Alciatum, *lib.* 4. *diſpunct. cap.* 7. Sed aut ignoravit Alciatum in poſterioribus libris huic loco derogaſſe, aut non bona fide reticuit, quod idem auctor ſcripſit, *lib.* 5. *Parerg. cap.* 2. his verbis. *Par eſt conſtitutioni ipſi magis credere, quam Rhetori Procopio, quem conſtat ex Suida ipſi Juſtiniano infenſum fuiſſe. Quo nomine & plerique alii Rhetores ei obtrectant, inſanumque & illiteratum appellant; quod ἄθεοι, & infideles Chriſtianiſ-*

ſi-

Digitized by Google

CAPUT XXX.

I. *Ad verba inſcriptionis Juſtinianeae*, Pius, Felix, Inclytus, Victor, Triumphator. II. III. *Qui Pii appellati ante Juſtinianum, & quibus de cauſis.* IV. *Cur Pius dictus ſit Juſtinianus.* V. VI. *Criminationes Procopii, Heſychii, Illuſtrii, Suidae, in pietatem Juſtiniani diluuntur. Adulationibus fidem non habuit Juſtinianus. Tribunianus neque gentilis, neque atheus.* VII. *Cur Pii nomen affectavit Juſtinianus.*

I. MUlto plura ſubjici poſſent adverſus *Anecdotōn* librum, & ejus Interpretem, praeter ea, quae a me *ſupra*, & ab aliis animadverſa ſunt. Sed ſuperiora ſufficiunt ad inſcriptionis noſtrae, totiuſque legitimi operis defenſionem. Supereſt tantum quid dicendum de his ſequentibus inſcriptionis verbis: PIUS, FELIX, INCLYTUS, VICTOR, AC TRIUMPHATOR.

II. Pii cognomen affectaſſe Juſtinianum nemo neſcit *ex Nov. 78. cap. 5.* nec injuria; ſi conferantur hujus affectationis rationes cum iis, propter quas alii ita ſunt cognominati. Primus, poſt *Aeneam* apud Virgilium, inter Romanos *Pius* appellatus eſt *L. Metellus*, quod pietatem, in reditu patris deprecando, adhibuerit, teſte Valerio Max. *lib. 5. cap. 2.* & auctore *de viris illuſtribus cap.* 63. At inter Imperatores primus *Pius* dictus eſt *Titus Antoninus*. Licet enim *Pii* cognomen delatum eſſet Tiberio poſt debellatum ab eo Illyricum, tamen Auguſtus hac in re interceſſit. Sueton. *in Tiberio cap.* 17. Sic vero *Antoninus* cognominatus eſt, *vel quod ſocerum feſſum aetate manu ſublevaverit; vel quod ipſi Hadriano magnos honores poſt mortem detuliſſet.* Spartianus *in Hadriano cap.* 24. Addit Capitolinus in *vita Pii, cap. 2. quod cum ſe Hadrianus interimere vellet, ingenti cuſtodia & diligentia fecit, nec id poſſet admittere; vel quod vere natura clementiſſimus, & nihil ſuis temporibus aſperum feciſſet.* Ultimae rationi ſubſcribit Xiphilinus *ex Dione lib.* 70. & Eutropius *lib.* 8.

III. Poſteriores fere omnes Imperatores ejus exemplo, juſta vel injuſta de cauſa, cognomen illud ſibi vindicarunt, M. Antoninus, Commodus, Severus, Caracalla, Alexander, Gordianus, Philippus, Decius, Trajanus, Gallienus, Claudius, Tacitus, Probus, Carus, Carinus, Diocletianus, Maximianus, Conſtantius Pater Conſtantini, Galerius, Maximinus, Conſtantinus, Conſtantius ejus filius, Valentinianus, Valens, Gratianus, Valentinianus ſecundus, Theodoſius ſenior, Arcadius, ut ex innumeris *inſcriptionibus* Gruteri patet, quas brevitatis cauſa hic omitto. Abſque ratione ſpeciali *Commodus* (ut conſtat ex Suida *in Commodo*) *Senatu ſemet ridente cum adulterum matris Conſulem deſignaſſet*, Lampridio teſte *in ejus vita cap.* 8. Idem etiam de quibuſdam aliis dici poſſet. Conſtantius vero pater & Conſtantinus juſta de cauſa; ille quidem quod ſemper Chriſtianorum cultum ſit veneratus, & averſatus immanitatem Collegarum Principum, Chriſtianos diris torquentium ſuppliciis, ut num.

IV. Juſtinianus etiam meritis de cauſis *Pius* cognominatus eſt, propter eximiam in *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum & ſacroſanctam Trinitatem* fidem, ſummumque adaugendae Religionis orthodoxae ſtudium. Nam ideo a Joanne ſecundo, Pontifice Maximo, *Chriſtianiſſimus Principum & Pius* vocatur *in l. ult. C. de ſumma Trinitate & fide Catholica.* Et a Cedreno multis celebratur eo nomine, quod in primis curae ei fuerit, innumeras gentes barbaras, earumque Reges religione Chriſtiana imbui. Alia ratione Procopius *libris de Aedific.* appellat eum *ὁσιῶν τα βασιλέα*, propter tot templa, quae refert ab eodem extructa ſumptuoſius in honorem Dei, Virginis Mariae, & Sanctorum.

V. Itaque non negat ejus pietatem in *Anecdotis*, eo quod ſummo deſiderio teneretur haereticos ad fidem Orthodoxam revocandi, & in magna veneratione ei fuerint ſacerdotes. Sed hunc Religionis cultum ſuo more detorquet ad *nimiam indulgentiam & ſaevitiam, pietatis praetextu exercitam.* Addit etiam eum aures accommodaſſe aſſentationi Tribuniani Quaeſtoris, affirmantis: *vereri ſe vehementer ne ob ſingularem pietatem in coelum raperetur.* Idem teſtantur Heſychius, Illuſtrius & Suidas in *Τριβωνιανός*. Cauſa tamen pietatis non expreſſa. Uterque vero Triboianum gentilem & Atheum fuiſſe arbitratur.

VI. Sed Illuſtrius eodem invidiae morbo laboraſſe videtur, quo Procopius, adverſus eos, qui tum honoribus praecipuis fungebantur, utpote Tribuniani, caeterorumque Magiſtratuum aequales ambo & aemuli. Priora Suidae verba deſumpta ſunt ex Heſychio: poſteriora ex *lib. 1. de bel. Perſ.* Procopii. Ne autem temere credatur Heſychio & Procopio, duo argumenta obſtant. Unum ex perſona Tribuniani: nam ſi fuiſſet is gentilis & atheus, nunquam tot Conſtitutiones ſuggeſſiſſet Juſtiniano, quibus graviſſimis poenis coërcentur homines, gentilitiae ſuperſtitionis & haereſeos convicti, niſi poſt perfectam ad fidem Chriſtianam converſionem. Alterum eſt ex perſona *Juſtiniani*. Non enim veriſimile eſt, eum, qui tantam pro peccatis poenitentiam agebat, quantam vere deſcribit ipſe Procopius *lib. 1. de Aedificiis.* & ſignificat ipſemet *Nov.* 30 *in fine.* (quae vix homini privato toleranda, ne dum Imperatori congrua, propter auſteram ciborum abſtinentiam, & morum gravitatem) ita ſui oblitum eſſe, ut hujusmodi adulationi, paraſito, non *Tribuniano Quaeſtori* dignae, fidem haberet.

VII. At, inquiet aliquis, confeſſus es, Juſtinianum *Pii* cognomen affectaſſe: quid refert ſi eo dignus fuerit? ut probatum eſt: ſed & affectationis potuit eſſe juſta cauſa, ut benevolentiam ſubditorum ſibi conciliaret; quia teſte Claudiano *lib. 3. de laudib. Stilich. vſ.* 114.

—— nunquam libertas gratior exit
Quam ſub Rege pio.

CAPUT XXXI.

I. *Cur Imperatores, qui Pii dicti, Felices ſimul appellati, Maxima Conſtantini felicitas ob ejus pietatem.* II. III. *Juſtinianus cur*

Digitized by Google

Inclyti. VI. *Cur vox Inclyti conveniat Principibus Romanis. Unde ſit deducta.* VII. *Quo tempore Juſtinianus dictus Pius, Felix, Inclytus, Victor, Triumphator.*

RELiquos inſcriptionis titulos Imperiales perſequar hoc capite, in quibus imitatus eſt Juſtinianus juſtis ex cauſis omnes fere anteriores Principes, qui floruerunt a temporibus Antonini Pii, a me *proximo capite* enumeratos. Nam, ut conſtat ex iiſdem *inſcriptionibus* Gruteri, qui *Pii* dicti ſunt, iidem & FELICES ſimul ſunt appellati: quia pietatis comes ut plurimum eſt felicitas. Maxime vero pietas & felicitas ſimul enituerunt in perſona Conſtantini Magni: etenim ob ſingularem ejus pietatem in Chriſtum & Religionem Chriſtianam adverſus Maxentium, Licinium, aliosque hoſtes Chriſtiani nominis, tanta felicitate uſus eſt, ut Sozomenus *lib.* 3. *cap, ult.* vere dixerit, *neminem unquam fortunatiorem fuiſſe, quod nihil ſine Deo molitus esſet.* Id ipſum agnoſcit ipſemet Conſtantinus, in Epiſtola ad Eccleſias *lib.* 3. Euſebii *de vita Conſtantini.* Illa conjuncta cognomina *Pii* & *Felicis* ſignificantur his ſingularibus literis. P. F. apud Valerium Probum.

II. Quod ad Juſtinianum attinet: jam ex dictis notum eſt, jure *Pii*, *Felicis* titulos conjunxiſſe ob proſperos rerum a ſe geſtarum eventus; & hac in re Procopium odii caecitatem in furoris rabiem vertiſſe, cum Juſtiniani felicitatem *volubilis fortunae Daemonio* tribuit in *Anecdotis.* At felicem praedicat tertium ſuum Conſulatum Juſtinianus, & felicitatis rationes addit his verbis, *l.* 2. *§. penult. C. de veteri jure enucl. Quia*, inquit, *Maximi Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti auxilium feliciſſimum cum noſtrae Reipublicae donavit, cum in hunc & bella Parthica abolita ſunt & quieti perpetuae tradita, & tertia pars mundi nobis adcrevit. Poſt Europam enim & Aſia & tota Libya noſtro imperio adjuncta eſt, & tanto operi legum caput impoſitum eſt: omnia coeleſtia dona noſtro tertio Conſulatu indulta.*

III. Praeterea immerito a victoriis, cujus auſpiciis adverſus tot gentes, quot *ſupra* dixi, relatis, VICTORIS ac TRIUMPHATORIS titulos prioribus adjecit: qua de cauſa in caſtris fauſta militum acclamatione *Callinicus* ſaepe vocatus eſt, ut eſt apud Procopium *lib.* 1. *&.* 2. *de bello Perſ.* Forſitan emiſſa fuit a peritioribus quibusdam Graecis militibus vox illa, qui reſpexerunt ad fauſtas veterum acclamationes & gratulationes, τήνελλα καλλίνικε; de quibus Ariſtophanes in Ἀχαρ. & in Ὀρνιθ. *in fin. & ibi Scholiaſtes.* VICTOREM AC TRIUMPHATOREM Juſtinianum vocat Jornandes, *lib. de rebus Get. Inſcriptio* Gruteri *pag.* 161. 1. PIISSIMUM AC SEMPER TRIUMPHALEM.

IV. Haec autem VICTORIS AC TRIUMPHATORIS cognomina inter Imperiales titulos potiſſimum uſu recepta ſunt circa tempora Conſtantini. Nam, in tribus *inſcriptionibus* apud Gruterum *pag.* 278. VICTORIOSISSIMI *Principes juventutis* dicuntur Carinus & Numerianus. Primus Conſtantinus Victorıs titulo eſt uſus, ut conſtat ex variis inſcriptionibus Edictorum & Epiſtolarum, quae extant apud Euſebium, *lib.* 2. *Hiſtor. Eccleſiaſt. & libris de vita Conſtantini.* Hinc in publicis *inſcriptionibus* apud Gruterum, *pag.* 272. *& aliis* dicitur MAXIMUS TRIUMPHATOR, VICTOR AC TRIUMPHATOR, MAXIMUS VICTOR. Conſtantinus filius, VICTOR, *pag.* 284. Julianus VICTOR AC TRIUMPHATOR, *pag.* 185. Longum eſſet idem referre de etiam appellatur Theodoricus, Rex Italiae, VICTOR AC TRIUMPHATOR: in quadam *inſcriptione* Gruteri *pag.* 152. 8.

V. Minus frequentata fuit INCLYTI vox inter titulos imperiales ante Juſtinianum. INCLYTUS vocatur Decius Trajanus in antiqua inſcriptione *pag.* 273. 5. Eutropius Diocletiani & Herculii triumphum INCLYTUM dixit *lib.* 10. Titulus INCLYTI datur Conſtantio, patri Conſtantini, in alia *inſcriptione* Gruteri *pag.* 281. 1. Conſtantii, qui fuit filius Conſtantini, facta INCLYTA vocat Aurelius Victor ſenior. Valentianus INCLYTUS dicitur in duabus *inſcriptionibus* Gruteri *pag.* 285. 6. *& pag.* 286. 1. Sextus Rufus eundem Principem INCLYTUM appellat, & facta ejus INCLYTA. Victor *dicto loco* INCLYTOS Principes eundem Valentinianum & Valentem. Theodoſius Junior VICTORIS AC TRIUMPHATORIS titulis in honorem Valentiniani III. praefert INCLYTI vocem *Novel.* 2. quaſi jam uſu receptam inter titulos Imperiales: immo & Theodoricus *in dicta inſcriptione* GLORIOSISSIMUS ADQ. INCLUTUS REX appellatur. Qua de cauſa eandem vocem uſurpat Juſtinianus.

VI. Et ſane admodum convenit haec vox Romano Principi gloria praefulgenti. Nam nobilitati & gloriae quid claritudinis addit. Ulpianus de Ilienſium privilegiis agens *l.* 17. *§.* 1. *D. de excuſat.* ait ea fuiſſe conceſſa propter *inclytam Nobilitatem civitatis*; quibus verbis reſpexit ad hos Virgilii verſus, *lib.* 2. *Aeneid. v.* 241.

O patria, o Divum domus Ilyum, & inclyta bello
Moenia Dardanidum!

Idem epitheton recte tribuitur *Romae* ab eodem poëta *lib.* 6. *Aeneid. v.* 782. his verbis:

En hujus, nate, auſpiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos aequabit Olympo.

Ubi Servius: *Inclyta Graecum eſt; nam* κλυτὸν *glorioſum dicunt.* Quae Servii verba repetuntur a Beda, *lib. de orthographia.* Feſtus Pompejus *in Clutum. Graeci* κλυτὸν *dicunt; unde, accepta praepoſitione, fit inclytus.* IN *enim ſaepe augendi cauſa adjicimus, ut invocavit, inclinavit.* Virgilius autem imitatus eſt Ennium, cujus hic verſus extat apud Suetonium *in Octavio. cap.* 7.

Auguſto augurio poſtquam inclyta condita Roma eſt.

Scite igitur INCLYTI vocabulum *Inclytae* utriuſque *Romae* Principibus accommodatum. Minerva eleganter apud Apulejum *lib.* 10. *Metamorphoſ.* ob *inclytum* formae judicium, ut ait Cicero 1. *de divinat. cap.* 50. Paridi pollicetur, *eum fortem, tropheiſque bellorum inclytum futurum.*

VII. Porro Juſtinianus PII, FELICIS, INCLYTI, VICTORIS AC TRIUMPHATORIS titulos jam anno Imperii ſecundo vindicavit in Conſtitutione *de novo Codice faciendo*, & aliis, ut jam *ſupra* oſtenſum eſt.

CAPUT XXXII.

I. *Ad ultima verba inſcriptionis, praepoſitae orationi ad Anteceſſores.* II. *Qui in ea nominantur Anteceſſores, Conſtantinopolitani ſunt aut Berytienſes. In Orientis Imperio duobus locis tantum erant inſtitutae ſcholae Juris publicae. Nullae Juris ſcholae publicae in utroque Imperio ante tempora Theodoſii & Valentiniani III. Quorum eſt* l. unica C. de ſtudiis liberal. urbis Romae. *Lex illa privatam diſciplinam probat.*

Digitized by Google

eſt Theophilo, Dorotheo, Theodoro, Iſidoro, Anatolio, Thallelaeo, & Cratino, viris Illuſtribus antecessoribus. Item et Salaminio viro diſertiſſimo Antecessori Salutem.

II. Anteceſſores omnes, qui enumerantur hic, ſunt Conſtantinopolitani, aut Berytienſes: Conſtantinopolitani *Theophilus & Cratinus*; Berytienſes *Dorotheus & Anatolius*. Quatuor illi inter alios electi ad compoſitionem Digeſtorum ſic diſtinguuntur, *l. 2. §. Quae omnia 9. C. de veteri jure enucleando.* E reliquis quatuor probabile eſt quoque duos eſſe Conſtantinopolitanos, duos Berytienſes. Nam in duabus tantum civitatibus Orientalis Imperii, Conſtantinopolitana & Berytienſi, Anteceſſores jura publice diſcipulis exponebant; poſtquam primum publicae juris ſcholae ſunt inſtitutae a Theodoſio Juniore & Valentiniano III. *l. unica C. de ſtudiis liberalibus urbis Romae & Conſtantinopolitanae*; probatis tamen privatis Juris auditoriis, quae ſemper antea frequentata ſunt in utraque Roma. Sic perite hujus Conſtitutionis definitiones Juris Interpretum Princeps Cujacius contrahit in pauca: *Conſtitutio eos profeſſores notat infamia, eisque interdicit urbe, qui ſibi uſurpant publice docendi auctoritatem; privatam diſciplinam probat: publice probatis receptisque profeſſoribus ut doceant in Capitolio, ne & privatim doceant interdicit, publicorum profeſſorum numerum conſtituit.* Nec his definitionibus obloquitur Juſtinianus in Oratione *ad Anteceſſores §. Haec autem 7.* Nam, ut fuſius ibi oſtendam in *Commentario*, manifeſte hic §. pertinet tantum ad eos, qui, ut ait Cujacius, ſibi uſurpabant publice docendi auctoritatem Alexandriae, Caeſareae, & aliis locis, non ad privatam diſciplinam.

III. Ex illa autem *l. unic.* duo inſtituti ſunt Anteceſſores Conſtantinopolitani, & duo Berytienſes, actu publice docentes. Plures eſſe poterant, qui legitimo viginti annorum tempore docendi munere perfuncti, ad praecipuas Imperii dignitates vocabantur. Septem priores in hac inſcriptione Illustres dicuntur (non ultimus) quod illi Comites eſſent ſacri Conſiſtorii; eodem ſcilicet honore decorati, quo ſunt in vicaria dignitate poſiti, *l. unica. C. de profeſſorib. qui in urbe Conſtantinopolitana docentes ex lege meruerunt Comitivam. l. unic. C. de Comitibus qui provincias regunt.* Unde Theophilus dicitur Comes ſacri Conſiſtorii, *in Conſtitutione de novo Cod. fac.* Cratinus Comes ſacrarum largitionum *d. §. Quae omnia 9.*

recitationes tradunt. Oratione ad Anteceſſ. in princ. §. 1. §. In ſecundo 3. Legum Doctores, qui libros juris auditoribus praelegere ſolent. Conſtit. de emend. Cod. Domini Juſtiniani. προσγεγραμμένοι *Cyrilli Gloſſis.* ἀντικήνσορες τῶν νόμων ἐξηγηταί. *l. 3. §.* Ἅπερ ἅπαντα *9. & §.* ἐπειδὴ *11. C. de veteri jure enucleando.* Sic Thalelaeum vocat Attaliates ἀντικήνσωρ. Theophilum Inſtitutionum Juſtiniani paraphraſten Graecum, ejuſdem *interpretes Graeci*; quorum notas diligenter mihi diſcuſſiſſe contigit in veteri Theophili Codice MS. Graeco, qui aſſervatur in Regia bibliotheca.

FActa ſuperiori capite Praefecti Auguſtalis, & Alexandriae mentio mihi curam injecit attingendae conſtitutionis Arcadii & Honorii, quae & ſcripta eſt ad Praefectum Auguſtalem, & de Alexandriae primatibus tractat. Verba ejus ita ſe habent: *Archigerontes dioecetaeque ergaſiotanorum non niſi Chriſtiani dirigantur.* In civitatibus erant Curiae, erant & corpora. Et Plebeji quidem ditiores Curiis: tenuiores corporibus deputabantur. Qui autem in Curiis principem obtinebant gradum, ii principales civitatum vel urbium, & primores Curiarum, vel ſummates ordinum dicebantur: qui pro amplitudine Curiae modo plures, modo pauciores erant: puta modo decem, modo quinque, & plerunque tres. hinc *decemprimi Curiales l. 54. C. Th. de haeret.* hinc *quinqueprimi Curiae*, *Novella Majoriani de Curialib.* & *quinque ſummates ordinis l. 57. C. de decurionib.* hinc *tres primates l. de creationibus 27. C. de epiſcop. aud. & l. ult. §. & ſiquidem 5. & §. in provinciis, in fin. §. 6. C. de curat. fur.* Qui autem in corporibus primum gradum obtinebant, ii *Curatores corporum* dicebantur, ut in *l. 3. D. de colleg. & corp.* qui & *patroni corporum l. 2. l. 12. C. Th. de piſtor. & catab. l. 9. C. Th. de ſuar. & pecuar. & Novella Valentiniani de Suariis*: & in pleriſque antiquis inſcriptionibus. Ideoque *Curatoris*, & *patroni* nomen conjungitur in hac veteri inſcriptione: Q. SEN. . . . ORE-

gnorum autem corporum *Curatores*, ſeu *patroni*, ſeu *principales*, ſeu *primates*, ut in *l. un C. de collegiat.* & *l. 9. C. de ſacroſ. eccleſ.* & *ſummates l. 6. C. de navicular.* plerunque tres erant. Hinc *tres primi patroni corporum l. 9. C. Th. de ſuar.* & *tres principales corporis l. 10. eod. tit.* Inter eos itaque, qui in civitatibus primarium obtinent gradum, erant *principales Curiarum, & corporum.* Itaque in *C. Th. ſub. tit. de Alex. pleb. primat.* ex quo ſumpta eſt haec *l. 6.* de utriſque agitur. *Principales* autem *Curiae Alexandrinae* (qua Alexandria ante Severum caruit auctore Spartiano *in ejus vita cap.* 17. & Dione *lib.* 51.) dicuntur *Archigerontes*, quaſi principes *γερόντων*, ſeu ſenatorum municipalium, ſeu *buleutarum*, ut loquitur ibidem Spartianus: quaſi principales *γερουσίας*, ſeu Curiae. Feſtus in *v. Geruſia*: *Geruſia*, inquit, *Curia ab aetatis vocabulo dicta eſt.* Sed & *Curia* veteribus *minor ſenatus* dicebatur, ut proditum eſt in *d. Novel. Majoriani*, & apud Caſſiodorum: & ſimpliciter quandoque *ſenatus*, ut in *l. 27. C. Th. de decur.* ut & *ſenatores Alexandrinae civitatis* dicuntur in inſcriptione *l. 19. C. Th. de petit. & ultr. dat.* Sic & contra Imperatores *ordinem ampliſſimum* ſeu *ſenatum* Curiam ſuam quandoque vocabant, ut in *l. 8. C. de dignitatibus*, & *l. 1. C. Th. de Praefect. praet.* quae & *Curia ſenatoria* dicitur, *l. 1. C. Th. de Conſulib.* & *μεγάλη βουλή. Nov.* 70. qua ratione ampliſſimos ordines, ſeu Parlamenta recte hodie *Curias* dicimus. *Archigerontes* igitur ſunt, qui *Alexandrini principales* dicuntur *l. 56. C. de decurionib.* ſeu *quinque ſummates ordinis Alexandrini l. 57. eod. tit.* *Curatores* autem *corporum Alexandrinae civitatis* hic vocat *dioecetas ergaſiotanorum*, ſeu *corporatorum.* Sic *Curatores frumenti*, & *Curatores operum*, aliique ſimiles, qui res ad civitates pertinentes adminiſtrant, *διοικηταὶ* vocantur in *Novel.* 128. *c.* 16. *Ergaſiotanos* autem *corporatos* eſſe nuper docuit juriſprudentiae bonarumque omnium artium eximius antiſtes Jacobus Cujacius, doctor meus, *Obſervat.* XXIII. *cap.* 3. Alexandriae vero fuiſſe *corporatos* patet ex *l. 1. C. de Alex. primat.* veluti *navicularios*: quorum corporis curatores dicuntur *naviculariorum Alexandrinae Civitatis ſummates d. l. 6. C. de navicular.* In jure noſtro Graecis vocabulis etiam pleraque alia Alexandrinae civitatis munera deſignantur: ut *oſpratura*, *ebritologia*, *periſſochoregia*: ſic & *publici exceptores Alexandrinae civitatis* dicuntur *Hypomnematographi*, *l. 59. C. de decurionib.* *ὑπομνήματα* enim acta ſunt teſte Theophilo §. *ult. Inſtit. de curatorib.* Municipalia autem geſta ſeu acta exceptoris publici miniſterio interveniente conficiebant, *l. 151. C. Th. de decurion. Novell. Theodoſii de fiſcal. tribut.* Alexandriae autem ad Hypomnematographorum ſeu exceptorum publicorum ſollicitudinem pertinebat Curialium nominatio, *d. l. 59. C. de decur.* ſicut ad Cenſualium Praetorum nominatio Conſtantinopoli *l. 27. C. Th. de Praetorib.* Ratio vero nominis *Hypomnematographorum* arguit, eorum curam miniſterium potius fuiſſe, quam honorem, & magiſtratum, ut Strabo voluit *lib.* 17. Praecipit autem haec conſtitutio Archigerontas, dioecetaſque ergaſiotanorum ex Chriſtianorum numero deligi; ſic legendum in *l. 1. C. Th. de Alex. pleb prim.* ubi affinitas horum verborum *ergaſiotanorum* & *ex Chriſtianorum* ſcripturae vitio cauſam dedit, quod & haec lex expreſſa ex ſupradicta *l. 1.* aperte oſtendit, in qua eandem ſententiam, paululum tamen immutatis verbis, Tribonianus propoſuit. Praecipit, inquam, haec conſtitutio (quae localis eſt) principales Curiae, & corporum Alexandriae Chriſtianos deligi: forte ut tet ex Philone in Flaccum, & ex Dione *lib.* 39. *οἱ γὰρ Ἀλεξανδρεῖς θρησκεύουσι μὲν πρὸς πάντα ἱκανώτατοι: καίπερ ἐκ τῶν σφίσι πλεῖσται δὴ καὶ μέγισται καὶ αὐτοῖς γεγενημέναις διά φόνων τε ἀεὶ χωροῦντες.* Haec Dio. Sane etiam contemptu religionis Chriſtianae monaſteriorum commercium uſurpaſſe aliquando Alexandrinos conſtat ex *Novel.* VII. *c.* XI.

CAPUT IV.

Expoſita l. 2. C. de Sacroſ. eccleſ. *deque ſepeliendi in urbibus & extra urbes uſu.*

Localis etiam eſt haec conſtitutio ſuperior ad Alexandriam; haec ad Conſtantinopolim pertinet. Apud pleraſque gentes receptum fuit, ne in urbibus mortui ſepelirentur. Quod jus ex Solonis legibus in duodecim Tabulas transfuſum ad Romanos profluxit. Legis Decemviralis apud Tullium verba ſunt haec cuique notiſſima II. *de leg. c.* 23. IN URBE NE SEPELITO, NEVE URITO. Hac autem ratione vivorum domicilia a mortuorum ſedibus diſcreta ſunt: ut civium domiciliis puritas, ſanctitaſque relinqueretur *l. 6. C. Th. de ſepul. viol.* neve civitatum ſacra pollucrentur *l. 12. C. de religioſ.* & apud Paulum *lib.* 1. *Sentent.* §. 3. Romae igitur ſepelire non licebat: ſed extra urbem tantum. Et plebejorum quidem commune ſepulchrum Puticuli ultra Eſquilias, auctoribus Varrone, Feſto, Acrone: divitum vero monumenta in ſuburbanis eorum agris ad vias publicas Appiam, Flaminiam, Latinam. Et ita divites eo verſu Satyrici ſignificantur, *Sat.* 1. *v. ult.*

Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

Valerio tamen Publicolae id honoris delatum hiſtoriae Romanae ſcriptores tradunt: ut in urbe, medio etiam foro, ſepeliretur. Quod cuiquam alii ad ſuam uſque aetatem contigiſſe negat Dionyſius *lib.* 5. Valerio tamen Fabricium adjungit Plutarchus in *Ῥωμαϊκοῖς*. Sed & eundem honorem Trajani bonitatem meruiſſe, quem Valerii gratia expreſſerat, ſcribit Eutropius *lib.* 8. *cap.* 2. *circ. fin.* Ubi Trajanum ſolum omnium (imperatorum forte) intra urbem ſepultum adfirmat. Quod autem juris in urbe ſeu civitate Romana ſtatutum fuerat lege XII. tabularum, id certa addita poena ad ceteras quoque civitates productum fuit conſtitutione Adriani, *l. 3. §. divus 5. D. de ſepul. viol.* id eſt, Antonini Pii, ab Adriano adoptati: de quo Capitolinus *in ejus vita cap.* 12. *intra urbes*, inquit, *ſepeliri vetuit.* Haec autem Pii conſtitutio citari, confirmarique videtur ab Impp. Diocletiano, & Maximiano in *d. l. 12. C. de religioſ.* Poſtea vero Chriſtiana religione invaleſcente ſub Impp. Chriſtianis obtinuit Sanctorum reliquias in civitatibus condi. At ejuſmodi autem ſepulchra plerunque aediculae ſeu martyria extruebantur: quandoque enim etiam Sanctorum conditoria erant ſine fabricis *l. ult. C. Th. de ſep. viol.* Hoc vero jus Sanctorum reliquiis indultum, reliquis conceſſum non fuit. Cum tamen eo colore quidam Conſtantinopoli in conditoriis Sanctorum, & ita in urbe, ſuorum corpora urnis, vel ſarcophagis incluſa ponerent; id hac conſtitutione prohibitum eſt: quae etiam ſcripta eſt ad Praefectum urbi, Conſtantinopolitanae ſcilicet. Quod ſatis quoque confirmat *l. 6. C. Th. de ſepul. viol.* (ex qua haec ſumpta eſt) dum ait: *ab iis quoque ut a reliquo civitatis* [Conſtantinopolitanae ſcilicet] *noverint ſe, atque intelligant eſſe ſubmotos.* Sane etiam reperio in Deſcriptione urbis Conſtantinop. incerto auctore edita, una cum Notitia Rom. Imperii; Apoſtolorum martyrium fuiſſe in undecima regio-

ne

Digitized by Google

RA VICELIA RUFEN. HANC SEDEM VIVI SIBI POSUERUNT: & alibi: DONATUS AUG. LIB. ET ANNIA PRIMITIVA HANC SEDEM FRUCTUM LABORIS SUI VIVI SIBI POSUERUNT. quae & *aeterna ſedes* dicitur Paulo Jurisconſulto, Reſurrectionis ignaro, in *l. ſi quis enim* 40. *D. de religioſ.* Tandem vero ſepeliendi in urbibus mos irrepſit, qui & permiſſus *Novella Leonis* 53.

CAPUT V.

Illuſtrata l. 1. *&* *emendata* l. 2. D. de legib. *delictaque ignorantia mera contracta Rom. legibus non vindicari.*

NOn ſolum in Imperatorum conſtitutionibus certorum locorum habetur ratio, ut ſupra oſtendi: ſed in Jurisconſultorum quoque ſcriptis. Nam legis definitio a Papiniano propoſita in *hac l.* 1. quae expreſſa eſt ex Demoſthenis *oratione contra Ariſtogitonem*, Athenienſium potius, quam Romanorum inſtitutis congruit. Apud Athenienſes enim, non etiam apud Romanos, ἀκούσια ἁμαρτήματα puniebantur. Nam Athenis in Palladio fortuitae caedes coërcebantur. De Palladio Pauſanias *Atticis*, & Demoſthenes *adverſus Ariſtocratem*: τί οὖν νόμος κελεύει; τὸν ἁλόντα ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ ἐν τισιν ὡρισμένοις χρόνοις ἀπελθεῖν, ταυτὴν ὁδὸν καὶ φεύγειν ἕως ἂν αἰδέσηταί τις τῶν ἐν γένει τοῦ πεπονθότος. Sic exilio voluntario fortuiti caſus apud Graecos lui dicuntur, *l. aut facta* 16. §. 8. *D. de poen.* ubi tamen propoſitum ex Homero fortuitae caedis exemplum noxae potius, quam caſui videtur tribuendum. Nec vero in caedis tantum, ſed in damni quoque dati cauſa etiam ignorantes Athenienſium legibus plectebantur: ut patet ex ejuſdem oratoris *oratione adverſus Midiam*: οἱ περὶ τῆς βλάβης νόμοι πάντες ἂν μὲν ἑκὼν βλάψῃ, διπλοῦν· ἂν δ' ἄκων ἁπλοῦν τὸ βλάβος κελεύουσιν ἐκτίνειν. Romanis vero legibus (quae majori aequitate nituntur) in delictis non factum, ſed voluntas ſpectatur. Cui cum nihil tam contrarium ſit, quam error, errore contracta crimina legum animadverſione non coërcentur. Verum cum dico ignorantia commiſſa non puniri: ignorantiam facti intelligo, non etiam juris, per quam delinquentibus venia non tribuitur: auctore Modeſtino *in Collatione legis Moſaicae tit. de ſicar.* 1. §. 12. Qua ratione forte qui per ignorantiam merces profeſſus non eſt, cum jus vectigalium ignoraret, in poenam nihilominus incidit, *l. ult.* §. *licet.* 5. *&* § *Divi.* 9. *D. de publican.* Per ignorantiam igitur, & praeter voluntatem admiſſa delicta non vindicantur, fatoque potius, quam culpae imputantur: cum in iis ſcilicet ſola poſſit fortuna culpari. Tertullianus *lib. de poenitentia*: *Quid, quod voluntas facti origo eſt? viderint enim ſi qua caſui, aut neceſſitati, aut ignorantiae imputantur: quibus exceptis jam non niſi voluntate delinquitur.* Involuntaria ergo delicta veniam merentur vel Aenea teſte apud Dionyſium *lib.* 1. Unde fit, ut ſi quis caſu teli, quod manu fugerit potius, quam emiſſum ſit, aliquem ferierit & occiderit, ei ignoſcatur auctore Paulo *in eadem Collatione*, *& eod. tit.* §. 7. Idem juris eſt, & ſi telum, a venatore in feram miſſum, praetereuntem interfecerit, *l. perſpiciendum.* 11. §. *ult. D. de poen.* eademque aequitatis ratio ſervatur in *l.* 1. *& l.* 5. *C. ad l. Cor. de ſicar.* Sed & qui non data opera incendium fecit, abſolvitur: auctore Ulpiano *in eadem* adverſarium contemplari quemque oportet: auctore Paulo *in eadem Collat. tit. de ſicar.* 1 §. 7. quae ratio interpolata a Triboniano videtur in *l. ult. D. ad l. Corn. de ſicar.* idque, ut opinor, ex *l. Item Mela* 11. §. *ſed ſi plures* 2. *D. ad l. Aquil.* Item termini moti crimine tenetur etiam, qui furandi tantum lapides animum habens, finales ſubripuit, *l.* 2. *D. de term. mot.* Idem in furto, ſi quis aes, cum aurum eſſe putaret, ſubripuerit, *l. vulgaris* 21. §. *ſi quis aes* 2. *D. de furt.* Idem quoque in actione injuriarum, *l. eum qui* 18 §. *ſi injuria* 3. *D. de injur.* & in actione ſervi corrupti *l. doli* 5. §. 1. *D. de ſerv. corrup.* Similiter cum error cum culpa conjunctus eſt, venia tribui non ſolet, ſed poena tantum mitigari. Culpae autem nomine etiam negligentiam, & laſciviam intelligo: ut in *l. pen. D. de incend. ruin. naufr.* & apud Ulpianum *in ſupra dicta Collat. tit. de incendiar.* 12. §. 5. Sed & quod culpa alicujus contingit, caſu quandoque fieri dicitur, ut in *l. qui aedes* 9. *D. de incend. ruin.* & apud Paulum *d. tit. de incendiar.* 12. §. 6. Et ita eſt intelligendus caſus in *l. abſentem* 5. §. *ult. D. de poen.* cum dicitur, *Ad poenae gravitatem, vel levitatem referre: utrum conſulto quid admittatur, an caſu.* Nam citra culpam admiſſum nulli poenae, ne levi quidem ſubjacet. Culpa autem interveniente, etiam quibus caſibus ſupra oſtendi legitimas poenas eos non ſequi, quos ſolus caſus ſontes fecit: culpa, inquam, interveniente, poena, licet levior, infligitur. Itaque qui, defendendi ſui cauſa, lapide in adverſarium miſſo, non eum, ſed praetereuntem percuſſit, tenetur lege Aquilia, *l. ſcientiam* 45. §. *penult. D. ad l. Aquil.* quia ſcilicet, ut dixi, extra culpam is non eſt, qui ictus ſuos recte non contemplatus alium pro alio percuſſit. Item punitur qui per laſciviam, quae culpae adſimilatur, mortis cauſam praebuit; veluti in ſagatione, ut proponitur in *l.* 4. §. 1. *D. ad l. Corn. de ſicar.* conjuncto Hadriani reſcripto, quod integrum extat *in d. Collat. tit. de ſicar.* 1. §. 11. Poenae quoque ſubjicitur is, cujus negligentia, vel laſcivia ſeu luxuria incendium ortum eſt, *d. l. qui aedes* 9. *& l. pen. D. de incend. ruin. l. capitalium* 28. §. *incendiarii* 12. *D. de poen.* & in *d. Collat. tit. de incendiar.* Idem & ſi culpa, incuriaque praefecti carceri cuſtodiae evaſerint, *d. l. milites* 12. *& l. carceri* 8. *D. de cuſtod. & exhib. reor.* Ex ſupra dictis apparet, ignorantia mera contracta crimina legibus Rom. non vindicari: ſed ita demum tantum, quando cum propoſito malo, vel culpa error concurrit. Ergo quod hic generaliter dicitur, *legem delictorum, quae ignorantia contrahuntur, coercitionem eſſe*, Athenienſi Reip. potius, quam Rom. convenit: cum indiſtincte apud Athenienſes, non etiam apud Rom. per errorem delinquentibus poena propoſita fuerit. Et eo reſpexiſſe videtur Demoſthenes in definitione legis, quam hic ab eo mutuatus eſt Papinianus: quaeque refertur in *l. ſeq.* in qua in definitione altera ex Chryſippo Stoico relata ita videtur legendum, προστακτικὸν μὲν τῶν ποιητέων· ἀπαγορευτικὸν δὲ τῶν οὐ ποιητέων, non ὧν ποιητέον. Quod ſatis arguit locus ille, qui ex iiſdem Stoicis refertur a Stobaeo, λέγω ἐμόν. τόντε νόμον σπουδαῖον εἶναί φασι λόγον ὀρθὸν ὄντα προστακτικὸν μὲν τῶν ποιητέων· ἀπαγορευτικὸν δὲ τῶν οὐ ποιητέων.

C A-

...ſultorum reſponſis Impp. reſcriptis inſer...

FRequens in libris noſtris eſt mentio conſtitutionis Marci, & Commodi ad Aufidium Victorinum: qui, ut Capitolinus ait, ex ſenatorio ordine a Marco adamatus eſt; fuitque Praefectus urbi & bis Coſ. ut patet ex veteri quadam inſcriptione. Ex ea autem conſtitutione, ſervus, ea lege venditus ut manumittatur, niſi legi emptor paruerit, citra manumiſſionem ipſo jure ad libertatem perducitur. Dixi (*venditus*) quoniam ea conſtitutio de venditis tantum ſervis loquebatur, non etiam de donatis ea lege, ut manumitterentur, *l. Paulus* 38. §. 1. *D. de lib. cauſ.* auctoritate tamen prudentum & ad donatos ſervos poſtea producta eſt, *l. pen. D. qui ſin. manumiſſ. ad libert.* quod & aperte proditum eſt, in *l.* 1. *C. ſi mancip. ita fuer. al. ut man.* illo loco, qui ſic ἀ-[illegible] legendus videtur: *Sed etiam ad donatos ea lege, ut manumitterentur pertinere*; conſtitutionem ſcilicet, cujus poſtea meminit. Nec vero iis, quae diximus porrectam conſtitutionem ad donatos quidquam adverſatur, *l. qui Romae* 122. §. *Flavius Hermes* 2. *D. de verb. oblig.* Sumpta enim ea lex eſt ex libris Digeſtorum Scaevolae, qui primi ab eo editi ſunt: ut indicare videtur Index nominum Prudentum, & eorum librorum Pandectis praefixus. Editi igitur, ut veriſimile eſt, imperante Marco ſolo, antequam Commodum filium Caeſarem ſufficeret. Quod & ipſemet Scaevola teſtari videtur in *l. Pamphilo* 38. *in pr. D. de leg.* 3. dum in iiſdem Digeſtorum libris ait: *Imperator noſter Divus Marcus hoc conſtituit.* Sane etiam Commodi in libris Digeſtorum Scaevola nuſquam meminit: ſed Marci tantum, vel Divorum fratrum; de quibus in *l.* 3 *D. de tranſact. l.* 24. *D. ad municip. l. Imperatores* 29. *in princ. D. de probat.* In cujus legis extrema parte dum ait: *filium in actis profeſſa eſt*, alludere videtur ad id, quod de Marco tradit Capitolinus, *in ejus vita cap.* 9. *primus*, inquit, *juſſit apud Praefectos aerarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri intra triceſimum diem nomine impoſito. Per Provincias tabulariorum publicorum uſum inſtituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romae apud Praefectos aerarii.* Qua in re tamen, dum natalium profeſſionum Marcum auctorem primum facit Capitolinus, fides ejus laborat: vel Servii Honorati, qui ad eum morem retulit illud Virgilii *Georg. lib.* 2. *v.* 502. *populi tabularia.* Itemque illud Juvenalis *Sat.* 9. *v.* 84. *tabulis actorum adſpergere gaudes Argumenta viri*: niſi dicamus veterum illum jam inde ab Auguſto obſervari ſolitum morem *παιδογονίας* quibusdam adjectis in legis neceſſitatem a Marco tranſlatum; vel niſi malimus Capitolino fide ea in re abrogata, eidem credere alio loco dicenti: *Marcum jus vetus magis reſtituiſſe, quam novum feciſſe.* Nam & Celſus, qui nec ad ea quoque Marci & Commodi tempora pervenerat, reſcripti cujusdam Trajani (ut opinor) vel Hadriani Imperatoris ea de re meminit in *l. cum de aetate* 13. *D. de probationib.* quod reſcriptum ita interpretari poſſumus: ut quamvis regulariter domeſtica inſtrumenta ad probationem non ſufficiant, *l.* 3. *C. de probationib.* tamen favorabiliter receptum fuerit, ut, cum de aetate quaereretur alicujus; matris, vel avi, & ſimilium profeſſio admitteretur, *l. etiam* 16. *D. eod. tit.* Ita tamen, ut ſi diverſae profeſſiones proferantur, forte altera privata matris, altera publica, ex tabulario civitatis petita, publicae cujus fides potior eſt, potius credatur: ut definitur in *d. l. cum de aetate* 13. Poſui autem profeſſionem domeſticam, & publicam: quia profeſſionum, ſeu tabularum naſpecies *d. l. cum de aetate* 13. de duabus profeſſionibus privatis: veluti altera patris, altera matris, vel avi. Sed ad rem. Conſtat igitur ignotam Scaevolae fuiſſe conſtitutionem Marci, & Commodi, quo tempore ſcripſit libros Digeſtorum. Licet, cum poſtea ſcripſit libros Quaeſtionum ei nota fuerit, ut patet ex *l. verum* 11. §. *quid ſi minor.* 1. *D. de minorib.* ſane etiam ſi Marci & Commodi conſtitutionem noviſſet Scaevola, ejus aliquam feciſſet mentionem in *d.* §. *Flavius* 2. Sed & multo magis opinionem noſtram confirmat *l. ult. D. de ſerv. export.* quae ſimiliter eſt ex libris Digeſtorum Scaevolae, cujusque ſpecies eſt de venditis mancipiis ea lege, ut poſt mortem emptoris manumitterentur (nec enim refert, licet poſt mortem emptoris, vel donatarii mancipia libera quis eſſe voluerit, *l. pen. D. qui ſine manumiſſ.*) & proculdubio ad conſtitutionem Marci pertinet. In ea tamen lege cum ignarus ejus conſtitutionis Scaevola ſecundum Hadriani conſtitutionem reſpondiſſet, eos ſervos citra manumittentis factum liberos non eſſe: ſupplevit poſtea Claudius Saturninus in notis, quas ad Scaevolae libros adſperſit; ex conſtitutione tamen Marci, & Commodi, quae ſuperveniens ſcilicet Hadriani conſtitutionem abrogavit, ea mancipia citra manumiſſionem ad libertatem perveniſſe. Et ita in concordiam adduci poſſe videtur profligatiſſimus ille §. *Flavius Hermes* 2. cum multis juris locis, maximeque cum *l. ult. C. ſi mancip. ita fuer. al. ut man.* In qua haec verba *nec pecunia quaſi rupta fide &c.* expreſſa ſunt ex reſponſo Papiniani, id eſt, *l. cauſam* 20. §. *pen. D. de manumiſſionib.* Quod enim Papinianus vocat *emolumentum legis*, id ex *d. l. ult.* interpretari poſſumus *repraeſentationem facti manumittentis conditionis poteſtate*, id eſt, vi pactionis adhibitae in venditione: conditio enim, ut ſcribit *in Andriam* Donatus, *eſt pactio certam legem in ſe continens.* Item, quod Papinianus ſatis obſcure ita profert; *Emolumentum legis venditoris voluntatem ſecutum ſit*, explicant haec verba, *d. l. ult. non mutata venditoris voluntate.* Quibus ſignificatur emolumentum legis, ſive repraeſentationem facti manumittentis, ſeu fictionem manumiſſionis, quae ex conſtitutione fit, non procedere, niſi voluntatem venditoris ſequatur. Mutata ſiquidem venditoris voluntate, ceſſat conſtitutionis effectus, ut multae leges docent. Cum igitur ita congruant extrema verba *d. l. ult.* cum extremis verbis reſponſi illius Papiniani: non improbabiliter contendere quis poſſit, reſponſum illud Papiniani citari in *d. l. ult.* illo loco *optima ratione placuit.* Juriſconſulto ſcilicet, puta Papiniano. Sic innumeris juris locis verbum [*placuit*] accipitur pro *prudentibus placuit*, ut loquitur *l. etſi non adſcripta* 9. *C. de fideicommiſſ. lib.* Sic & quod dicitur *placuiſſe* in *l.* 1. *C. ſi mancip. ita fuer. al. ut man.* eſt ex Juriſconſulti ſententia, ut Papiniani in *l. pen. D. qui ſine manumiſſ.* Item quod *placuiſſe* dicitur in *l. placuit* 8. *C. de judiciis.* ſumptum videtur ex Paulo in *l. in omnibus* 90. *D. de reg. jur.* & ex eo Pauli loco ſuppleri poteſt in *d. l. placuit* 8. appoſite ad titulum, ſub quo ſita eſt, ut in omnibus quidem rebus, ſed maxime in jure, ſeu judicio, aequitas ſpectetur. Item in *l. cum pater* 77. §. *volo* 13. *D. de leg.* 2. verbum *placuit* ad Juriſconſultos referendum eſt, qui ſpreta Labeonis opinione, Trebatii magiſtri ejus ſententiam amplexi ſunt: ut patet ex *l. ult. D. de jur. delib.* Similiter quod jam pridem placuiſſe dicitur in *l.* 1. *C. de Aequil. act.* videtur eſſe ope Juliani ſententia relata in *l. Julianus* 13. *D. de act. empt.* Sane etiam nu-

rum

Digitized by Google

tionis 11. *D. fin. reg.* pene ad verbum exſcriptum eſt in *l.* 2. *C. eod. tit.* Et quod proponitur in *l. ult. C. de in integr. reſt.* ſumptum eſt ex Papiniani reſponſo in *l. inter eos* 51. §. *pen. D. de fidejuſſor.* quae itidem ſententia ab Ulpiano refertur in *l. nihil conſenſui* 116. *D. de reg. jur.* Sic & aliud reſponſum Papiniani in *l.* 8. §. *qui muneris* 3. *D. de vacat. & exc. mun.* citatur in *l. ult. C. de vacat. public. muner.* Sunt & alia pleraque id genus. Sed & in edictalibus quoque legibus, nedum in reſcriptis tantum, rationes ex Juriſconſultorum ſcriptis petitas invenies: ut quae proponitur in *l. ult. C. de conſtit. pecun.* deſumpta eſt ex Papiniani reſponſo in *l. ſi fidejuſſores* 7. *D. de fidejuſſ. & nominat. tut.* & ita leg. videtur in *d. l. ult. aequitatis enim rationem diverſa ſpecies actionis excludere non debet.* Mendum ortum ex eo, quod voce hac *ratio* poſita inter *ēm* & *ēm* poſtremum *ēm* ut ſuperfluum ſublatum ſit: deinde verbo *diverſa* addita eſt litera *s* ex principio vocis ſequentis.

CAPUT VII.

Simili ratione aliae leges in concordiam adductae: expoſituſque §. diutina 12. Inſtit. de Uſucapion.

CONſtat apud omnes ex Oratione Severi, & Senatuſconſulto, quod eam ſecutum eſt, res minorum citra decretum alienari non poſſe, niſi neceſſaria ſit alienatio, ſimulque major ſit, qui ad diviſionem provocet. Unde Ulpianus in *l. ſi pupillorum* 7. *D. de reb. eor.* ex ejuſmodi Orationis, & Senatuſconſulti ſententia putat inter omnes minores commune praedium ſine decreto dividi non poſſe. Quam Ulpiani ſententiam probarunt Impp. in *l. pen. C. de praed. minor.* Cum autem ejus juris, ut dictum eſt, Severus Imperator auctor fuerit: certiſſimum eſt ante eum omnem alienationem rerum minorum auctoritate tutorum & curatorum interveniente citra decretum fieri potuiſſe. Qua ratione Scaevola (qui ad ea tempora, ut *ſuperiori capite* probavi, non pervenerat) *in lib.* x. *Digeſtorum*, ex quo ſumpta eſt *l. inter* 20. *D. de auctor. tut.* proponit diviſionem paternae haereditatis inter pupillos tutore auctore factum ſine decreto. Par quoque videtur ratio diſſolvendae alterius antinomiae inter *l. ſi aedes* 32. § *libertas* 1. *D. de ſervit. urban. praed.* & alias leges, quae contra ſtatuunt inter venditorem & emptorem conjungi tempora: ut §. *diutina* 12. *Inſtit. de uſucap.* & *l. in uſucapione* 15. *D. de diverſ. & temp. praeſc.* ubi etiam de uſucapione agitur. Et cum hoc jus ſit ex reſcripto Severi & Antonini, ut teſtatur *d.* §. *diutina* 12. mirum non eſt, ſi Juliano auctori *d. l. ſi aedes* 32. aliud judicii fuerit: quippe qui Adriani temporibus vixit, ſub quo perpetuum Edictum condidit. Dixi reſcripto Severi & Antonini hoc jus introductum in emptore. Certum enim eſt ſemper heredem uſum acceſſione temporis, quo defunctus poſſedit: cum ejuſdem perſonae vicem ſuſtineant: & ideo poſſeſſio defuncti quaſi conjunctim ad heredem dicatur deſcendere in *l. cum miles* 30. *in princ. D. ex quib. cauſ. major.* Quod cum in venditore, & emptore, inter quos tanta conjunctio non erat, quanta inter defunctum & heredem, non haberet locum: conſtitutione opus fuit, ut, quemadmodum inter hos, ita inter illos tempora conjun-

transfer. quae indiſtincte tam de ſingulari, quam univerſali ſucceſſore loquitur. Eadem quoque conſtitutione jus illud vetus ſublatum eſt, quo in uſucapionibus mobilium non utebatur heres, nedum emptor, vel donatarius, acceſſione poſſeſſionis praecedentis poſſeſſoris, ſi ſucceſſor ſciebat rem, quam poſſidebat, alienam eſſe: quia ſcilicet eo modo furtum ejus fieri intelligebatur. Et hoc eſt, quod ait Juſtinianus in *d.* §. *diutina* 12. *quod noſtra conſtitutio ſimiliter in uſucapionibus &c.* rerum mobilium ſcilicet: ut & Theophilus quoque interpretatur. Sane etiam cum uſucapio anni, vel biennii ſpatio olim concluderetur: recte Tribonianus uſucapionis appellationem in *eo* §. uſurpat pro mobilium rerum uſucapione: quae breviſſimo etiam ſpatio (puta triennii) finita eſt conſtitutione Juſtiniani. Sic & *in principio ejuſdem* §. *poſſeſſionem diutinam* videtur accipere Tribonianus pro rerum immobilium uſucapione, quae longo tempore (puta decennio, vel vicennio) ex eadem conſtitutione terminatur, non ut olim biennio. Et haec dicitur uſucapionis transformatio, puta anni in triennium: biennii in decennium, vel vicennium, *tit. C. de uſuc. transform.* Porro quae proponitur ratio *in fine d.* §. *libertas* 1. non ad proxima, ſed ad *initium* §. referenda eſt.

CAPUT VIII.

De Senatuſconſulto Claudiano.

QUae fuerit hujus Senatuſconſulti ſententia, Tacitus aperte declarat *lib.* 12. *Annal. cap.* 53. his verbis: *refertur ad patres de poena foeminarum, quae ſervis conjungerentur: ſtatuiturque, ut ignaro domino ad id prolapſae in ſervitutem ſui conſenſiſſe: & qui nati eſſent, pro libertis haberentur.* ſic leg. *prolapſae*, non *prolapſa*, & *conſenſiſſe*, non *conſenſiſſet.* Mendo cauſam dedit vox *et*, quae ſubſequens vocem *conſenſiſſe* in eam coaluit: deinde cum irrepſiſſet verbum, *conſenſiſſet*, numerus mutatus eſt in verbo *prolapſae.* Repetendum autem eſt ἀπὸ κοινοῦ verbum *haberentur*, ſeu exiſtimarentur. Recte autem Tacitus utitur verbo *haberentur.* Nam & ingenua, quae propriae conditionis oblita ſervili ſe contubernio maculavit: ſervituti ſuae conſenſum fingitur accommodaſſe, & ita ancilla fit: & qui nati ſunt liberi, ab ancilla quoque ſuſcepti, ſimulque manumiſſi finguntur, & ita liberti fiunt. Huic autem, quod Tacitus ait, ejuſmodi mulierem in ſervitutem ſui videri conſenſiſſe, valde conveniens eſt, quod eleganter ait, *l.* 6. *C. Th. ad S. Conſultum Claud. manifeſtum eſt ancillam eſſe voluiſſe eam, quam liberam eſſe poenituit.* Hoc vero Senatuſconſultum latum ſub Claudio, repetitum videtur ſub Veſpaſiano, & ita intelligendus ille Tranquilli locus *In Veſpaſ. cap.* 11. *auctor ſenatui fuit decernendi, ut, quae ſe ſervo alieno junxiſſet, pro ancilla haberetur.* Dixi Senatusconſultum Claudianum ſub Veſpaſiano repetitum: ſicut Senatuſconſultum de donis & muneribus ſub Claudio factum repetitum fuit ſub Nerone, ut oſtendam infra *cap.* XIIX. Repetitum igitur eſt Senatuſconſultum Claudianum ſub Veſpaſiano: hoc fortaſſe addito, ut cum ex Senatuſconſulto Claudiano ſufficeret ignorantia ad adquirendam ancillam, ut patet ex ſupra dicto Taciti loco: tamen ad excludendam omnem fraudem trina denunciatio exigeretur facta coram ſeptem teſtibus civibus Romanis, ut proditum eſt apud Theophilum *tit. de ſucceſſionib. ſublat.* & in *l.* 2. *C.*

Digitized by Google

27. *D. depoſ.* & Ulpianus *lib. Regularum tit. de tutel.* 11. §. 11. Quod autem tradit Tacitus, eos, qui ex ejuſmodi conjunctione nati eſſent, libertos fieri: ſublatum eſt conſtitutione Conſtantini in *l.* 1. *C. Th. ad S.Conſultum Claud.* quae & confirmatur *l.* 6. *eod. tit.* Deinde tamen idem Conſtantinus (in ea cauſa jus vetus reducens) noluit eos, qui ex ingenuarum cum fiſcalibus ſervis conjunctione naſcerentur, ſervos fieri, ſed liberos: Latinos tamen, ſeu Junianos, *l.* 3. *C.Th. eod.tit.* Unde apparet, mirum videri non debere, ſi contra juris regulas etiam ex ancillis liberti naſcerentur ex Senatusconſulto Claudiano. Nec enim aequum videbatur, maternam turpitudinem ea macula liberos adſpergere, ut ſolidam eis quoque libertatem interciperet. Pari prope ratione in libertate nuda remanent ejus liberi, quae ſe proprii ſervi complexibus inquinavit, *l. un.* §. *filii. C. de mulier. quae ſe propr. ſer.* Ejus vero juris, ut liberti naſcantur ex Senatusconſulto Claudiano, ſi quaeras, cur nullum in jure ſuperſit veſtigium: reſpondebo, & omnem ejus Senatusconſulti mentionem ſuſtuliſſe ſe Juſtinianum ipſum teſtari. *Inſtit. de ſucceſſ. ſubl.* licet ejus unicum veſtigium imprudenter relictum ſit in *d. l.* 27. *D. depoſit.* Sed & in *l.* 5. §. 1. *D. de ſtat. hom.* non abſque ratione conjicere liceat ejuſmodi Senatusconſulti mentionem ſublatam, & ita ſcriptum fuiſſe: *jure civili; ſi quis ſe major viginti annis ad pretium participandum vaenire paſſus eſt; & mulier ex Senatusconſulto Claudiano.* Liberum ſemper duxi in Rep. literaria eſſe debere cuique ſuffragium. Non diffiteor tamen, valde me moveri auctoritate doctiſſimorum virorum, & in ea, in qua ſe exercent, palaeſtra longe omnium principum, quibus ſupra poſitus Taciti locus aliter legendus videtur, nempe hoc modo: *ut ignaro domino ad id prolapſa in ſervitute: ſi conſenſiſſet pro liberta haberetur.* Vix tamen aequitas patitur domino, qui turpitudini ejuſmodi conſenſum accommodaverit, patronatus nihilominus commodum quaeri. Nec enim Senatusconſulti Claudiani poena ad mulierum tantum turpem infamiam vindicandam pertinet: ſed eo etiam, ne domini damnum patiantur corruptis libidine ſervis, & ita miniſterio eorum magna ex parte ſibi intercepto; ut recte proponit Theophilitzes *d. tit. Inſtit. de ſucceſſ. ſublat.* Alioquin ſi tantum mulierum turpitudo coërceretur, poena fiſci, non domini ſervi commodo cederet. Sic enim & qui ex ingenuarum cum libertis propriis conſortio naſcuntur, ſervi fiſci fiunt. *Novella* Leonis & Anthemii *de mulier. quae ſerv. propr.* Nullus enim eo caſu privatus laeditur, publicaque tantum haec injuria eſt: ideoque publicae injuriae poena publicarum tantum ſeu fiſcalium rationum commodo cedit. Itaque cum volenti damnum inferri non intelligatur: iniquum eſſet dominum, qui contubernio ſervi ſui eum ingenua conſenſiſſet, quidquam commodi inde ſentire. Nec vero ſupra dictam emendationem confirmat Paulus 4. *Sentent. tit.* 10. §. 2. dum proponit ancillam, vel libertam ex Senatusconſulto Claudiano factam. Id enim intelligendum eſt de ea, qui ex Senatusconſulto Claudiano ancilla facta poſtea manumiſſa, & liberta facta eſt: quae non ad ſuum ſtatum revertitur, quo ſe abdicavit, ſed efficitur libertinae conditionis, arg. *l. homo liber.* 21. *D. de ſtat. hom.* proinde ad eam matris inteſtatae ſucceſſio pertinere non poteſt, *l.* 1. §. *filio* 4. *D. ad S.Conſultum Tertull.* Et ita jampridem rectiſſime eum locum accepit Doctor meus, in quo majora ſunt omnia, quam ut ea capiat modus ſermonis mei.

Plerique magiſtratus adſeſſorum ſolatium requirunt. Adſeſſores autem, ſeu conſiliarii, ſeu comites (ita enim multis Pandectarum locis dicuntur) juris ſtudioſi ſeu Juriſconſulti erant auctore Paulo in *l.* 1. *D. de offic. adſeſſ.* & *l.* 4. *D. de var. & extraord. cog.* ſic Celſus dicitur in conſilio fuiſſe Duceni Veri Conſulis, *l. Pater* 29. *D. de leg.* 2. & Ulpianus & Paulus in conſilio Papiniani Praefecti praetorio apud Spartianum, & Lampridium. Ut & innuit *l. lecta* 40. *D. de reb. cred.* Ulpianus quoque ſe Praetori alicui adſediſſe teſtatur, *l. metum* 9. §. 3. *verſ. ſed ex facto D. quod. met. cauſ.* In provinciis autem adſeſſores ſumebantur: vel etiam ex urbe in provincias ducebantur. Poſtea autem provincialibus adſeſſura in provincia ſua interdicta eſt, ut auctor eſt Spartianus *in Peſcennio Nigro cap.* 7. *hujus*, inquit, *illud fuit ut nemo adſideret in provincia ſua*: ſcilicet ultra quatuor menſes. Et ita *conſtitutionum* verbum de conſtitutione Peſcennii, quae (ut veriſimile eſt) ab Imperatoribus, qui poſt ejus tyrannidem rerum potiti ſunt, comprobata, & confirmata eſt, accipiendum videtur in *l. hi qui* 37. *D. ex quib. cauſ. major.* quod jus etiam comprobatum eſt ab Arcadio & Honorio *l.* 1. *C. Th. de adſeſſorib.* deinde etiam a Theodoſio & Valentiniano *l. in conſiliariis* 10. *C. Juſtin. eod. tit.* In qua *l.* haec verba *conſtitutiones antiquas* ad Peſcennii conſtitutionem a ſubſequentibus Imperatoribus confirmatam videntur referenda: haec autem, *divorum retro principum* ad conſtitutionem Arcadii & Honorii. Adſeſſoribus vero ſalaria a magiſtratibus ipſis olim praeſtabantur. Primum autem (ut Spartianus tradit *in ej. vit. d. cap.* 7.) a Peſcennio addita ſunt conſiliariis ſalaria, ne eos gravarent, quibus adſidebant: dicebatque Peſcennius: *judicem nec dare debere, nec accipere.* Hoc tamen jus tunc non obtinuit, ut ex ſequentibus manifeſtum fiet. Itaque ex conſtitutione Antonini Pii dicuntur juris ſtudioſi, ſeu adſeſſores ſalaria petere poſſe; ſibi ſcilicet a magiſtratibus, quibus adminiſtrationis tempore adſederunt, promiſſa *d. l.* 4. *D. de var. & extraord. cog. l.* 1. §. *ſed & ſi comites* 8. *eod. tit.* Et ſecundum hoc adſeſſorum ſalarium exceptorum mercedi comparatur, *l. Sed addes* 19. §. *ult. D. locat.* & mercedibus profeſſorum, *d.* §. *ſed & ſi comites* 8. Quae ſcilicet diverſae ſunt a ſalariis; & ab iis diſtinguuntur, *l.* 6. *C. de profeſſorib.* & illo Auguſtini loco *lib.* 1. *Confeſſionum*: ubi de profeſſoribus agit, *cum hoc*, inquit, *publice in foro ageretur conſpectu legum, ſupra mercedem ſalaria decernentium.* Mercedes enim a ſingulis; ſalaria autem de publico praeſtabantur profeſſoribus: ut in *d. l.* 4. *D. de decret. ab ord. fac.* & apud Caſſiodorum, & Symmachum. Honoris tamen cauſa etiam id, quod conſiliariis ſuis a magiſtratibus praeſtabatur, *ſalarium*, non merces dicebatur; ut & quod advocatis, *honorarium*. Sane etiam in *d.* §. *ſed & ſi comites* 8. & *d. l.* 4. fruſtra, inepteque quaereretur, utrum ſolatia, quae ex aerario, vel fiſco adſeſſores conſequerentur, peti poſſent. Nec enim ea mercedis loco habenda quiſquam dixerit. Quae tamen unica dubitandi ratio eſt iis duobus locis. Aut certe (quod abſurdiſſimum eſt) eadem ratione magiſtratus mercenarii habendi eſſent: cum & eis ſalaria ſeu annonae praeſtentur: ut patet ex *tit. C. de annon. & capit.* Superiorem autem ſententiam valde confirmat *d. l.* 4. in qua cum fiat mentio conſtitutionis Pii (qui longe ante Peſcennium imperavit) apparet, quae de adſeſſorum ſalariis dicuntur in *ſupra dictis legib.* de iis intelligenda, quae ab ipſis magiſtratibus eis praeſtabantur. Et de ejuſmodi quoque ſalariis eſt accipiendum Papiniani reſponſum in *l. diem* 4. *D. de offic. adſeſſ.* quod citatur in *d. l. ſed*

ad-

Digitized by Google

var. & extraord. cog. *Praeſtitutum* autem *legatis tempus* dicitur in *d. l. diem* 4. quod ſcilicet ab Imperatoribus praeſtitutum eſt. Haec enim erat inter Proconſules, & Legatos Caeſaris differentia: quod Proconſulatus annuus erat (ut notum eſt ex variis auctoribus) Praeſidatus autem pro Caeſarum arbitrio modo brevior, modo longior; ut patet ex Dionis *libro* 53. Tandem vero, provinciis omnibus ad Caeſarum curam revocatis, ut Proconſulatus, ita & Praeſidatus plerunque annuus fuit; ut patet ex Praeſidatus formula apud Caſſiodorum. Nec unquam obtinuit, & in legis vigorem tranſiit quod Auguſto ſuadet Maecenas apud Dionem *lib.* 52. ne breviores triennio Proconſulatus, aut Praeſidatus eſſe patiatur: nec quod ad Marcum & Commodum ſcripſiſſe Peſcennium refert Spartianus, ut *nulli ante quinquennium ſuccederetur provinciae Praeſidi ſive legato ſive Proconſuli.* Sed ad rem! Olim igitur a Praeſidibus ipſis ſalaria adſeſſoribus praeſtabantur. Poſtea autem, ut Lampridius auctor eſt *in vit. Sever. cap.* 46. *pr.* adſeſſoribus ſalaria inſtituit Alexander Severus. Quam Alexandri conſtitutionem ignoravit Papinianus auctor *d. l. diem* 4. cum Caracallae facinore ſublatus ſit. Ignoravit & Ulpianus auctor *d. l. ſed addes* 19. *D. locat.* & *d. l.* 1. *D. de var. & extr.* & Paulus auctor *d. l.* 4. *eod. tit.* uterque enim & Ulpianus, & Paulus ſcripſerunt imperante Caracalla. Unde paſſim in eorum libris reperias: *& ita Imperator noſter cum divo patre ſuo reſcripſit.* Nec obſtat *l. ult. D. de offic. adſeſſ.* in qua Papinianus *publici ſalarii* meminit. Nec enim ibi *ſalarium publicum* accipiendum eſt de ſolatiis & annonis, quae iis praeſtabantur, qui in aerarii, vel fiſci commentarium relati erant; ſed de ſalario a civitatibus praeſtari ſolito. Sic & *publici* appellatio ad civitates plerunque refertur: quae & respublicae etiam dicuntur. Ea igitur eſt Papiniani in ea lege ſententia: jus, quod obtinebat, ne quis in provincia ſua adſideret, ad conſiliarios Curatorum civitatis non pertinere: quia publico ſalario non fruuntur, id eſt, nulla commoda capiunt a civitate, cujus Curatori adſident. Vix autem quiſquam ſine commodorum ſpe e municipio ſuo in alienam civitatem conſilii praeſtandi cauſa elici poſſit. Quaſi diceret Papinianus (cujus plerunque rationes gravitate, brevitateque ſimul inſignes ſunt) jus, quo vetantur provinciales in ſua provincia adſidere, in Praeſidum adſeſſoribus locum habere; quia facile ſit provinciarum rectoribus ex aliena provincia conſiliorum participes ſibi adſciſcere: cum eis ſalaria praeſtent. Idem autem non eſſe dicendum in adſeſſoribus eorum, qui municipales honores gerunt, veluti Curatorum Reip. quia nec ab ipſis Curatoribus, nec de publico ſeu a civitatibus, quarum Curatores ſunt, adſeſſores commoda ulla conſequuntur. Hinc fit, ut municeps Curatori civitatis ſuae poſſit adſidere. Dixi autem [*de publico*] quia civitates quibuſdam ſalaria erogabant, ut ſupra oſtendi ex *l.* 4. *D. de decr. ab ord. fac.* Sane in hac cauſa aequius eſſet, ſi qua ſalaria adſeſſores Curatorum Reip. haberent, ea de publico ſeu a civitatibus praeſtari, quam a Curatoribus ipſis, quibus ejusmodi officium oneri potius eſt, quam honori. Non igitur nota fuit Ulpiano, & Paulo Alexandri con-

in aerarium Reip. Praeſides & comites eorum, itemque Procuratores Caeſaris in commentarium fiſci deferrentur. Proconſulares enim provinciae ad populi, Praeſidales ad Principis curam pertinebant; & aerarium populi fiſcus principis erat. Simili quoque ratione Hermogenianus, in *l. adminiſtrantes* 41. §. 1. *D. de excuſat. tut.* proponit comites intra ſtatutum numerum; ſcilicet ex quo in commentarium fiſci relati erant, & annonas a Principe conſequebantur. Certa enim debet eſſe annonarum ratio; certus perſonarum, quibus praeſtantur, & definitus numerus: ne expenſae publicae in immenſum excreſcant. Hinc fit, ut in notitia ſubjecta, *l.* 2. *C. de offic. Praef. praet. Afr.* adſeſſor unus Ducibus, eique certa pecunia pro annonis & capitu tribuatur. Ex eo autem, quod poſt Alexandri conſtitutionem ſalaria adſeſſores a Principe, non etiam a Praeſidibus conſequebantur, hoc jus ſequitur: ut Reipub. non ſui commodi cauſa abeſſe intelligantur; ideoque in integrum reſtituantur, *d. l. abeſſe* 32. & a publicis muneribus excuſentur: ut a tutela *d. l. adminiſtrantes* 41. §. 1. quod non obtinet in iis, qui mercedem, non etiam annonas percipiunt. Nec enim iis reſtitutio competit, cum ſui commodi non etiam Reip. cauſa abeſſe intelligantur, *l. Reip.* 36. *D. ex quib. cauſ. major.* Tales erant exceptores, qui notis ſcribebant acta Praeſidum, *l. inter eos* 33. *eod. tit.* Sic in *d. l. ſed addes* 19. §. *ult.* proponitur exceptor quidam Antonio Aquilae (Praeſidi forte) operas ſuas locaſſe. Exceptores igitur mercenarii erant, nec ullas a fiſco annonas accipiebant, *l.* 5. *C. de numerar.* Exceptorum tamen ſcholae a Juſtiniano tribuuntur, in notitia ſubjecta, *l.* 1. *C. de off. Praef. Praet. Afr.* Nec ei, quod dixi, exceptoribus annonas non praeſtari, adverſatur quod apud Plinium proponitur, *lib.* 4. *Epiſtolarum Epiſt.* 12. Scribae Quaeſtorio ſalarium ex aerario praeſtitum. Scribae enim Quaeſtorii diverſi ſunt ab exceptoribus. Illi rationes Quaeſtorias ſcribebant, & tractabant: erantque ex cohorte rectoris provinciae; & eorum frequens mentio fit in veteribus inſcriptionibus. Exceptores autem acta Praeſidum excipiebant: vixque cohortalem militiam ſuſtinebant, ut ait *d. l.* 5. *C. de numerar.* & proinde nullas a fiſco conſequebantur annonas. Quoniam tamen miniſtrabant Praeſidibus, ut & alia officia, in officio Praeſidis, & inter Cohortalinos, licet improprie, annumerantur *in Notitia ſeu Breviario Romani Imperii.* Ex quo libro obiter duas eluam maculas. In principio enim *Notitiae Occidentalis Imperii* pro *Proconſul Africae, cujus Vicarii ſex*, leg. *Proconſul Africae unus. Vicarii ſex.* Vicarii enim erant Praefectorum praetorio, non Proconſulum. Item poſtea de eodem Proconſule Africae ita leg. *Sub diſpoſitione Proconſulis Africae Proconſularis provincia* (non *Conſularis provinciae*) *& legati ejus duo.* De Proconſulari provincia in *l.* 1. §. *Deo* 1. *C. de off. Praef. Afr.* & *l. ult. C. de apparitorib. Proconſ. l.* 186. *C. Th. de decurionib. l. ult. C. Th. de tyronib.* & in inſcriptione *l.* 26. *C. Th. de erogat. milit. annon.* & apud Optatum Milevitanum. Legatorum autem Proconſulis Africae mentio fit in *l.* 4. *D. de offic. ejus cui mand.* & *l.* 1. *C. de offic. Proconſ.* & *l.* 2. *C. de apparitorib. Proconſ.* Quod autem *ſupra dicta Notitia* duos tantum legatos Pro-

Digitized by Google

QUadruplatores ſeu delatores praemia captantes, qui aerario, vel fiſco deferebant, pudoris famaeque labem contrahebant: non etiam (ut variis ſtatutis ſeu conſtitutionibus proditum erat) ii, qui Reip. ſeu municipio, & civitati ſuae deferebant: ut fiebat certis de cauſis; veluti, quando privilegio principali civitatibus conceſſum erat, ut inteſtatorum civium ſuorum haereditates vindicare poſſent: ut patet ex *l.* 1. *C. de bon. vacant.* quod de Nicenſi civitate traditur *in epiſtola quadam Trajani ad Plinium.* Sed quia jus ejuſmodi civitatibus quibuſdam indultum eis Diocletiani & Maximiani conſtitutione ademptum, & in fiſci rationes translatum eſt, *d. l.* 1. ideo cum in conſtitutione Philippi in *l.* 4. *C. de delatorib.* ſcriptum eſſet, *Reip. ſuae deferunt*, repoſuit Tribonianus: *Reip. cauſas defendunt.* Quod aperte prodit, quae ſubjicitur in *eadem l.* ratio: *cum omnibus*, inquit, *notiſſimum ſit, eos ſolos execrabiles nunciatores eſſe, qui fiſco deferunt.* non etiam Reip. ſuae ſcilicet. Idem quoque evenit in *l.* 2. *D. de jur. fiſc.* in qua pro iis verbis, *vel qui Reip. ſuae deferunt*, ſubſtituit Tribonianus: *vel quod Reip. ſuae cauſas quis exequitur.* Idque ſatis arguit locutio illa (*exequi cauſas*) quae Triboniani ſaeculum potius ſapit, quam Calliſtrati auctoris *d. l.* 2. redoletque Graecum hoc ἐπεξέρχεσθαι δίκας vel ἐναγωγὴν, quo utitur Juſtinianus *in Novell.* Ut autem ſupra dicta Diocletiani & Maximiani conſtitutio Triboniano cauſam dedit tollendae antiquae lectionis in *d. l.* 4. *&* *d. l.* 2. (quia vix ulla ſupererat amplius cauſa Reipublicae deferendi, ſublato jure haereditatum, ab inteſtato vindicandarum) ita & ſufficiendae novae lectionis occaſionem praebuit *l. neminem* 9. *C. ex quib. cauſ. infam.* cujus haec videtur ſententia. Cum regulariter qui alieno nomine agit, nec ſi ex cauſa infamiam irrogante damnetur, infamis fiat, *l. furti* 6. §. 1. *D. de his qui not. inf.* tamen, quia per defenſores tantum & ſyndicos civitates cauſas agunt, & tuentur, magis dubitabatur, an ex cauſa famoſa prolata ſententia exiſtimationis maculam ſyndicis adſpergeret: quod negat *d. l. neminem.* 9. Quia multo ſcilicet magis iniquum videatur officium defenſionis patriae ſuae (quod publicum etiam munus eſt) cuiquam damnoſum eſſe. Et ea ratione Tribonianus ſententiam *d. l. neminem* 9. tranſtulit in *d. l.* 4. *&* *d. l.* 2. et ita eas interpolavit: non ſatis apte tamen *d. l.* 4. cum in fine ejus propoſita ratio primae parti, uti hodie concepta eſt, parum reſpondeat.

CAPUT XI.

Indicantur & explicantur aliae aliquot leges, a Triboniano interpolatae.

NUllius erant auctoritatis edicta, ſeu conſtitutiones principum, quae dici & Conſulis ſeu anni adjectione carebant, *l.* 1. *C. Th. de conſtit. princip.* quae lex abrogatur conſtitutionibus Juſtiniani *de novo. C. fac. & de Juſtinian. Cod. confir.* quibus praecipitur conſtitutiones omnes etiam ſine die & Conſule valere. Robur enim ex eo conſequuntur: quod a Juſtiniano comprobatae, & in Codicem relatae ſunt; defectuſque earum comprobatione, & auctoritate Imperatoris ſuppletur. Quod jus in beneficiis perſonalibus, ſeu privilegiis locum habere non poterat; quia Codici inſerta non ſunt, vel, ſi quoque dies Conſulque adjectus ſit ſecundum *d. l.* 4. Hac autem ratione motus Tribonianus *d. l.* 1. *C. Th. de conſtit. princ.* quae generaliter de conſtitutionibus principum loquebatur, ad beneficia perſonalia reſtrinxit: & ita eam nobis interpolatam propoſuit in *d. l.* 4. *C. de div. reſcr.* quod ſatis eadem inſcriptio, & ſubſcriptio utriusque legis docet. Interpolatae ab eodem Triboniano etiam ſunt *l. ad exactionem* 6. *C. de dot. promiſſ. &* *l.* 1. *C. de jur. dot.* ut patet ex *l. ult. C. Th. de dotib.* unde ſumpta eſt *d. l. ad exactionem* 6. ut & jampridem doctiſſimus praeceptor meus vidit, qui acutiſſimi ingenii acie his in rebus *tam cernit acutum, quam aut aquila aut ſerpens Epidaurius.* Ac in *d. l.* 1. de tribus conſtituendae dotis modis agebatur. *Dos* enim *aut datur, aut dicitur, aut promittitur*; ut ait Ulpianus *lib. Regul. tit. de dotib.* 6. §. 1. Cum *datur:* bonae fidei contractus oritur, qui dicitur *dotis datio*, *l. contractus* 23. *D. de reg. jur.* Cum *dicitur*, naſcitur contractus, qui *dotis dictio* nominatur. Cum *promittitur*, *dotis ſtipulatio*, ſeu *promiſſio* appellatur. Hoc vero inter ſe hi contractus differunt: quod in dotis *datione* traditio ſtatim; in reliquis interpoſito tempore fieret. *Dictio* autem a *promiſſione* hoc diſtat, quod in illa promiſſum praecedit; in hac ſequitur. Exemplum enim *dictionis dotis* eo Comici loco *Andr. Act.* 5. *Scen.* 4. *vſ.* 47. proponi arbitror: *Dos Pamphilo eſt decem talenta. P. accipio.* Certis etiam, ſolennibusque verbis fiebat dotis dictio: ut, *dos erit*, ſive *doti erunt tot.* Sed ea verborum ſolennitas ſublata eſt, *l. ult. C. Th. de dotib.* Non ideo tamen & *dictionis* dotis contractus: ſicut nec *ſtipulationis* uſus ſublatus eſt, etſi ſolennitatem verborum in ea obſervari ſolitam Leo ſuſtulerit, *l. omnes* 10. *C. de contrah. ſtipul.* Poſtea vero ſupervenerit Juſtiniani conſtitutio in *l. un. C. de rei ux. act.* quae tam ad maritum, quam uxorem; tam ad dotis conſtitutionem, quam repetitionem pertinet: ut oſtendit §. *& ut plenius* 1. *d. l. un.* ubi illo loco, *vel rebus dotalibus evictis*, videtur Tribonianus reſpexiſſe ad *d. l.* 1. *C. de jur. dot.* & tres quoque conſtituendae dotis modos ſtatuiſſe: *dationem*, *promiſſionem*, & *ſuſceptionem*, ſeu *pollicitationem. Suſcipere* eſt *polliceri*, ſapitque graecum, ἀναδέχεσθαι. Similiter haec verba *d. l. ad exactionem* 6. *ſive ſcripta fuerit, ſive non*, videntur ſumpta ex principio *d. l. un. C. de rei ux. act.* Ex ea autem conſtitutione licet ſtipulatio dotis non intervenerit, vel inutilis adjecta ſit: tamen legitima ſtipulatio interpoſita intelligitur. Unde ſequitur, omnem etiam nudam dotis pollicitationem ſeu conventionem pro legitima ſtipulatione haberi. Proinde nullum amplius uſum *dictionis dotis:* &, ſublata jam ſolennitate verborum, & jure ejus in ſtipulationem transfuſo, cum quolibet facta modo dotis conventio ſtipulationis legitimae vicem obtineat. Qua ratione Tribonianus, ne qua mentio contractus, cujus nulla vis erat, in jure reſideret, verbum (*dictionis*) in (*pollicitationis*) ubique mutavit; quia generalior eſt *pollicitationis* appellatio, quae & pro qualibet conventione accipitur *l.* 43. §. 1. *D. de contrah. empt.* & in fine *d. l. ult. C. Th. de dotib.* ubi & *dictionem dotis*, & *promiſſionem* complectitur. Et ita defendi poteſt *pollicitationis* verbum ab Ulpiano uſurpatum in *l.* 1. §. *pen. D. de collation.* tam pro dotis *promiſſione*, quam *dictione.* Mutata igitur eſt vox (*dictionis dotis*) in (*pollicitationis*) in *d. l. ad exactionem* 6. & in *d. l.* 1. in qua pro *ex dictione* Tribonianus repoſuit *condictione* ſcili-

cet

l. promittendo 41. *D. de jur. dot.* ita & dotem dicendo: ſed certae tantum perſonae, inter quas mulier & ſocer; ut proditum eſt apud Ulpianum *in Regulis d. t.* 6. §. 2. Valde etiam interpolata eſt *l.* 4. *C. de precib. imp. offer.* ut patet ex *l.* 6. *C. Th. de diverſ. reſcript.* unde ſumpta eſt; & ut ex ſequentibus elucebit. Deeſſe videtur in Codice Juſtiniani conſtitutio quaedam, forte *ſub titulo de execut. rei jud.* qua menſium quatuor induciae judicato faciendo conceſſae ſunt. Quas ideo Juſtinianus vocat a ſe datas quadrimeſtres inducias, in principio *l. ult. C. de uſur. rei jud.* & humanitatem ſuam in fine *ejusdem l.* Et, quoniam confeſſi pro judicatis habebantur, ideo eis item temporis ſpatium indulgendum erat, *l. certum.* 6. §. *ult. D. de confeſſ. l. ſi debitori* 21. *D. de judiciis.* Ejusmodi autem temporis induciae vel a judice ipſo concedebantur ut in *dd. ll.* & in *l. debitoribus* 31. *D. de re judic.* vel reſcripto principis *d. l.* 4. *C. de precib. Imp. offer.* Ad eas quoque inducias obtinendas neceſſariam arbitror ex eadem conſtitutione condemnato fuiſſe cautionem de litis aeſtimatione §. 1. *Inſtit. de offic. jud.* & *d. l. ſi debitori* 21. in qua haec verba, *ſub competenti cautela*, ut ſtylus ſatis prodit, a Triboniano addita ſunt; ut & in *d. l.* 4. *C. de precib. Imp. off.* haec verba, *non aliter valeant niſi fidejuſſio &c.* Triboniani quoque ſunt, ut apparet ex *l.* 6. *C. Th. de diverſ. reſcr.* Ex utriusque autem *l.* collatione facillimum eſt agnoſcere valde interpolatam *d. l.* 4. valdeque immutatam eſſe ſententiam *d. l.* 6. De debitoribus enim publicis, ut opinor, loquitur; a quibus impetrata reſcripta ad differendam publicae functionis ſolutionem, nullas habere vires dicuntur: quia pudor Principis fatigatur, dum ejusmodi debitores ſuis commodis potius, quam utilitatibus publicis inſervientes, talia reſcripta eliciunt. Singulare hoc eſt, cum de debitoribus publicis agitur; ne dilatio debiti reſcripto utiliter impetretur: ſicut ne ad provocationis auxilium cum manifeſtum eſt debitum, eis convolare liceat, ut multae leges docent ſub *tit. C. Th. & Juſtin. quor. appellat. non recip.* nec ad miſerabile legis Juliae remedium confugere, *l.* 1. *C. Th. qui bon. ex l. Jul. l. ult. C. Th. de fiſcal. debit.* Sane de publicis illationibus agi in *d. l.* 6. *C. Th. de div. reſcr.* arguit *l. ſeq. eod. tit.* quae in *Cod. Juſtin.* eſt *l.* 6. *C. de annon. & trib.* quaeque eadem de re tractat: arguit etiam nomen utilitatis publicae in *d. l.* 6. quo res, quae ad tributariarum functionum cauſam pertinent, ſignificantur; ut in *l.* 3. *C. de primipil.* & in *l.* 1. *C. de offic. Com. ſacr. largit.* & *l.* 4. *C. de off. rect. prov.* Sic & accipiendam puto *utilitatem publicam* in *rubrica Cod. ſi contra jus vel utilitatem publicam &c.* Quod etiam confirmat *l.* 10. *C. de ſacroſ. eccleſ.* & *d. l.* 6. *C. de annon. & trib.* & *Novel. Theodoſii, in damnum public. non val. reſcr.* In illis enim legibus etiam traditur, reſcripta, illationum publicarum commodis adverſantia, nullam vim habere. Fiſci quidem appellatio generalis & ad utrumque aerarium pertinet; privatum tamen aerarium eo nomine ſaepius ſignificatur. Itaque res, quae in fiſcum qualibet ratione devolutae ſunt, privatae dicuntur, *l.* 2. §. *hoc interdictum* 4. *D. ne quid. in loc. publ.* veluti multae, & pecuniariae poenae, ſeu quaecunque alia bona, quae fiſci juribus vindicantur. Inde nomen Comitis rerum privatarum, ſub quo Procuratores Caeſaris, ſeu Rationales rei privatae. latio: & *publicarum commoditatum* circa tributarias functiones, *l. ult. C. de exactor. tribut. & publicarum penſitationum* in *tit. C. ſi ob. publ. penſ.* & *auri publici* in *tit. C. de aur. publ. perſ.* & *publicae collationis tit. ſeq.* Quia ſcilicet ejusmodi res ad bellorum uſum pro communi ſalute poſcebantur; ut ait *l.* 2. *in fin. C. de exact. trib. lib.* 10.

CAPUT XII.

Ad l. contractus 23. D. de reg. jur. *de dolo culpaque lata, & levi: itemque de diligentia, tam alienis rebus adhibenda, quam propriis adhiberi ſolita.*

PErtinet haec lex ad *συναλλάγματα*, & contractus bonae fidei, ut & in ea propoſita exempla docent, & verba haec, *hoc enim bonae fidei judicio contrarium eſt.* Ex iis autem contractibus quidam dolum tantum recipiunt; quidam dolum & culpam; quidam etiam diligentiam: ut ait haec *l. contractus* 23. *Doli* autem nomine etiam culpa venit, quae *dolo proxima* dicitur in jure; & pro *dolo accipi*; & *prope dolum eſſe*; & *prope fraudem accedere*; & *in doli crimen cadere*; & *dolo comparari*; & *dolum repraeſentare*: imo & *dolus eſſe*: quandoque ſimpliciter dicitur, ut in *l. quod Nerva* 32. *D. depoſit.* *Lata* autem *culpa* variis modis exprimitur in libris noſtris: puta *culpa latior*, *gravior*, *dolo proxima*; item *negligentia lata*, *magna*, *nimia*, *craſſa*, *manifeſta*, *remiſſior*, & *diſſoluta*: ex eo ſcilicet, quod diligentes & ad opus parati, ut expeditiores eſſent, ſuccincti erant. Hinc contra *diſcincti* ſeu *diſſoluti* pro *deſidibus*, *ſecurisque* hominibus. *Supini* quoque pro *diſſolutis* & *ſecuris* accipiuntur (inde *ſupinae ignorantiae* nomen) quia dormientes (qui ſupini jacere ſolent) omni cura vacui, ſeu ſecuri ſunt. Similiter quoque jus civile e contrario dicitur ſcriptum vigilantibus, *l.* 24. *D. quae in fraud. cred.* id eſt, diligentibus; non ſupinis ſcilicet, & negligentibus. Verum ad rem. *Dolus*, & *lata culpa* in omnibus bonae fidei judiciis praeſtantur. Sed & *diligentia* quoque, quam noſtris rebus adhibere ſoliti ſumus: qui enim eam non praeſtat, fraude, ſeu dolo carere non videtur, *d. l. quod Nerva* 32. Fraudem autem omnem bona fides excludit, & removet. Proinde in omnibus bonae fidei judiciis ejusmodi diligentia exigitur: ſive in eis dolus tantum veniat (ut de depoſito dicitur *d. l. quod Nerva* 32.) ſive etiam culpa (ut in ſocietate *l. ſocius ſocio* 72. *D. pro ſoc.* & in actione familiae herciſcundae *l. haeredes* 25. §. *non tantum* 16. *D. famil. herc.* & in rebus dotalibus *l. in rebus* 17. *D. de jur. dot.*) ſive etiam diligentia praeſtetur: ut in actione tutelae *l.* 1. *D. de tutel. & rat. diſtrah.* Haec igitur tria in omnibus bonae fidei judiciis veniunt: quandoque ſola (ut in depoſito & precario) quandoque vero praeter ea etiam culpa venit; quae & levis culpa dicitur ad gravioris ſeu latae differentiam, non etiam leviſſimae: cujus a levi nullam in jure diſtinctionem reperias. Quae enim dicitur *leviſſima culpa*, *l.* 44. *D. ad l. Aquil.* ſimpliciter dicitur *culpa*, id eſt, levis culpa, *l.* 30. §. 3. *l.* 32. *D. eod. tit.* *Culpae*, & *levis*, vel *leviſſimae culpae* nomine idem ſignificatur: ſicut *diligentiae*, & *exactae*, vel *exactiſſimae diligentiae*. Culpae autem in plerisque cauſis annumeratur imperitia, & ſae-

Digitized by Google

5. §. 2. *D. commodat.* Et in commodato igitur multo magis; quod etiam ad ſolius accipientis utilitatem ſpectat. Item *culpa* venit in mandato, tutela, negotiis geſtis: quia horum contractuum haec natura eſt, ut in iis cura, officiumque exactum adhibeatur; ut de mandato dicitur *l. in re mandata* 21. *C. mand.* proinde & ab iis contractibus *negligentia*, *culpaque* omnis abeſſe debet. In quibus autem cauſis *culpa* (ſcilicet *levis*) praeſtatur: in iisdem & *diligentia* praeſtatur; *arg. l. cum fundum* 68. *D. de contrab. empt.* Sane cum *culpa* negligentia ſit: unde culpa abeſt, ibi diligentiam eſſe neceſſe eſt; & contra. Sed haec diligentia in quibusnam non exacte accipitur; ut in dotis datione, ſocietate, communione. In reliquis autem diligentia ad exactum redigitur. Haeceque diligentiae diſtinctio proponitur in *l. heredes* 25. §. *non tantum* 16. *D. famil. herc. d. l. ſocius ſocio* 72. *D. pro ſoc.* §. *ult. Inſtit. eod. tit. l.* 3. *D. de per. & comm. rei vend* §. *item is* 2. *Inſtit. quib. mod. re cont.* In iis quidem contractibus, in quibus culpa non etiam exacta diligentia praeſtatur, conſueta in rebus noſtris negligentia praeſtanda eſt: quia ejusmodi negligentia culpa levis eſt, *l. mulier.* 22. §. *ſed enim* 3. *D. ad Trebell.* Diligentia autem quaelibet ſufficit, quam in noſtris rebus adhibere ſolemus. Sed ut diffuſius rem totam tractemus: *diligentia exacta*, ſeu *exactiſſima*, quae & ſimpliciter *diligentia* dicitur, vel in gerendis, vel in cuſtodiendis rebus verſatur. In gerendis quidem *diligentia*, quam bonus paterfamilias rebus ſuis praebet, exigitur; ut in tutela, *l. a tutoribus* 33. *in princ. D. de adminiſtr. tut.* Excipiuntur tamen certae cauſae, quibus lata tantum negligentia a tutore praeſtatur, *l.* 7. §. *competet* 2. *eod. tit.* & *l.* 2. *C. arbitr. tut.* quia quodammodo extra tutoris officium earum rerum, de quibus ibi agitur, cura poſita videtur. *Diligentia* quoque *exacta* requiritur in negotiis gerendis, §. 1. *Inſtit. de obligat. quae ex quaſ. contr.* Item in mandato: ſive privatum negotium ultro ſuſcipiatur, *d. l. in re mandata* 21. *C. mandat.* ſive publicum ex neceſſitate muneris, *l. magiſtratus* 6. *D. de adminiſt. rer. ad civit.* Iis autem caſibus haec diligentia praeſtatur: quia id natura horum contractuum exigit. Alienae enim res ſive ultro, ſive ex neceſſitate muneris ſuſceptae ſint, non ſolum cum fide, ſed & cum diligentia adminiſtrari debent, *arg. d. l. in re mandata* 21. *Diligentia* autem, quae in cuſtodiendo verſatur ſimpliciter, quandoque *cuſtodia* dicitur; quandoque *diligens*, vel *plena cuſtodia*; modo *cuſtodia*, vel *diligentia*, *qualem bonus*, vel *diligentiſſimus paterfamilias rebus ſuis adhibet*; modo *diligentia exacta*, vel *exactiſſima cuſtodiendae rei*, vel *ad rem cuſtodiendam*: item *quam debent homines frugi*, & *diligentes praeſtare*; item *cum omnia obſervata ſunt*, *quae diligentiſſimus paterfamilias obſervaturus eſſet*. Ejusmodi *diligentia* ſeu *cuſtodia* exigitur maxime in commodato *d. l. ſi ut certo* 5. §. *quod vero* 4. *l. in rebus* 18. *D. commod. l.* 1. §. 2. *D. de obligat. & act.* quia ſolius accipientis utilitatem commodatum reſpicit. Sed & in vendito quoque *diligentia* praeſtatur, *l. quod ſaepe* 35. §. *ſi res* 4. *D. de contrab. empt. l. ſi vendita.* 11. *D. de per. & comm. rei vend.* Nec obſtat §. 3. *verſ. quod ſi fugerit. Inſtit. de emption. & vend.* ubi *cuſtodia rei venditae*, niſi nominatim promiſſa ſit, praeſtari negatur. Ibi enim *cuſtodia* (ut & aliis juris locis) imitatur praeſtationem periculi, fortuitorumque caſuum: quibus fugae ſervorum annumerantur, quorumque nomine nemo tenetur; ut proponitur iis autem contractibus *diligentia* ſeu *cuſtodia* praeſtatur: quia, ut ſupra dixi, utriusque utilitas in iis vertitur. In dotis autem datione, ſocietate, communione tam hereditatis, quam rei alterius, licet ad communem quoque utilitatem ſpectent: tamen *dilegentia* ſeu *cuſtodia* non venit, niſi quam in noſtris rebus ſolemus adhibere, ut ante docui. Quia ſcilicet, cum propter partem ſuam ſocius, vel cohaeres cauſam gerendi habuerit, non debet ei fraudi eſſe, ſi *exactiſſimam diligentiam* vel *cuſtodiam* alienis rebus non adhibuit, quam nec ſuis quoque praeſtiterit, *d. l. ſi haeredes* 25. §. *non tantum* 16. *D. famil. herc.* Rei enim communis pars, licet pro indiviſo, noſtra eſt; pars autem cohaeredis vel ſocii. Sed & dos, ut mulieris eſt, ita & in mariti quoque bonis eſſe intelligitur, *l. quamvis* 75. *D. de jur. dot.* Ex ſuperioribus apparet, in bonae fidei judiciis quandoque praeſtari tantum *dolum*, quaeque doli appellatione continetur, *culpa dolo proxima* ſeu *lata*: & *diligentiam* noſtris rebus adhiberi ſolitam, cujus praetermiſſio *doli* ſuſpicione non vacat; ut in depoſito, & precario: quandoque *dolum*, & *culpam* ſcilicet *levem*; ut in dotis datione, ſocietate, & rerum communione: quandoque, praeter *dolum* & *culpam*, etiam *diligentiam exactiſſimam*; ut in tutela, negotiis geſtis, mandato, commodato, vendito, locato, pignori accepto. Itaque in *h. l.* non male Florentiae legitur *quidem*, non *quidam*. Excepta enim ſola dotis datione *diligentia* in contractibus omnibus hic enumeratis venit. At cum dicitur *ſocietas & rerum communio dolum, & culpam recipit* ſcilicet tantum, non etiam *diligentiam*. Ergo qui contractus *diligentiam* recipiunt, ii *culpam* quoque recipiunt & *dolum*, quaeque *dolo proxima* ſunt: item in quibus *culpa* venit, & *dolus* quoque venit, quaeque *dolo comparantur*; non e converſo. Haec quo longius a vulgaribus interpretum ſententiis remota ſunt, eo fortaſſe propius ad veritatem accedunt.

CAPUT. XIII.

Reſtituta lectio l. 10. D. de peric. & com. rei vend: *Julianique & Africani a caeteris Juriſconſultis manifeſta diſſenſio.*

VEnditor dolum, culpam, & cuſtodiam praeſtat (ut *ſuperiori capite* oſtendi) non etiam periculum, quod ad emptorem pertinet, ex quo perfecta emptio eſt, & de pretio convenit etiam ante traditionem; ut pleriſque Juriſconſultis viſum eſt. Dixi, *pleriſque*. Nec enim ea de re inter omnes conſtitit: aliis contractus formam ſeu conſenſum; aliis finem ſeu traditionem ſpectantibus. Hi nitebantur hac ratione, quod domino quaeque res pereat (dominium autem traditione demum transferatur) illi quod in hac cauſa, ut in aliis pleriſque, qui actionem habet ad rem conſequendam, rem ipſam habere intelligi debeat: proindeque ad emptorem, quaſi dominum, caſum rei etiam ante traditionem pertinere voluerunt. Quae ſententia quoque praevaluit. Ideoque, cum Julianus ab illis ſtaret, ſcripſiſſetque ob caſum fundi, cujus pars labe ſeu chaſmate, vel aquarum magnitudine periit, emptorem ex empto agere poſſe, a Scaevola notatus eſt; ut Ulpianus refert in *l. ſi in venditione* 10. §. 1. *D. de per. & comm. rei vend.* qui locus ita legendus eſt ex ve-

Digitized by Google

quam Scaevola improbavit, amplexus eſt Juliani diſcipulus Africanus, in *l. ſi fundus* 33. *D. locat.* ubi ait, venditorem ex empto teneri, ſi fundus antequam vacuus traderetur, publicatus fuerit: forte quod Reipublicae Rom. hoſtibus civitas, in cujus agro ſitus erat, faviſſet; ut Cremonenſi & Mantuano agro ſub Auguſto contigiſſe notiſſimum eſt. Solebant enim hoſtium devictorum, & illorum, qui ab eorum partibus ſteterant, agri publicari, & publici populi Rom. fieri; & plerunque diſtrahi, & ex eorum venditione redacta pecunia in aerarium inferri. Quandoque tamen hoſtibus concedebantur, ita ut publici fierent civitatum (ita enim *publici* verbum quandoque ſumitur, *l.* 9. *D. de uſurp. & uſuc.* & aliis innumeris juris locis) & in publicum civitatum venirent, ſeu redigerentur. Ejuſmodique agrorum una erat conditio: toti enim publici erant. Quandoque agrorum diverſa erat conditio: pars enim quibuſdam dabatur, *l. in agris* 16. *D. de adquir. rer. dom.* (puta pars veteri poſſeſſori honoris gratia, ut ait *l.* 15. §. 1. *D. de rei vind.*) vel etiam veteranis dabatur, & adſignabatur, *l. Lucius* 11. *D. de evictiou. & d. l.* 15. §. 1. Pars etiam quandoque vacnibat: pars in publico civitatis, in cujus agro ſiti erant fundi, relinquebatur. Propterque ejuſmodi diviſiones varias agri limitibus diſtinguebantur: & ita intelligenda *d. l. in agris* 16. Non convenit igitur Juliano & Africano cum aliis Juriſconſultis, ſed Juliani, Africanique ſententia, ut ab aliis Juriſconſultis, ita a Triboniano quoque improbata videtur: cum contrariam in Inſtitutiones retulerit §. *cum autem* 3. *Inſtit. de empt. & vend.* Verum rurſus objicietur *l.* 12. *cum* 2. *ſeqq. D. de per. & comm. rei vend.* quarum legum ſententia cum Juliani, & Africani opinione congruere videtur. Sed jam ſupra oſtendi non periculum quidem, ſed cuſtodiam tantum venditorem praeſtare. Itaque, licet in iis legibus venditor culpae, negligentiſque cuſtodiae nomine teneri dicatur (quod in via lectos ita reliquerit, ut jure eos Aedilis conſciderit) non tamen ideo ſtatuitur periculum ad eum ſpectare. Idemque dicendum ait *d. l.* 14. licet materia vendita furtivo ſubtracta ſit ante traditionem, vel quaſi traditionem Cum enim venditor cuſtodiam praeſtare teneatur: & furtum quoque praeſtare eum convenit *l. cum duobus* 52. §. *damna* 3. *D. pro ſoc.* Culpa igitur in earum *ll.* ſpecie intervenit, quae periculum rei venditae in venditorem transfert. Nulla ſane, ne probabilis quidem, adduci poteſt ratio conciliandae *d. l. ſi fundus* 33. cum *d. l. Lucius* 11. *& d* §. *cum autem* 3. & aliis pleriſque locis. Fruſtra etiam laboraveris in deſtruenda antinomia, quae potius adſtruenda eſt.

CAPUT XIV.

Juris capita quaedam alienis locis poſita eſſe, vel videri.

FUgitiva videtur *l.* 1. *C. ad l. Falc.* quae ad Senatusconſultum Trebellianum potius pertinet, ut arguunt haec verba *reſtituendae portionis. Reſtituendi* enim verbum precarium eſt. Legata vero civilibus ſeu directis & imperativis verbis relinquebantur, non etiam precariis. Deinde licet Falcidia quandoque etiam dicatur portio; tamen hic de haereditaria portione videtur agi: quae per fideicommiſſum plus debito ab eo ſolutum ſit: quia non errore ſcilicet integram portionem reſtituit, ſed ut pleniore officio praeſtandae fidei fungeretur. Idem etiam in fideicommiſſa quoque haereditate tradit Paulus 4. *Sentent. tit.* 3. §. 4. *Plena fides* exhibetur defuncto, cum plena ejus liberalitas praeſtatur; nec detracta parte aliqua minuitur. Inepteque *plena fides* diceretur in *hac l.* de reſtitutione ſolius quartae. *Plena* enim *fides* non in parte aliqua, ſed in ſolida liberalitate praeſtanda exſolvitur. Et eo ſenſu *plenae fidei* verbum ubique in jure uſurpatur. Triboniano autem impoſuit verbum Falcidiae, quo utitur *d. l.* 1. quod tamen (ut notiſſimum eſt) pleriſque juris locis & pro commodo Senatusconſulti Pegaſiani uſurpatur. Impoſuit etiam facile Triboniano raptim conſtitutiones in Codicem referenti brevitas reſcripti. Brevitas autem plerunque properantes fallit, dum expendi, tractarique, non ſemel inſpici tangive poſtulat. Feſtinanti quoque Triboniano imprudenter accidit, ut alieno loco reponeret §. *ult. tituli Inſtit. de perpet. & temp. act.* quem titulum de *officio judicis*, ſimulque tractatum judiciorum civilium claudere voluit, vel velle debuit. Quid enim facit *ille* §. ad titulum, ſub quo poſitus eſt? Id etiam ſatis arguunt in *d.* §. *ult.* haec verba *officio judicis*, itemque verbum *ſupereſt:* quaſi diceret, ſupereſt ex tractatu judiciorum privatorum. De publicis enim agit *tit. ſeq.* Ita fiet ut verbum *ſupereſt* cum exordium, tum etiam finem det titulo de *offic. jud.* Verum nullo modo tolerabilis error eſt, vel facinus potius ejus, quicunque duo juris capita ex libris Juriſconſultorum deſumpta inter conſtitutiones Impp. retulit, & in calcem *tituli Codicis ad l. Jul. majeſt.* conjecit. Aptam enim ſedem nanciſci videntur poſſe, ſi eundem in Digeſtis, quem nunc in Codice locum occupent, claudantque *titulum D. ad l. Jul majeſt.* Quod etiam ſuadet, quae in illis duabus legibus tractatur, quaeſtio de perduellionis crimine una cum reorum vita non extinguendo: qua de re etiam agitur in *l. ult. D. ad. l. Jul. maj.* Itaque aptiſſime vicinitatem hujus illae ſequentur. Sunt & leges quaedam, quae incongruo loco videntur ſitae, quae tamen ſi accuratius expendantur a tractatu, ſub quo collocatae ſunt, non ita alienae reperientur. Ejuſmodi eſt *l. ceſſante* 5. *C. de commerc. & mercator.* Quid enim commercii Collegiatis cum commerciis & negotiantibus? *Collegiati* enim ſunt, qui Conſtantinopoli ex diverſis corporibus ordinati, fortuitis incendiis ſubveniebant; ut eſt proditum in *Deſcriptione ejuſdem urbis*, incerto auctore edita una cum *Notitia Rom. Imperii.* Et de iis, ut opinor, intelligendus eſt ille locus Valentiniani ad Simmachum *libro* x. *ep.* 27. ubi de corporatis *per alios*, inquit, *fortuita arceantur incendia.* Itaque quaecunque *Collegiatorum* meminerunt conſtitutiones, ſcriptae ſunt ad Praefectos urbi; Conſtantinopoli ſcilicet. Et cum Decanis ſeu Copiatis *Collegiati* conjunguntur, *l.* 9. *C. de ſacroſ. eccleſ.* Ut enim hi ex diverſis corporibus eligebantur, ut jam dixi, utque arguunt haec verba, *h. l. ex eodem quo illis fuerant corpore:* ita & illi; ut patet ex *Novel.* 43. Ut horum certus numerus definitur in *hac l.* ita & illorum in *l.* 4. *C. de ſacr. eccleſ.* quam cum hac conjungendam ſuadet inſcriptionis & ſubſcriptionis ſimilitudo. In numero autem *Collegiatorum* convenit huic legi *cum ſupra dicta Deſcriptione urbis Conſtan-*

Digitized by Google

pieveris quod deeſt, addito vernaculo uno Collegiatis vero triginta ſeptem. Totidem etiam undecimae regioni tribuuntur. Decanis ſeu Copiatis pariter cum Collegiatis hoc erat commune, quod utriſque immunitas erat conceſſa, ut patet ex conjunctione *hujus l.* cum *d. l.* 4. & ex *d. l.* 9. Utriſque publicorum munerum (qualia ſunt argentariorum & nummulariorum) vacatio data erat, ut proponitur in *d. l.* 9. Puto etiam Collegiatis conceſſam immunitatem aurariae functionis ſeu penſionis, quae a negotiantibus exigebatur: quamque neceſſitatem debitam penſionum vocat, *l.* 1. *h. tit.* deque ea vacatione intelligendam arbitror immunitatem, de qua haec lex loquitur, quae alioquin inepte in hunc titulum eſſet relata. Sane etiam veriſimile eſt, Collegiatis, etſi publici muneris cura occuparentur, negotiationem permiſſam, ſimulque immunitatem aurariae penſitationis; ſicut & divino miniſterio addictis clericis conceſſa eſt, *l.* 36. *C. Th. de epiſc. & cler.* deque eadem auraria praeſtatione accipiendum eſt, quod dicitur in *l.* 2. *C. de epiſc. & cler.* clericos non ut caeteros negotiatores ad aliquam praeſtationem competentem vocari.

CAPUT XV.

Expoſitio l. 13. D. de ſtat. hom. *ejusque, & aliarum multarum emendatio.*

SErvi ex cauſis publicorum omnium judiciorum, ſi vim privatam excipias, accuſari poſſunt, *l. hos accuſare* 12. §. *omnibus* 4. *D. de accuſat.* Sed quia *ſervum hominem cauſas orare leges non ſinunt* (ut ait Comicus *Phorm. Act.* 2. *Scen.* 1. *v.* 62. & ad eum fortaſſe locum alludens *l.* 1. *C. ſi per vim vel al.*) ideo, ne indefenſus damnaretur, neceſſarium fuit, ut quamvis in aliis cauſis alieno nomine accuſationem inſtituere, vel ſuſtinere non liceat, *l. pen.* §. 1. *D. de public. jud.* nihilominus eo caſu domino, ſervi defenſio permitteretur: ita tamen ut in ſervum ipſum condemnatio feratur, *l.* 2. *C. de accuſat.* non ut in noxalibus cauſis in dominum. Si quis igitur adverſus ſervum capitalis criminis accuſationem inſtituerit, poteſt dominus eum defendere: poteſt eum accuſatoris intentionibus, ſeu criminationibus reſponſurum in judicio ſiſtere, & pro eo competenter defenſiones allegare, *d. l.* 2. *C. de accuſat.* ſiſtendum autem ſervum ſatisdato promittere debet, *l. ſi ſervum* 17. *D. eod. tit.* nec vero tantum dominus defendendi ſervi facultatem habet; ſed & nomine ejus procurator, *l. ſervus* 11. *D. de public. judic.* vel etiam extraneus, *l. ſi non defendantur* 19. *D. de poen.* Idque etiam ſatiſdato *l.* 2. *D. de cuſtod. & exhib. reor.* Sicut autem domino conceſſum eſt pro ſervo, qui ſeipſum defendendi jus non habet, allegationes offerre: ita & ſi ſervus, cui appellandi jus denegatum eſt, damnatus ſit; dominus ad opem ei ferendam appellationis remedio uti poteſt, *l. Servi* 15. *D. de appellat* vel procurator ejus nomine *l. Lucius* 18. *eod. tit.* imo & ipſi ſervo, caeteris deficientibus, hoc benigne conceſſum eſt, *d. l. ſervi* 15. multoque igitur magis id licebit extraneo: cum & eum defendere ſervum poſſe probaverimus. Quid autem fiet, ſi a domino, vel ab alio ſervus in cauſa capitali non defendatur? in vincula publica conjicitur, & ex vinculis cauſam dicit *d. l.* 2. *D. de cuſtod. & exhib.* non tamen ſtatim ad ſupplicium perducitur: ſed de ejus innocentia judex debet inquirere, *d. l. ſi non defendatur* 19. Cum autem a domino ſervus non defenditur, & nihilominus abſolvitur: quaeritur an liber fiat; an vero

quod ſervus 30. *D. de* [illegible] non quia ſimpliciter ſervus pro derelicto habitus eſt, ſed quia in vitae diſcrimine: ideo ad libertatem perducendus videbatur. Quemadmodum enim ex edicto Claudii (cujus meminit Tranquillus *Claudio c.* 25. & Dio 60. & *l. un.* § *ſed ſcimus* 3. *C. de latin. lib. tollend.*) ſervi, quos domini exuta humanitate aedibus ſuis ejecerant, & ope omni deſtitutos in morbi vitaeque diſcrimine dereliquerant, libertatem conſequebantur, *l.* 2. *D. qui ſin. manumiſ.* ita & ſervi, qui cum in capitis periculo verſarentur, a dominis derelicti, & non defenſi fuerant, citra manumiſſionem libertatem adipiſci debere videbantur. Indignus enim dominio ſervi is dominus videbatur, a quo aleae, ſeu fortunae judicii commiſſus fuerat. Sic legi apertius poteſt *fortunae judicii* non *fortunae judicio.* Et ita quoque Graeci interpretes videntur legiſſe. Similia ſunt alia plurima in jure menda: ex quibus injucundum fortaſſe non erit hic quaedam eluere: veluti in *l.* 5. *in fin. D. de poen.* pro *eligere* leg. *exigere* vel *elicere* mutata litere C. in G. ob affinitatem utriuſque; de qua Plutarchus in Ῥωμαϊκοῖς. Et ita quoque legendum arguit Imperatoris Adriani reſcriptum (ex quo ſumpta ſunt poſtrema verba *d. l.* 5.) quod integrum extat in *Collatione legis Moſaicae tit.* 1. §. 11. *in fin.* ubi ſcriptum eſt *provocare*, quod idem eſt atque *exigere* vel *elicere*. Similiter in *l.* 11. *C. de Judaeis.* pro *locis* leg. *jocis.* In feſto enim Aman ſolebant Judaei gaudio, laetitiaeque vacare: ut traditur *in libro Eſther. cap.* 11. *vſ.* 22. Et initio *l.* 4. *C. de offic. milit. jud.* leg. eſt, *duces limitum*, non *militum:* nam eleganter *in Notitia orient. Imp.* ſub diſpoſitione Magiſtri peditum praeſentalis eſſe dicuntur *Comites militum*, & *duces limitum.* Inde *dux Rhaetici*, *Scythici*, & *Illyriciani limitis* apud Vopiſcum. Sane etiam in Novell. Theodoſii & Val. *de ambit. & loc. limit.* ex qua ſumpta eſt *d. l.* 4. legitur *duces limitum.* Et in *l.* 11. *C. Th. de epiſc. & cler.* pro *perfectione* leg. *per factionem*, id eſt, injuriam haereticorum *l.* 7. *eod. tit.* quorum factioſa eruptio dicitur, *l.* 3. *C. de ſumm. trinit.* & factio *l.* 1. *C. Th. de epiſc. & cler.* Et in *l.* 40. *C. Th. de haeretic.* pro *idoneus* leg. *ingenuus:* ut indicat *l.* 21. & *l.* 65. *eod. tit.* Et in *l.* 48. *eod. tit.* pro *ſacrarii* leg. *ſacri aerarii*, diviſis vocibus, quae perperam in unam coaluerant. Et in *l.* 19. *C. Th. de Pagan. ſacr.* pro *jubente* leg. *juvent.* Eadem ratione in *Novel. Valentin. de Sanctimonialibus* pro *colliguntur* leg. *eligunt ut:* & mox pro his verbis, *quibus ad omnem licentiam uſum, aut ſollicitantium ficta religio perſonarum, aut ſavore callidi captatores ad blande has &c.* leg. *quibus ad omnem licentiae uſum ficta religio perſonarum aut ſavor callidi captatoris adblanditur. Has* &c. Et de mendis quidem hactenus. Emendandi enim nimium ſtudium non tam ſcripturae in antiquis auctoribus, quam judicii vitium in novis Criticis plerunque prodit.

CAPUT XVI.

Sponſam in plerisque cauſis uxoris jure cenſeri: ſponſaeque propriae raptum non committi: & exculcatum gloſſema ex l. un. C. de rapt. virg. *& ex aliis aliquot locis.*

MUltis in cauſis ſponſa uxoris loco eſt: & ita promiſcue auctores his vocibus quandoque utuntur; ut in Evangelio virgo Deipara ſponſa Joſeph modo μνηστευθεῖσα, modo γυνὴ τοῦ Ἰωσὴφ & Ἰωσὴφ ἀνὴρ αὐτῆς: dicitur. *Matth. c.* 1. *vſ.* 18. 20. 19. Unde etiam apud Juriſconſultos

vi quoque Severus & Antoninus ita reſcripſerunt. Animitas autem ſcripturae utriuſque vocis *non* & *imo* mendum peperit, fecitque, ut affirmatio in negationem mutaretur. Sicut autem ex reſcripto Severi & Antonini ſponſa mariti jure accuſari poteſt; ita & corruptor ſponſae eodem jure a ſponſo accuſari poteſt ex conſtitutione Alexandri, in *l. propter* 7. *C. ad l. Jul de adult.* Similiter & quod de raptu nuptae mulieris ſtatuitur in *l. un.* §. *quae multo. C. de rapt. virg.* idem in raptore ſponſae definitur in §. *ſeq. Addititium* enim, & ſpurium eſt in *eo* §. verbum *ſuam:* quod aperte ea lex arguit, & *initium Novellae* 143. In quibus duobus locis adverſus raptorem in flagranti crimine deprehenſum gladium lex porrigit parentibus, fratribus, tutoribus, curatoribus, patronis, dominis. Idque jus occidendi multo magis maritis, & ſponſis conceſſum dicitur, ſi uxor vel ſponſa rapiatur: quia duplex eo caſu crimen contrahitur; adulterii ſcilicet, & raptus. Quae tamen ratio iis duobus locis propoſita locum habere nullo modo poſſet in propriae ſponſae raptore. Sane etiam, cum de raptu agitur in conſtitutione Conſtantini in *l.* 1. *C. Th. de rapt. virg.* ſponſus excipitur his verbis: *ſi quis nihil cum parentibus puellae ante depectus.* Sed nec in *Novella Leonis* 35. ulla raptoris ſponſae propriae fit mentio. Poſtea tamen Harmenopuli tempore jam irrepſerat haec intercalaris vox *ſuam:* quod vitium etiam ipſe ſequitur *lib.* 6. *tit.* 7. Illud tamen Pontifices non admiſerunt, aequiſſime negantes ſponſae ſuae raptorem quemquam habendum, *C. ſi quis virginem* 5. & *C. denique* 9. *cauſ.* 36. *quaeſt.* 2. Porro frequens etiam eſt ejuſmodi vocis gloſſema in libris noſtris, licet ſine ſententiae diſpendio plerunque inculcatum ſit, ut in *l.* 2. *in fin. D. de his qui ſunt ſui vel al. jur. l.* 10. §. *patronum* 2. *D. de in jus voc. l.* 3. *D. ad l. Jul. de vi.* quod patet ex Pandectis Florentinis. Similia gloſſemata aperiendae ſententiae gratia in jure quandoque reperies, ut in *l.* 1. *C. ſi in cauſ. judic. pig.* haec verba *ex cauſa contractus* irrepſerunt in contextum, cum ſuperſcripta interpretationis cauſa fuiſſent illis verbis *juſtae obligationis:* quaſi ſcilicet juſtae obligationis vocabulo obligatio ex cauſa contractus ſignificetur. Sic & in *l.* 7. *C. de contrab. empt.* verbum *donationis* gloſſema eſt, & expoſitio *falſi tituli:* qui enim in *ea l. falſus* dicitur *titulus*, donatio eſt. Similiter quoque in §. *ſed jus quidem* 2. *Inſtit. de jur. nat. gent. & civil.* his verbis *a Romulo* exponebantur illa, quae ſequuntur *a Quirino*; ut patet ex Theophilo. Qua ratione illo Lampridii loco in *Heliogabalo cap.* 26. *& cum ad meretrices proceſſiſſet papilla ejecta exoletos habitu puerorum, qui proſtituuntur pronunciavit his quaſi militibus ternos aureos donativum.* leg. eſt *exoletorum* non *exoletos* & quod ſequitur *puerorum qui proſtituuntur* tollendum eſt ut ſubdititium: interpretatio enim tantum erat vocis *exoletorum.*

CAPUT XVII.

Aliud gloſſema cum difficillima antinomia ſublatum ex l. 25. §. ſi duos 6. D. de uſufr. *itemque emendatio* l. 37. §. ſed ut ſequens 2. D. de adq. rer. dom.

MAniſeſto pugnat *l. ſed & ſi quis ſtipuletur* 25. §. *ſi duos fructuarios* 6. *D. de uſufr.* cum *l. qui bo-* rium jus parere. Detrahendum itaque gloſſema eſt ex *d.* §. *ſi duos fructuarios* 6. & in eo ita leg. *rationemque hoc facere, ſi ex re alterius ſtipuletur, ei duntaxat quaeri. Quod ſi &c.* Id etiam confirmat quod ſubſequitur, *nec dubitari debere, &c.* Conjunctiva particula (*nec*) ejuſdem ſententiae argumentum praebet. Sic & in *d. l. qui bona fide* 23. §. *ſi quis duobus* 3. eadem ratione dicitur, *nec dubitandum &c.* Sciolo autem alicui ejuſmodi gloſſematis inculcandi occaſionem praebuit, quod in *eo* §. ſubjicitur, *idem & in fructuariis erit dicendum: ut quo caſu non totum adquiritur fructuario, proprietatis domino erit quaeſitum: quoniam ex re fructuarii quaeri ei poſſe oſtendimus.* Videbatur enim horum verborum, *ut quo caſu non totum adquiritur fructuario*, haec eſſe ſententia: non totum, ſed partem ei fructuario, cujus ex re ſervus ſtipulatus eſt; partem vero domino proprietatis quaeri. Proinde & in ſpecie ante propoſita in bonae fidei poſſeſſore idem dicendum: ideoque haec verba addita ſunt *partem partem domino.* Verum non ea eſt Ulpiani ſententia: quin haec potius, *idem in fructuariis erit dicendum* (ut ſcilicet ſi ſervus ex re alterius eorum ſtipuletur) ei duntaxat quaeratur. Deinde exceptionem addit, *ut quo caſu &c.* quaſi diceret: ita tamen ut ſi contigerit totum fructuario adquiri non poſſe; reliquum proprietario quaeratur; veluti ſi ex re fructuarii vel ex operis (idem enim utriuſque cauſae jus eſt) ſervus in ſingulos annos certum aliquid ſtipulatus fuerit: finito uſufructu ſequentium annorum ſtipulatio domino proprietatis erit adquiſita, eique ex ea cauſa actio competet §. *ſi operas* 2. *eadem l.* & *l.* 18. §. *ult. D. de ſtip. ſerv.* Quod non adeo mirum videri debere innuit Ulp. cum & proprietario ex re fructuarii etiam ſolidum quaeri poſſe oſtenderit in §. *quaeſtionis* 3. *ead. l.* Quod & proditum eſt in *l.* 37. §. *ult. D. de adq. rer. dom. l.* 22. *& l. pen. D. de ſtip. ſerv.* Et hoc eſt, quod ait, *quoniam ex re fructuarii quaeri ei poſſe oſtendimus.* Verum valde obſtat *l. per ſervum* 37. §. *ſed ut ſequens* 2. *D. de adq. rer. dom.* Sed in ea dubio procul, exſcriptoris forte culpa, pro *alteri fructuario*, ſcriptum fuit *proprietario.* Nec aliter conſtare poteſt Juliani eo loco ſententia, qui & a ſeipſo diſſideret: cum etiam ex re fructuarii proprietario quaeri poſſe mox oſtendat in §. *fructuarius* 5. Itaque in *d.* §. *ſed ut ſequens* 2. diſtinguuntur ſervi fructuarii a ſervis communibus. Illi ex operis tantum, & re fructuariorum eis adquirunt; hi dominis etiam aliunde. Illi ex re alterius fructuarii, alteri fructuario non adquirunt; hi ex re alterius domini, alteri domino adquirunt. Ita fit, ut quod ex re fructuarii quaeritur, ad eum ſolum pertineat; quod vero ex re alterius domini, ad utrumque. Quae aperta eſt ejus loci ſententia. Ex trium igitur harum legum non amplius invicem diſſidentium collatione haec definitio elici poteſt: ſervum uni ex bonae fidei poſſeſſoribus, vel fructuariis ſtipulantem totum ei adquirere: ita ut quoties alteri ex ſociis non adquiritur (quod ex re ſcilicet alterius nihil ei quaeri poſſit) ſolidum alter conſequatur. Quod & proponitur in *d. l. ſi alienus* 19. Et ea ratione hic nodus pene Gordius, in quo diſſolvendo operam luſeris, Alexandreo more praecidendus fuit.

Digitized by Google

N ves Rom. redigerentur, maximeque plebeji (quia vectigalis jam & ſtipendiaria plebs ſenatui eſſe coeperat) lata eſt lex Cincia, ſeu muneralis, quae ſupra certum modum donari prohibuit; niſi exceptis quibusdam cognatis, auctore Ulpiano *lib. Regularum tit.* 1. Ejus vero legis ſuppreſſo nomine quandoque fit mentio in libris noſtris. Et ita verbum *legis* accipiendum in *l. 24. D. de donationib.* ſuppreſſo autem ideo nomine: quia Juſtiniano animus fuit earum legum nomina, quae in deſuetudinem abierant abrogataeque erant, e corpore juris tollere. Sicut autem *l. Gliciae*, quae obſoleverat, veſtigium reſidet in inſcriptione *l. 4. D. de inoffic. teſtam.* ita & legis Cinciae (quae jampridem in uſu eſſe deſierat *Nov.* 162. *c.* 1.) in inſcriptione *l. 29. D de legib.* in qua adponi poteſt haec ſpecies: lex Cincia donationibus certum modum conſtituit, quem excedere non licebat; quidam, licet intra eum modum, in tot perſonas tamen donationes contulit, ut ad inopiam prorſus redigeretur; fraus eo modo facta eſt legi Cinciae: cujus ferendae haec ratio fuerat, ut una cum immenſis donationibus inopia quoque, in quam eo pacto plerique incidebant, prohiberetur. Pari ratione legi Furiae fraudem olim fieri ſolitam docet Theophilus, *tit. de lege Falcidia.* Quis autem lege Cincia modus definitus fuerit, non liquet. Perperam enim ducentorum aureorum fuiſſe colligitur ex *l. ſancimus* 34. *C. de donationibus:* id enim referendum eſt ad conſtitutionem Theodoſii & Valentiniani in *l. ult. C. Th. de ſponſalib.* quae actorum ſolemnitatem non exigebat in donationibus, quae erant intra ſummam CC. aureorum. Lege autem Cincia, teſte Tacito *Annal. lib. 11. cap. 5.* etiam cavebatur, *ne quis ob cauſam orandam pecuniam, donumve acciperet:* eaque parte lex Cincia vetuſtate intermortua vitam recepit beneficio conſtitutionis Auguſti; qua etiam addita eſt poena quadrupli auctore Dione *lib.* 54. ex lege ſcilicet Julia repetundarum. Quod ſignificat Tacitus *lib. 11. Annal. cap. 7. in fin.* dum ait: *capiendis pecuniis poſuit modum usque ad dena ſeſtertia, quae egreſſi repetundarum tenerentur.* Haec enim erat, ut opinor, poena legis Juliae repetundarum, quae deinde mutata eſt: ut arguit verbum *hodie* in *l. 7. §. pen. D. ad l. Jul. repet.* Rurſus a poſterioribus Imperatoribus revocata, & reducta eſt *l. 1. & ult. ad l. Jul. repet.* Ejus autem Cinciae legis ſeu plebiſciti (nam a Cincio Tribuno plebis lata eſt) fortaſſe pars quaedam eſt, quae proponitur in *l. plebiſcito* 18. *D. de offic. praeſ.* eamque partem plebiſciti mandatis Praeſidum inſertam apparet ex *l. ſolent* 6. *§. ult. D. de offic. Proconſ.* Sicut etiam e contrario mandatorum capita quaedam ſub edicto quandoque a rectoribus provinciarum proponebantur, & generalium legum auctoritatem obtinebant: ut quod a D. Pio Aſiae Proconſule propoſitum fuiſſe teſtatur *l. Divus* 6. *§. 1. D. de cuſtod. & exhib. reor.* Poena igitur quadrupli eſt ex lege Julia repetundarum: quae, ut & lex Cincia, de donis muneribusque loquebatur, ut patet ex epiſtola Plinii *ad Urſum lib. 4. Ep. 9.* Itaque non abs re Martianus *lib. 1. publicorum judiciorum*, tractans, ut veroſimile eſt, de lege Julia repetundarum, quae una eſt ex legibus publicorum judiciorum: *muneris* & *doni* ſignificationem exponit in *l. munus proprie* 214. *D. de verb. ſig. Doni munerisque* in lege Julia repetundarum fiebat mentio: & modo *muneris* per ſe, ſeu ſeparatè in ea legis parte, quae proponitur in *l. 1. D. ad l. Jul. repet.* (quod dixi, quia lege [illegible] eoque Ulpiano, *initio Regularum*, lex Cincia dicitur *lex imperfecta:* quae alioquin, ſi poenam ullam continuiſſet, *minus quam perfecta*, non *imperfecta* appellaretur. Itaque improprie Tacitus *lib. 13. Annal. cap.* 42. poenam conſtitutione Auguſti definitam adverſus eos, qui in conſtitutionem Auguſti incidiſſent, vocat *poenam legis Cinciae.* Poſteriora tamen ad priora referri novum non eſt. Sic & commodo Senatusconſulti Pegaſiani, licet poſterius ſit, Falcidiae nomen tribuitur. Sexcenta ſunt id genus. Poſt conſtitutionem autem Auguſti Senatusconſultum intervenit ſub Claudio, quo donationum modus denis ſeſtertiis definitus eſt; ut auctor eſt Tacitus *lib. 11. Annal. cap. 7. in fin.* Dixi Senatusconſultum, quod & ille locus, ſi diligenter expendatur, ſatis ſignificat, & alius *lib. 13. cap.* 42. ubi dicitur *repetitum Senatusconſultum.* Igitur Senatusconſultum, ſub Claudio factum, repetitum eſt ſub Neroné. Sane Principibus multa tribuuntur, quae Senatusconſultis ſtatuta ſunt; factis ſcilicet auctoribus Impp. Sic in *l. 3. C. qui manumitt.* dicitur *divo Marco auctore ampliſſimus ordo cenſuit.* Poſtremo Trajani tempore aliud Senatusconſultum latum eſt, quo in negotii ſeu litis exordio litigatores jurare praecipiebantur, nihil ſe cuiquam ob advocationem dediſſe in anteceſſum; promiſiſſe ſtipulatione interpoſita; vel caviſſe, datis nempe fidejuſſoribus: ut tradit Plinius *epiſt. ult. lib.* 5. Hoc Senatusconſulto nihil prioribus abrogatum eſt. Peracto enim negotio, ſeu lite deciſa, permiſſum erat litigantibus advocatis ſuis honoraria dare: dummodo licitam quantitatem, & prioribus Senatusconſultis definitam non excederent; puta dena ſeſtertia ſeu centum aureos: quae ſumma ob eam rationem dicitur *licitum honorarium, legitimus modus, & licita quantitas* in *l. 1. D. de var. & extraord cog.* Ergo lege Cincia dona, muneraque prohibita ſunt, conſtitutione Auguſti addita poena quadrupli: Senatusconſulto, ſub Claudio facto, repetito ſub Nerone, modus certus donis, muneribusque poſitus eſt: alio Senatusconſulto, Trajani temporibus lato, jurisjurandi in principio litis praeſtandi neceſſitas litigantibus injuncta eſt.

CAPUT XIX.

Indicatur metatheſis ſeu trajectio quaedam verborum in l. 21. D. de re jud. *quae antimoniam pariebat.*

Moribus Rom. (ut opinor) receptum fuit, maritum in id tantum, quod facere poteſt ex cauſa dotis condemnari: nam & quod huic juri pactum adverſatur *contra receptam* (moribus ſcilicet) *reverentiam*, & *contra bonos mores* eſſe dicitur, *l. alia cauſa* 14. *§. ult. D. ſolut. matrim.* Sane etiam antiquiſſimum eſſe hoc jus ſatis arguit, quod de eo vetuſtiſſimi Jurisconſulti tractarunt; ut ex ſequentibus manifeſtum fiet. Illud vero beneficium, marito tributum, ad ſocerum ſeu mariti patrem productum eſt, *l. rei judicatae* 15. *§. ult. eod. tit.* quia ſcilicet ſocer parentis locum obtinet, *l. 16. eod. tit.* Parens autem in id tantum, quod facere poterat tenebatur, *l. ſunt qui* 16. *D. de re judic.* Unde quaeſitum eſt inter antiquos juris auctores: utrum quod in repetitione dotis receptum erat, in petitione quoque locum haberet; & idem honos ſocero habendus eſſet, ſi a marito ex promiſſione dotis conveniretur. Et variae ea

de

Digitized by Google

nis rejecta opinione, Proculi & Neratii comprobata, non condemnari debere ſocerum niſi in id, quod facere poſſet, exiſtimarunt, ſi conſtante matrimonio conveniretur: quae eſt Pomponii ſententia *l. ſed hoc ita* 22. *D. de re judic.* & Pauli in nota ſubjecta Labeonis ſententiae in *d. l. pen. D. de jur. dot.* Sin autem, dirempto matrimonio, ſocer conveniretur, affinitate jam finita, Labeonis ſententiam Pomponius & Paulus eo caſu amplexi ſunt in *d. l. ſicut* 21. *& l. ſeq. D. de re jud.* maxime habita ratione cauſae & perſonae, ut Paulus ſenſit in *d. l. pen.* Itaque hoc caſu Neratii & Proculi, indiſtincte ſtatuentium, ſocerum ex promiſſione dotis in id tantum, quod facere poſſet, teneri, ſententia improbabatur Pauli tempore: ideoque in *d. l. ſicut.* 21. Paulus ait, *Sed alio jure utimur.* Ita enim ex ſcriptoris forte cujusdam vitio trajecta *illius l.* verba reſtituenda cenſeo: *quod & id aequum eſſe videtur, ut & Neratius ſcribit. Sed alio jure utimur.* Unde recte ſubjicitur *in l. ſeq. Sed hoc ita &c.* Certe ita fiet, ut ſibi ipſi conveniens Paulus, tam in *d. l. ex diverſo* 17. quam in *d. l. ſicut.* 21. referat Neratium ſcribere, aequum ſeu juſtum eſſe, ſocerum in id tantum, quod facere poteſt, a genero conveniri poſſe. Sed & ejusmodi verba *hoc jure utimur*, vel *alio jure utimur*, ad praeſens tempus relationem habent: & ad Juriſconſulti, qui ea uſurpat, tempus referenda ſunt. Inepte vero Paulus traderet Neratium, a cujus aetate longiſſimo tempore disſitus fuit, ſcribere alio jure ſuo ſaeculo Romanos uti. Itaque nec maritus moribus, nec ſocer ex interpretatione Prudentum, ab uxore, vel nuru ultra quam facere poteſt, de dote convenitur; nec ſocer a genero ex promiſſione dotis conſtante matrimonio. Sed nec ultra vires quoque ex aliorum contractuum, nedum dotis tantummodo cauſa maritus ab uxore conveniri poteſt ex reſcripto Pii, *l non tantum* 20. *D. de re judic.* quod idem eſſe opinor cum conſtitutione Pii, qua idem jus ſingulare donatoribus tributum eſt, *l. divus* 28. *D. de reg. jur. l. qui ex donatione* 12. *D. de donationib.* Sed & vice verſa idem beneficium uxori ſi a merito conveniatur, concedendum placuit, *d. l. non tantum* 20. *in fine.*

CAPUT XX.

Priſca lectio & interpunctio reddita l. 2. §. in filiis 2. D. de decurionib. *& aliquot legum diſcidium compoſitum: qualiterque parentum nota liberis noceat.*

APud Juriſconſultos variis in cauſis quaeri ſolet, utrum macula patri, avo, vel proavo adſperſa, filio, nepoti, vel pronepoti noceat? quod videtur: maxime cum de dignitate aliqua agitur, cujus commodum ad liberos profluit. Itaque in *l Divo Marco* 11. *C. de quaeſtionib.* Dicitur *eminentiſſimorum quidem & perfectiſſimorum* ex conſtitutione Marci: Decurionum autem ex ſententia Ulpiani, relata *in libris Publicarum diſceptationum*, liberos usque ad pronepotes plebejorum poenis vel quaeſtionibus non ſubjici; ita tamen *ſi propioris gradus liberos, per quos id privilegium ad ulteriorem gradum transgreditur, nulla violati pudoris macula adſperſerit.* Verum ei legi valde adverſatur *l. 2. §. in filiis 2. D.*

ita, *ne nota patris filius macularetur.* Proinde ita legendus & interpungendus videtur ille locus, uti in veteribus libris etiam excuſis conceptus eſt. *In avo quoque Papinianus idem reſpondit. Ne nota patris filius maculetur. Quod ſi forte &c.* Et quod ait, *In avo quoque Papinianus idem reſpondit*, ita accipiendum eſt; ut ſcilicet decurionis nepos habeatur, poenisque plebejorum eximatur etiam is, poſt cujus tantum conceptionem & editionem avus decurio factus eſt. Quod vero deinde ſequitur, *Ne patris nota filius maculetur*, generalis definitio eſt, a qua novus paragraphus exordium ſumit. Similiter in *eadem l.* proponitur alia generalis regula in principio alterius §. 7. *Nullum*, inquit, *patris delictum innocenti filio poenae eſt.* Sic itaque, reſtituto hoc loco, fiet, ut omnia recte cohaereant, & aperta ſint, & plana. Sane etiam ad liberos paternae, vel avitae, vel proavitae dignitatis ſplendor diffundi non poteſt; cum in ſuperioris gradus perſonis labe aliqua maculaque infuſcatus eſt. Privilegia, ob dignitatem alienam competentia, quantum poteſt, reſtringi ſolent. Qua ratione etiam fit, ut in hac quaeſtione liberorum appellatio, quae in aliis plerisque cauſis in infinitum extenditur, tertio (ut dixi) gradu circumſcribatur in *eminentiſſimorum*, & *perfectiſſimorum* liberis, *d. l. Divo Marco* 11. & citeriori etiam gradu; puta primo in *veteranorum*, & *militum* liberis, *l. 8. C. de quaeſtion. l. 5. C. de poen. l. 3. D. de veteran.* In qua, dum privilegium liberorum veterani comparatur privilegio liberorum decurionis, hic modus adhibendus eſt; ut ſcilicet his usque ad tertium gradum: illis uſque ad primum tantum hoc privilegium competat. Rurſus autem dictae *l. Divo Marco* 11. objici poterit *l. Divi fratres* 17. *D. de jur. patr.* in qua nota patris negatur filio nocere, quominus aviti liberti ſucceſſio ad eum perveniat. Sed valde diverſa eſt utriusque legis ſpecies. Nam in *d. l. Divo Marco* 11. de privilegio dignitatis agitur; in *d. l. Divi fratres* 17. de patronatus commodo, quod patroni liberis non tam ex parentis perſona, quam ex propria; & ut patroni liberis potius, quam ut haeredibus, videtur quaeri. Ideoque in *l. 8. D. de adſign. libert.* dicitur liberos patroni in plerisque cauſis manumiſſoris jure cenſeri, ut mirum non ſit parentum maculam liberis eo caſu non obeſſe, quo ſuo, nedum parentum tantum, jure utuntur. Et tamen (quod noſtram juvat ſententiam) in ea ſpecie aliud etiam judicii fuit Proculo, cujus ſententiam idem Marcus cum fratre ſuo primum amplexus eſt: licet ab ea poſtea receſſerit, pleniori ea de re tractatu habito cum Metiano & aliis Juriſconſultis, ut proponitur in *d. l. Divi fratres* 17. ubi dicitur in eadem fuiſſe ſententia Julianum. Et haec eſt forte Juliani opinio, quae refertur in *l. 8. in fin D. de in jus voc.* Verum adhuc dictae *l. Divo Marco* 11. valde obſtare videtur *l. emancipatum 7. §. ult. D. de ſenatorib.* in qua dicitur, *dignitatem avi nepoti potius prodeſſe, quam caſum patris obeſſe.* Sed ita reſponderi poteſt: quod in *d. l. Divi fratres* 17. dicitur, *nepotes nec verbis nec ſententia legis excludi:* idem quoque dici poſſe in *d. § ult.* nimirum etiam verbis legis (ſcilicet Juliae ad quam inſcripta eſt *d. l. emancipatum* 7.) nepotem juvari. Lex enim Julia nominatim nepotis ſenatoris meminerat, ut conſtat ex *l. lege Julia* 44. *D. de rit. nupt.*

Digitized by Google

l. 13. D. de ſtat. hom.
l. 25. §. ſi duos 6. D. de uſufr 338
l. 17. D. de man. vind. 313
l. 37. §. 2. D. de adq. rer. dom. 338
l. 21. D. de re jud. 341
l. 5. §. ult. D. de poen. 336
l. 2. D. de decur. 341
l. 10. C. de Judaeis. 336
l. 4. C. de offic. mil. jud. ibid.
l. ult. C. de conſtit. pecun. 321
l. 7. C. de contr. empt. 337
l. 1. C. ſi mancip. ita fuer. al. ut man. 319
l. 48. eod. tit.
l. 19. C. Th. de Pagan. ſacr. ibid.
Novell. Majoriani de Sanctimon. & vid. ibid.
Collat. legum Moſaicar. tit. 4. 337

Ex aliis Auctoribus.

Lampridius 337
Notitia Romani Imperii 326. 334
Tacitus 322

Loci illuſtrati & explicati ex jure.

l. 1. D. juſtit. & jur. 312
l. 10. eod. tit. 311. 312
l. 1. D de legib. 317. 318
l. 29 eod. tit. 339
l. 5 § 1. D. de ſtat. hom. 323
l. 13 eod. tit. 335
l. 7. § ult. D. de Senator. 342
l. 3. D de offic. Proconſ. 313
l. 1 D de offic. Praef. Aug. 314
l. 18 D. de offic. Praef. 339
l. 4. D. de offic. adſeſſor. 314
l. ult. eod. tit. 325
l. 32. D. ex quib. cauſ. major. 326
l. 21. D. de judic. 329
l. 25. §. ſi duos 6. D. de uſufr. 338
l. 32. §. libertas 1. D. de ſervit. urb. 321. 322
l. 32. D. depoſit. 330
l. 10. D. de peric. & comm. rei vend. 332
l. 14. eod. tit. 333
l. ult D. de ſerv. export. 320
l. 19. §. ult. D. locat. 326
l. 33. eod. tit. 233
l. 13. D. de probation. 319
l. 29. § ult. eod. tit. ibid.
l. pen. D de jur. dot. 341
l. 17. D. ſolut. matr. ibid.
l. 20. D. de auctorit. tut 321
l. 41. D. de excuſ. tut. 326
l. 77. §. volo 13. D de leg. 2. 320
l. ult. §. licet. 5. & §. divi 9. D. de publican. 317
l. 20. §. pen de manumiſſ. 320
l. 17 D. de manumiſſ. vind. 313
l. 16. D de adq. rer dom. 333
l. 37. §. 2. eod. 338
l. 20. 21. 22. D. de re jud. 341
l. 123. §. Flavius 2. D. de verb. oblig. 319
l. 3. §. divus 5 D. de ſep. viol. 316
l. ult. D. ad l. Corn de ſicar. 318
l. 5 § ult. D. de poen. ibid.
l. 16. §. eventus 8. eod. tit. 317
l. 2. D. de jur. fiſc. 327
l. 3. D. de veteran. 342
l. 1. §. ſed & ſi comites 8. D. de vat. & extr. cog. 324
l. 4. eod. tit. ibid.
l. 214. D. de verb. ſign. 339
l. 23 D. de reg. jur. 330. 331
l. un. §. pen. C. de Juſtin. Cod. conf. 328
l. 2. C. de ſacroſ. eccleſ. 316
l. 2. C. de epiſc. & cler. 335
l. 6. C. de epiſc. aud. 314. 315
rubrica C. ſi contra jus vel utilit. publ. 329
l. 4. C de div. reſer. ibid.
l. 10. C. de adſeſſor. 324
l. 9. C. ex quib. cauſ. infam. 327
l. 8. C. de judic. 320
l. 12 C. de religioſ. 316
l. ult C. ſi mancip. ita fuer. al. ut man. 320
l. 5. C. de commerc. & mercat. 334
l. 6. C. de dot. promiſſ. 328
l. 1. C. de jur. dot. ibid.
l. un §. & ut plenius 1. C. de rei ux. act. ibid.
l. 1. C. ad l. falc. 330. 334
l. 34. C de donation. 339
l. 7. C. ad. l. Jul. de adult. 337
l. un. §. quae multo. C. de rapt. virg. ibid.
l. 11. C. de quaeſtionib. 341
l. 4. C. de delator. 327
l. 59. C. de decurion. 315
l. 4 C. de navicular. ibid.
§. diutina 12. Juſtit. de uſucap. 322
Ulpiani Regul. tit. 340

Ex aliis Auctoribus.

S. Auguſtinus 324
Plinius 340
Symmachus 334
Suetonius 322
Tacitus ibid.

Quae in hoc Libro continentur.

ADrianus pro Antonino Pio 316
Adſeſſorum ſalaria 324. 325
Alexandrini factioſi 316
Apoſtolorum martyrium Conſtantinopoli ibid.
Archigerontes 314. 315
Caſus appellatione quandoque culpam contineri 318
Collegiatorum numerus 334
Conditio quid 320
Culpa leviſſima eadem cum levi 330
Curatores corporum 315
Curia Geruſia & minor ſenatus ibid.
Cuſtodia quid 331
Delatores Reip. deferentes non fuiſſe infames 327
Dictio dotis 328
Diligentia qualiter in jure exprimatur 331
Diligentiam noſtris rebus adhiberi ſolitam ſemper praeſtari 330
Dioecete ergaſiotanorum 315
Diſſoluta negligentia 330
Exceptores mercenarios fuiſſe 326
Fraudis legi factae exemplum 339
Honeſtum pro bono 311
Hypomnematographi qui 315
Ignorantia contracta delicta quatenus puniantur 317
Imperium Proconſ. Praeſ. Praef. Aug. quale 313 314
Juris cum philoſophia conjunctio 311. 312
Juriſprudentiae definitio expenſa ibid.
Juriſconſulti plerique Stoici 311
Juriſconſulti cur juris ſtudioſi dicantur 312
Juriſconſultorum reſponſa conſtitutionibus Impp. inſerta 321
Juſtitiae ſacerdotes 311
Juſtitiae definitio expoſita 311. 312
Legatorum Proconſſ. numerus 326
Legis imperfectae exemplum 340
Lex Cincia 339. 340
Leges fugitivae 316
Leges mandatis inſertae & contra 339
Libertos ex ingenuis quandoque naſci 323
Merces quatenus a ſalario differat 324
Munus quid 339. 340
Natalium profeſſionum plura exempla facta 320
Parentum nota an liberis noceat 342
Pauli Juriſconſulti aetas 325
Placuiſſe quid dicatur 320
Pollicitatio 328
Poena legis Juliae repetundarum. 339
Principales civitatum qui & quot 314
Privilegia ſine die & Coſ. 323
Proconſularis provincia 326
Publici nomine quid ſignificetur 333
Publicatus fundus quid ibid.
Salaria a mercede quatenus differant 324
Scaevola quo tempore ſcripſerit libros Digeſtorum 319. 320
Scribae quaeſtorii 326
Sedes pro ſepulchro 317
Senatusconſultum Claudianum 318
Senatusconſultum de donis & muneribus 340
Sepeliendi in urbibus & extra urbes uſus 316
Sponſa uxoris vice 336
Sponſae propriae raptum non committi 337
Supina ignorantia 330
Suſcipere quid 328
Ulpiani aetas 325
Utilitas publica quid 330

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTOPHORI COLERI FR.

PARERGORUM

AD VARIOS PANDECTARUM ET INSTITUTIONUM JURIS LOCOS

LIBER SINGULARIS.

Obiter etiam varii Scriptores aut emendantur, aut nove explicantur.

Digitized by Google

CHRISTOPHORUS COLERUS.

QUantum mihi gaudii & voluptatis tua praeſentia, nobiliſſime BREDAU, *tantum aeque diſceſſus tuus triſtitiae & doloris concinnavit. Cum enim primum in hanc Academiam Noricam veniſſem, teque ibidem cum Schoppio noſtro deprehendiſſem, vix dici poteſt, quam me beatiorem multo, quam antea duxerim, qui tandem pectore illo tuo nitidiſſimo moribusque ad probitatem examuſſim factis perſrui poſſem. At illud nondum etiam ſatis erat. Nempe ut ſolidum gaudium gauderem ſupervenit etiam, veluti de coelo delapſus Ignatius tuus; Ignatius, inquam, ille, cujus eruditio ſumma judicium exactiſſimum cum flexanimi illa humanitate ita me cepit & delenivit, ut aeterno ipſi me quoque mancipio dederem. Nunc vero quid ſupereſt, niſi utrumque veſtrum quotidiano flagitio repoſcere? An mihi vitio vertetis, ſi vetus illud vobis objiciam:* Ideone veniſtis ut abiretis? *Sed tempori cedendum fuit, & ego quoque importunus flagitator eſſe nec volo, nec debeo amplius. Illud potius ſiet, amicitiam hanc aſſiduo uſque percolere, indeque uberrimam mutui amoris ſegetem metere. Quod fieri poſſe confido per unicum illud* ἐπιστέλλειν, *quae ut Turpilius ait* Sola res praeſentes abſentes facit: *quaeque ſemel conceptos amoris igniculos intermori numquam patitur. Sed audi me nunc porro, nobiliſſime mi Bredau. Parergorum meorum libellus edolatus. Et jam typographum inveni, qui illum foetum tolleret lubens. Ubi is ejus opera perpolitus divulgatusque fuerit, recta ad te viam capeſſet, ſique per adoptionem in familiam tuam tranſire non poterit, ſine quaeſo ſaltim domeſticis tuis annumerari. Crede mihi nuſquam ſibi melius fuiſſe dicet. Vale. Altdorfii Noricorum, Calend. Jan. Anno* CIↃ IↃ XCVII.

IN PARERGA JURIS CHRISTOPHORI COLERI FRANCI.

Eſſe quid hoc dicam, quod negligis ἔργα COLERE?
Deligis ac juris ſponte πάρεργα ſequi?
Juris & an quaedam rear eſſe πάρεργα diſerti?
An quae jus tradit non magis ἔργα putem?
Fallor? an effigiem ceu pictor format & ornat
Floribus ad latus hanc beſtioliſque probus:
Conſultus juris ſic ἔργα, πάρεργα ſed idem
Saltim obiter docta perficit arte bonus.
Sic bene nempe πάρεργα facis, velut ἔργα COLERE:
Rurſus & ἔργα velut pulchra πάρεργα facis.
Scilicet ejuſdem eſt, quamvis pugnare videtur,
Ἔργα ſimul, ſimul & rite πάρεργα ſequi.
Sic Agatho docuit ποιεῖν ὡς ἔργα πάρεργα:
Ἔργα, πάρεργα καλῶς, rurſus & ἐκπονέειν.

Nicolaus Reuſnerus Juriſconſultus,
Comes Palatinus Caeſareus,
conſiliarius Saxonicus.

AGATHONIS.

Τὸ μὲν πάρεργον ὡς ἔργον ποιούμεθα:
Τὸ δ᾽ ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα.

ALIUD.

QUantum virgo novo teneras ardore medullas
Icta, ſui juvenis ora videre cupit;
Quem procul a patria longinqua per aequora vectum
Litus odoratae detinet Arabiae:
Tantum ego COLERI *vultus & daedala ſcripta*
Hei nimium abſentis cernere diſcrucior!

Scipio Gentilis Juriſconſultus.

ALIUD.

QUi juris Legumque prius ſcripſere Parerga:
In quibus Alciatus Briſſoniusque cluent,
Gentiliſque, decus Phoebi Themidiſque, Freheruſque
Ille Palatina rex novus in cathedra
(At quales quantique viri!) non omnia rerum
Aut COLERE tibi, aut praeripuere mihi.
Sunt etiam ipſorum reliquae de meſſibus amplis
Spicae aliquae, quas induſtria noſtra legat.
Floret in-exhauſtis opibus Themis aurea, & ex his
Sumere cuique, ut vult, Erga, Parerga licet.
Hinc praeſens tibi ſurgit opus, ſurgentque ſubinde
Condita plura tibi, plura aliis opera.
Virgo patrima fave ac felicibus annue coeptis,
Atque hunc ſaecla jube vivere multa librum!

Cunradus Ritterſhuſius Brunſwic.
Juriſconſultus.

In πάρεργα ἔνεργα CHRISTOPHORI COLERI FR. τῷ εὐφυεστάτῳ.

Ἀνδρεῖοι ἔργα πρέπει, σὺ Κολῆρε πάρεργα παρέξεις;
Μὴ σοφίαις παίζειν ἔργα πάρεργα καλοῖς;
Ταῦτα γὰρ ὡς θέμις εἶδε, γελάστα φίλοι, τάδ᾽ ἔειπον.
Εἰ τὰ πάρεργ᾽ οὕτως, ποῖα μοι ἔργ᾽ ἔσεται.
Φαίδιμος ἔστω, πάρεργα μεθύστερον ἀλλὰ λοχεύων,
Ὡς ὑποχωροίη πολλά σου ἔργα σοφῶν.

Laurentius Rhodomanus,
Poet. Laur. Acad.
Jen. Prof. p.

CAPUT I.

Felicior Auguſto, melior Trajano. Symmachi vulgata lectio defenſa.

SOllenni quadam formula in ſenatu Principibus acclamari ſolitum olim fuiſſe FELICIOR AUGUSTO, MELIOR SIS TRAJANO, idque ad uſque aetatem ſuam obtinuiſſe ſcribit Johannes Sariſberienſis in *Policratico*, *lib.* 5. *cap.* 8. Non piget ejus verba adſcribere: *Nulli gravis* (Trajanus) *charus omnibus*, *adeo ut uſque ad noſtram aetatem*, *in ſenatu*, *non aliter principibus acclamaretur* FELICIOR AUGUSTO, MELIOR SIS TRAJANO. De felicitate Auguſti nemini non poteſt liquere vel ex Suetonio, Dione & aliis. Idem *Policratici* ſcriptor *lib.* 8. *cap.* 19. *Qui tanta moderatione ſucceſſit*, *ut ſicut Auguſtus feliciſſimus*, *ita & iſte imperator optimus diutiſſime habitus ſit.* Atque olim jam Plinius quoque in *Panegyrico* Auguſti felicitatem, Trajani bonitatem praedicaverat. Quod reſpexit juſtiſſimus Imperator Juſtinianus, qui Trajano *optimi Imperatoris* nomen impertit §. *quod quidem jut. in pr. Inſtit. Quib. non eſt permiſſ. fac. teſt.* His accedit Symmachus *lib.* 1. *Epiſt.* 7. *Bonus Nerva Trajanus*, *Antoninus Pius innocens*, *Marcus Plenus officii temporibus adjuti ſunt.* Ita editur iſte Symmachi locus & interpungitur hodie. Verum aliter ſcribi, in Giſaniano vetuſtiſſimo libro, teſtatur quidam amicus meus, cui ſe integrum debebit Symmachus; nimirum ſic: *Nerva Trajanus ſtrenuus pius innoceus &c.* Cui lectioni Fuldanus quoque codex concinit, hoc modo: *Bonus Nerva Trajanus*, *Antoninus Pius ſtrenuus*, *innocens Marcus.* Inde hariolatur amicus ille legi debere, *Bonus Nerva*, *Trajanus ſtrenuus*, *Pius innocens.* Cui ſane adſentire non poſſum, adſerenti nomen alienum Trajano, videlicet ſtrenui. Quis enim ei hoc unquam tribuit epitheton? At ſtrenuum tamen fuiſſe non nego, cum res maximas geſſerit ad orientem, imperiique limites ad rubrum mare pro noverit, quod teſtatur Tacitus *lib.* 2. *Annal. cap.* 60. 61. Et Sariſberienſis *lib.* 5. *cap.* 8. Gloriam tamen militarem, ut idem ſcribit, moderatione ſuperavit. Ergo cum ſuum cuique proprium nomen adtribuere vellet Symmachus, Trajani neſciebat, quod tamen in omnium ore verſabatur? Nulla id ratione probabile videtur. Reſtat igitur ut vulgatam lectionem veriſſimam exiſtimem eſſe. De eodem Trajano ſic cecinit Guntherus *lib.* 3. *Trajano mitior adſis.*

CAPUT II.

Fons ante delubrum. Delubri etymon. Varro emendatus. Servius Bibliothecae Fuldenſis correctus.

UT olim Romani a Thuſcis pleraſque omnes cerimonias ſuas, ita hodie, qui Pontificis Romani dogma ſectantur, quam plurimas ex veterum Romanorum Ethnicorum obſervationibus ſeu potius ſuperſtitionibus videntur eſſe mutuati. Verum me dicere ſciunt illi, qui utroſque ritus probe norunt. Unicum tantum ego hoc capite oſtendam, quaſi ſubobſcurum & adhuc indictum. Solent igitur qui ſe catholicos dici poſtulant, in aditu ſeu veſtibulo templi, habere vas aut ſaxum aliquod excavatum, in quo aqua aſſervatur, qua ſe luſtrationis cauſa adeuntes & abeuntes lavare aut potius adſpergere ſolent. At vero de more veterum ſic ſcribit Iſidorus *lib.* 15. *cap.* 4. *Delubrum veteres dicebant templa fontes habentia*, *quibus ante ingreſſum deluebantur: & appellata delubra a deluendo.* Habet hoc Iſidorus, ex veteris cujuſdam auctoris ſcriniis depromptum. Et ea ratione ad hoc etymon alluſit quoque Servius in *lib.* 2. ni fallor, *Aeneidos ad v.* 225. Aliunde tamen derivant alii. Feſtus: *Delubrum dicebant fuſtem delibratum*, *hoc eſt*, *decorticatum*, *quem venerabantur pro Dea.* Maſſurius Sabinus, apud Servium in ſchedis manuſcriptis, quae penes Caſparum Schoppium meum ſunt, ſic ſcribit: *Delubrum effigies a delibratione corticis. Nam antiqui felicium arborum ramos cortice detracto in effigies deorum formabant. unde Graeci ξόανον dicunt. Gloſſarium vetus καθίδρυμα*, *ξόανον*, *ἀνάθημα. Heſychius ξόανα*, *ἀγάλματα*, *εἴδωλα*, *ξύδια κυρίως ἤ*, *τὰ ἐκ ξύλων ἐξεσμένα.* Sunt & hodie delubra, in quibus non tantum lignei, ſed cerei quoque dei collocantur, aliaque innumera voti cauſa ſuſpenduntur; vulgo vocant noſtri *Wahlfarth*: nec cedimus hac quoque in parte Ethnicae ſuperſtitioni. Cornelius Fronto: *Delubrum in quo homines pericula ſua diluunt. Ponunt enim vel pileum*, *vel ſcutum*, *vel alia ſuſcepta votis.* Alii aliam hujus vocis cauſſam indagarunt. Idem Servius Msc. quem olim Fr. Modius diligenter in Bibliotheca Fuldana deſcripſit: *Alii delubrum dicunt templum*, *ab eo*, *quod nulli junctum aedificio pluvia diluatur.* Quod etiam placuiſſe video Aſconio, *Delubra* inquit *multarum aedium ſub uno tecto*, *a diluvio pluviae munitarum.* Varro quid ſit delubrum ſic edulerit apud Macrob. *lib.* 3. *cap.* 4. *Varro libro octavo rerum divinarum: Delubrum ait alios aeſtimare*, *in quo praeter aedem ſit area aſſumpta Deûm cauſſa*, *ut eſt in circo Flaminio Jovis ſtatoris*, *in quo loco Dei ſimulacrum dedicatum ſit. Et adjecit*, *ſicut locum in quo figerent candelam candelabrum appellatum*, *ita in quo deum ponerent nominatum delubrum.* Ubi obiter emendo & addo *Jovis ſtatoris*, *aut in quo &c.* Sic enim integer Varronis locus habet apud Servium nondum editum: *Varro rerum divinarum libro* XVIII. *delubrum eſſe dicit*, *aut ubi plura numina ſub uno tecto ſunt*, *ut Capitolium*, *aut ubi praeter aedem area ſit adſumpta Deûm cauſſa*, *ut in circo Flaminio Jovi Sutori*, *aut in quo loco Dei ſit dicatum ſimulacrum*, *ut in quo figunt candelam*, *candelabrum*, *ſic in quo Deum ponunt delubrum dicunt.* Sed & huic loco medicam manum adhibere neceſſe habeo. Sic enim corrigendum: *Varro rerum divinarum libro* VIII. non XVIII. Scripſerat enim doctiſſimus Romanorum XVI. tantum libros rerum divinarum: humanarum XXV. quorum omnium XLI. Antiquitatum fuiſſe, teſtatur Auguſtinus *lib.* 6. *de Civitate Dei.* Denique nec hoc eſt ſilentio praetereundum apud Macrobium: *ut eſt in circo Flaminio Jovis ſtatoris.* Nam apud Servium liquido ſcribitur *Jovis ſutoris.* Jovem enim ſtatorem aedem habuiſſe in circo Flaminio quis umquam ſcripſit, niſi Alexander ab Alexandro *lib.* 4. *cap.* 25. nullo opinor praeeunte, niſi Macrobio? Sane Jovis Statoris templum in Palatii radicibus collocant Livius, *lib.* 1. *cap.* 12. Plutarchus *in vita Ciceronis.* Ovidius *lib.* 6. *Faſt. vſ.* 793.

Tempus idem Statoris erit, *quod Romulus olim*
Ante Palatini condidit ora jugi.

Jupiter ergo aliquis SUTOR inquirendus erit, an fuerit?

CA-

Digitized by Google

nam fuiſſe. Quaero num ita ſit? Nam Cicero *Orat. pro Roſc. c.*25. tantum cullei meminit. Et Cornificius *ad Herenn. lib.* 2. *Lex eſt, qui parentem necaſſe judicatus erit, ut is obvolutus & obligatus corio deducatur in fluentem.* Et ſane hanc legem, priſcis ſimplicem & talem fuiſſe exiſtimo, nec adeo ullam ſimiam, gallum, ſerpentem, adjunctum, Veriſimile igitur mihi ſit, tandem ſub Imperatoribus, impia iſta animalia fuiſſe concluſa. Sub Auguſto jam ſerpentem fuiſſe additum docet Seneca *lib.* 1. *de Clementia cap.* 15. *Non culleum, non ſerpentem, non carcerem decrevit.* Immo Plutarchus in *Ti. Graccho circa fin.* ſcribit C. Villium in culleo cum anguibus inſutum fuisſe. Serpentis etiam meminit Juvenalis *Sat.* 6. Et ſimiae idem *Sat.* 13. *v.* 155.

Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adverſis innoxia ſimia fatis.

Canem & gallum gallinaceum fortaſſis adinvenit primus Pompejus. nam eorum animalium meminit *l.* 9. *ff. de leg. Pomp.* quod inſtitutum ſequutus Conſtantinus *l.* 1. *C. de his qui parent.* & reliqui Imperatores. Illud quoque omnino priſci moris fuit, ut ad mare veheretur Parricida & in profundum projiceretur, neque enim in Tiberim Romae dejicere fas eſſe putabant. Unde Seneca *lib.* 5. *controv.* 4. *Imaginabar mihi culleum, ſerpentem, profundum* Plautum *Vidularia, in fragm. Jube hunc inſui culleo atque in altum deportari.* atque ita reliqui omnes. Deportabatur autem curru, junctis nigris bobus. Id didici ex illis, quae circumferuntur Ἀδριανοῦ ἀποφάσεσι, quas Henr. Stephanus cum vet. Gloſſario vulgavit: ἐγένετο νόμος τοιοῦτος κατὰ πάντων ἀνθρώπων, ὅπως ὅτις πατροκτόνος γένηται, δημοσίως εἰς μολγὸν πεμφθεὶς συῤῥαφῇ, μετὰ ἐχίδνης καὶ κυνὸς καὶ πιθήκου καὶ ἀλεκτρυόνος ἀσεβῶν ζώων ἀσεβὴς ἄνθρωπος καὶ ἐπὶ ἁμάξης ἐζευγμένης μελανοῖς βουσὶν κατενεχθῇ εἰς θάλασσαν, καὶ ῥιφθῇ εἰς βυθὸν, id eſt, *Fuit lex quaedam hujuſmodi omnibus hominibus, ut qui parricidium feciſſet, publice in culleo miſſus conſueretur cum vipera, & cane & ſimia & gallo impiis animalibus impius homo: & ſuper plauſtrum junctum nigris bobus deferretur in mare & projiceretur in profundum.* Hadrianus tamen permiſit, ſi mare proximum non ſit, beſtiis ejuſmodi homines objici *l.* 9. *ff. de leg. Pomp.* aut vivos comburi. Paul. 5. *ſentent. tit.* 24. Unde Tertullianus *lib. de anima: Si ceterorum ſcelerum mercedem cogitemus, patibula, vivicomburia, uncos & ſcopulos.* Juſtinianus tamen, ſi mare vicinum non ſit, in flumen eos praecipitari jubet *tit. ult. lib.* 4. *Inſtit* §. 6. De culleo etiam haec adſcribere operae pretium eſt. Veteres plerique corium appellant. fiebat enim e corio bovio, ut aquis eſſet impenetrabilis. Qua de cauſa in vet. Gloſſario ſcribitur: culleum ἀσκὸν βόειον, μολγὸν etiam vocabant. Heſychius: ἄλλοι δὲ μολγὸν τὸ βόειον ἀσκόν. Idem de corio teſtatur Iſidorus *lib.* 5. *cap. ult.* Vetus onomaſticon Petri Danielis, quod laudat Turneb. *lib.* 28. *cap.* 5. de ſparto etiam confieri culleos monet his verbis: *Culleus tunica de ſparto in modum eronis facta, quae linebatur pice & bitumine, in qua includebantur parricidae cum ſimia, ſerpente & gallo.*

CAPUT IV.

Aurea bulla quid; & ejus origo.

Ubi vulgo *Aurea bulla* dicitur Decretum Pontificis, aut Principale Diploma, Bulla non eſt cedo, qui ita ſunt φίλαυλοι, καὶ διηγητόσοφοι, ut malint rerum & verborum origines & cauſſas opinione ſua metiri, quam accurata litterarum & antiquitatis indagatione perſcrutari. Conſtat igitur Imperatorias litteras, non lino & cera, ut vulgo fuiſſe obſignatas & obligatas, ſed patentes, ut hodie loquimur, haud ita barbare. Has ſcilicet Graecos poſteriores vocitaſſe βούλλας. quod in iis conſuleretur aut decerneretur aliquid ab Imperatore. Scimus autem litteras ejuſmodi Principales variis rebus fuiſſe decoratas, puta Majeſtatis cauſſâ. Unde aliquando etiam non ex charta, ſed ex ſolida materia fiebant, hoc eſt, auro vel argento. Hinc appellatae illae litterae χρυσόβουλλα. Themiſtius *Orat.* 6. ἐγὼ μέντοι οὐκ ἐπ' ἐκείνῃ τῇ δέλτῳ, ἀλλ' ἐπ' ἄλλῃ μείζονι καὶ τιμιωτέρᾳ ἣ καὶ τὰς δέλτους ἐκείνας ἤδη ἔχει ἐπ' ἐξουσίας. ἣν οὐκ ἐποίησαν ἐλεφαντουργοὶ οὐδὲ χρυσοχόοι. Haec igitur vera & germana origo τῶν χρυσοβούλλων. Ejuſmodi tamen χρυσόβουλλα ad reges tantum ab Imperatore Conſtantinopolitano miſſa fuiſſe ſcribit Curopalata, item ad Sultanos & Toparchas. Si modo ibi ſolida ex auro materia intelligenda, & non potius aurum adjectum, quod quaſi pro ſigillo erat. Ita paullo poſt reliquis Dominis, Patriarchis & Principibus plumbeas tantum bullas adſignat Curopalata πρὸς δὲ δεσπότας, πατριάρχας, καὶ τοὺς λοιποὺς ἄρχοντας τῶν ἐντιμοτέρων, διὰ μολυβδίνης βούλλης. ubi interpres male vertit: *Apud Dominos vero, Patriarchas & reliquos Principes honoratiſſimos plumbea bulla adſignabatur.* Rectius ego: *Ad Dominos vero.* Vult enim Curopalata, munus id eſſe τοῦ παρακοιμωμένου τῆς σφενδόνης ut mittat litteras ad iſtos: quemadmodum paullo ante de Magno Logothete dictum fuerat. Fuit ejusmodi bullis maxima auctoritas: cui proxima erat Donatio ab Imperatore ſubſcripta. Idem Curopalata, ubi agit de ſolemnibus Paſchatis: ἔχει δὲ δύναμιν τὸ τοιοῦτον πρόσταγμα ἴσης χρυσοβούλλου. ὅτω γὰρ ἀπ' ἀρχῆς γράφει, δωρεῖται ἡ βασιλεία τοῦ δεῖνος τὸ δεῖνα Ad Conſtantinopolitanorum exemplum poſtea non ſine ambitione Pontifices quoque aureas bullas nominari juſſerunt, ſua Decreta. *Clement. cap unic. in fin. de jurejur. cap. Praeſentium* 2. §. *teſtes. de teſtib. lib.*6. Et exſtat hodie aurea bulla Caroli Quarti.

CAPUT V.

Littoris definitio & etymon.

L*Itus eſt, quatenus hibernus fluctus maximus excurrit.* Ita definit *Litus* Tribonianus *Inſtit. de rer. diviſ.* §. 3. *ex l.* 96. *& l.* 112. *ff. de verb. ſig.* Quam definitionem eſſe fruſtra negat Accurſius, cum ſimilem definitionem appellaverit Cicero *in lib. Top.* Caji Aquil. Jureconſulti *cap.* 7. Cujac. ad *d. l. ff. de verb. ſig.* Iſidorus ad illum Ciceronis locum reſpexit *lib.* 14. *cap.* 8. *Litus eſt terra, aquae & mari vicina, & dictum litus quia fluxu eluditur, vel quod aqua alluitur. Cicero in Top. Litus eſt, quod fluctus alludit.* Haec Iſidorus. Sed perperam Ciceronem laudat *Quod fluctus alludit* pro *qua fluctus &c.* Qua enim ſignificat quatenus. Sed & altera lectio apud Ciceronem non arridet *eludit.* ideoque nec illorum commentum, qui verbum eludendi translatum huc eſſe volunt ex arena ſeu laniſtarum ſchola. Atqui illud verbum Quintiliano quoque de ſuo donarunt librarii. Sic enim ibi legitur apud Rhetorem *lib.*

bitus non neglexiſſe videtur. Alludere autem eſt allidere, propter maximam affinitatem *i* & *u*. Ludere pro lædere, & alludere pro allidere poſitum frequenter reperi apud Horatium. De qua re aliquando fuſius. Ceterum Cujacius ſubtilius litus παρὰ τὸ λιτὸς deducit, quod terram tenuem ſignificat: unde & rectius litus, non littus ſcribetur.

CAPUT VI.

Matrimonium, non dici bona materna.

Patrimonium non tantum dicuntur bona, quae a patre proveniunt, ſed etiam quae a matre. Cauſſam hujus rei invenire, in proclivi eſt: quia patri cura eſt, parare & quaerere & quaeſita cuſtodire, quod & doctiſſimus Connanus docet *lib.* 8 *cap.* 3. *nu.* 6. & *lib.* 3. *cap.* 2. *nu.* 3 Et hoc facere patrem non tantum aequum, ſed & glorioſum. Facit enim id ad honeſtatem & memoriam patris Unde Cicero ad Caelium *lib.* 2. *Epiſt.* 16. *Filio meo, ſi ulla erit Reſpubl. ſatis amplum patrimonium relinquam, memoriam nominis mei.* Quale autem ibi patrimonium intelligat, explicat *lib. off.* 1. *cap* 33. *Optima autem hereditas a patribus traditur liberis, omnique patrimonio praeſtantior, gloria virtutis rerumque geſtarum* At quid illud eſt, quod contentioſe adſerunt magni illi Juriſprudentiae anteſignani Cujacius, Connanus & alii ſequaces? Enimvero illud nos docent Matrimonium dici bona, quae a matre; ut Patrimonium bona, quae a patre. Quo argumento id probant? Ex Suetonio, Val. Maximo & aliis. Suetonius in *Auguſto cap.* 40. *Cum autem plerique equitum, attrito bellis civilibus matrimonio &c.* Sic enim in libris vulgatis ſcriptum exſtat. Val. Max. *lib.* 7. *cap.* 8. *Et admodum amplo matrimonio viginti numos legavit.* Aliud exemplum laudant ex Seneca *lib.* 1. *de benef. cap.* 3. Addo & ergo illud Caſſiodori exemplum *lib.* 8. *Epiſt. cap.* 23. *De cujus fide & ſinceritate praeſumimus, ut ſequenti tempore reliqua ſupra memorati matrimonii cum adjecta quantitate mereatur.* Sic enim ibi ex veteri Codice legit Gul. Fornerius Juriſconſultus clariſſ. Honeſtae ſatis & eruditae probationes. Quibus tamen uti veris adſtipulari non poſſum. Adducit me auctoritas & eruditio cognitiſſima V. Cl. Iſaaci Caſauboni, ad cujus viri mentionem mihi cor ſubſilire ſolet, & a quo abeſſe, non eſſe mihi videor; qui vocem matrimonii ex Suetonio confidenter ejicit, & in tota Latina lingua eam hoc ſenſu agnoſci debere vix exiſtimat. Idemque cum tot libris lectiſſimis & antiquiſſimis in conferendo Suetonio uſus ſit, ne ex unico quidem matrimonii vocem repraeſentare potuit. Atque idem alii viri induſtrioſiſſimi de Valerii loco teſtatum faciunt. Egregie vero Cujacio Auguſtini locus impoſuit, *Sermon.* 185. *Ibant ad paſſiones obliviſcentes facultates & affectiones patrimonia ac matrimonia ſua.* Non enim vidit heic matrimonium pro uxore poni. Denique Senecae jam dudum Eraſmus vocem patrimonii reſtituit, quem ſequitur doctiſſ. Muretus. At longe ſecus de hac voce pronunciavit Janus Gruterus Juriſconſultus & amicus noſter, cum quo non pugno. Aptior & ad talia promptior arma Caſaubonus. Sed videat Gruterus doctiſſimus, quid contra ſuam & aliorum ſententiam non levi ratione diſputet Plutarchus ἐν παραγγέλμασι γαμικοῖς.

[illegible] *Aen. vſ.* 429. *Pars optare locum.* Quare doctiſſimus Poeta Auſonius in Caeſaribus, legere pro adoptare poſuit, in *Nerva:*

Nulla viro ſuboles, imitatur adoptio prolem.
Quam legiſſe juvet; quam genuiſſe velit.

Salluſtius in *Jugurtha cap* 10. *Ne meliores liberos ſumſiſſe, quam genuiſſe videar.* Eadem ratione Graeci dicunt λαμβάνειν. Harmenopulus *lib.* 3. *tit.* 8. §. 8. *Eclog.* 1. *cap* 51. Heſychius: υἱοθεσία ἐστὶν τὸ θετὸν υἱὸν λαμβάνειν. De Adoptionis ritibus Romanorum, res eſt vulgatiſſima; immo *Nulli nota magis domus eſt ſua.* Illa vero adoptio, quae per arma fit, barbaris moribus in Italiam propagata eſt. A Germanis an Gothis excogitata: cujus adoptionis ritum primus aperuit, & eleganter docuit vir ſummus & mihi (quod praefiſcine dixerim) fautor, Petrus Pithoeus *lib.* 1. *ſubſec. cap.* 1. Exſtat apud Caſſiodorum elegans epiſtola, quae totum hunc ritum oſtendit. *Regi Herulorum Theodoricus: Per arma fieri poſſe filium, grande inter gentes conſtat eſſe praeconium. Quia non eſt dignus adoptari, niſi qui fortiſſimus meretur agnoſci. In ſubole frequenter fallimur. Ignavi autem eſſe neſciunt, quos judicia pepererunt. Hi enim gratiam non de natura, ſed de ſolis meritis habent. Quando vinculo animi obligantur extranei, & tanta in hoc actu vis eſt, ut prius ſe velint mori, quam aliquid aſperum patribus videatur infligi. Et ideo more gentium & conditione virili, filium te praeſenti munere procreamus: ut competenter per arma naſcaris, qui bellicoſus eſſe dignoſceris. Damus quidem tibi equos, enſeis, clypeos & reliqua inſtrumenta bellorum: ſed quae ſunt omnimodis fortiora, largimur tibi noſtra judicia. Summus enim inter gentes eſſe crederis, qui Theodorici ſententia comprobaris. Sume itaque arma, mihi tibique profutura. Ille a te devotionem petit, qui te magis defenſare diſponit: probat tuum animum, & opus non habebit obſequium. Adoptat te talis, de cujus gente tu potius formideris. Nota ſunt enim Herulis Gothorum, Deo juvante, ſolatia. Nos arma tibi dedimus: gentes autem olim tibi virtutum pignora praeſtiterunt &c.* Apparet hanc adoptionem maxime militarem fuiſſe. Tacitus *de Morib. German. cap.* 13. *Sed arma ſumere non ante cuiquam moris, quam civitas ſuffecturum probaverit. Tum in ipſo concilio, vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus ſcuto frameaque juvenem ornant.* Si tamen iſta Taciti ad hunc ritum detorquenda. Diaconus Forojulienſis *lib.* 1. *cap.* 23. de geſtis Longobardorum ſcribit, conſuetudinem eſſe Longobardos, ut regis cum patre filius non prandeat, niſi prius a rege gentis exterae arma ſuſcipiat. Geminus an idem mos Perſarum adoptandi? Procopius *lib.* 1. *de bello Perſico:* οὐ γράμμασιν οἱ βάρβαροι τοὺς παῖδας ποιοῦνται ἀλλ' ὅπλων σκευῇ. Nec tantum Adoptio, ſed etiam Manumiſſio per arma fiebat. Idem ſcriptor Longobardus *lib.* 1. *cap.* 13. *Igitur Longobardi tandem in Mauringam pervenientes, ut bellatorum poſſint ampliare numerum, plures a ſe ſervili jugo ereptos ad libertatis ſtatum perducunt, utque ratu eorum poſſet haberi libertas, ſanciunt more ſolito per ſagittam, immurmurantes nihilominus, ob rei firmitatem, quaedam patria verba.* Non taceo, & per inciſos capillos υἱοθεσίαν fuiſſe celebrem. Ipſe Paulus Warnefridus *lib.* 6. *Circa haec tempora Carolus princeps Francorum, Pipinum ſuum filium ad Luidprandum direxit, ut ejus juxta morem capillum ſuſciperet. Qui ejus caeſariem incidens, ei pater effectus eſt, multiſque eum ditatum regiis muneribus genitori remiſit.* Et per raſam barbam. Idem *lib.* 4. *cap* 40. *Nam promittens Thaſoni, ut ei barbam, ſicut moris eſt, incideret, eumque ſibi filium faceret.* Quem locum

in

ſetrix enim utraque dicitur, a merendo ſcilicet, quae & Quaeſtuaria dicitur, quod (ut Plautus in *Milit. Act.* 3. *ſc.* 1. *v.* 100. loquitur) indignum corpore quaeſtum faciat, ut in *l.* 4. §. 1. *ff. de his qui not. infam. l.* 43. *ff. de rit. nupt.* Gloſſarium *Quaeſtuaria* πρακτικὴ, πόρνη. Alibi πρακτικὴ *Quaeſtoria*, ubi lego, *Quaeſtuaria*. Alio loco πορνεύουσα *Quaeſtuaria*. Nonius tamen ſcribit, Meretrices honeſtioris loci eſſe, quam Proſtibula; cum illae tantum nocte ſui copiam faciunt. Nocte enim minus videntur, & propterea etiam minus caſtis puellis & matronis malae diſciplinae ſunt. Hinc paſſim *Noctes* pro concubitu & furto Venerio. Ad ejuſmodi noctem adluſum puto a Titinnio veteri Poeta, cujus haec apud eumdem Nonium: *Quod ea paraſitus habeat, quae illum ſciat delicere, & noctem facere de die.* Proſtibulum vero inhoneſtioris eſt appellationis; quae & Proſtibula dicitur. Ea enim tam nocte, quam die vulgo vagatur. Plautus *Ciſtellaria: in fragm.*

Intro ad bonam meretricem: aſtat ea in via ſola.
Proſtibula ſane eſt.

Sed eo quoque nomine videntur apud veteres meretrices a Proſtibulis fuiſſe ſegregatae, quia illae in aedibus ab aedile ſemotis ſubigebantur, neque ſe publice proſtituebant; haec autem palam & ubivis. Hinc Propudia dicta, de qua voce Feſtus. Stabulum autem priſcis non tantum ἱπποστάσιον dictum opinor: ſed quodcunque ganeum, diverſorium, cauponium. Gloſſarium, *ſtabulum* πανδοχεῖον; πανδοχεὺς *Diverſoriarius, ſtabularius, caupo.* Et ſic Theophilus vertit §. *penult. Inſtit. de obligat. ex quaſi delict.* Utuntur hac voce Seneca, Tertullianus, Apulejus, Petronius, alii. Ceterum aliis & variis nominibus appellatae olim Meretrices, Lupae, Lupinaria, Scorta, Scraptae, Scrupedae & aliae. Item Ambubajae & Submoenianae. Martial. *lib.* 3. *Epigr.* 82.

Convivà quiſquis Zoili poteſt eſſe,
Summoenianas coenet inter uxores.

Libr. 12. *Epigr.* 32.

Nec plena turpi matris olla reſina
Summoenianae qua pilantur uxores.

Si a locis Graecorum quoque meretrices nominatae. Erat locus Athenis, Ceramicus nobile ſcortorum diverſorium, qui κασαλβὰς dicebatur, quam Alexander Neapolitanus vitioſe Caſalvadem, an Caſalvium ſcribit *lib.* 4. *cap.* 8. Heſychius: Κασαλβάς, πόρνη αἰσχροποιὸς ἀπὸ τοῦ καλεῖν καὶ ὀβελόν. Idem Heſychius: Κατωνάκαι ὅπου ἐφ' ὧν αἱ ἑταῖραι ἐκαθίζοντο, ἔθεν καὶ τὰς πόρνας καταναγίδας ἔλεγον. Κατώγειον pro Lupanari poſuit etiam Ariſtophanes *Equitib. v.* 1282.

Ἐν κατωγείοις λείχων τὴν ἀπόπτυστον δρόσον

Dictae etiam κατωρίδες meretrices. Heſychius: Καταῦσα, κατωρὰς πόρνη. Recte dixit ibi Heſychius, ἐκαθίζοντο, quia quaedam etiam ſedebant. Unde Proſedae apud Plautum in *Poenulo*. Tertull. *de cultu foem. Thamar illa, quia ſe expinxerat, idcirco, juſtae ſuſpicioni viſa eſt quaeſtui ſedere.* Quaedam a veſtimentis & habitu nomina invenerunt, ut λαικάστρια ab indecoro habitu. Utebantur Meretrices veſte brevi, ut a matronis dignoſcerentur: itaque nudi pedes, oculis erant oſtenti: imo prorſus etiam denudabantur. Tacitus *Annal.* 15. *cap.* 37. *Scorta viſebantur nudis corporibus, capillis etiam ſolutis erant, nec vitta coërcitis, quo magis & ii conſpicerentur.* Nam infecti erant & flavi. Servius autem *lib.* 4. *Aeneid.* ſe vel tunica ſe operiebant. Varro Meleagro:

Cum etiam Thais Menandri tunicam demiſſam habeat.

Nonius: *Meretrices apud veteres ſuccinctiore veſte utebantur.* Affranius Excepto: *Meretrix cum veſte longa peregrino in loco tutandi cauſa ſumere.* Petronius *cap.* 7. *Video quoſdam inter titulos: nudaſque meretrices.* Plautus & *Schoenicolas* dictitavit, a ſchoeno unguenti genere. Varro *lib* 6. *de ling. lat. Schoenicolae a Schoeno nugatorio unguento.* Ita eas Plautus in *Poenulo* vocavit. Et eadem Comoedia: *Act.* 1 *ſc.* 2. *v.* 53.

—— ante ibi vis inter iſtas verſarier
Proſedas, piſtorum amicas, reliquias, alicarias
Miſeras, coeno oblitas, ſervilicolas ſordidas.

Ubi legendum recte monet Lambinus, *Schoeno oblitas.* Diobolares autem a mercede dictae, quia binis obolis erant contentae. Plautus *Poenulo Act.* 1. *ſc.* 2. *v.* 58. *Servulorum ſordidulorum ſcorta diobolaria:* quem verſum ingenioſe ſic interpretatus Joſ. Scaliger in *Conjectaneis:*

Δουλαρίων ὀπωρῶν καταλῶδες διωβολάρια.

Contra erant meretrices, quae non parvo pretio ſe ſubſternebant, quas Graeci πολύμισθοι vocant, qualis fuit ſcortum illud Corinthium Lais, & qualis videri vult quaedam apud Pacuvium.

—— —— —— non ego ita fui,
Ut nunc ſunt meretrices diobolares, ſuam
Quae nimi cauſa parvipendunt gratiam.

Corallari vicem adſcribo, raro meretricem cum pediſſequa prodiiſſe; virgines autem numquam ſine comite. Murrhina apud Plautum in *Caſina Act.* 2. *ſc.* 2. *v.* 1.

Sequimini comites in proximum me huc.

Alibi ſaepe. Naevius Danaë:

Subito famam tollunt, ſi quam ſolam videre in via.

Plautus *Ciſtellaria, in fragm.*

—— aſtat ea in via ſola,
Proſtibula ſane eſt.

Quadrantaria apud Quintilianum *lib.* 8. *cap.* 6. legitur, quae quadrantem meret.

CAPUT IX.

Lite cadere & cauſa cadere, pro eodem accipiuntur.

FEſtus, aut potius Paullus ſcribit: *Liti cecidiſſe dicitur, qui ejus rei, de qua agebat, cauſſam amiſit.* ubi primo loco notandum ἀρχαϊσμόν. *Liti* pro *Lite.* Deinde non vereor affirmare, *Lite cadere*, eſſe cauſa cadere: quod, quid ſit, explicat Juſtinianus §. 33. *Inſtit. de Action. Si quis agens, intentione ſua plus complexus fuerit, quam ad eum pertineat, a cauſa cadebat*, id eſt, *rem amittebat.* Rem Juſtinianus nihil aliud quam litem ſive actionem appellat: ut *Res comperendinata* judicium in tertium diem conſtitutum. Varro *lib.* 6. *de lingua Lat. Quam rem ſive litem dicere oportet.* Auſonius, in *Monoſyllabis Edyll.* 12.

Imperium, litem, Venerem cur una notat Res?

Sic Ulpianus *l.* 8. § 1. *ff. de inoff. teſtam.* Porro Lis & Cauſſa ſaepe idem ſignificant. Auſonius in *Monoſyllabis, Edyll.* 12.

Quis cum lis fuerit numaria, quis dabitur? Praeſ.

Quae & nummaria cauſſa dicitur, & Nummaria ſive Pecuniaria. Gloſſae vet. χρηματικὴ, *Pecuniaria, nummaria, civilis cauſſa.* Quod autem veteres dixere, Lite vel cauſſa cadere, id recentiores *Formula cadere* pronunciant. Suetonius in *Claudio c.* 14. *Nec ſemper praeſcripta legum ſecutus duritiam lenitatemque multarum ex*

Digitized by Google

ficare videatur, quod actio. Sic accipi eam puto debere, apud Arnobium ſanctiſſimum & graviſſimum ſcriptorem *lib.* 4. *Magiſtratum in ordinem redigere; Senatorem aut convitio proſequi, ſuis eſſe decreſtis periculoſiſſimum poenis. Carmen malum conſcribere, quo fama alterius coinquinetur & vita, decemviralibus ſcitis evadere noluiſtis impune: ac ne veſtras aures convicio aliquis petulantiore pulſaret, de atrocibus formulas conſtituiſtis injuriis.*

CAPUT X.

De Germanorum potu. De cereviſia & ejus ſpeciebus.

Non hodie aut heri Germani noſtri bibaces. Olim etiam fuere. Tacitus de illis (*de morib. Germ. cap.* 22.) *Diem noctemque continuare potando, nulli probrum.* Quei tamen ſe inebriaverint, quaero? Vinone? At Germania illa vetus non in agri, non in vini cultione dedita; quippe in qua nil niſi Mars colebatur. Idem Cornelius *Ibid. cap.* 26. *Hiems & ver & aeſtas intellectum ac vocabula habent: autumni perinde nomen ac bona ignorantur.* Uſos tamen vino fuiſſe ſatis declarat idem rerum Germanorum egregius illuſtrator *cap.* 22. *Crebrae inter violentos rixae.* Et poſtea *cap.* 23. *Proximi ripae & vinum mercantur.* Vino igitur advectitio utebantur: ſed rarius, quam cereviſia, quam propriam fuiſſe Germanorum ſive Gallorum, ut celia ſive ceria Hiſpanorum, Zythum Aegyptiorum, ſcribit Plinius *lib.* 22. *cap.* 25. Quod & de Zytho Theophraſtum ſcribere in *lib.* 6. *Plantarum* teſtatur Jul. Scaliger *Exercit.* 87. Zythum tamen idem cum Germanorum & Gallorum cereviſia fuiſſe non dubito. Nam Zythum ex hordeo Dioſcorides quoque conficit. De potu autem Germanorum Tacitus ita ſcribit *cap.* 23. *Potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam ſimilitudinem vini corruptus.* Excepto tantum quod lupuli non meminit Dioſcorides, quo neſcio an veteres quoque Germani, ut hodie fit, hordeum maceraverint. Heſychius talem potum βρύτον appellat. βρύτον inquit πόμα κρίθινον. Athenaeus βρῦτον. Ariſtoteles πεῖ μέθης, πῖνον. Iſidorus autem omnem potum, qui inebriat, praeter vinum ſiceram appellatum fuiſſe ſcribit *lib.* 20. *cap.* 3. *Sicera*, inquit, *eſt omnis potio, quae extra vinum inebriare poteſt, cujus licet nomen Hebraeum ſit, tamen latium ſonat, pro eo, quod ex ſucco frumenti, vel pomorum conficiatur, aut palmarum fructus in liquorem exprimatur, coctiſque frugibus aqua pinguior, quaſi ſuccus colatur: & ipſa potio ſicera nuncupatur.* Item de cereviſia ſcribit in hunc modum: *Cereviſia a Cerere*, id eſt, *fruge vocata. Eſt enim potio ex ſeminibus frumenti vario modo confecta.* Ibidem de Celia: *Celia a calefaciendo appellata. Eſt enim potio ex ſucco tritici per artem confecta. Suſcitatur enim igne illa vis germinis madefactae frugis, ac deinde ſiccatur & poſt in farinam molli ſucco admiſcetur, quo fermentato ſapor auſteritatis & calor ebrietatis adjicitur, quae fit in partibus Hiſpaniae, cujus ferax vini locus non eſt.*

Quis primus auctor in Germania vitium propagandarum fuerit, non puto ſciri: imo ne illud quidem mihi conſtat, quo tempore primum has quoque regiones Baccho placuerit luſtrare. Sed monſtrat viam ad indagandum Eutropius *lib.* 9. *in Probo: Quoſdam Imperium uſurpare conatos, ſcilicet Saturninum in Oriente, Proculum in Bonoſum Agrippinae certaminibus oppreſſit: Vineas Gallos & Pannonios habere* nam conſitarum *Edyll.* 10. *vſ.* 152.

Inducunt aliam ſpectacula vitea pompam,
Sollicitantque vagos Baccheia munera viſus,
Qua ſublimis apex longo ſuper ardua tractu
Et rupes & aprica jugi, flexuſque ſinuſque
Vitibus aſſurgunt naturalique theatro.

Et poſt *vſ.* 160.

Sic ubi flaventem pingunt vinea Garumnam.

Mox de *Moſella: vſ.* 190.

—— frondere videntur
Fluminei latices, & palmite conſitus amnis.
Quis color ille vadis, ſeras cum protulit umbras
Heſperus & viridi perfundit monte Moſellam?
Tota natant criſpis juga motibus: & tremit abſens
Pampinus & vitreis vindemia turget in undis:
Adnumerat virides deriſus navita vites.

Haec cum Auſonius de Gallia ſcriberet, non admodum adhuc vitiferam fuiſſe puto Germaniam, cum paucis ante lapſis annis cereviſiam Teutonicam exagitet arguto & lepido Epigrammate Julianus Imperator. Neque enim tam de Gallis, quam Germanis τοὺς κέλτας, quorum ibi meminit, accipio:

Ἰουλιανοῦ βασιλέως εἰς οἶνον ἀπὸ κριθῆς.

Τίς, πόθεν εἶς Διόνυσε; μὰ γὰρ τὸν ἀληθέα Βάκχον
οὔ σ' ἐπιγιγνώσκω. τὸν Διὸς οἶδα μόνον.
Κεῖνος, νέκταρ ὄδωδε. σὺ δὲ, τράγου, ἦ ῥά σε Κελτοὶ
Τῇ πενίῃ βοτρύων τεῦξαν ἀπ' ἀσταχύων,
Τῷ, σε χρὴ καλέειν Δημήτριον, οὐ Διόνυσον,
Πυρογενῆ μᾶλλον, καὶ Βρόμον, οὐ Βρόμιον.

Hoc Epigramma cum ejuſmodi ſit, ut ejus elegantia & argutia vix totidem verſibus Latinis includi poſſit, paullo licentius in eo vertendo ſum evagatus:

Bacche, quis? Unde domo? Per verum denique Bacchum
Te rogo & obteſtor, dic mihi Bacche, quis es?
Dic mihi Bacche quis es? Nam te non, hercule, novi:
Unicus eſt notus filius ille Jovis.
Nectaris ille mere fragrantes ſpirat odores:
Alarum peſtem tu gravis hircus oles.
Dic mihi Bacche, quis es? Nam te ſub imagine Bacchi,
Celta ſuo finxit vitis egenus agro?
Non equidem mihi Bacchus eris, cum ſis Cerere ortus:
Teque ego nec Bromium dico, quid ergo? Bromum.

Sed hoc Hexaſtichon Laurentius quoque Rhodomannus V. Cl. mihique amiciſſimus eleganter ſic vertit:

Bacche quis? Unde venis? Ita amet me verus Iacchus,
Non ego te, natum ſed modo noſco Jovis.
Hic mihi nectar olet: tu hircum. Nam forſitan uva
Indigus e ſpicis te ſibi Celta coquit?
Ergo non Bacchi, Cereris ſed nomine gaude;
Culmigena eſto Bromus; Vitigena haud Bromius.

CAPUT XI.

Veterum Medicorum ſectae. Clinici, περιοδευταὶ circitores. Praecantrices. Chirurgi.

Non tantum Theologi, ſed Jureconſulti quoque & Medici ſuas haereſes & ſectas habent. Quis neſcit in jure Proculianos & Sabinianos? De Medicis Iſidorus *lib.* 4. *cap.* 4. *Itaque tres viri totidem haereſes invenerunt. Prima Methodica inventa eſt ab*

Digitized by Google

poru, nec aetates, nec cauſſas, ſed ſolas morborum ſubſtantias. Hanc triplicem Medicorum ſectam Auſonius quoque ingenioſiſſimus ille, non praeterivit, in gripho numeri ternarii: *Edyll.* 11. *vſ.* 67.

—— triplex quoque forma medendi
Quae Logos & Methodos, cuique Experientia nomen.

Addit ibidem triplex illud Medicorum munus *Servare, cavere, mederi.* quae triplex curatio ὑγιεινὴ, προφυλακτικὴ, θεραπευτικὴ graece dici poſſit. Auſonio concinit Q. quoque Serenus Sammonicus, in carmine *de re medica*,

Quod Logos, aut Methodus, ſimplexque Empirica pangit,
Hoc liber iſte tenet, diverſo e dogmate ſumtum.

Etiam Cornelius Celſus *praefat. lib.* 1. tres medicinae partes facit; unam quae victu, alteram quae medicamentis, tertiam quae manu medetur. Et *lib.* 5. *praefat.* ſic ſcribit: *Illud ante omnia ſcire convenit, quod omnes medicinae partes ita innexae ſunt, ut ex toto ſeparari non poſſint, ſed ab eo nomen trahant, a quo plurimum petunt. Ergo & illa, quae victu curat, aliquando medicamentum adhibet, & illa quae praecipue medicamentis pugnat, adhibere etiam rationem victus debet, quae multum admodum in malis corporis proficit.* Graeci διαιτητικὴν, φαρμακευτικὴν, χειρουργικὴν appellant. Διαιτητικὴ cum vetere illa Logica convenit. & a D. Hieronymo δόγμα appellatur. Hieron. ad Paulinum: *Taceo de Medicis, quorum ſcientia mortalibus utiliſſima eſt, & in tres partes ſcinditur:* τὸ δόγμα, τὴν μέθοδον, τὴν ἐμπειρίαν. Sed & alii ſunt, qui ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον λόγον & μέθοδον pro eodem habent. Philo: τὸ χεῖρον τοῦ κρείττονος ἐπιλέλησθαι. Καθάπερ ἐν ἰατρικῇ τινὲς μὲν θεραπεύειν εἰδότες πάντα σχεδὸν πάθη καὶ νοσήματα καὶ ἀῤῥωστήματα, λόγον οὐδενὸς αὐτῶν οὔτ' ἀληθῆ, οὔτ' εἰκότα ἀποδοῦναι δύνανται οὐδ' ἔμπαλιν περὶ λόγους εἰσὶ δεινοί, σημείων καὶ αἰτίων καὶ θεραπείας, ἐξ ὧν ἥ τε σύστασις, ἑρμηνεῦσαι ἄριστοι. τὰ δὲ περὶ καμνόντων ἐπιμέλειαν σωμάτων φαυλότατοι πρὸς ἴασιν οὐδὲ τὸ μικρότατον παρασχεῖν ἱκανοί. τὸν αὐτὸν τρόπον οἱ μὲν τὸ δι' ἔργων ἀσκηταὶ σοφίας πολλάκις λόγων ἠμέλησαν· οἱ δὲ τὰς ἐν λόγῳ τέχνας ἀναδιδαχθέντες οὐδὲν ἐν ψυχῇ καλὸν παίδευμα ἐθησαυρίσαντο. Quoem locum non dubitavit mihi ex locupletiſſimis ſuis theſauris προαιρετικῶς καὶ κοινωνικῶς vir Clariſſ. Cunradus Rittershuſius Juriſconſultus amicus meus: de cujus viri probitate & eruditione ſumma, numquam ſatis ut meretur, aut dixi aut dicere potero. Φαρμακευτικὴ Methodica eſt, quae circa medicamenta, carmina & incantationes verſabatur, cujus etiam Plinius meminit. Nam hanc quoque medendi rationem ut antiquiſſimam, ita uſitatiſſimam olim fuiſſe nemini dubium. Poſtea tamen Romae ejuſmodi medicinae ſuſpectae & inviſae. Eas tractabant fere mulieres, quae *Praecantrices* appellatae. Gloſſae: ἐπᾴδω, *incanto, praecanto.* ἐπῳδὴ, *Praecantatio.* Varro de lib. educand. *Quod faciunt pleraeque ut adhibeant praecantrices, nec medico oſtendunt.* Plinius duas ſuperiores Clinicen appellat *lib.* 29. *cap.* 1. Idem dicit, Hippocratem inſtituiſſe medicinam eam, quae Clinice vocatur. Hinc Clinici Medici dicuntur, quia aegrotos in lectulis cubantes viſitant. De Clinico elegans jocus Martialis *lib.* 4. *Epigr.* 9. & *lib.* 1. *Epigr.* 31.

Chirurgus fuerat, nunc eſt Veſpillo Diaulus:
Coepit, quo poterat, Clinicus eſſe, modo.

do aegrotos. Excerpta vet. Gloſ. titulo DE MEDICINA. *Circitura*, περιοδία. Et Lexic. Graecolat. περιοδευτὴς *Circitor.* Hos Modeſtinus etiam περιοδευτὰς appellat & Circulatores *l.* 6. *ff. de Excuſat:* Ubi non conſentio doctiſſ. Gothofredo, qui potius ἀγοραίους dicendum fuiſſe, quam περιοδευτὰς affirmat. Non enim Modeſtinus de circumforaneis illis agyrtis & aretalogis loquitur, ſed de Clinicis, & qui domatim, ut ſic dicam, aegrotos curant, cum quibus etiam nihil commune eſt illis Circulatoribus & περιοδευταί: in *l.* 49. §. 9. *C. de Epiſcop. & Cleric.* qui ut Zonaras ait, ἐκ τοῦ περιέρχεσθαι, καὶ καταρτίζειν τὰς πίστεις dicuntur. De noſtris Clinicis aut Circitoribus agit Theodoricus *lib.* 6. *Epiſt.* 19. apud Caſſiodorum. De Chirurgis certum eſt, illos quoque Medicorum titulo & dignitate ornari. Ulpian. *l.* 4. *infra. ff. ad l. Sicar. l. qua actione* 7. §. *ult ad l. Aquil. & Inſtitut. de l. Aquil. & titul.* 5. *libr.* 4. *Inſtit. l.* 6. *ſicuti.* 7. *ff. de off. praeſ. Chirurgus* dictus, quod manuum opera medeatur. Iſidor. *lib.* 4. *cap.* 9. Heſychius χειρουργεῖ· χερσὶν ἐργάζεται. Verbum ἐργάζεσθαι in hac ſignificatione frequens. Hinc ἐργαζόμενοι apud Lucam in *actis Apoſt. cap.* 9. quos eoſdem eſſe puto cum Clinicis, de quibus ſupra. Gloſſae veteres Chirurgum *Vulnerarium* exponunt.

CAPUT XII.

Cur Juſtinianus dixerit Cajus noſter.

Juſtinianus *Proemio Inſtit.* §. 6. inquit: *Quas ex omnibus antiquorum inſtitutionibus & praecipue ex commentariis Caji noſtri &c.* Cur Imperator Cajum Juriſconſultum, quem ſub Adriano vixiſſe conſtat, familiariſſimo vocabulo appellat *Noſtrum*? Hotomannus quaſi in re obſcura valde fluctuat. Cujacius hanc rationem eſſe ſcribit, quia eo autore praecipue uſus ſit. Quod ego non contemno, ut nec rationes Hotomanni. Poſſum & illos ferre, qui ex amore, quo Caji memoriam proſecutus fuerit Imperator, *τὸ noſtrum* interpretantur. Solebant enim Latini *noſtros* vocare, quos amoris & blandimenti cauſſa appellabant. Plautus in *Milit. Act.* 3. *ſc.* 3. *vſ.* 25.

—— heus noſter eſto.

Sed & illos *Noſtros* vocitabant, quos in familia aut diſciplina habebant, quod illi noſſe poſſunt, qui Plautum legêre. Ex hac loquendi formula vocabulum iſtud primitus in ſuam quaſi familiam & ſectam Juriſconſultos traxiſſe ſcilicet. Quoties enim Paullus & Tribonianus dicere ſolet *Scaevola noſter*? Quod & Pomponius facit *l. penult. ff. de ſtip. ſerv.* Nec tacebo in notis veteribus optimae notae, quae Val. Probo adſcribuntur C. N. diſerte exponi *Cujus noſter.* Cur igitur & hoc loco & alibi *Cajum noſtrum* vocitet Juſtinianus, ratio haec videtur eſſe certiſſima, quia ipſe quoque Jureconſulti non tantum auctoritatem & dignitatem, ſed & nomen aperte venatur. Unde *Juris religioſiſſimum* ſe dicit. & *l. ult. C. de leg.* meram ſibi juris interpretationem adſcribit. Quod ſane facere cujus eſt, niſi Jureconſulti?

CAPUT XIII.

Proclamare. Porro Quirites.

Ulpianus *l.* 4. §. *Idem divus* 2. *ff. ad leg. Cornel. de ſic.* ita ſcribit: *Plane ſi ipſi, qui hanc injuriam paſſi ſunt,*

quod *Quiritare* illi dicebant. Varro *lib.* 5. *de ling. Lat.* *Quiritare dicitur is, qui Quiritium fidem clamans implorat.* Nonius. *Quiritare eſt clamare, tractum ab iis qui Quirites invocant.* Lucillius *Sat. lib.* 6.

Hic inquam rudet e roſtris atque ejulitabat
Concurſans velut angarius clareque Quiritans.

Clamabant Porro Quirites, hoc eſt, proh Quiritum, proh Romani Pop. fidem! Ea enim ſignificatio heic germana verbi hujus. Tertullianus *adverſus Valentinianos cap.* 14. *Ut etiam inclamarit, quaſi Porro Quirites, aut fidem Caeſaris.* Itaque hunc locum eſſe legendum, docuit olim Turnebum miraculum illud Jureconſulti Jac. Cujacius. Sed in quibuſdam Tertulliani Codicibus hoc modo excuſum eſt: *Ut etiam inclamarit* ἰὼ ἰὼ quaſi *Porro Quirites &c.* quod non omitti debere cenſebam. Ab ἰὼ enim vel ἰὼ formatur verbum *Jubilare.* De quo Varro *Jubilare Ruſticorum eſt: Quiritare Urbanorum, id eſt*, Romanorum. Auctor obſcoeni carminis: Porro (*nam quis erit modus?*) *Quirites* Laberius: *Porro Quirites libertatem perdimus.* Igitur *Proclamare* pro Quiritare poſuit Ulpianus. Sic Petronius *cap.* 9. *Cum ego proclamarem, gladium ſtrinxit.* Ideo vero *proclamare* non *quiritare* dicebant poſterioribus temporibus, quia Reſpublica mutata: & ſicut olim libera Repub. fidem Pop. Rom. implorabant, ita ſub Imperatoribus Caeſaris, itaque cum ſtatu rerum immutata vocabula. Clamor iſte ſeu imploratio etiam talis erat: Caesar, ô Caesar! Lucianus ἐπεὶ δὲ πολλάκις ὦ Καῖσαρ, ἀναβοῆσαι ἐπεθύμουν ἢ ἐγκαλεῖν, καὶ τὸ μὲν ὦ ἰδοὺ, τὸ δὲ Καῖσαρ οὐκ ἐπεκαλεῖσθαι. Sed haec nota ex Auguſtino, Tertulliano & aliis. Immo ex Briſſonii *formularum lib.* 8. cujus ſcrinia compilare non eſt meum. Habuerunt & Chriſtiani proclamandi talem formulam, ô Deus! Arnobius *lib.* 2. *diſputat. adverſus Gentes: Du verum judicium: & haec omnia circumſpiciens, quae videmus, magis an ſint dii ceteri dubitabis, quam in deo cunctabitur, quem eſſe omnes naturaliter ſcimus: ſive cum exclamamus ô Deus, ſive cum illum teſtem conſtituimus improborum, & quaſi nos cernat, faciem ſublevamus ad coelum.*

CAPUT XIV.

De fullonibus.

Crebra fullonum mentio in Jure noſtro: nimirum quia id genus artificum referta olim Roma. Eorum id negotium, ut veſtimenta, togas puta, polirent & curarent. His enim verbis utuntur Jureconſulti. ſic §. 1. *Inſtit. de locat. & conduct. Qua de cauſſa ſi fullo: polienda curandave.* quamquam Ulpianus dixit *Lavare l.* 2. *ff. de condit. ſine cauſſ.* Polire γνάφειν Graeci dicunt. unde γναφεὺς Politor, fullo. Curator λευκαντὴς ſive, ut exponit Theophilus § *ult. mandat.* & §. *item ſi fullo* 15. *de oblig. quae ex delict. naſc.* Varro *lib.* 5. *de ling. lat. Apud fullonem veſtimentum cum cogitur, conciliari dicitur.* a ciliis puto, quae Graecis κιλίκια. eſtque conciliare, quod iſtis συμπιλεῖν, πιλεῖν, καὶ συμπατεῖσθαι, ut Scaliger monet. Non poenitet ſupra ſcripſiſſe de togis, quas ut plurimum fullonibus poliendas fuiſſe datas exiſtimo. eas Jureconſulti *veſtimenta* vocant. Graecanice. Graeci enim τὸ ἱμάτιον pro pallio aut toga ſollemniter uſurpant. Hinc Plutarchus vitam togatam ſive pacificam τὸν ἐν ἱματίῳ βίον poſuit *in Pompejo & Camillo.* Ad poliendum creta utebantur. Iſidorus *lib.* 16. *cap.* 1. *Creta cimolia candida eſt. a Cimaea Italiae Inſula dicta: quarum altera veſtimentorum precioſos colores emollit: & confricato ſulfure, quodam nitore exhilarat: altera gemmis nitorem praeſtat.* Expreſſius tamen Plinius *lib.* 35. *cap.* 17. *Primum nitore exhilarat* [illegible] ex quo ſumſit Iſidorus. Geminus igitur uſus cretae. una ſordes eluebantur, altera candor ſive nitor veſti inducebatur. Titinnius *Fullonibus:*

—— terra haec nova eſt
Qua ubi tu ſolitus pedibus argutarier,
Dum compeſcis cretam & veſtimenta eluis.

Eleganter pedibus argutari dicit fullonem, quia pedibus ſubagitat pannos. Hinc *Saltus fullonius.* Seneca *Epiſt.* 15. *Curſor & cum aliquo pondere manus motae: & ſaltus vel ille qui in altum corpus levat: vel ille qui in longum mittit: vel ille, ut ita dicam, ſaliaris: vel ut contumelioſius dicam, Fullonius.* Sordes eluebant macerando veſtes creta, quaſi hodie ſolent coriarii pelles alia & non ignota materia. Itaque fullonibus non ſecus, ac iis, qui corium emolliunt ac praeparant, opus aquae vi, aut praeterfluente rivulo. Qua de cauſſa aptius in fundis fullonicae collocantur. Ulpianus *lib.* 53. *ad edictum: l.* 3 *ff. de aqua & aq. pluv. arc. Apud Trebatium relatum eſt, eum, in cujus fundo aqua oritur, fullonicam circa fontem inſtituiſſe, & ex hic aquam in fundum vicini immittere coepiſſe.* Fallor & eam ob cauſſam id factum, quia in fullonicis teterrimus odor, ideoque ingratae iſtae officinae Romae. Sane qui peſſimum iſtum odorem perferre poterat, dicebatur in proverbio, Fullonicam didiciſſe. Plaut. *Aſinaria: Act.* 5. *ſc.* 2. *vſ.* 57.

Art. *Non queo durare.*
Pa. *Si non didiciſti fullonicam:*
Non eſt mirandum.

Martialis *lib.* 6. *Epigr.* 93.

Tam male Thais olet, quam non fullonis avari
Teſta vetus, media ſed modo fracta via.

Nec pedibus tantum ſubigebant pannos, ſed & pila tundebant. Cujus pilae meminit Cato *libro decimo*, quaſi fuerint quaedam molae fullonicae, ut hodie illae, in quibus charta conficitur. A crebra autem ſubagitatione pannorum nata fullonum verbi obſcoenitas. Plautus *Pſeudolo*, ubi puer inquit *Act.* 3. *ſc.* 1. *v.* 15.

Nunc niſi lenoni munus hodie miſero
Cras mihi potandus fructus eſt fullonius.

ubi cum Paſſeratio tamen emendem *fluctus.* Naevius apud Priſcian. *Quando ego plus ſapivi, qui fullonem compreſſi quinquadribus.* Argumento etiam ſunt veterum Comoediarum inſcriptiones. Citatur Laberii Fullo ab Agellio *lib.* 16. *c.* 7. Et Titinnii Fullones a Nonio paſſim. Adeo fullonum nomen celebre fuit, ut eo Apuſtiorum familia inſigniretur, teſte Livio & antiquis lapidum monumentis. Huc facit jocus ille apud Macrobium *lib.* 8. *c.* 11. *Miror meam ſororem habere Maculam, cum habeat Fullonem.* De fullonibus denique peculiaris lex lata fuit, de qua Plinius *lib.* 35. *c.* 17. *Cum lex Metella exſtet fullonibus dicta. quam C. Flaminius & L. Aemilius cenſores dedere ad populum ferendum.*

CAPUT XV.

Mulier liberis honorata. Cujacii emendatio confirmata: Hotomanni opinio item.

Jus trium liberorum non tantum viris, ſed feminis quoque favebat; viris quidem propter πολυπαιδίαν teſte Cornelio Tacito *lib.* 15. feminis honoris cauſſa: iis enim honori maximo fecunditas & corona liberorum. Quare & matres *liberis honorari* dicuntur, *Inſtit.* §. 3. *de Senatuſconſulto Tertull. Sed ſi fuerant frater & ſoror conſanguinei & mater liberis honorata.* Sic enim legendum eſſe, non *onerata*, recte monet Cujacius *in not.* ad Ulpian. *tit.* 29. ubi ſic loquitur Ulpianus: *Sed poſtea lex Papia patro-*

re. Iſque honor tributus olim feminis fuit indulgentia Praetoris: qui poſtea auxit ſub Claudio. Is enim ad ſolatium liberorum amiſſorum legitimam eorum hereditatem detulit: ubi argute Hotomannus, liberos bello amiſſos hariolatur intelligi; hariolatur inquam, non probat. Sed potuit ejus opinionem ſtabilire Agellius *lib. 2. cap. 15.* ſic ſcriptitans: *Sic capite ſeptimo legis Juliae primi ex conſulibus faſces ſumendi poteſtas ſit, non qui pluris annos natus eſt, ſed qui pluris liberos quam collega aut in ſua poteſtate habet, aut bello amiſit.* Quemadmodum autem liberorum (quod dicebam) copia matri eſt honeſta, ita eorundem egentia & ſterilitas magnum dedecus habebatur. Teſtatur D. Ambroſius in *Lucam*: *Erat deforme liberos non habere, quod etiam legum civilium fuit auctoritate multatum.*

CAPUT XVI.

Formula vetus Cave cave canem.

LEx Athenienſium fuit, quam Solon tulit, βλάβης τετραπόδων, in qua jubet etiam canem, qui momordiſſet quempiam, noxae dedi. Auctor Plutarchus in *Solone*. Legis autem illius verba exſtant apud Platonem *lib. 11. de Legib.* καὶ ἐὰν ὑποζύγιον, ἢ ἵππος, ἢ κύων, ἢ τι τῶν ἄλλων θρεμμάτων σίνηταί τι τῶν πέλας, κατὰ ταὐτὰ ἐκτινέτω τὴν βλάβην. Quam legem ut alias multas praeclare Romani imitati, in ſuas quoque aureas illas duodecim tabulas retulerunt. Itaque vetuerunt Aediles quoque Edicto, cujus verba Ulpianus *l. hi eum 40. ff. de Aedil. Edict.* refert, ne canem ibi haberemus, qua vulgo fit iter. Publice enim intereſt, ſine metu, ſine periculo per itinera commeari, *l. 1. §. ſumma 1. ff. de his qui effud.* Quare ſi quis qua vulgo iter fit, a cane laeſus fuerit, dominus canis actione noxali tenetur. Si vero vinctus canis fuerit & laeſerit, nulla in dominum actio competit, argumento *l. 2. ff. Si Quadrup.* Vinctos autem canes ad aedes habebant, ut ad tabernas quoque *d. l. 2.* Januae igitur aut parietes inſcribebantur, ut caveret, ſi quis introïret. Inſcriptionis formula erat CAVE CAVE CANEM. Petronius Arbiter *cap. 29.* *Ad ſiniſtram enim intrantibus non longe ab hoſtiarii cella, canis ingens catbena vinctus, in pariete erat pictus, ſuperque quadrata littera ſcriptum* CAVE. CAVE. CANEM. Varro Eumenidibus: *Quod hodie mea eſt praebitio, in janua* CAVE. CAVE. CANEM. *inſcribi jubeo.* Is canis a Jureconſultis *Vinctus* dicitur, quem Graeci δέσμιον ſive ἐκκυρὸν vocant. Sed duplicis generis fuiſſe canes vinctos docet Artemidorus *lib. 3.* τῶν μὲν κυνῶν οἱ μὲν ἐπὶ θύρας τρέφονται. οἱ δὲ ἐπὶ φυλακῇ τῶν κτημάτων, οὓς οἰκουροὺς καὶ δεσμίους λέγομεν. Gloſſae: Δέσμιος *Vinctus*. Caſſius apud Senecam *lib. 6. Controv.* *Si canem ad oſtium alligaſſes.* Hi canes oſtiarii dicuntur. Antipater:

— — — οὔτε θυρωρὸς
Ἐν ποσὶν οὔτι κύων ἐν προθύροις δέδεται.

Virgilius *Eclog. 8. v. 107.*

Neſcio quid certe eſt: & hylax in limine latrat.

Ariſtophanes in *Lyſiſtrata*: προσέγε μέντοι τὴν θύραν προσαγορεύων μὴ βαδίζειν τὴν ἐμὴν, ἀλλ' εὐλαβοῦ τὴν κύνα. quem locum huc adſcripſi ex *Adverſ.* Turneb. *lib. 15. cap. 4.* ubi male illud CAVE CAVE CANEM intellexiſſe videtur.

catholicas leges divulgaſſe; & ſi quae alia in ſpeciem pro iſto Quaeſtore & cancellario aſſerunt. Quos equidem veriſimilia dicere inficias ire nolim: nolim etiam ut veris aſſentiri. Quis enim vir ille fuit Tribonianus? Verſipellis, facundus, morum gratia & lepore mirabilis. Et tantis artibus hominem non ſimulare Chriſtianum, & tam ſimplici & inerudito, addo etiam ἀναλφαβήτῳ Juſtiniano glaucomam objicere potuiſſe? Non dicam manifeſta & exſtantia veſtigia Paganiſmi in Pandectis paſſim ab ipſo relicta: illud deteſtandae impietatis & adulationis indicium eſt, toties Imperatorem pientiſſimum oraculum indigitare, quaſi ab hoſtibus capta, aut in perpetuum religata eſſet vox *Principis*, aut *Principis reſcriptum*. Ecce ubi Cajus *l. 2. ff. de adopt.* pure & ſimpliciter ſcripſerat *Principem*, & alibi, *Principis reſcriptum*. iſte in *Inſtit. de adopt. §. illud proprium 11.* *Imperiale oraculum* ediſſerat. Sed & in *Cod.* plena oraculorum omnia, *l. 1. C. de mancipat. lib. 1. C. de ſacroſanct. Eccleſ. l. ult. C. de def. Civ. l. ſi quis ex grege 11. C. de cohort. l. digna vox 4. C. de leg.* Quod & Auſonius facit in gratiarum actionem. De Pliniis nihil dicam, quos hoc loco excuſat manifeſta impietas. Concludam Triboniani laudes elogio Heſychii: Τριβωνιανὸς πελαγίνων Ἰουστινιανὸν βασιλέα ἐπεῖθεν αὐτὸν ὅτι οὐκ ἀποθανεῖται ἀλλὰ μετὰ σαρκὸς εἰς οὐρανὸν ἀναληφθήσεται, ἦν δὲ ὁ Τριβωνιανὸς Ἕλλην καὶ ἄθεος.

CAPUT XVIII.

Feſti loca emendata.

NUſquam exſtare opinor, quod Feſtus ſcribit *dubienum*, apud veteres dominum fuiſſe appellatum. Neque id credidit Joſephus Scaliger, ſagaciſſimus veterum verborum indagator. Itaque legere tentavit: *dubienus apud antiquos dicebatur qui nunc dubius.* Atque alio quoque loco apud Feſtum non infeliciter emendavit: *Ad dubienum*: *addubium*: cum vulgo eſſet *Addubanum*, *danubium*. Mihi tamen in mentem ſemper fuit, priore loco ſic ſcripſiſſe Feſtum: *Dubinus apud antiquos dicebatur, qui nunc geminus.* Et veriſſimum hoc eſt. Veteres dicebant *duinus*, vel *dubinus* pro binus: ut *duonus* bonus; *duellum* bellum. In veteri Gloſſario *duelliones.* lege *dubelliones*. Non raro interjicitur littera *b* hoc modo duabus vocalibus. Veteres Gloſſae recte: *dubinus* διπλοῦς. non ut Scaliger emendat *dubienus*. Lexicon Graeco-lat. vetus: διπλοῦς *Geminus*. De *addubano* illo ajo mihi non liquere. Sed pellicior, ut ad alia quoque Feſti loca corrigenda me expediam. Quid enim? Totus ille (at nunc laceratus) Pompejus ex veterum Jureconſultorum libris quaſi cento conſutus: ſcribo autem ego πάρεργα Juris.

Auatem morbum anuum dicebant, id eſt, vetularum: ſicut ſenium morbum ſenum. Neſcio quae haec ſit anas. lego *Anitas*. Gloſſae *Antas* γηρεία. item *Antites* γηρείας. utrinque emendandum. *Anitas*, & *anitates*. Videtur autem Feſtus reſpexiſſe illud Terentii, *Ipſa ſenectus eſt morbus*, dum appellat morbum.

Anclabris menſa miniſteriis divinis apta. vaſa quoque aenea, quibus ſacerdotes utuntur, anclabria appellantur. Rectius videtur *Anclaris* & *anclaria*. niſi ſit ἀρχαϊσμὸς: ut *celebrare* pro celerare &c. Gloſſae veteres *Angla* ὄγκοι, τετράπεζαι τρίγωνοι. ubi ſcribitur angla, pro ancla. Eas menſas primum conſtituiſſe Numam, aut Romulum potius, vult Scaliger in *conjectaneis*.

tonius quoque Praeguſtatorum meminit, & ſaepe veteres inſcriptiones, & Arnobius.

Joviſtae compoſitum a Jove & juſtae. Haeret ipſe Scaliger, & amplius deliberandum cenſet. Subolet Paulli flagitium: & puto Feſtus ſcripſerat *Jouſta*, & quid eſſent Juſta declaraverat. Sic autem dicebant veteres pro Juſta, ut ſaepe in monumentis JOUS ESTO.

Jugum, ſub quo victi tranſibant, hoc modo fiebat: fixis duabus haſtis ſuper eas ligabatur tertia, ſub iis victos deſcinctos tranſire cogebant. Non nauci verbum eſt *deſcinctos*: lego *decinctos*, hoc eſt, exarmatos. Cincti autem milites dicuntur armati: hinc Procinctus, & in procinctu eſſe. Feſtus alibi: *Sub jugum mitti dicuntur hoſtes victi, ereptis omnibus armis teliſque &c.*

Juſſa, jura. Crediderim ſane veteres juſſa jura vocaſſe: cum jus a jubendo dicatur, ut erudite docet Jacobus Curtius Jureconſultus non ἐκ πολλῶν, ἱκανῶν *lib.* 1. *cap.* 1. Putarim tamen ſatius eſſe, *juſa* legere apud Feſtum. Sic alibi notavit *daſi* pro *dari. Pluſima, plurima* (non *pliſima*, ut vulgatur) item *majoſibus, melioſibus, laſibus, feſiis.*

In voce Quiſquiliae, citat Naevium Poëtam *Togularia:* ubi cenſeo legendum eſſe *Tegularia.* Tegularia quae dicatur docet Iſidorus in Gloſſis *Tegularia, malefica: eo quod ſupra tegulas ſacrificet.* In Graeco-latinis tamen gloſſis *tegularius* exponitur κεραμὸς. Fortean autem intelligit Iſidorus non tegulas aedificii, ſed illas ferales, quas *ſilices* appellari docet J. Douſa, vir nobiliſſ. ex Servio. Super illis ſilicibus aut tegulis eſcae mortuales ponebantur, vinum defundebatur, roſae ſpargebantur. Ovidius *lib.* 2. *Faſt. v.* 533.

Eſt honor & tumulis animas placare paternas.
Parvaque in [1] *exſtructas munera ferre pyras.*
Parva petunt manes, pietas pro divite grata eſt.
Munere, non avidos ſtyx habet ima deos.
Tegula [2] *porrectis ſatis eſt velata coronis,*
Et ſparſae fruges parvaque mica ſalis.

Satius tamen & procul dubio verius, de tegulis aedium accipi illud de tegularia. Agellius *lib* 10. *cap.* 12. *Caput & collum chamaeleontis ſi uratur ligno, quod appellatur robur imbres & tonitrus fieri derepente; idque ipſum uſuvenire, ſi jecur ejuſdem animalis in ſummis tegulis uratur.*

CAPUT XIX.

Deprehendere, *verbum nauticum & venatorium.*

DUbium non eſt, quin ſatis latine & eleganter depreſſa navis pro ſubmerſa dicatur, *l.* 6. & *l.* 7. *ff. de leg. Rhodia*, ubi Paullus ſic ſcribit: *Cum depreſſa navis aut dejecta eſſet.* Scribit tamen Junius Philargyrus ad illum Virgilii verſum *lib.* 4. *Georg. v.* 421.

Deprenſis olim ſtatio tutiſſima nautis.

Deprehendere, verbum proprie nauticum, cum tempeſtate occupantur. ſic alibi: Argolicove mari deprenſus. Quibus addo illud ex Catullo:

—— —— —— velut
Deprenſa navis in mari veſaniente vento.

Hoc igitur, quod ſcribit Philargyrus, movere quem poterat, ut legendum eſſe exiſtimaret apud Paullum & Julianum *deprenſa navis.* Sed hoc facere tamen eſſet in legem Annariam peccare. Non heic

Noverca prementi feras.

exploſo illo vulgato *Prandenti.* Idem alibi:

—— *vacuo deprendit in aëre praedam.*

Sidonius Apollinaris:

Inventas agitare feras, & fronte latentes
Quaerere, deprenſas modo claudere caſſibus arctis,
Nunc toto penetrare veru.

Poteſt tamen & vulgata lectio vindicari & placet Preſſores dici, qui agitant & inſequuntur feras. Virgilius *lib.* 3. *Georg. v.* 413.

Ingentem clamore premes ad retia cervum.

Iſidorus *Ibidem: Venator, quaſi venabulator, a venatione, qua beſtias premit.*

CAPUT XX.

Agellii loca emendata.

NOn ego in hiſce Parergis id operam do, ut multis, multorum more, verbis humidis & lapſantibus, ut ille ait, diffluam: ſed potius rerum tenuitatem, jejuno hoc ſtilo utcumque exaequare ſat habebo. *Quid enim eſt tam furioſum quam verborum vel optimorum atque ornatiſſimorum ſonitus inanis, nulla ſubjecta ſententia nec ſcientia?* inquit Cicero *lib.* 1. *de orat. cap.* 12. Hujusmodi meae jejunitatis ſpecimen do nunc, dum hos Agellii locos priſtinae ſanitati reſtituo. *Lib.* 2. *cap.* 19. *Quamquam ipſum* SCIRE *de omnibus communiter rebus dicatur vel adverſis, vel proſperis, vel exſpectatis.* Multis libris abeſſe video hoc verbum *Exſpectatis* & pro eo ſubſtitutum *Inſperatis:* ſed injuria & vi. Quae res exſpectatae dicantur, hoc loco facile conjiciet, qui illud Donati legerit. *Exſpectamus*, inquit, *ante diem: ſperamus ad diem.* Sed operae eſt integrum Donati locum illum conſiderare, ad illud Terentii *Adelph. Act.* 1. *ſc.* 2. *v.* 30.

Potius quam ibi te exſpectatum ejeciſſet foras.

Lib 4. *cap.* 3. *Atque is Carvilius traditur uxorem, quam demiſit, egregie dilexiſſe, cariſſimamque morum ejus gratiam habuiſſe.* Sic lego, non ut imprimitur *gratia. Morum gratia*, lepos eſt. Gloſſae *Lepos* χάρις ἐν ἀνθρώπῳ. *Lib.* 5. *cap.* 6. de corona ovali: *Ea utebantur Imperatores, qui ovantes introibant urbem. ovandi autem ac non triumphandi cauſſa eſt, cum aut bella non rite indicta, neque cum juſto hoſte geſta ſunt; aut hoſtium nomen humile & non idoneum eſt, ut ſervorum piratarumque; aut deditione repente facta, impulverea, ut dici ſolet, incruentaque victoria obvenit.* Nihili verbum eſt *Impulverea.* Lego *Inpulvere* junctim, ut in margine adnotatum. Eraſmus *in Adagiis* legit *ſine pulvere* craſſiore vitio. Eleganter igitur Agellius Impulverem victoriam appellat, quam Petronius *cap.* 15. paratam. In eadem re Graeci dicunt ἀκονιτί. Heſychius ἀκονιτὶ, ἀμαχητί. ἢ χωρὶς ἀγωνίσεως. Sic ἀνιδρωτὶ dicunt, ſine ſudore. Nam ſudor in re militari, ſollemni ſignificatu. Sic *ſudores bellicos* appellat Juſtinianus *Prooem. Inſtit.* Quem imitatur Theodoricus rex apud Caſſiod. *lib.* 2. *ep.* 28. *Sudores bellicos civica corona teſtatur. Lib.* 7. *cap.* 11. *Leves dixerunt, quos vulgo nunc viles & nullo honore dignos dicimus, & levitatem appellarunt, proinde quaſi lenitatem.* Legendum proculdubio, *Proinde quaſi vilitatem. Lib.* 9. *cap.* 12. verba Catonis: *Sed niſi qui palam corpore pecuniam quaereret, aut ſe lenoni locaviſſet, etſi famuloſus & ſuſpicioſus fuiſſet; vim in corpus liberum non aequum cenſuere afferri.* Quid eſt, famuloſus? Confidenter vitium tollo, & lego Fabuloſus. Ita dicitur is, de quo fabula ſeu fama diſſeminatur, hoc eſt, famoſus

[1] Cl. Burmannus *Extinctas.* [2] Idem *Projectis.*

extimatas. Lib. 11. *cap.* 7. *Vinumque cructum & foetidum potare.* Monſtroſum illud vinum. lego *vinumque crudum.* de quo alibi. *Cap.* 16. *Quemobrem cum diutule tacitus in cogitando fuiſſem.* Jungo & lego *incogitando.* Idem verbi memini reſtituiſſe Terentio. Utitur & Horatius. *Lib.* 12. *cap.* 4. *Ad hoc color quidam vetuſtatis in his verſibus tam reverendus.* In aliis editionibus pleriſque omnibus odor pro color ſcriptum exſtat. Neutrum Agellii eſt. quare reſtituendam cenſeo vocem priſcam olor pro odor. Gloſſarium *olor* πνοή, ὀσμή. Reperi eandem voculam in Apulejo bis aut ter poſitam. Arnobius *lib.* 2. *Amara ſunt elementa, vel dulcia, odoris ſunt alicujus vel oloris, ut ex eorum concretione credamus partitas eſſe, in naſcentibus qualitates.* Quaſi nepa, retro reciprocabo greſſum, & ex *libro* 2. nonnulla libabo. Quis enim heic ordo valde neceſſarius? *cap.* 2. *In publicis locis atque muneribus atque actionibus patrum jura cum filiorum, qui in magiſtratu ſunt poteſtatibus collata interquieſcere paullulum & connivere.* Dudum eſt cum emendare haec ſic ſum conatus: *qui in magiſtratu ſunt aut poteſtatibus &c.* Nunc vero gaudeo, ita quoque hunc locum legi apud Johannem Sarisberienſem in *Policratico*, qui auctor, quaſi pannoſum pallium, conſarcinatus eſt ex Agellio noſtro, & Valerio Maximo. *Lib. eod. cap.* 10. *Id eſſe cellas quasdam & ciſternas, quae in arcu ſub terru eſſent.* Lego, & legendum alibi monui, *ſubterrea.* Arnobius antiquae dictionis venator, *lib.* 7. *Quam ſuper htris pecudibus habetis, divisque ſubterreis.* Quamquam & *ſubterna* non diſplicet; cum *ſubternas ſedes* dixerit Prudentius contra Symmachum. *Lib.* 3. *cap.* 6. *Non deorſum palma cedit, nec intra flectitur.* Sarisberienſis habet *in terram* pro *intra:* neſcio quam bene. *Lib.* 5. *cap.* 10. *Euathlus adoleſcens dives, eloquentiae diſcendae cauſſarumque orandi cupiens.* Sarisberienſis rectius: *Cauſſasque orandi.* Ibidem: *Sic ab adoleſcente diſcipulo magiſter diſciplinae eloquentiae inclutas ſuo ſibi argumento confutatus eſt, & captionis verſute excogitatu fruſtratus fuit.* Sarisberienſis ſcriptura & heic minime tegenda: *& captionis verſute & cogitate fruſtratus fuit.* Magis autem fruſtratus fuit opinor ipſe Sarisberienſis, qui *lib.* 5. *cap.* 12. neſcio quem Pythagoram, pro Protagora nobis ſomniat, quem praeter Agellium refutat quoque Apulejus in *lib.* 3. *Florid.* Idem *eodem lib. cap.* 6. *Plutarchum in lib.* 8. *memorabilium* laudat, cum debuerit Sympoſiacorum dicere, teſte Agellio *lib.* 3. *cap.* 6. Sed quis omnia mendorum monſtra ex illo auctore tollat? Augiae ſtabulum eſt.

CAPUT XXI.

Induciarum etymon.

PLus eſſe Pacem, quam Inducias eleganter Plautus quoque obſervavit in *Amphitruone Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 232.

S. Obſecro ut per pacem liceat te alloqui, ut ne vapulem.

M. Immo induciae parumper fiant, ſi quid vis loqui.

Inducias non in bello tantum, ſed & in debitis uſitate dici in Jure, quivis vel dupondio minor, ſcit. Induciae tributi apud Caſſiodor. *Var. lib.* 12. *ep.* 3. Non placent mihi rationes, ſive veriverbia

Cic. 7. *in Verr. cap.* 4. *Ergo tum cum bello fugitivorum tota Italia arderet, C. Norbanus in ſummo otio fuit.* Sic in *Epiſt.* 17. *lib.* 2. *Famil. Si antea auditum erit otium eſſe in Syria.* Sint ergo induciae compoſitae, ut Indugredi, Induperator; Endoſeſtare, Endoplorare, qualiaque plura procudit antiquitas. *Noctium Atticarum* commentator; ceſſationem iſtam pactitiam ἐκεχειρίαν appellatam fuiſſe ſcribit, quod eo tempore non pugnetur & manus cohibeantur. Heſychius ἐκεχειρία, ἀργία, ἀνάπαυσις, ἀνοχή, φιλία. Elegans & metaphora eſt in voce ἀνακωχῆς, a re nautica. Gloſſae veteres: Induciae ἀνακωχαί. Heſych. ἀνακωχεύειν, ὅταν χειμῶνος ὄντος ἐν πελάγει στείλαντες τὰ ἄρμενα ἑαυτοὺς ἀνακωλύωσιν. Et ἀνακωχή, ἀναχώρησις διὰ τῶν νεῶν ἢ ἀνάπαυσις. Iſidorus ineptus alias in ejuſmodi originibus inveniendis, concinne ſcribit de hac voce, *lib.* 18. *cap.* 1. *Foederis partes induciae, & dictae quaſi in dies otia.* Fallor? an ab aliquo Figulo, Baſſo vel Labeone id habet? Varro in *lib. Rer. Human. Induciae ſunt pax caſtrenſis paucorum dierum.* Fors fuat, ut in mentem fuerint Varronis verba Iſidoro!

CAPUT XXII.

Cur Anteceſſores Ἀντικήνσωρες?

QUi & unde dicantur Anteceſſores multi docuere: at qui *Anticenſores* vel ἀντικήνσωρας, qua ratione dicantur, doceret, neminem vidi. Antecenſores aut ἀντικήνσωρες Alciatus *lib.* 3. *cap.* 12. a Cenſoribus conatur deducere, quod Cenſorum auctoritatem habuerint. Alciatum ſequitur (quod miror) Johannes Borcholdus, flos Germaniae. At mihi hac ſententia (Alciati, ſummi quidem viri, pace dixerim) nihil puerilius videtur. Corrupto corrupti ſaeculi more factum eſt, ut diceretur Ἀντικήνσωρ pro Anticeſſor. ut defenſus, deprenſus pro defeſſus, depreſſus, ſaepe in antiquis Codicibus. Nec mirum adeo hoc barbarici moris Graecos etiam invaſiſſe, qui raro etiam officiorum & dignitatum nomina Graece vertere audebant. Quod ſatis monſtrabit Curopalates. Frequens autem apud illos ſemibarbaros Graecos *ſ* in *n* mutatio, ubi *ſſ* ponendum erat. Lampridius in *Heliogabalo miſſum*, hoc eſt, ἀποφόρημα putide vocat μίσσον. Et Curopalata paſſim non dubitavit uſurpare μίσσος & μίσσα. Item Ἀσημίσσιος. Anti vero pro ante, in compoſitione haud abſurde ponitur; ut in *Anticipo, antiſto, antideo.* Gloſſae veteres: *Anticeſſor* προηγούμενος.

CAPUT XXIII.

Digeſta, Pandectae, Inſtitutiones, Quotidiana, Aurea, Memoralia, Membranae, libri Jureconſultorum.

QUamquam Juſtinianus Pandectarum ſive Digeſtorum opus nuncupaverit, tamen videntur longe aliud eſſe Digeſta, aliud Pandectae. Digeſta manifeſto a digerendo dicuntur. Haec oeconomiam quandam habent, ut videmus in titulis & legibus ipſis Digeſtorum; ubi omnia quadam ſerie, quaſi catenatim connecti videntur. Sic Digeſta Edicta, hoc eſt, titulis apte diſtincta, & Di-

poſuit. Frequentem hunc Pandectarum fuiſſe apud veteres titulum, argumento eſt Plinius *in praefatione ad Veſpaſianum*, ex quo ſumſit Agellius *lib. ult. cap. ult.* Jureconſultis tamen potiſſimum fuiſſe uſurpatum arbitror. Sane Herennium Modeſtinum Pandectarum *libros* XII. reliquiſſe conſtat. Nec Digeſtorum nomen a Juſtiniano nove excogitatum; ſiquidem Salvii Juliani, Alpheni, Jubentii Celſi, Servii Scaevolae Digeſta paſſim in *ff.* citantur. Dextre igitur putavit Tribonianus Digeſta dici poſſe πανδέκτας; ſed ut dixi falſus eſt. Non enim Digeſta Graeci πανδέκτας, ſed διαιρέσεις, διατυπώσεις appellabant. Aptius Pandectis reſpondebit *Cornucopiae.* Idem Tribonianus Inſtituta & Inſtitutiones eumdem librum dicere penſi nihil haber. At unum mihi cedo, vel mediae auctoritatis ſcriptorem, qui hanc Latinitatem confirmabit. Idem tamen, quaſi in Latio jam vox ea conſenuiſſet (ut pro Inſtitutionibus uſurparetur) non dubitat τὰ ἰνστιτοῦτα dicere. Sed Imperator Juſtinianus τὰ πρῶτα στοιχεῖα vel εἰσαγωγὴν, non Inſtituta concinnare voluit. Nam ſuperiores Juriſconſulti quoque Calliſtratus, Florentinus, Marcianus, Ulpianus & Cajus, Inſtitutiones inſcripſerunt, non Inſtituta.

Sed venio ad rerum Quotidianarum libros, quos & Aurea vocabant, cujuſmodi libros divulgavit Cajus, teſte Juſtiniano *in Prooem. Inſtit.* & paſſim in opere *ff.* Ita dictas fuiſſe puto Quotidianas, meditationes & obſervationes in Adverſaria vel libellum relatas; Eamque appellationem a ſcholis Ludimagiſtrorum mutuo ſumſiſſe Cajum. In veteribus colloquiis puerorum, quae una cum Gloſſariis edidit Hen. Stephanus, legitur: Μετὰ ταῦτα ἀπολυθεὶς ἐκαθέσθην ἐμῷ τόπῳ· βιβλίον ἔλαβον, ἔγραψα καθημερινὰ, *hoc eſt, Poſt haec dimiſſus conſedi meo loco: librum accepi, ſcripſi quotidiana.* Hi iidem libri & Aurea dicebantur, quod in iis ſelecta quaeque & excerpta eſſent. Lucretius *lib. 3. vſ. 11.*

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant:
Omnia nos itidem decerpimus aurea dicta,
Aurea perpetua ſemper digniſſima vita.

Auſonius in Gratiarum actione: *O mentis aureae dictum bracteatum!* Nec ignotum eſt, vel in pueros, de inſcriptione carminum Pythagorae, quorum imitatione Oppiani quoque χρυσᾶ ἔπη dicta ſunt, teſte Sozomeno Eccleſiaſtico ſcriptore. Memoralium quoque liber citatur a Paullo *l. 144. ff. de V. S.* Scriptus eſt ille liber a Maſſurio Sabino, in quo complexus varia ὑπομνημονεύματα, ſeu commemorationes varias antiquitatum, ut placet doctiſſimo Cujacio in commentario poſtumo *ad tit. de V. S.* Ad hunc Maſſurii librum reſpexit Agellius *lib. ult. cap. ult. Sunt adeo, qui de diſciplina regia, & de Philoſophia, & de natura humana. Eſt qui Memoriales titulos fecerit.* quam lectionem non debuit ſollicitare Stephanus.

Idem Agell. *lib. 4. cap. ult.* hos Maſſurii libros laudat, ubi tamen *Memorabilium* legendum eſſe contendit, Iſ. Caſaubonus, vir ἅπαντα ἄριστος, καὶ σοφὸς, καὶ ἰδεῖν δεινότατος, ut de Maſſurio loquitur Athenaeus, quod nuper admodum τὸ Memoralium Agellii Codicibus inſinuaverit, idemque titulus Memorabilium in antiquiſſimis Agellii libris & in Macrobio exſtet. Haec eruditiſſimus ille amicus meus in commentario docto Jupiter, & laborioſo ad Suetonium. Memoralium tamen quin Maſſurius ſcripſerit, non Memorabilium, non eſt dubium: quanquam hoc idem ſignificat. Arnobius *lib. 6. Ridetis temporibus priſcis Perſas fluvios coluiſſe,* mentio. Exiſtimo Membranarum libros indigitaſſe Neratium, in quibus varia, quae ex aſſidua lectione obſervata & collecta, in adverſaria ſeu lituarios obiter retulerat, poſtea accuratius in membranas transſcripſerat. Sic enim a veteribus factitari ſolitum ſcribit Turneb. *lib. 7. adverſ. cap. 10.* ad illum Horatii locum *lib. 2. Serm. ecl. 3.*

Si raro ſcribes, ut toto non quater anno
Membranam poſcas.

Solebant veteres membranis uti, jamdudum charta inventa. Graeci διφθέρας vocant. Gloſſae: *Membranum,* διφθέρα, τὸ βιβλίον, *Membranum codex.* Et hoc genere extulit auctor puerilis colloquii, quod ſupra citavi: Μετὰ ταῦτα γραφεῖον ἐπεζήτησα καὶ σωμάτιον. *Poſt haec graſium requiſivi & membranum.* Sic enim vertit σωμάτιον ille quicunque vetus Grammaticus.

CAPUT XXIV.

Error Theophili. Campanum, Maſſicum, crudum, crucium vinum.

BLenno & inſipido palato oportet fuiſſe Theophilum, qui interpretatur ad §. 33. *Inſtit. de act. Campanum vinum, peſſimum.* Ar forte an non guſtavit? eſto. Imperitiſſimum tamen fuiſſe oportet, & hiſtoriae ignariſſimum. Sed ita ſcribit, ne quis me falſum crimen Theophilo intendere praedicet: Οἷον λόγου χάριν πάντων τῶν οἴνων χείρων ἐστὶν ὁ καμπανός. Quis enim hoc unquam fando audivit, Campanum vinum peſſimum eſſe? Quin imo vinum Campanum ob pretium & bonitatem ſuam proverbia ſuſtuliſſe dixerim; unde a Cajo Juriſconſulto *l. 74.* & Ulp. *l. 75. ff. de verb. oblig.* nominatur. Florus *lib. 1. cap. 16. Omnium non modo Italia, ſed toto orbe terrarum pulcherrima plaga eſt Campaniae: nihil mollius coelo, nihil uberius ſolo. Ideo Liberi Cererisque certamen dicitur: heic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Maſſicus.* Idem Plinius dicit *lib. 3. cap. 5.* Varro *lib. 1. rei Ruſt. cap. 1. Quod far conferam Campano? quod triticum Apulo? quod vinum Falerno?* Idem enim Falernum quod Campanum, cum Falernus ſit in Campania. Iſidor. *lib. 20. cap. 3. Falernum vinum vocatum a Falerna regione, ubi optima vina naſcuntur.* Falernum paſſim a Martiale celebratur, qui nunc ardens, nunc immortale, nunc nectareum ob praeſtantiam vocat. Idem vinum Maſſicum vocatur, ob montem Maſſicum Campaniae. Teſtatur Martialis *lib. 13.* lemmate Falernum. *Epigr. 111.*

De Sinueſſanis venerunt Maſſica praelis.
Condita quo quaeris Conſule? nullus erat.

Meminit idem *lib. 3. Epigr. 21. lib. 4. Epigr. 69.* & alibi. *Lib.* tamen 13. *Epigr. 121.* vitioſa lectio hactenus vulgatur:

Maſſica Peligni mittunt turbata coloni.
Non tu; libertas ſed bibat illa tuus.

Nam legendum ajo *Marſica*, atteſtantibus etiam libris veteribus. Vini Marſici *in libro* quoque *ſequente* meminit Valerius, *Epigr. 116.*

Spoletina bibis, vel Marſis condita cellis,
Quo tibi decoctae nobile frigus aquae?

Apparet potum fuiſſe longe Maſſico viliorem & tenuiorem. Unde eum Libertis propinari vult Poëta. Sic ſervi quoque peculiare vinum potitabant, quod crudum appellat Iſidor. *lib. 20. cap. 3. Crudum vinum,* inquit, *eſt inſuave, quod ſervi potant.* niſi

... Virgil. lib. 1. Georg. v. 341.

Tunc agni pingues, tunc ſunt molliſſima vina.

Et Graeci σκληρὸν ἢ μαλακὸν οἶνον dicunt: ut & *Crucium vinum* eleganter extulit Alexis, qui de vino Corinthio ita pronunciat:

> Οἶνος ξενικὸς παρῆν. ὁ γὰρ κορίνθιος
> Βασανισμός ἐστι.

Quod obſervavit hujus & futuri ſeculi gloria Joſephus Scaliger. Sed Varro quoque apud Nonium vinum dulce elegantiſſime deſcripſit. Varro *Quinquadribus:*

Cape hanc caduceam Liberi mollem dapem.

CAPUT XXV.

Fiduciare.

MEmini me reprehendi a quodam litteratore, cum forte inter ſermocinandum verbum Fiduciare mihi excidiſſet. Itane vero, inquit, hoc eſt ſtudere puritati veterum Jureconſultorum, quorum te veſtigia praedicas indagare? in nullo Juris veſtri libro, ne in latina lingua quidem exſtare id verbi arbitror: niſi hoc te aliquis Accurſius aut ex Gloſſatorum farina docuit. Erubui ad iſtam orationem, fateor; ſed tamen de latinitate iſtius vocis in praeſenti ſatiſdare me velle ſubjeci. Et quamvis, inquam, iſtud vocabulum apud nullum priſcorum Jureconſultorum exſtet hodie, ideone mihi fidem praeſtabis, neque ſcriptum exſtitiſſe, cum eorum librorum milleſima pars non ad nos pervenerit? Oppoſui deinceps auctoritatem Tertulliani, cui Jureconſultorum formulae & verba quaſi domi naſcuntur. Is igitur in libro *de Idololatr. Pignoribus fiduciari* dixit: quo verbo ſcio eundem & alibi uſum. Et vetus Lexion: Fiduciatus ὑποτίθεται. Fiduciatus ὑποτιθέμενος. Vetus inſcriptio, quae digna huc transferri ex Briſſonii *formular. lib.* 7. M. ULPIUS. AUG. LIB. SYMPHORUS. FLATURARIUS. AURI. ET. ARGENTI. MONETAR. SIBI. ET. ULP. HELPIDI. QUAE. ET. CLAUDIA. LIB. ET. UXORI. SUAE. ULP. ARSINOE. FILIAE. ET. CLAUDIO. ANTHIOCIANO. FILIO. HELPIDIS. LIB. SUAE. FECIT. ET. LIBERTIS. LIBERTABUSQ. UTRIUSQ. SEXUS. QUI. EX. FAMILIA. MEA. ERUNT. RELIQUIARUM. SUARUM. CONDENDARUM. CAUSA. ET. POSTERISQ. EORUM. QUI. IN. NOMINE. MEO. PERMANSERINT. EA. CONDITIONE. NE. FIDUCIENT. NE. VENDANT. &c.

CAPUT XXVI.

Paedagogi, Educatores, Nutricius, Nutrices.

VUlgo parentum loco ſunt Paedagogi. Et merito: opera enim & diligentia ſua reddunt nos meliores. Quod de ſuo Paedagogo teſtatur [*l.* 27. *ff. de donat.*] Aquil. Regulus *lib.* 29. his verbis: *Quoniam & cum patre meo ſemper fuiſti, & me eloquentia & diligentia tua meliorem reddidiſti, dono ac promitto tibi habitare in illo coenaculo eoque uti.* Seneca *lib.* 6. *de Benefic. cap.* 16. de Paedagogo loquens: *Hic in me docendo & laborem & taedium tulit, hortando bonam indolem erexit, & modo laudibus fecit animum, modo admonitionibus diſcuſſit diſſidiam. Tum ingenium latens & pigrum injecta manu extraxit: nec quae ſciebat maligne diſpenſavit, quo*

... ditionis, filiorumque familias comites & cuſtodes aſſidui. Unde a Plauto, Terentio, Horatio & aliis aeque comites & cuſtodes, ac Paedagogi appellantur. Igitur in theatrum, in ſcholam euntes praetextatos ſequebantur. Suetonius ſcribit Paedagogis in theatro proprium locum adſignatum fuiſſe, credo propterea quia ſervi. Gloſſae veteres: *Pediſſequus* παιδαγωγός. Quod de ſchola dixi, id teſtatum faciam colloquio quodam veteri puerili Graecolatino, ubi puer inquit: ἑτοιμασθεὶς οὖν εἰς πάντα προῆλθον καλῇ κληδόνι ἀκολουθοῦντός μοι παιδαγωγοῦ: *Paratus ergo in omnia proceſſi bono auſpicio ſequente me Paedagogo.* Juvenalis *Satyr.* 10. *v.* 117.

Quem ſequitur cuſtos anguſtae vernula capſae.

Paedagogum innuit, cujus hoc quoque munus erat, ut capſulam librariam ſui diſcipuli portaret, quare oppido quam eleganter vernulam capſae vocat, quem Suetonius *in Nerone cap.* 36. Capſarium, quod Cujacius primus obſervavit *lib.* 5. *cap.* 8. Huc pertinet illud Labeonis quod Ulpianus refert *l.* 15. *ff. de Injur. Comitem accipere debemus eum qui comitetur & ſequatur: & ut ait Labeo, ſive liberum, ſive ſervum. Et ita Labeo comitem definit, qui frequentando cujuſque cauſſa, ut ſequeretur deſtinatus, in publico privatoque abductus fuerit. Inter comites utique & Paedagogi erant.*

Educator quoque honore parentis cenſetur *l.* 1. *ff. de obſeq.* Cicero *in Orat. pro Plancio cap.* 33. *Qui eſt noſtrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magiſtri ſui atque doctores, cui non locus ille mutus ubi altus, aut doctus eſt, cum grata recordatione in mente verſetur?* quem & Nutricium dixiſſe veteres vetus Lexicon monet: Nutricius τροφεύς. Facit & inſcriptio antiqua,

> MEMMIA. TERTULLA.
> NUTRICIO. SUO. ET. MATRI.
> BENEMERENTI. POSTERISQ.
> SUIS. ET. SIBI.

Cum proprie nutricius dicatur τρόφιμος; τιτθός. Eadem etiam reverentia, quae matri, nutrici debetur. Et nutricem priſcos matrem vocaſſe teſtatur Nonius. Plautus *Menaechmis* clare oſtendit: *Prol. v.* 19.

> *Ita forma ſimili pueri ut mater ſua*
> *Neu internoſſe poſſet quae mammam dabat:*
> *Neque adeo mater ipſa quae illos pepererat.*

Virgil. *lib.* 8. *Aen. v.* 632. *Et lambere matrem Impavidos.* ubi idem Nonius Matrem dici affirmat Nutricem.

CAPUT XXVII.

Comitum origo.

PRimus, comitum originem, dignitatem & officium a Germanis manaſſe, divinavit vir nunquam ſine laude loquendus Uldaricus Zaſius, conſilium & oraculum Germaniae noſtrae unicum. Stabiliendae autem ſuae ſententiae puto illum Taciti locum verbis obliquis perſtrinxit. Nos ipſum potius Tacitum audiamus *de morib. Germ. cap.* 12. *Eliguntur,* inquit, *in iiſdem conſiliis & principes, qui jura per pagos & vicos reddunt. Centeni ſingulis ex plebe comites, conſilium ſimul & auctoritas adſunt.* Et paullo poſt *cap.* 13. *Gradus quinetiam & ipſe comitatus habet, judicio ejus quem ſectantur. Magnaque & comitum aemu-*

latio,

Comites pro Principe. Ex his, inquam, Taciti verbis forte an Zaſius illud quoque conabatur probare, a Germanis moribus Comitum titulos ad Romanos quoque & Italos eſſe devolutos. Unde Comites Palatii, Largitionum, Privatorum, Domeſticorum & alii paſſim in conſtitutionibus Imperatorum celebrantur. Quorum omnium officia ordine pandit Caſſiodorus *lib. 6. formul.* & paſſim. Quae enim crebrior talium mentio in iſtis regionibus, antequam Gothi, & Longobardi, hoc eſt, Germani in iſta loca ſeſe ingenti examine effudiſſent? Porro ſuae linguae morem exprimit Tacitus, dum eos Comites dictitatos fuiſſe majoribus noſtris ſcribit: quod & alii plerique fecerunt, & quidem recentioris aevi. Guntherus *lib. 1. Dubium puer inclute dici, Rexne Comesne velis, alii ſexcenti.* Nam tum Germanis *Grafe*, ſonuiſſe Comitem non eſt dubium. Paullus Diaconus *lib. 5. cap. 36. Hiſt. Longobard. Hic dum eſſet in Tridentina civitate cum comite Bojariorum, quem illi Gravionem dicunt.* Quod & leges Salicae paſſim teſtantur. Quare & apud Eginhardum, Jornandum, Annonium, qui latine ſcripſere, veteri & Teutonico verbo Marggravii, Landgravii, Pfaltzgravii appellantur. Veriverbium Germanicae vocis haud cuiquam opinor facile invenire; niſi a Graeco γερω velit aliquis deducere; ſic Presbyteri, ſeniores, a canis & annis dignitatem aſſequuntur: aut quod vanius, a Latino *Gravis:* ob virtutem & animi praeſtantiam. Profecto idem eſſe etymon Baronis, viri docti aſſerunt. Veteres Gloſſae: Baro, ἀνήρ, id eſt, animoſus, generoſus. Ibidem Baroſus εὐβαρός Alciatus ἀπὸ τοῦ βαρέος. Neſcio an huc faciat Gloſſa vetus Graecolatina ὁπλίτης, ἐπιμάχητος στρατιώτης, Gravius.

CAPUT XXVIII.

Triboniani error. Fiſcus, aerarium, arca.

Non obſervavit differentiam inter fiſcum & aerarium Tribonianus, ubi ſic ſcribit *lib. 2. Inſtitut. tit. 6. Conſtitutio autem divae memoriae Zenonis bene proſpexit iis, qui a fiſco per venditionem aut donationem vel alium titulum accipiunt aliquid.* Quid m enim hcic aerarium pro fiſco poſitum oportuit? Sane aerarium Principis eſt rerum privatarum, aut ejus Patrimonii: Fiſcus ceterarum rerum omnium, quae ſacrae largitiones & ſacri theſauri paſſim appellantur; quod & accuratiſſime notavit Fr. Hotomannus in *Commentario verborum Juris.* Sed proprie & primogenie Aerarium eſt pop. Rom. Fiſcus Principis. quod ex illo Plinii ad Trajanum perſpicuum eſt. *Non eadem ſeveritate fiſcum, qua aerarium cohibes.* Quaero an & aerarium aliquod habuerit collegium Pontificum? Nam & iis ſaepe aes multae cauſa datum legimus. Ego in rebus ſacris & jure Pontificio non aerarium, ſed arcam dictam fuiſſe mihi perſuaſi, immo didici, & didici ex his monumentis ſeu inſcriptionibus veteribus. [apud Briſſonium *Form. lib. 7.*]

AUR. MAXIMINIANUS. AUR. OLYMPIADI. FIL. DULCISSIMAE. QUAE. VIX. AN. XXII. M. X. D. XXVI. ET. PUBLICIAE. CARPODORE. EJUS. ET. LIB. LIBERTABUQ. SUIS. POSTERISQ. EORUM. F. SI. QUIS. HOC. SEPULCHRUM. VEL. MONUM. CUM. AEDIFICIO UNIVERSO. POST OBITUM. MEUM VENDERE VEL. DONARE. VOLUERIT. VEL CORPUS. ALIENUM INVEHERE VELIT. DABIT. POENAE. NOMINE, ARCAE PONTIFICIS. HS. C. ET. EI. CUI DONATUM VEL VENDITUM FUERIT. EADEM POENA TENEBITUR.

R. FILIO. SUO. LIBERTIS. LIBERTABUSQ. POSTERISQUE EORUM ARMARIUM. DISTEGUM. CUM. TABERNA ET HORTULO. SI QUIS. HOC. ARMARUM. VENDERE VOLUERIT. HIC INFERET ARCAE PONTIFICUM HS L. MIL. N.

Alia.

CN. TREMELIUS. TROPHIMUS. FECIT. SIBI. ET. FLAVIAE. PROBAE CONJUGI. CUM. QUA. VIXIT. ANNIS. LIBERTIS. LIBERTABUSQ. POSTERISQ. EORUM. SI QUIS. AUTEM. HOC. VENDERE. VOLUERIT. ARCAE PONTIFICUM. X. MILLIA NUMUM INFERET.

Reperio & arcas Senatorum, quas uſque ad Cerealem praefectum, in foro Trajani habuerunt Senatores, in quibus argentum aut pecunias tutius deponebant. qui locus propterea & ipſe in quo erant arcae poſitae, opes dictae ſunt. Auctor hujus rei vetus Juvenalis interpres. De illa Senatus arca locus eſt in Aureliani ad eum *Epiſt.* apud Fl. Vopiſcum. *Eſt praeterea*, inquit, *veſtrae auctoritatis arca publica, quam magis refertam eſſe reperio, quam cupio.* Verum poſteaquam per noctem a furibus exſpoliatae eſſent arcae, a foro Trajani ſive Martis translatae & ad templum Caſtoris locatae ſunt, ſi credimus eidem Interpreti vetuſtiſſimo.

CAPUT XXIX.

Juſtitiae definitio. Aſtraea, Fas.

Non virtus quaedam, ſed ipſa Diva JUSTITIA definitur ab Ulpiano *l. 10. ff. de Juſt. & jur. & lib. 1. Inſtitut.* cujus rei rationes elegantiſſimas Fr. Hotomannus Juriſconſultus rariſſimus reddidit in comment. eruditiſſ. *ad Inſtit.* & libello terſiſſimo, quem JURISCONSULTUM inſcripſit. Qua de cauſſa *Sacerdotes Juſtitiae* Ulpianus vocat Juriſconſultos, quaſi ſacra illius Deae adminiſtrantes. Sacerdotes enim non virtutibus humanis, ſed Diis operati vacant. Hinc Juriſconſultos Agellius quoque appellat *Antiſtites Juſtitiae lib. 14. cap. 4.* ſic loquitur. *Ex imaginis autem illius ſignificatione intelligi voluit judicem, qui Juſtitiae antiſtes eſt, oportere eſſe gravem, ſanctum, ſeverum &c.* Antiſtitem, inquam, vocat, quem Ulpianus ſacerdotem. Eandem Deam Aſtraeam vocitarunt. Ovid. *lib. 1. Metam. vſ. 150.*

Ultima coeleſtum terras Aſtraea reliquit.

Quia ſcilicet ſecundum Aratum:

—— Ἀστραίη κείνη γένος, ὅν ῥά τέ φασιν
Ἄστρων ἀρχαῖον πατέρ' ἔμμεναι ——

Apud eundem eſt:

—— Δίκη δώτειρα δικαίων.

Illud dignum nota & obſervatione, priſcos Romanos Juſtitiam Fas appellitaſſe. Auſon. in *Edyll.* de Deis 13.

Sunt & coelicolum monoſyllaba. Prima Deum Fas:
Quae Themis eſt Grajis.

Prima Deûm, inquit, id eſt, antiquiſſima: a qua ſecundam facit Rheam, quae alio & Latino nomine appellatur Ops. Feſtus: *Themin Deam putabant eſſe, quae praeciperet hominibus id petere, quod fas eſſet. Eamque id eſſe exiſtimabant, quod & Fas eſt.* Quibus adſtipulatur vetus Gloſſarium: Θέμις, *Fas, Juſtitia.* Apparet igitur, Sacerdotes Juſtitiae illos dici, non equidem qui ſint conſulti Juris, ſed Juſtitiae. Quod Cicero diſerte docet in *Philipp.* VIII. Sulpitium Juſtitiae magis, quam Juriſconſultum praedicans. Jus ergo a Juſtitia ſegregatur; Juſtitiaeque

ma-

Digitized by Google

Caſſiodorus emendatus.

Vere dico : ſaepe me gaudio delibutum reddidit, & mirabili voluptate perfudit Magni Aurei Caſſiodori *Variarum* lectio. Ideoque quoties a ſeriis abambulo, nunquam ſolus aut quieſco aut ambulo : comes mihi fidus & aſſiduus Magnus ille Senator. Et per Deum immortalem ! quid illo libro eruditius, prudentius ? Aut unde ſtudioſus juris Legum, Edictorum, Legationum, Judicum formulas manifeſtius cognoſcet ? Unde foederum, pacis, induciarum conditiones & jura ? Unde Magiſtratuum, Judicum officia & munera, Militum deſcriptiones Comitivas melius diſcet ? Quare non peſſime aliquot horas a me collocatas puto, quas huic optimo auctori emendando, & a mendis, quibus etiam ſcatet, perpurgando, impendi.

Quarum emendationum aliquod δεῖγμα proponere hoc capite decrevi. *Lib.* 2. *Epiſt.* 6. *Magna ars eſt, contra artifices loqui, & apud illos aliquid agere, qui ſe putant omnia praevidere.* Praeter omne dubium emendandum eſt, *Omnia pervidere. Epiſt.* 14. *de Ciconiis : Nam cum parentes eorum pennas ſenio coquente laxaverint, nec ad proprios cibos quaerendos idonei potuerint inveniri, plumis ſuis genitorum membra frigida refoventes, eſcis corpora laſſa reficiunt.* Quid eſt pennas laxare ? Reſcribo *Laſſaverint.* In multis libris ſaepe laſſus pro laxus & contra, ſcribitur. Juvenalis, *Sat.* 4. *vſ.* 67.

—— ſtomachum laxare ſaginis.

Sic pertinaciter vulgatur, manifeſto errore ; cum certo certius ſit ſcripſiſſe Poëtam *ſtom. laſſare saginis.* Sic Caſſiodorus infra *Epiſt.* 39. *Laſſa viſcera* dixit. *Ejuſdem Epiſtolae* finis vix caret vitio : *Quia non gravamur expendere, ut tanta videamur ruris amoena cuſtodire.* Satis latine & eleganter ; ſed in ora libri exſtat *moenia :* quod non plane rejicio. Movet me, quod *lib.* 4. *Epiſt.* 51. ſcribit : *Cum privatis rebus ita ſtudueris, ut in laribus propriis quaedam moenia feciſſe videaris. Lib.* 3. *Epiſt.* 27. *Ut regiae majeſtatis objectu ferventium furor animorum in ſuis cantibus elidatur.* Alii *Conatibus* ; utrumque corrupte. Lego : *cotibus.* Quamquam antiquos *cotibus* pro cautibus dixiſſe, nullus ambigo. Maxima enim affinitas ſoni *au* & *o.* Ita Clodius, pro Claudius : Ploſtrum pro Plauſtrum : Cloſtrum pro clauſtrum, aliaque ſexcenta reperiuntur. *Epiſt.* 33. *Hic eſt enim praefatus armentarius, qui & parentum bono, & ſuo nobis commendatur ingenio, exigens meritis quam ſuperat precibus dignitatem.* Vulgo *ſperat* pro *ſuperat* editur. *Superare dignitatem precibus* eſt dignitatem precibus conſequi. Nemo quod ſciam, indicavit mendum in *Protreptico* Auſonii, ubi vitioſe legitur :

—— per te ut connixus in altum
Conſcendas : ſpereſque tuos te conſule faſces.

Pro *ſupereſque. Epiſt.* 52. *Hoc enim per Geometricas formas & grammaticam diſciplinam ita diligenter agnoſcitur, quemadmodum literis omnis ſermo concluſus eſt.* Eruditiſſ. Fornerius teſtatur in uno libro veteri legi : *Drammaticam.* Quam lectionem confirmat Iſidorus *lib.* 16. *cap.* 24. *Scrupulus,* inquit, *ſex ſiliquarum pondere conſtat. Hic apud Graecos Dramma vocatur.* Ego vero cum ſcrupulum etiam menſuram agrorum dici ſciam apud Iſidorum, non δράμμα, ſed γράμμα legendum eſſe contenderim. Gloſſae giones cujuſque cognoſci poſſunt, quod Graeci γρώματα vocant. Idem eſſe puto Nonii *Grumam*, parum enim *o* & *u* diſtant. Inde Ennii *Degrumari.* Et Lucilii :

—— —— —— viamque
Vis degrumari, ut caſtris menſor facit olim.

Aliud apud eundem Nonium *Grumus* eſt, id eſt, agger. Attius Oenomao :

Quemcunque inſtiteram grumum, aut praeciſum jugum.

Hinc Grumi quoque termini dicti ſunt. Gloſſarium : *Grimini*, οἱ διορίζοντες τὰς ὅρους λίθοι. ubi legerem ſane *Grumi* ; niſi tamen melius decreviſſem aliquando de hac voce apud Terentium. Nam idem Gloſſarium paullo poſt ſubjicit alterum *Grumi* τύμβοι.

CAPUT XXXI.

Q. Fannius Rhemmius Palaemon penſitatus & emendatus. Per aſſem & libram.

Pervolgatum illud poëmatium de Ponderibus & menſuris, quod plerique Priſciani eſſe putant ; pauciores tamen & docti Q. Rhemmii Fannii Palaemonis eſſe contendunt. Perelegans ſane & dignum oleo & opera ſtudioſi Juris eſt. In eo hi duo verſus leguntur :

Nunc dicam ſolidae quae ſit diviſio librae
Sive aſſis ; nam ſic legum dixere periti.

Legum peritos ſive Jureconſultos idem ſcilicet dixiſſe *aſſem* & *libram.* Putem ego alluſum ad formulam emancipationis & adoptionis PER AES, imo ASSEM ET LIBRAM. Per ASSEM enim & LIBRAM perinde ac per AES & LIBRAM dixiſſe veteres Latinos non eſt dubium, & teſtatur Suetonius in *Auguſto cap.* 64. *Cajum & Lucium adoptavit domi per aſſem & libram :* quem locum ita eruditiſſimus Caſaubonus reſtituit. Aliam tamen rationem eſſe Librae, ſcribit Agellius, Cajus, & Boëtius, quod notiſſimum eſt omnibus. Quare a tantorum virorum auctoritate temerarium eſſet facinus vel pedem diſcedere. Quin ipſe Palaemon de quo aſſe loquatur, ſatis declarat in ſequentibus :

Ex quo, quod ſoli capimus perhibemur habere :
Dicimur aut partis domini pro partibus hujus.

Heic nolo omittere Caji locum de libripende, qui apud Priſcianum exſtat *lib.* 6. Apud Priſcianum, inquam, manuſcriptum, quem mihi inſpiciendum dedit Conradus Rittershuſius Juriſconſultus. *Gajus in primo Inſtitutorum : Adhibitis non minus quinque teſtibus puberibus, item libri-pende. In eodem : qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens.* Nam in aliis locus non eſt ἀδιαίρετος. Non etiam lubens praetereo ejuſdem Rhemmii Palaemonis illum verſum, ſine dubio corruptum :

Qui quater aſſumtus ſit Grajo nomine choenix.

Legendum opinor :

Queis quater aſſumtis ſit Grajo nomine choenix.

Certiſſimum enim eſt continere χοίνικα ſextarios duos.

C A-

Generaliter *injuria dicitur omne, quod non jure fit. Specialiter alias contumelia, quae a contemnendo dicta eſt, quam Graeci ὕβριν appellant.* Pro *alias* reſtituo *alia eſt.* Paullus apud Ulpianum in *fragment.* a Pithoco editis: *Generaliter dicitur injuria omne quod non jure fit. Specialiter alia eſt contumelia, quam Graeci* ἈΔΙΚΙ'ΑΝ *vocant. Nam cum Praetor noſter adverſum nos pronunciaret, injuriam nos accepiſſe dicimus.* Quae Tribonianus imitatus eſt ad hanc faciem: *Cum enim Praetor vel judex non jure contra quem pronunciat, injuriam accepiſſe dicitur.* Ubi vide ſtuporem acuti illius Quaeſtoris. Pergit Paullus *ibidem: Unde apparet non verum eſſe, quod Labeo putabat, apud Praetorem injuriam ὕβριν dumtaxat ſignificare.* Vult opinor Paullus injuriam atrocius aliquid quam ὕβριν ſignificare. Cum omnibus id nomen injuriae commune ſit, fiatque ſemper adverſus bonos mores. Sed hunc Paulli locum ſartum eſſe non puto, & habet vox ἈΔΙΚΙ'ΑΝ adjectum aſteriſcum, mendi notam. Itaque ſemper ſuſpicatus ſum legendum eſſe *quam Graeci* αἰκίαν vel αἰκείαν *vocant:* licet partim ἀδίκημα, partim ἀδικία & ἀνομία in *Inſtitutionibus* exſtet. Heſychius: αἰκεία, ὕβρις, αἰκία.

CAPUT XXXIII.

Antonius Auguſtinus notatus. Lex Fuſia. Cicero emendatus; item Querolus Plauti.

Antonius Auguſtinus V. Cl. in libro *de legibus*, duplicem facit Fuſiam legem; Fuſiam Caniniam & aliam Fuſiam incertam. Ego vero neque fictam neque ſcriptam fuiſſe Fuſiam Caniniam, mihi firmiter perſuadeo. Rationes meas infra ſcribam. Erroris anſam arripuit Auguſtinus ex illo loco Ciceronis, in Praetura urbana: *Act. 2. in Verr. cap.* 42. *Cedo mihi leges Atinias, Furias, Fuſias, ipſam ut dixi Voconiam.* Hoc primum dicam, quod doctiſſimi quique viri adſerunt, in omnibus libris antiquioribus hoc loco abeſſe vocem *Fuſias.* Quis enim hujus legis lator? Aut quis ille Fuſius fuit? Q Fuſius Calenus, qui tribunus plebis fuit anno DCXCI. Junio Silano L. Licinio Murena Coss. idemque Conſul cum P. Vatinio anno DCCVI. & cujus denique mentio apud Dionem *lib.* XLII. *&* XLVI. & ad quem crebra compellatio apud Ciceronem *Philipp.* VIII? Atqui iſtae leges omnes ante Ciceronis aevum latae: hic autem Calenus Ciceroni coaevus fuit. Neque hanc legem in Tribunatu ſuo tuliſſe Calenum crediderim; cum hujus nulla uſquam mentio exſtet. Sed omnis error, ut dictum eſt, a corrupto Ciceronis loco, ex quo τὸ *Fuſias* communi doctorum virorum cenſura, illuc erit amandandum unde malum pedem adtulit. Quid quod ſua ſibi verba ipſe Cicero vindicat in ea *pro Balbo cap.* 8. *Tulit apud majores noſtros legem C. Furius de teſtamentis: Tulit Q. Voconius de mulierum hereditatibus: quas Latini voluerunt adſciverunt.* Ecce ſimul jungit Furiam cum Voconia. Importune heic ſe mihi offert locus in *Querolo* Plauti: *Quer. Senatusconſultum dico ego memet Servilianum & Paraſiticum. Mand. Oe! viſne inter dictorum capita jam nunc eloquar? Ad legem Porciam, Caniniam, Furiam, Fuſiam,* Coss. *Torquato & Taurea?* Prorſus enim meae ſententiae contrarius eſt. Sed opitulantur & ibi libri veteres & legunt *Fuſiam.* Duplicem igitur Furiam fuiſſe puto, quarum altera aliquando etiam Fuſia, ſeu Fuſia Caninia dicta fuerit, quam P. Furius ſeu Fuſius Camillus cum C. Caninio Gallo tulit. Alteram Furiam quis tulerit, neſcio. Livius quidem L. Furii trib. pleb. & M. Fu-

nus, Fufius, Papirius, [illegible] pro Aurelius, Furius, Papirius, Valerius.

CAPUT XXXIV.

Patria, major parens. Varro explicatus. Auſonii Popmae ſuſpicio falſa.

MAjorem veteres potiorem dicebant. Ut Major Conſul dicitur, vel penes quem faſces ſunt, vel qui prior factus erat, ut putavit L. Caeſar apud Feſtum: ſic majores flamines appellabantur Patricii generis, minores plebeji. Dicitur autem haec vox ſemper, ut Philoſophi loquuntur πρός τι, ſeu ut vulgo loquimur, reſpective, & ſub ſe continet minus aliquid. Servus Plautinus Majorem herum appellat reor patremfamilias, reſpectu filiifamilias. Venuſtiſſime vero Major parens Patria dicitur apud Ciceronem, potior, antiquior, praeſtantior. Cicero *lib.* 1. *de Repub. Sed quoniam plura beneficia continet patria & eſt antiquior parens, quam is, qui creavit: major profecto ei, quam parenti debetur gratia.* Varro, lege Moinia (ſic enim legendum, non Maenia aut Minia) *Si qui patriam majorem parentem extinguit, in eo culpa eſt. quod facit pro ſua parte is, qui ſe eunuchat, aut aliqua liberos producit.* Quorum tamen poſteriorum verborum ſententiam minus facile eſt pervidere. Quid enim illud eſt *aut aliqua liberos producit?* Nonne contrarium quiddam notare videntur *Eunuchare ſe & Producere liberos?* An Auſonio Popmae fides habenda, qui poſtrema haec verba ex gloſſemate irrepſiſſe ſibi perſuadet? Non ſuadeo. Immo potius illud offirmato animo dicere auſim, germanam eſſe Varronis eam lectionem. Sententia eſt: Eum quoque Patriae exſtinctorem videri, qui ſe vel eunuchat, vel quocumque alio modo liberos producit, id eſt, liberorum procreationem differt & impedit. Haec enim interdum hujus verbi vis eſt. Sed ad majorem parentem redeo. Cicero *ad Attic. lib.* 9. *Ep* 9. *patriam antiquiſſimam & ſanctiſſimam vocat parentem.* Quae omnia quaſi proverbio jactata fuiſſe apparet, ſumta & expreſſa de his Platonicis in *Critone:* ὅτι μητρός τε καὶ πατρὸς καὶ τῶν ἄλλων προγόνων ἁπάντων τιμιώτερόν ἐστι πατρὶς, καὶ σεμνότερον καὶ ἁγιώτερον, καὶ ἐν μείζονι μοίρᾳ καὶ παρὰ θεοῖς καὶ παρ' ἀνθρώποις τοῖς νοῦν ἔχουσι &c.

CAPUT XXXV.

Figuli, tegularii. Muri lateritii. Heſiodus illuſtratus.

NOn fuit olim diverſorum artificum opus, lateres tegulas, imbrices formare; & vaſa, amphoras, patinas, pocula fingere. Et dicitur uterque eodem vocabulo figulus, *l.* 6. *ff. de ſervitut. praed. ruſt. l.* 24. *ff. de inſtruct. & inſtrum. leg.* Graecis eſt κεραμεύς. Gloſſarium Graecolatinum notat κεραμοποιὸν *tegularium* fuiſſe dictum. Ac proinde veriſimile eſt aliquando fuiſſe diverſarum artium figulos & tegularios; cum iſti amphoras, dolia, patinas, pocula facerent: hi autem tegulas, lateres & imbrices. Horum quidem cauſſa Numam Pompilium ſeptimum collegium figulorum inſtituiſſe diſco ex Plinio *lib.* 35. *cap.* 12. Non enim tam ſupellectili augendae, quam tectis muroque aedificando ſtudebant primi & priſci illi cives Romani. Quare tegulariis, qui tegulas lateresque coquerent, maxime opus erat: tametſi ſtructores quoque appellabantur, qui calce lapides jungebant, unde *canales ſtructiles* apud Vitruvium *lib.* 8. *cap.* 7. Sed antiquiſſimum fuiſſe puto illud

Digitized by Google

Pro ſaxo laterem validiſſima turris habebat.
Hanc ibi Tarquinium quondam fundaſſe Superbum.
Rumor erat: nomenque loco retinente, Superba
Illa vocabatur longo jam tempore turris.

CAPUT XXXVI.

Oſilius Juriſconſultus declaratur. Pulſare & Verberare *quid differant.*

DE mirabili vi & varia ſignificatione verbi *Pulſare* diſputat Valla in *Elegantiis* & Alexander ab Alexandro *lib.* 3. *cap.* 19. ſatis erudite uterque: Oſilius tamen, & ex eo Ulpianus tradit, *Pulſare fieri ſine dolore: verberare cum dolore*, *l. lex Cornel.* 5. §. 1. *ff. de injur.* quam ſententiam & differentiam horum verborum non videtur inſuper habuiſſe Tribonianus *lib.* 4. *Inſtit. tit. de injur* § 1. ubi ſic dicit: *Injuria autem committitur, non ſolum cum quis pugno pulſatus, aut fuſtibus caeſus, vel etiam verberatus erit.* Suſpiceris enim hinc quoque acerbius eſſe verberari, quam pulſari aut caedi. Sed Oſilium valde inſectatur Valla: quem non immerito reprehendit Neapolitanus Alexander. Quam vero ipſe rationem, quae pro Oſilio ſit, adſert? *Pulſatur*, inquit, *res inanima: verberatur animata, ut pecus, homo.* Argute. Quaſi non pulſari diceretur homo. Verum enimvero Oſilium ego id reſpexiſſe puto, quod pulſatio manu fieri veteribus videretur, verberatio virgis ſeu loris. Hinc Tribon. *Cum quis pugno pulſatus.* Suetonius in *Galba cap.* 5. *Ut inter conventum matronarum correcta jurgio & manu pulſata ſit.* De tali pulſatione accipio illud Virgilii *lib.* 6. *Aeneid. v.* 608.

Hic quibus inviſi fratres, dum vita manebat
Pulſatusve parens & fraus innexa clienti.

Nam lege prohibitum erat, ne quis manu parentem pulſaret; quod reſpexit Seneca *lib.* 9. *cont.* 4.

Qui patrem pulſaverit, manus ei praeciduntur.

Poteſt & fieri ut Oſilius nuditatem in verberatione reſpexerit. Verberari enim nudos, ſatis Plautus oſtendit; quippe ubi virgis & loris locus. Quid quod in iſtac verberatione, quae in nudo corpore fit, ipſa ignominia dolorem accudere & augere videtur?

CAPUT XXXVII.

Rubricarum cauſſa & origo.

RUbricarum nomen apud Jureconſultos non eſt barbarum aut novitium, ſed jam inde a Scaevolis & Sulpitiis uſitatum: quod annotavit etiam Galliae lumen Turnebus *lib.* 4. *cap.* 5. Quid ni ego heic παρεργάζων quaeram, cur rubrica Jureconſulti in ſcribendis legum titulis uſi fuerint, cum id fecerint viri ſcientia & aetate me longe potiores? Reinaldus Corſus *Indagat. Juris lib.* 2. *cap.* 2. theſaurum ſe repperiſſe putat, dum illud Antonii Thileſii Conſentini ex libro ejus de coloribus commentum citat: *Utebantur veteres*, inquit Thileſius, *quod nunc etiam ſervatur, cum librorum titulos notarent, colore Phoeniceo, in honorem memoriamque Phoenicum, quos litterarum tradunt inventores.* Carbones, quod ajunt, pro auro repetit Corſus. Generaliter enim de quibuscunque libris intelligit Thileſius, non de Juriſconſultorum. Nos autem aliud volebamus, ac loquitur Corſus ille. Sic igitur exiſtimo feciſſe id Jureconſultos, ut

cte igitur Prudentius *lib.* 2. *contra Symmachum*, Rubricam *minari* dixit:

— *dicunt cur condita ſit lex*
Biſſex in tabulis, aut cur Rubrica minetur,
Quae prohibet peccare reos.

CAPUT XXXVIII.

Cujacii & Hotomanni emendatio rejecta.

EJus, qui teſtatur, & certum conſilium eſſe oportet, & certam inſtituti heredis perſonam, ut ait Ulpianus *tit. Reg.* 22. Sed tamen Juſtinianus Imperator *Inſt. lib.* 2. *tit.* 14. vult, eos quoque heredes inſtituere nos poſſe, quos numquam vidimus, veluti ſi quis fratris filios peregrinantes heredes inſtituat. Verba *Inſtitut.* ſic ſe habent §. 12. *Ii, quos numquam teſtator vidit, heredes inſtitui poſſunt. veluti ſi fratris filios peregrinantes, ignorans qui eſſent, heredes inſtituerit. Ignorantia enim teſtantis inutilem Inſtitutionem non facit.* Cujacius, contra quam paſſim in *hoc libro Inſtitut.* fecit, haud optime de hoc loco meritus eſſe videtur. Corrigit enim *filios peregrinatos*; quam emendationem amplectitur quoque Fr. Hotomannus politiſſimus Jureconſultus. Utriusque perſpicaciſſimo acumini glaucomam objecit manuſcriptorum librorum auctoritas, in quibus teſtantur ſcribi *peregrinatos.* At id ſane rectiſſimum erat, nec ullo pacto fieri debebat duplex verbum *peregrinatos.* Qua enim ratione perſuadere nobis conantur, agi ibi de peregri natis potius, quam de peregrinatis, hoc eſt, peregrinantibus? Cum prorſus fiat, ut peregrinantes ignorentur. Immo etiam Theophilus mecum ſentit, contra quam putat Hotomannus, qui peregrinatos vertit ἐπὶ ξένης διάγοντας. Nulla etiam conditione umquam adducar, ut eredam, Juſtinianum verbo illo veteri & Comico *peregri* uſum fuiſſe: quod potius Plauto, Titinio, & aliis relinquendum. Quamquam Obertus Giſanius quoque iſtam Cujacii emendationem in ſuis *collectaneis in Lucretium* amplecti videtur. Verum ego tamen hodie clariſſimum illum & doctiſſimum virum aliter longe ſentire & dudum docuiſſe in ſuis commentariis ex ejus auditoribus cognovi.

CAPUT XXXIX.

Servitutis qualitas, origo, cauſſae.

SEneca *lib.* 3. *declam. Neminem*, inquit, *natura fecit liberum, neminem ſervum. Impoſuit fortuna nomina haec ſingulis.* Quale ergo illud eſt, quod Juſtinianus ſcribit *Inſtit. tit.* 2. §. 2. *in fin. Jure naturali omnes homines ab initio liberi naſcebantur?* Et *l.* 64. *ff. de Cond. indeb.* Tryphon. ait: *Libertas naturali jure continetur. Dominatio ex jure gentium introducta eſt.* Conſtat igitur Senecam tantum de nomine libertatis loqui, non de ipſa libertate. Nam uno communi nomine omnes homines appellabantur, *Inſtit. tit.* 5. *de libert.* Et *omnium natura communis*, *Cic. lib.* 5. *de fin. cap.* 9. *l.* 13. *C. de Contrah. ſtip.* Unde Cicero idem oppido quam eleganter ſcribit, *lib.* 1. *de Leg. cap.* 10. *Nihil eſt enim unum uni tam ſimile, tam par, quam omnes inter nosmetipſos ſumus. Quod ſi depravatio conſuetudinem, ſi opinionum varietas non imbecillitatem animorum torqueret, & flecteret quocumque coepiſſet, ſui nemo*

mo

[illegible] [illegible] est, sive per splendidos sive per [illegible] gradus ad hunc prima cujuſquis origo. Quo & alludit Johann. Sarisberienſis *lib.* 8. *cap.* 12. *Errat plane quisque aliunde conditionem alterutram opinatur accidere. Siquidem omne hominum genus in terris ſimili ab ortu ſurgit, eiſdem conſtat & alitur elementis, eundemque ſpiritum ab eodem principio carpit, eodemque fruitur coelo atque moritur aeque vivit.* Boëtius *lib.* 3. *de Conſolat.*

Omne hominum genus in terris
Simili ſurgit ab ortu:
Unus enim rerum pater eſt,
Unus cuncta miniſtrat.

Hinc omnium hominum conditio aequalis, apud Ulpian. *l.* 32. *ff. de Reg. Jur.* Quae autem cauſſa ſervitutis? Eam declarat graviſſimus Auguſtinus *lib.* 19. *de civitat. Dei cap.* 15. ubi ſic ſcribit: *Hoc naturalis ordo praeſcribit, ita Deus hominem condidit. Nam dominetur, inquit, piſcium maris & volatilium coeli & omnium repentium, quae repunt ſupra terram. Rationalem, factum ad imaginem ſuam, noluit niſi irrationalibus dominari: non hominem homini, ſed hominem pecori. ...vari jubet, perturbari vetat: quia ſi contra eam legem non eſſet factum, nihil eſſet poenali ſervitute coercendum.* Et hanc ipſam ſervitutis cauſſam fuiſſe docet ante Auguſtinum Chryſoſtomus *homil.* 22. *ad Epheſ.* his verbis: Οἱ μὲν γὰρ ἔξωθεν νόμοι διαφορὰν ἴσασι τούτων τῶν γενῶν (ἐλευθέρων ἢ δεσποτῶν, καὶ δούλων) ἅτε ἀνθρώπων ὄντες νόμοι. ὁ δὲ νόμος ὁ τοῦ κοινοῦ δεσπότου οὐδεμίαν οἶδε διαφοράν, ἅτε κοινῇ πάντας εὖ ποιῶν, καὶ πᾶσι τῶν αὐτῶν μεταδιδούς. εἰ δέ τις ἔροιτο πόθεν ἡ δουλεία, καὶ διὰ τί εἰς τὸν βίον εἰσῆλθε τὸν ἀνθρώπινον, (καὶ γὰρ οἶδα πολλοὺς καὶ ἐρωτῶντας τὰ τοιαῦτα ἡδέως καὶ μαθεῖν βουλομένους) ἐγὼ πρὸς ὑμᾶς ἐρῶ. ἡ πλεονεξία τὴν δουλείαν ἔτεκεν, ἡ βαναυσία, ἡ ἀπληστία. ἐπεὶ Νῶε δοῦλον οὐκ εἶχεν, οὐδὲ Ἄβελ, οὐδὲ Σήθ, ἀλλ' οὐδὲ οἱ μετὰ ταῦτα. ἁμαρτία τὸ πρᾶγμα ἔτεκε· καὶ ἡ εἰς τοὺς πατέρας ὕβρις. ἀκουέτωσαν οἱ παῖδες, ὅτι δούλους εἶναι ἄξιοι εἶναι, ὅταν εἰς τοὺς πατέρας ἀγνώμονες ὦσιν. ἀφείλετο ἑαυτοῦ ὁ τοιοῦτος τὴν εὐγένειαν. ὁ γὰρ ὑβρίζων τὸν πατέρα, οὐκ ἔστιν ἔτι υἱός. κατῆλθεν ἀπὸ τῆς εὐγενείας, ἐξύβρισεν εἰς τὴν φύσιν, εἶτα καὶ πόλεμοι καὶ μάχαι αἰχμαλώτους ἔλαβον.

F I N I S.

INDEX AUCTORUM,

Qui in his PARERGIS, praeter libros Juris, laudantur, explicantur, emendantur.

A.

Accurſius, notatus 358
Afranius 362
Agellius 368. 371. 373. 375. emendatus 372. 373. 375
Alciatus, notatus 374. 379
Alexander ab Alexandro 356. 361. 385
Alexis 377
Alphenus 375
Annonius 379
Antonius Auguſtinus, Juriſconſultus, notatus 383
Antonius Thileſius, reprehenſus 385
Antipater 369
Apuleius 373
Aratus 380
Ariſtophanes 361. 309
Ariſtoteles 363
Arnobius 363. 367. 373. 375
Artemidorus 369
Auguſtinus 356. 359. 387
Aſconius 356
Attius 384
Auctor obſcoeni carminis 367
Auſonius 360. 364. 365. 375. 380 emendatus 381
Auſonius Popma, notatus 384

B.

Barnabas Briſſonius 367
Boetius 382

C.

Cajus, Juriſconſultus 375
Calliſtratus, Juriſconſultus ibid.
Caſſiodorus 360. 366. 373. 379 ejus laus 381 emendatus 381. 382
Caſſius 369
Cato 368
Chryſoſtomus 388
Cicero 358. 359. 374. 378. 384. 386 emendatus 383
Colloquium vetus Graeco-latinum 375. 378
Columella 369
Connanus, Juriſconſultus 359
Conradus Ritterſhuſius, Juriſconſultus 365
Cornelius Celſus ibid.
Cornelius Fronto 356
Cornelius Tacitus 355. 360. 363. 378. 379
Cornificius 357
Cujacius 358. 359. 366. 378 notatus 386 ejus emendatio confirmata 368
Curopalata 358

D.

Dio 355. 361
Dionyſius Gothofredus 366

E.

Eginhardus 379
Ennius 382
Euripides 362
Eutropius 363
Eraſmus 359

F.

Feſtus 356. 377. 380 emendatus 370. 371
Fl. Vopiſcus 364. 380
Florentinus, Juriſconſultus 375
Florus 375

G.

Gloſſarium vetus 356. 357. 360. 361. 365. 366. 369. 370. 372. 373. 374. 376. 377. 378. 379. 380. 381. 382 384 emendatum 361
Guilielmus Fornerius, Juriſconſultus 359
Guntherus, Poeta 355. 379. 385

H.

Harmenopulus 360
Hen. Stephanus, reprehenſus 375
Herennius Modeſtinus, Juriſconſultus ibid.
Hermolaus Barbarus 37
Heſiodus, explicatus 38
Heſychius 356. 357. 360. 361. 370. 371. 374. 38
Horatius 37
Hotomannus 366. 369. 379. 380 notatus 3

I.

Jacobus Curtius, Juriſconſultus 37
Janus Douſa, V. Nob. ibid.
Janus Gruterus, Juriſconſultus 35
Interpres Juvenalis 3
Johannes Borcholdus, Juriſconſultus 3
Johannes Sariſberienſis 355. 373. 3
Joſephus Scaliger 362. 367. 3
Iſaacus Caſaubonus 359. 3
Iſidorus 356. 363. 366. 367. 372. 374. 376 reprehenſus 3
emendatus 3
Julius Scaliger 3
Juliani Imp. epigramma 3
Junius Philargyrus 3
Juſtus Lipſius 3
Juvenalis 357. 362. 378 emendatus 3

Digitized by Google

Lucretius 375

M.

MAcrobius, explicatus 368. emendatus 356
Marcianus, Juriſconſultus 375. explicatus 357
Martialis 361. 365. 368 emendatus 372. 376
Maſſurius Sabinus, Juriſconſultus 356. 375
Muretus 359

N.

NAevius 362. 368
Nonius 361. 362. 367. 378

O.

ONomaſticon Petri Danielis 357
Ovidius 356. 371

P.

PAcuvius 362
Paullus Diaconus 360. 379
Petronius 362. 369
Petrus Pithoeus, Juriſconſultus 360
Philo 365
Plato 367
Plautus 357. 361. 362. 368. 373. 378 emendatus 352
Plinius in Panegyrico 355. 379
Plinius 365. 367. 375. 376. 384
Plutarchus 356. 357. 359
Procopius 360
Prudentius 373. 386

Q.

QUerolus Plauti 383
Q. Fannius Rhemmius Palaemon 382

Servius 361
Servius Scaevola 375
Sidonius 372
Sozomenus 375
Suetonius 355. 359. 362. 378. 382
Suidas 370
Symmachus, emendatus 355

T.

TErentius 372
Tertullianus 361. 367. 377 emendatus 367
Themiſtius 358
Theophilus, reprehenſus 376
Titinnius 361. 368
Tribonianus, reprehenſus 379
Turnebus 367. 376. 385 notatus 369

V.

VAl. Maximus 359. 373
Val. Probus 366
Valla, notatus 385
Varro 362. 365. 367. 369. 374. 376. 377 emendatus 356. defenſus 384
Veteres inſcriptiones 366. 377. 378. 379. 380
Virgilius 360. 369. 372. 378 explicatus 385
Vitruvius 384
Ulpianus, Juriſconſultus 375
Ulricus Zaſius, Juriſconſultus 378

Z.

ZOnaras 366

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

ADoptare 360
Adoptiones variarum gentium *ibid.*
Adoptio per inciſos capillos *ibid.* Per raſam barbam *ibid.*
Alludere, pro allidere 359
Anclaris 370
Antas *ibid.*
Anti pro ante 374
Anticenſores *ibid.*
Antiſtites Juſtitiae, id eſt, Jureconſulti 380
Arca Pontificum 379
Arcae Senatorum in foro 380
Aſtraea *ibid.*
Aurea 375
Aurea bulla 357
Aurea bulla, donationi ab Imperatore ſubſcriptae proxima 358
Aureae bullae Pontificum unde ortae *ibid.*

B.

BAronis etymon 379

C.

CAjus noſter, cur dictus a Juſtiniano 366
Campanum vinum 376
Canes oſtiarii 369
Capſarius 378
Cave cave canem 369
Celia 363
Celtae, id eſt, Germani 364
Chirurgus 366
Circitores *ibid.*
Colobella, pro Colomella 373
Comitum origo 378
Corium, id eſt, Culleus 357
Cotes, pro cautes 381
Creticum vinum 377
Crudum vinum 376
Culleus, tunica de ſparto 357

D.

DEcinctus 371
Degrumari 382
Delubrum 356
Delubri etymon *ibid.*
Demadis dictum 356
Deprehendere, cujus rei verbum 371
Digeſta & Pandectae, proprie differunt 374
Digeſta edicta *ibid.*
Diobolares 362
Dubinus 370

E.

EDeatri 371
Educator 378
Expectare 372

F.

FAbuloſus 372
Fas, id eſt, Juſtitia 380
Felicior Auguſto, melior Trajano 355
Fiduciare 377
Fiſcus & aerarium 379
Fons ante delubrum 355
Formula cadere 362
Fullones dicti, Apuſtil 368
Fullonicae in fundis *ibid.*

G.

GErmani primum vino advectitio uſi 363
Germani quando vineas colere inceperint 363
Germanorum potus *ibid.*
Grammatica diſciplina, pro Geometrica 381
Graef, unde dicatur 379
Gruma 382

H.

HIppocrates Clinicen inſtituit 365
Honorati liberis 369

I.

INcogitare 373
Induciarum etymon *ibid.*
Induciarum dictio late patet *ibid.*

Jousta 371
Jubilare, unde 367
Jupiter Stator 356
ejus templum ubi ibid.
Jusa, id eſt, jura 371
Jus trium liberorum, ſub Claudio 367
Juſtitiae definitio 350
Juſtitiae conſultus ibid.

L.

LAberii Fullo 368
Laſſa viſcera, laſſus ſtomachus 381
Lex Athenienſium βλάβης τετρααιδων 369
Lex Fufia 383
Lex Metella, de Fullonibus 368
Liti cadere 362
Littoris definitio 358

M.

MAnumiſſio per arma 360
Marſicum vinum 376
Matrimonium 359
Medicorum ſectae 364
Membranarum libri 376
Membranis veteres utebantur pro Papyro ibid.
Membranum ibid.
Memoralia 375
Memoralius 376
Meretrix 365
Meretricum nomina à locis, ab habitu ibid.
Moenia lex 384
Molle vinum 377
Morum gratia 372

N.

NAevii tegularia 371
Noctes, pro concubitu 361
Noſtri apud Latinos qui vocarentur 366
Nummaria 362
Nutrix, matris loco 378
Nutritius ibid.

O.

OLor, id eſt, odor 373
Oppiani χρυσᾶ ἔπη 375
Otium, pro pace 374

P.

PAedagogi, parentum loco 377
Paedagogi ſervi 378
Pandectas multi ſcripſerunt 375
Parricidarum poena 357
Patria, major parens 384

Pro...
Proboſcis & promuſcis idem 373
Proclamare 365
Proclamare, ſub Imperatoribus quid notet 367
Proſedae 361
Proſtibola ibid.
Pulſare & verberare, quid differant 385

Q.

QUadrantaria 362
Quaeſtuaria 361
Quotidianarum rerum libri 375

R.

REs, pro lite 362
Ruris amoenia 381

S.

SAcerdotes Juſtitiae 380
Saltus fullonius 368
Scaevola noſter 366
Schoenicolae 362
Servitutis cauſſae 385
Servus natura nemo, neque liber ibid.
Servorum potus 376
Stabulum, pro lupanari 361
Sterilitas mulierum minus decora 369
Submoenianae. 361
Subternus 373
Subterreus ibid.
Sudores bellici 372
Sumere, pro adoptare 360

T.

TAmes, pro tabes 373
Tegularia 371
Tegularius 374
Titinnii fullones 368
Trajanus bonus, mitis 377
Tribonianus Ethnicus 370
Triplex medicorum munus 365

V.

VEſtimentum, pro toga 367
Veſtes meretricum 361
Vincti canes 369
Vinum crudum 373
Vinum durum 377
Vita rogata, proverbium 367
Vulnerarius 366

Z.

ZYthum & cereviſia quid differant 363

VOCABULORUM GRAECORUM INDEX.

A.

AἸκία 383
Ἄκοιτις 372
Ἀναγωγὴ 374

B.

Βωλὴ 358
Βιϋστιον 363

Γ.

Γράμμα 382

E.

Ἐπιχειρεία 374
Ἐργάζεσθαι 366

K.

Καταλβὰς 361
Κατωφείδης ibid.
Κλίμα 367
Κάλυμμα, pro κάλυμμα 373

Λ.

Λαμπάτελα 361
Λαμβάνειν, *pro adoptare uſurpatum* 360

M.

Μῖσον 374

O.

Οἰκουρὸς 369

Π.

Παρασιτὴς 366
Πῖσον 363

Σ.

Σίανον 356

Y.

Ὕβρις 383

X.

Χρυσᾶ ἔπη 375
Χρυσόβουλα 358

CA-

GABRIELIS VALLII,

PICTAVIENSIS,

J. C. & in ſuprema Regni Curia Advocati,

LIBRI SINGULARES,

AD L. GALLUS 29. D. DE LIBERIS ET POSTHUMIS. &c.

AD L. UNICAM C. DE SENTENTIIS, QUAE PRO EO QUOD INTEREST, PROFERUNTUR.

AD. L. IN QUARTAM 91. D. AD LEGEM FALCIDIAM

E T

AD L. FILIUM QUEM 24. C. FAMILIAE HERCISCUNDAE.

NULLIUS ADDICTUS JURARE IN VERBA MAGISTRI.

Digitized by Google

Sacri Conſiſtorii Conſiliario, & Regis in Senatu Advocato,

GABRIEL VALLIUS.

S. D.

QVidam non invenuſte prodit, Vir Ampliſſime, ſtudiorum otioſos peregrinantes aemulari, hisque haut diſpares eſſe: nam dum longinqua terrarum ſpatia petunt multijugis aliter atque aliter diverſantur oris, hic pernoctant, illic interdiu agunt; hic longius morantur, illic aliquanto minus; ac ſubinde tam celeriter pertranſcunt, ut ne inibi gradum fixiſſe videantur: tum demum iter relegentes, laribus in avitis, a quibus jam olim ſeceſſerant, conſeneſcunt. Non ſecus qui Muſarum choros frequentant obiter arte quadam & diſciplina attinentur, atque paucis poſt diebus alteri navant operam, tranſituque mox ad aliam facto, uti res atque tempus monet, huic pene addicuntur, cui ut primum licuit miſſionem dare unam adeo religioſiſſime venerantur, ut illi ſcientiae penitus ſe mancipent, in eaque ad extremam usque ſenectam magis ac magis inaediae, algori, vigiliisque aſſuefacti quotidie deſudent. Sic ad hoc aetatis a pueritia tempus ſtudiis aeque non impertivi; plus in uno, minus in alio, totus in jurisprudentia fui: non mirum igitur ſi Spartham, quam nactus ſim, nunc excolam. Hanc autem legem adhuc incognitam (quamvis eam noſtri omnes ſcriptis ſuis illuſtravere) commentari occoepi, ut tandem innoteſcat civilem diſciplinam obſcuriorem eſſe, quam putent plerique e vulgo doctores, qui, ubi munus interpretandi juris ſuſceptum exequi debuerint, potius ferias agunt, dum in leves quaedam, futiles, & ab edicto Praetoris prorſus alienas quaeſtiones delabuntur, quaſi hodie leges omnes in aperto eſſent. Quorum ſententiam quanto cautius tota antiquitas averſata eſt & reſiluit, uti pluribus veterum monumentis teſtatum eſt. Namque juris arti abſtruſa aenigmata, & nodos plusquam Gordios perpetuo aſſignari conſtat: adeo ut nemo in dubium revocare poſſit ſutelis veterum formularum Papiniano, Scaevola, Paulo, Ulpiano de medio ſublatis, nunc vel doctiſſimos multum divexarier. Sed vereor, ut plurium offenſas ſubeam ſimul ac quis viderit doctiſſimo Cujacio me non ſemper accedere, cujus deſiderio ceu omnes docti valde aeſtuas. Audire jam mihi videor magnos undique diſſonosque ingruentium clamores, quaſi non & ratio praeſto ſit, quae ſuadeat nos ſine faſtidio legum Antiſtites ſequi inſertis etiam conviciis plerumque velitantes, a quibus ſemper abſtinui: in pectore enim meo ubi ingens vulnus fuerit cicatrix non eſt. Quod amoliri invidiam debet, dum ego verbis conceptiſſimis juro Deumque obteſtor me magis id facere aſſerendae veritatis ergo, quam famae aucupandae per obtrectationem alienae ſcientiae. Caeterum, velut ex aliqua peregrina delicataque merce, luſus meos ſeu mavis ſudores vigiliasque tibi prodo. Stultus ego, qui tale audeam? an forte verſutior tanto nomine contra malevolentiae impetus objecto dijudicer? timor aliquantulus, ſed ſpes major. Eccui meliori auſpicio donem hanc proximam foeturam priori de furtivis nuptiis noviſſime accedentem, quam tibi ipſi, qui propter miras virtutum omnium dotes ſummis undique titulis cohoneſtatus inter ſacratiſſimos Juſtitiae myſtas ſplendidiſſime fulges. Qui vere Muſarum parens juxta & alumnus incedis arduus & ſublimis: nam illae primis a cunabulis puerum te enutrivere Pierio in receſſu: moxque, ut in excelſo, & quaſi in ſpecula aetatem agis, gratiſſima & aſſidua animo tuo inſedit majeſtatis publicae, & ſcientiarum cura, quas refoves prope extinctas, duxque agminis palantes illas & extorres in Galliam laetas & dulces earum ſedes revocas ac reducis. Id teſtantur ultro quaecunque meditata vel ſubita profers occurſantibus undique verbis quaeſitis & excultis audiente Senatu gravitate Cenſoria, ac denique libri tui. Quid tui? imo ſunt omnium: nam quae natura eminentiſſima in lucem eduxit communia ſunt. Quid pulchrius aëre? hunc ſpirant univerſa animantia. Quid ſplendidius aquis? in publico manant. Erit itaque acerrimi judicii tui penſitare, num quid dignum chartis elaboremus, & ſi quid noſtri forte tibi arriſerit, brevi aliud opus animabitur. Vale Juſtitiae antiſtes integerrime. Kal. Decem. 1608.

GA-

Digitized by Google

Gallus *ſic poſſe* [1] *inſtitui* [2] *poſtumos nepotes induxit :* [3] *Si filius vivo me morietur ,* [4] *tunc ſi quis ex eo nepos , ſive quae neptis ,* [5] *poſt mortem meam* [6] *in decem menſibus proximis quibus filius meus moreretur natus , natave erit , heredes ſunto.*

[1] *Inſtitui.*] Quis Gallus Aquilius fuerit, quis Scaevola, multi jam ex bonis authoribus affatim prodidere, quos conſules ſi tibi otium; id enim velle altius & quaſi a fonte repetere pene otii dementia eſt. Summa vero ratio, quae me impulit has lucubrationes evulgare, nomen eſt Scaevolae Juriſconſulti *formulae Galli* interpretis, quod apud excultos omnes & eruditos etiam nunc valde eſt honoratum, & percelebre propter Scaevolae Sammarthani praecellentiſſimi vatis, ſummique oratoris ſuavitatem, leporumque omnium inundantiam, ſimul & gravitatis venuſtatem. Bartolus, ut ordiar, Accurſium ſequutus, autumat nepotem poſtumum ex *Galli formula* non *inſtitui*, ſed *ſubſtitui* contra legis iſtius verba & *l. ſi mater* 33. §. 1. *D. de vulg. & pup. ſubſt.* Confirmare ſuam enititur ſententiam ex *l. cum in teſtamento* 37. *D. de hered. inſt* quam neoterici omnes Juriſconſulti nunc averſantur, ne injuria quidem. Haut dubio illud conjectatur argumento : nam in ſubſtitutione conſentaneum eſt ſubſtituto & inſtituto deferri poſſe hereditatem poſt obitum teſtantis, quod in *Galli formula* non contingit: ſi quidem ſoli filio, ſi patri ſuperſtes ſit, defertur; ſin minus, nepoti. Subinde huic ſententiae vis quaedam & pondus accedit, ex eo quod *ſubſtitutio* nihil aliud ſit, quam *ſecunda heredis inſtitutio*, atqui nepos iſte nuſquam heres teſtamento relinquitur vivo patre. Nullus tamen adhuc reſpondere potuit *d l. cum in teſtamento* 37 quae in hac ſpecie duos gradus fieri aſſerit : unde reſultare videtur nepotem hunc quodammodo ſubſtitutum eſſe, cum ſubſtitutio fiat ſecundo gradu, nec quidem Cujacius, qui ſine controverſia inter eos principatum tenet, huic ſcrupulo par eſſe potuit, dum *initio hujus legis* enunciat ipſe tot gradus fingi poſſe, ſi ſcripturam ſpectes, ſin ſucceſſionem, unicum dumtaxat. Atqui conjectatio haec directe verbis *ipſius legis* obloquitur, ibi, *duo gradus heredum ſunt ; nullo enim caſu uterque ad hereditatem admittitur :* ex quibus vides duos gradus dici ratione ſucceſſionis. Reor ego, quantum mihi cernere datur, *dicta in lege* binos gradus eſſe reſpectu ſucceſſionis : etenim ſi unicus tantummodo gradus eſſet, uterque agnoſceretur heres filius & nepos : ſed cum in adeunda hereditate nequeant ambo concurrere, dicere conſequens eſt unum & alterum gradum eſſe. Dices, ergo eſt nepos ſubſtitutus; nequaquam : omnis enim ſubſtitutus eſt quidem ſecundo, vel tertio gradu, & deinceps inſtitutus, ſed non omnis inſtitutus ſecundo gradu ſubſtitutus eſt; ut in *d. l. cum in teſtamento* 37. liquet non eſſe ſubſtitutum nepotem : quaeritur namque utrum nepoti ſubſtitutus ſimul cum filio hereditatem conſequatur : at, ut cuivis facile eſt conjicere, admodum inargute quaereretur, an ſubſtitutus ſubſtitituto admitteretur cum inſtituto, ſi non admittatur ipſe ſubſtitutus. Adjiciam levem adeo eſſe hanc quaeſtionem, ut non debuerit duobus in locis agitari, prout agitatur in *d. l. cum in teſtamento* 37. & *l. ſi mater* 33. §. *fin. D. de vulg. & pup. ſubſt.* Verum ſi nepos in *Galli formula* eſt inſtitutus, non minima dubitatio exoritur, num ſubſtitutus nepoti minime naſcituro admittatur cum filio, quia locum ſubire coheredis videtur. Ad ſummam, ut breviter quae ſentio enunciem, non ſolum in *Galli formula*, ſed & in lege Vellea nepos dicitur inſtitutus, non ſubſtitutus; *l. 2. in princ. D. de vulgari & pup. ſubſt.*

[2] *Poſtumos nepotes.*] Non una Gallus Aquilius cautione aut formula varia juris offendicula vicit & fregit, verum haec inter caeteras non parum eminet. Olim dubitabatur, an heres poſtumus inſtitui poſſet, quoniam incerta perſona videbatur; ſed has inanes juris ſubtilitates Juriſconſulti diſcuſſere, placuitque poſtumum ſuum inſtitui poſſe heredem, *l. placet* 4. *hoc tit.* quod tamen non obtinuit in poſtumo alieno. Quiſnam ſuus ſit, quiſve alienus poſtumus, Juſtinianus docet, §. *poſtumo* 26. *Inſt. de legat* idque not tiae eſt vulgaris. Cum negavi poſtumos alienos ſcribi heredes poſſe, iſtud intelligi velim ex jure civili, non honorario, aut novo Juſtinianeo: inſtitutis enim ſuppetias ferebat Praetor, data eis bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas: §. 1. *Inſt. de bon. poſſ. l.* 3. *D. de bon. poſſ. ſec. tab.* Juſtiniani etiam conſtitutione quadam cautum ſancitumque eſt, ut poſtumis alienis hereditas, atque legatum adſcribi poſſit, quae quidem conſtitutio hodie non extat. Cum igitur teſtator in periculum rumpendi teſtamenti adduceretur (ſi quidem habens filium in poteſtate, & nurum ex eo praegnantem, recte inſtituebat filium, poſtumum nequaquam, quippe alienum) dum ſaepius eveniret, ut qui tempore teſtamenti alienus eſſet, inveniretur poſt mortem teſtatoris ſuus, & ita agnatione rumperet teſtamentum. Huic malo omnium princeps obviam ivit Aquilius, qui non inſubtiliter cautionem formulamque quamdam, velut auxiliare quoddam remedium, commentus eſt : qua tandem huie juris difficultati, veluti morbo cuidam occurreret ac mederetur, noſque hac ſolicitud ne implicitos exſolveret artifici ingenio, quo maxime opus eſſet; illaeſo tamen jure antiquo, ut patet ex *fragm.* Ulpiani *tit.* 22. ubi ait, nepotes natos poſt mortem noſtram jure civili, vivis nobis ex lege Vellea inſtitui licere; & recte, ex *formula* enim *Galli* nihil novi juris ſtatutum, ſed ea inventa ad jus civile revocata eſt : quod jus antiquum nominatur reſpectu legis Velleae, quae jus novum eſt : ſicut jus adcreſcendi antiquum appellatur ratione legis Papiae, quae ipſum obliteravit, uti docet Celſus in *l. pater* 29. *D. de legat.* 2 cum Ulpiano *in fragm. cap.* 18. Nam ante Aquilium jam olim jure civili praeſcriptum fuerat, ut quilibet ſuus inſtitueretur, vel exheredaretur, ne rumperet teſtamentum. Nunc quaenam haec fuerit formula videamus.

[3] *Si filius.*] Legitur in principio *Galli formulae*, *ſi filius vivo me morietur*; nam ſi pater nepotis avo ſuperſit, non eſt locus huic cautioni, § *proximo*, nec legi Velleae, *l. ſi quis filium* 34. *C de inoff. teſt.* cum nepos non naſcatur ſuus, nec ullus ſit metus rumpendi teſtamenti.

Digitized by Google

er caeteros etiam abſque ulla mentione legati, ex-
heredari impune, §. 1. *Inſt. de exher. liber.* ibi & aliis per virilem ſexum deſcendentibus. At poſtumus filius non ſolum nominatim exheredandus eſt, ſed & omnes poſtumi maſculi: §. *poſtumorum* 2. *in fine Inſtit. de exher. liber.* quamvis non defuere, qui contenderint, nepotes & pronepotes poſtumos cum legati adjectione etiam inter caeteros exheredari, quos Ulpianus notat, dum in *fragm. tit.* 22. tutius ait fore, ſi nominatim hi exheredentur, idque magis obſervari. Par non eſt conditio filiae, neptis, proneptis poſtumae, & deinceps: quia inter caeteros recte exheredes fiunt, legato tamen adjecto, ne per oblivionem praeteritae eſſe videantur. Quae tandem Juris diverſitas a Juſtiniano omnino ſublata eſt, *l. maximum vitium* 4. §. *ſancimus C. de lib. praet.*

[5] *Poſt mortem.*] Gallus cavit, ne rumperetur teſtamentum poſt mortem avi nato poſtumo nepote; nihil autem conſtituit de eo, qui vivo avo naſceretur. Omnes, qui noſtram legem interpretati ſunt, hanc rationem attulere hujuſce rei, quod ſi nepos naſceretur vivo avo ſuus, offerebat illi ſeſe occaſio mutandi teſtamenti, eoque ſibi debebat imputare, ſi forte non mutaſſet, cumque poſtremo non inſtituiſſet heredem, aut exheredaſſet: at legem ſuam tulit Velleus, inquiunt, & quae Gallus dixerat de poſtumis, produxit ad eos, qui ſui futuri eſſent teſtatori, etiamſi naſcerentur eo vivo: fieri enim poterat, ut quandoque teſtandi facultas deeſſet, cum id facere ſemper opportune non poſſimus, peregrinantes forte ubi civium Romanorum frequentia & multitudo non ſit: itaque hoc incommodum cadere occurſanti legi Velleae magno accinctae levamento arbitrantur. Sed ſi haec vera ſint, adeone Gallus laevam mentem habuit, ut tale quid ſuſpicatus non ſit? miror noſtros vana iſta & quaſi ſomniorum interpretamenta allucinatos. Lex 12. tab. imo potius ſententia ejus & inductio poſtumos alienos inſtitui ſeu exheredari vetat, ſuos mandat inſtituendos, vel exheredandos: Gallus, ut jus illud iterum interpretaretur, formulam ſuam ingenioſe adſtruxit, qua poſtumus quidem alienus inſtituitur, aut exheredatur, ſed inſtitutio illa, vel exheredatio artifici quodam temperamento confertur in id tempus, quo ſuus naſcitur. Proinde formulam ſuam ad eos non debuit extendere, qui vivo teſtatore naſcerentur, & nequaquam illud exequi potuiſſent. Quia hi non erant poſtumi: quippe, nondum lata lege Vellea, hi tantum poſtumi dicebantur, qui prodirent in lucem humato jam patre, & tamen incertae perſonae videbantur, quas numquam admittebat inſtitutio, poſtumis ſuis exceptis. Itaque lege aliqua opus fuit, quam tulit Velleus.

[6] *In decem menſibus.*] Id tempus lex 12. tab. partui praeſcripſit legitimo, *l. fin. C. de poſt. her. inſt.* Verum ſi haec verba, *in decem menſibus proximis*, minime exprimantur, non minus valebit inſtitutio: tacite enim ſubintelliguntur, *l. cum in teſtamento* 37. *D. de hered. inſt.*

Ad §. quidam recte. 1:

SCAEVOLA.

Quidam recte admittendum credunt, etiam ſi non exprimat de morte filii, ſed ſimpliciter inſtituat, ut eo caſu valeat qui ex verbis concipi poſſit.

Scaevolam Gallum inſimulare exiſtimat Accurſius, ſed hanc notam pudendam eſſe conſtat; interpretatur enim cautionem ejus, non emendat. Operae pretium non eſt, ait Scaevola, in illa diſpoſitione tus, non ut ſuus. Satis eſt tamen ſi hoc tacite inſit verborum ſtructurae; quoniam Gallus non ea mente formulam ſuam contexuit, ut ſuis ipſius verbis alligaremur adſtrictius & tenacius quam opus eſſet; ſufficit ſi ſumma eorum, quae voluit, obſervetur religioſe, hoc eſt, ut nepos inſtituatur in caſum mortis filii, deinde avi: verbi gratia, filius heres eſto, qui poſt mortem meam nepos naſcetur ſuus, heres eſto. Recta eſt ea diſpoſitio: nam quomodo naſcetur ſuus non extincto filio?

Ad §. Idem credendum 2. *& ad §§.* 3. 4.

SCAEVOLA.

Idem credendum Gallum exiſtimaſſe & de [1] pronepote, ut dicat teſtator, ſi me vivo nepos decedat, tunc qui ex eo pronepos. §. 3. [2] *Sed & ſi vivo filio, mortuo jam nepote, cujus uxor praegnans eſſet, teſtamentum faceret, poteſt dicere, ſi me vivo filius decedat, tunc qui pronepos &c.* §. 4. [3] *Num ſi filius & nepos vivant, concipere utriſque mortuis vivo ſe tunc qui pronepos naſceretur? quod ſimiliter admittendum eſt, ita ſane ſi prius nepos, deinde filius decederet, ne ſucceſſione teſtamentum rumperetur.*

[1] *De pronepote.*] Quae dicta ſunt de nepote poſtumo, prorogantur ad pronepotem, ſicque deinceps: pronepos enim inſtitui poteſt vel exheredari in eum caſum, quo ſuus futurus eſt: ut ſi teſtator filium nullum habeat, nepotem habeat, poteſt ita eloqui: *Si me vivo nepos decedat, tunc qui ex eo pronepos, ſive quae proneptis poſt mortem meam in decem menſibus proximis, quibus nepos meus moreretur, natus natave erit, heredes ſunto.* Nec obſervandum erit, ut nepos ex aliqua parte ſit heres inſtitutus; nihil enim refert ſi praetereatur, quod non idem eſt in filio, §. *in omnibus* 10. *h. t.*

[2] *Sed & ſi vivo filio.*] Teſtator tamen ante ea verba, ſi me vivo filius decedat, praemittere neceſſe habet filii inſtitutionem, qui ex his non eſſet inſtitutus, licet Bartoli ſententiam huic adverſam parum erudite ſequutus ſit.

[3] *Num ſi filius.*] Hoc eſt, num ſi filius & nepos vivant, concipere teſtator inſtitutionem poſtumi pronepotis poterit, hoc modo, *filium inſtituo, ſi filius, & nepos moriantur vivo me, tunc pronepos qui poſt mortem meam, &c.* Illud eſt concipere utriſque mortuis vivo teſtatore, quod aſſerit noſter Scaevola admitti, modo prius nepos praeteritus, deinde filius inſtitutus deſideretur, ne ſucceſſione teſtamentum ex ſecundo capite legis Velleae concidat. Manifeſtum id fit ex verbis noſtri textus, & ex *l. ſi quis poſtumus* 9. §. *ſi filium* 2. *hoc tit.* rumperetur enim, ſi decederet nepos amiſſo jam filio: nec quum praeteritus a morte filii protinus in locum ſui heredis ſucceſſerit, teſtamentum ſemel reciſum novas reſumeret vires per vulgatam juris regulam, quo fit ut non ſuccederet pronepos ex teſtamento: quod eſt intelligendum ſummo jure, aliud aequitate ſuggerente: nam eo caſu, quo exſpirat nepos elato filio, avoque ſuperſtite, remiſſa juris ſcrupuloſitate, datur pronepoti bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas, uti Adrianus & Antoninus reſcripſerunt in poſtumo qui naſcitur, praeterituſque vivo teſtatore fato fungitur; tunc enim ſcriptus heres eandem bonorum poſſeſſionem apud Praetorem obtinet, *l. poſtumus* 12. *D. de injuſt. rupt. & irrit.* Haut mirum igitur erit ſi in noſtro nepote id non inique poſtuletur, cum in locum patris ſuccedens ſit quaſi poſtumus & pene agnaſcatur. At praeterito filio, qui diem vitae extremum

e-

Digitized by Google

ſcatur, alter ſuccedat: ita libentius comprobari teſtamentum debuit a praetore in poſtumo, aut nepote non inſtituto quam in filio, quum benignius jure civili ſuſtineatur in uno caſu, quam in altero.

Ad 5 & *quid ſi* 5.

SCAEVOLA.

ET quid ſi tantum in mortis filii caſum conciperet? quid enim ſi aquae & ignis interdictione peteretur? Quid ſi nepos, ex quo pronepos inſtitueretur, ut oſtendimus, emancipatus eſſet? hi enim caſus, & omnes ex quibus ſuus heres, poſt mortem ſcilicet avi, naſceretur, non pertinent ad legem Velleam. Sed ex ſententia legis Velleae & haec omnia admittenda ſunt: ut ad ſimilitudinem mortis caeteri caſus admittendi ſint.

☞ Jam demonſtravit Scaevola, nepotis inſtitutionem non tantum in caſum mortis filii, ſed & ſimpliciter concipi poſſe, quo facto caſus omnes uno velut faſce comprehenduntur, quibus nepos poſtumus ſuus naſcitur, idque ſine controverſia. Nunc ſuo ordine belle perquiritur an ſi teſtator nepotem poſtumum inſtituendo mortem filii ſpeciatim expreſſerit, alii caſus quam mortis deſignentur; ut ſi filius non mortem, ſed aquae & ignis interdictionem pateretur, aut e libero ad miſerabilem captivi fortunam deduceretur, num eſſet ſecundum formulam Galli nepos inſtitutus. Hinc inde dubitandi rationes non deſunt: accedit quod mens Scaevolae nobis in aperto non ſit, quia brevis eſt admodum ejus oratio ac circuncisa: unde qui ſagacius hic ſuboluere nihil prorſus ſapiunt, adeo hic anceps & lubricus locus eſt. Antiqui putant eſſe inſtitutum, alioſque caſus exprimi quaſi per ſaturam. Recentiores fere omnes, ut Aemilius Perrotus, Connanus, Cujacius, Duarenus diſſentiunt. Exiſtimant namque extentionem minime fieri, & inſtitutum nepotem poſtumum in caſum mortis ſilii rumpere teſtamentum, ſi naſcatur captivo filio, aut aqua & igni interdicto. Ait Perrotus in Galli formula ſcribi, *ſi filius me vivo moriatur*; verum ſi teſtator nepotem habeat, non filium, ſpondet mentionem haberi debere nepotis, non filii, & mutandam eſſe hoc modo formulam; *ſi nepos me vivo moriatur*. Sic alternari eam debere cenſet ex variorum caſuum forte, quibus ſuitas filii tollitur, nec ſemper exprimendum eſſe, ſi filius meus moriatur, ſed addendum, vel captus ſit, vel deportatus, ne uno ex his praetermiſſo rumpatur de improviſo teſtamentum. Reſponſum praeſto eſt, dum inter hoc & illud diſparilis ſit ratio. Quis enim ferret filium habentem, ſi nullam hujus mentionem fecerit, imo nepotem ſcripſerit heredem, quem non habet? inſaniret proculdubio mirum in modum authore Ulpiano *in l. quoties* 9. *D. de hered. inſt.* & *l.* 4. *de legat.* 1. Non ita ſe res habet, ſi teſtator nepotem naſciturum ſuum exanimato filio inſtituat: nam ex conjectura voluntatis inſtitutus poſtumus, qui per mortem filii naturalem naſceretur ſuus, videtur pariter inſtitutus, ſi ſuus naſcatur eo, quod filius deportatus, ſeu captus ab hoſtibus, ſive aqua & igni interdictus ſit, quum teſtator eo eſt animo, ut poſtumum, qui ſuus erit, inſtituat: at ſuus enaſcitur non ſolum morte naturali, ſed & civili; quocirca facilis fiet extentio de uno que quantum in me fuerit enitar, & ſingula breviter atque capitulatim, ut eſt meae conſuetudinis, nihilo ſegnius tamen ego intentus, expendam. Majori ex parte interpretes, melioriſque notae rem ita ſuis ſcriptis diffinivere. Poſtumus eſt is, qui vivo teſtatore naſcitur, aut etiam qui mortuo poſt ejus teſtamentum ex lege Vellea *l.* 3. *D. de injus. rupt. & irr. teſt.* Qui naſcitur mortuo teſtatore rumpit teſtamentum, ex jure antiquo, ni reperiatur inſtitutus, vel exheredatus: qui naſcitur eo vivo, debet ſimiliter non praeteriri propter legis poſterioris juſſionem, quo ſit, ut quiſque, ſi velit commodiſſime teſtari, debeat ſic poſtumum inſtituere: ſive vivo me, ſive mortuo natus ſit, heres eſto Aut etiam pure ſeu ſimpliciter, neutrius temporis facta mentione; veluti: poſtumus, qui mihi naſcetur, heres eſto; quoniam natus caſu omiſſo rumpit agnatione ſui teſtamentum, eo quod tranſilire non liceat e jure antiquo ad jus poſterius. Atqui ſi haec vera ſunt, quare lex illa rationem aliunde prorſus quaeſitam attulit; hanc neglexit? Alio proinde lex illa tendit alioque progreditur, quam quo hi levorſum abiere. Illud perſuaſum habeo quibusdam a me penſitatis. Primum concedo non fieri extentionem juris antiqui ad legem Velleam, alias poſt formulam Aquilii lege poſteriori non fuiſſet opus, quae res neminem unquam fefellit aut latuit: ſed id documento non eſt, dictam legem *commodiſſime* 10 *h. t.* ita intelligi oportere: nam Galli cautio & lex Vellea nepotes duntaxat reſpiciunt in alterius locum ſuccedentes, quique ſui inveniuntur ſubſecuto patris obitu, non vero filios poſtumos, quos ſolos intuetur lex *commodiſſime* 10. Itaque abeſt a Gallo & lege Vellea: nec mente agitarunt Pandectarum compilatores, ut deciderent, quod exacte & ex profeſſo, ne dicam ad faſtidium, in *noſtra lege* toties inculcarunt. Igitur ſi loquatur de poſtumo filio, non de poſtumo nepote; ut patet ex ipſius contextu, ibi, quia hic filius nec ſub conditione Quid haec lex commune habet cum Gallo aut Velleo? praeter leve admodum, quod eſt nomen poſtumi, & adhuc inditum aliud agente lege Vellea: ad filium enim nunquam collimavit ſanctionem ſuam. Quid, rogo, circa filium operaretur lex Vellea? Quid in id conferret? non ne ut cuique libuit eum inſtituere prius conceſſum eſt? Itaque incertum, imo fallax hoc mihi videtur argumentum. Latius progrediar. Nullus fuit, ut diximus, qui dubitaverit caſum mortis in Gallo ad caſum vitae teſtatoris non protrahi, ſed in hac re unanimes fuere Jureconſulti, omneſque in legem ferendam conſenſerunt, quam tulit Velleus: atqui audenter non erat fateri in ſpecie legis *commodiſſimo* 10. num unus caſus protelaretur ad alterum: nam huc & illuc variis ac diverſis opinionum flabris impellebantur. Negantium extat ſententia in *d. l. commodiſſime* 10. Diverſae opinionis meminit Juſtinianus in *l. fin. C. de poſt. hered. inſt.* Illa aliquando invaluit, ſed tandem a Juſtiniani conſtitutione exolevit, & verſa vice contraria obtinuit. Utrumque non deſtituitur ſpecioſa ratione: quod oſtendam modo mihi in ambiguam litem deſcendenti liceat quadam animi conjectura haec ſcrutari. Qui arbitrabantur inſtituto poſtumo filio in caſum vitae, ſeu mortis teſtatoris rumpi teſtamentum, ſi naſceretur eo caſu, qui omiſſus eſſet; his argumentum a ſimili ſuppetebat praegrande, denegata juris antiqui ad legem Vel-

pugnator eximius. Nec illum aliquatenus movit haec extentio: namque arbitrabitur illud non admitti in odioſis, dictante juris regula odia reſtringi; quippe odio habentur ea, quae teſtantium voluntates prorſus evertunt, aut aliqua ex parte divellicant. Ob id non mihi multum arridet Molinei judicium, quamvis omnes fere juris interpretes ingenii faſcibus longe ſubmoveat, qui totis viribus conatur has duas leges a ſe invicem ex diametro diſſidentes una conciliare, quaſi omnino non repugnantes: ſequor potius, qua me velut lenta manu ducit Cujacius, qui ſpem diſſolvendi nodi projecit, aſſeruitque legem *commodiſſime* 10. correctam remanſiſſe poſt *d. l. fin. C. poſt. hered. inſt.* Proinde, ut me colligam; quid affinitatis habet praefata lex *commodiſſime* 10. cum noſtro Gallo, aut Vellea lege? non dicimus ante Juſtiniani conſtitutionem recipi debuiſſe protenſionem ex morte teſtantis ad ejus vitam, aut e contra: ſed mortem filii naturalem ad civilem protrahi innuimus, quae non minimum inter ſe diſcrepant; & antequam noſtra ſpecies legi *commodiſſime* 10. poſſet adaptari, putarem quaeri decidique oportere praeſcripta in lege, num inſtitutus poſtumus poſt mortem teſtatoris, cenſeretur inſtitutus non eo mortuo, ſed deportato. Noviſſime ratio Connani occurrit proditque ſuggillanda. Ait ille poſtumum nepotem naſciturum eo caſu, quo inſtitutus non eſt rumpere teſtamentum, dum non eſt inſtitutus ceu naſcitur, atque nominatim eum inſtituendum neceſſe eſſe. Pace ejus dixerim, non ita excipiendi ſunt verba illa *nominatim inſtitui*, quaſi propria nomina heredum, & caſus omnes ſigillatim recenſere teſtator compellatur; ſatis eſt ſi illorum quovisſmodo meminerit: alias qui inſtitueret filium, & filiam, duobus filiis, & filia natis corrueret teſtamentum; namque nominatim inſtituti duo filii non eſſent, contra celebre Pauli reſponſum in *l. clemens* 81. *D. de hered. inſt.* His ita ſtrictim & curſim exaratis, placet mihi veterum, & recentiorum opinio. Aenigmata loquor! ita plane, donec diſtinctius quod ſentio evulgem: ſequenda mihi videtur media Jurisprudentia, atque herciſcundae illorum omnium ſententiae. Juris antiſtitum noſtri ſeculi praevalet enunciatio, dum agitur de nepotis exheredatione: veluti, exheredo filium, ſi filius me vivo moriatur, nepos, qui mihi naſcetur, exheres eſto, Titius heres eſto: teſtator filium interea emancipavit, poſtea ſuam diem obiit, ſubinde naſcitur nepos; naſcitur quidem ſuus, quamvis pater ejus ſit ſuperſtes; animo concipere non poſſum exheredem hunc fore: quia exheres dictus eſt, ſi naſceretur elato patre, non ſi emancipato. Ita reor dicendum, ſi filius civiliter emoriatur: nam benigne inſtitutiones accipiuntur; exheredationes autem non ſunt adjuvandae, *l. cum quidam* 19 *hoc tit.* Ideoque licet inſtitutio fieri debeat nominatim, ſicut exheredatio, *l. filiusfamilias* 26. *hoc tit.* tamen in omnibus textibus, ſi modo non mihi impoſuerit memoriae meae tenuitas, particula, *nominatim*, alteri, *exheredationis*, perpetuo adnectitur, excepta *d. l. filiusfam.* 26. Non provenit iſtud perfunctorie, ſed conſulto atque ex animi ſententia, ſcilicet ut ab illa ſic bene digeſta verborum ſerie praemoneamur plus diligentiae, cautionis, ac ſolertiae impendendum exheredandis, quam in inſtituendis liberis. Si vero de nepotis inſtitutione quaeſtio moveatur, nullo genere par eſt illorum cauſa: quod probatu facillimum erit, ſi ſpecioſi nominis authoritate me non agant, noſtraque diſputatio mille legum fulturis ſuſtinebitur. In primis huic obnixe refragatur ſcriptura §. *proxime ſequentis*, orationis tenorem aggeratim denſarentur in unum; uti ſupra quanti aequum eſt attigimus: verum interpretatio impenſe flagitatur, quum de uno caſu expreſſo ad alium innominatum delabimur. Ad hoc ſunt etiam non minus expendenda verba haec, *Ut inſtituens nepotem qui ſibi poſt mortem ſuus naſceretur, recte inſtituiſſe videatur quibuſcumque caſibus nepos poſt mortem natus ſuus eſſet, atque etiam ſi generaliter heres ſcriptus eſſet.* Nemo eſt, qui neſciat dummodo prima linguae Latinae elementa norit, hunc verſum, *atque etiam ſi generaliter*, idem ſonare quod, ac ſi etiam generaliter: unde verba illa, *ſed ex ſententia legis Velleae & haec omnia admittenda ſunt, ut ad ſimilitudinem mortis admittendi ſint*, ſic explicanda mihi videntur: lex Vellea caſibus omnibus ſuppetias tulit, quibus poſtumus inveniretur ſuus avo vivo; ergo univerſis quoque ſatisfactum eſt per formulam Galli Aquilii, quibus naſceretur ſuus mortuo avo; nam lex Vellea ad veram effigiem dictae formulae reddita eſt, voluitque omnino praecaveri naſcentibus ſuis ſuperſtite avo; quemadmodum Gallus extincto: quibus apertiora in hanc ſententiam ſingi ne voto quidem potuere. Proximo annumeretur argumento, mortem naturalem aequiparari ſemper civili, quando eundem utraque ſortitur effectum: verbi gratia; morte naturali ſocietatem diſſolvi etiam tonſoribus, notum eſt: quia me invito ſocii heredem a me averſum, aut penitus ignotum in hanc aſciſci praeter aequum eſt, cum facile nobis convenire non poſſit. Sic Fiſco, ſocio forſitan exulanti, publicatis ejus bonis, ſuccedente, diſrumpitur ſocietas, reſque ſuas unuſquisque ocius tollit. Si in animo ſitum habeat teſtator, ut nepos poſtumus remaneat inſtitutus illico ac ſuus naſcitur; & non minus ſuus habeatur remoto filio per civilem mortem, quam per naturalem, quorſum illud alienum prorſus a Galli formula judicabimus; praeſertim poſt *l.* 3. *C. de inſt. & ſubſt.* In qua licet mater filios ſpeciatim ſub conditione emancipationis heredes ſcripſerit, & priuſquam voluntati defunctae pareretur pater reus actus ſententiam deportationis meruerit, competit nihilominus filiis jus adeundae hereditatis; quia inſediſſe teſtatricis animo creditur, ut illis obveniret hereditas, ſi ſui juris eſſent; cumque tales fiunt non ſolum emancipatione, ſed & patris deportatione, ſatis eſt, etiam ſi illud modo non expreſſo contingat. Id quoque repetitur in *l. ſi ita* 15. *D. quando dies leg. ced.* Quare idem ex judicio teſtatoris hic admittendum non erit, quum ſecundum hanc formulam nepos inſtituatur, ſi ſuus aliquando extiterit, quod a morte naturali juxta civilique producitur. Deinde, ut recte ait Molineus in *d. l. commodiſſime* 10. *n.* 18. ea eſt natura inſtitutionis, & ſubſtitutionis, ut de uno caſu ad alium, & de una re ad totum, ſi opus ſit, extendatur: illudque multis legibus comprobatum eſt, *l.* 1. §. *ſi ex fundo* 4. *d. l. Clemens* 81. *D. de hered. Inſt. l. ſi ita ſcriptum* 13. *l. Titius* 25. § *Lucius* 1. *hoc tit.* quem noſtrae opinionis fuiſſe ſagaciter olfacio, dum ſuam ſententiam ipſe probat ex *noſtro* §. *& ſequenti.* Hodie nullus locus dubitandi ſupereſt poſt *l. fin. C. de poſt. hered. inſt.* quo loci nova conſtitutione ſua voluit Juſtinianus fieri productionem e morte teſtatoris ad ejus vitam contra jus prius receptum: id inducetur multo magis in eo, quod nunquam contentioſum remanſit. Quoniam autem plurimarum legum occurſu, quae nondum verum ac genuinum intellectum habuere, noviſſime conflictamur, hae nativo ſenſui reſtituendae nobis videntur, ideoque magnum mare iterum enavigabimus. Cujacius extre-

ma

longo ſomnum fas ſit obrepere. Nos vero, qui juſto plus ſermonibus fabelliſque non ducimur, pergimus itinere inſtituto. Verum circumtuentes aſpicimus utique Cujacium in abrupto ſtantem, *d. § in inſulam* 2. deciduo quidem ac nutanti fundamento nimium credentem: ſuae ſententiae majori ſunt adjumento *l. fideicommiſſa* 11. §. *ſi cui* 11. *D. de legat.* 3. *l. cum pater* 77. §. *hereditatem* 4. *D. de legat.* 2 quae tamen legum obumbratio Lynceis oculis intuenti noctem ac caliginem non inducet; modo nefas non ſit leges legibus interpretari. Ecquaenam melior erit interpretatio, quam quae ab ipſorum Jureconſultorum reſponſis arceſſitur? Erit ergo Ulpianus ſui ipſius, & aliorum fidiſſimus interpres, qui *libro* 5. *diſputationum*, ex quo depromitur *l mulier* 22. *D. ad Sc. Treb.* voluntatem teſtantis obices illos diſſipare opinatur. Illic mulier, quae duobus filiis in poteſtate patris relictis alii nupſerat, poſteriorem maritum heredem inſtituit, eumque rogavit liberis ſuis poſt mortem patris eorum, quod in hereditate ſubſedit, reſtituere; accidit, ut pater eos emancipaverit: divus Marcus in auditorio judicavit, fideicommiſſum liberis repraeſentandum, ubi emancipati forent, morte patris non expectata; idque poſtquam intellexit matris voluntatem, quae, quia non crediderat patrem eos emancipaturum, diſtulerat in mortem ejus fideicommiſſum, non dilatura id in mortalitatem, ſi eum emancipaturum ſperaſſet. In his itaque primas tenet voluntas teſtatoris, quae a quovis bono & prudente judice diligenter perquirenda eſt. Proinde leges aliae, quae adverſus nos ingeruntur, non obſtabunt: in *d.* §. *ſi cui* 11. filiofamilias fideicommiſſum relinquitur, ſi morte patris ſui juris efficiatur; reſpondet Jureconſultus fideicommiſſum non deberi, niſi patre ejus deficiente, licet emancipatione ſui juris factus ſit. Haec deciſio locum habet, quum noluerit teſtator deberi fideicommiſſum vivo patre; quod evenit ſi ejus, cui tale injunxit, flagrantiſſimo ac impotenti amore feratur, ita ut convinci nequeat eum voluiſſe carere fideicommiſſo, quandiu illi vita ſuppetat: filios quidem praetulit extraneis, ſed non patri amiciſſimo: in *d. l. mulier* 22. conjux a marito diverterat, idcirco filiis duntaxat conſuluiſſe videbatur, maritum peroſa. Hunc autem § *ſi cui* 11. eo modo eſſe intelligendum, indicio eſt fideicommiſſorum natura, in quibus ſola voluntas praedominatur, *l. penult. D. de leg.* 1. pendentque ob id ex juriſdictione praetoris. In §. *hereditatem* 4 filius cum moreretur natis ſuis hereditatem reſtituere fuerat rogatus, eo mox in inſulam deportato reſtituendi fideicommiſſi conditionem extitiſſe negat Papinianus. Quis in hoc caſu mortem naturalem ad civilem protrahet? Quis dicet patrem impendentis mali neſcium ad mortem civilem reſpexiſſe, quum talia ominari parenti propemodum nefas ſit? non mirum eſt igitur, ſi bona deportati publicentur, ſimul & fiduciaria hereditas, quae illico reſtituetur, poſtquam mors ejus advenerit, *l. Statius* 48. §. *Cornelio* 1. *D. de Jur. fiſci.* At in Galli formula proſpiciens teſtator inſtitutioni nepotis, dum timet ne aliquo modo natus ſuus rumpat teſtamentum, in id omnimodo circumfert oculos, in idque totus incumbit aggeritque caſus omnes, quotquot imaginari quis poteſt; nec aliam conjecturam facere poſſumus: in animum enim teſtator induxerat poſtumum quocumque modo naſcentem ſuum inſtituere. Quis ominaretur teſtatorem ultimum, condentem elogium,

His hactenus agitatis, ad quorumdam verborum noſtri contextus noſtra devolvetur oratio. Ait Scaevola, *quid, ſi nepos, ex quo pronepos inſtitueretur, ut oſtendimus, emancipatus eſſet?* Haec multifarie accepta ſunt obſcuramque conjectationem habent. Quidam (mitto quod cenſent alii) teſtatorem autumant, dum conderet teſtamentum, nepotem tantum habuiſſe, quem ſic heredem inſtituit: nepotem inſtituo, ſi nepos me vivo moriatur, tunc pronepos, qui naſcetur poſt mortem meam, heres eſto; illumque poſtea ſita manu emiſit, qui tandem avo ſuperſtes remanſit: in hac ſpecie pronepos quidem naſcitur ſuus mortuo avo, quia emancipatio nepotis, ipſius ſuitatem ſuſtulit, at non ſecundum nepotis obitum uti inſtitutus fuerat, naſcitur; quae res ſuſpenſam dubiamque mentem reliquiſſe quibuſdam videbatur. Verum commentatio haec veritate non nititur; quoniam ſicut emancipatio ſuitatem elevat, ita inſtitutionem non eludit, noſtra *l. Gallus* 29 §. *fin. D.* ſicque reperirentur nepos, & pronepos ſimul inſtituti, quod eſt ἀδύνατον *l. cum in teſtamento* 37. *D. de hered. inſt.* Petenda eſt itaque horum verborum interpretatio a ſuperiore §. *num ſi & filius* 4 in idque impenſe notanda ſunt ea, *ut oſtendimus*, in quo aſſeritur inſtituto filio, nepote praeterito, ipſoque antequam filius occidat exſpirante, nihilominus valere teſtamentum, atque heredem ex eo pronepotem fore, ſi defuncto avo vitales auras ſemel hauſerit: quia exanimato ante filium nepote, nuſquam ſuus extitit, quo fit ut ejus inſtitutione non fuerit opus. Idem eſt, ſi ſit praeteritus nepos inſtituto filio eodemque ſuperſtite emancipatus: hoc enim caſu adhuc illibatum manet teſtamentum, etiamſi filio, avoque ſupervixerit, quia ſuus non eſt, dum pronepos enaſcitur, ideoque teſtator eum non cogitur inſtituere, quum extranei loco habeatur. Quod verum eſt jure civili, non autem praetorio: praetor enim reſciſſa emancipatione benigne ſubvenit emancipatis, conceſſa illis bonorum poſſeſſione contra tabulas: ad quod non reſpexit Scaevola, ſed ad jus duntaxat antiquum, ut videre eſt in *d.* §. 4. ibi, *Ita ſane ſi prius nepos.*

Ad § quid ſi qui 6.
SCAEVOLA.

QUid, ſi qui filium apud hoſtes habebat, teſtaretur? quare non induxit: ut ſi antequam filius ab hoſtibus rediret, quamvis poſt mortem patris decederet, tunc deinde nepos; vel etiam adhuc illo vivo, poſt mortem ſcilicet avi non rumperet? Nam hic caſus ad legem non pertinet. Melius ergo eſt, ut in ejuſmodi utilitate, praeſertim poſt legem Velleam, quae & multos caſus rumpendi abſtulit, interpretatio admittatur, ut inſtituens nepotem qui ſibi poſt mortem ſuus naſceretur recte inſtituiſſe videatur, quibuſcumque caſibus nepos poſt mortem ſuus eſſet rumperetque praeteritus, atque etiam ſi generaliter quidquid ſibi liberorum natum erit poſt mortem, aut quicunque natus fuerit ſit inſtitutus, ſi ſuus naſceretur.

Pater jure facit teſtamentum, dum filius ab hoſtibus detinetur, quamvis ejus nullam in eo mentionem habuerit, *l penult. hoc tit.* modo ibi animam exhalet, noſtra *l. Gallus* 29. §. *in omnibus* 10. ſi quidem ſuus non eſt, nec in rebus humanis fuiſſe exiſtima-

tur,

gem Corneliam repente ab ipſa nova captivitatis mortuus fingitur, eoque factum uti neceſſe non fuerit eum inſtituere, *l. in omnibus* 18. *D. de capt. & poſtl. rev.* ad ſuos vero rediens nuſquam captivus fuiſſe intelligitur, *l. penult. D. de ſuis & leg. her.* Unde ſi qui filium in manu hoſtium habens teſtetur, in diſcrimen ſubvertendi teſtamenti ſaepiſſime deducitur: eo namque minime inſtituto ſuiſque reddito, injuſtum efficitur teſtamentum, quamvis nepotem heredem eſſe juſſerit. E diverſo eo inſtituto, praeteritoque nepote, rurſum periclitatur: nam ſi filius inſtitutus inter hoſtes naturae concedat, nepoti, poſt mortem avi naſcituro, quominus ſuus naſcatur, non intercedit; ea de re omiſſus rumpit abſque dubio teſtamentum. Quamobrem eo caſu debet inſtitui ſecundum Aquilii formulam: quemadmodum ſuus inventus vivo avo ex lege Vellea, §. *videndum* 14 *h. l.* aliter ſimul ambo inſtitui nequeunt. Quapropter quaerit eruditiſſime noſter Scaevola, *quid ſi qui filium apud hoſtes habebat teſtaretur, quare non induxit, ut ſi antequam filius ab hoſtibus rediret, quamvis poſt mortem patris ſui, vel etiam adhuc illo vivo decederet apud hoſtes, tunc deinde nepos poſt mortem avi naſceretur, non rumperet?* eumque caſum Galli ſubeſſe formulae perhibet tamen obſcure: etenim num illud pertineat ad Gallum, ſi poſt obitum teſtantis nepos naſcatur; vel ad legem Velleam, ſi nepos in lucem prodeat avo ſuperſtite, non eſt quaeſtio enodis. A Galli formula omnino alienum eſſe cenſet Cujacius: cum propter neminem ſuitatis ſedem praeoccupantem; tum quod non moritur filius vivo avo: ad hoc, quia poſtumus patre ſuo ſuperſtite naſcitur. Feror ego in adverſam ſententiam: nam in confeſſo eſt omnia, quae tractantur a Scaevola uſque ad §. *nunc de lege Vellea* 11. ad Gallum pertinere, fruſtraque objiciuntur quae a praeſcripta formula aberrare ſibi tantopere viſa ſunt: non enim poſt patrem filius emoritur, neque magis nepos enaſcitur vivo filio, ſi fictionem legis Corneliae ſpectes, quae mortem captivi trahit retro. Quare hic lex Cornelia tantis excogitata vigiliis fruſtra erit? videſne aliquid eſſe languidius? Quamvis ex primo fortius inſtari poſſit, non deterreor tamen ſupra quam res patitur levibus iſtis atque inanibus ſonis. Dum conditur teſtamentum, aliquem ſuum exiſtere neceſſe eſt, in cujus inſtituti locum cooptari debeat naſciturus poſtumus: eſto! veritas ob id non minus praevalebit, neque ex eo nobis praecludetur veri perſpicientia: quoniam reſpondebimus, durante filii captivitate non omnimodo eum eſſe ſummotum familia teſtantis, neque quandiu in rebus humanis fuit a patria poteſtate prorſus exſolutum videri, ſed jus ſuitatis in ſuſpenſo haberi, *l. penult. D. de ſuis & leg. her. l. illa* 32. §. *is qui* 1. *D. de her. inſt.* Idcirco captivus filius ſuus dicetur, & juxta ſuus negabitur, pro ut utilitas, quae eſt mater juſti & aequi, poſtulabit. Huic rei verba Scaevolae indicio ſunt, ibi, *melius ergo eſt ut in ejuſmodi utilitate interpretatio admittatur.* Exempli cauſa, ſuus hic enunciatur ſuadente utilitate, ne in teſtamento hominis, de hoc alioquin impenſe ſoliciti, proviſio Galli ſibi locum non vindicet. Contra ſuus eſſe deſiit in §. *videndum* 14. *h l.* idque perſuadetur ab ipſamet aequitate, ut lex Vellea ſibi ſedem jure poſtulet, & anxio fluctuantique teſtatori benigne conſulatur; quod ait Jureconſultus audenter affirmari, quia re vera captivus non eſt ſuus, nec quoque ſuus inficiatur, ſed iſtud eſt in pendenti. Non mirum igitur, ſi jus ſuitatis in eam partem declinet, quo utilitas illud deducit: praeſertim, quum Romani nihil teſtamentis ſacratius habuere. Obiter notandum, quod a quibuſdam praeter-

[illegible] que ac manu agiles, vel ſaltem in eos, qui notas explicavere, rejiciendi honeſtior eſt occaſio: neque illorum opinionem pluris aeſtumo, qui emendant, *etiam adhuc illis vivis*; hoc eſt, filio, & avo, avique nomen inperſpicuo fallacique judicio invertunt, dum haec ita accipiunt, *poſt mortem ſcilicet avi*, quaſi dicta ſint de proavo, voluntque pronepotem inſtitutum eſſe, non nepotem, idque contra noſtri textus fidem: nam illic nulla fit mentio pronepotis, aut proavi, ſed nepotis duntaxat, atque avi. Verba noſtri textus facilius decurrent, ſi alias non parum involuta ſic explicem. Quid, ſi qui filium apud hoſtes habebat, teſtaretur? quare non induxit: ut ſi antequam filius rediret, quamvis poſt mortem patris ſui, vel etiam adhuc illo vivo decederet, tunc deinde nepos, poſt mortem ſcilicet avi natus, non rumperet? nam hic caſus &c. Tum demum hoc utitur Scaevola argumento: quemadmodum quis, nepotem in aliquem certum caſum inſtituens, quo ſibi poſt mortem ſuus naſci poſſet, recte inſtituiſſe videtur quibuſcunque caſibus nepos poſt mortem natus ſuus eſſet, rumperetque praeteritus, ac ſi generaliter nulla caſuum expreſſim mentione facta hoc modo inſtituiſſet, *quidquid ſibi liberorum* &c. Ita mirum non erit, ſi caſus hic Gallo ſubjaceat, eadem utilitate occurrente, quae teſtamenta fovet atque vult quantum poteſt conſiſtere.

Ad §. ſi ejus qui 7.

SCAEVOLA.

SI ejus, qui filium habeat, & nepotem ex eo inſtituat, nurus praegnans ab hoſtibus capta ſit, ibique vivo avo, & ejus filio pariat, mox ille poſt mortem patris atque avi redeat: utrum hic caſus ad legem Velleam reſpiciat, an ad jus antiquum aptandus ſit poſſitque vel ex jure antiquo, vel ex lege Vellea inſtitutus non rumpere. [1] *Quod quaerendum eſt, ſi jam mortuo filio pronepotem inſtituat, redeatque mortuo.* [2] *Sed cum teſtamentum ab eo non rumpitur, nihil refert, utrum ex jure antiquo, an ex lege Vellea excludatur.*

Teſtator filium atque nepotem ex eo, ſi ſe vivo filius decederet, heredes fecit; nurus praegnans, ubi paululum temporis interceſſit, ab hoſtibus capitur, ibique vitam, agente avo, & ejus filio enixa eſt; qui quidem nepos poſt mortem patris avique rediit, patre ſcilicet prius elato: alias neque Galli cautioni, neque legi Velleae locus foret, quod ſupra indubitatis notis ſignavimus: ideo de induſtria ſic locutus eſt Jureconſultus, *poſt mortem patris atque avi redeat.* Quaeritur, utrum hic caſus ad legem Velleam reſpiciat, an ad jus antiquum aptandus ſit, poſſitque vel ex jure antiquo, vel ex lege Vellea non rumpere. Videtur annumerari Gallo: quia mortuo avo naſcitur nepos ſuus; quum per illud tempus, quo apud hoſtes remanſit, nondum natus fuiſſe cenſeatur: ſervitus enim morti Juris civilis fictione aſſimilatur. Contra referri ad legem Velleam debere totius rei veritas argumento eſt, dum lex illa conſulat nepotum inſtitutioni naſcentium duntaxat ſuperſtite adhuc avo, uti in hac ſpecie obvenit: modo prorſus hac diſcuſſa fuſaque fictione ſupra ſcripta veritas ſola obverſetur ac emineat. Poſtremum verius haberi fetur Cujacius: at quovis pignore contenderim id noſtro Jureconſulto non collibuiſſe; alioquin *hunc* §. non in alienum, ſed in proprium atque peculiarem locum reſervaſſet, nempe poſt §. *nunc de lege Vellea* 11. *h. l.* Dices paucis ſaltem nobis hujuſcemodi ſcru-

pu-

Digitized by Google

dibile memoratu non eſt, quum ipſe in §. *quid ſi qui filium 6. h. l.* monimentis prodiderit, Scaevolam parum advertiſſe in ſcribendo mendiſque ſcripturam ejus omnem compleri. Caeterum culpam ſuam male praetexit mendo §. *idem credendum 2. h. l.* inſerto: nam quamvis illic liber Florentinus habeat, *pronepote*, non ſine vitio; tamen id detegitur collatis in unum aliis exemplaribus, verum in *noſtro* §. nulli ſunt libri, qui opinionem ejus adjuvent: neque in diſcrimen vocabimur, ſi dixeris in chartulis emendationibus legi, *quod quaerendum*, non, *idem quaerendum*: namque binae illae lectiones in idem recidunt, verum tamen elegantius exaratum eſt, *quod quaerendum*: quia difficultas, in principio mota, eadem propemodum in fine agitatur; videlicet, num caſus hi ad legem Velleam, an potius ad jus antiquum aptandi ſint. Subinde ipſemet Cujacius ita lectitans, dum tentat ſe a tendicula quadam expedire, quae ex alla interpolatione oboritur: id parum procedere ſentiens, e Charybdi, ut olim proverbio ceſſit, in Scyllam devolvitur, rurſuſque noſtrum contextum adulterat & corrumpit, legens *nepotem pariat*, eaque atroci ſtylo effodiens, *pronepotem inſtituat*; quo facto nihil fingi poteſt audentius. Proinde mihi, multa agitanti, probabiliorem eorum ſententiam eſſe conſtat, qui abſque mutatione ulla rem omnem, quam facillime poteſt, ſic aperiunt. Teſtator nepotem ex filio, qui jam morte occubuerat heredem ſcripſit, & ſi ſe vivo is moreretur, pronepotem eo naſciturum inſtituit; uxor nepotis, quae geſtabat in utero, ab hoſtibus intercipitur; eo loci pronepos naſcitur, reditque amiſſis nepote, & proavo: utriuſque quaeſtionis eadem hic ſubjicitur deciſio. Sciſcitabitur forſan aliquis, ſi haec ita ſint, quare ſcriptum ſit a Scaevola, *mortuo*, non, *mortuis*: huic ſatisfaciam breviter & perſpicue. Jureconſultus prudens ſciens mortem nepotis ſilentio praetermiſit, quoniam de ejus inſtitutione ne quidem verbum fecerat, neutrum exprimens, & utrumque ex his, quae praemiſerat, animis hominum leniter inſinuans: ne dum nepotis interitus meminiſſet, in caecas ſuſpiciones inſtitutionis ejuſdem, aut exheredationis praeter jus neglectae nos conjiceret, quod eſt artis perquam exquiſitae: dum Juriſperitis nihil aeque ſolet ut brevitas placere, in hocque praecipue habet Juriſprudentia majeſtatis ſuae pondus. Scripturam noſtrorum circumferas, perſuaſum habeo te alibi non inventurum quidquam aliud tam breve, adſtrictum aut circumciſum, tamen infra rem non eſt eorum oratio. Hoc igitur loquendi genus noſtrum Scaevolam non indecebit, quod parum aſſequuti ſunt homines poſtumi, qui ad illuſtrandum jus civile animum appulerunt: unde illis numeroſa quaeſtionum ſeries, nobis litium leges confertiſſima luxurianſque quaſi ſortito obtigit. Hinc cognoſci poteſt faſtidiendam Accurſii non eſſe ſententiam, qui verbis illis *mortuo eo* ſubdit, non inerudite: *ſcilicet proavo*.

2 *Sed cum teſtamentum.*] Quorſum illud? nonne inſtitutus ex jure antiquo rumpit teſtamentum, ſi naſcatur in caſum legis Velleae, & e converſo. Cujacius autumat, teſtatorem nepotem aut pronepotem commodiſſime, ſive vivo ſe, ſeu mortuo naſceretur, vel ſimpliciter teſtamento heredem reliquiſſe, hacque de cauſa nihil referre, utrum ex jure antiquo, an ex lege Vellea excludatur a teſtamento rumpendo, quum ſub uno aut altero caſu enaſcituro poſtumo ſibi teſtator non defuerit. Mirum eſt, quo hic caſus ſi ad legem Velleam pertineat, jure inſtitutus non dicetur: e contrario ſi ad Gallum referatur, & ſit inſtitutus ſecundum legem Velleam, praeteritus quoque cenſebitur. Utique reſpondet, ſive Teſtator ad Gallum, ſive ad legem Velleam reſpexerit, neutrum fruſtra eſſe: quia illud videtur ad utrumque jus pertinere bicipiti ratione, uti paulo ante patefecimus, hocque latius nunc proſequemur: praevaricatio enim eſt curſim attingere, quae ſunt inculcanda. Dum nepos (idem erit de pronepote, ubi primum ſpeciem aliquanto converteris) remeat ab hoſtibus, patre, deinde avo mortuo, ortus dijudicatur vivo avo, quia re vera ſic natus eſt, nec ideo magis natus affirmabitur, quandiu pater ejus vixit, adverſante ſupra ſcripta juris regula, quae vult morti ſervitutem aequiparari, ſed ei poſtliminio jus ſuitatis, & natalitii reſtituitur ab eo temporis decurſu, quo pater vita conceſſit: quoniam poſtliminium habet filius apud hoſtes ſuſceptus, *l. penult. D. de ſtat. hom.* inde vivo avo & patre extincto dicitur naſci: quia quo diſpoſitio valeat, circumſpicitur praedicta regula, ſervitutem morti comparari ſolius patris reſpectu, quae eſt inefficax avi intuitu: in tantum, ut a morte patris duntaxat jura ſui heredis ob fictionem poſtliminii nanciſcatur, ſicque diverſa ratione, diverſiſque temporum momentis, idem ſuus occurſat, & non ſuus. Neque abſurdum puto fore, ſi dixerimus, ſervitutem mortemque juxta haberi, moxque illud pernegaverimus: quia fictiones illae diſpoſitioni teſtamentariae inſerviunt, atque pro ipſa excubant, quo ſpectat §. *ſuperioris* exemplum. Ideoque male omnes hanc orationem accepere, quaſi noluerit decidere Jureconſultus, quod bis antea quaeſiverat: namque dubitantem, quo facto opus eſſet, edocuit cauſam non haberi, propter quam ſupremum judicium reſcindi poſſet, quum ſit ex hac diſpoſitione nepos, vel pronepos inſtitutus, ſeu Gallo, ſeu legi Velleae teſtator animum intenderit.

Ad §. Forſitan 8. & §. Ergo 9.

SCAEVOLA.

Forſitan addubitet quis, an iſtis caſibus, ſi nepos poſt teſtamentum naſcatur vivo patre ſuo, deinde ex eo concipiatur, iſque mortuo patre, deinde avo naſcatur, an non potuerit heres inſtitui, quia pater ipſius non recte inſtitutus, eſſet quod minime eſt expaveſcendum: hic enim ſuus heres naſcitur & poſt mortem naſcitur.

§. 9 1 *Ergo & ſic pronepos admittetur, qui natus erit ex nepote poſtea vivo filio, atque ſi ex eo natus eſſet adoptatus.*

Filium atque ſi ſe vivo moreretur, quemlibet poſt mortem ſuam enaſciturum teſtator heredem eſſe juſſit; ut puta, inſtituo filium, &, ſi me vivo moriatur, quicunque poſt mortem meam ſuus naſcetur, heres eſto, nepoſque ſuperſtitibus avo patreque ſuo exoritur: quo caſu non erat inſtitutus, neque poterat inſtitui (ideoque ſuperior ejus mentio praeteritionis eſt inſtar) poſt ex eo concipitur pronepos, qui mortuo patre, moxque avo naſcitur, hoc eſt, deſiderato prius nepote, quam filio. Quaeritur numne potuerit heres inſtitui: reſpondet Scaevola minime expaveſcendum ob inſtitutionem nepotis inutilem (quatinus ipſemet praeteriri poterat impune) ne ſit recte inſtitutus. Scripſit autem, *iſque mortuo patre, deinde avo naſcatur*, quia, ſi nepos patris

pera abſtulit, ſuus nunquam remanſiſſe viſus eſt: unde parvi refert, fuerit inſtitutus, nec ne, §. *num. ſi & filius* 4. *b. l.* ibi, *ita ſane ſi prius nepos.* Caeterum praetermittendum non eſt, poſt patris atque avi obitum proavum deceſſiſſe modico prius quam pronepos enaſceretur: alias eadem ratione, qua diximus nepotem omiſſum, fruſtra quoque foret inſtitutus: ſicque ſe habet Galli Aquilii formula.

[1] *Ergo & ſic pronepos.*] Verba illa ſunt altae indaginis; continent enim quibuſdam integumentis involutam orationem: nam ſi pronepotem vivo filio admitti enuntiaveris, perquam ridiculum erit. Itaque ſingulorum opiniones repetam, quo illuſtria magis magiſque in aperto ſint. Sic ea Goveanus excutit, quam lectionem valde non aſpernor: *Pronepos admittetur ex nepote, qui natus erit poſtea vivo filio.* Perrotus vero, cujus ſententiam amplectitur Connanus, haec ita illuſtrando nihil immutat: *qui natus erit ex nepote poſtea vivo filio;* hoc eſt, poſt quem vivus filius fuit: ſed ſupra rem durum eſt hujuſcemodi loquendi genus. Cujacius autem eo modo, *& ſi nepos omittetur, qui natus erit ex nepote, poſtea vivo filio atque ſi eo natus eſſet adoptatur:* verum tot dictionum interpolatio mihi non arridet. Malim *poſt eum*, non *poſtea*, quo modico mutato, facilis horum verborum, & ſequentium verus ſenſus elicietur, *atque ſi ex eo natus eſſet adoptatus*, id eſt, ac ſi eo filio genitus eſſet, & adoptatus, ſive ſuffectus in locum nepotis.

Ad §. In omnibus 10.

SCAEVOLA.

IN omnibus his ſpeciebus illud obſervandum eſt, ut filius duntaxat qui eſt in poteſtate, ex aliqua parte ſit heres inſtitutus: nam fruſtra exheredabitur poſt mortem ſuam: quod non eſt neceſſe in eo filio, qui apud hoſtes eſt, ſi ibi decedat: & in nepote certe & pronepote, quorum ſi liberi heredes inſtituantur, inſtitutionem numquam exigemus, quia poſſunt praeteriri.

In omnibus his ſpeciebus.] De quibus nos ſatis ſuperque diſſeruimus, ni apud hoſtes ſit ibique decedat, ſicut paulo ante docuimus, in §. *quid ſi qui filium* 6. *h. l.* legi filium heredem expedit, ſaltem aliqua in parte, ne, quod ſane nullius foret momenti, *l. ſi ita ſcriptum* 13. §. *fin.* juncto *noſtro* §. *hoc tit. & l. ſuus quoque* 4. *D. de hered. inſt.* poſt mortem ſuam exheredetur. Illud occurret ſtatim, ſi ad Gallum, aut legem Velleam te converteris: utrinque enim facta eſt nepotis inſtitutio poſt mortem filii, quo fit, ut nequeat adiri patris hereditas, priuſquam noviſſimum diem obierit: atque vires non habet exheredatio, donec facultas adeundae hereditatis ex teſtamento competat: ergo in *hoc.* §. filium exheredatum poſt mortem ſuam belle jactatur. Adverſus quae haud leve inſilit objectum ex *l fin. D. de cond. inſt.* cujus mens quum nedum hodie in aperto ſit, animum meum cupido involat ejus in priſtinum lucis & gratiae ſuggeſtum reſtituendae, unde per tot ſecula deciderat, illudque majore niſu, quam antea tentatum eſt, expediam, & forſan feliciori eventu. Ipſius Papiniani verba ſubjiciam: *Si filius ſub conditione heres erit, & nepotes ex eo ſubſtituantur, quum non ſufficit ſub qualibet conditione filium heredem inſtitui, ſed ita demum teſtamentum ratum eſt, ſi conditio fuit in filii poteſtate: conſideremus numquid interſit, quae conditio fuerit adſcripta: utrum quae moriente filio impleri non potuit; veluti, ſi Alexandriam ierit filius, heres eſto, iſque Romae deceſſit: an vero quae potuit etiam extremo vitae momenti impleri; veluti, ſi Titio decem dederit filius, heres eſto: quae conditio nomine filii per alium impleri poſſeret argumentoque eſt, quod apud Servium quoque relatum eſt: quendam enim refert ita heredem inſtitutum, ſi in capitolium aſcenderit, quod ſi non aſcendiſſet legatum ei datum, eumque antequam aſcenderet mortem obiiſſe: de quo reſpondet Servius conditionem morte defeciſſe, ideoque moriente eo legati diem ceſſiſſe:* id eſt, morte inſtanti & ingruente, necdum obita (quippe inſit conditionem ante mortem inſtituti defeciſſe) compertum enim eſt eum feſſo corpore, ubi finis adeſt, non poſſe in capitolium aſcendere: quapropter eo vivo, tamen moriente, legatum occoepit deberi; haut ſecus quum inſtituitur ſub alia quavis conditione, quae non poteſt expleri, jam jam imminente ſupremo vitae halitu, conditio defeciſſe exiſtimatur, atque eodem vivo aut ſubſtitutioni, vel ſucceſſioni legitimae locus eſt. *Altera vero ſpecies conditionis*, quae videlicet impleri poteſt mortis in ipſo limine, *vivo filio non admitti nepotes ad hereditatem, qui ſubſtituti ſi non eſſent, inteſtato avo heredes exiſterent: neque enim filius videtur obſtitiſſe, poſt cujus mortem patris teſtamentum deſtituitur*, ut in ſuperiori conditione ſui interjectu offecerat: nam dictum eſt filium inſtitutum ſub conditione, quae ultimo vitae ejus tempore nequeat impleri, heredem extiturum legitimum, ſi ſubſtitutus nullus ſit, *l.* 5 *D. de hered. inſt.* dum in occulto non eſt eum vivum conditione defectum, atque proximiorem eſſe teſtatori agnatum. Non mirum igitur ſi obſtet eo caſu nepotibus, quod non evenit in alterius conditionis adjectione: etenim, quum illa vivo filio, licet morte adventante, expleri poſſit, nequaquam irritatur teſtamentum, niſi poſt mortem filii, quo tempore deſtituto teſtamento, locus ſupereſt ſucceſſioni legitimae; verum ſub id tempus nepotes reperiuntur proximiores agnati, qui ob id legitimi heredes forent, ſi ſubſtituti non eſſent: his vero ſubſtitutis non quidem deſtituitur, ſed ſine cunctatione, ab interitu filii duntaxat, ſubſtitutioni locus dabitur: *quemadmodum ſi exheredato eodem filio, nepotes, quum filius moreretur, heredes fuiſſent inſtituti* En verba, quae noſtros angunt & fatigant: filio exherede, nepotibuſque inſtitutis cum filius moreretur, videtur haec inſtitutio non magis pollere, quam apud Aquilium inſtitutis, ſi filius exheredatus agente teſtatore morte occubuiſſet Ne multa, tanti diſſidii occurſu inſigniores eo uſque exhorruere, uti prudenter & modeſtiſſime reticuerint, & Cujacius exiſtimarit in *l. ſi ita ſcriptum* 13. §. *fin. hoc tit.* aliquid deeſſe in extrema illius legis parte. Ecquid huic fini conveniens applicabitur? Cujacium quidem ſemper extuli, quoniam inter Juriſperitos hujuſce tempeſtatis jure principatum obtinet, illique palmam dedere tentati plurimi legum nodi, quanquam griphis illis, ut mulae ſolea tenaci in voragine, creberrime attineatur, quinetiam levibus & fluxis interdum ingeniis obrepit: at hi conatus illaudati non abeunt. In hoc etiam Accurſius, quid illi intentatum? omnes Juris interpretes, quotquot ſunt aut fuere (fremant licet, meque Accurſianum quantum velint per ludibrium vocitent! nomen enim illud, alioquin percelebre, neſcio an inconſulte ac veluti per dementiam, an vero propter glorioſas & jactantes eorum litteras dehoneſtant, interque convitia, contumelias, & probra dinumerant) longe exſuperat, longoque habet proximos intervallo. Quoniam autem noſtrae ſunt partes ea aliquanto curioſius introſpicere, praefabimur, etiam reclamante Cujacio, multum referre, utrum quis exheredato filio, ſi vivo teſtatore moriatur, inſtitutus ſit, an concepta ſit inſtitutio, cum filius morietur. Primo caſu poſt mortem ſuam exheredatur, quod ab altero longe eſt: tunc enim minime differtur inſtitutio in id tempus, quo filius naturae conceſſerit, ſed vires ha-

Digitized by Google

tior eſt, quam ut indicari deceat. Nec mihi cuncta, quae non ſunt operis inſtituti, complectendi cupido inceſſit. Experiamur, num hic intellectus poſtremis legis iſtius verbis concinne attexatur. Si filii inſtitutioni conditio inſerta ſit, cui moriens parere queat, nepotes ſcripti heredes a ſucceſſione avocantur, eo uſque donec exanguis & lumine caſſus habeatur: non aliter atque ſi filio exherede nepotes, cum ille moreretur, eſſent heredes nominati. Quid magis, quam haec duo, diſſonum? Primo caſu non fiunt inſtituti vivo ſilio hereditatis compotes, ſed, ſi exheredato filio, & quum ille morietur inſtitutis nepotibus, ipſi ad hereditatem non admitterentur, niſi poſt mortem filii, conciderct teſtamentum, eo quod filius poſt mortem ſuam eſſet exheredatus; eoque putarim, verba illa eſſe a ſua ſede traducta in alienam: ſic enim *dicta l. fin.* recitari debet: *Nam ſuperior quidem ſpecies conditionis admittit, vivo filio, nepotes ad hereditatem, qui, ſi neminem ſubſtitutum haberet, dum moritur patri legitimus heres exiſteret: quemadmodum ſi exheredato eodem filio nepotes quum filius moreretur heredes fuiſſent inſtituti, argumentoque eſt &c.* Ita legendum ſenſus communis ſuadet, ſimul illa conjunctio *que* primum argumentum poſteriori adnectens; tuncque omnis orationis tenor erit enodis, nec minus accipiet lucem quam opus ſit: nam filio inſtituto ſub conditione poteſtativa, quae, deficiente eo, impleri non poteſt, admittuntur eo vivo nepotes ſubſtituti ad hereditatem, ceu ſi, exheredato filio, forent heredes inſtituti, quum filius moreretur. Haec eſt, ni fallor, Papiniani oraculi vera & genuina interpretatio.

Ad §. Nunc de lege Vellea 11. §. 12.

SCAEVOLA.

N*Unc de lege Vellea videamus, quae voluit vivis nobis natos ſimiliter non rumpere teſtamentum.* §. 12. *Et videtur primum caput ad eos ſpectare, qui quum naſcerentur ſui heredes futuri eſſent: ergo ſi filium habeas, &* [1] *nepotem nondum natum ex eo heredem inſtituas,* [2] *ſi filius decedat, mox vivo te nepos naſcatur, ex verbis dicendum eſt non rumpi teſtamentum.* [3] *ut non ſolum illud primo capite notaverit, ſi nepos eo tempore inſtituatur, quo filius non ſit, verum & ſi vivo patre inſtituatur: quid enim neceſſe eſt tempus teſtamenti faciendi reſpici, quum ſatis ſit obſervari id tempus quo naſcitur? nam & ſi ita verba ſunt, qui teſtamentum facit, is omnis virilis ſexus, qui ei ſuus heres futurus erit, &c. etiam ſi parente vivo naſcantur.*

De Gallo hactenus. Ad legem Velleam tranſeamus; ſicque e fine ſunt quaedam veluti initia. Quum nepotes vivo teſtatore, enaſcebantur in ſuperiori formula (uti ſupra memoravimus) nihil erat levamenti: hac de cauſa Velleus caſum hunc praeſentaneo remedio fovit, & poſt quendam temporis interjectum effecit, ut poſtumi quoque eſſent, qui facto teſtamento, vivoque teſtatore naſcerentur, & quaſi poſtumi, qui ſuperſtites aderant nondum meditatis ſupremis tabulis, ſuique demum inveniebantur teſtatore itidem incolumi; quo fit ut ſucceſſio modo agnationis incedat, & qui locum ſui heredis impleverit, quaſi agnaſci videatur, *l. poſtumorum* 13. *D. de injuſ. rupt.* Quoniam autem ſuperfuere, dum complicabantur, peſſumque ibant, quatenus incerti hominis non poſtumi fruſtra erat inſtitutio vel exheredatio. Poſtremi quamvis occultior, erit tamen denuo in facili. Si nepotes natos omitti placuit impune, potuere ſimiliter hi nepotes ſuperſtites praeteriri, qui ſubeunt gradum ſuitatis vivo avo: atqui ratioque efflagitabat nominatim inſtitui vel exheredari poſtumum nepotem, quandocunque filius enaſceretur, nihilo ſecius in his obtenditur, qui nunc dicuntur ſuccedere: ideoque lex Vellea cavit, ut quaſi eſſent poſtumi, quo facilius ultimo ſuo capite ſanciret, hos nominatim quoque eſſe exheredandos, atque probaret illorum factam inſtitutionem ex jure antiquo. Ergo nepotes, qui naſcebantur ſui vivo avo, priſco jure inſtitui fuere contumaces, quippe incertae perſonae, nec tamen poſtumi; eo factum, ut ex primo capite legis Velleae inſtituantur, prius illis nomine indito poſtumae prolis; at non ita proximo de nepotibus ſuperſtitibus ſtatuitur: nam ex lege 12. tabul. eos inſtituere fas erat: ſed quandoque magis ex non praeviſa morte filii quam ut par eſſet praeteriebantur, §. 1. *Inſt. de exh. liber.* idcirco poſtumorum ſpeciem ipſumos prae ſe ferre poſtremo ſuo capite deſideravit, quo teſtatores inſtantius ſtimularentur eorumdem memini[illegible], ſicque in melius jus priſtinum deflexit. Verum ex ſecundo illo capite non inſtituuntur, ſufficit ſi in locum ſuorum ſuccedant, ac veluti agnaſcantur, ne oblivione irrepente inſtitutionis fiant exſortes, ſed potius inſtituantur, vel, ſi ita fert, ſaltem exheredentur: quod patefacit §. *videndum* 14. *h. l.* ibi, *ſi quis ex ſuis heredibus ſuus heres eſſe deſierit, liberi ejus & caeteri in locum ſuorum ſui heredes ſuccedant*, hoc eſt, quemadmodum filii ſunt exheredandi nominatim, ſic & nepotes ſuperſtites: in locum enim alterius vere quis aſciſcitur, ſi perinde eum, qui ſuccedit, quam eum, cui ſuccediur, aeſtimemus: alias ſi lex illa voluiſſet ſolum polliceri, parentibus eorum ſublatis, nepotes ſuos heredes fore, neminem illud praeteriret, nihilque novi juris decerneretur. Unde in *l. ſi quis filium* 34. *C. de inof. teſt.* dicitur nepotem ex lege Vellea poſſe in locum patris ſui ſuccedere, addito, & reſcindere teſtamentum. Ad ſummam, primum caput levat praeſertim teſtamenta; poſterius aliud agit, conſulit magis nepotibus ſuperſtitibus, qui tandem ſui inveniuntur, annuitque eorum factae inſtitutioni. Haec annotatione digna mihi viſa ſunt, quo mens legis Velleae recludatur. Caeterum ne ſermo noſter longius procedat ad verborum noſtri contextus explicationem progrediemur.

[1] *Nepotem nondum natum.*] Ait Scaevola *nondum natum*, quia, ſi natus eſſet, ubi inſtitueretur, non pertineret illud ad primum caput legis Velleae.

[2] *Si filius.*] Additur *ſi filius decedat, mox vivo te nepos naſcatur:* namque ſi nepos enaſceretur, antequam filius vita decederet, caſus ille a praedicto primo capite diverſus inſuper exiſtimaretur, quippe ſuus natus non eſſet: quod exigi neceſſario his verbis anterioribus liquet: *videtur primum caput ad eos ſpectare, qui quum naſcerentur ſui heredes futuri eſſent.*

[3] *Ut non ſolum.*] Poſtea ſubditur *ut non ſolum illud primo capite notaverit, ſi nepos eo tempore inſtituatur, quo filius non ſit, verum & ſi vivo patre inſtituatur.* (ſic enim legendum, non, *naſcatur*) alioqui ſententia Juliani foret inutilis; tamen adhuc ingens con-

ſta-

Digitized by Google

ret, cum eſſe inſtitutum ex lege Vellea, quaſi illud jure antiquo, lege ſcilicet 12. tabul. toleratum prius non fuerit, quod Perrotus averſatus eſt, non quidem injuria. Caeteri hunc nodum ſuo more diſſimularunt. Cum liceret nepotem poſtumum inſtituere, ad idque juris antiqui vis eſſet ſatis efficax, legem Velleam hunc caſum non notaſſe argumentum eſt, quod ſecundo ſuo capite nepotem noluit inſtitui, dum illud patrabatur antea perquam commode; inſtitutionem illius factam ex jure antiquo confirmare maluit. Sic autem rem omnem uti cognovi aperiam. Titio, teſtamentum ordienti, nullus erat filius; is juxta legis Velleae formulam ſic eloquitur, quicunque vivo me ſuus naſcetur haeres eſto: primum filius huic naſcitur, qui multo poſt uxorem duxit, eamque moriens gravidam reliquit, quae tandem peperit, mortuo eo, atque teſtatore ſuperſtite, nepotem: hic naſcitur ſuus, & poſtumus, nec tamen rumpit teſtamentum, quoniam ex lege Vellea recte inſtitutus eſt. Lex enim illa non ſolum primo ſuo capite meditata eſt, ſi nepos ex eo tempore inſtituatur, quo pater vivat; verum etiam, quo filius non ſit: *quid enim neceſſe eſt tempus teſtamenti faciendi reſpici, quum ſatis ſit obſervari id tempus, quo naſcitur:* nam *legis illius* ſic verba ſe habent: *qui teſtamentum faciet, is omnes virilis ſexus, qui ei ſui heredes futuri erunt, &c. etiam ſi parente vivo naſcantur*, quae quidem ita recitanda ſunt, uti deſideravit Cujacius, non *is omnis virilis ſexus, qui ei ſuus heres futurus erit, &c. etiam ſi parente vivo naſcatur:* quoniam ita concepta ſunt, ut ſoli poſtumi mares exheredandi videantur nominatim, aut inſtituendi juxta hanc formulam. Scrupulus tamen eminet, cui mihi curae eſt nunc ſatisfacere. Dicet enim forſan aliquis: quotieſcumque teſtator quemlibet ſuum enaſciturum heredem inſtituit, filium nondum habens, nepotem non videtur heredem ſcribere ſed filium, qui primo naſciturus eſt, *Arg. l. boves* 89. §. *hoc ſermone* 1. *D. de verb. ſig.* verum haec diſpoſitio non reſtringitur ad primum heredem, ſed ad quoſcunque ſuos enaſcituros protrahi verius eſt, *l. placet* 4. *cum l. ſequenti hoc tit.*

Ad §. Sequenti 13.

S C AE V O L A.

SEquenti parte, ſuccedentes in locum liberorum non vult lex rumpere teſtamentum. Et ita interpretandum eſt, ut ſi & filium, & nepotem, & pronepotem habeas, mortuis utriſque, pronepos inſtitutus ſuccedens in ſui heredis locum non rumpat: & bene verba ſe habent, ſi quis ex ſuis heredibus ſuus heres eſſe deſierit, ad omnes caſus pertinentia, quos ſupplendos in Galli Aquilii ſententia diximus. Nec ſolum ſi nepos vivo patre decedat, nec ſuccedens pronepos, avo mortuo, rumpat, ſed & ſi ſupervixerit patri, ac decedat, dummodo heres inſtitutus ſit, aut exheredatus.

Partem ſequentem legis Velleae non ſolum de nepote ſuperſtite accipi, ſed & porrigendam eſſe ad pronepotem, & deinceps oſtendit Scaevola: ut ſi filium & nepotem, & pronepotem habeas, mortuis utriſque pronepos inſtitutus, ſuccedens in ſui heredis locum non rumpet teſtamentum, ſive nepos vivo patre ſuo decedat, & ita ſuccedat pronepos, avo illo demum mortuo: quo caſu non intereſt, utrum inſtitutus ſit nepos vel praeteritus; quia vivo patre moritur, ſicque fruſtra eſſet ejus inſtitutio: ſive patri nepos ſupervixerit, ac poſtea exſpiret; tunc enim ex proavitis tabulis non minus erit pronepos idoneus adeundae hereditati, dummodo nepos fuerit heres ſcri-cum ſui heredis, avo mortuo, nec rumpat, ſed & ſi ſupervixerit &c. vides quo facili tramite Scaevolae decurrat oratio.

Ad §. videndum 14.

S C AE V O L A.

VIdendum num hac poſteriore parte, ſi quis ex ſuis heredibus ſuus heres eſſe deſierit, liberi ejus & caeteri in locum ſuorum ſui heredes ſuccedunto, poſſit interpretatione induci: ut ſi filium apud hoſtes habens, nepotem ex eo heredem inſtituas, non tantum ſi vivo te filius decedat, ſed etiam poſt mortem, antequam ab hoſtibus reverſus fuerit, ſuccedendo non rumpat; nihil enim addidit, quo ſignificaret tempus: niſi quod (licet audenter) poſſis dicere vivo patre hunc ſuum heredem eſſe deſiiſſe, licet poſt mortem decedat, quia nec redit, nec poteſt redire.

Intellectus hujuſce §. pendet ab his, quae ſupra attulimus, dum interpretaremur §. *quid ſi qui filium* 6. *&* §. *ſi ejus qui* 7.

Ad §. Ille caſus. 15.

S C AE V O L A.

ILle caſus in difficili eſt: ſi filium habens & nepotem nondum natum inſtituas; iſque naſcatur vivo patre ſuo, ac mox pater decedat: non enim ſuus heres eſt tempore, quo naſcitur: nec poſteriori alius ſuccedendo prohiberi videtur rumpere, quam qui jam natus erat. Denique ſuperiore capite ut liceat inſtitui nondum natos, qui quum naſcentur ſui erunt, permittit; poſteriore capite non permittit inſtitui, ſed vetat rumpi, neve ob eam rem minus ratum eſſet quod ſuccedit. Porro procedere debet ut utiliter ſit inſtitutus (quod nullo jure potuit) qui nondum natus erat: Juliano tamen videtur duobus quaſi capitibus legis commiſtis in hoc quoque inducere legem, ne rumpantur teſtamenta.

Si quis filium habeat, & nepotem nondum natum inſtituat, iſque naſcatur, teſtatore itemque patre ſuo vivis, mox pater decedat; facile non eſt fateri, cui parti juris caſus ille applicetur. Num primo capiti legis Velleae? nequaquam: ſuus enim non naſcitur. An proximo? Id quoque parum procedit: nam eo alius non prohibetur rumpere, quam qui tempore teſtamenti natus erit. Denique legis illius poſtrema pars non permittit inſtitui, ſed vetat rumpi veteri jure factam inſtitutionem, quo nepos iſte poſt teſtamentum natus heres non bene ſcribitur, quippe incerta perſona. Quae ultima prudentiſſimos omnes hactenus utique fefellere. Quidam ex his ea tanquam ſcopulos refugiunt; alii tentant, ſed infeliciter. Si poſterius caput legis Velleae rumpi vetat teſtamentum, conſequens eſt dicere, jure antiquo non licuiſſe nepotes hujuſcemodi inſtituere vel exheredare: in qua ſententia fuit Hotomanus in §. *poſtumorum* 2. *Inſt. de exh. lib.* quae non inique caeteris diſplicuit: quid enim fuit impedimento huic inſtitutioni? Nec me adſentiri poſſe fateor Cujacio, haec ita accipienti, quaſi nepotes illi ſuccedentes rumperent teſtamentum, ut primum agnaſcebantur, quo nihil levius. Mancdum lector & majora accipe! Prima Juriſprudentia nepotum ſuperſtitum, qui nunc dicuntur in ſui heredis locum ſuccedere propter legem Velleam, fertur fuiſſe patiens inſtitutionis, quoniam non erant poſtumorum inſtar: verum quum tales hodie dici debeant, ſequitur eam irritari, dum ſui non ſunt, ſimulque quaſi agnatione

Digitized by Google

tas contrahunt vel patre invito: filiifamilias non :m: quinetiam liberi ex illorum nuptiis injuſti exiunt. Itaque ſi emancipatus, uxore non ex voluntte patris ducta, filium fuerit ſortitus, nepos inde ſceptus juſtus habebitur, patreque mortuo ſuus inper heres agnaſcetur, atque ſi ab avo praetereatur, l bonorum ejus poſſeſſionem eum admitti placuit: uoniam praetor, cujus munus praecipuum in jure vili cuſtodiendo conſiſtit, expaveſcens illud aper› marte expugnare, ſtatuit naturali ratione motus mancipatis ſuccurrere; prius tamen reciſa emanciatione, ut eo facto velut patriae poteſtati reſtituti ommode bonorum poſſeſſionem obtineant. Atqui, icet aliquis; praetor ſubvenire poſſe eo modo mirtus nepotis non videtur, quia ſi reciderit prius mancipationem, matrimonium a filiofamilias fuiſſe ontractum citra patris juſſum, & nepotem hunc legitime conceptum fatearis, neceſſe erit. Cui taitae objectioni occurrens reſpondet Ulpianus, non er reciſionem emancipationis, is, qui filius juſtus ſt, effici non filium: cautio quippe illa comparata ſt a praetore, ut ad bonorum poſſeſſionem facilior letur aditus, proinde in emancipatorum odium non poſtremae parti ſubeſſe denegetur, quam quod natus non ſit ante teſtamentum ut decebat: atqui ſi primum caput commiſceas poſteriori, vitium hoc probe emendabitur, dum uti Velleo collibuit, tabulis jam confectis medii inter utrumque juris particeps enaſcitur.

Ad §. Finalem.

SCAEVOLA.

Quaerentus tamen, quum recepta eſt Juliani ſententia, an, ſi naſcatur nepos vivo patre ſuo, deinde emancipetur, ſponte adire poſſit hereditatem; quod magis probandum eſt: nam emancipatione ſuus heres fieri non potuit.

Quaerit deinde Scaevola, quum recepta fuerit Juliani ſententia, utrum ſi nepos ille emancipetur, fiat heres voluntarius vel neceſſarius; & reſolvit, eum poſſe ſua ſponte adire hereditatem ex teſtamento, neque neceſſarium fore heredem: emancipatio enim jus ſuitatis tollit, non inſtitutionis, & quum ſuus non habeatur, heres utique non erit neceſſarius.

F I N I S.

Brevem, Zoile, dicis hunc libellum.
O ſi poſſit idem omnibus videri!

Digitized by Google

AD L. UNICAM C. DE SENTENTIIS, QUAE PRO EO QUOD INTEREST PROFERUNTUR,

Lectam Auguſtoriti Pictonum in publico juris auditorio,

LIBER SINGULARIS.

DEDICATIO.

C. V. I. P.

In Auguſtiſſimo Senatu Armoricae Britanniae Senatori,

GABRIEL VALLIUS

S.

QVi donem hunc libellum? Tibi, Senator clariſſime, qui vere parens illius es: namque ubi apud noſtrates frivoli operis arguor, rebar manum nunc admovere ſtylo operae dementiam eſſe, a quo male pertinaci propoſito tandem me revocaſti, dum diccbas popularem auram omnia ex libidine, nihil ex vero celebrantem, minime nos debere aucupari: mihique ſatis eſſe ſi totius Galliae ſplendidiſſimum ſidus & ornamentum Lodoicus Servinus, cujus nomen nunquam deſiturum non modo noſtri ſed & exteri juxta religioſiſſime venerantur, lucubrationes meas approbaſſet: unde tota animi contentione eniti deberem, quo eruditis viris & Muſis operatu, ſummaque nominis celebritate Civilem ſcientiam alibi profitentibus aliquantum placeam, qui generoſiores nihil quicquam languide agunt, ſed frequentes ſuos auditores ad eos undique ex omnibus terrarum angulis quaſi ad Dodonea oracula confluentes Juriſprudentiam pure limpideque edocent, legum rationes excutiunt, capita inter ſe pugnantia enodant: & dum exactam rei veritatem indefeſſo labore perſcrutantur, nec praeccdentium interpretum paginas integras ſine ullo delectu & judicio, vulgi noſtratis more qui a doctis unius non aeſtimatur aſſis, excerpunt, nullus eſt diligens & aſſiduus auditor, qui non peritiſſimus ab his recedat. Addebas inſuper apud nos canes ignotis latrare, hicque ſuas poſuiſſe ſedes horridam Invidiam, quae, uti vere Seneca prodidit, optimis telum pernicioſum eſt, neque authore Livio quidquam aliud ſcit quam detrectare virtutes, honores, ac praemia earum corrumpere, cujuſque inſanabili veneno morſus ſemper inficitur. His verbis labantem animum erexiſti, Senator doctiſſime, qui, ut olim Helvidius Priſcus apud Tacitum, ingenium illuſtre alterioribus ſtudiis Juvenis admodum dediſti, non ut nomine magnifico ſegne otium velares, ſed quo firmior adverſus fortuita remp. capeſſeres: ideoque a pueritia labores conſuetos habes, animuſque tuus inquies adſiduo opere paſcitur, teque ob id Pictonicae noſtrae invidit, ſibique velut proprium aſſeruit recti tenax Britannia. Cujus nomine contra inſilientium quorundam impetum objecto, ſpero me iſtorum irritam maleficentiam facile excepturum, illudque contra omnia venena remedio praeſentaneo fore. Accipe ergo hunc libellum pignus & amoris inter nos mutui inſigne monumentum: qui animorum nexus e ſtudiorum noſtrorum parilitate proceſſit; ſiquidem (ut verbis Arvernorum Epiſcopi utar) idem ſentimus, culpamus, laudamus in litteris, & aeque nobis ſententia & dictio placet improbaturque. Vale. prid. Idus Novemb. 1609.

AUTHOR AD LIBRUM SUUM.

I, liber, in vulgus, ſtolidaeque indicito genti
  Bellum atrox, rabiem nec vereare canum.
Laudabunt te queis animus viget, ac meliore
  Excolitur vena, ſuſcipientque ſinu.
Quid? miſer inſanis tibi dum conaris agreſtes
  Conciliare, niſi ruſticus eſſe velis.
Non bene Gryphes equis coëunt, non horrida Muſis:
  Sic limata fugit pagina quaeque meos.

De

Digitized by Google

ctare. [4] *Sancimus itaque in omnibus caſibus, qui certam habent quantitatem vel naturam, veluti in venditionibus & locationibus & omnibus contractibus,* [5] *hoc quod intereſt, dupli quantitatem minime excedere.* [6] *In aliis autem caſibus, qui incerti eſſe videntur, judices, qui cauſas dirimendas ſuſcipiunt, per ſuam ſubtilitatem requirere, ut quod revera inducitur damnum hoc reddatur,* [7] *& non ex quibusdam machinationibus & immodicis perverſionibus, in circuitus inextricabiles redigatur, ne, dum in infinitum computatio reducitur, pro ſua impoſſibilitate cadat,* [8] *cum ſciamus eſſe naturae congruum eas tantummodo poenas exigi, quae vel cum competenti moderamine proferuntur, vel a legibus certo fine concluſae ſtatuuntur. Et hoc non ſolum in damno, ſed etiam in lucro noſtra amplectitur conſtitutio, quia & ex eo veteres id quod intereſt ſtatuerunt. Et ſit omnibus, ſecundum quod dictum eſt, finis antiquae prolixitatis hujus conſtitutionis recitatio.*

Quoniam in hujus *legis unicae C. de ſent. quae pro eo quod int. prof.* explicatione, a Molinaei & Cujacii, praecellentiſſimorum interpretum ſententia non ſemel recedere neceſſe habeam; quod mihi a quibusdam plane illiteratis & inertibus vitio datur (ſolent enim virtutes ipſas invertere) priusquam exordiar, conſentaneum eſſe duxi eorum leviſſimos motus, rationes inſulſas, & ſenſa pene puerilia elevare, quo majoris demum ea, quae vobis proponam, ſint ponderis vel authoritatis. Quae tamen breviter & curſim, ne taedio alicui veſtrum ſiem, perſtringam: precor, advertite. Juriſconſultorum reſponſa adeo ambigua adeoque obſcura ſemper habita ſunt, ut non illepide Juvenalis dixerit, *Jurisque peritus Apollo:* ſiquidem Apollinem juriſperitum non alia ratione vocavit, uti veteres gloſſae probe annotarunt, quam quod aeque devia ſunt juriſperitorum reſponſa, ut Apollinis oracula. Unde Sidonius Apollinaris *Epiſt. lib.* 8. *Juris interpretem legalium quaeſtionum veternoſum aenigmatiſtam* appellat. Circa quae obliquata Juriſconſultorum reſponſa ſic facetiſſime luſit Ammianus Marcellinus *lib.* 3. *cap.* 40. *Et ſi te matrem tuam finxeris occidiſſe, multas tibi ſuffragantes abſolutiones, lectionesque reconditas pollicentur, ſi te nummatum ſenſerint.* Proinde ſi juriſprudentia usque eo eſt difficilis, ut, niſi Sibylla legerit, eam nemo interpretari queat, an unus Cujacius cognitionem ejus aſſequi potuit? potuitne Molinaeus; quamvis mehercule duo clariſſima juris lumina extitere? potueruntne & alii minorum gentium Doctores? inter quos ambo illi tantum eminent,

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Si quis tale aliquid forſan aſſeveret, is pueri ſapit bimuli inſtar matris dormientis in ulna, quem vos, Auditores, cavete, ne vobis imponat ejus recitatio; quin potius Barnabae Briſſonio Auguſtiſſimi Senatus ampliſſimo praeſidi annuite, qui ſcriptum reliquit: *Quousque totus collabatur orbis, nusquam fore, quin ex intimis Pandectis aliquid celati & reconditi ſcrutando penitus eruatur.* Et ſane, quis non videt quantis tenebris involutam, quantis maculis horridam, quantoque ſitu ſqualentem ac deformem civilem ſcientiam nos habituros, ſi Molinaeus & Cujacius antiquae Doctorum ignorantiae bellum internecinum nuperrime non indixiſſent? Si hydram illam toties repullulantem ingenti auſu felicibusque auſpiciis non debellaſſent? Quis denique ignorat, *lo*ſonium ſequamur, qui *lib.* 2. *de ſolut.* ſic fatur: *Mihi certe ſi a Franciſco Connano diſſentire liceat (licebit autem per aequos judices, cum verum inveſtigantibus praejudicium cujusquam authoritas facere non debeat)* neque deſeramus Goveanum, qui olim iiſdem telis laceſſitus invidiae, quibus nunc opprimimur, longa verborum ſerie fortiſſime ab his ſeſe vindicat & aſſerit: *Duo*, inquit ille, *reprehenſorum genera noſtris laboribus opponuntur: aliis quod ſine Bartholo duce ſcribam non placet; praepropere alii & praefeſtinate ſcribere ajunt hominem in hoc ſtudio non ſenem*, caetera apud eundem *lib. de jure adcreſc.* videre poteritis. Cum vero noſtrum ſeculum non ſit omnino ſterile nec effoetum claris profeſſoribus, proponam nobis egregios juris Anteceſſores, qui dum quotidie acri ſolidoque judicio mille mendis repurgant Cujacium, ab iiſque tanquam a Syrtibus aut prominentibus in mari ſcopulis, auditores ſuos fidelibus praeceptis ſemovent, veram gloriam nulliſque delebilem ſeclis uſquequaque ſibi adſtruunt. Tot, inquam, illuſtrium virorum veſtigiis inſiſtamus, ſimulque iſtos legum nodis & ſcrupulis impares, deſides, inglorios, inermes a literatorum numero, ut opis alienae indigos longe arceamus; neque majorum exemplis in hoc deſtituemur. Plinius junior primus occurrit, qui Cornelio Tacito hiſtoriarum, ut ſcitis, ſcriptori nobiliſſimo reſcribens ſic inquit: *lib.* 1. *epiſt.* 20. *haec eſt adhuc ſententia mea, quam mutabo ſi diſſenſeris tu, ſed plane cur diſſentias explices, rogo; quamvis enim cedere authoritati tuae debeam; rectius tamen arbitror in tanta re ratione, quam authoritate ſuperari.* Huic ſententiae ſubſcribit Marcus Tullius, *lib.* 2. *de invent. cap.* 2. cujus verba ſubjiciam, *Stultitia nobis viſa eſt, aut a bene inventis alicujus recedere, cujus aliquo bene praecepto duceremur, aut ad vitia quoque ejus accedere, ſi quo invento ejus offenderemur.* Denique Seneca gravis author nobis occurſat, qui libro ſingulari *de vita beata* in hunc ſermonem erumpit *cap.* 1. *Nihil magis praeſtandum eſt, quam ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non quo eundum eſt, ſed quo itur: atqui nulla res nos majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur, optima rati ea, quae magno aſſenſu recepta ſunt, nec ad rationem ſed ad ſimilitudinem vivimus. Inde iſta tanta coacervatio aliorum ſupra alios ruentium &c.* [paulo poſt] *primi exitio ſequentibus ſunt, nemo ſibi tantum errat, ſed alieni erroris cauſa & author eſt: & dum unusquisque mavult credere quam judicare, nunquam de jure judicatur, ſemper creditur verſatque nos & praecipitat traditus per manus error, alieniſque perimus exemplis*; hactenus Seneca. Verum ne Juriſconſultos noſtros omittamus; nonne inſertis etiam conviciis plerumque velitantur? Quid de Papiniano dicam, nonne ab Ulpiano in *l.* 20. *D. de minor.* notatur? Atqui Papinianus juriſconſultorum omnium fuit coryphaeus; atqui Papinianus, cum praefectus eſſet praetorio, ipſum Ulpianum aſſeſſorem teſte Lampridio habuit. Atqui Papinianus fuit omnium longe acutiſſimus, *l. cum acutiſſimi ingenii vir* 30. *C. de fideicom.* tamen reprehenditur ab Ulpiano. Nonne Divi fratres, dum Proculum non levem juris authorem imitarentur, in maximum errorem ſunt prolapſi? qua re plenius tractata, ut ipſi enunciant in *l.* 17. *D. de jure patron.* tandem liberati ſunt. Faceſſant itaque ravi illi anſeres, picae garrulae, graculi loquaces, improba & importuna ſtudiorum meorum avocamenta, qui tam inauſpicato cantu mihi

interpretes magnopere eminet, ſe nunquam operoſae atque implicitae hujuſce materiae cognitionem aſſequuturum fuiſſe, niſi prius totum per tricennium a graviſſimo ſanctiſſimoque Senatu Pariſienſi foret edoctus, candide profitetur. Benignum enim eſt, ut Plinius ad Veſpaſianum imperatorem reſcribens arbitratur, & quaſi ingenui pudoris fateri, per quos profeceris. At cum in commentariis, quos in regulas Cancellariae Curiae Romanae edidit, ſe Pictavii verae Philoſophiae quondam ſtuduiſſe declaret, abſque ullo tamen Pictonici Lycei elogio, cur non ſtudiorum ſuorum gloriam ampliſſimam ſane huic noſtrae Academiae defert? quam olim Theodoſii temporibus non parum floruiſſe ex elegantiſſimis Auſonii verſibus conjicio Is enim de quodam Anaſtaſio Grammatico, qui Burdigala relicta Pictavium conceſſerat, ſic loquitur:

Burdigalae genitum
Tranſtulit Ambitio
Pictonicaeque dedit.

An voluit innuere eam juris Academiam retro abiiſſe? *ut rebus omnibus*, authore Tacito *lib. 3. annal. cap. 55. ineſt quidam velut orbis, & quemadmodum temporum vices, ita caetera vertantur.* Ad hoc magnus ille vir Molinaeus Ampliſſimum noverat Senatum aequi bonique praeceptorem eſſe. Neque minus vere errores omnium, qui eum praeceſſerunt, praxeos ignorantiae ſive uſus forenſis imputat; ſiquidem regia haec ſcientia in actione conſiſtit, tota forenſis eſt, atque ſine ipſo exercitio eam diſci non poſſe ſatis conſtat, eſſetque prorſus, ut leges Mahometicae apud nos inutilis. Ea de cauſa Tullius in *oratione pro Cluentio cap. 53.* nullos alios eſſe legum interpretes, quam judices enunciat. Amabo, quem nemo de jure ſuo conſulit, conſultus ille juris habebitur? eumne dignabimur ſapientis ac prudentis nomine, qui verba ea Juriſconſultis noſtris familiaria uſurpare non valeat, hoc Jure utimur? qui deſeret in auditorio ſuo Papinianum? Si juriſprudentia rerum divinarum atque humanarum notitia definiatur a juriſconſulto in *l. juſtitia* 10. §. 2. *D. de Juſtit. & jure.* quis rerum humanarum inſcium juriſprudentem nuncupabit? hac via hercle ad coeleſtes ac pene divinos juris ſacerdotes Papinianum, Paulum, Ulpianum, Scaevolam non iter eſt. Verum noſter hic tractatus *de eo quod intereſt*, in medio foro maxime ventilatur, qui quoniam in difficili eſt, cum profecto deportandum in extremas terras potius, quam interpretandum cenſerem: namque, ut ait ille,

Turpe eſt difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

Ni perutilem aeque ac uſibus hominum accommodatum, ut roſas inter vepres naſci ex noſtro titulo *de Sent. quae pro eo quod int. prof.* agnoſcerem, ob idque accurate commentandum illum Juriſconſultorum noſtrorum exemplo, qui nihilo ſegnius monent ea pertractanda eſſe, quae quotidiana ſunt, *l. 26. D. de liber. leg.* & *l. 1. D. de ſuſp. tutor.* Caeterum noſtra lex adeo implicita & perplexa dijudicatur, ut a pleriſque mare ſine fundo vocitetur. Malus ego interpres, niſi eam ita facilem reddidero, ut inſtar Blanduſiae fontis perlucidior vitro excurrere videatur, modo mihi eodem ſtudio & aſſenſu facilem aurem praebueritis. Aliter, quoniam rerum pondus quam vaniſſimus verborum ſtrepitus me longe magis delectat, multaque paucis complecti animo meo uſque inſedit, ſuſpicor, me vobis minus familiarem fore. Dum enim (quod naturaliter fit) brevis eſſe laboro, obſcurus fio.

[a] *Cum pro eo quod intereſt dubitationes antiquae in infinitum productae ſint.*] Non inconcinne definit juriſconſultus id quod intereſt in *l. ſi commiſſa* 13. *D.* [illegible] quia & ex eo veteres id quod intereſt ſtatuerunt: eamque definitionem Molinaeus hic *num. 7. & de uſuris n.* 28. comprobavit. Verum abſolutior ea mihi videretur, ſi quis adderet, propter alicujus factum: neque Molinaei, qui eſt in diverſa ſententia, ratiocinatione hac offendor; factum aut culpam non ad ſubſtantiam ejus quod intereſt pertinere, ſed ad ipſius cauſam obligationis. Nam contra quanto verius affirmabitur, culpam vel factum ejus quod intereſt naturae adſcribi, neque abſque culpa fingi ullo modo poſſe id quod intereſt. Pone, ex re male geſta me damno aliquo affectum, & tamen citra alicujus moram vel culpam, non erit intereſſe de quo agimus, ſed prout generatim accipitur pro omni eo, quod ad noſtram utilitatem pertinet, vel ipſo Molinaeo teſte tractatu *de eo quod intereſt n.* 2. & 9. (ut cum dicimus publice intereſſe dotes mulieribus conſervari, *l. 1. D. ſolut. matr.*) ad noſtram materiam ea res non pertinet. Atque nihilo magis obſtabit, quandoque condemnari aliquem citra ullam culpam in id quod alterius intereſt: ut ſi quis quocunque modo interierit alterius fidejuſſerit. Is enim etſi non propter culpam ſuam damnum decidere compellatur, compellitur tamen ob culpam vel factum ejus, cujus nomine interceſſit, eoque ſemper debetur id quod intereſt, propter factum debitoris ſaltem principalis. Porro Doctores id quod intereſt multiſariam partiuntur, quorum diviſiones prope innumeras, flebilibuſque modis diductas noſter Molinaeus *n.* 13. excuſſis eorum ſententiis, acri, ut ſolet omnia, judicio averſatus eſt, ea duntaxat admiſſa, quae bipartitur intereſſe in propinquum & remotum. Nequeo tamen ipſius ſententiae accedere, dum diviſionem *ejus quod intereſt*, in extrinſecum & intrinſecum habuerit deſpicatui, quolibet extrinſecum eſſe aſſeverans. Etenim re ſub incudem revocata, partitionem hanc eſſe neceſſariam exiſtimo: ſiquidem Juriſconſultus in *l. ſi ſterilis* 21. §. *cum per venditorem* 3. *D. de actio. empt.* appellat *aeſtimationem quanti plurimi, intereſſe circa rem, quod mehercule extrinſecum non eſt:* aeſtimatio enim quanti plurimi provenit ab ipſa re, non extrinſecus ſeu rei occaſione, quod ultimum nominatur extrinſecum: intereſſe vero circa rem, nihil eſt aliud quam damnum & lucrum, quod ex re proficiſcitur, continetque inprimis aeſtimationis incrementum, fructus ex ipſa re perceptos, ut & partus ancillarum. Neque obeſt dictum a noſtro Molinaeo ſaepiſſime repetitum in *d. §. cum per venditorem* 3. ea verba, *circa rem*, accipi debere de intereſſe propinquo: nam e contra ſatis in confeſſo eſt, cum ex recitatione ipſius textus, tum ex eodem Molinaeo ſibi adverſo, ea verba *de aeſtimatione quanti plurimi* utique intelligenda eſſe, ut videre poteritis *n.* 96. Denique aſſerit idem Molinaeus, illudque recte, fructus ipſos aliaſque acceſſiones ſubeſſe taxationi hujus legis, ſicut aeſtimationem quanti plurimi *n.* 101. & *n.* 150. proinde cur has acceſſiones non appellabimus intereſſe circa rem, cum a Juſtiniani conſtitutione limitationem certam modumque ſtatum recipiant? Neque magis urgebit, ſi adverſus noſtram ſententiam ingeratur, fructus, partus & ſi quid eſt hujuſmodi, cauſas & acceſſiones, non intereſſe vocitari: quia ita demum illud verum eſt, cum adverſus lentum cunctantemque debitorem agitur, qui velit ea retinere, atque ex dilatione fraudulenta lucrum percipere, quod ne eveniat, dum pravum malignumque eſt, melius eſt acceſſiones ſeu cauſas vel rei perſecutiones haec omnia nuncupare, quam intereſſe, ne ſubjici videantur legitimae taxationi a Juſtiniano conſtitutae, ſed potius di-

Digitized by Google

omnes fugiat credere: quamvis imitatores ser-
n pecus huic opinioni facile fidem adhiberent,
bus ſi mero meridie tenebras quis eſſe dixerit,
imaleiones credent, qui velut ranae Clanides ſtu-
; meis obſtrepunt, quique nihil norunt praeter-
um me putidulis vocibus circumlatrare, fruſtra
ıen, utpote iſtorum effrenatae petulantiae im-
ıbilem; quinimo Epicharmi ſententiae adſtipula-
ni, qui non temere credere nervos eſſe ſapientiae
.it. Haec enim opinio verbis illis, *melius nobis
um eſt hujuſmodi prolixitatem, prout poſſibile eſt, in an-
lum coarctare*, obloquitur, multiſque aliis textibus,
l. 1. *& l. ex empto* 11. §. *idem ait* 9. *D. de act. empt.*
i, ſi quis rem venditam non tradiderit, in id quod
ereſt emptoris, condemnatur, cujus aeſtimatio
etium non modo aequabit, ſed illud egredietur
pluris interſit quam res vaeniit; neque dici poteſt,
l. 1. intelligi de caſibus incertis, quoniam haec
neratim loquitur, & fere ſemper res certae natu-
e in venditionem deducitur, excepta emptione ja-
us retis vel aleae, *l. ſi jactum* 12. *D. de act. empt.*
que ratione Juſtinianus cum in *noſtra l. unica* men-
onem caſuum, qui certam haberent naturam, fe-
ſſet, uſus eſt venditionis exemplo. Nec adver-
s noſtram ſententiam hilum facit, ſi dicatur illic
unciari, re non tradita, non modo agi ad pretii
el rei reſtitutionem, ſed in id quod intereſt; quod
eutiquam ſimplum ſuum ſuperabit, uti teſtatur Mo-
naeus *n.* 48. Nam Ulpianus contrarium cenſuit, ut
atim ex *d. l.* 1. notum eſt, dum in ea deciditur,
e non praeſtita in id quod intereſt agi, hocque ſi-
ul pretium excedere, ubi pluris intereſſe contin-
at quam res valeat, vel empta ſit. Sed etſi ver-
is illis innueretur, uti voluit Molinaeus *n.* 106. em-
torem, cujus intereſſet, ejus nomine poſſe actio-
em inſtituere, dura & inſulſa neſcio qua repetitio-
e aures noſtras obtunderet. Cum enim prius de-
laravit Juriſconſultus, in hoc quod intereſt agi,
ruſtra inculcaret in id poſſe agi, ſi noſtra pluris in-
ereſſet, dum cuilibet vulgatum eſt aliter actionem
n id nos habere non poſſe. Hoc ſubinde apertius
nanifeſtabitur ex *d. l. Ex empto* 11. §. *idem ait* 9.
ıbi ipſemet Ulpianus differentiam conſtituit inter non
radentem & non ſatiſdantem, ut qui minime tradi-
lerit, quanti interſit actoris condemnetur; qui vero
non ſatisdederit, quanti plurimum periclitari oporteat;
plurimum autem, uti recte ait Molinaeus *n.* 86. *in d.* §.
duplum eſt. Proinde ſi reus ille, qui minime ſatis-
dederit, in duplum tantum obligetur, & aliqua inter
eum & non tradentem ſit conſtituta diverſitas, ut
maniſeſtum eſt ex illa dictione adverſativa (*autem*)
huic conſequens eſt non tradentem ad duplum non
modo teneri, ſed univerſum damnum decidere, vel,
ut cum Plinio juniore eloquar, ad aſſem impen-
dium reddere, nec id modicum. Cogor ab ejus
quoque opinione recedere propter *l. Si dictum* 56.
D. de eviction. & *l. ſi procurator* 5. *D. de jure fiſci*,
quibus facile videre eſt in caſum evictionis, triplum
vel quadruplum ſtipulari emptori olim licuiſſe, qui
duo loci utique per *noſtram l. unicam* obliterati re-
manſere. Sed nos latius infra de hac re diſſeremus.
Ad ſummam huic doctrinae argumento eſt, quod
ipſe praedicat huc & illuc fluctuans Molinaeus *n.*
59. verborum priorum immemor, duplum non fuiſſe
ſatis limitatum ante *d. l. unicam*, illiusque deciſio-
nem olim in omnibus caſibus locum non habuiſſe.

ſe perſpicacis ingenii videbat, interdum id quod in-
tereſt ſupra duplum longe diffundi, etiam ubi res in conventionem deducta certae eſſet quantitatis vel naturae; ut ſi faber tigna vitioſa mihi vendiderit, tigna certam habent naturam, & tamen, domo collabente, in id quod mea intererit, condemnabitur, ſi ad ſulciendam eam iſta empta reſciverit, cujus taxatio tignorum aeſtimationem multum excedet, dum omnimodo damnum, quod mihi contigit tignorum nomine, reſarcire cogetur, ut eſt apud eundem Molinaeum *n.* 5. Ea, inquam, de cauſa, res in contractum deductas nos non ſemper intueri exiſtimavit, ſed praeviſum periculum domus meae, quod cum reſpiciat caſus intereſſe, incertus judicabitur, dum incertum habeat iſtud objectum; domus quidem mea vel illius particula eſt quid certum, ſed quia non conſtat tempore contractus, an & quota pars domus peritura ſit, merito hic caſus dicitur incertus. Quam ſententiam ſi quis velit admittere, non errabit, quandoquidem legibus omnibus convenire, nihil repugnans, nihil diſſonum nullumque antilogium continere mihi videtur: verum quoniam alia, ut arbitror, facilior & expeditior via eſt, ea inſiſtam, neque erit faſtidio Graecos ſequi, quorum meminit doctiſſimus Cujacius in *paratit. ad hanc legem unicam*. Sic igitur ea verba interpretabor, ac ſi ita loquutus fuiſſet Juſtinianus: in omnibus ſpeciebus (caſus enim quandoque pro ſpecie accipitur *l. neque leges* 10. *D. de legibus*, quod Budeum, ut video, latuit, dum in prioribus annotationibus Accurſium ipſumque noſtrum Juſtinianum impuri ſermonis exinde arguat) in omnibus propoſitionibus, in omnibus quaeſtionibus, quae certam habent naturam vel quantitatem, hoc quod intereſt duplum minime excedere; quibus verbis apparet neque rem in contractum illatam; neque ipſum contractum deſignari, licet non ita arbitretur Cujacius *obſerv. lib.* 9. *cap.* 31. ſequutus opinionem communem, quam recte ſuggillarat Molinaeus *n.* 3. *& n.* 44. ſed totius facti circumſtantias ſeu totum negotium, quod negotium ſpecies, ſeu caſus vocatur. Cujus rei luculenta exempla apud Molinaeum non deſunt a *n.* 49. ad *n.* 57. uſque, & a *n.* 60. ad *n.* 66. atque tale aliquid magnus ille vir meo judicio quondam ſuſpicatus eſt *n.* 44. his verbis, *Non nego quin verbum, caſus, in textu poſſit accipi pro toto negotio*; tamen a recto illo tramite tantus vir, quem non male in hoc procelloſo mari cynoſuram dixeritis, non parum deſcivit. His curſim exaratis facilis erit ſequentium verborum interpretatio, in omnibus caſibus, qui certam habent quantitatem vel naturam, hoc eſt, in omnibus ſpeciebus, quae certam rem fungibilem, vel certum corpus continent. Quid enim, ut non indecenter prodidit Molinaeus *n.* 42. aliud eſt certa quantitas, quam res conſiſtens in certo, hoc eſt, determinato pondere, numero vel menſura? quid aliud certa natura quam res certis ſuis finibus taliter determinata, ut certum quoddam totum vel integrum efficiat, certam etiam & communem aeſtimationem recipiens ut duplari poſſit? Sed non eſt omittendus horum verborum genuinus plane intellectus, quem primus non abſque limato judicio nos edocuit *n.* 43 eumque verbis ipſius ſubſignabimus: *Natura hic non capitur phyſicaliter pro certo corpore individuo, aut certa ſpecie duntaxat, ſed ἐν πλατεῖ & civiliter; unde non ſolum ſi principaliter debetur Stychus vel fundus, ſed etiam ſi ejus uſusfru-*

caſus incerti, qui non habent rem certae naturae vel quantitatis. Caeterum forſan aliquis addubitare poterit, quare Juſtinianus ſejunxerit quantitatem a corpore, quum ſoleat tractari quantitas & tangere vel tangi niſi corpus nulla poſſit res: quouſque admoneatur quantitatem apud Juriſconſultos a corporibus quandoque ſeparari, ut in *l. plane* 34. §. *ſi eadem res* 1. *D. de legat.* 1. Jam faxo ſciatis eam rem adhuc in aperto non eſſe. Uſurae & id quod intereſt triplici ſignantur differentia, eo quod proprie uſurae veniant, etiam ubi nihil interſit & propter lucrum petentium infligantur: eatenus vero debeatur intereſſe, quatenus interſit; adeo ut, quotieſcunque illae exigi non poſſint ut lucrativae (uti evenit ſi nulla interſeratur ſtipulatio) non petantur tanquam uſurae, ſed velut id quod interſt, *l. ſocium* 60. *D. pro ſocio.* Secundo uſurae debentur aliquando ſtipulatione adjecta, quandoque pacto nudo, iis vero modis potius poena, quam id quod intereſt, fatemur deberi. Eſt quoque aliud inter haec duo diſcrimen non leve; quandoquidem hae non ſpecierum & corporum, ſed contemplatione rerum fungibilium penduntur, maxime pecuniae numeratae, *l. oleo* 23. *l. frumenti* 12. *C. de uſur.* & *l.* 3. *in fine D. eodem.* Id vero quod intereſt extrinſecus peculiarem in corporibus ſibi ſedem occupat, cujus differentiae rationem veram, ut mihi videtur, attulit Molinaeus *n.* 94. Nimirum quod in res fungibiles non cadat affectio, neque una res magis, quam altera deſideretur, atque ideo facile alterius ejuſdem naturae vice fungatur, proſtentque illae quotidie palam ut diſtrahantur, ſicque a conditione corporum ſeu ſpecierum in eo longe diſcrepent: non enim unaquaeque ſpecies ſatis commoda eſt omnibus, neque in promiſcuo & frequenti commercio: cui rei conſequens eſt ſibi debere actorem imputare, ſi debitore in mora dandae quantitatis exiſtente aliunde non compararit. Caeterum huic reſpexit Juriſconſultus in *l. Si ſterilis* 21. §. *cum per venditionem* 3. *D. de act. empt.* quae de rebus fungibilibus duntaxat loquitur, quo caſu omnis circa rem utilitas emptori debetur, hoc eſt, aeſtimatio quanti plurimi, ut recte ſcripſit Molinaeus *n.* 96. quae ſane interpretatio vera eſt, ut patet ex his verbis, *quamvis aeſtimatio creſcat*, ſed non venit id, quod extrinſecus intereſt. Nam ut in nummis, ita in caeteris rebus, quae functionem in genere ſuo per ſolutionem recipiunt, publica utilitas & ratio commercii cauſationes intereſſe extrinſeci averſatur exoſaſque habet. In id non minus eſt expreſſa *l. Julianus* 13. §. *ex vendito* 19. *D. de act. empt.* ubi licet venditor in id quod intereſt emptoris obligetur, tamen, pretio nondum ſoluto, ipſe emptor ad uſuras tantum adſtringitur. Sed ſerio inſtabit aliquis, ſi haec ita ſint; quomodo id quod intereſt ad duplum uſque aſcendet in caſibus, qui certam habent quantitatem? huic objecto Molinaeus ſatisfacit tract. *de eo quod inter. n.* 97. & *de uſur. n.* 577. dum ille quandoque, propter fruſtratam nummorum aliarumque fungibilium ſolutionem, opinatur deberi id quod intereſt, licet regula ſit in contrarium veriſſima, niſi verſemur in delictis: tunc enim omne damnum actoris delinquentem manet, *l. nummis* 3. *D. de in litem jur.* quam ſic intelligi oportere arbitror ex ipſo titulo *de in lit. jur.* hoſque caſus ſpeciales in diſpoſitione Juſtinianea contineri putat. Unde non parum errat Cujacius, qui *d. lib.* 9. *obſerv. cap.* 31. exiſtimat intereſſe ſupra duplum aeſtimari in trajectitia pecunia ob *l.* 2. *in fine D. de eo quod certo loco*, quae huic opinioni nullo modo conſentanea eſt: immo praevalet Molinaei noſtri ſententia, qui putat etiam quam quanti res eſſet, conſequeretur: quam interpretationem conſulto praetermiſit Molinaeus, ne diviſionem ejus quod intereſt in extrinſecum, & intrinſecum, quam incaute prius rejecerat, approbare videretur.

1 *Hoc quod intereſt dupli quantitatem minime excedere.*] Statuit Juſtinianus, in caſibus certis hoc quod intereſt dupli quantitatem exaequare: verbi cauſa, fundum aliquis mihi vendidit 500. aliquo temporis ſpatio interjecto is fundus tandem evictus eſt, unde non minorem mille aureis jacturam feci; laudo authorem meum atque in hoc diſpendium illum arceſſo; non ambigitur, quin condemnandus ſit in id quod mea intereſt *toto tit. D. de act. empt.* quinetiam negat venditor ſe interpellare damni reſtitutionem, ſed potius juſtae taxationi ultro accedere: quaeritur, quomodo illud taxari debeat? Caſus hic certus eſt: nam hypotheſis rem habet certae naturae, nempe fundum bona fide venditum, eoque, ſecundum univerſalem Juſtiniani regulam, hoc quod intereſt progredietur uſque ad duplum, ſed inſuper nihil ſupputabitur, quamvis pluris interſit agentis: non amplius itaque venditor quam 1000. praeſtabit, tametſi ab emptore pluſquam 1500. nummi abſint: nam in duplu ſimplum ineſt, atque 500. pro fundo ſoluti, quod eſt ſimplum, in duplo computantur. Sed hoc facilius a quoquam explicari non poteſt, quam ab ipſo Juſtiniano in *l. fin. C. de ſponſal.* uſque ad duplum, inquit, tenetur, hoc eſt, in id quod accepit & aliud tantumdem, totumque illud conſtitutum eſt in favorem miſelli & periclitantis debitoris, qui nihil doloſe in eo egit, ob idque lex ejus aliquantulum miſerta eſt. Ab eo exemplo, quod praevium vobis eſſe debuit, ad alia, quae obſcuriorem conjectationem habent, jam tendimus. Cum quidam ſpopondiſſet rem ſuam mihi venditurum, eam vendidit alteri, ea res, ubi ad alium ex illa cauſa pervenit, denuo tradi ſtipulatori non poteſt (idem eſt ſi alia de cauſa conventioni non ſteterit) hic caſus non eſt fateri, utrum certus ſit vel incertus: incertis eum adnumerandum autumat Molinaeus *n.* 46. quod prima facie verum videtur: nihil enim in obligatione eſt praeterquam intereſſe, quod tempore contractus erat omnino incertum, cum ex poſt facto evenire potuerit, ut nihil vel plus aut minus intereſſet, quemadmodum ſi ita ſtipulatus fuero, certam te mihi pecuniae ſummam crediturum, neque tu promiſſi fidem impleveris, incerta dicitur ſtipulatio, eo quod in ſtipulatione nihil aliud, quam quod mea interſit obverſetur, *l. ſi poenam* 68. *D. de verb. obl.* Ego vero, quod pace ejus dixerim, caſum eum certum eſſe duco non incertum, cum rem certae naturae, quae venditioni deſtinatur, contineat. Nam quod ſupra ex *d. l. ſi poenam* 68. ſcriptum eſt, procedit ut neminem falſum habeat, quando agendum ſit certi condictione vel actione ex ſtipulatu, §. 1. *Inſt. de ver. oblig.* & *l. ſi quis certum* 24. *D. de reb. cred.* eaque de cauſa id quod intereſt exiſtimatur incertum, *l. fin. D. ſi quis in jus voc.* ibi, *incerti cum eo agendum eſt:* at caſus certus vel incertus non juxta hic appellatur atque in materia legis *certum* 6. *D. de reb. cred.* ut recte ipſemet Molinaeus agnovit *n.* 21. ut ſi in ſpecie *d. l. ſi poenam* 68. & in quaeſtione propoſita ſciſcitaretur aliquis, quarum actione in id quod intereſt agendum eſſet, certine condictione vel incerti, reſponderetur certi condictionem non dari, quoniam ea competit duntaxat, ubi ſpecies vel quantitas apparet, quae qualis & quanta ſit juxta *d. l. certum* 6. in qua cauſa non eſt intereſſe dum in facto verſatur: eſtque difficilis ejus probatio, *l. quatenus* 24. *D. de* re-

Digitized by Google

ſtante moderatione, quam in caſibus etiam incertis niſus eſt adferre Molinaeus, *n.* 46. *&* *n.* 60. *&* 65. quia *legis unicae* verbis illa non convenit, quae voluit in caſibus incertis hoc taxari in quantum revera intereſſet, cum aliter a judicibus fieri non poſſit prae objecto deficiente, ad quod reduci poſſit. Subjiciam aliud exemplum, ab eodem Molinaeo petitum, *n.* 47. *in fine:* mandavit aliquis ut fundum emerem, non emi, non teneor mandati, niſi quatenus mandantis interſit, *l. ſi procuratorem* 8. §. *mandati* 6. *D. mandati:* dicemuſne hunc caſum incertum? exiſtimavit Molinaeus id fieri debere, cum mandati actio tantum in id quod intereſt ſuperſit, quae illatio proba non eſt meo judicio. Si enim ſubſit certa res, ad quam referatur haec obligatio, non minus remanet caſus certus, cum juſtum ſit judicibuſque injungatur reſtringere taxationem ejus quod intereſt ad duplum, ubi id fieri poteſt, licet emptio non contracta vel neglectum mandatum majori damno fuerit agenti, *arg. d. l. ult. D. de praetor. ſtipul.* quae quidem occurrit occaſio, quotieſcunque ſubeſt ſimplum quod dupletur. Neque huic noſtrae ſententiae verba illa *d.* §. *mandati* 6. officiunt, *mandati actio eatenus competit quatenus intereſt*, quoniam intelliguntur, modo ultra dupli quantitatem non interſit. Quaeſo quid iniquius, ſi condemnaretur in quamlibet jacturam is, qui fundum vendere jam apud me ſubſignarat, cum ſi mihi vendidiſſet non eſſet obligatus poſt evictionem ultra duplum? quid denique abſurdius procuratorem teneri omne damnum decidere, qui dolo malo quicquam meditatus non eſt? quam agnovit aequitatem ipſe Molinaeus *locis ſupra citatis*, ob idque caſus incertos ſaepenumero contra juſtinianeam conſtitutionem juxta atque certos cenſeri putat, & in his pariter id quod intereſt duplum non excedere. Quid obſtat, hanc vendendi conventionem & ſpecialis mandati actionem directam peraeque caſus certos vocitari? (nam generalis actio mandati eſt caſus incertus, cum res ſimplaria duplari non poſſit) an quoniam intereſſe ſolummodo reſidat in obligatione? At ipſemet Molinaeus recte omnium princeps cenſuerat *n.* 2. non quidquid in contractum confertur caſum producere certum vel incertum, ſed plerumque totum reduci ad id, quod extra conventionem ſit: hacque ratione Graeci, ut opinor, melius acceperunt caſum pro hypotheſi, quae latius patet, quam nomen contractus: facti enim circunſtantias omnes, etiam quae ſunt ultra contractum, amplectitur ſuo ambitu. Proinde male Cujacius (alias vir tantus, ut extra omnem ingenii aleam poſitus ſit) *ad l. cum & forte* 44. *D. de act. empt. tract.* 8. ad *African.* putat, quod ſi a Titio ſtipulatus ſim decem & a Maevio ſatisdari Titii nomine, dum agam in Maevium, caſum eſſe incertum & litem aeſtimari, quanti revera arbiter cognoverit mea intereſſe ſatisdari, atque ita cenſet, quia opinabatur res deductas in contractum certos caſus facere vel incertos, prout res certae ſint vel incertae naturae, videbatque eo caſu nullam rem in contractum deductam praeter ſatisdationis promiſſum, quae res procul dubio eſſet incerta, ni ſuper decem aureos debitos a Titio contemplationem injiceremus: ſatisdatio enim ſola in conſiderationem non venit, ſed totum negotium, quod geritur. Neque magis Cujacii ſententiam juvat *l. ſi quis ab alio* 13. *D. de re judic.* nam tantum abeſt, ut is, qui promiſit ſatisdari, in actoris non intereſſet. *Sed melius res ipſa nota eſt ſpectataque veris occurrit ſignis in l. ſi quis ſtipulatus* 112. *in fine D. de verb. obl.* ubi poſtquam dixit Pomponius in ſatiſdationis ſtipulationem venire quod intereſt ſtipulantis, addidit, nihil erogari debere praeter ſortem, ſi reus non ſit ſolvendo; alias minus, ſi in aliquid idoneus eſſet; alias nihil, ſi tam locuples debitor videretur, ut creditoris non intereſſet. Praeſtabitur ergo aeſtimatio juxta *d. l. ſi quis ab alio* 13. *D. de re jud.* ſed non alia, quam mera aeſtimatio, ut loquitur juriſconſultus in *l. Titia* 62. *D. de jure dot.* hoc eſt pura & abſque ulla utilitate extrinſeca, ſicque accipitur intereſſe pro re principali, ut in *l.* 3. §. *ſi reddita* 1. *D. commod.* In ſumma, ut me colligam, conſtat, quod ſi ſatiſdationis promiſſum habeat pro objecto & ſimplo rem certam, id quod intereſt ultra duplum minime diffundi, in idque textus eſt diſertus in *l. ex empto* 11. §. *idem ait* 9. *D. de act. empt.* ſin vero ſimplum ſit incertum, ſatiſdationem eſſe caſum incertum: exemplum eſt in *l. in hac ſtipulatione* 28. *D. de damn. infect.* Sed valde refragatur *l. cum ſtipulatus* 113. §. *fin. D. de verb. oblig.* ubi cum venderet aliquis, promiſit emptori fidejuſſorem dari atque rem venditam liberari, iſque venditor demum fuit in mora, Proculus reſpondit, *tanti litem aeſtimari oportere, quanti actoris intereſſet:* cujus quidem legis intellectum Cujacius & Duarenus, ut conjicio, aſſequuti non ſunt; ſi quidem his, quae diximus, belle convenit ea lex: nam ſi ſpopondiſſet in ea lege venditor emptori fidejuſſores duntaxat praeſtari, eſſemus in ſpecie *d. l. ex empt.* 11. §. *idem ait* 9. ſed quando ſubjecit, rem venditam ab omnibus hypothecis vel ſervitutibus eximendam aliquando fore, caſus incipit eſſe incertus: nam venditio nullo genere par eſt promiſſioni generali rei ipſius liberandae ab oneribus univerſis, emptori praecipue ignotis: primus caſus eſt certus; proximus vero incertus, quatenus res incerta pro ſimplo eſt. Non obſtat *l. cum fundus* 48. *D. de eviction.* quoniam cum quis fundum promittit ut optimum maximum, non praeſupponitur alia res quam fundus, eſtque caſus certus: ſed cum ultra venditionem fundi adjicitur eum liberari debere ab omnibus hypothecis ſeu ſervitutibus, hypothecae illae vel ſervitutes, quae generatim abfuturae promittuntur, quarumque qualitatem ignoramus, ſunt quid principale & incertum a fundi venditione, utique ſeparatum. Non enim intuemur fundum ſed ſervitutes: diverſum foret, ni fallor, ſi venderetur fundus liber & ab omnibus oneribus immunis, ut in noſtris contractibus fieri adſolet (nam hic caſus certus eſt) at cum aliquis fundum liberare ſimpliciter ſpondet, longe aliud ac diverſum habebitur. Porro non eſt praetermittendum caſibus certis non modo in dandi, ſed & in faciendi obligationibus locum eſſe, ut cenſuit Molinaeus contra priorum interpretum ſententiam *n.* 73. *&* 74. ſi tam certos initio fines habeant, ut communem recipiant aeſtimationem. Hactenus de caſibus certis, jam ad incertos cum Juſtiniano progrediamur.

[6] *In aliis autem caſibus, qui incerti eſſe videntur*] Accepimus a Juſtiniano in caſibus certis juxta duplum id quod intereſt ſubſidere; verum in incertis non aeque taxabitur: ſors enim alia eſt caſuum incertorum, quippe qui non habeant rem certae naturae certaeve quantitatis, ad quam referri valeat intereſſe, deficiatque certum objectum, quod contemple-

ut fieri, ſed dubitans quid facto opus eſſet, medi-
corum inſtar, qui, cum vident ſaevientibus morbis frangi valetudinem uſque eo, ut nulla ſpes ejus levandae affulgeat, aegrum juxta remediaque ſua deſtituunt, religioni judicantium totum credidit, ut aequa lance penſitantes quod revera intereſſe probaretur, non quale ex quibuſdam ſpecioſis technis & machinationibus actor obtenderet, prorſus ei reſtitui decernerent, & ita in caſibus incertis omnia expenſa impendia & damna reo feruntur, non tamen juſto plus. Porro ſingularia quaedam exempla, unde haec magis illuſtrentur, proponemus. Primum deſumetur ex *l. in interdicto* 6. *D. de vi & vi arm.* quam minus recte Molinaeus *n.* 106. circa finem intellexit, quando vult in *ea l* taxationem ejus quod intereſt ſimplo non ampliorem eſſe, etſi pluris interſit agentis interverſam ejus fuiſſe poſſeſſionem: nam intellectus ille adverſus juriſconſulti verba & mentem conflatus eſt. Siquidem ea lex caſum incertum continet remque incertae naturae, nempe poſſeſſionem, quae vaga res eſt & incerta; ideo lis aeſtimabitur quanti revera intererit poſſeſſionem abeſſe, vel ut loquitur Paulus, *tanti condemnatio facienda erit quanti interſit poſſidere:* longe enim aliud eſt rei pretium, aliud poſſeſſionis, *l. pen.* §. *fin. D. uti poſſid.* denique quomodo Juſtiniani moderamen ſedem ſibi vindicabit in *d. l.* incerto, cum de eo, qui vi e poſſeſſione ſua dejectus eſt, agat, & conſtitutionem Juſtiniani delicta non includere certiſſimi juris ſit? Aliud non minus ſingulare ſufficit nobis exemplum *l ſi jactum retis* 12. *D. de act. empt.* ubi poſtquam jactum retis emero, ſi piſcator abnuat retem jactare, hic caſus eſt anceps & dubius; res enim certae naturae in aeſtimationem non venit, ſed fortunae jactus, quo incertius fingi nec quidquam poteſt. Itaque ſi poſtulem id quod intereſt mea, incertum hujus rei aeſtimabitur, ac piſcator quod reapſe mihi abeſt, quodque lucrari potui totum ad aſſem rependet. Quo pacto enim dupli condemnabitur, ſi per ſe nullum ſimplum eſt opportunum, aptum, & conſentaneum huic taxationi? Aliud eſſet, ſi rete jactavit: nam, ut ait Celſus, ſi quod extraxit piſcium, reddere mihi noluit, aeſtimari debet quidquid extractum eſt, ut duplo major non ſit, ſed pretium dumtaxat piſcium exaequet taxatio ejus quod intereſt: at cum rete jactare non vult, rem incertae naturae, videlicet fortunae tractum circumtuemur. Pythagoram ferunt, dum Metapontici littoris oram legeret, vidiſſe a quibuſdam piſcatoribus trahi verriculum, ſimulque jactus aleam emiſſe, ſolutoque pretio piſcibus captivis retia ſubmitti, eoſque liquido ſuo elemento reſtitui juſſiſſe, quo caſu nullum debetur intereſſe; nam hinc inde ſtatur conventioni. Verum ſi aliqua obveniſſet contraventio, tunc locus Juſtinianeae conſtitutioni foret, caſuum certorum vel incertorum habita ratione: ut ſi retia piſceſque verriculo impliciti extracti ſint, id quod intereſt coarctetur: contra ſi retes jactare piſcator noluerit, taxatio ipſa diffundatur, cum hic caſus ſit incertus; tantamque converſionem jactus & fortunae mobilitas facit: quid enim magis vagum & ambiguum, quidque nos ſuſpenſos magis tenet, quam piſcatorum jaculatio; uti omnibus perſpicuum eſt? Modo praetereunda ſilentio mihi non videtur Mileſia quaedam fabella, quae apud literarum delicias Joſephum Scaligerum narratur, *Auſonianarum lectionum lib.* 2. *cap.* 18. quam ab authore, neſcio quo deſumptam, hocce penicillo fere depingit: *Nereus quidam Cotinenſis amore Atticae nomine mulieris, Athenis natae, ſe ſe de Leucade petra praecipitem dedit, unde non ſolum amore levatus fuit, ſed etiam vivus incidit in morbo, quo antea conflictabatur, jam liber eſſet? Quare ſi ſuperes de alieno auro litem ne moveres, incepto deſiſtis.* Noviſſimum depromam exemplum ex *l. tenetur* 6. §. *ſed ſi vas* 4. *D. de actio. empt.* quo in loco ſi vas mihi vendideris fractum aut pertuſum, & in id congeſtus & infuſus liquor diffluxerit, quamvis ignorans vendideris, neque actum ſit ut idoneum vas praeſtetur, teneris ultra pretii conventi reſtitutionem in aeſtimationem ejus, quod eo nomine perdiderim, tametſi liquoris effuſi valor triplo vel quadruplo ſupra vaſis pretium aeſtimetur: ſicque intelligendus eſt §. 1. *l. ſed addes* 19. *D. locat.* ubi *ſi quis dolia vitioſa ignarus locaverit, vinumque effluxerit, tenebitur in id quod intereſt*, hoc eſt, omne detrimentum, quod contraxit non integri vaſis vitio conductor, a locatore penſabitur, uti accipitur id quod intereſt in *l.* 1. *D. de act. empt.* Verum dicet aliquis, nullo pacto fieri poteſt, ut hic caſus incertorum conditione cenſeatur, *arg. l. Julianus* 13. *in princip. D. de actio. empt.* quae vult, quod ſi quis pecus morboſum, vel tignum vitioſum ignorans vendidit, quo aedes meae contignatae corruerint, vel pecora mea contagione morboſi pecoris perierint, eum ex empto praeſtiturum, quanti minoris eſſem empturus abſque ullo alio intereſſe. Franciſcus Curtius junior hunc nodum, quo detinebatur, non ſolvit, ſed abrupit, dum putat eſſe ſpeciale in vaſis vinariis, ut damnum univerſum rependatur: quia boni homines ut plurimum affectant bonum vinum, & ideo veriſimile eſt, inquit, quod adhibeant majorem diligentiam circa intelligentiam vel ſcientiam bonitatis aut vitii vaſis hujuſmodi, quam aliarum rerum: eamque ſolutionem Cujacius amplexus eſt in poſtumis ad *d. l. Julianus* 13. quamvis ei reluctetur *d.* §. *ſed ſi vas* 4. *l.* 6. *D. de act. empt.* qui generatim loquitur de omnibus vaſis, ut docte annotat Molinaeus *n.* 19. quem locum facile conjectari eſt eum minime legiſſe; alias in tam ridiculam non incidiſſet ſententiam: & ſane niſi in tanta re ſcurriliter ludere nefas eſſet, eorum gratiam hunc verſum proferrem,

Vina bonus quae deinde cadis onerarat Aceſtes.

Has autem leges ſincero & vero intellectui Molinaeus reſtituit *n.* 49. nam *d.* §. *ſed ſi vas* 4. *& d* §. 1. de vaſculario ſeu artifice, qui vaſa conflat & fingit, interpretatur: qui eo ipſo quod artem vel commercium vaſorum exerceat, ſaltem tacite profiteri videtur, ea in quem uſum vaeneunt idonea eſſe, ideoque quidquid per imperitiam committit, illi imputatur, *l. idem juris* 8. *D. ad leg. Aquil.* Et *d. l. Julianus* 13. intelligit, quando tigna minus ſolida venduntur ab eo, qui talem artem minime profitetur: ille caſus eſt incertus, dum non inſpicitur vas per ſe, ſed cum periculo inſtillati liquoris, quod venditori quamprimum praeviſum eſſe debuit: cujus rei plurima ſuppetunt apud Molinaeum exempla, *n.* 46. *&* 49. *cum ſequent.* usque ad *nu.* 66. hic vero caſus eſt certus, cum tigna certam naturam habeant, neque praevidendo ulli periculo animum advertamus: proinde

Quam ſcit uterque libens cenſebo exerceat artem.

[7] *Et non ex quibuſdam machinationibus & immodicis perverſionibus.*] His verbis innuitur intereſſe remoti nuſquam habendam eſſe rationem: idque non inerudite docet Molinaeus *de uſuris n.* 29. debet enim judex allegationes frigidas, commentitias, incertas, & longius quam par ſit accitas, flocci pendere, tantumque ad id quod re vera interſit actoris eſſe propenſior. In hanc rem plurima exempla ſuppetunt apud Cujacium in *paratit. ad hunc titulum circa finem*, quae a Baſilicis mutuatus eſt: ſunt & nonnulla apud Mo-

Digitized by Google

quod ultra quam ſatis eſt, petitur, hoc modo: Quod ſi non Publius Scipio Corneliam filiam Tito Graccho collocaſſet, atque ex ea duos Gracchos procreaſſet, tantae ſeditiones natae non eſſent, quare hoc incommodum Scipioni adſcribendum videtur. Hujuſmodi eſt illa quoque conqueſtio:

Utinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Caela cecidiſſet abjegna ad terram trabes!

Longius enim repetita eſt, quam res poſtulabat. Quid conſtitutioni noſtrae aptius inſertabitur? nam dicimus, id quod intereſt nihili faciendum eſſe, ſi longius repetatur, quam opus ſit. Mox ut varietas, quae animos reficere amat, vobis delectationem conciliet, ad quarundam legum interpretamenta, velut ad quosdam locorum amoeniſſimos receſſus, vos leniter deducam. In primis occurrunt *l. quemadmodum* 29. §. 3 *verſ. plane. D. ad l. aquil. & l. ſi jactum retis* 12 *D. de actio. empt.* quae frontibus adverſis hoſtiliter ſibi adverſari videntur. In *d.* §. 3. *verſ. plane*, ſi navis culpa nautarum impulſa retia piſcatorum abruperit, his cum nautis agentibus retia in aeſtimationem quidem veniunt, ſed inſuper piſces nondum capti minime aeſtimabantur: at in *d. l. ſi jactum* 12. piſcium capiendorum jactura penſitabitur, quo nihil magis diſſentaneum eſt: verum textus illi Molinaei acumine in gratiam redierunt, non quando *n.* 84. intelligit *d.* §. 3. *verſ. plane*, de intereſſe remoto; & *d. l. ſi jactum* 12. de intereſſe quod proxime accedit: etenim piſcium captura nullum eorum, qui expiſcantur, intereſſe propinquius fingi poteſt: ſed dum exiſtimat in *d l. ſi jactum* 12. de re principali in obligationem deducta tractari, non vero de eo, quod intereſt; ut in *d.* §. 3. *verſ. plane:* quod quia incertum eſt, eo ipſo contemnitur; quae ſolutio verbis ipſius juriſconſulti adnititur, ibi, *cum incertum fuerit ut caperentur*, & his etiam verbis, quae modo commentamur: unde Seneca *lib.* 3. *de benefic. dandam adverſus ingratum non eſſe actionem, eo quod difficillima eſſet incertae rei aeſtimatio*, recte arbitratur. Porro magnus ille vir Molinaeus non parum hallucinatur, dum *l. ſi ſterilis* 21. §. *cum per venditorem* 3. *D. de actio. empt.* de intereſſe remoto loqui putat, ibi, *utilitas circa rem:* cum eo verborum tenore aeſtimationem quantiplurimi, ut ſupra docuimus, deſignari verius ſit. Quoties per venditorem ſtat, quominus vinum aut triticum praeſtetur, lucrum ceſſans eo quod non potuerit emptor vino negociari, aut damnum emergens ob eam rem, quod frumento non tradito ſervitia ejus inedia deperierint! quod intereſt remotum ne cenſebitur? minime vero! quinimo hujuſmodi lucri ratio quandoque habebitur, *l.* 2. *in fine. D. de eo quod certo loco:* quod nuſquam eveniret, ſi eſſet intereſſe remotum. Deinde quis ex altera parte putaret, familiam eo nomine necatam cenſeri disſitum intereſſe, quando nullum magis affine ſit? ergo damna illa venditori haud adſcribuntur non alia de cauſa, quam quod res fungibilis impatiens ſit intereſſe extrinſeci.

[a] *Cum ſciamus eſſe naturae congruum.*] Si poena, quam alii non bene intereſſe conventum nuncuparunt, non multum excedat duplum in caſibus certis, eam judex tolerare poterit, modo in fraudem uſurarum non recidat, quod fere ſemper accidit, quotieſcunque ſummae quantitatis debitae adjicitur: tunc enim tantum abeſt, ut ad duplum pervenire poſſit, quin ne modum legitimae uſurae debeat excedere, *l. Julianus* 13. §. *idem Papinianus* 26. *D. de act. empt.* in *paratitl. tit. D. ſi quis caut. in judic. ſiſti*, cujus verba ſubjiciam: *Poenae modus legitimus in caſibus certis, ut non excedat duplum; in incertis vero modus poenae datur Praetoris arbitrio.* Eandem ſententiam expreſſit aliis, verbis, *Obſerv. lib.* 16. *cap.* 34. verum Juſtinianus poenas conventas ad inſtar ejus quod intereſt progredi non immerito voluit: nam ut ait Molinaeus in *ſua periphraſi ad hanc l. in verb. poenas*, hae poenae loco intereſſe ſubrogantur, *l. fin. D. de praetor ſtipul.* § *fin. Inſt. de verb. oblig.* Inſuper, ſi libera foret poenam ſtipulandi facultas, plerique ita eſſent proclives ad quamlibet poenam promittendam; dum bonum animum habent & ſperant, hujus poenae caſum ſe poſſe antevertere, ut ſaepiſſime circumſcriberentur ſpe allecti: quod enim non expectas, ſaepius ex transverſo fit; ut quidam dicebat, adeo crebra eſt ſors calamitatum. Neque offendiculum irrepit ex *l. mulier* 5. *in fine C. de ſponſal.* quoniam *huic l.* belle reſpondet Molinaeus *n.* 182. cui ſuffragatur Cujacius *d. cap.* 34. Fortius adverſatur lex *ſi dictum* 56. *D. de evictio.* quam Molinaeus cum hac conſtitutione conciliare fruſtra nititur, dum ait legem *ſi dictum* 56. non decidere ſemper & ubique licere triplum aut quadruplum ſtipulari in caſum evictionis, illamque reſtringit ad quoſdam caſus, qui raro accidunt & quos commentus eſt contra *l. nam ad ea* 5. *D. de legibus.* tametſi ea lex ſine ulla diſtinctione loquatur & cuivis ſatis notum ſit contrahentes triplum vel quadruplum non inuſitate in caſum evictionis ſtipulari ſolitos ex *d. l. ſi dictum* 56. *& l. ſi procurator* 5. *D. de jure fiſci.* Itaque a Molinaei commentatione recedendum cenſeo, atque hic nodus ita reſolvendus mihi videtur: Cum res aliqua venibat, contrahentes duplam ſtipulari conſueverant, adeo ut ſi illam duplae cautionem omiſiſſent, lex praeſumeret eos de dupla ſenſiſſe, ideoque condemnationem faciendam eſſe usque ad duplum eo caſu, quo de evictione nihil expreſſum foret, *l.* 2. *D. de eviction.* nam in contrahendo quod agitur pro cauto habendum eſt: intelligebatur vero agi, ut duplae caveretur & re evicta venditor in tantum condemnaretur, *arg. l. cum quid* 3. *D. de reb. cred.* ſaltem ſi res foret pretioſa: rei enim contemptibilis ſimplaria erat actio, poſtque evictionem pretii duntaxat ratio habebatur, *l. emptori* 37. §. *quod autem* 1. *D. de evictlon.* At illud tandiu obtinebat, quamdiu ſibi non aliter proſpexiſſent contrahentes: licebat enim illis triplum vel quadruplum ſtipulari, quo facto tacita ceſſabat legis praeſumptio propter expreſſam conventionem, *d. l. ſi dictum* 56. *& d. l. ſi procurator.* 5. ſicque ante Juſtiniani conſtitutionem poena in ſtipulationem deduci poterat ſupra duplum, etiam in caſibus certis, ubi res evinceretur: dupli enim taxationi locus non erat, ſi contrahentibus aliud viſum fuiſſet: nec obſtant *l. Titius* 43. *cum l. ſeq de act. emt.* quas accerſit Molinaeus, ut opinionem ſuam tueatur: quinimo noſtram non eſſe faſtidiendam ſententiam indicio ſunt: nam ibi venditor evicto ſervo ſumptus immodicos, quos emptor in erudiendum hominem fecit, reddere non compellitur, ſed uſque ad duplum duntaxat obligatur; eamque adfert hujus deciſionis rationem Juriſconſultus, quia non cogitatum fuerat a venditore de tanta ſumma: ſolidum ergo damnum decidere cogeretur, ſi ad illud advertiſſet, aut ita eſſet conventum. Sed poſtquam haec innovata ſunt a Juſtiniano praefinitique paſſim termini ejus quod intereſt, hodie concludendum opinor cum

4. §. *fin. D. ſi quis cautio.* Sed *huic l.* probe ſatisfacit Cujacius *Obſerv. lib.* 16. *cap.* 34. etſi non aeque bene *tract.* 8. *ad African. ad l. cum & forte* 44. ubi enunciat, olim admiſſam fuiſſe conventionem ſupra duplum, ſi modo per errorem ea conventio non interponeretur: at poena non debuit etiam duplum excedere in ſtipulatione judicio ſiſti. Non minor dubitatio ſuboritur ex *l. ſtipulatio iſta* 38. §. *alteri* 17. *D. de verb. oblig.* & §. *alteri* 19. *Inſt. de inutil. ſtip.* ubi poenam deberi & ſtipulari poſſe, etiam ubi nihil interſit, diſertis verbis exprimitur: quibus textibus vulgo reſpondetur, poenam quidem commiſſam peti, quamvis ſtipulatoris non interſit, ſed addendum, modo in caſibus certis non ſuperemineat duplum, neque in caſibus incertis quod bonum & aequum eſt: ita ſentiunt Molinaeus *n.* 174. Cujacius *d. cap.* 34 in idque recte ponderant ea verba, *non inſpicitur quod intereſt, ſed quae ſit quantitatis:* ne ſcilicet modum ſtatutum excedat, *arg. l. cum quidam* 17. *D. de uſur.* Ex his, ſtudioſiſſimi auditores, videtis, quantum operae, quantumque induſtriae in extricandis tot legum ambagibus nobis inſumendum fuit; quod ſui luculentiſſimi tractatus initio fidus interpres Molinaeus ſatis praemonuerat: cujus ſententia adverſus futiles, thodus in colligendis, qui ad jus civile ſcripſerunt, interpretum communibus ſententiis, quas juventus Gallica, ſtudio legum deſerviens, edoceretur. Riſi ego ingenium hominis adeo ſtupidum, rude & inſulſum, qui tamen indocto popello ſe pro juriſperito venditat; dum ſexdecim abhinc annis eo impudentiae pervenit, ut in dies & horas ſpondeat ſe emiſſurum ad conſuetudines Pictavenſes juſtum, ut ait, volumen: pueri & illiterati, quorum expectationem iſte fruſtratur, credunt credulitate Gallica hominem elephantum pariturum; at qui plurimum ſalis habent ne murem quidem arbitrantur. Ne multa, hic Petrum Paſcalem miris modis refert, in hoc tamen diſpares quod ille vel ingenioſis, doctis, perſpicacibus aſtute obrepſit; hic vero ſtultis, illiteratis, tardis rudius imponat, quam diſertiſſime hiſtoriam depingit, *lib.* 9. *Epiſt.* doctiſſimus Stephanus Paſcaſius, hujus ſeculi decus ſupereminens, ſimul & Galliae noſtrae cultor eximius; cujus longaevam ſenectam Deus optimus maximus in hunc diem ideo protraxiſſe videtur, ut ſplendidiſſima ingenia ſuorum coaetaneorum in eo ſuperſtite miraremur.

F I N I S.

GA

Digitized by Google

LIBER SINGULARIS.

Marcianus libr. 13. Inſtitutionum.

IN Quartam hereditatis, quam per legem Falcidiam heres habere debet, imputantur res, quas jure hereditario capit, non quas jure legati, vel fideicommiſſi, vel implendae conditionis cauſa accipit: nam haec in quartam non imputantur. Sed in fideicommiſſaria hereditate reſtituenda, ſive legatum vel fideicommiſſum datum ſit heredi, ſive praecipere, vel deducere, vel retinere juſſus eſt, in quartam id ei imputatur: pro ea vero parte, quam accepit a coherede, extra quartam, id eſt, quod a coherede accipitur. Sed & ſi accepta pecunia hereditatem reſtituere rogatus ſit, id, quod accipit, in quartam ei imputatur, ut Divus Pius conſtituit. Sed & quod implendae conditionis cauſa fideicommiſſum heredi datur, in eadem cauſa eſſe admittendum, ſciendum eſt. Si quid vero implendae conditionis cauſa heres accipiat a legatariis, in Falcidiae computationem non prodeſſe: & ideo ſi centum praedium legaverit defunctus, ſi quinquaginta heredi legatarius dederit: centum legatis computationem fieri, & quinquaginta extra hereditatem haberi, ne in quartam ei imputentur.

In quartam hereditatis, quam per legem Falcidiam heres habere debet, imputantur res, quas jure hereditario capit.] Haec pars juris, ut loquar cum Manilio, contenta doceri, ornari ipſa negat: quare nemo mirabitur, ſi libellus iſte verborum floſculis minus inundet. Malui ego diſſolvendis gryphis iſtis, juriſque nodis aemulari, Comici exemplo, quorundam negligentiam, quam multorum obſcuram diligentiam. Omiſſis itaque verborum lenociniis jam jam accingor ad inſtitutum. In quartam hereditatis, quam per legem Falcidiam, vel Senatusconſultum Pegaſianum heres ſibi retinet, id ſolum computandum eſt, quod jure hereditario accipitur, *l. 14. l. 51. cum duabus ſequentibus. l. 74. D. h. t.* ideoque Falcidia quarta hereditatis hic & in *l. 1. §. 1. & paſſim h. t.* appellatur: ut & Trebelliana in *l. 1. C. ad Sc. Treb.* Sed res illa melius expedietur, ſi probetur exemplis, ut docet Julianus in *l. ſi ita vulneratus 51. §. fin. D. ad l. Aquiliam.* Singulare deſumitur ex *l. ſi dignum 19. D. h. t.* ubi, ſi fundum decem heres a teſtatore quinque vendere damnetur, quinque legata cenſentur, *l. ſi fundus 23. l. qui fundum 87. eod.* & quinque a legatario heredi numerata quadranti imputantur: quia cum ea percipiat heres judicio teſtatoris, & contemplatione hujuſce venditionis, neque ea teſtator reliquit implendae conditionis cauſa, perinde eſt ac ſi fundum aeſtimatum quinque jure hereditario conſequeretur: pretium enim ſuccedit loco rei hereditariae, *l. ſi & rem 22. D. de petit. hered.* at longe diverſum eſſet, ſi hac teſtator loquendi figura uteretur: *fundum lege Seje ſi quinque heredi dederit*, ut in *l. ad veterani 40. §. 1. D. h. t.* eo enim caſu ad quinque illa minime induceretur poteſtas legis Falcidiae, quoniam heres non haec acciperet jure univerſali, ſed mortis capione, noſtra *l. in quartam 91. in fine. l. 40. §. 1. l. 65. l. in ratione 30. §. tametſi 7. D. eod.* qui §. loquitur de Trebelliana quarta. Quo manifeſtum fit in Trebellianam imputari demum ſolere, quae pro herede capiuntur, non ſecus quam in Falcidiam. Sed ut facilior noſtra decurrat oratio, proferam in medium *d. l. in ratione 30. §. vendere 1.* qui quidem necdum expoſitus eſt. Sic autem ſe habet: Teſtator fundum certo pretio vaenire juſſit; quaeritur in ratione legis Falcidiae ineunda, quantum ſit legatum ſive pluris ſive minoris fundus valeat, quam quo pretio eum diſtrahi defunctus voluit, & placuit conſiderari, quanti aequum erat emere, non vero pretium impoſitum a teſtatore in hoc, ut legatum relinqueret: verbi gratia; teſtator heredi fundum vendere decem aureis injunxit, qui dignus erat viginti, aut eundem emere triginta: ſi decem vendiderit, alia decem, quae ſuperſunt ex juſto pretio, legata exiſtimantur, quia legatarius fundum viginti pro decem habet, cui conſequens eſt legatum in decem valere, *l. 26. D. de legat. 1.* & ut primum rem minoris, quam quanti, erat legatarius emerit, quod inſuper valuit caeteris legatis contribuetur, ex eoque detrahetur Falcidia: ſin e diverſo multo pluris heres fundum illum (puta triginta) emerit, decem, quae verum pretium exſuperant, inter legata, e quibus deducetur quadrans, aeque adnumerabuntur, augebiturque quarta decem his computatis, quae de ſuo heres praeſtitit: licet enim teſtatori rem ſui heredis legare, ſed onus hujuſce legati in contributionem veniet, atque una cum caeteris legatis communi calculo ſubjicietur, *l. pater 14. §. 1. D. hoc titulo.* Ergo ſive pluris heres emerit, ſive minoris legatarius, quam res ipſa aeſtimetur, in Falcidiae computatione deſtricte juſtum pretium attendetur, &, ſi quid minus vel amplius eo pretio relictum ſit, conſiderabitur ut legatum; atque hic quoque indulgebitur legis Falcidiae beneficium: cum propter aeſtimationem, quam teſtator fecit, non magis quarta minui, quam auferri poſſit, *l quod de bonis 15. D. eod.* nec non aeſtimatio praedii ex rerum ipſarum veritate conſtituatur. *l. in Falcidia 9. D. h. t.* Sequitur in *d. §. 1. l. 30. h. t.* *Sed ei quidem portioni, quae legatis deductis facienda erit, amplius deducetur.* Quorum verborum mentem aſſequi non potuit Goveanus, ut ipſe ingenue profeſſus eſt, aliique intentata reliquere: a nobis autem, ni fallor, perſpicuitati ſuae reſtituentur. *Sed amplius deducetur*, videlicet de hoc legato ſive pluris ſive minoris res vaenierit, *ei quidem portioni*, hoc eſt, in augmentum quartae Falcidiae: *quae legatis deductis*, ſeu deminutis *facienda eſt*, id eſt, replenda; utroque enim caſu quidquid ſupra dodrantem erit auferetur: ut, ſi plures heres emerit, quam juſta fundi aeſtimatio fert, id, quod ſupra juſtum pretium depenſum erit, legatis annumerabitur: ſin vero minoris vendiderit quam per veram rei aeſtimationem par erat, idem juris obſervabitur: nam quidquid legatarius exinde lucri fecerit, legati loco eſt, ita ut ex eo ſicut ex aliis deducatur Falcidia. Sequitur, *Quippe non noſtri cauſa capi id pretium:* hoc eſt, non heredis neque aliorum legatariorum contemplatione, inter quos Falcidiae ratio ponenda eſt, pretium indictum a teſtatore ita accipi debet, ut in eo Falcidia exerceatur,

torum erogatione fieri aeſtimationem. Additur, *ſed eo deducto pretium reliquum legatum intellectum eſt:* id eſt, ſed eo juſto pretio deducto, reliquum, quo pluris vel minoris rem teſtator fecerit legati nomine, acceptum videtur: ob idque quartae conficiendae, quam heres lege Falcidia interveniente conſequi debet, computabitur.

Non quas jure legati vel jure fideicommiſſi, vel implendae conditionis cauſa accipit: nam haec in quartam non imputantur.] Quaecunque jure hereditario capiuntur, computantur, ut diximus, augentque hereditatem: at diverſae interpretationis ſunt ea, quae jure vulgati, vel fideicommiſſi, vel conditionis implendae cauſa noſtra eſſe intelliguntur: nam ſi haberi oporteat legis Falcidiae rationem, bonis teſtatoris decedunt, neque quicquam proficiunt legatariis, ſed lucro cedunt heredi, uti ex verbis juriſconſulti Marciani apparet, probaturque in legatis ex *l. Neſennius 22. D. & d. l. quod autem 74. h. t.* necnon in fideicommiſſis ex *l. 15. §. penult. D. eod.* ubi filius matrem & Titium heredes fecerat, atque oneraverat juſto plus legatis ipſorum portiones, ita ut Falcidiae locus eſſet: verum portionis maternae ſupplendae gratia fideicommiſſum a coherede matri reliquerat, quaeritur, quomodo ineunda ſit Falcidiae computatio, & deciditur, matrem, fideicommiſſum exigentem, a coherede Falcidiae patientem eſſe debere, atque fideicommiſſum minui: coheredes enim non minus utuntur legis Falcidiae beneficio adverſus ſuos coheredes, quam adverſus extraneos legatarios, neque praelegata in hoc differunt a legatis, *l. a coheredibus 17. C. h. t.* quod tamen ſupererit ex fideicommiſſo, Falcidia ita deducta, reſpectu legatariorum, quibus a matre ultra modum lege conſtitutum legata relicta ſunt, totum lucro matri ipſi cedet, neque quicquam exinde quadranti ſuo imputabitur, ſed univerſum illud reſiduum extra quartam erit neque relevabit legatario, quominus Falcidiam patiantur: non enim mater fideicommiſſum illud aſſequuta eſt jure hereditario, ſed jure fideicommiſſi. Diligenter tamen animadvertendum eſt, ne id ſine ulla diſtinctione recipiatur: nam ſi teſtator ita praelegaverit, ut heres ſolida legata & integra fideicommiſſa praeſtet, tantum abeſt, ut citra Falcidiam ea conſequatur, quin illi denegabitur actio, ſi Falcidia uti velit, *l. ſed ſi ideo 75. D. eod.* Neque magis caſus ille, ſi mutua legata heredibus a ſe ipſis relicta ſint eatenus, quatenus concurrunt, ad Falcidiam referetur: ſi quidem uterque heredum legis Faleidiae commodo arcebitur; compenſationis tamen aequitate oppoſita, ut loquitur Papinianus in *l. heredi 15. D. de his quibus ut indig.* agens exceptione repelletur, ita ut, quod alioquin vice mutua ſibi coheredes erogarent, quadranti retinendo compenſetur: quod plane per explicationem legis *Neſennius 22. D. h. t.* evidentius fiet; in qua ſpecies hujuſcemodi proponitur: Titia, tres filias habens, eas inſtituit heredes, ab hiſque ſingulis legata dedit, ſed a prima cum caeteris coheredibus tum extraneis in tantum legavit, ut illi neceſſe fuerit deminuendis legatis, ne dodrantem excederent, legis Falcidiae beneficium implorare; caeterarum vero coheredum portiones, licet delibatae, non tamen erant omnino exhauſtae: quaeſitum eſt, num Prima adverſus coheredes ſuas, a quibus legata ipſa quoque accepit, juvetur auxilio legis Falcidiae, & quouſque poſſint extranei indociles eſſe Falcidiam pati. Quibus viſionibus reſpondet Paulus, filiam, quae portionem ſuam exhauſtam habet, non uſuram adverſus coheredes ſuas Falcidia, ſi id, quod ab iis perceptura eſt, ſuppleat quod ſuo quadranti deeſt: quantum vero ad coheredibus relictorum, [illegible] qui dubio procul eveniret: uti hoc praevio paradigmate dilucide explicabitur. Titia centum & viginti domina filias ſuas, tres numero, Primam, Secundam, Tertiam heredes inſtituit ex aequis partibus, & ita ſingulae quadraginta habent: a Prima coheredibus ſexdecim legavit, & viginti quatuor extraneis, quibus ita legatis omni ex parte exinanita eſt illius portio, & invicem ipſi Primae a coheredibus relicta ſunt quatuor: quomodo computatio fiat, explorandum eſt. Coheredes petunt ſexdecim, & ab his viciſſim Prima quatuor expoſcit, ſimulque deſiderat eorum legata Falcidiae interventu minuere. E diverſo replicant coheredes, nullam Falcidiam e legatis ſibi relictis detrahendam eſſe, ſed, prout aequitas ſuggerit, cum Falcidia compenſanda quatuor illa Primae mutua vice relicta pertinaciter contendunt. Inſtat Prima ſuamque portionem penitus exhauſtam legatis conqueritur, coheredum vero portiones hereditarias non item, & ob id patrocinari ſibi Falcidiam debere dictitat: quod ſi aequitas praeponderet ſummo juri, cauſam ſuam contraria, imo majori aequitate foveri enunciat: ſi quidem aequalitatem, quae eſt mater juſti & aequi, inter liberos tenaciſſime obſervandam eſſe non ambigitur. Quid juris? Paulus ſecundum coheredes litem dat. Hac vero ſedata contentione majores turbae ex parte non coheredum excitantur; vult enim Prima ſibi decem refundi ex eorum legatis: nam decem ſunt illius portionis quadrans, cujus revocandi ab his per legem Falcidiam jus habere videbatur. Legatarii vero reclamant, ſe debere tanto onere levari, atque praeter aequum eſſe, ſi Falcidia plena deduceretur e ſuis legatis: dum ſatis conſtat, in ſingulis legatariis ponendam eſſe rationem Falcidiae, ſeque paratos eſſe Primae quadranti pro modo legatorum conferre, at ipſam nihil debere ſupra ſex detrahere ajunt, dum alia quatuor, legatis coheredum decedere juri conveniens ſit. Quod ſi Prima nihil deduxerit propter legata, ei viciſſim relicta, hanc compenſationis aequitatem ſibi damnoſam eſſe minime debere adſeverant. Ne multa; in hanc partem inclinat Paulus his verbis: *Plane caeteris legatariis non univerſum, quod coheredi praeſtat, imputabit, ſed quantum daturus eſſet, ſi nihil perciperet,* hoc eſt, ſexdecim, quae coheredibus praeſtitit, comprehenſis quatuor ſibi viciſſim legatis, quae in compenſationem incidere, Prima calculo non ſubjiciet, quo magis ſuam portionem legatis exhauſtam eſſe apparet; ſed duntaxat quantum datura foret, ſi nihil percepiſſet, id eſt, ſed tantum duodecim, quae erogatura erat detractis quatuor per Falcidiam, ſi compenſationi non fuiſſet locus. Poſt tot ſedatarum litium halcyonia e propoſito non longe aberrare videbimur, ſi praecedentibus quaedam de mortis cauſa capione ſcitu neceſſaria ſubtexantur: quae nihil aliud eſt, quam liberalitas nobis per mortem alicujus obveniens, proprioque nomine deſtituta, atque in vaga appellatione mortis cauſa capionis reſidens, *l. ſi mortis 14. D. de mort. cauſ. donat.* Hereditas, donatio cauſa mortis, legatum, fideicommiſſum acquiruntur quidem mortis cauſa: verum cum in generali nomine non ſtent, ſed in proprium nomen tranſeant, certiſque ſuis vocabulis deſignentur, hujuſmodi capiendi figurae mortis cauſa capiones non appellantur, ſed hae tantummodo, quae communi generalique nomine mortis capionis circumferuntur. Caeterum mortis cauſa capionis duae ſunt ſpecies: una quae mortis; altera quae conditionis implendae cauſa nuncupatur: ſicut adoptio ſpecialem adoptionem, & arrogationem ſuo ambitu conti-

s non eſt legata, ſed mortis cauſa capitur, *l.* 1.
m ſi ita 8. *D. hoc titulo*; vel ſi eo modo: *heres*
damnas eſto dare fundum Cornelianum Titio, ſi Ti-
ibi centum numeraverit: heres ea centum non ju-
gati, non fideicommiſſi, non donationis cauſa
is (quippe nihil illis capiendi figuris a teſtatore
m eſt) ſed ea nanciſcitur conditionis implendae
i (Teſtator enim figura conditionis uſus eſt,
vocatur itidem mortis cauſa capio) verum quo-
i his verbis conditio exprimitur, ea liberalitas
litionis implendae cauſa indigetatur, ut diſcre-
i mortis cauſa capione ſpeciali. His praemiſſis,
bitanter dicemus, ea, quae mortis cauſa capiun-
non ad Falcidiam referri, ſive figura conditio-
ſive conceptione conditionis omiſſa relicta ſint,
id autem 76. *l. ſi pupillus* 21. *& d. l. in ratione*
tametſi 7. *& l. ad veterani* 40. §. 1 *D. h. t.* ubi
i Titio fundus dignus viginti legatur, ſi decem
erit heredi, in toto eo fundo Titius legatarius
itatur; quod utique verum eſt, ſi Falcidiam in-
umur: nam ejus reſpectu fundus ſolidus legatus
lligitur. Si quidem e viginti Falcidia deducetur,
aliquatenus conſiderabuntur decem a Titio nu-
rata; quoniam heres ea ſupra Falcidiam habet, ut-
e accepta implendae conditionis cauſa, non vero
: hereditario: quod probat Marcianus in *noſtra*
In quartam 91 dum ait: *quinquaginta extra he-*
itatem haberi. Eaque ratione fundus integer le-
us videbitur, ut ad Falcidiam revocetur, ſed ſi
o collimes quam ad Falcidiam, longe aliud erit, *l.*
i amplius 26. *D. de legat.* 1. *Non amplius*, inquit
riſconſultus, *ad quemquam pervenire videtur legati*
mine, quam quod deducto eo, quod conditionis implendae
uſa numeratum eſt, ſupereſſet: ſicque illius fundi Ti-
is legatarius exſtimabitur in decem dumtaxat, non
viginti, cum bina quina dederit: at intuitu Fal-
diae fundus univerſus legatus nihilominus dicetur:
ia toto fundo quadrans detrahitur. Hae duae le-
s ita conciliandae mihi videntur. In ſumma, quae-
nque mortis cauſa capiuntur, non imputantur in
alcidiam, hoc eſt, ſive heres eo genere capiendi
iidpiam acceperit, ſive legitario quid daturus ſit,
ſſabit utrobique Falcidia. Nam imputari in quar-
m non magis dicitur, cum heres rem quandam ad-
ribit quadranti ſuo, quam cum detrahit ex legatis
uadrantem, ut videre eſt ex *d. l.* 1. §. *item ſi ita* 8.
). h. t. Nihil ergo decedit ex mortis cauſa capio-
ibus: quia, ut jam dictum eſt, non ſunt legata, *l. ſi*
iis ſub conditione 8. *D. ſi quis omiſſ. cauſ. teſt.* ob id
'alcidia minime in eo genere relicti ſedem ſibi vin-
icat. Neque ſunt fideicommiſſa; quo fit, ut neque
enatusconſultum Pegaſianum, quod remedium at-
ulit fideicommiſſis univerſalibus & ſingularibus §
ed quia heredes 5. *Inſt. de fideicomm. hered.* neque
onſtitutio D Pii, quae fideicommiſſis ab inteſtato
elictis proſpexit, *l. filiusfam.* 18. *D. h. t.* ad eam
apiendi figuram legem Falcidiam induxerint; ne-
que mortis cauſa donatio, ut conſtat ex *d. l. mortis*
auſa 31. *D. de mort. cauſ. donat.* ac per hoc non
ubjacet conſtitutioni D. Severi, quae porrexit Fal-
cidiam ad mortis cauſa donationes. Neque etiam
eſt donatio inter virum & uxorem, ad quam tan-
dem extenſa eſt lex Falcidia Juriſconſultorum reſpon-
ſis, *l. in donationibus* 12. *C. h. t.* Sed eſt quaedam ſpe-
cies capiendi innominata, & proinde Falcidiae non

ceptionem habet, quando res hereditaria eo genere liberalitatis relinquitur. Altera recitatur exceptio in *l. penult. C. h. t.* quando prohibetur heres adire hereditatem, priuſquam certam alicui quantitatem numeraverit, quae quartam defraudet: quae quidem datio, licet mortis cauſa fiat, merito veniet in computationem Falcidiae, cum dodrantem excedat, atque in fraudem illius legis hic caſus invectus videatur.

Sed in fideicommiſſaria hereditate reſtituenda, ſive legatum, ſive fideicommiſſum datum ſit heredi, ſive praecipere, vel deducere, vel retinere juſſus eſt, in quartam id ei imputatur, pro ea vero parte, quam accepit a coherede, extra quartam, id eſt, quod a coherede accipitur.] Ea verba omnes hucusque fefellerunt interpretes, qui differentiam inter quartam, quae per legem Falcidiam ex legatis decedit, & eam, quae depromitur e fideicommiſſis univerſalibus per Senatusconſultum Pegaſianum admiſerunt, dum minus caute arbitrabantur, ea demum in Falcidiam imputari, quae pro herede capiuntur; in Trebellianam vero etiam ea, quae jure fideicommiſſi, legati vel conditionis implendae cauſa retinentur. Cujus opinionis fuit & Cujacius in *l qui non militabat* 78. *D. de hered. inſt.* eamque deciduam & ruentem hac fultura quidem fragili ſuſtinebat, quod paſſim Falcidia appelletur quarta hereditatis, & per hoc in eam dumtaxat videbatur imputari debere, quae jure hereditario caperentur; Trebelliana vero quarta bonorum non ſemel vocitetur; cui congruens videbatur, ut non ejuſdem juris eſſent, ſed in Tr bellianam caderent univerſa omnia, quae de bonis, reſtitutioni ſubjectis, proveniſſent, quamvis legati, fideicommiſſi, vel conditionis figura acciperentur. A qua ſententia tamen receſſit *Obſerv.* 8. *cap.* 8. cumque vult illudere erudito alioquin Duareno, apud doctas Biturigas olim collegae ſuo (quam urbem medius fidius inclitam, virum μουσῶν, eruditiſſimorumque hominum tutiſſimum Aſylum olim ſelegit, in quam, velut in arcem Palladiam, profugus e malignis laribus ſuis ſe reciperet, ſedeſque illic quietas & tranquillas poneret, ibique vitam ſuam multis foetam adoreis, nulliſque obliterandam ſeclis tranſigeret: quod plane huic urbi inſigne ad aeternam rei memoriam erit monimentum, ut & ingratae celeberrimi Cujacii patriae dedecus indelebile. Haud aliter Africanus, natale ſolum fugiens, ſepulchro inſculpi juſſit ſuo, O ingrata patria! ne oſſa quidem mea habes. *Scipio Naſica*, inquit Plinius *cap.* 34. *lib.* 7. *in tota candida bis repulſa notatus eſt a populo: in ſumma ei in patria mori non licuit, non hercule magis quam extra vincula illi ſapientiſſimo ab Apolline judicato Socrati.* Ecquis erit ergo unquam propheta in patria? quare opinor, Deos topicos & locales, qui ad alienas & extrarias regiones nunquam divortunt, Fatuum & uxorem ejus Fatuam ab antiquis dictos fuiſſe, quod vere fatui ſint, qui aliter exiſtimant, quam omne ſolum forti & ubicunque bene eſt patriam eſſe) Sed e diverticulo ad inſtitutum redeamus. Dum, inquam, acriter inſultat Cujacius, ut ſaepius conſuevit, in Duarenum, qui eandem rationem diſſimilitudinis inter has duas quartas jamdudum receperat, videlicet bonorum & hereditatis, molitur iſtud intempeſtive lapſus memoria, cum eodem argumento antea ipſemet uſus fuiſſet: verum ſatis feliciter contigit Cujacio,

gumentis indicabimus. Goveanus vero, ſi de lege Falcidia quaeſtio intercedat, retur nihil quicquam legatorum vel fideicommiſſorum ſingularium in computationem cedere, ac indiſtincte nullam eorum portionem jure hereditario capi, etiam ſi a coherede partem heres conſequatur. At contrarium cenſet, ubi heres rogatus eſt hereditatem reſtituere; arbitratur enim heredem eo caſu in quartam, cujus ex ſenatusconſulto retentionem habet, eam partem legati & fideicommiſſi, quam a ſe capit, imputaturum: nam pro ea parte legatum non poteſt procedere, ſecundum quod partem illam computari in bonis teſtatoris pluſquam manifeſtum eſt. At vero *penult. cap. adnimadverſ.* ſententiam mutavit; nec tamen melius ei res ſucceſſit: nam dum putat, nullum eſſe diſcrimen inter Falcidiam & Trebellianam, textum *noſtrae legis* corrumpit; legitque, *Sed & in fideicommiſſaria*, contra fidem omnium codicum. Illudque more humano ſibi contigit: *caecitatis enim*, ait Tertullianus, *duae ſpecies facile concurrunt, ut qui non vident quae ſunt, videre videantur quae non ſunt.* Nos autem opinamur binas illas quartas in eo bene inter ſe convenire, ut ultro citroque ea dumtaxat computentur, quae jure hereditario competunt, non vero quae jure legati, vel fideicommiſſi, vel conditionis implendae cauſa percipiuntur. Quia utraque hereditatis pars dicitur, ut conſtat ex Paulo *lib. 5. Sentent. cap.* 30.* quod ipſius verbis ſubſignabimus: *Lex Falcidia*, inquit, *itemque Senatusconſultum Pegaſianum, deducto omni aere alieno, deorumque donis, quartam reſiduae hereditatis ad heredem voluit pertinere.* Illudque documento eſt in eas nihil quicquam imputari praeter ea, quae jure heredis capiuntur. Et quia *exaequata ſunt fideicommiſſa legatis per omnia*, teſte Ulpiano in *l. 1. D. de legat.* 1. id eſt, quo ad deductionem quartae attinet: nam in caeteris Juſtinianus ad perfectam conſonantiam legata & fideicommiſſa reduxit. Tum quod Senatusconſultum Pegaſianum effecit, ut aeque retineretur quarta ex fideicommiſſis, atque lege Falcidia deducebatur e legatis, §. *ſed quia 5. Inſt. de fideicommiſſ. heredit.* Denique quia exemplo legis Falcidiae inducta eſt Trebelliana, & harum tanta eſt vicinia, uti unam loco alterius ſaepiſſime uſurpemus, *l.* 41. §. 2. *D. de vulg. & pupill. ſubſt.* adeo ut nuſquam mentio fiat in jure civili Pegaſianae vel Trebellianae quartae, ſed ubique Falcidiae: ſi quidem Pegaſianam non introduxit novam quartae retentionem, ſed eam, quae prius adinventa fuerat per legem Falcidiam, fideicommiſſis potius accommodavit. Quibus rationibus ſtrictim redditis tanquam indubitatis notis, ſtatuimus Falcidiam & Trebellianam juxta haberi, atque computationem ita iniri oportere in una ut & in altera. Nihilque addendum oraculo Marciani perſuaſum habeo: namque particula illa, *Et*, a Goveano parum bene ingeſta, ſenſum legis adulterat, & mentem Juriſconſulti pervertit: eo quod contextus noſter nulla adſititia particula indiget, neque ullatenus praedictae ipſorum opinioni refragatur; imo potius accedit huic ſententiae noviſſimae, eamque impenſe adjuvat. Poſtquam enim Marcianus nos edocuit nihil in quadrantem computari, quod non jure hereditario capiatur, ſubdit: *ſed & in fideicommiſſaria hereditate reſtituenda*, etiam illud verum eſſe, non modo ſi quid legati, fideicommiſſi aut conditionis cauſa, ſed & ſi quid aliis capiendi figuris accipiatur, quae demum in fiduciario herede, non item in ſimplici uſitatae ſunt, quaeque verbis praecipiendi, retinendi,

* [*In Clariſſ. Schultingii editione*, lib. 4. *tit.* 3.]

plici minime convenit, *l. nec ullam* 13. §. *ſed & ſi retenta* 6. *D. de petit. hered.* quae una eſt inter has duas quartas diſſimilitudo: ſi quidem plures capiendi figurae frequentantur in Trebelliana, quam in quarta, quae per legem Falcidiam retinetur. Et haec varietas verbis illis, *Sed in fideicommiſſaria hereditate reſtituenda*, deſignatur. Quis enim perveniret eo pervicaciae, aut caecitatis, ut negaret nullam hic ſignari differentiam, poſt dictionem illam adverſativam, *Sed?* Quis in ea ſententia obduraret, poſtquam legerit, *Sed in fideicommiſſaria hereditate reſtituenda?* tantaene erit authoritatis apud eum Cujacius, ut ei minus bene de ea re docenti fidem adhibeat? opinatus eſt aliquando magnus ille vir imputari tantum in Falcidiam, quae jure heredis; in Trebellianam vero etiam ea, quae alio titulo percipiuntur, horum verborum occurſu perterritus: ſed poſtea in contrariam ſententiam diverſatus eſt. Recte ſane in hoc, ſed tamen infeliciter! dum nullum his verbis inter utramque quartam diſcrimen ſignari putat, quoniam praeter ſuperiorem, in alio quoque binae illae quartae diſpariles ſunt, ut poſtea dicemus. Ut autem noſter Jureconſultus oſtenderet, in hanc Trebellianam nihil omnino imputari, juxta ac neque in Falcidiam, quam quod jure hereditario capitur, in haec verba erumpit: *pro ea vero parte, quam accepit a coherede, extra quartam, id eſt, quod a coherede accipitur*; quaſi diceret ſubſimile aliquid fieri in fideicommiſſis univerſalibus: ita ut ea, quae jure legati, fideicommiſſi, vel conditionis implendae cauſa, eoque amplius quaecunque etiam ex aliis capiendi formis percipiuntur citra nomen heredis, ad Falcidiam non pertineant: ut ſi teſtator heredem ſuum damnaverit hereditatem fideicommiſſariam reſtituere aliqua re praecepta, retenta, deducta (quae poſtremae figurae obverſari minime ſolent in Falcidia quarta) ſi quidpiam illis modis ad heredem perveniat titulo hereditario, non minus imputabitur in hac Trebelliana, quam in Falcidia. Quae res ut facilius expediatur, praemittendum eſt, heredi a ſemetipſo legari non poſſe, *l.* 18. *l.* 116. §. 1. *D. de legat.* 1. & per hoc, ſi quis ſolus heres inſtituatur, legatum ei fruſtra relinqui nemo eſt, qui neget; quia ut ait Modeſtinus in *l.* 34. §. 1. *D. de legat.* 2. inutiliter a ſemetipſo quis accipiet rem, quam jure hereditario habuit; cum ex duabus cauſis res eadem nobis acquiri non poſſit, & hereditas utique nomen ſit univerſale, quod abſorbet nomen ſingulare legati, nihilo ſecius ac flumina omnia, quae quamprimum in mare defluxerint, nominibus ſuis exuuntur: nam ut Caſſiodorus *lib.* 10. *cap.* 12. prodidit, *minorum fluminum vocabula maior amnis abſorbet, & quamvis plurima fluenta Tiberis excipit, tamen a proprio nomine non declinat.* Verum tamen ſi plures heredes facti ſint, nonnullis eorum efficaciter legabitur, *d. l.* 116. §. 1. *D. de legat.* 1. quod duplici modo contingit. Primo ſi coheredi legetur ſpeciatim a coherede, quo caſu legatum univerſum a portione coheredis proficiſcitur, neque quidquam exinde titulo univerſali retinetur, ut in *l.* 22. *D. h. t.* Secundo ſi non nominatim, ſed generaliter nullo coheredis nomine, a quo legatum relinquitur, expreſſo: utpote, villam Sejanam praecipito, ſumito: vel ita, Sempronio heredi meo villam Sejanam do lego: legatum enim hoc poſterius vim praeceptionis habet, licet formula & verbis praeceptionis diſerte relictum non ſit: ſiquidem fundum illum de media hereditate, & de corporibus inter coheredes communibus eo caſu legatarius conſequitur, perinde ac ſi per praeceptionem daretur: qua ratione id genus le-

Digitized by Google

non committit, *l. boreus* 15. *D. de his quae ut indig.* quin etiam pars illa hereditaria dicitur, *l. Titia* 34. §. *Lucius* 1. *D. de legat.* 2. quia jure hereditario colligitur, non legati, eo fit ut pars illa, quae a ſe legata eſt, cum intercidente legato pro herede obtineatur, ſubeat Falcidiam, *d. l. eum qui* 18. §. *fin. D. de his quae ut indig.* quod demonſtratus his verbis noſtri textus: *pro ea vero parte, quam accepit a coherede extra quartam, id eſt, quod a coherede accipitur.* Quod & in fideicommiſſaria locum habet, ut hic probatur; hucque pertinet *l. in fideicommiſſariam* 18. §. *fin. D. ad Senatuſc. Trebell.* ubi ſie legatum coheredi relictum ſit, qui portionem hereditariam reſtituere alii rogatus fuerit, pars legati a ſemetipſo relicta reſtituenda eſt, vel in computationem venit, *l. filium quem* 24. *C. fam. herciſ.* ſed ea, quae ex portione coheredis ſui promanat, hereditati non adnumerabitur, ideoque Falcidiae non ſubjicietur. Porro quo magis ac magis haec in facili ſint, examinabimus legem *Titia* 86. *D. h. t.* quae nondum ad nativam ſuam perſpicuitatem poſtliminio rediit. Titia fratrem ſuum ex parte tertia, & ex aliis duobus trientibus Secundam & Proculam heredes fecit, atque fratris ſui fideicommiſit, ut hereditatem, hoc eſt, portionem ſuam hereditariam (trientem videlicet) Secundae & Proculae coheredibus retenta quarta reſtitueret, eidemque praedia quaedam praelegavit, id eſt, legavit per modum praeceptionis; ſi quidem praeceptio dicitur aliquando praelegatum, licet minus proprie: namque ſi haec praedia Titia praelegaviſſet, hoc eſt, ſi nominatim a coheredibus reliquiſſet, nihil ex his repleretur quod fratri ad Falcidiam deeſſet. Quaeritur, an frater praedia, quae ſibi praelegata ſunt reſtituere, etiam pro ea parte qua heres eſt, vel ea retinere debeat: & plane niſi Titia voluntatem ſuam verbis illis, *retenta quarta*, manifeſtaſſet, hujuſce quaeſtionis reſolutio notior eſſet, quam ut indicari deceat. Etenim cum inſtitutus eſt frater ex triente, ea res neminem falſum habet beſſem praediorum jure legati eum a coheredibus ſuis, ut trientem a ſemetipſo capere, & conſequenter jure hereditario: quia minime potuit ſibi triens eorum praediorum a ſe legari, quem tanquam heres jam aſſequutus erat: quod enim ſemel noſtrum eſt, nobis legatur inutiliter, §. *ſed & ſi rem* 5. *Inſt. de legat.* Imputari ergo horum praediorum pars tertia in illius Falcidiam deberet, quam nanciſcitur nomine hereditario, eoque ipſo ſi quid ſupra Falcidiam eſſet, in fideicommiſſum devolveretur: atque alii duo trientes, quos habet a coheredibus jure praeceptionis, extra quartam & reſtitutionem forent, ni adverſaretur voluntas defunctae, qua penitus inſpecta reſpondet Julianus, jure fratrem legata integra retinere debere, ſed non uno eodemque capiendi modo. Nam portiuncula, quae apud eum manet jure hereditario, Falcidiam illius conficiet, reſiduumque, quod jure legati habet, ad Falcidiam non referetur, neque reſtitutioni ſubjacebit. Si Teſtatrix in fideicommiſſo non adjeciſſet, quartam partem hujuſce portionis hereditariae ſubducendam eſſe, quatuor unciae procul dubio praelegatorum a fratre Falcidiae imputandae eſſent, quippe eas jure hereditario acciperet, & quae pro herede capiuntur imputantur, & ſi quid ultra quadrantem ſupereſſet, exhibendi fideicommiſſi etiam in eo deberet fidem exſolvere. Verum quoniam defuncta fratri commendavit ſuo hereditariam res ex triente, tamen cum hereditatem ſuam reſtituere decedente quarta fidei ejus Titia commiſit, revera portio illius hereditaria erit aſſis duodecima pars, non triens: ex quadrante enim qui de triente illo demitur; quem reſtituit Semproniae & Proculae coheredibus ſuis, heres revera exiſtit; ex triente vero nomine tenus & ſine re, eaque ratione verius dicetur heres exiſtere ex unica aſſis particula, quam ex triente: cum trientis tres unciae reſtitutioni ſint obnoxiae; hiſce conſequens eſt hujuſce trientis praelegatorum praediorum, qui videbatur a ſemetipſo & proinde jure hereditario capi, quartam partem in computationem ſolummodo prodeſſe, atque non amplius duodecima parte praediorum in Falcidiam inducendam, ob expreſſam voluntatem teſtantis, quae diligenter obſervanda eſt in ratione legis Falcidiae ineunda: quod enim jure ipſo in Falcidiam non imputatur, nihilominus ex voluntate defuncti expreſſa vel tacita contra proviſionem ipſius legis ſuberit Falcidiae, uti ſunt legata, quae Falcidiae compenſandae gratia relinquuntur, *l cum quis* 56. §. *final. D. h. t.* & retro ſubducitur quartae volente teſtatore, quod quartae alioquin imputaretur, ut ex *d. l. Titia* 86. *D. h. t.* palam eſt; eamque verba illa, *quoniam contra ſententiam matriſam. lex Falcidia induceretur*, recipiunt interpretationem. Namque ſi Titia fratrem ſuum voluit reipſa ſibi ſuccedere ex duodecima parte, aliis tribus unciis coheredibus Semproniae & Proculae reſtitutis, merito conjicit & non inargute Julianus, eandem Titiam noluiſſe, plus fratrem ſuum ex fundis praelegatis quam duodecimam partem hereditario jure accipere, nihilque amplius ea unciola computari ab eo in quadrantem debere, dum nihil aliud imputatur, quam quod pro herede adſequimur: aliter non minimum inconveniens ſuboriretur, nempe trientem praediorum per Falcidiam deceſſurum, quaſi jure hereditario perceptum, quamvis ex triente frater heres non foret: ſicque reapſe ex hujuſcemodi triente praelegatorum praediorum heres inveniretur, cum tamen in anteludio & prima ſcaena, ut ita loquar, heres ex uncia duntaxat extitiſſet, quod qui ſibi fingere conetur, non magis ſapit, quam qui humano capiti cervicem jungere equinam velit; ſicque mea ſententia haec lex *Titia* 86. non minus recipit lucem, quam opus ſit.

Sed & ſi accepta pecunia hereditatem reſtituere rogatus ſit, id quod accipit in quartam ei imputatur, ut D. Pius conſtituit.] His congruit lex *deducta* 58. §. *acceptis* 3. *D. ad Senatusc. Trebell.* quo loci acceptis centum hereditatem reſtituere rogatus, totam illam pecuniam jure Falcidiae percipit, quaſi eam e patrimonio defuncti detrahere videatur: quod quidem Marcianus hic conſtitutione D. Pii ſancitum fuiſſe teſtatur, atque Papinianus in *d. §. acceptis* 3. *& l. acceptis* 93. *D. h. t.* totum iſtud Divi Hadriani reſcripto attribuit; non injuria certe! nam Hadrianus ſaepiſſime Divus Pius appellabatur, neque contrarium eſt, quod Maecianus ait, tale quid non multum abſimile placuiſſe Celſo & Juliano Jureconſultis, *l. in ratione* 30. §. *tametſi* 7. *D. h. t.* eos etenim a conſiliis teſte Lampridio habuit. Unde exploratum mihi eſt ipſorum ſuaſu Hadrianum conſtitutionem ſuam tuliſſe, ſicque cum ita teſtator effatur, *acceptis nummis* perinde eſt ac ſi diceret, *retentis nummis* ex hereditate ipſum hereditatem vel portionem

he-

Digitized by Google

ctis. Quod utique non procedit, ſi ea pecunia perpetuo apud heredem remanſura non ſit: namque ſi heres rogatus eſſet, pecuniam ita acceptam a fideicommiſſario poſt mortem ſuam Titio reſtituere, illa extra modum legis Falcidiae erit; quia Titio poſt aliquantum temporis tandem aliquando reſtituenda eſt, neque ad heredem pleno jure pertinet, vel, ut loquitur Papinianus, propter fideicommiſſum ſequens. Sed & Falcidiam is patietur ſolus, cui reſtituitur hereditas, ut ejus dodranti ſuperfluum decedat: nihil vero ex ea pecunia danda Titio, quamque Titius mortis cauſa accipit, deminuetur. Porro non animadverto, quemadmodum reſcriptum illud Hadriani nequaquam locum habeat non tantum, ubi perſona dantis deſignetur, verum etiam ubi demonſtrata non ſit, quamvis Cujacius contrarium cenſuerit. Nam, ea lege acri judicio minus penſitata, quam par erat, conſtitutionem iſtam deficere contendit, ſi demonſtrata perſona ſit; eo enim caſu putat accipi pecuniam mortis cauſa capione, non jure hereditario: quod eſt impingere in ipſo limine *d. l. acceptis* 93. aliterque viſum Celſo & Juliano ſummis Juriſconſultis, *l. in ratione* 30. §. *tametſi* 7. *D. h. t.* Ibi *acceptis ab eo, cui hereditatem reſtituere juſſus eſt*: vides in hoc propoſito demonſtratam perſonam? quod quidem indicio eſt, utroque caſu eam pecuniam capi ut hereditariam, & per hoc indiſtincte Falcidiae locum eſſe dicere magis eſt; atque ideo ſi ea ſumma ita accepta Falcidiam expleat, hoc eſt, ad quartam bonorum uſque aſcendat, inducitur Trebellianum, id eſt, locus eſt Trebelliano, non Pegaſiano: quo ſenſu reperio traditionem ſervitutum inducere officium Praetoris in *l.* 1. *D. de ſervit. ruſt. praed.* Etenim ſic conſtitutae tutelam praetoriam merentur jure civili deſtitutae: quare hoc ipſo praetoris officium dicitur induci, hoc eſt, ut ait Javolenus in *l. certo* 13. §. *fin. D. eod.* invocari, non ſecus ac Trebellianum inducitur in *d. l. acceptis* 93. & *l. filius familias* 18. *D. eod.* nam, quando plenam Falcidiam heres habet, non opus eſt Senatusconſulto Pegaſiano, quo providetur augmento deceſſionive legatorum, ut eatenus legatariis diſtribuantur, quatenus vires patrimonii ſufficiunt, ſed ad Trebellianum recurritur, ut ad hereditatis reſtitutionem fiduciarius compellatur, *l. quod ſtatuliber* 41. *D. de mort. cauſ. donat.* At dicet aliquis, ſi teſtatori collibuerit perſonam, a qua heres debeat quidpiam accipere declarari & quaſi digito monſtrari & dicier: hic eſt. Nonne totum illud heres a fideicommiſſario percipere potius, quam e media hereditate deſumere praeſumetur? quod quidem movet quaeſtionem ſcrupulumque injicit Cujacio, qui eum male habet, noſque remoraretur, ni, re penitus excuſſa, ad veritatem in altera crepidine ſtantem perduceremur. Nam etſi demonſtrata ſit perſona, nihilominus tamen iſtud hereditarium erit juxta atque ſi demonſtrata non eſſet, quamvis non eadem ratione: tum enim voluiſſe teſtator videtur, heredem ſuum, ſi quid acceperit, id quodcunque eſt retinere jure hereditario, quemadmodum ſi heres certa ſumma rem hereditariam vendere fideicommiſſario, & ipſe fideicommiſſarius ipſumam quantitatem quodammodo pro pretio inferre juſſi eſſent: quae ratio in *dicto* §. *tametſi* 7. *l.* 30. *D. h. t.* allata manifeſtet, Cujacium non parum hallucinatum fuiſſe, dum ea convenit huic caſui dumtaxat, quo perſona demonſtrata eſt: nam ubi nulla perſona deſignatur, alio modo teſtantis voluntatem interpretamur, quippe ea vox *acceptis* pro deductis, retentis, praeceptis e media hereditate intelligitur, ejuſque voluntatis fuiſſe teſtatorem conjectamur, quae ad rationem Falcidiae dem modo traducta voluntate defuncti. Atque noſter intellectus omnimodo confirmatur, *d. l. acceptis* 93. *h. t.* ibi: *Plane ſi quis ita ſcripſit; acceptis centum peto reſtituas hereditatem, neque perſonam demonſtraverit, quaſi retentam & praeceptam pecuniam ſi quartae ſufficiat inducere Trebellianum.* Quibus verbis videre eſt, nullam ibi demonſtratam perſonam eſſe, atque verbum *acceptis* interpretari pro deductis & retentis. At ſi teſtator fidei heredis commiſerit, ut acceptis a Mevio centum hereditas illa fideicommiſſaria ad ipſum Mevium perveniat, & eo modo demonſtretur perſona, a qua pecunia accipienda ſit (ut in principio *d. l. acceptis* 93.) non minus ea imputabitur in Falcidiam; ex praeſumpta videlicet mente teſtantis. Tunc enim cenſetur teſtator voluiſſe heredem ſuum res hereditarias vendere fideicommiſſario, pretiumque ſuccedere loco rei, & proinde hereditario jure non mortis cauſa retinebitur: ideoque alio modo voluntatem defuncti Papinianus interpretatus eſt in *d. l. acceptis* 93. & alio Maecianus in *d. l. in ratione* 30. *tametſi* 7. Utrumque inductum eſt ſumma ratione, tuendae videlicet adverſus quartae deductionem voluntatis teſtatoris, *arg. l. Titia* 86. *D. h. t.* Quae cum ita ſint, miror leguleium quemdam nuperrime, dum apud noſtrates appeteret ſui ſimilium numero adſcribi, faſtidiendam illam ſententiam poſitionibus ſuis, quaſi veriſſimam, inſeruiſſe, & quidem pueriliter majuſculis quadratiſque litteris, tollenſque exinde vacuum plus nimio verticem tanta jactantia elatus eſt, ut in ultima cera longoque interſtitio, tanquam fatidici alicujus vatis divinum oraculum, ſibi hunc Poëtae [Juvenalis *Sat.* 8. *vſ.* 50.] verſum attribuerit:

—— Veniet de plebe togata
Qui juris nodos, & legum aenigmata ſolvet.

Cui dextera ego ſternutatione adnuens ſubjiciam:

Talia fata ſuis dixerunt currite fuſis
Concordes Parcae.

Exiſtimares reverti poſt captas Syracuſas glorioſe ſuperbientem Marcum Marcellum. Ad haec, Theorema iſtud eo ſtudio & aſſenſu, neſcio quo fato, exceperunt ejuſdem claſſis homines, ut (poſt tamen indecentem & inficetam acclamationem paululum ante ſummo primore digito labris ſuis reſupinatis applicito) carmine iſto omnes ſtupefacti bonae ſpei adoleſcentem, collatis in unum votis, ſibi cooptarint; non alio mehercule animi motu, quam quod ſententiam Cujacii ſine delectu eorum more calamo hianti & fallaciori judicio temere exaraſſet, quodque alta voce & ad faſtidium repetita Cujacium etiam errantem ſequi, quam omnia malle, profeſſus fuiſſet. Crederes illum artifici commento, quo maxime opus eſſet, benevolentiam horum doctorum, ſtulte quiſquilias iſtas mirantium, conſectari voluiſſe. Vos juris inconſulti e fece doctores, vos indocti incultique valete & plaudite! Non prius hercle debuiſtis hunc aſcendentem ſuggeſtum furcillis veſtris praecipitem ejicere: nam, ut olim dicebat Symmachus, ſemper natura gaudet aequalibus, & familiare ſibi eſt omne, quod ſimile eſt. Neque ſublimis & periti alicujus Atlantis vobis eſt occaſio, qui veſtram juris Academiam jam fatiſcentem moxque ruituram latis humeris ſuis ſuſtineat. Itaque, cum nulla ſpes ejus revelandae vobis affulgeat, illius cura brevi deſiturae nullatenus vos remordeat, vetant Medici deſperatis adhibere medicinam. Num ignoratis, exciſam arborem novis variiſque enaſcentibus ſurculis denuo ſylveſcere, & ubi revulſa eſt, uti nunc eſt veſtra funditus Academia, imis radicibus nunquam

re;

Digitized by Google

interpretationem, dicuntur, qui non eo modo nunc inde voluntatem teſtantis excipiunt; eoque factum, ut plura hereditatis nomine ad heredem devolvi in Trebelliana, quam in Falcidia videantur: ut ſi teſtator ſcripſerit, Do lego Titio praedium centum ab herede acceptis, illa centum extra Falcidiam erunt; quia praeſumitur teſtator magis voluiſſe ea capi a legatario, quam e media hereditate, cum hereditatis ne mentionem quidem habuerit, & per hoc mortis cauſa percipi non pro herede exiſtimantur. At Trebelliana non ejuſdem ſortis eſt: ſi enim fideicommiſſaria hereditas acceptis centum relinquatur, ſolidum cenſetur accipi de media hereditate, cujus reſtituendae mentio incidit; & proinde capi jure hereditario, ob idque in eo genere liberalitatis exercebitur Falcidia propter conſtitutionem illam, quae hujuſcemodi interpretationem invexit, quam non temere & imprudenter extenderunt Celſus & Julianus ad eum etiam caſum, quo perſona demonſtrata eſt; non tamen conſtitutionem illam de una ad alteram quartam protendere auſi ſunt, ne ſine exemplo aliquid novi & inuſitati adferre viderentur: nam, ut diximus, mortis cauſa capio nullis legibus, nullis conſtitutionibus, nullis Senatusconſultis, nullis prudentum reſponſis legi Falcidiae ſubjecta unquam fuit.

Sed & quod implendae conditionis cauſa accipitur fideicommiſſum heredi datur, in eadem cauſa eſſe admittendum, ſciendum eſt.] Cujacius *Obſervationum lib.* 8. *cap.* 4. nec non in *paratit. ad tit. de mortis cauſa donat.* hunc noſtrae legis verſiculum adſititium & adulterinum, atque e libris noſtris expungendum cenſet: & in *Papinian.* ad *l. deducta* 58. §. *acceptis* 3. *D. ad Senatuſc. Treb.* autumat, nihil eſſe ineptius quam fideicommiſſum dicere implendae conditionis cauſa, quia, inquit ille, conſtat, ut in quartam, quae ex legatis, ita in quartam, quae ex fideicommiſſo hereditatis deducitur, heredi data implendae conditionis cauſa non imputari, additque, haec duo longe diverſa eſſe mortis cauſa capionem, & fideicommiſſum: ideoque hunc locum, quae ſuae ſententiae non adſtipulatur, merito a Baſilicis & Pandectis Florentinis abeſſe nobis omnibus denuntiat. Goveanus quoque ab hac ſententia non multum receſſit. Corraſius vero ad *l. filium quem* 24. *C famil. herciſc.* ea verba, quae ita contumelioſe ſtylo atroci a duobus illis peritiſſimis Juriſconſultis effodiuntur, admittit, excepta tamen voce fideicommiſſi, aitque, veterem librum ſe habere, ex quo ſic recitatur: *ſed & quod implendae conditionis cauſa heredi datur.* Quibuſnam adhibebimus fidem? omnibus an nulli? horum nulli, ſed potius Antonio Auguſtino, qui, dum curioſe alioquin noſtras Pandectas ex Archetypo Florentino emendavit, hujuſce adeo diverſae lectionis nuſquam tamen meminit. Ignorarunt igitur magni illi viri, quid eſſet *Fideicommiſſum implendae conditionis cauſa*, quod a nobis dilucide modo explicabitur, ſimulque ea verba induci, ſine maxima totius noſtrae Juriſprudentiae injuria, non poſſe docebimus: neque enim ſatis curioſe penſitarunt, hic non invenuſte appellari *Fideicommiſſum implendae conditionis cauſa*, quod vim conditionis licet non figuram obtineat, ut & naturam fideicommiſſi, quamvis non formula fideicommiſſi concipiatur; quoniam non eſt rogatus, qui dare compellitur: qua de cauſa potius quaſi fideicommiſſum, quam vere fideicommiſſum eſt. Eamis ac prudentiſſimi Senatus decreto accitus avolaverat, illumque nunc Amaryllis habet, cujus luctuoſa & damnoſa noſtris abſentia eos frigidos & in ſcopulo nudos ceu peſtilenti quodam ſidere afflavit, conſternatoſque ut tremendo Juppiter ipſe ruens tumultu penitus exanimavit: ſi quidem haec diſſociatio adeo ſubitanea foediſſimae & ſpurciſſimae iſtorum ignorantiae certiſſimum & indubitatum argumentum eſt. Quis neget haec? niſi totum Cea in inſula fontem ebiberit, quo etiamnum acutiores ſtatim hebetes hauſtu pernicioſi illius liquoris evadunt, teſte Plinio *hiſtoriae naturalis lib.* 31. *cap.* 2. O infelicem ter & amplius civitatem, in qua facilius doctores nomine tenus inveneris, quam Juriſperitum; ac ne unum quidem redivivus ipſe Diogenes, licet omnia per coenacula, intimos muſeôn receſſus, omnia denique per compita urbis & angiportus diſcurrens, vel cum lucerna ſua inveniret!) ubi inquam iſte, quem inſignibus notis proxime deſignavimus, parum coetui jam deſtinatus limato minus judicio quaſdam Theſes propoſuiſſet, quas ſine delectu e doctiſſimo Cujacio depromſerat ſibi propugnandas, atque expunxiſſet huncce verſum, adnuentibus de more undique rudibus iſtis magiſtris (quod profecto maximum eſt ſtultitiae genus, ut prodidit Marcus Tullius in *oratione pro Cluentio cap.* 31. cujus haec verba ſunt: *Sapientiſſimum eſſe dicunt, cui quod opus ſit veniat in mentem: proxime accedere illum, qui alterius bene inventis obtemperet. In ſtultitia contra eſt: minus enim ſtultus eſt is, cui nihil in mentem venit, quam ille, qui quod ſtulte alteri venit in mentem, comprobat*) in has inſultans Antagoniſta opinionem illam Cujacii, ex ſententia, ut ipſe fatebatur, praecellentiſſimi ſui praeceptoris Tholoſani, cujus nomen luculentiſſimum totam merito Galliam complet per eamque diffunditur, rectius averſatus eſt. Contendebat ille, fideicommiſſum implendae conditionis cauſa reperiri apud noſtros juris authores, quod quidem verum eſt; at ubi fideicommiſſum a teſtatore in haec verba relictum eſt, *Pecunia accepta Titio hereditatem meam reſtituas*, aſſerebat ille, eam capi quantitatem ab herede non mortis occaſione, ſed jure fideicommiſſi, quod implendae conditionis cauſa nuncupetur, idque etiam eo caſu, quo fideicommiſſarius extraneus eſſet. Iſta conjectatio minime conſentanea eſt legi *in ratione* 30. §. *tametſi* 7. *D. h. t.* ibi *quaſi ipſius fideicommiſſum eſt, ſed id veriſimile non eſt.* Ad haec, ſi fideicommiſſum implendae conditionis cauſa ſtatim diceretur, quando quis accepta pecunia reſtituere hereditatem rogatus eſt, inſulſa battalogia & inepta repetitio hic obreperet: poſtquam enim Jureconſultus proxime ſatis declaraverat, ubi teſtator hereditatem ſuam fidei heredis pecunia accepta commiſiſſet, ita legis Falcidiae rationem habendam, ut ipſi quidquid acceperit imputetur; qui fieri poteſt, ſi hujuſcemodi capiendi figura nihil aliud eſſet, quam fideicommiſſum implendae conditionis; ut mox ab eodem uno tenore nulloque verborum interjectu repetatur, *Sed & quod implendae conditionis cauſa fideicommiſſum?* Dicendum igitur binos illos caſus longe diverſos, aliudque fideicommiſſum eſſe implendae conditionis cauſa; aliud ſi rogetur quis hereditatem extraneo reſtituere pecunia accepta. Denique ſi fideicommiſſum implendae conditionis cauſa diceretur, quando ab herede petitum eſt, ut acce-

nae praeſtationem. Proinde magis eſt, ut hic caſus ſpecies mortis cauſa capionis ſit, quam fideicommiſſum implendae conditionis. De his quid nos opinabimur? hic ne haerebimus nequicquam coeno cupientes evellere plantam, atque effabimur, quod Neptunus apud Lucilium de re difficillima, non poſſe ea reſolvi, nec ſi Carneadem Orcus ipſum remittat, aut quod Petrus Abelardus (ſic enim legendum apud Accurſium) cui, alias ſe magnifice jactanti, quod ex quacunque lectione multis implicita Maeandris penitusque abſtruſa non abſonam intelligentiam eliceret, tamen, dum in legem *quinque pedum* 5 *C. fin. regund.* incidiſſet, verbum hoc, *Neſcio*, modeſtum hercle! licet invito & nolenti excidit? immo potius inter tot tantosque viros quid ſentiam, nunc libet aperire, quo res ſinuoſiſſima meo judicio facillime explicetur. Lector, attende; laetaberis. Noſter Jureconſultus, ſtatim quam expoſuit caſum illum, quo quis extraneo hereditatem reſtituere pecunia accepta rogatus eſt, aſſeruitque, pecuniam illam ob reſcriptum D. Pii ſubjiciendam eſſe Falcidiae, tranſit ad fideicommiſſum implendae conditionis cauſa, quando ſcilicet heres portionem hereditariam non extraneo, ſed coheredi ſuo reſtituere accepta retro pecunia rogatus eſt. Huicque figurae capiendi ſingulare nomen a noſtris Juriſconſultis inditum eſt fideicommiſſi, eo quod, ſi duos heredes teſtator inſtituat (Titium puta & Mevium) ſimulque roget, Titium reſtituere partem ſuam hereditatis Mevio, centum ab eodem vel fundo hereditario acceptis, ea verba perinde accipiuntur, ac ſi Mevius rogatus nominatim foret centum vel fundum Titio coheredi ſuo dare: quo caſu non ſolum conditionis implendae cauſa, ſed & fideicommiſſi nomine quidquid fideicommiſſarius praeſtat, relinqui videtur, tametſi conditio nequaquam verbis conditionis, neque fideicommiſſum verbis fideicommiſſi exprimantur, ſed quibuſdam duntaxat orationis integumentis conditio, ut & fideicommiſſum occultetur, ac ſi tacite Mevius coheres mutuo & reciproco fideicommiſſo gravetur: ad praeſtationem enim eorum, quae ab eo viciſſim relicta ſunt utique compellitur, quod plane proprium eſt fideicommiſſi, *l. fideicomiſſa* 11. §. *cum eſſet* 3. *D. de legat.* 3. ubi cum heredi precibus teſtatoris injungitur, ut coheredi ſuo reſtituat portionem hereditatis accepta certa quantitate, duplex dicitur eſſe fideicommiſſum: univerſale unum, heredis videlicet rogati reſtituere portionem ſuam hereditariam, quam cogitur coheredi fideicommiſſario reſtituere, parato tamen praeſtare viciſſim quantitatem indictam. Aliud ſingulare quod fideicommiſſum conditionis implendae cauſa nominatur, quia ab eo fideicommiſſario coherede vel invito, ut & in alio genere fideicommiſſi, pecunia exigitur: quod quidem locum non haberet, ſi rogatus eſſet heres accepta pecunia reſtituere hereditatem alii, quam coheredi ſuo: quoniam tunc, abnuente fideicommiſſario, non poſſet eam pecuniam heres de manibus ejus extorquere, ob idque eo caſu non dicitur fideicommiſſum *d.* §. *tametſi* 7. *d. l.* 30. *D. h. t.* Verum utroque caſu quod a fideicommiſſario ſolvitur, in computationem venit nec extrinſecus numeratur: quare dubio procul haec contextio: *ſed & quod implendae conditionis cauſa accipit fideicommiſſum*, ut nativa retinenda eſt, ne horum verborum dura relegatio noſtrae Juriſprudentiae fraudi fiet: ſi quidem in ponenda ratione legis Falcidiae hic caſus indeciſus remaneret. Imputatur, inquam, utroque caſu quidquid heres accepturus eſt de fideicommiſſario, ſecumve compenſat; quae compenſatio loco eſt im-

non herede instituto [illegible] qui caſus comprehenditur in *noſtra lege* ſub his verbis: *ſed & ſi accepta pecunia hereditatem reſtituere rogatus ſit*, ſubdit e veſtigio, idem juris haberi etiam in eo, qui pro parte hereditatem coheredi ſuo reſtituere rogatur, qui caſus fideicommiſſum eſt ſingulare implendae conditionis cauſa, continetur que eo tenore noſtrae legis ſubſequenti: *ſed & quod implendae conditionis cauſa.* Verum dicet aliquis: qui fieri poteſt, ut fideicommiſſi cauſa potius dicatur quidquam accipi, cum portio hereditatis reſtituitur coheredi, quam cum reſtitui mandatur fideicommiſſario, non heredi? Cui in promptu ſatisfiet, ſi reſponderimus, teſtatorem imponere legem heredi ſuo, illumque onerare hoc genere fideicommiſſi potuiſſe, eoque fideicommiſſarium heredem ad praeſtationem coheredi ſuo faciendam libentius urgeri, cujus coheredis fidei viciſſim commiſſa fuit reſtitutio portionis ſuae hereditariae, cuique non minus voluit conſulere teſtator, quam ipſi fideicommiſſario, illudque, quia praeſtandi neceſſitas urget, fideicommiſſum eſſe, non inerudite perhibetur: at vero quotiens extraneo reſtitui debet hereditas certa quantitate accepta, is quidem, niſi eam mutua vice contribuere velit, a petitione prorſus liberalitatis ſubmovebitur, ſed ſi munus teſtatoris pecuniae ſuae poſthabuerit numerationi, nullatenus ad praeſtationem ejus adigetur, ob idque pro fideicommiſſo haec capiendi figura non habebitur. Ut haec autem tractatio ſuis omnibus numeris abſolvatur, iterum reſumendus eſt *d.* §. *acceptis* 3. *l.* 58. *D. ad Senatusc. Treb.* nondum ab ullo juris interprete ſatis bene expoſitus, quo perſpecto & explorato, magis ac magis eluceſcet haec doctrina, faciliusque decurret. Inſeram itaque verba Papiniani: *Cum praedia majoris pretii quam portio hereditatis eſſent, in ſuperfluo praediorum petenti fideicommiſſario Falcidiam intervenire viſum eſt; concurrentem enim pecuniam compenſari placuit.* Quibus fideicommiſſum, implendae conditionis cauſa, quaſi per tenuem nebulam dignoſcitur. Ad quorum pleniorem intelligentiam praemittendum eſt, teſtatorem duos heredes inſtituiſſe, Primum & Secundum, & a Primo portionem hereditatis Secundo coheredi reliquiſſe certis praediis acceptis; ſed aliquanto uberius erat Secundi fideicommiſſum: haec enim praedia pluris aeſtimabantur, quam hereditas ſibi reſtituenda. Quaeritur, num Secundus poſſit ex ſuperfluo praediorum, hoc eſt, pretio praediorum aeſtimationem portionis hereditariae ſuperante, quartam detrahere, ſimulque, an portio hereditaria compenſari debeat cum praediis eatenus, quatenus fideicommiſſariae hereditatis patitur aeſtimatio. Quis non videt, ſi undique & undique circumſpiciat, illic obſervari fideicommiſſum, implendae conditionis cauſa. Etenim, adeone ſupinus & excors eſſet coheres fideicommiſſarius, cui reſtituenda eſt portio hereditatis, ut ſponte ſua vellet erogare praedia majoris pretii, quo ſibi reſervaret portionem hereditariam vilioris aeſtimationis? Stoicum Deum ſane referens neque cor, neque caput haberet. Potius conjecturam facimus, eum ad permutationem illam ingratiis coactum fuiſſe, cum nullus praeſumatur effundere patrimonium ſuum, omnesque ſibi melius malint, quam alteri. At ſi compulſus ea praedia reſtituit, non immerito dicemus, duo in hac ſpecie fideicommiſſa eminere, unum univerſale hereditatis, alterum ſingulare praediorum ut in *d.* §. *cum eſſet.* Alias non cogeretur Secundus ad dationem horum praediorum, cum nemo quae a ſe mortis cauſa relicta ſunt, concedat invitus: & inde apparet, quare hanc capiendi figuram fideicommiſſum

no-

Digitized by Google

hereditariam, hunc ablativum naturam induere conditionis, niſi teſtantis manifeſta voluntas repugnet. Cumque ita reſtituenda eſt portio coheredi, videtur vice verſa ipſius etiam coheredis fideicommitti, ut centum ipſe praeſtet: & proinde fideicommiſſum eſt imditas relicta ſit, atque ſi heres ipſam reſtituere rogetur hac expreſſa conditione, ſi fideicommiſſarius centum nummos dederit: unde manifeſtum eſt per ablativum abſolutum conditionem induci tacitam tantum, non expreſſam.

AD. L. FILIUM QUEM 24. C. FAMILIAE HERCISCUNDAE.

Impp. Dioclet. & Maximin.

Filium quem habentem fundum portionem hereditatis fratribus & quibuſdam aliis ſub conditione verbis precariis reſtituere ſanxit teſtator: poſt ejus conditionis eventum, hereditaria parte praedii in quartae ratione retenta; compenſato praeterea quod a coheredibus vice mutua percepit: & ſi quid deeſt in ſupplementum deducto, quod a caeteris in eo fundo ſolvitur, ſupra quartam habens reddere compellitur.

Apelles, inquit Marcus Tullius *lib.* 1. *Famil. ep.* 9. *Veneris caput & ſumma pectoris politiſſima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit.* At id exemplo minus probabili factum aeſtumo; ideoque ne mihi objiciatur *ὁ πρέζιως καλᾶς ὑφὶ, ἀτελῆς δὲ*, Apellem in hoc non imitabor, ſed Aliptas potius, qui non modo ſalutis, ut Medici, ſed & virium & coloris rationem habent. Proinde ne imperfectum hoc opus deſeram, mihi examinanda eſt lex *Filium quem* 24. *C. famil. herciſ.* Quoniam hac duae leges tantam inter ſe cognationem habent, ut mutua interpretatione indigeant; ſic fiet ut bono principio finis optimus correſpondeat. Quare Jureconſulti ſententiae accedam, qui in *l.* 1. *D. de orig. jur. id perfectum eſſe ait, quod ex omnibus partibus ſuis conſtat.* Et quamvis lex illa difficilis & involuta ſit, tamen tentanda via eſt, galeatum ſero duelli poenitet: tutius quidem per plana, ſed humilius & depreſſius iter. Accurſius hanc legem *re & fama difficilem* praedicat: Cujacius *ad Papinianum in l. qui non militabat* 78. *D. de hered. inſt. omnium. quae ſunt in Codice, longe difficillimam; omnium, quae ſunt in jure, pro ſua brevitate opulentiſſimam* praefatur: quod uſque adeo verum eſt, ut ejus ſpecies etiam hodie ſub incerto ſit, quamvis varii varias interpretationes pro animi ſui motibus commenti ſint: quarum unam Cujacius *ad d. l. qui non militabat* 78 ex Arnaldo Ferrerio, praeceptore ſuo, recenſuit, poſteriſque velut deoſculandum reliquit, eamque tantopere admiratus eſt, ut nihil ſupra habuerit, ſermoneque prope Aſiatico poſtumis ſuis libris ita dilatavit, ut negocioſis faſtidio ſit: quae quoniam omnibus aliis probabilior eſt, eam verbis ſuis prioribus (circumciſiora enim ſunt, amatque noſtra Muſa ſuccinctam orationem) referrem, ni peſſimi exempli eſſe & propémodum piaculo expiandi alienas paginas deſcribere, noſtriſque ſcriptis inſerere arbitrarer. Licet, inquam, de ea dixerit nihil eſſe melius, nec apertius: tamen ea nebuloſae caliginis, nec minoris erroris, aut artificioſae omiſſionis a nobis arguetur. Obſcuritatis; quia in confingenda ſua ſpecie ſeptem perſonarum meminit, quae tot perſonarum enumeratio rem involvit plus, quam par eſt. Denique erroris; namque omnes illos putat heredes inſtitutos, cui opinioni non adſtipulantur verba *d. l. filium quem* 24. *C. h. t.* ibi, *compenſato praeterea quod a coheredibus vice mutua percepit*, & ibi, *quod a caeteris*. Quibus verbis non ambigitur coheredes a caeteris non coheredibus diſtinctos. Denique ait Primum heredem rogatum fuiſſe a teſtatore, ut portionem ſuam Secundo, Tertio, Quarto, & Quinto reſtitueret, non item Sexto & Septimo. At huic interpretationi verba textus reclamant: namque illic enarratur, rogatum fuiſſe heredem portionem ſuam hereditatis omnibus heredibus. & non heredibus inſtitutis reſtituere; ibi *fratribus & quibusdam aliis reſtituere ſanxit teſtator*; alioquin quare in fine *hujusce legis* exprimeretur, *quod a caeteris in eo fundo ſolvitur?* &c. Tum demum triplici jure hunc fundum ad Primum heredem pertinere contendit: primo, quia partim imputatur in Falcidiam; ſecundo, quia partim compenſatur: denique, quia partem illius fundi a Sexto & Septimo, quibus nihil praeſtat jure legati capit, quod abſurdum manifeſtabitur. Omiſſionis quoque non minus affectatae convincetur: non enim verba, quae in extrema legis parte leguntur, quanquam pluſculum obſcuritatis habent, interpretatus eſt. Itaque inter tantos viros judicium noſtrum adhibebimus, atque ſpeciem huic legi omni ex parte belle convenientem & conſonam proponemus. Quidam CCC. numatus enumerato inter eas divitias fundo quindecim digno, tres filios habebat, Primum, Secundum, & Tertium, quos ſcripſit ſolos heredes: unde apparet unumquemque eorum trientem rerum hereditariarum conſequi, ſingulorumque quadrantem eſſe viginti quinque. Subinde Primo fundum illum praelegavit pure, eumque rogavit portionem ſuam hereditatis ſub conditione reſtituere duobus fratribus praedictis, caeteriſque duobus extraneis: non enim plures perſonas ſingere neceſſe eſt. Extitit conditio: flagitant a Primo fratres coheredes duoque extranei portionis ejus hereditariae reſtitutionem, quam quidem Primus ita demum offert, ſi ei quartae deducendae praelegatique fundi habendi ultra Falcidiam facultas detur. Adverſarii conta computationem non abnuunt, modo praelegatus fundus Falcidiae totus imputetur: nam aliter citra ſummam injuriam, & niſi circumſcripta teſtantis voluntate fieri non poſſe contendunt, ut fundus ille extra Faleidiam ſit: ſi quidem videtur ei fundum praelegaſſe, ut loco Falcidiae eſſet, quod utique teſtatori permiſſum eſt, ejusque voluntas ſufficit vel ſi conjecturis tantum eliciatur, ut ſupra expoſuimus. Has lites reſcripto ſuo compoſuit Imperator, ſtatuitque quantum quisque eorum habeat interventu legis Falcidiae, dum ait, non trina (uti Cujacius voluit) ſed duplici juris varietate hunc fundum a Primo retineri: Primus enim fundi ſibi praelegati trientem, qui quinque efficit pro herede, utpote a ſemetipſo, capit: reliquas vero partes, hoc eſt, decem (dignus enim erat fundus quindecim) a coheredibus fratribus ſuis conſequitur jure praelegati: ab extraneis autem duobus, qui illius coheredes non ſunt, nihil deſumit ex eo fundo. Quibus conſequens eſt trientem, quem Primus ca-

ſus ſpecies mortis cauſa capionis ſit, quam fideicommiſſum implendae conditionis. De his quid nos opinabimur? hic ne haerebimus nequicquam coeno cupientes evellere plantam, atque effabimur, quod Neptunus apud Lucilium de re difficillima, non poſſe ea reſolvi, nec ſi Carneadem Orcus ipſum remittat, aut quod Petrus Abelardus (ſic enim legendum apud Accurſium) cui, alias ſe magnifice jactanti, quod ex quacunque lectione multis implicita Maeandris penitusque abſtruſa non abſonam intelligentiam eliceret, tamen, dum in legem *quinque pedum 5 C. fin. regund.* incidiſſet, verbum hoc, *Neſcio*, modeſtum hercle! licet invito & nolenti excidit? immo potius inter tot tantosque viros quid ſentiam, nunc libet aperire, quo res ſinuoſiſſima meo judicio facillime explicetur. Lector, attende; laetaberis. Noſter Jureconſultus, ſtatim quam expoſuit caſum illum, quo quis extraneo hereditatem reſtituere pecunia accepta rogatus eſt, aſſeruitque, pecuniam illam ob reſcriptum D. Pii ſubjiciendam eſſe Falcidiae, tranſit ad fideicommiſſum implendae conditionis cauſa, quando ſcilicet heres portionem hereditariam non extraneo, ſed coheredi ſuo reſtituere accepta retro pecunia rogatus eſt. Huicque figurae capiendi ſingulare nomen a noſtris Juriſconſultis inditum eſt fideicommiſſi, eo quod, ſi duos heredes teſtator inſtituat (Titium puta & Mevium) ſimulque roget, Titium reſtituere partem ſuam hereditatis Mevio, centum ab eodem vel fundo hereditario acceptis, ea verba perinde accipiuntur, ac ſi Mevius rogatus nominatim foret centum vel fundum Titio coheredi ſuo dare: quo caſu non ſolum conditionis implendae cauſa, ſed & fideicommiſſi nomine quidquid fideicommiſſarius praeſtat, relinqui videtur, tametſi conditio nequaquam verbis conditionis, neque fideicommiſſum verbis fideicommiſſi exprimantur, ſed quibuſdam dumtaxat orationis integumentis conditio, ut & fideicommiſſum occultetur, ac ſi tacite Mevius coheres mutuo & reciproco fideicommiſſo gravetur: ad praeſtationem enim eorum, quae ab eo viciſſim relicta ſunt utique compellitur, quod plane proprium eſt fideicommiſſi, *l. fideicomiſſa* 11. *§. cum eſſet* 3. *D. de legat.* 3. ubi cum heredi precibus teſtatoris injungitur, ut coheredi ſuo reſtituat portionem hereditatis accepta certa quantitate, duplex dicitur eſſe fideicommiſſum: univerſale unum, heredis videlicet rogati reſtituere portionem ſuam hereditariam, quam cogitur coheredi fideicommiſſario reſtituere, parato tamen praeſtare viciſſim quantitatem indictam. Aliud ſingulare quod fideicommiſſum conditionis implendae cauſa nominatur, quia ab eo fideicommiſſario coherede vel invito, ut & in alio genere fideicommiſſi, pecunia exigitur: quod quidem locum non haberet, ſi rogatus eſſet heres accepta pecunia reſtituere hereditatem alii, quam coheredi ſuo: quoniam tunc, abnuente fideicommiſſario, non poſſet eam pecuniam heres de manibus ejus extorquere, ob idque eo caſu non dicitur fideicommiſſum *d. §. tametſi* 7. *d. l.* 30. *D. h. t.* Verum utroque caſu quod a fideicommiſſario ſolvitur, in computationem venit nec extrinſecus numeratur: quare dubio procul haec contextio: *ſed & quod implendae conditionis cauſa accipit fideicommiſſum*, ut nativa retinenda eſt, ne horum verborum dura relegatio noſtrae Juriſprudentiae fraudi ſiet: ſi quidem in ponenda ratione legis Falcidiae hic caſus indeciſus remaneret. Imputatur, inquam, utroque caſu quidquid heres accepturus eſt de fideicommiſſario, ſecumve compenſat; quae compenſatio loco eſt im-qui caſus comprehenditur in *noſtra lege* tuo his verbis: *ſed & ſi accepta pecunia hereditatem reſtituere rogatus ſit*, ſubdit e veſtigio, idem juris haberi etiam in eo, qui pro parte hereditatem coheredi ſuo reſtituere rogatur, qui caſus fideicommiſſum eſt ſingulare implendae conditionis cauſa, continetur que eo tenore noſtrae legis ſubſequenti: *ſed & quod implendae conditionis cauſa.* Verum dicet aliquis: qui fieri poteſt, ut fideicommiſſi cauſa potius dicatur quidquam accipi, cum portio hereditatis reſtituitur coheredi, quam cum reſtitui mandatur fideicommiſſario, non heredi? Cui in promptu ſatisfiet, ſi reſponderimus, teſtatorem imponere legem heredi ſuo, illumque onerare hoc genere fideicommiſſi potuiſſe, eoque fideicommiſſarium heredem ad praeſtationem coheredi ſuo faciendam libentius urgeri, cujus coheredis fidei viciſſim commiſſa fuit reſtitutio portionis ſuae hereditariae, cuique non minus voluit conſulere teſtator, quam ipſi fideicommiſſario, illudque, quia praeſtandi neceſſitas urget, fideicommiſſum eſſe, non inerudite perhibetur: at vero quotiens extraneo reſtitui debet hereditas certa quantitate accepta, is quidem, niſi eam mutua vice contribuere velit, a petitione prorſus liberalitatis ſubmovebitur, ſed ſi munus teſtatoris pecuniae ſuae poſthabuerit numerationi, nullatenus ad praeſtationem ejus adigetur, ob idque pro fideicommiſſo haec capiendi figura non habebitur. Ut haec autem tractatio ſuis omnibus numeris abſolvatur, iterum reſumendus eſt *d. §. acceptis* 3. *l.* 58. *D. ad Senatusc. Treb.* nondum ab ullo juris interprete ſatis bene expoſitus, quo perſpecto & explorato, magis ac magis eluceſcet haec doctrina, faciliusque decurret. Inſeram itaque verba Papiniani: *Cum praedia majoris pretii quam portio hereditatis eſſent, in ſuperfluo praediorum petenti fideicommiſſario Falcidiam intervenire viſum eſt; concurrentem enim pecuniam compenſari placuit.* Quibus fideicommiſſum, implendae conditionis cauſa, quaſi per tenuem nebulam dignoſcitur. Ad quorum pleniorem intelligentiam praemittendum eſt, teſtatorem duos heredes inſtituiſſe, Primum & Secundum, & a Primo portionem hereditatis Secundo coheredi reliquiſſe certis praediis acceptis; ſed aliquanto uberius erat Secundi fideicommiſſum: haec enim praedia pluris aeſtimabantur, quam hereditas ſibi reſtituenda. Quaeritur, num Secundus poſſit ex ſuperfluo praediorum, hoc eſt, pretio praediorum aeſtimationem portionis hereditariae ſuperante, quartam detrahere, ſimulque, an portio hereditaria compenſari debeat cum praediis eatenus, quatenus fideicommiſſariae hereditatis patitur aeſtimatio. Quis non videt, ſi undique & undique circumſpiciat, illic obſervari fideicommiſſum, implendae conditionis cauſa. Etenim, adeone ſupinus & excors eſſet coheres fideicommiſſarius, cui reſtituenda eſt portio hereditatis, ut ſponte ſua vellet erogare praedia majoris pretii, quo ſibi reſervaret portionem hereditariam vilioris aeſtimationis? Stoicum Deum ſane referens neque cor, neque caput haberet. Potius conjecturam facimus, cum ad permutationem illam ingratiis coactum fuiſſe, cum nullus praeſumatur effundere patrimonium ſuum, omneſque ſibi melius malint, quam alteri. At ſi compulſus ea praedia reſtituit, non immerito dicemus, duo in hac ſpecie fideicommiſſa eminere, unum univerſale hereditatis, alterum ſingulare praediorum ut in *d. §. cum eſſet.* Alias non cogeretur Secundus ad dationem horum praediorum, cum nemo quae a ſe mortis cauſa relicta ſunt, concedat invitus: & ita apparet, quare hanc capiendi figuram fideicommiſſum no-

Digitized by Google

hereditariam, hunc ablativum naturam induere conditionis, niſi teſtantis manifeſta voluntas repugnet. Cumque ita reſtituenda eſt portio coheredi, videtur vice verſa ipſius etiam coheredis fideicommitti, ut centum ipſe praeſtet: & proinde fideicommiſſum eſt imditas relicta ſit, atque ſi heres ipſam reſtituere rogetur hac expreſſa conditione, ſi fideicommiſſarius centum nummos dederit: unde manifeſtum eſt per ablativum abſolutum conditionem induci tacitam tantum, non expreſſam.

AD. L. FILIUM QUEM 24. C. FAMILIAE HERCISCUNDAE.

Impp. Dioclet. & Maximin.

Filium quem habentem fundum portionem hereditatis fratribus & quibuſdam aliis ſub conditione verbis precariis reſtituere ſanxit teſtator: poſt ejus conditionis eventum, hereditaria parte praedii in quartae ratione retenta; compenſato praeterea quod a coheredibus vice mutua percepit: & ſi quid deeſt in ſupplementum deducto, quod a caeteris in eo fundo ſolvitur, ſupra quartam habens reddere compellitur.

Apelles, inquit Marcus Tullius *lib.* 1. *Famil. ep.* 9. *Veneris caput & ſumma pectoris politiſſima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit.* At id exemplo minus probabili factum aeſtumo; ideoque ne mihi objiciatur *ὦ πρόσωπον καλῆς ὦν, ἀτελῆς δε*, Apellem in hoc non imitabor, ſed Aliptas potius, qui non modo ſalutis, ut Medici, ſed & virium & coloris rationem habent. Proinde ne imperfectum hoc opus deſeram, mihi examinanda eſt lex *Filium quem* 24. *C. famil. herciſ.* Quoniam hae duae leges tantam inter ſe cognationem habent, ut mutua interpretatione indigeant; ſic fiet ut bono principio finis optimus correſpondeat. Quare Jureconſulti ſententiae accedam, qui in *l.* 1. *D. de orig. jur. id perfectum eſſe ait, quod ex omnibus partibus ſuis conſtat.* Et quamvis lex illa difficilis & involuta ſit, tamen tentanda via eſt, galeatum ſero duelli poenitet: tutius quidem per plana, ſed humilius & depreſſius iter. Accurſius hanc legem *re & fama difficilem* praedicat: Cujacius *ad Papinianum in l. qui non militabat* 78. *D. de hered. inſt. omnium. quae ſunt in Codice, longe difficillimam; omnium, quae ſunt in jure, pro ſua brevitate opulentiſſimam* praefatur: quod uſque adeo verum eſt, ut ejus ſpecies etiam hodie ſub incerto ſit, quamvis varii varias interpretationes pro animi ſui motibus commenti ſint: quarum unam Cujacius *ad d. l. qui non militabat* 78 ex Arnaldo Ferrerio, praeceptore ſuo, recenſuit, poſteriſque velut deoſculandum reliquit, eamque tantopere admiratus eſt, ut nihil ſupra habuerit, ſermoneque prope Aſiatico poſtumis ſuis libris ita dilatavit, ut negotioſis faſtidio ſit: quae quoniam omnibus aliis probabilior eſt, eam verbis ſuis prioribus (circumciſiora enim ſunt, amatque noſtra Muſa ſuccinctam orationem) referrem, ni peſſimi exempli eſſe & propemodum piaculo expiandi alienas paginas deſcribere, noſtriſque ſcriptis inſerere arbitrarer. Licet, inquam, de ea dixerit nihil eſſe melius, nec apertius: tamen ea nebuloſae caliginis, nec minoris erroris, aut artificioſae omiſſionis a nobis arguetur. Obſcuritatis; quia in confingenda ſua ſpecie ſeptem perſonarum meminit, quae tot perſonarum enumeratio rem involvit plus, quam par eſt. Denique erroris; namque omnes illos putat heredes inſtitutos, cui opinioni non adſtipulantur verba *d. l. filium quem* 24. *C. h. t.* ibi, *compenſato praeterea quod a coheredibus vice mutua percepit*, & ibi, *quod a caeteris.* Quibus verbis non ambigitur coheredes a caeteris non coheredibus diſtinctos. Denique ait Primum heredem rogatum fuiſſe a teſtatore, ut portionem ſuam Secundo, Tertio, Quarto, & Quinto reſtitueret, non item Sexto & Septimo. At huic interpretationi verba textus reclamant: namque illic enarratur, rogatum fuiſſe heredem portionem ſuam hereditatis omnibus heredibus. & non heredibus inſtitutis reſtituere; ibi *fratribus & quibuſdam aliis reſtituere ſanxit teſtator*; alioquin quare in fine *hujusce legis* exprimeretur, *quod a caeteris in eo fundo ſolvitur?* &c. Tum demum triplici jure hunc fundum ad Primum heredem pertinere contendit: primo, quia partim imputatur in Falcidiam; ſecundo, quia partim compenſatur: denique, quia partem illius fundi a Sexto & Septimo, quibus nihil praeſtat jure legati capit, quod abſurdum manifeſtabitur. Omiſſionis quoque non minus affectatae convincetur: non enim verba, quae in extrema legis parte leguntur, quanquam pluſculum obſcuritatis habent, interpretatus eſt. Itaque inter tantos viros judicium noſtrum adhibebimus, atque ſpeciem huic legi omni ex parte belle convenientem & conſonam proponemus. Quidam CCC. numatus enumerato inter eas divitias fundo quindecim digno, tres filios habebat, Primum, Secundum, & Tertium, quos ſcripſit ſolos heredes: unde apparet unumquemque eorum trientem rerum hereditariarum conſequi, ſingulorumque quadrantem eſſe viginti quinque. Subinde Primo fundum illum praelegavit pure, eumque rogavit portionem ſuam hereditatis ſub conditione reſtituere duobus fratribus praedictis, caeteriſque duobus extraneis: non enim plures perſonas fingere neceſſe eſt. Extitit conditio: flagitant a Primo fratres coheredes duoque extranei portionis ejus hereditariae reſtitutionem, quam quidem Primus ita demum offert, ſi ei quartae deducendae praelegatique fundi habendi ultra Falcidiam facultas detur. Adverſarii conta computationem non abnuunt, modo praelegatus fundus Falcidiae totus imputetur: nam aliter citra ſummam injuriam, & niſi circumſcripta teſtantis voluntate fieri non poſſe contendunt, ut fundus ille extra Falcidiam ſit: ſiquidem videtur ei fundum praelegaſſe, ut loco Falcidiae eſſet, quod utique teſtatori permiſſum eſt, ejuſque voluntas ſufficit vel ſi conjecturis tantum eliciatur, ut ſupra expoſuimus. Has lites reſcripto ſuo compoſuit Imperator, ſtatuitque quantum quiſque eorum habeat interventu legis Falcidiae, dum ait, non trina (uti Cujacius voluit) ſed duplici juris varietate hunc fundum a Primo retineri: Primus enim fundi ſibi praelegati trientem, qui quinque efficit pro herede, utpote a ſemetipſo, capit: reliquas vero partes, hoc eſt, decem (dignus enim erat fundus quindecim) a coheredibus fratribus ſuis conſequitur jure praelegati: ab extraneis autem duobus, qui illius coheredes non ſunt, nihil deſumit ex eo fundo. Quibus conſequens eſt trientem, quem Primus ca-

eſt duos trientes, quos jure legati capit a coheredibus, licet non imputentur in Falcidiam, quia in eam nihil inducitur quod citra nomen hereditarium percipitur, tametſi a coheredibus capitur, *l. in quartam* 91. *D. ad l. Falcidiam*; ibi *pro ea vero parte quam accepit a coherede extra quartam, id eſt, quod a coherede accipitur* & *l.* 74. *eod.* tametſi hac compenſantur, eoque remedio coheredibus, ut tanto minus erogent, ſuccurritur, ut verbis iſtis *d. l. filium quem* 24. *C. h. t.* ſatis liquet, *compenſato praeterea quod a coheredibus vice mutua percepit*: additurque vice mutua; quia Primus reſtituit portionem hereditatis coheredibus, & a coheredibus viciſſim aliquid ex fundo ſibi praelegato jure legati conſequitur: exempli gratia, Primus, dum reſtituit portionem hereditatis, beneficium legis ad quartam retinendam implorat; at vero coheredes excipiunt, quod licet partes fundi praelegati, quas ab ipſis Primus accipit, non ſubjiciantur Falcidiae, utpote non jure hereditario acceptae, nihilominus cum quis detrahere cupit quadrantem portioni, quae ab eo coheredibus pro parte relicta eſt, oppoſita compenſatinnis aequitate benigna juris ratio ipſis ſubventum voluit. Cum ergo in propoſita ſpecie Primus decem collegerit ex eo praelegato (fundus enim ille quindecim aeſtimabatur) eo factum eſt, ut illa decem compenſentur cum totidem aliis, quae Primus jure Falcidiae detrahere expoſcit e portione hereditaria, quam coheredibus ſuis neceſſe habet; ut nos ex *lege Neſennius* 22. *D. h. t.* & *lege deducta* 58. §. *acceptis* 3. *D. ad Senatuſc. Treb.* probavimus: & ita intelligitur noſtra lex *in quartam* 91. *D ad l. Falc. eod.* ibi, *pro ea vero parte quam accepit a coherede*, quae denegat quidem imputationem, ſed compenſationem nequaquam. Quae non parum inter ſe diſcrepant: namque imputatur quidquid jure hereditario accipitur; compenſatur vero ad ſupplendum quodcunque quadranti defuit, ſi quid forte a coheredibus vice mutua praelegetur, quippe jure legati totum illud acceptum fertur, hocque ipſo imputari contumax eſt. Secundo imputari dicuntur quae Falcidiae adnumerantur; at quae obnoxia ſunt compenſationi jure hereditario non cenſentur, ideoque extra Falcidiam ſunt, licet quartae vicem fungantur. Ad hoc imputatio fit per ipſam legem Falcidiam, hoc eſt, ipſo jure *l.* 14. §. *ult. l.* 37. §. *ult. h. t.* compenſatio vero oppoſita tantum doli exceptione ex bono & aequo introducitur, *d. l.* 22. *& l.* 15. *D. de iis quae ut indig.* Denique computatio quartam Falcidiam conficit, quod non inducit compenſatio, tametſi commodum ejus praeſtet, *l.* 90. *h. t.* idcirco compenſatio ab imputatione ſemper diſcriminatur, illiuſque nomen nuſquam aſſumit. Itaque decem, quae a coheredibus Primus accipit, quibus ipſe vice mutua hereditatem reſtituit, per legis ducentur ex [illegible] reſtituturus eſt caeteris duobus, qui coheredes non ſunt. Quare ex fundo illo praelegato quinque, quae a ſe capit, computantur (eorum enim legatum non conſiſtit) decem vero, quae ex portione coheredum accipit, compenſantur, quae omnia ad quindecim usque aſcendunt: unde videmus decem tantum deeſſe ſupplendae Falcidiae, quae e portione hereditaria, quam extraneis duobus reſtituit, utique deducentur. At quid fiet, inquit Cujacius, de reliqua parte fundi praelegati, quam Primus capit a coheredibus Sexto & Septimo, quibus nihil debet reſtituere? eam non imputari Falcidiae, neque compenſari, ſed Primum eam conſequuturum ſupra quartam ſuae portionis neſcio quomodo ariolatur: nam qui fieri poteſt, ut Primus id, quod ex fundo ſuperfuerit, obtineat, cum quidquid erat praeter partem hereditariam jam compenſatum ſit, totumque fundum tum jure hereditario, tum jure compenſationis habuerit? Caeterum, his omnibus ita peractis, Primus reliquum ſuae portionis hereditariae extraneis reſtituere tum demum compelletur, ut in fine *d. l. filium quem* 24. deciditur, his verbis, quae hactenus omnes feſellere: *& ſi quid deeſt in ſupplementum deducto, quod a caeteris in eo fundo ſolvitur, ſupra quartam habens reddere compellitur*: hoc eſt, *ſi quid deeſt* ſupplendae quartae, *deducto* eo videlicet ex portione hereditaria extraneis reſtituenda (ſi quidem totum quod deſit ab extraneis ſolvi debet *in eo fundo*, id eſt, ſupra aeſtimationem fundi, qui explendae Falcidiae ſufficere non potuit) illius portionis hereditariae reliquum omne, quod ſupra Falcidiam habet, retento quadrante, reſtituere cogetur. Sicque nihil eſt in eo fundo reſidui, quod primo ultra Falcidiam lucro cedat. Trientem enim in Falcidiam computat, quem a ſe capit jure hereditario, & duos alios trientes, quos a coheredibus accepit, compenſat cum Falcidia, quam alioquin deduceret ex fideicommiſſaria portione coheredibus ſuis reſtituenda, neque quidquam fingi poteſt ab extraneis non inſtitutis ex eo fundo percipi: quia cum non fuerint inſtituti, nullam portionem in eo habuerunt, neque ut heredes ſimplices, neque ut fideicommiſſarii: non enim Primus portionem ſuam ſimpliciter reſtituere rogatus eſt, ſed hereditariam portionem, *l.* 3. §. *quidam* 4. *l.* 18. §. *ult. D. ad Senatusc. Treb.* quod fit ut fundus ille non cadat in fideicommiſſum, neque ullo modo extraneis ipſis, quatenus jure praelegati capitur, reſtituendus ſit, ſed tantum pro ea parte, qua Primus heres eſt; quae ſola veniret in fideicommiſſum, quia pro herede retinetur, ni antea computata eſſet in ratione Falcidiae. Hic verus & genuinus intellectus *l. filium quem* 24. exploſis aliorum ſententiis, mihi videtur.

Sed nos immenſum ſpaciis confecimus aequor,
Et jam tempus equum fumantia ſolvere colla.

F I N I S.

P E,

Digitized by Google

PETRI AVELLANI,
Valeſii, JCti,

ALIQUOT LOCI

BONORUM AUTHORUM RESTITUTI,

Vel aliter, quam vulgo fere intelligantur,

EXPLICATI.

Digitized by Google

PETRUS AVELLANUS, *Valeſius*, S.

Quum tu me antea ſaepe dignatus ſis literis tuis, ampliſſime Cardinalis, exiſtimavi meas quoque literas, & eas οὐκ ἀδώρως, id eſt, non ſine munere, viciſſim tibi reddi oportere. Mitto enim cum literis opuſculum, paucorum illud quidem verſuum, ſed in quo ſummam ingenii & induſtriae noſtrae vim tanquam in ſpeculo facile poteris perſpicere. Et eſt profecto admodum iniqui rerum aeſtimatoris earum pretium magnitudine metiri non artificio potius architecti. Quantam alioqui laudem tulit, qui totam Homeri Iliada *nuce concluſit, quantum qui quadrigam muſcae alis obtectam repreſentavit? Quae non eo dicuntur, quod praeclarum quiddam me hic expreſſiſſe confidam, ſed ut intelligas quicquid mihi ingenii erat huc omnino fuiſſe collatum. Solet ſibi quiſque peculiarem aliquem Authorem deligere, quem vel obeliſcis confodiat, vel aſteriſcis illuſtret, vel in quem varias paſſim annotationes inſpergat. Ego vero per omne genus Authorum circumvolitando hinc & illinc decerpſi, quae inſtituto noſtro viſa ſunt accommoda: ſcilicet imitatus apes, quae diverſos flores delibant, ut alveis ſuis, quantum poſſunt, ſerviant. Inſtitutum autem noſtrum eſt hujuſmodi, ut qui dederim operam multorum locorum apud bonos Authores ruinam inſtaurare, compluresque ſententias aliter explicare, quam vulgo fere intelligantur. Parum certe gratus futurus eſt, quiſquis lectis noſtris lucubrationibus non agnoverit ingentes tenebras beneficio noſtro depulſas eſſe, ut id interim mihi meo quodam jure arrogem, quod doctorum plerique certatim tribuunt. At te iſtud malo legendo cognoſcere, quam ambitioſe praedicando immodice a me efferri. Et ingentes tenebras beneficio noſtro ab Authoribus depulſas dico, non ex mea, ſed aliquot doctorum hominum ſententia, quibus quum magnopere noſtra haec placerent, arbitratus ſum Tibi Doctiſſimo non ingratum fore eundem conatum. Sed ut hac parte ſim inferior, jucundiſſimus & acceptiſſimus non poterit non eſſe hicce labor, quum in gratiam nepotis tui* ANT. A CAMERA *Epiſcopi Beliſenſis deſignati, jamdiu inſumpſi. Eum ſiquidem clariſſimum habes, non quod ſolum propinquus ſit, verum etiam quod quam de ſe in ſtudiis expectationem concitarat, eam non ſuſtineat modo, ſed longe quoque ſuperet. Sic enim tibi viſum eſt, ut juvenis optimae ſpei cum ſplendore generis egregiam quamdam literarum cognitionem conjungeret. Ita me Deus amet, nihil praetermitto in illo inſtituendo, quod officii mei eſſe videatur: cui rei argumento eſſe queat, qualecunque iſtud eſt, quod ſub tuo nomine in vulgus editur, illius cauſa elaboratum. Merces laboris noſtri illa erit præſtantiſſima, ſi te chorago has ſatis digne partes agam.*

Non utar pluribus, ne te ſummi Pontificis & Chriſtianiſſimi Regis negotia tractantem pergam odioſius interpellare. Recte nimirum in te quadrat illud Flacci ad Julium [lib. 2. Epiſt. 1. v. 3]

In commoda publica peccem,
Si longo ſermone morer tua tempora Juli.

Vale unicum ornamentum urbis Romanae. Pictavii, Die Thomae ſacro. 1540.

BARTHOLOMAEI LUXII TASTAEI,
Burdigalenſis,
ad
PETRUM AVELLANUM,
Valeſium, JCtum,
Carmen adhortarium, ad hujus Libri editionem.

Quid cohibes lucis cupidum Avellane libellum:
Caelaſque ingenii pignora docta tui?
Pignora quae invenis doctorum calculus ornat:
In lucemque dari publica vota petunt.
Quis genitor natis caeli ſpirabile lumen
Invideat? cujus tam fera corda rigent?
Hinc hinc conſpicuum poterit tibi ſurgere nomen:
Poſteritas quod amet, famaque laudet anus.
Nam veterum ſi quis veneratur ſcripta virorum,
Sedulus ille tui praeco laboris erit.
Plurima, quae caecis latitabant merſa tenebris,
Accipiant lucem, pumice terſa tuo.
Plurima, quae mendis foede violata jacebant,
Vindice te, priſco clara nitore micant.
At multis ſterili captatur fama labore:
Dum properat nugas edere quiſque ſuas.
Carmina permulti vix dum bene nata propinant,
Sic, ut ſint numeris plurima trunca ſuis.
Hinc fit ut infelix vulgo ſit fabula vates:
Dum caput ex ima tollere certat humo.
Sed tuus ingenuas quando labor adjuvat arteis,
Laudibus hunc ultro publica fama feret.
Ede igitur lucis cupidum Avellane libellum:
Nec cacla ingenii pignora docta tui.

JO. GOSSETIUS, JCtus
ad
PETRUM AVELLANUM,
Valeſium.

Tinxiſti prima vix dum lanugine malas,
Et juvenilis adhuc ſpirat in ore rubor:
Attamen obliquo figentes lumine terram
Exuperas rerum cognitione ſenes.
Exeris in lumen caecis prius abdita clauſtris,
Et luci reddis quae latuere diu.
Qui tibi praeripiat palmam nec vivere credo,
Nec poſthac unquam forte futurus erit:
Sive libet fido claroque interprete fungi,
Seu medicam luxis vis adhibere manum.
Ergo ſtemmatibus titulisque VALESIA regum
Clara, tuo vivet nomine clara magis.

AD LECTOREM.

Ὅστις ὁρᾷς τὴν μοῦ νῦν, ὦ ξένε, φίλτατε, βίβλον
φιλέε, μὴ δ' αὐτὴν τὺ ψέγε φαῦλος ἐών.

RE.

PETRUM AVELLANUM,

Valeſium, JCtum.

CAPUT I.

Locus nunquam antea intellectus, libro IX. Familiarum Epiſt. 2. *Ciceronis.*

Cicero in Epiſtola quadam ad Varronem [*lib. 9. ep. 2. ad fam.*] *Te vero* (inquit) *nolo, niſi ipſe rumor jam raucus erit factus, ad Bajas venire. Erit enim nobis honeſtius etiam quum hinc diſceſſerimus, videri veniſſe in illa loca ploratum potius quam natatum.* Hunc locum nulli adhuc Interpretes, quod ſciam, videntur aſſequuti. Imperitiſſime enim ad famam referunt, quae de rumore rauco hic a Cicerone dicuntur. Nos igitur primi omnium, quid velit Cicero, aperiamus. Is Rumorem, fluvium Tyberim intelligit, & raucum Rumorem fluvium tempeſtuoſum appellat. Sententia eſto: Niſi fluvius ſit concitatior ac tempeſtuoſior, nolim te ad Bajas venire: ne quis ſuſpicetur natandi nos potius cauſa & voluptatis, quam plorandi illuc veniſſe. Nempe ſi fluvius, quo irrigantur Bajae, exundantior factus fuerit, jam in eam ſuſpicionem non veniemus. Ad probandum hunc intellectum duo nobis ſunt evincenda. Prius, Rumorem Tyberim nuncupari: Alterum, Raucum idem nonnunquam ſignificare, quod tempeſtuoſum. Virgilius Rumorem Tyberim dixit *Aeneidos lib.* VIII. *vſ.* 90.

Ergo iter inceptum celerant Rumore ſecundo.

Rumore, inquit Servius, *pro Rumone poſuit.* Nam ut ſupra diximus, Tyberis Rumon eſt dictus: unde & ficus Ruminalis, ad quam ejecti ſunt Remus & Romulus: quae fuit, ubi nunc eſt lupercal in circo. Hac enim labebatur Tyberis antequam Neptuno factis ſacrificiis averteretur. Ergo ſi fuerit Rumone ſecundo, favente fluvio intelligimus. Idem Servius *eodem lib.* tradit, *Tyberim Rumonem vocitatum, quod ripas ruminet, & exedat*, juxta illud Virgilianum *lib.* VIII. *Aeneid vſ.* 63.

Stringentem ripas, & pinguia culta ſecantem.

Raucum vero fluvium tempeſtuoſum appellari poſſe, oſtendimus ex Horatii *lib.* II. *Carminum*, qui Raucum Hadriam poſuit pro tempeſtuoſo & ſonoro, interprete Acrone, *Ode* XIV. *vſ.* 13.

Fruſtra cruento Marte carebimus,
Fractiſque rauci fluctibus Hadriae;
Fruſtra per Autumnos nocentem
Corporibus metuemus Auſtrum.

Virgilius *Aeneid. lib.* V. *vſ.* 866.

Tum rauca aſſidue longe ſale ſaxa ruebant.

Adjutat ſententiam noſtram quod eſt apud Ciceronem *pro Caelio cap.* 15. *Accuſatores quidem libidines, amores, adulteria, Bajis acta, convivia, comeſſationes, cantus, ſymphonias, navigia jactant.* & ibidem *eod. Habes hortos ad Tyberim; ac diligenter eo loco praeparaſti, quo omnis juventus natandi cauſa venit.* Si quis tamen praefractius nobiſcum agat, en ultro arena cedimus, ſi docuerit ex ullis authoribus, raucum rumorem pro fama depereunte atque evaneſcente vel ſemel fuiſſe uſurpatum. Nec enim facile patiemur nobis palmam extorqueri, propterea quod quidam [Doletus] *in Commentariis ſuis linguae latinae* iſtam loquendi formulam in eum ſenſum obſervavit, nullo alio loco praeter hunc citato.

CAPUT II.

Locus Ciceronis explicatus lib. V. Famil. epiſt. 12. *de Hectore Naeviano*, & lib. XV. ep. 6.

Meminit Cicero *libro* V. *Familiarium Epiſt.* 12. Hectoris cujuſdam Naeviani, qui ſe a laudato demum viro optabat commendari. At de eo Interpretes obmuteſcunt. Sciendum igitur ſcriptam fuiſſe fabulam a Naevio, quae inſcribebatur HECTOR PROFICISCENS, unde locus ille Ciceronis depromptus fuit. Eo titulo ſcriptam fuiſſe a Naevio fabulam probo ex Priſciani *lib.* VIII. *Naevius*, inquit, *in Hectore proficiſcente. Tunc ipſos adoriant.* Adverte tamen illum Priſciani locum in omnibus exemplaribus vitiatum circumferri. Sic enim legitur: *Naevius in* III. *Hectore proficiſcenti. Tunc ipſos adoriant.* Vides, quid porrexerit errori anſam: nam facile potuit particula, *in*, geminari tranſireque ſupraſcriptis tribus apicibus in notam numeri ternarii. Ita certe, ut retuli, legitur in codice manu ſcripto, quem Rupellae reperi in vetuſta Ptochotrophii bibliotheca, quum me illuc ad docendum aliquando Stephanus Noëllus, vir in omnibus artibus apprime detritus, pellexiſſet.

CAPUT III.

Emendatus locus apud Suetonium Tranquillum in Auguſto cap. 45.

Miror poſt tot lucubrationes doctiſſimorum hominum in Suetonium, locum unum depravatiſſimum relictum fuiſſe. Sic etenim apud illum legitur, *in Auguſto cap.* 15. *Nam hiſtrionum licentiam adeo compeſcuit, ut Stephanionem togatarium, quum in puerilem habitum circumtonſam matronam miniſtraſſe compererat, per trina theatra virgis caeſum relegaverit.* Dicant mihi illius authoris caſtigatores, Beroaldus, Egnatius, & Eraſmus, quid ſententiae elici poſſit ex praecedentibus verbis. Ego profecto ſamae meae periculo admoneo non *miniſtraſſe*, ſed *monſtraſſe*, legi debere. Illamque veriſſimam eſſe lectionem ſatis arguunt ſequentia [*eod. cap.*] *Et Pyladem*, inquit, *urbe atque Italia ſubmoverit, quod ſpectatorem, a quo exibilabatur, demonſtraſſet digito, conſpicuumque feciſſet.* Hic locus praeterea indicat lapſum Fauſti Victoris, qui exiſtimavit ſuppoſititium eſſe apud Acronem, Horatii interpretem, Auguſti tempore fuiſſe latam legem, qua ſcaenici a maledictis deterrerentur.

Ut enim lex comoediae Archaeae multis ante Auguſtum

Digitized by Google

—— —— *Quia etiam lex*
Poenaque lata, malo quae nollet carmine, quemquam
Deſcribi. vertere modum formidine fuſtis
Ad bene dicendum delectandumque redacti.

CAPUT IV.

Explicatus locus Tertulliani, de lautitia Ruffi in menſis.

INterrogatus ſum aliquando, quos Ruffos notaſſet Tertullianus his verbis: *Taceo Nerones, & Apicios, & Ruffos, impuritatem Scauri, & aleam Curii, & vinolentiam Antonii.* Sic reſpondi: Ruffus praetorius Ciconiarum pullos in menſas primus vocavit, qui quum in praetura ideo repulſam tuliſſet ſequentibus σκάζων laceſſitus fuit:

Ciconiarum Ruffus iſte conditor
Hic eſt duobus elegantior Plancis
Suffragiorum puncta non tulit ſeptem.
Ciconiarum populus ultus eſt mortem.

Clarum igitur eſt, quid ſibi voluerit Tertullianus, qui poſt Apicium, egregium cupediarum artificem, Ruffum nominarit: ſed quid cauſae eſt, cur Ruffus in illis σκάζων dicatur elegantior duobus Plancis? Plocius Plancus Rhombum, & Ciconiam primus menſis conſecravit, quo facto populum Romanum vehementer abs ſe alienavit. Elegantior igitur & delibatior fuit Ruffus Planco, qui, Ciconiis non contentus, earum pullos aſcivit in convivia.

CAPUT V.

Multos errare in illa loquendi formula: Propius nihil factum eſt.

QUi ſic exponunt hoc genus loquendi, *Propius nihil factum eſt*, id eſt, *parum abfuit quin fieret*, penitus errant. Cicero ad Quintum fratrem *lib. 1. epiſt. 2. in fin. Propius nihil factum eſt, quam ut ille occideretur.* Idem *pro Cluentio: Sic nunc propius nihil factum eſt.* Idem *in Verrinis 7. cap. 36 Nec quicquam eſt propius factum, quam ut illud exemplum de Hydriano Syracuſis inferretur.* * In quibus locis, *propius* pro *citius* accipi debet, authore Servio in illum verſum Virgilii [*lib. Aeneid. 8. vſ. 78.*]

Adſis ô tandem, & propius tua numina firmes.

Reprehendendus ergo eſt Interpres ille doctiſſimus Epiſtolarum Guilielmi Budaei. Sic enim ſcripſit Budaeus: *Adeo nihil propius factum eſt his ulteris tuis literis, quam ut librum meum de Aſſe exoſcularer. Propius factum*, inquit Interpres, id eſt, *paulum abfuit, quin exoſcularer.* Παρ' οὐδὲν ἦλθες τὴν βίβλον τὴν ἐμὴν καταφιλεῖν. Sed errat, quia in illo loco Budaei, *propius* pro *citius* & poteſt & debet accipi.

CAPUT VI.

Locus reſtitutus apud Gellium, capite ultimo libri IX.

USque adeo aliquod ſemper conſequimur laboris noſtri praemium. Quis liber frequentius Gellio teritur manibus omnium? En tibi tamen locus apud illum corruptiſſimus, a nobis primum animadverſus, *capite ultimo libri* IX.

Authoris verba ſunt hujuſmodi: *Vir fortis praemio, quod optaverit, donetur. Qui fortiter fecerat, petiit* [sic: "pe-" continues] *quam putavit eſſe argutiſſimam, vitio non carere, quod Graece ἀντιστρέφον dicitur, & eſt vitium inſidioſum & ſub falſa laudis ſpecie latens.* Haec ille. At quid iſtud eſt, *vitium inſidioſum & ſub falſa laudis ſpecie latens?* Quid huic loco cum laude? Dic igitur compendio ſcribendi mendum irrepſiſſe, & non *laudis*, ſed *lemmatis* eſſe reponendum. Rem (ut dico) habere convincam ex argumentatione Plinii, quae lemma ſeu dilemma notiſſimo Rhetoribus nomine appellatur. Superſedeo aliis probationibus, ne in re manifeſta anxie me torquecam.

* In Gronoviana & aliis Edd. legitur: *Neque quidquam propius eſt factum, quam ut illud Uticenſe exemplum de Hadriano transferretur Syracuſas.*

CAPUT VII.

Apud Eundem vocem unam perperam legi, libro XVII. cap. II.

EX cognatione nominum ſuſpicor locum quendam corruptum eſſe apud eundem Authorem *libro* XVII. *cap.* II. Illius verba haec ſunt: *Sed Plutarchus in libro Sympoſiacῶν authorem Platonis ſententiae Hippocratem dicit fuiſſe. Idemque eſſe opinatos & Philiſtiona Locrum & Dioxippum Hippocraticum, tres medicos & nobiles.* Ego igitur hic puto, non Dioxippum debere legi, ſed Dexippum. Suidas enim Dexippum Coum fuiſſe tradit, Hippocratiſque diſcipulum, a quo relictus eſt unus de medicina liber & de prognoſticis. At Dioxipporum tres tantum inſignes & nobiles audivimus, quorum nullus medicinam profeſſus eſt. Eorum unus Comicus fuit poëta, cujus meminit Suidas. Alius Athleta, cujus meminit Plinius. Tertius miles Alexandri, cujus meminit Aelianus. Sed cur non licebit impingere Gallio ἁμάρτημα μνημονικὸν, quo doctiſſimus quiſque laborat, ut pro Dexippo Dioxippum ſcripſerit magna nominum ſimilitudine?

CAPUT VIII.

Expoſitus unus locus, & alter reſtitutus apud Tibullum.

ANtiqua numeri libertate uſus eſt Tibullus, qui nobis *merenti*, pro *merentibus* dixit, ut in codice meo manu ſcripto annotatum eſt. Neque probare poſſum, vulgatam illius loci lectionem, quae inſertis diſtinctionibus vitiat, quam dixi, numeri libertatem. Quid enim vetat, quo minus nobis *merenti* dixerit Tibullus, ut Terentius, *abſente nobis*; Pomponius, *praeſente amicis*; Varro, *praeſente legatis?* Locum integrum adſcribam, ut diligentius ſecum, qui volet, inquirat. *Eleg. 7. lib. 3.*

Etſi perque ſuos fallax juravit ocellos,
Junonemque ſuam, perque ſuam Venerem:
Nulla fides inerit. perjuria ridet amantum
Juppiter, & ventos irrita ferre jubet.
Ergo, quid toties fallacis verba puellae
Conqueror? ite a me ſeria verba precor.
Quam vellem tecum longas requieſcere noctes;
Et tecum longos pervigilare dies.
Perfida. nec merito nobis inimica merenti.
Perfida. ſed quamvis perfida, chara tamen.

Vulgata lectio diſtinctione ſic vitiat illum ἀρχαϊσμὸν *nobis inimica, merenti Perfida.*

At non admodum diſſimile eſt apud eundem *lib.* II. *Eleg.* I.

Vos quoque abeſſe procul jubeo. diſcedite ab aris.
Cui tulit externa gaudia nocte Venus.

Nempe, non *cui*, ſed *quibus*, dictum oportuit. In quo verſu poſteriore advertendum eſt, mendoſe legi ex-

Q buit aliquando ingenium exercere in eruendis verioribus ſenſibus, quam qui ab Interpretibus promebantur. Neque enim ii mihi videntur percepiſſe, quorſum ſpectaret Perſius in his verſibus, *Sat.* 1. *vſ.* 69. *ſeqq.*

Ecce modo Heroas, ſenſus afferre videmus:
Nugari ſolitos Graece: nec ponere lucum
Artifices, nec rus ſaturum laudare.

Britannicus cum caeteris per *lucum* rem humilem intelligit & minimam. Sed errat meo judicio. Debemus enim potius intelligere per *lucum* & *rus ſaturum*, locos communes: quos etiam Graece ſolitos confici teſtis eſt Plutarchus *in vitam Catonis.* Eos igitur inſectatur Perſius, qui locos communes male norunt accommodare, & quaſi aſſuere rei materiaeque praeſenti. Quum profecto de locis communibus loqueretur Horatius *in arte Poët.* proximo his exemplo uſus eſt *vſ.* 14. *ſeqq.*

Inceptis gravibus plerumque & magna profeſſis
Purpureus, late qui ſplendeat, unus & alter
Aſſuitur pannus: cum lucus & ara Dianae,
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius deſcribitur arcus.
Sed nunc non erat his locus.

Adde apud eundem Authorem me non ſentire cum Vadiano, qui ſic emendavit illum verſum, *Ejuſd. Sat.* 1. *vſ.* 95.

Sic coſtam longo ſubduximus, Apennino.
Sic os tam longo ſubduximus Apennino.

Mihi ſiquidem veriſimilius eſt loquutum Perſium de carmine hexametro, quam ut ad ea reſpexerit, quae longa ſerie recenſet Vadianus. Pro nobis facit quod Cicero in *lib.* 2. *cap.* 27. *de Legibus*, hexametros verſus, longos vocat ex Ennio.

CAPUT X.

De quantitate verbi, Contudit, *& accentu verborum* Arguit, *ac* Calefacit.

Praeter Grammaticorum ſententiam, ſcias licenter corripi mediam verbi *Contudit*, ſyllabam; ut refert Acro in illum locum Horatii, *lib.* 11. *Serm. Ecl.* 7. *vſ.* 15.

—— *Poſtquam illi juſta cheragra*
Contudit articulos.

Nam & Ennius produxiſſe legitur in hunc modum:

—— *Vireſque valentes*
Contudit genialis hyems.

Frequentius tamen correpte legitur, licet pugnante ipſius natura, ut & in illis verſibus [*Horatii lib.* 2. *Epiſt. vſ.* 10. *ſeqq.*]

—— *Diram qui contudit Hydram*
Notaque fatali portenta labore ſubegit,
Comperit invidiam ſupremo fine domari.

Item interfui nonnunquam circulis doctorum hominum, qui non ſolum praecedens illud mirabantur, verum etiam, quod ſcripſit Priſcianus, in verbo *Calefacit* & *Calefacit*, in penultima ſignandum eſſe acceptum. At omnem admirationem longe ſuperat quod me legere memini apud Porphyrionem, verbum *Arguit*, quando praeſentis eſt temporis accentum habere in penultima. Haec eo libentius commemoravi, quo longius a medio viſa ſunt eſſe ſepoſita.

Orbis Britannos, & juvenum recens
Examen, Eois timendum
Partibus, Oceanoque rubro.

Quem locum Acro de Occidente interpretatur. Juvenis quidam doctiſſimus, quo cum has noſtras vigilias communicabam: An non, inquit, Occidentem propterea Oceanum rubrum vocavit, quia, quum in Occidente ſol condatur, non ſine ingenti quodam rubore circumfuſo contegitur? Quae conjectura vehementer mihi placuit. Alias ſi Acronis interpretationem referas ad mare rubrum diviſum in duos ſinus Perſicum, & Arabicum, nulla ratione nitetur Interpretis ſententia. Ad haec apud alium nunquam legi, Europam ab Aſia dividi Scamandro fluvio, quod ille in his verſibus aſſerit, *Epod.* XIII. *vſ.* 13.

Te manet Aſſaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina, lubricus & Simois.

CAPUT XII.

Duo Senarii apud Porphyrium, a nemine animadverſi.

Duo ſunt ſenarii apud Porphyrium, qui fere non advertuntur. Unus eſt in *capite de genere*; alter *in capite de ſpecie.* Sic enim ille:

Καὶ γὰρ ἡ πατρὶς ἀρχή τις ἐστι τῆς ἑκάστου γενέσεως.

Hic eſt verſus trimeter Jambicus ex aliquo Graeco ſcriptore:

Ἀρχὴ τίς ἐστι τῆς ἑκάστου γενέσεως.

Idem in capite περὶ εἴδους. Πρῶτον (inquit) εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Qui locus corrupte legitur. Deeſt enim μὲν, ut ſit trimeter Jambicus, quod clariſſimum eſt ex interpretatione Boëtii: Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος.

CAPUT XIII.

Explicatus locus in Oratione pro Caelio cap. 5. *ubi haeret Interpres.*

Affero inſignem locum ex Oratione Ciceronis *pro Marco Caelio, cap.* 5. *Nobis quidem*, inquit, *olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga conſtitutus, & ut exercitatione, ludoque campeſtri tunicati uteremur, eademque erat, ſi ſtatim mereri ſtipendia coeperamus, caſtrenſis ratio ac militaris. Qua in aetate niſi qui ſe ipſe ſua gravitate & caſtimonia, & cum diſciplina domeſtica, tum etiam naturali quodam bono defenderat, quoquo modo a ſuis cuſtoditus eſſet, tamen infamiam veram effugere non poterat.* Hic haeret Interpres: *Solebant veteres* (inquit) *pueris inhibere, quum luderent, & ſeſe exercerent, ne veſtis exueretur, ne detectis virilibus pudicitiam violarent. Tunicati ergo utebantur ludo campeſtri, id eſt, in campis tunica induti ſe exercebant.* Iſtam interpretationem cur non probem, multae ſunt cauſae. Primum Cicero de pueris non loquitur, ſed adoleſcentibus. Deinde unum annum Cicero conſtitutum fuiſſe dicit, Interpres nullum certum tempus praeſcripſit. Poſtremo quid ſibi velit Cicero in poſterioribus verbis, nullo modo explanat. Sic igitur tibi dicendum puta: *Poſt pubertatem*, authore Servio ad *lib.* VII. *Aeneid. vſ.* 162. *Juvenes armis exercebantur, & ſexto decimo anno militabant, quo etiam ſolo ſub cuſtodibus agebant*, poſtea quicquid vellent libere facturi. Quo tempore veſte utebantur non laxa, & illud eſt, quod dicit Cicero, *brachium toga cohibere.*

Tibullus *lib.* 1. *vſ.* 585.

Quum blandi comites, totaque impune ſaburra
Permiſit ſparſiſſe oculos jam candidus umbo.

Sic intellige hos verſus Ovidii *lib.* 1. *Art. Am. v.* 41.

Dum licet & loris paſſim potes ire ſolutis,
Elige, cui dicas, tu mihi ſola places.

Reſpexit ſiquidem Ovidius ad id temporis, quo veſte laxa & ſoluta uti licebat, ſubmoto omni cuſtode: licet Bartholomaeus Merula foede in ejus loci interpretatione erraverit, neſcio quid de curis commentus: quaſi per illas paſſim ire non liceat.

De hac oratione *pro Caelio* meminit Suetonius Tranquillus in libello *de Claris Rhetoribus* his verbis, ubi de Plotio Gallo verba facit: *Hunc eundem* (inquit) *Marcus Caelius in oratione, quam pro ſe de vi habuit, ſignificabat dictaſſe a Cratino accuſatori ſuo actionem.* Vides quam ſit hic prodigioſum erratum: neque enim *a Cratino*, ſed *Atratino* legi debet.

CAPUT XIV.

Locus reſtitutus apud Lucium Florum capite 18. libri III.

Circumferuntur quatuor libri rerum a Romanis geſtarum Lucio Floro authore, qui tamen cujusdam Marci Annei eſſet lectitantur in codice manu ſcripto & iſtud nomen παιδαβιβλιαρίον εἶναι ſatis arguit quaedam Epitome in Livium, ſub eadem inſcriptione evulgata, hinc illuc, niſi fallor, transfuſo titulo. Utcunque res ſit, locus unus apud Eundem mendoſe ſcriptus eſt, neque Beroaldi, neque Camertis opera caſtigatus, *libro* III. *cap.* 18. *Primum* (inquit) *fuit belli in Albano monte conſilium, ut feſto die Latinarum Sextus Lucius Caeſar, & Martius Philippus Coſſ. inter ſacra & aras immolarentur.* At ſic legendum eſt: *Sextus Julius Caeſar, & Lucius Martius Philippus.* Id ego perſpicuum facio ex Suetonio Tranquillo in *Cajo Ju io Caeſare.* * *Conſules* (inquit) *ante Dictatorem fuerunt Sextus Julius Caeſar cum Lucio Martio Philippo.* Sed & apud Julium Obſequentem *de prodigiis*, idem reperitur: ubi deſcribuntur prodigia viſa Lucio Martio & Sexto Julio Conſulibus. Quod ſi quis fuerit Lucius Julius Caeſar; is Conſul fuit cum Publico Rutilio Lupo, ut res Romanas perveſtig ntibus poteſt liquere.

CAPUT XV.

Unde natum ſit proverbium, Aliquid monſtri alere.

Monſtrum alitur, ubi quid occulti vitii latere ſignificamus. Pamphilus in *Andria* [*Terentii Act.* 1. *ſc.* 6. *v.* 16.] *Aliquid Monſtri alunt; ea quoniam nemini obtrudi poteſt, itur ad me.* Eraſmus exiſtimavit hinc natum proverbium, quod monſtra ob pudorem clanculum aluntur & occultantur. Ego puto ſumptum iſtud fuiſſe ex conſtitutione Romuli, qui prohibuerat monſtra in urbe ali. Ergo ubi quid clanculum fit (puta contra legem) & ubi caelatur vitium, monſtrum ali proverbialiter dicitur.

CAPUT XVI.

Locus emendatus in Andria Act. 2. ſc. 2. v. 14.

Rivius minima quaeque obſervavit apud Terentium. Sed & illud obſervationem promerebatur, *Hem*, pro *En*, parum eleganter legi in *Andria Act.* 2. *ſc.* 2. *v.* 14. hoc modo: P. *Obſecro te, quamprimum hoc me libera miſerum metu.* D. *Hem.*

[* Verba haec, quod ſciam, in *Caeſare* apud Sueton. non extant; Eutropius vero *princ. lib.* v. horum Conſulum meminit.]

Reſtitutus locus in inſcriptione Eunuchi.

Inſcriptio *Eunuchi* fere ab omnibus corruptiſſime lecta eſt, quod ſine flagitio praetermittendum non erat a Rivio. Ibi enim ita ſcribitur: *Acta ludis Megalenſibus, L. Poſthumio. L Cornelio aedilibus curulibus. Egit Lucius Ambivius Turpio, L. Attilius Praeneſtinus Tibiis duabus dextris.* Tu expunge hoc poſtremum verbum, & ſubſtitue: *Tibiis duabus dextra & ſiniſtra.* Ratio hujuſce correctionis eſt, quod in hac comoedia plurimum joci feriae gravitati permiſcetur: quod quum accidebat, tibiis duabus agebantur comoediae, dextra & ſiniſtra. Sed & iſtud, repugnantibus quibuslibet, ſatis probatur ex Donati prolegomenis in eandem comoediam: *Acta plane eſt* (inquit ille) *Eunuchus ludis Megalenſibus L. Poſthumio, L. Cornelio aedilibus, curam aedium habentibus. Etiam tunc perſonatis L. Numidio Poſthumo. L. Ambivio Turpione. Item modulante Flacco Claudio tibiis dextra & ſiniſtra, ob jocularia multa permixta gravitate.*

CAPUT XVIII.

Reſtitutus locus apud Donatum.

Donatus in illum locum Terentii, *in Eunucho Act.* 3. *ſc.* 4. *vſ.* 2. *Ut de ſymbolis eſſemus. Eſſemus* (inquit) *legendum eſt producta e littera.* Quae verba Donati a mediocriter eruditis non intelliguntur. Sciendum ergo, haec illius verba ad naturam dictionis referri oportere. Nam verbum, *Eſſem*, priorem habet natura correptam, ſi a *ſum* deſcendat, licet eadem ſyllaba poſitione producatur. Si autem, *Eſſem*, deflectatur a verbo, *Edo*, priorem habet natura longam, & poſitione. Quod ad naturam attinet, conſule ſecundam perſonam utriusque verbi. *Es*, ſi a *ſum* veniat, corripitur; ſi ab *Edo* producitur. Quid ergo mirum, ſi in reliquis temporibus & perſonis utrobique natura ſua conſtet? Illud certe eſt quod ſcribit Fabius, ſyllabarum quaſdam eſſe longiores, quaſdam longiſſimas. Nam longior eſt ea ſyllaba, quae cum naturali productione poſitionem quoque conjunxit: cujusmodi eſt verbum *erſem*, ab *edo*, in illo loco, ut de *ſymbolis eſſemus.* Et *in Andria, Act.* 1. *ſc.* 1. *v.* 53.

—— —— —— Filium
Perduxere illuc ſecum, ut una eſſet, meum.

Ubi Donatus: Producte legitur, eſſet, ut cibum capiat. Et correpte, ut alibi. [*Act.* 3. *ſc.* 5. *v.* 26.] *Eſſem una qua cum cupiebam Antipho.* Qui tamen Donati Locus in omnibus exemplaribus mendoſe legitur.

CAPAT XIX.

Duo loci in Prologo Heautontimorumeni, *in quibus caecutiunt omnes Interpretes.*

Vidi magnos (ſi diis placet) Grammaticos errare in loco apud Terentium non admodum difficili, qui ſic habet:

Ne cui veſtrum ſit mirum cur partes ſeni
Poëta dederit, quae ſunt adoleſcentium.
Id primum dicam. deinde quod veni eloquar.
Ex integra &c.

Objiciebam promiſſis non ſtetiſſe Prologum, qui quum promiſiſſet, ſe dicturum, cur partes ſeni Poëta dediſſet, quae erant adoleſcentium, id primo loco non attingit. Reſpondebant illi eſſe hyſteron proteron. Quo dicto quid ineptius? Verſus ergo ille (*Id primum dicam*) non debet referri

ad

Digitized by Google

3. *Scen.* 1. *v.* 1. *Luceſcis. Hoc jam ceſſo pulſare oſtium Vicini?*

CAPUT XX.

De nomine Heautontimorumeni, *& quo habitu Menedemus in Scenam prodierit.*

QUid ſignificet *Heautontimorumenos*, ſic exponit Horatius *lib.* 1. *Serm. ecl.* 2. *v.* 19. *ſeqq.*

—— —— Vix credere poſſis,
Quam ſibi non ſit amicus: ita ut pater ille, Terenti
Fabula, quem miſerum nato vixiſſe fugato
Inducit, non ſe pejus cruciaverit atque hic.

At quo habitu ὁ ἑαυτὸν τιμωρούμενος in ſcenam prodierit, his verbis declarat Varro *lib.* 2. *de re ruſtica. cap.* 11. *Capra* (inquit) *pilos miniſtrat ad uſum nauticum, & ad bellica tormenta, & ad fabrilia vaſa. Neque non quaedam nationes harum pellibus ſunt veſtitae, ut in Getalia & Sardinia: Cujus uſum apud antiquos quoque Graecos fuiſſe apparet, quod in Tragoediis ſenes ab hac pelle vocantur διφθερίαι. Et in Comoediis qui in ruſtico opere morantur, ut apud Caecilium in Hypobolimaeo habet adoleſcens, apud Terentium in Heautontimorumeno ſenex.* Haec ille. Eodem veſtimenti genere uti fecit ſuum Laërtem Homerus *Odyſ.* xxiv. ſi ſatis memini.

Adde ſexagenarios ſenes in Comoediis induci ſolitos, ex ſententia Varronis & Donati, & ideo non temere ſcribitur, *Act.* 1. *ſc.* 1. *v.* 10.

Annos ſexaginta natus es.

Item alius eſt locus *in ead. Comoed. Act.* 1. *ſc.* 3. *v.* 18. qui parum concinne, mea quidem ſententia, exponitur a Calphurnio. Ego acutiorem interpretationem ponam:

Chrem. *Quid narrat?* Clit. *quid ille? ſe miſerum eſſe.* Chrem. *Miſerum? quem minus credere eſt?*
Quid reliqui eſt, quia habeat quae quidem in homine dicuntur bona:
Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias?

Hunc locum ſic exponit Calphurnius: *Non eſt* (inquit) *cenſendus miſer, qui poteſt habere parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias.* Ego vero exiſtimo hic *miſerum* pro *innocente* accipi, hoc ſenſu: *Chr.* Quid narrat? *Clit.* Se miſerum eſſe, id eſt, innocentem, & nimis duro patris imperio coactum patria exceſſiſſe. *Chr.* Innocentem ais? imo nihil minus eſt quam innocens, quippe per quem ſtat, quo minus habeat, quae in homine dicuntur bona. Nam ſcelcſtus eſt, & non ferendus, qui ſua culpa in rebus optimis & maximis ſibi deeſt: quique patria carere mavult, quam in eadem manere obtemperando patri. At ne ſuſpecta videatur haec noſtra interpretatio, audiamus Terentium *in Hecyra Act.* 3. *ſc.* 6. *v.* 21. Mirrh. *Miſera ſum*, id eſt, innocens, interprete Donato. Phidipp. *Utinam ſciam ita eſſe iſtuc!* te ſcilicet eſſe innocentem. Et certum eſt apud bonos Authores *miſeros* vocari, qui nulla ſua culpa in calamitatem ſunt redacti. Quintilianus *in Declamationibus, Omnium, quos miſeros unquam fecere virtutes, innocentiſſimus.* Virgil. *lib.* xi. *Aen. v.* 119.

—— —— Miſeris ſupponite civibus ignem.

Id eſt, *aliena culpa pereuntibus*, ſecundum Servium.

Sunt & plerique leviores loci, in quibus deſidero diligentiam Calphurnii. Ego unum & alterum attingam: *in ead. Comoed. Act.* 1. *ſc.* 4. *v.* 15.

Mea eſt potens, procax, magnifica, ſumptuoſa, nobilis.

io, Veſte, omni apparatu, ornatuque viſendo. Pari modo uſurpant Graeci τὴν ἐσθῆτα. Lucianus *in Alectryone*, τὴν ἐσθῆτα καὶ τραπέζας, καὶ ἐκπώματα πάντα ἐμὰ εἶναι; id eſt, *veſtem, & menſas & pocula omnia mea eſſe.*

Ibid. *v.* 49.

Capillus paſſus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter. Pax.

Pax *tantummodo* ſignificat, authore Priſciano. Graeci tamen pro, *Papae*, illud videntur accipere. Lucianus *in Fugitivis* in fine:

φεῦ τῶν κακῶν, ὀττοτοῖ. παπαὶ παπαὶ πάξ

Ibid. *v.* 59.

Nam diſciplina eſt eiſdem, munerarier
Ancillas primum, ad dominas qui affectant viam.

Ovidius legem illam & diſciplinam his verſibus ſic eſt perſequutus. *Art. Am. lib.* 1. *v.* 351. *ſeqq.*

Sed prius ancillam captatae noſſe puellae
Cura ſit: acceſſus molliet iſta tuos.
Proxima conſiliis dominae ſit ut illa, videto.
Neve parum tacitis conſcia fida jocis.
Hanc tu pollicitis, hanc tu corrumpe rogando
Quod petis, ex facili, ſi volet, illa, feres.

Ibid. *Act.* 3. *ſc.* 1. *v.* 82.

Somnum hercle hac nocte oculis non vidi meis.

Videre ſomnum, hujus loci imitatione dixit, Cicero, *Epiſt.* 30. *Familiarium lib.* vii. *Fuit* (inquit) *mirifica vigilantia, qui ſuo toto conſulatu ſomnum non viderit.* Idem *Epiſt.* 1. *ad Atticum lib.* viii. non ſomnum videre, ſed capere dixit. *Ego* (inquit) *ſi ſomnum capere poſſem, tam longis te Epiſtolis non obtunderem.*

Ibid. *Act.* 4. *ſc.* 3. *v.* 1.

Me Syri promiſſa huc induxerunt.

Proprie dicuntur ferae induci in retia; unde ad fraudem amatoriam transfertur: Tibullus. *lib.* 1. *eleg.* 6. *in pr.*

Semper ut inducar blandos offers mihi vultus,
Poſt tandem & miſero triſtis & aſper amor.

Infiniti ſunt hujusmodi loci (ſpecimen enim tantum dare volui) praetermiſſi a Calphurnio, quos aliquando accuratius tractabimus, ſi dabitur.

CAPUT XXI.

Explicatus locus Ciceronis libro 1. de Legibus cap. 1. *de auſpicio Aquilae.*

CIcero *libro* 1. *de Legibus*, meminit cujuſdam auſpicii, de Aquila evolante ex quercu, quod pauci pro dignitate tractant. Sic ille ſcriptum reliquit *cap.* 1. *Quare glandifera illa quercus, ex qua olim evolavit*

Nuncia fulva Jovis, miranda viſa figura &c.

Quem totum locum elegantiſſime deſcribit idem Cicero *libro* 1. *de divinatione cap.* 47. his verbis: *Quid eſt*, inquit, *illo auſpicio divinius, quod apud te in Mario eſt? ut utar potiſſimum te authore.*

Hic Jovis altiſoni ſubito pinnata ſatelles
Arboris e trunco ſerpentis ſaucia morſu
Subſilit: ipſa feris transfigens unguibus anguem
Semianimem, & varia graviter cervice micantem:
Quem ſe intorquentem lanians, roſtroque cruentans,
Jam ſatiata animos, jam duros ultra dolores,
Abjicit efflantem, & laceratum affligit in unda:
Seque obitu a ſolis nitidos convertit in ortus.
Hanc ubi praepetibus pennis, caeloque volantem

Digitized by Google

Sit Aquilae clarum firmavit Juppiter omen.

Horum tamen verſuum aliqui in nonnullis exemplaribus mendoſe leguntur. Quod attinet ad Aquilam, quae hic appellatur *Nuncia Jovis*, certum eſt & eam alitem atque armigeram Jovis dici, propterea quod fulmine ſola non exanimetur, ſecundum Plinium. Cicero *Quaeſtionum Tuſculanarum libro* 2. *cap.* 10. ex Aeſchylo vertit: *Jovis ſatellitem.*

Alter eſt locus, quo haud ſcio, an ullus ſit difficilior: ibi *eodem lib.* 1. *eod. cap. ab Aquila Tarquinio apicem impoſitum putent.* Nihil legi quod huc pertineat, niſi apud Dionyſium Halicarnaſſeum *lib.* 3. *cap.* 84. *Tarquinio regnanti* (inquit) *Hetruſci detulerunt inſignia, quibus ipſi reges ſuos adornabant. Coronam videlicet auream, ſceptrumque habens ſuper caput Aquilam; tunicam purpuream cum ſignis aureis, & amictum purpureum fimbriatum. Tulerunt etiam ei duodecim ſecures, ſumptas ex urbibus ſingulis ſingulas, quas cum virgarum faſce lictores ante regem ferebant.*

CAPUT XXII.

An adulterium Natura turpe ſit.

PRobra, inquit Ulpianus [*l.* 42. *D. de verbor. ſignif.*] *quaedam natura turpia ſunt; quaedam civiliter & quaſi more civitatis, ut puta furtum: adulterium eſt natura turpe.* Andreas Alciatus exiſtimavit defendi poſſe, furtum turpe natura non eſſe, quod paſſim gentium, ut apud Lacedaemonios, in numero delictorum non habeatur. Sed eo mihi ille errare viſus eſt, quod neget defendi poſſe, adulterium turpe natura non eſſe. Qua enim ratione dicimus furtum turpe natura non eſſe, quia apud nonnullos impune furari licet: eadem ratione poſſumus dicere adulterium turpe natura non eſſe, quia, apud quaſdam gentes, adulterium criminis loco non ducitur. Nam Myrrha apud Ovidium, *lib.* x. *Metamorphoſeos*, pluribus argumentis certat oſtendere, inceſtos amores quam adulterium natura graviores, ut ait Papinianus, jure naturali, quod & gentium appellatur, in reprehenſionem non incidere. Verſus Ovidii belliſſimos hic libuit inſerere. *Metam. lib.* x. *v.* 320. *ſeqq.*

Et ſecum: quo mente feror? quid molior? inquit.
Dî precor, & pietas ſacrataque jura parentum,
Hoc prohibete nefas, ſcelerique reſiſtite noſtro.
Si tamen hoc ſcelus eſt; ſed enim damnare negatur:
Hanc Venerem pietas. coëunt animalia nullo
Caetera dilectu. nec habetur turpe juvencae
Ferre patrem tergo. fit equo ſua filia conjunx;
Quaſque creavit, init pecudes caper: ipſaque cujus
Semine concepta eſt, ex illo concipit ales.
Felices quibus iſta licent. HUMANA MALIGNAS
CURA DEDIT LEGES, ET QUOD NATURA REMITTIT,
INVIDA JURA NEGANT. gentes tamen eſſe feruntur,
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Jungitur, & pietas geminato creſcit amore.
Me miſeram, quod non naſci mihi contigit illic,
Fortunaque loci laedor!

Caeterum pro Alciato facit, quod ſcribit Papinianus, inceſtum Jure gentium prohiberi. At ego intelligo tale jus gentium, cui praeluceat ratio ejus faciendi vel omittendi, quod apud plures Reſpublicas bene conſtitutas fere inveteravit. Et iſtud aeque patet ad damnandum furtum ac adulterium, ut nihil penſi habuerit Alciatus, cur aliud aſſereret in furto, quam adulterio. De tali jure, quod ratione regitur, ſentit Chryſoſtomus, qui loquens de Republica Platonis & Zenonis, eos dicit πολεμῶν τῇ ἡμῶν φύσει, quando nudatas virgines in hominum con-

x. v. 336.]

——— *Gentes tamen eſſe feruntur,*
In quibus & nato genitrix & nata parenti
Jungitur.

Hos verſus ille exponit de Troglodytis, de quibus nihil tale legimus. Sequar potius Catullum, qui Perſarum iſtud proprium & praecipuum fuiſſe oſtendit in hunc modum *Epig.* 91.

Naſcetur magus ex Gelli matriſque nefando
Concubitu. & diſcet Perſicum Aruſpicium.
Nam magus ex matre & nato gignatur oportet,
Si vera eſt Perſarum impia relligio.

D. quoque Auguſtinus eam fuiſſe Perſarum conſuetudinem confirmat, explicans *caput Levitici* XXVIII. quod eſt de vetitis nuptiis. *De his perſonis ergo* (inquit) *videtur loqui, quae poſſent non habentes vires in matrimonium convenire, niſi lege prohiberentur, ſicut fertur eſſe conſuetudo Perſarum.* Idem etiam legitur apud Servium *Aeneidos* VI. *vſ.* 623.

Hic thalamum invaſit natae vetitoſque hymenaeos.

Vetitos (inquit) *legibus. Nam dicendo vetitos, oſtendit aliquando fuiſſe non vetitos, velut eſt apud Perſas hodie.* Unde Donatus male ait, *natura & legibus vetitos.* Quod ſpectat ad praecedentia, Cicero *lib.* 1. *officior. cap* 35. pari loco ponit furta & adulteria, *Latrocinari* (inquit) *fraudare, adulterari re turpe eſt.*

CAPUT XXIII.

Qua ratione capti in bello non occidantur, ſed ſerventur.

QUaeſitum eſt a permultis, quid cauſae eſſet, cur in bello capti ſervi fierent hoſtium. Petrus Perticanus & Jacobus Ravennas id ex neceſſitate factum contendunt, propterea quod niſi ſervi efficerentur, eorum bona una cum perſona ad hoſtes ipſos tranſirent. Quae ratio diſplicuit Joanni Fabro: non enim poſſent captivi bona ſua ad hoſtes transmittere, quae in promptu non haberent. Quare aliud dicendum ille cenſuit. Ideo ſcilicet ſervitutem iſtam introductam, quod niſi captivi ſervi fierent, cogerentur ad contrahendum vel teſtandum in utilitatem eorum, qui victoria potiti eſſent: vel etiam illud ipſum ſine vi, favore hoſtium facerent. Alciatus non ſine ſtomacho inſectatur hanc rationem Joannis Fabri: *Quaſi*, inquit ille, *non reſtitueretur, qui vi vel metu contraxiſſet.* Sed ego reſpondeo pro Joanne Fabro, Alciati reprehenſionem frigere. Licet enim reſtitutio poſtea impetrari poſſit, non ſequitur tamen, quin noſtra interſit nos non eſſe obligatos; quia ſi vel reſtitutio vel exceptio omitteretur, utendum eſſet jure communi, & promiſſum exſolvendum, qua conſideratione talis ſervitus poteſt videri fuiſſe introducta. Item Alciatus non ſubvertit alteram partem diſtinctionis Joannis Fabri, quando favore hoſtium ſine dolo vel metu iniiſſent contractum. Nemo enim dicat tam fatuum eſſe Praetorem, ut reſcindere id velit, quod metu vel dolo geſtum non eſſe conſtat, quaſi dolo vel metu geſtum ſit. Fuit & Jaſoni ſua ratio, ideo captivos in ſervitutem redigi, ne ſi victores nihil lucri conſequerentur ex victoria, perſonas miſere trucidarent, utpote inutilia mancipia. Sed ne hanc quidem probavit Alciatus, quum pariter latronum ſervi eſſe deberemus, ut, hac qualicunque libertatis noſtrae jactura, vitae conſuleremus: quoniam non minus periculi vitae noſtrae imminet a latronibus, quam hoſtibus. Defendi poteſt Jaſon contra Alciatum, idem in bellis & latrociniis non eſſe aſſerendum, quod ſi in latrociniis ſervitus illa frequentaretur, aperiretur ingens feneſtra ad delinquendum.

Digitized by Google

vititem iſtam jure belli emeruiſſe, quo omnia li-
cent in victos, ſive venum exponantur, ſive eis quidvis imperitetur, ſive trucidentur. At quoniam lege Graecorum, unde profluxerunt jura Romanorum, prohibitum eſt, ne captivi trucidarentur, ſed ſervarentur; inde ſervi vocati ſunt, quos in bello interceptos lex jubebat ſervari, non occidi. Lex ſic ſcripta erat:

Τῶν αἰχμαλώτων μηδένα βέλομαι θανεῖν.

Id eſt,

Neminem e captis ſciens caedi ſinam.

Ejuſdem legis meminit Euripides *in Hecuba*

Νόμος δ' ἐν ὑμῖν τοῖς τ' ἐλευθέροις ἴσος
Καὶ τοῖσι δούλοις αἵματος κεῖται πέρι.

Id eſt,

Lex aequa porro apud vos de ſanguine,
Serviſque liberiſque, capitibus ſtata eſt.

Hoc igitur uno ſublato victos poſſe interfici, reliqua omnia belli jura victoribus integra remanſerunt, quorum nonnulla his verſibus continentur in eodem Authore:

At ſerva nunc ſum: protinus vocabulum hoc
Minime aſſuetum facit, ut expetam mori:
Dein forſitan continget immitis mihi
Herus, aere me quicunque commercabitur
Et Hectoris quondam ſororem, & plurium:
Adigenſque vi me pinſere in tectis, ſolum
Verriſſe coget, ſtaminique inſiſtere,
Vitam exigentem duram & illaetabilem.

CAPUT XXIV.

Emendatus locus in l. quum duobus 52. §. ſi in coëunda 2. ff. pro Socio. *unde ſenſum vix elici poſſe dicebat Budaeus.*

Hic locus multum torquet Doctos, qui in vulgatis omnibus exemplaribus ſic legitur. Et Celſus *libro, ſexto Digeſtorum* ita ſcripſit: *Socios inter ſe dolum & culpam praeſtare oportere. Si in coëunda ſocietate* (*inquit*) *artem operamve pollicitus eſt alter, velut quum pecus in commune paſcendum, aut agrum pollicitatori colendum damus, in commune quaerendis fructibus, nimirum ibi etiam culpa praeſtanda eſt. Precium enim operae, artis eſt velamentum. Quod ſi rei communi ſocius nocuit, magis admittit culpam quoque venire*

Budaeus omnium, qui aetate noſtra vixerunt, doctiſſimus, hunc ſenſum vix elici poſſe dicebat Ulpiani ſententiae congruum: *niſi quis* (inquit) *hunc ſenſum eſſe putarit, operae precium enim artis eſt velamentum, pro eo quod eſt, magni aeſtimandum eſt, & magni pendendum.* Quae tamen interpretatio duriſſima omnibus viſa eſt, & ideo non recepta. Sed neque illa lectio probatur: *Precium enim operae & artis eſt velamentum.* Hoc eſt, ἀντάξιος γὰρ ἡ τιμὴ τῆς τε ἐργασίας, καὶ τῆς τέχνης. Siquidem Velamentum non eſt dictio latina. Nos in codice manu ſcripto, quum de eo loco dubitaremus, paulo diverſam lectionem animadvertimus. Ibi ſic legitur: *Precium enim operae artisve eſt aequamentum.* Quae lectio veriſſima eſt, & a tenebris remotiſſima, & ejusmodi, ut quae facile corrumpi potuit ex particula, *ve*, ſuo loco mota. Sententia eſt: Aequiſſimum eſt tum culpam admiſſam praeſtari, quando alter fundum, alter operam praeſtat. Neque eſt quod putet alteru-

[leg. *ſeptimo*]

Reſtitutus locus in l. Idem Pomponius ſcribit ſi frumentum 5. §. ſed ſi plumbum 1. ff. de rei vindicatione; *qui hactenus non eſt intellectus.*

Sed ſi plumbum (inquit Ulpianus) *cum argento mixtum ſit, quia diduci poteſt, nec communicabitur, nec communi dividundo agetur, quia ſeparari poteſt, agetur autem in rem actione. Sed ſi diduci, inquit, non poſſit, ut puta ſi aes & aurum mixtum fuerit, pro parte eſſe vendicandum nequaquam erit dicendum, quod de mulſo dictum eſt, quia utraque materia, etſi confuſa ſit, manet tamen.* Accurſius dupliciter hic ſpeciem ponit, ſed neutro modo rem attingit: *Primum* (inquit) *ſi nullo modo ſeparari poſſit aes ab auro, communi dividundo agitur, & pro parte vendicatur, & tunc non idem eſt quod in mulſo, quod ſpecificanti cedit. Haec ſpecies reprobatur ab eodem, quia aes ab auro artificum opera ſeparari poteſt, l. lacus 12. §. ſi aere 1. ff. de acquir. rer. dom.*

Secundo modo ſic fingitur ſpecies: *Si aes ab auro facile ſeparari non poteſt, tunc pro parte vendicatur: ſed nec communicatur, nec communi dividundo agitur, nec erit dicendum quod a quibusdam de mulſo dicitur, licet male, ſcilicet ut communicetur.* Hanc ſpeciem probat Accurſius; ego vero ineptiſſimam arbitror: quia omni caſu aes ab auro opera artificum pari facilitate ſeparari poteſt, ut propter iſtam facilitatem & difficultatem diverſum jus introducendum non fuerit. Praeterea ſpecies haec, quam ſequitur Accurſius, implicat contraria: dicit enim, compoſitum ex aere meo & argento tuo a me vendicari poſſe pro parte, neque tamen eſſe commune, quum interim ſola communia pro parte vendicari poſſint, *l. Marcellus 3. §. Pomponius 2. ff. de rei vindicat.* alias ſi caſu meum aes cum tuo argento confuſum ſit, non vendicabo compoſitum pro parte, ſed id tantum, quod meum erit, quoniam ſeparabile eſt. Et verba illa inſerta contextui, *quia utraque materia, etſi confuſa ſit, manet tamen*, ſignificant nequaquam totum compoſitum vendicari poſſe pro parte cujusque; quia licet utraque materia aeris & argenti confuſa ſit, manet tamen, ut mirum non ſit, ſi totum aes per ſe vendicari ab uno debeat, & totum argentum ab altero: non autem ſimul aes & argentum ratione ſolius aeris vel ſolius argenti. Accurſius certe in explicatione horum poſtremorum verborum fluctuat neſcius, quo potiſſimum rationem illam accommodare debeat. Tu igitur fide vetuſti exemplaris expunge particulam negativam praepoſitam verbo, *poſſit*: & omnia erunt planiſſima. Neque dubito, quin mecum ſenſurus ſit, quisquis paulo diligentius adverterit, Ulpianum in poſteriori illo dicto referre verba Pomponii, cujus authoritate ſententiam ſuam confirmat. Quum igitur Ulpianus docuiſſet, ſi plumbum cum argento permiſceretur, non futurum commune, nec tum actionem communi dividundo competere poſſe, ſed actionem in rem: citavit verba Pomponii, quod in §. 1. & 2. *ejuſdem legis* fecit: & huic lectioni appoſitiſſime quadrat particula, *inquit*, ibidem poſita.

Alius loqui potuiſſe Imperatores Diocletianum & Maximianum in hoc contextu ſcripſit: *Placet nobis, Praeſides de iis cauſis, in quibus, quod ipſi non poſſent cognoſcere, antehac Pedaneos Judices dabant, notionis ſuae examen adhibere: ita tamen ut, ſi vel propter occupationes publicas, vel propter cauſarum multitudinem, omnia hujuſmodi negotia non potuerint cognoſcere, judices dandi habeant poteſtatem. Quod non ita accipi convenit, ut in iis etiam cauſis, in quibus ſolebant ex officio ſuo cognoſcere, dandi judices licentia eis permiſſa credatur. Quod uſque adeo in Praeſidum cognitione retinendum eſt, ut eorum judicia non diminuta videantur: dum tamen & de ingenuitate, ſuper qua poterant etiam ante cognoſcere, & de libertinitate Praeſides ipſi dijudicent.* Melius dixiſſent Imperatores (inquit Accurſius) *ſed & de ingenuitate*, ubi dixerunt, *dum tamen & de ingenuitate.* At unde nobis iſta correctio? Nimirum, quia Accurſius non intellexit contextum, neque ullus alius eorum, qui Accurſium ſequuti ſunt. Itaque noſſe oportet voculam, *eorum*, depravatam eſſe, & conciſam ex verbo *Pedaneorum.* Significant igitur Imperatores, *Pedaneorum judicia non eſſe diminuta:* eos ſcilicet delegari poſſe in omnibus cauſis, in quibus prius delegabantur, cum ea modificatione, quae *initio hujus legis* poſita fuit, id eſt, occupatis Praeſidibus in cognitione cauſarum publicarum: dum tamen Praeſides impoſterum de cauſis Ingenuitatis & libertinitatis cognoſcant, de quibus ipſi Pedanei prius poterant cognoſcere. Varie hic errant Interpretes. Primum, dicunt illi, Praeſidum judicia non eſſe diminuta, quum textus loquatur de Pedaneis, & horum judicia non eſſe diminuta innuat. Deinde, illa verba *de ingenuitate, ſuper qua poterant etiam ante cognoſcere*, male referuntur ad Praeſides, quum de Pedaneis ſint intelligenda. Poſtremo, verbum *dijudicandi*, poſitum in textu, non recte reſtringitur ad pronuntiationem ſententiae. Nam modus ille delegandae cauſae reſervata ſibi ſententia multis poſt hanc legem annis introductus fuit. Ad ſtabiliendum hunc intellectum probari oportet, judices Pedaneos potuiſſe olim cognoſcere de cauſis ingenuitatis & libertinitatis. Aſſero *legem, Si manumiſſus 2. C. de libertis & eorum liberis: Si manumiſſus* (inquit Conſtantius Imperator) *ingratus circa patronum ſuum extiterit, & quadam jactantia, vel contumacia cervicem adverſus eum erexerit, aut levis, offenſae, contraxerit culpam; a patrono rurſus ſub imperium ditionemque mittatur, ſi in judicio, vel apud Pedaneos Judices patroni querela exorta eum ingratum oſtendat.* Ex his verbis conſtat, Pedaneos Judices de cauſis libertinitatis & ingenuitatis potuiſſe cognoſcere. Quod ſi mihi fortaſſe objicias, Conſtantium Imperatorem poſt Diocletianum & Maximianum floruiſſe, quaeram quid cauſae ſit, cur Pedanei Judices prius de illis cauſis cognoſcere non poterant, de quibus, ut oſtendi, cognoſcere poſtea potuerunt: praeſertim quum non ita multum temporis inter utroſque interceſſerit. Ex praecedentibus intelligitur *l. cum proponas 6. C. de reb. cred. & jurejurando*, male hactenus expoſita in arbitro compromiſſario. Ea enim intelligi debet in judice Pedaneo, qui alias arbiter frequentiſſime nominatur. Illius legis iidem authores ſunt Diocletianus & Maximianus: *Cum proponas* (inquiunt) *partibus placuiſſe, jurisjurandi religione, generis & ingenuitatis quaeſtionem decidi, Praeſes provinciae juxta decretum arbitri amitae tuae filiis conſulet.* Vulgatam interpretationem reprehendo ex *l. non diſtinguemus 32. §. de liberali 7. ff. de receptis arbitris*, ubi cauſa ingenuitatis ſingulari CCCCLXVI. ponderat hunc textum ad hoc, quod arbiter incidenter cognoſcere poteſt de cauſa ſtatus. Velim mihi reſpondeat Lodoicus Romanus, aut quisquis alius ei aſſentitur, quod verbum excerpi ex hoc contextu poſſit, unde ſubolere poſſit cauſam ingenuitatis non principaliter, ſed incidenter hic actitatam fuiſſe. De judice igitur Pedaneo accipi id debet, ut longe veriſſima ſit noſtra ſententia.

CAPUT XXVII.

Explicatus locus Ulpiani longe aliter quam vulgo intelligatur in l. qui vas 48. §. ſi ſancilla 5. ff. de furtis.

Ulpiani haec verba ſunt, ſub titulo *de furtis: Si ancilla ſurripiatur praegnans, vel apud furem conceperit, partus furtivus eſt: ſive apud furem edatur, ſive apud bonae fidei poſſeſſorem. Sed in hoc poſteriore caſu furti actio ceſſat, ſed ſi concepit apud bonae fidei poſſeſſorem, ibique peperit, eveniet, ut partus furtivus non ſit, verum etiam uſucapi poſſit.* Haec ille.

Rixantur inter ſe Doctores in excogitanda ratione praecedentium verborum. Quî fiat, ut quum partus conceptus apud furem, & editus apud bonae fidei poſſeſſorem res ſit furtiva, neque uſucapi poſſit, pro eo tamen non detur actio furti. Jacobus Ravennas & Bartholus, egregii Interpretes, cenſuerunt, propterea partum eo caſu uſucapi non poſſe, quia partus in utero exiſtens habetur pro jam nato: quantum pertinet ad ea, quae ſpectant ad ipſius commodum. Sed intereſt ejuſdem partus remanere apud priorem dominum, neque tranſire ad alium per uſucapionem: ergo habebitur pro jam nato, tempore conceptionis, quo tempore ſi natus eſſet, non poſſet uſucapi, quia natus apud furem. At detur nec ne actio furti, nihil ad partum: ſed unius domini ſive damnum ſive incommodum eſt, ideo partus conceptionis tempore in hoc caſu non habebitur pro jam nato.

Hanc Bartholi rationem improbat Raphaël Fulgoſius, quia (inquit) fortaſſe plus intererit partus tranſire ad alium, ſi frugi ſit, & minime malus, quam remanere apud priorem dominum, improbiſſimum forſan hominem. Ille igitur aliam rationem confinxit. Partus (inquit) furtivus eſt, quia vitium furti eſt reale afficiens rem, quocunque vadat. Ideo ſeparatis partibus integralibus vitium ſemper adhaerebit: ſicut lepra leproſum ſemper comitatur. Ergo partus ſeparatus a ventre ancillae non liberatur vitio ſemel contracto. Sed actio furti non eſt realis, ſicut ipſum vitium, imo eſt perſonalis competens contra furem, non quidem ad rem ipſam, ſcilicet ad ancillam, ſed ad pecuniam, reſpectu tamen valoris ancillae. At regula eſt, in actionibus perſonalibus nos excludi & ſubmoveri a perſequutione partium, quando ſumus conſequuti totum integrale. Itaque quum dominus agendo actione furti ad ancillam conſequutus ſit, totum integrale, id eſt, aeſtimationem ancillae cum ejus partu, ad ipſum partum manifeſtum eſt non amplius ſupereſſe actionem.

Haec Raphaëlis interpretatio eſt ineptiſſima, quia ſi verum ſit, quod ille ſcribit; quare pro matre & partu disjunctim datur actio furti, ſi is fuerit editus apud furem? Nonne, intentando actionem furti pro matre, debuit dominus aeſtimationem quoque partus conſequi? Quod autem pro matre & pro

par-

Digitized by Google

actionem furti pro partu edito apud bonae fidei poſſeſſorem, quia fur partum ipſum non contrectavit: ergo aequum eſt, eum non teneri actione furti, quae ex contrectatione naſcitur.

Unde falſiſſima apparet theorica communis, cenſeri contrectatum fuiſſe partum, ubi primum mater fuit contrectata. Nam ſi partus ſit adhuc portio viſcerum matris, ut omnes ſatis agnoſcunt, quo modo dici fingive poteſt duplex & diverſa contrectatio? Itaque ſi partus editus ſit apud furem, dabitur duplex actio furti, propter duplicem contrectationem, matris ſcilicet, & ipſius partus. In reliquis non admodum diſſentio ab aliis.

cordiis interpretationibus, [illegible]
Haec definitio ſeu potius ὑπογραφὴ conſtat ex genere & officio. Genus eſt: *Perpetua & conſtans voluntas.* Perpetua autem & conſtans voluntas, ſive vitae ratio, idem omnino quod virtus: id enim Cicero hiſce verbis declarat *libro* 1. *de Legibus cap.* 17. *Conſtans* (inquit) *& perpetua ratio vitae, quae eſt virtus, itemque inconſtantia, quod eſt vitium, ſua natura probatur.* Adhibe ſimile. Temperantia eſt perpetua & conſtans voluntas in cupiditatibus moderandis regendiſque animi motibus. Fortitudo eſt perpetua & conſtans voluntas in ſuperandis difficultatibus. Patientia eſt perpetua & conſtans voluntas in perferendis atque tolerandis periculis. Quum igitur perpetua & conſtans voluntas aliud non ſit quam virtus, quis non rideat bardos iſtos & ſtupidos Doctores, qui infarciunt multas paginas hoc loco de conſtantia divinae & humanae juſtitiae?

F I N I S.

IN.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

Cap. I. Locus nunquam antea intellectus libro ix. Epiſtolarum familiarium *Ciceronis* Epiſt. 2. *Pag.* 461

II. *Locus Ciceronis explicatus* libro v. Epiſt. 12. & lib. xv. Epiſt. 6. Familiarium, *de Hectore Naeviano.* 462

III. *Emendatus locus apud Suetonium Tranquillum*, in Auguſto cap. 45. ibid.

IV. *Explicatus locus Tertulliani de lautitia Ruffi inmenſis* 463

V. *Multos errare in illa loquendi formula:* Propius nihil factum eſt. ibid.

VI. *Locus reſtitutus apud Gellium*, capite ultimo libri ix. ibid.

VII. *Apud Eundem vocem unam perperam legi*, libro xvii. capite 11. 464

VIII. *Explicatus unus locus, & alter reſtitutus apud Tibullum.* ibid.

IX. *Locus apud Perſium* Sat. 1. v. 69. *aliter, quam vulgo, explicatus.* 465

X. *De quantitate verbi*, Contudit, & *accentu verborum*, Arguit & Calefacit. ibid.

XI. *Suſpecta quaedam apud Acronem.* 466.

XII. *Duo Senarii apud Porphyrium a nemine animadverſi.* ibid.

XIII. *Explicatus locus in* oratione pro Coelio cap. 5. *ubi haeret Interpres.* ibid.

XIV. *Locus reſtitutus apud Lucium Florum* cap. 18. lib. iii. 467

XV. *Unde natum ſit proverbium:* Aliquid monſtri alere. 467

XVI. *Locus emendatus* in Andria *Terentii* Act. 2. ſc. 2. v. 14. ibid.

XVII. *Reſtitutus locus in* inſcriptione Eunuchi. 468

XVIII. *Reſtitutus locus apud Donatum.* ibid.

XIX. *Duo loci in* prologo Heautontimorumeni, *in quibus caecutiunt omnes Interpretes.* ibid.

XX. *De nomine* Heautontimorumeni, *& quo habitu Menedemus in ſcaenam prodierit.* 469

XXI. *Explicatus locus Ciceronis*, libro 1. de Legibus *de auſpicio Aquilae.* 470

XXII. *An adulterium natura turpe ſit.* 471

XXIII. *Qua ratione capti in bello non occidantur, ſed ſerventur.* 472

XXIV. *Emendatus locus in* l. Quum duobus 52. §. ſi in coëunda 2. ff. pro ſocio. *unde ſenſum vix elici poſſe dicebat Budaeus.* 473

XXV. *Reſtitutus locus in* l. idem Pomponius ſcribit ſi frumentum 5. §. ſed ſi plumbum 2. ff. de rei vendicatione, *qui hactenus non eſt intellectus.* 474

XXVI. *Reſtitutus locus in* l. Placet 2. C. de pedaneis judicibus. 475

XXVII. *Explicatus locus Ulpiani longe aliter, quam vulgo intelligatur in* l. qui vas 48. §. ſi ancilla 5. de furtis. 476

XXVIII. *Definitionem Juſtitiae perperam vulgo intelligi.* 478

F I N I S.

Digitized by Google

NICOLAI CATHARINI
OBSERVATIONUM
ET
CONJECTURARUM
L I B E R.

Digitized by Google

AEGIDIO MENAGIO
NICOLAUS CATHARINUS
S. P. D.

Conjecturas ad Te mitto non emendationes, Vir Illustris, *nec conjecturas tantum, ſed etiam obſervationes: utrumque data opera & conſulto conſilio. Emendationum titulum rejeci, quo tamen uſi ſunt alii, & inter praecipuos praecipuus Cujacius, ut effugerem multorum accuſationem, qui librorum auctoritati longe plus tribuunt, quam Juris rationi. Simili modo Joſephus ille Scaliger, quem nemo deſiderabit, dum vives, ſuas in Varronem Caſtigationes, conjectanea inſcripſit, deceptus tamen Gellii loco, ubi non conjectanea, ſed, ut veteres & loquebantur & ſcribebant, conlectanea legendum eſſe, docuerunt me libri cirographarii. Ad conjecturas autem obſervationes adjeci, quia conjecturae ſine obſervationibus plerumque ſteriles & ſiccae videntur. Conjecturae enim non tam rebus alligantur, quam verbis. Verba autem ſine rebus, quid aliud ſunt quam verba & logi, id eſt, res inanes atque inanimes. Conjecturae porro, quas edo, veluti fructus, in naturales & induſtriales dividi poſſunt. Naturales conjecturas voco, quae ſub manu ſcribentis natae ſunt. Induſtriales vero, quas erui ope librorum manu exaratorum, vel auctoritate Graecorum Juris auctorum, imprimis eorum, qui Baſilica conſarcinarunt. Omnia autem qualia qualia ſunt Tibi conſecro dedicoque. Nemo eſt enim, cui plura vel meliora debeam, quam Tibi. Nam ex aſſidua operum tuorum lectione, & tuo, quo me ſaepe dignatus es colloquio, tantos fructus percepi, ut pleraque omnia, quae ſcio, vel a Te, vel ex tuis ſcriptis didicerim. Itaque non tam mea Tibi mitto, quam tua Tibi reddo. Sic rivuli redeunt ad fontes; amnes abeunt ad mare. Vale.* Avarici Biturigum. Idibus Junii. M. DC. LX.

JO.

Digitized by Google

CONJECTURARUM
LIBER.

I. *Ad l. 206. D. de verb. ſignif.*

Quaerit Julianus, an dolia, ſeriae & amphorae ſint vaſa vinaria, & ait, quamdiu vinum habent, vaſa vinaria eſſe; cum ſine vino eſſe incipiunt, vaſa vinaria non eſſe; *quia aliud in his addi poſſit.* Quidam codices legunt *abdi*; alii *condi:* ſed legendum *addi.* Arida & liquida in vaſa & menſuras addi dicuntur, Varro *Octogeſi* περὶ νομισμάτων: *In quo nobilius eſt Philippeum, quod accipimus, quam quod bibimus; cum alterum addamus in bulgam, alterum in veſicam.* Idem *lib. IV. de lingua Latina: Itaque cum in dolium aut culeum vinum addunt ruſtici, prima urna addita dicunt etiam nunc multa.* Feſtus in voce *Muries: Aquam jugem vel quamlibet, praeterquam quae per fiſtulas venit, addent:* Martialis *lib. 3. epigr. 35. Adde aquam, natabunt.* Cicero *lib. II. de Oratore cap. 66. In ventrem abſtuliſſe.* Camerarius emendat *abſtruſiſſe*, legendum *addidiſſe.*

II. *Ad l. 25. D. pro ſocio.*

Paulus quaerit, in *l. 25. D. pro ſocio.* an ea, quae ſocii negligentia perierunt, ad ejus periculum pertineant, ſi in pleriſque aliis ſocietati profuiſſet, & reſpondet non minus ob eam rem pertinere, & ita Imperatorem ex appellatione pronunciaſſe. In Pauli verbis mendum ſubeſſe qui negant, eos probe pertinaces eſſe oportet. Id enim vel ex varietate librorum, qui aliter atque aliter habent, manifeſtum eſt. Accurſiani legunt: *Quod in pleriſque aliis induſtria ejus ſocietas aucta fuiſſet.* Florentini legunt: *Quod in pleriſque aliis induſtria ejus ſocietas fuiſſet.* Florentinam lectionem mendoſam eſſe fateor, ſed facile hoc modo emendari poſſe ajo, ſi legatur *ſocietati profuiſſet*, quomodo Graeci legiſſe videntur, ut ex Baſilicis apparet, quae hunc locum ita convertunt: καὶ ἐν πολλοῖς ἑτέροις ὠφέλησεν. Obiter notari velim, periculum a pereundo dictum eſſe, & Paulum, qui utrumque jungit, ad etymon alludere videri.

III. *Ad l. 177. D. de regulis juris.*

In omnibus libris varie legitur *l. 177. D. de regul. jur.* in quibuſdam ita: *Nemo videtur dolo exequi, qui ignorat cauſam, cur non debeat petere.* In aliis ſic: *Nemo videtur dolo facere.* In pleriſque hoc modo: *Nemo videtur in dolo eſſe.* Haec lectionum incertitudo certi erroris judicium eſt. Quovis pignore contendo, legis auctorem ſcripſiſſe: *Non videtur dolo petiſſe qui ignorat cauſam, cur non debeat petere.* Baſilica, ὁ δοκεῖ κατὰ δόλον ἀπαιτεῖν, Baſilicorum ſcholia, ſi quod mihi debebas exſolveris, & ego ſolutionis ignarus, a te petierim, &c.

IV. *Ad l. 8. C. de teſtamentis.*

Lex 8. *C. de teſtam.* mendoſa eſt in fine. Verba ſunt haec: *Teſtes enim hujuſmodi morbo oppreſſos eo tempore jungi atque ſociari remiſſum eſt.* Lex enim non loquitur de teſtibus, peſte correptis, ut ex verbis, quae antecedunt, manifeſtum eſt, ſed de teſtatore, peſte correpto. Itaque neque legendum *oppreſſos*, ut praedixi, neque *oppreſſis*, ut reponit Gothofredus, ſed *oppreſſo*; quia lex de uno teſtatore loquitur, non de pluribus. Graeci recte vertunt in ſingulari κεχωρισμένως ἐξ αὐτοῦ. Fuit etiam cum legerem: *Teſtes enim hujuſmodi morbi oppreſſos terrore jungi atque ſociari remiſſum eſt.* Senſus autem legis eſt: Jure Civili teſtes debent convenire numero ſeptem in conſpectum teſtatoris, ſed propter timorem contagionis non tenentur omnes convenire in conſpectum teſtatoris, ſed ſeorſum, quia remittitur neceſſitas praeſentiae, non etiam neceſſitas numeri. Sequitur enim in *eadem lege: non etiam conveniendi numeri eorum obſervatio ſublata eſt.* Quae verba Graeci aliter legiſſe mihi videntur. Vertunt enim, ut jam monui, κεχωρισμένως ἐξ αὐτοῦ. Legerunt igitur *ſeorſum* pro *eorum*, & ita medius fidius legendum eſt. Miror hoc & illud non vidiſſe ſummum Cujacium, qui ad eam legem ſcripſit *libro* XXVI. *cap.* 10. *Obſervationum.*

V. *Ad l. 14. D. pro ſocio.*

Societas ex juſta cauſa ſolvi poteſt. Tria exempla profert Ulpianus in *l. 14. D. pro ſocio.* Primum eſt, ſi conditio, qua erat contracta, non impletur. Alterum, ſi ſocius injurioſus eſt. Tertium, ſi ſocius damnoſus eſt. Quaero quid *damnoſus* hoc loco ſignificet. Non hoc certe, quod vulgus putat, ſed quod Scaliger notat ad haec Horatii verba *lib. 2. ſerm. ecl. 8. v. 34. Damnoſe bibimus*, in notis, quas olim vidimus Puteanorum fratrum Virorum illuſtrium beneficio. Damnoſus eſt, qui neque tempus neque finem expenſarum habet, *ſed bona ſua dilacerando, dilapidando & diſſipando profundit*, ut loquitur idem Ulp. in *l. 1. D. de curat. fur.* Graeci ἀπηζόμενον vertunt.

VI. *Ad l. 3. D. ad leg. Jul. maj.*

Hoc capite non conjecturam incertam, ſed certam emendationem dabo ad *l. 3. D. ad leg. Jul. majeſt. Lex Jul. majeſtatis praecipit eum, qui majeſtatem publicam laeſerit, teneri, qualis eſt ille, qui in bellis ceſſerit, aut arcem tenuerit, aut caſtra conceſſerit.* Hanc Marciani ſententiam a Triboniano homine Graeco, qui Latinae linguae vim minime callebat, interpolatam affirmare auſim & ab ipſo Marciano ſcriptum fuiſſe: *qualis eſt ille, qui in bellis ceſſerit, arce aut caſtris conceſſerit*; id eſt, abierit. Concedere enim ſignificat abire. Terentius *Hecyr. Act. 4. ſc. 1. v. 21. Hic video me invisam eſſe immerito, tempus eſt concedere.* Afranius: *Atque etiam incendio hoc procul conceſſero.* Caecilius: *Hinc dum abit, huc conceſſero.* Ut autem concedere ſignificat abire, ſic etiam ſuccedere ſignificat venire. Afranius: *Audite pueri, pauca vos ſuccedite.* Virgilius ſaepe utitur eo ſignificatu. Graeci autem interpretes non videntur legiſſe *arcem te-*

Digitized by Google

lorum, ſed communiter funguntur. Verba ſunt *l.* 63. *D. ad leg. Falcid.* quae mendo non carent. Quid enim eſt pretia fungi? Quis obſecro ſic loquitur? Halnander legit *finguntur*, & male; quia ſi pretia rerum finguntur, ergo non ſunt vera. Procul dubio ſcribendum *figuntur*, quod eſt, ſtatuuntur; & tota ſententia hoc modo concipienda: *Pretia non ex affectu ſingulorum, ſed ex utilitate rerum communiter figuntur.* Heraldus vir Doctiſſimus *lib.* 2. *animad.* legit *communi jure*, pro *communiter*. Nihil mutandum. *Communiter*, id eſt, vulgo, plerumque.

VIII. *Ad l. 23. D. de judiciis.*

LEve mendum eſt in *l.* 23. *D. de judic.* quae ait, *in judicium veniſſe non videri, id, quod poſt judicium acceptum accidiſſet.* Pandectae Florentini legunt *accediſſet*. Baſilica vertunt τὸ μετὰ προκατάρξιν συμβάν. *Accediſſet* rectum eſt pro *acceſſiſſet*, etiamſi Baſilica publicae communique lectioni conveniant. Varro *lib.* 1. *cap. ult. de re ruſtica: diſcedimus omnes.* Id eſt, diſceſſimus, ut exponit Scaliger ad eum locum. Idem Varro *lib.* III. *cap.* 2. *de re ruſtica: Nullam ſe acced.ſſe villam.* Cœlius ad Ciceronem: *Si extraordinarius nemo reus accediſſet.* Sic habent veteres libri Ciceronis, ut Cujacius notat ad oram Varronis, qui ex ejus Bibliotheca ad me pervenit. Plautus quoque ſaepe *accedimus* pro *acceſſimus* ponit; ſed verbi probi & antiqui ignorantia factum eſt, ut plerique librarii non *accedimus* excuderent, ſed *acceſſimus.*

IX. *Ad l. 19. D. de ſervit. praed. urban*

HUmor pro aqua accipitur a Paulo *l.* 19. *D. de ſervit. praed. urban. Si talis ſit uſus tepidarii, ut aſſiduum humorem habeat.* Et pro humiditate a Varrone *tumulo Menippi: Antiqui noſtri in domibus lateritiis paululum modo lapidibus ſuffundatis, ut humorem effugerent, habitabant.* Et *lib.* 1. *rerum humanarum: frigus calore, atque humore aritudinem miſcet.*

X. *Ad l. 20. D. quemad. ſervit. amitt.*

QUid eſt, quod ait Scaevola *l.* 20. *D. quemad ſervit. amitt.* uſu retineri ſervitutem, cum ipſe, cui debetur, utitur, aut mercenarius, aut hoſpes: *aut medicus, qui ad viſitandum dominum venit?* Si aegrum dominum vocat, ergo medicum pro ſervo accipit. Atqui Plinius medicum vitae neciſque imperatorem vocat *lib* 29. *cap.* 1. Quidam legunt *aut medicus, quive ad viſitandum dominum venit*: alii, *aut amicus, qui ad viſitandum dominum venit.* Sed nihil videtur mutandum. Sciendum eſt enim, pleroſque medicos veteres aut ſervos aut libertos fuiſſe. Itaque aegrotus dominus dicitur, quia medicus eſt ſervus; & rurſus medicus imperator dicitur, quia aegrotus, niſi medico pareat, periclitatur. Inde medicorum reſponſa notis & literis, ut fieri ſolet, conſignata, vernacule ordinationes ſive conſtitutiones vocamus; quod vocabulum imperatoris & regis proprium eſt. Salvianus praecepta appellat *lib.* 5. *de gubernat. Quaſi vero curare ullam infirmitatem praecepta poſſint, ſi eis non obedierit infirmus.*

XI. *Ad l. 3. §. 6. D. de teſtibus.*

NUmerus erat catalogus ſive breviculum, in quod nomina militum referebantur. Id genus verbi ſaepe corruptum eſt in libris noſtris, ut in *l.* 3. §. *ultimo D. de teſtib.* Verba ſunt haec: *Teſtes non te-* interpretatione, quae in Baſilicis habetur *e numero ſuo*: vertunt enim ἀπὸ τῆς ἰδίας τάξεως ἢ ἀριθμοῦ. Obiter notari velim, inter avocare & evocare aliquam intereſſe differentiam. Evocare enim eſt e loco vocare; avocare autem ab officio vocare. Alii evocantur e loco in locum; alii avocantur ab officio. Hi enim coguntur officium deſerere; illi locum, cum teſtimonii dicendi cauſa citantur.

XII. *Ad l. 17. §. 1. D. ſi ſervit. vind.*

C*Um Sejus eo loco ſilvam ſeviſſet, in quo labra, tenes, cucumellas poſitas habuiſſet.* Verba ſunt Alfeni *l.* 17. §. 1. *D. ſi ſervit. vind.* Hotomanus emendat *lenes*. Lenis eſt vaſis genus. Eodem verbo utitur Afranius Fratriis: *Labella, lenes.* Et Laberius Cophino: *Cum provincias diſpoliavit, columnas monolithas, labella, lenes.* Sed *tenes* retinendum exiſtimo. Tenus enim eſt vaſis genus a tenendo dictum, ut capedo a capiendo. Varro *tinas* dixit *libro* 1. *de vita Pop. Rom. antiquiſſimi in conviviis utres vini primo, poſtea tinas ponebant.* Et Feſtus *Tinia lib.* XVIII. *de verb. ſignif. Tinia vaſa vinaria.* Ubi forte ſcribendum & legendum: *Tinae vaſa vinaria.* Utramque porro vocem in vernacula lingua etiamnum retinemus. Tenem pro labro aquario, & tinam pro labro vinario accipimus.

XIII. *Ad l. 13. §. 4. D. locati.*

OCulus effodi dicitur *l.* 52. §. 1. *D. ad leg. Aquil.* & effundi *l.* 13. §. 4 *D. locati.* Poſterior locus ex priori emendari debet & in utroque legendum *effodi*. Simili modo *lumina effoſſa* dicuntur, *l.* 43. §. 1. *D. de contrah. empt.* & *lumen effoſſum* apud Virgilium *lib.* 3. *Aeneid. v.* 663.

Luminis effoſſi fluidum lavit inde cruorem.

XIV. *Ad l. 6. §. 1. in fin. D. de S. R. P.*

HIems in *l.* 6. *D. de ſervit. ruſt. praed.* non eſt id, quod vulgo putant. Neque enim pro hiberno tempore, ſed pro pluvio ac ventoſo accipienda. Hiems modo anni tempus, modo temporis habitum ſignificat. In ea autem lege, quam prae manibus habeo, non priori, ſed poſteriori ſenſu ponitur. Paulus quaerit, an talis ſervitus conſtitui poſſit, ut in tuo fundo tugurium mihi habere liceat, & reſpondet poſſe, ſcilicet ſi vel paſcui ſervitutem vel pecoris appellandi jus habeam, ut ſi hiems ingruerit, habeam quo me recipiam. Id eſt, ſi pluvia, ſi ventus, ſi procella, ſi tempeſtas, ſi grando, ſi tonitru, ſi vis major coeli ingruerit. Virgilius *lib.* 1. *Aeneidos v.* 126. *Vicit hiems.* Ibidem *v.* 129. *Emiſſamque hiemem ſenſit Neptunus.* Utroque loco non de hiberno tempore, ſed de tempeſtate agit, qua Aeneas jactatus eſt.

XV. *Ad l. 3. C. ne uxor pro marito.*

AMicus quidam noſter legit in *l.* 3. *C. ne uxor pro marito.* Legit inquam, *quomodo patres ex perſona filiorum interpellari non poſſunt*, pro eo, quod vulgo habetur, *quomodo matres.* Cui quod aſſentiri non poſſim, id cauſae eſt, quia titulus ita conceptus eſt: *ne uxor pro marito, vel maritus pro uxore, vel mater pro filio conveniatur.* Ejus conjecturae non favet legis inſcriptio, quia mendoſa eſt. In ea enim non legendum *Carpophoro*, ut quidam codices habent, ſed *Carpophorae*, ut alii habent. Sic prima lex ejuſdem titu-

Digitized by Google

tio. Reſpondet Julianus diſſolvi, *l.* 11. §. 10. *de donat. inter vir. & uxor.* Verba autem, quibus hoc reſpondet, mendoſa videntur, quia aliter atque aliter legunt. Florentiae ſic habent: *Julianus ſcripſit inſi mari donationem nec impendere.* In aliis libris, *nec inpendenti eſſe* Ruſſardus emendat *nec an pendere*, quod eſt nec eam pendere, ut ſit archaïſmus. Veteres enim *an* vel potius *am* pro *eam* dixerunt. Mihi legendum videtur, *& minime pendere*; vel ut paulo ante loquitur Ulpianus, auctor legis, *nec in pendenti haberi*, vel etiam *nec in pendenti haerere.*

XVII. *Ad l.* 12. *C. de poenis.*

V*Anae voces populi non ſunt audiendae, nec eorum vocibus credi oportet, quando aut noxium crimine abſolvi, aut innocentem condemnari deſiderant*, *l.* 12. *C. de poen.* Utriuſque rei exemplum illuſtre ſupereſt in Chriſto & Barraba, quod Baſilica non omiſerunt. Chriſtus erat innocens, Barrabas noxius. Chriſtus tamen condemnatus eſt & Barrabas abſolutus a Pilato, qui vanas populi voces, non vera uxoris ſomnia audivit. Anonymus itaque Scholiaſtes in Baſilicis, ſive Theodorus, ut exiſtimo, juſte ac vere exclamat: Vae tibi Pilate, qui cum eſſes civis Romanus, jus, in quo verſabaris, ignorabas, ideoque Barrabam abſolviſti, & Chriſtum in crucem egiſti! Non abſimilis eſt querela Varronis *in ſatyra*, cui titulus περὶ ἐξαγωγῆς: *Nos barbari, quod innocentes in gabalum ſuffigimus homines, vos non barbari, quod noxios abſolvitis.* Illud autem ſcholium a Theodoro ſcriptum eſſe puto, quia ejuſdem auctoris ſimile extat paulo infra de Sanctis Theodoro & Theophane, qui in fronte, non in ſuris vel pedibus inſcripti ſunt a Tyranno.

XVIII. *Ad l.* 1. §. 3. *D. de impenſ.*

N*Eceſſariae impenſae ſunt, quae habent in ſe impendendi neceſſitatem, veluti ſi vir *aedificium ruens*, *quod habere mulieri utile erat*, *refecerit*, *l.* 1. §. 3. *D. de impenſis.* Additur ibidem: *Aut ſi oliveta rejecta reſtauraverit.* Ita Florentini libri. Alii legunt, *dejecta & defecta.* Forte reſtituendum hoc loco verbum antiquum & vetus, & reſcribendum *oliveta ſenecta.* Id eſt, ſenectute obſita & confecta: adjectivum eſt, ut ita dicam, ſenectum, a quo ſenecta pro ſenectus dicta eſt. Senecta enim cum dicitur, ſubaudiri debet aetas, ut ſit ſenecta aetas. Sic pluvia pro aqua pluvia, torrens pro amnis torrens, foſſa pro humus foſſa & ſimilia dicuntur: de quibus olim fuſius agam in libris, quos ſcripſi de lingua Latina.

XIX. *Ad l.* 12. *C. de poenis.*

COnjecturam hoc capite, non emendationem dabo. Scriptum eſt in *l.* 12. *C. de poen.* vanas populi voces non eſſe audiendas, nec eorum vocibus credi oportere, cum noxium abſolvi, aut innocentem damnari deſiderant. Certe exiſtimarem, ſcriptum olim fuiſſe *nec eorum pollicibus credi oportere*: niſi me Baſilica & Baſilicorum ſcholia revocarent, in quibus perſpicue vulgaris lectio confirmatur. Nam paulo humaniores ſciunt, veteres Romanos in ſpectaculis pollice abſolvere vel damnare ſolitos eſſe. Pollicem premebant, ut abſolverent; pollicem ver-

[illegible]
Angelus *in Miſcellaneis* & Turnebus *in Adverſariis.*

XX. *Ad l.* 33. *D. ſoluto matrimon.*

PEnſare eſt deliberare, & cogitare, unde noſtrum vernaculum *penſer.* Qui enim cogitat, expendit & ponderat ſecum omnia & ſingula. Id verbum ſupereſt in *l.* 33. *D. ſoluto matrim.* cujus ea eſt quaeſtio. Mulier marito certam pecuniam in dotem promiſit. Illa quoſdam adhibuit, qui matrimonio ſoluto partem dotis ſibi ſolvi ſtipularentur. Obiit mulier dote inſoluta, & marito herede relicto. Is damnoſam hereditatem cum adiret, quaeſitum eſt, an ſtipulatoribus teneretur. Reſpondet Africanus teneri, & hanc rationem his verbis reddit: *Quoniam adeundo hereditatem debitricis intelligeretur ſecum penſaſſe.* Accurſius legit, *ſe compenſaſſe.* Sed nihil mutandum. Penſare enim eſt hoc loco, quod modo dixi, cogitare, deliberare, &, ut loquebantur veteres, cernere. Vel eſt etiam compenſare, ſimplex pro compoſito, ut ſpexit apud Ennium pro aſpexit. Sic in *l.* 18. *D. de pignerat. act. Exactam pecuniam tecum penſabis.* & in *l.* 13. §. *cum pignori* 2. *D. de pignor. creditorem ſecum penſaturum.* Inde penſatio pro compenſatione ſaepe in libris & auctoribus noſtris. Poſterior haec expoſitio priore potior mihi videtur.

XXI. *Ad l.* 32. *D. de pignor. & hypothec.*

D*Ebitor pactus eſt, ut quaecumque in praedia pignori data, inducta, invecta, importata, ibi nata, paratave eſſent, pignori eſſent.* Initium eſt *l.* 32. *D. de pignor. & hypothec.* Quidam legunt *ibi nata partave.* Malim *ibi nata ſatave.* In praediis enim & fundis alia naſcuntur, alia ſeruntur. Haec curam & culturam exigunt; illa non item. Inde fructuum partitio in naturales & induſtriales. Naturales ſponte naſcuntur: natura enim a naſcendo dicta eſt. Induſtriales non ſponte naſcuntur, ſed arte quodammodo fiunt, Virgilius *Georgicor. lib.* 2. *v.* 9.

Principio arboribus varia eſt natura creandis.
Namque aliae nullis hominum cogentibus, ipſae
Sponte ſua veniunt. —— ——

Item *v.* 14.

Pars autem poſito ſurgunt de ſemine. ——

Idem *v.* 500.

Quos rami fructus; quos ipſa volentia rura
Sponte tulere ſua. —— ——

Ut fructus, ita & arbores ſunt naturales vel induſtriales; de quibus fuſius in notis Nomicis ad Virgilium, Juris non inconſultum.

XXII. *Ad l.* 24. §. 5. *D. ſoluto matrimon.*

DOminorum in ſervos proprios vel alienos ſaevitia prohibita eſt, & magis in alienos, quam in proprios. Saevitia enim in proprios ſervos culpanda eſt, in alienos coërcenda, *l.* 24. §. *ſi maritus* 5. *D. ſoluto matrim.* Quid de dotalibus ſervis dicendum? Hi enim mariti non ſunt proprii, alieni tamen non videntur. Reſpondet Ulpianus, auctor *legis*, maritum eo nomine teneri & conveniri poſſe, & addit: *Si vero & in ſuos eſt natura talis, adhuc dicendum eſt immoderatam ejus ſaevitiam hoc judicio coërcendam.* Quidam legunt, *ſi vero & in ſuos eſt naturalis*, & naturalem pro benigno & clemente accipiunt.

XXIII. *Ad l. 17. §. 12. D. de aedilit. Ed.*

SUſpecta ſunt mihi haec verba *l. 17. §. 12. D. de Aedilit. edicto: Apud Labeonem & Coelium quaeritur, ſi quis in aſylum confugerit, aut eo ſe conferat, quo ſolent qui ſe venales poſtulant.* Quidam legunt *qui ſe venales proſtituunt.* Exiſtimo primitus ſcriptum fuiſſe vel ab Ulpiano, *legis* auctore, vel a Labeone & Coelio, quos laudat Ulpianus: *Si quis in aſylum confugerit, aut eo ſe conferat, quo ſolent venire, qui venales proſtant.* Vel etiam: *Si quis in venalitium confugerit, quo ſolent venire qui proſtant.* Vel ſi mavis: *ſi quis in venalitium confugerit, id eſt, eo ſe conferat, quo ſolent venire & eſſe qui venales proſtant.* Venalitium eſt forum, ubi veneunt ſervi. Unde & venalitiarii dicti ſunt mangones, id eſt, qui ſervos & mancipia vendunt. Servi enim, qui proſtant proprie & ſine alio additamento venales vocantur. Inde titulus Varronianae ſatyrae, *Sardi venales*, & apud Plinium, *mango venalium.* Venalitii autem meminit *l. ult. D. eod.*

XXIV. *Ad l. 1. C. Theod. de paganis.*

VIdeamus an recta ſit doctiſſimi viri Jacobi Gothofredi conjectura ad *l. 1. C. Theod. de pagan.* Conſtantinus praecipit, ut ſi quid fulguritum fuerit, ab haruſpicibus quid portendat requiratur, *& diligentiſſime ſcriptura collecta* ad ſuam ſcientiam referatur. Gothofredus reponit *ſtrictura*: & ſtricturam accipit pro reliquiis fulminis, quas Pontifices terrae cum ſacrificio condebant. Sed aliam eſſe Imperatoris mentem exiſtimo. Imperator enim non de ſtrictura fulminis, ſed de ſcriptura haruſpicum loquitur, quam paulo poſt interpretationem vocat his verbis: *atque interpretationem, quae de tactu amphitheatri ſcripta eſt, ad nos ſcias eſſe perlatam.* Nam in more poſitum erat, ut quid fulmine tactum eſſet, id ſtatim haruſpicibus denunciaretur. Haruſpices autem quid fulmen portenderet interpretarentur, & ſcripturae commendarent. Scriptura vero a Praeſide Provinciae, vel alio magiſtratu principi mitteretur.

XXV. *Ad l. 35. D. pro ſocio.*

SOcii mei heres ſocius meus non eſt; nemo enim poteſt ſocietatem ſic contrahere, ut ipſe heres ſocius ſit, *l. 35. D. pro ſocio.* In heredem tamen actio ſocii proponitur, ut bonam fidem praeſtet & defuncti culpam *l 36. D. eod.* Prima lex Ulpiani, ſecunda eſt Pauli, utraque ex libris ad Sabinum. Hanc mendoſam eſſe ajo. Sic habet *& acti etiam culpam quam is praeſtaret, in cujus locum ſucceſſit, licet ſocius non ſit.* Legendum eſt procul dubio, ut in Baſilicis habetur, *Defuncti etiam culpam.* Senſus pendet, ſed ex priori lege ſubaudiendum eſt praeſtet. Baſilica vertunt, ἢ ὅτι τῷ πταίσματι τοῦ διαδεξαμένου.

XXVI. *Ad l. 177. D. de verb. ſignif.*

LEx 177. *D. de verb. ſignif.* ſic habet: *Natura cavillationis, quam Graeci σωρίτην appellaverunt, haec eſt.* Sic lege non σκῶμμα, non σόφισμα, non διαβολὴν, non κεντρίον, ut alii. Horatius acervum vocat, more Graecorum. Sequitur: *ut ab evidenter veris per breviſſimas mutationes.* Lege *argumentationes.* Hoc verbum corruperant librarii: *Disputatio ad ea, quae evidenter falſa ſunt, perducatur.* Malim legere: *disputando ad ea, quae evidenter falſa ſunt, perducat.* Itaque tota lex ita concipienda: *Natura cavillationis,*

Ↄ onus everterit, ceſſat actio de pauperie, ut ſcribit Ulpianus in *l. 1. §. 4. D. ſi quadrup. Loci iniquitatem.* Baſilica interpretantur, τὴν ϑέσιν τοῦ τόπου, & Baſilicorum ſcholiaſtae, τὸ στενὸν τοῦ τόπου. Utraque explicatio non placet: prima quia nimis laxa eſt; ſecunda, quia minus vera. Locus enim iniquus ab anguſto differt. Locus anguſtus dicitur, qui minime ſpatioſus eſt, & locus iniquus, qui minime aequalis & planus, ſed partim humilis, partim editus. Virgilius tamen, ne quid diſſimulem, iniquum pro anguſto accepiſſe videtur, ſemel *lib.* IV. *Georg. v.* 147. *Spatiis diſcluſus iniquis.* & iterum *lib.* V. *Aeneid. v.* 203. *Spatioque ſubit Sergeſtus iniquo.* Itaque tolerari poteſt poſterior, quam modo rejiciebam, Graecorum interpretatio.

XXVIII. *Ad l. 144. D. de verb. ſignif.*

QUaedam nomina, etiamſi minime honeſta ſint, aliis tamen honeſtiora dicuntur, ut amica & concubina, furtum & res amotae. Uxor enim non furtum facere, ſed res amovere dicitur, propter honorem matrimonii: ſimili modo amicae nomen honeſtius eſt, quam concubinae. Itaque non legendum in *l. 144. D. de verb. ſignif. Quam nunc vero nomine amicam, paulo honeſtiore concubinam appellari, Granius ſcribit.* Sed potius emendandum: *Quam nunc vero nomine concubinam, paulo honeſtiore amicam appellari, Granius ſcribit.* Nam neque amica verum eſt pellicis nomen, neque concubina honeſtum; ſed amica honeſtum & concubina verum. Itaque titulis Pandectarum inſcriptus eſt vero nomine DE CONCUBINIS, non honeſto ſeu potius ſimulato DE AMICIS. Illud enim juris eſt; hoc vero artis Poëticae: ut ex Ovidio & amorum triumviris liquet.

XXIX. *Ad l. 197. D. de regul. jur.*

LEctionis varietas erroris argumentum eſt, velut in *l. 197. D. de reg. jur.* quae ſic habet: *Semper in conjunctionibus non ſolum quid liceat, conſiderandum eſt, ſed quid honeſtum ſit.* Alii codices legunt *conventionibus.* Legendum procul dubio *mentionibus* vel *conditionibus.* Utrumque verbum nuptiale eſt. Lex autem ad ritus nuptiales pertinet: deſumpta eſt enim, ut ex epigrapha liquidum eſt, ex Modeſtini libro ſingulari de ritu nuptiarum. Niſi forte Tribonianus ipſe conjunctionem pro conditione poſuit, ut furcam pro cruce, & ſimilia paſſim in Pandectis; de quibus in Tribonianiſmis, quos congeſſi, & edam.

XXX. *Ad l. 183. D. de verb. ſignif.*

TAberna a tabulis dicta. Hoc ait Ulpianus *l. 183. de verbor. ſignif.* ſed ejus verba adeo corrupta ſunt, ut aliud velle videatur: *Tabernae*, inquit, *appellatio declarat omne utile ad habitandum aedificium, non ex eo quod tabulis cluditur.* Holoander legit, *nempe ex eo.* Legendum puto, *nominatum ex eo.* Error conflatus eſt; ut plerique alii, ex compendio ſyllabarum. Scripſerant librarii *nom.* unde fecerunt *non.*

XXXI. *Ad l. 4. C. Theod. de pagan.*

HAec verba *l. 4. C. Theod. de pagan.* ſunt mendoſa: *& acceſſu vetitis omnibus licentiam delinquendi perditis denegari.* Rectius legitur in Cod. Juſtin. *& acceſſu vetito omnibus.* Quod tamen nondum plane mihi ſatisfacit. Exiſtimo primitus ſcriptum fuiſſe:

XXXII. *Ad l. 166. D. de verb. ſignif.*

Urbana familia a ruſtica non loco, ſed munere diſtinguitur. Poteſt enim aliquis diſpenſator non eſſe ſervorum urbanorum numero, velut is, qui ruſticarum rerum rationes diſpenſet, urbimque habitet. Non multum abeſt a villico inſularius, tamen urbanorum numero eſt. Videndum tamen eſt, ipſe dominus quo loco quemque habuerit, quod ex numero familiae & diariis apparebit. Verba ſunt *l. 166. D. de verb. ſignif.* uti a me emendata ſunt. Lego *munere diſtinguitur*, pro *genere diſtinguitur*; quia varia ſunt munera, ſive officia ſervorum, non varia genera, ſed unum tantum. Servius enim non recipit acceſſum vel deceſſum, ut libertas. Olim forte ſcriptum erat *menere* pro *munere*, unde fecerunt *genere*. Simili ratione ſcribebant veteres *merus* & *menia* pro murus & moenia ſive munia. Emendavi *urbimque habitet* pro *ibique habitet*. Senſus eſt: Qui rerum ruſticarum rationes diſpenſat, non eſt ſervorum urbanorum numero, etiamſi urbem habitet, quia ſervi non loco, ſed munere diſtinguuntur. Urbanus eſſet, ſi locus inſpiceretur; ſed ruſticus eſt, quia non locus, ſed munus inſpicitur. Emendavi etiam: *Non multum abeſt a villico inſularius, tamen urbanorum numero eſt*. Senſus eſt: Inſularius villico non eſt abſimilis, quia ut villicus praedia ruſtica cuſtodit, ita inſularius praedia urbana. Inſularius tamen eſt urbanus ſervus & villicus ruſticus, quia urbana familia a ruſtica non tantum munere, ſed etiam loco diſtinguitur. Emendavi quoque *& diariis apparebit*, id eſt, vel demenſo ſervorum vel rationibus domini. Diarium enim utrumque ſignificat & cibaria & libros. Diarium eſt dialis hiſtoria, vel dialis victus.

XXXIII. *Ad l. 101. §. 2. D. de verb. ſignif.*

Differentia eſt inter morbum & vitium. *Morbus eſt temporale corporis, vitium vero perpetuum corporis impedimentum, l. 101. §. 2. D. de verb. ſignif. Veluti ſi talum excuſſit; nam & luſcus utique vitioſus eſt.* Verba ſunt *ejuſdem legis*, quae mendo non carent. Malum eſt enim exemplum & pejor conſequentia. Si enim vera eſt ea differentia, qui talum excuſſit, non eſt vitioſus, quia impedimentum illud tolli poteſt. Deinde talo & oculo nihil commune. Hotomanus legebat, *ſi oculum excuſſit*, quem ideo Cujacius ſtultiſſimum vocavit. Ego nihil mutandum arbitror, ſed verba legis tantum trajicienda hoc modo: *Verum eſt morbum eſſe temporalem corporis imbecillitatem, veluti ſi talum excuſſit; vitium vero perpetuum corporis impedimentum: nam & luſcus utique vitioſus eſt.*

XXXIV. *Ad l. 1. D. de quaeſtion.*

Quaedam nec ſemper, nec nunquam facienda. Modus eſt in omnibus rebus, & rerum omnium optimus. Nec omnibus nec nulli credendum. Nec omnia, nec nulla admirari oportet. Nec munera omnia, nec nulla accipienda, *l. 6. D. de offic. Proconſ.* Quaeſtioni nec ſemper nec nunquam fides habenda, *l. 1. D. de quaeſtionib.* Levitatis eſt omnibus credere, pertinaciae nulli. Stultitiae eſt omnia admirari, invidiae nihil. Avaritiae eſt munera omnia accipere, inhumanitatis & incomitatis nulla. Peri-

D. de juriſd. quorum poſtremum mendoſum eſſe vidit Cujacius, & verum eſt. Legendum puto vel *in Praetorem*, quia paulo ante Praetoris meminit; vel potius *in judicem*, quia Baſilica vertunt in hunc modum: *εἰ δοξεῖ συναινεῖν ὁ κατὰ πλάνην συνιὼν παρὰ ἀναρμοδίῳ δικαςῇ.* Praetor autem alius erat urbanus; alius peregrinus. Si itaque urbanus pro peregrino, vel peregrinus pro urbano per errorem aditus fuerit, nulla eſt Juriſdictio; quia non conſentiunt qui errant, ut ex Juliano refert Ulpianus in *hac l. 15. D. de Juriſd.* & in *l. 2. D. de Judic.*

XXXVI. *Ad 57. D. de verb. ſignif.*

Falſum eſt quod ait Paulus: *cujuſlibet diſciplinae praeceptores magiſtros appellaria monendo vel monſtrando*, niſi erraverint librarii. Sed veriſimile eſt erraſſe librarios & Paulum ſcripſiſſe: *magiſtros appellari a magis monendo & monſtrando.* Paulo enim ante dixit Paulus: *magiſtros appellari, qui magis, quam caeteri diligentiam & ſolicitudinem debent.* Magiſter a magis dicitur, ut miniſter a minus. Magiſter eſt, qui magis poteſt; miniſter, qui minus. Fornerius emendat *a magiſtrando*, & putat, id verbum in monendo vel monſtrando degeneraſſe. Magiſter tamen a magiſtrando non dicitur, ſed magiſtrare a magiſtro, ut miniſtrare a miniſtro. Feſti locus, quem advocat, a Paulo Diacono interpolatus eſt.

XXXVII. *Ad l. 21. D. de judic.*

Ulpianus in *l. 21. D. de judic.* quaerit, an qui fatetur ſe debere, ſi modicum tempus ad ſolvendum petat & cavere paratus ſit, audiri debeat; & ait audiendum, quia non eſt magnum damnum in modico tempore. Verba autem, quibus id ſignificat, mendoſa eſſe videntur: *Si debitori meo velim actionem edere, probandum erit, ſi fateatur ſe debere paratumque dicat ſolvere audiendum eum.* Legendum eſſe non affirmo, ſed conjicio: *Si debitori meo velim actionem edere, prorogandum erit ſi fateatur ſe debere paratumque dicat ſolvere ad diem modicum.* Ratio enim, quae ſequitur, innuit, Ulpianum modici temporis mentionem jam feciſſe: *Neque enim magnum damnum eſt in mora modici temporis.* Modicum autem tempus Baſilica quatuor menſium eſſe ſtatuunt. Vertunt enim *τετράμηνον*.

XXXVIII. *Ad l. 7. D. de poenis.*

Calliſtratus haec tria jungit fuſtium admonitionem, flagellorum caſtigationem, vinculorum verberationem *l. 7. de poenis.* ſed malim legere *lororum* vel *nervorum verberationem.* Vincula enim comparata ſunt ad coërcendum & continendum, non ad caedendum & verberandum. Loris caeditur, *l.* 43. *§. 5. D. de Aedilit. ed.* Loris rumpitur, *l. 15. D. injur.* Auctor forte ſcripſerat *lurorum* pro lororum, ut *aduleſcens* & *epiſtula*, pro adoleſcens & epiſtola, unde librarius fecit vinculorum. Idem de vinculis, quod de carcere dixerim. Carcer jure civili non eſt ad poenam, ſed ad cuſtodiam, quamvis jure Canonico ſequius.

Digitized by Google

ex conjectura emendat, *ceſſantium*. Sed neuter rem acu tetigit. Trajicienda eſt virgula, quae ſenſum perturbat, & ita legendum: *ut officii admoneantur ceſſantes.* Nempe tutores vel curatores, qui ceſſant officium facere. Baſilica ad veram lectionem digitum intendunt, cum vertunt: καὶ οἱ ῥαθύμως διοικοῦντες ὑπομιμνήσκονται.

XL. *Ad l. 5. D. de manum. teſtam.*

Biblia eleganter ſcripturae vocantur. Scriptura proprie eſt teſtamentum. Inde ſcriptura & teſtamentum pro Biblus ἐν παρενθήκαις accipiuntur. Eo ſenſu dixit Pomponius, *l. 5. de manumiſſis teſtam.* in libertatibus leviſſimam ſcripturam ſpectandam eſſe; in fideicommiſſariis noviſſimam. In *ea lege* aliquid deeſſe mihi videtur. Abſit enim, ut libertates fideicommiſſariis libertatibus comparaverit. Placet itaque, quod quibusdam placere video, ut ita reſtituatur *ejus legis* initium: *In libertatibus directis leviſſima ſcriptura ſpectanda eſt.* Senſus eſt, ſemper favendum eſſe libertatibus & directis magis, quam fideicommiſſariis. Sed forte auctor legis libertates κατ' ἐξοχὴν appellat libertates directas, quia fideicommiſſariae non ſunt proprie libertates. Igitur liberum eſto hoc vel illo modo legere.

XLI. *Ad l. ult. C. de feriis.*

Imperatores Leo & Anthemius jubent in *l. ult. C. de feriis, dies feſtos nullis voluptatibus occupari*, id eſt, nullis ſpectaculis. Atqui enim ſpectacula voluptates appellabant. Hoc viderunt Graeci auctores, qui verterunt his diebus οὐ χρὴ θέαν ἐπιτελεῖσθαι. Voluptatem eo ſenſu accepit Varro *in ſatyris:*

Voſque in theatro qui voluptatem auribus
Hac aucupatum concurriſtis domo,
Adeſte & a me quae feram cognoſcite,
Domum ut feratis e theatro litteras.

XLII. *Ad l. 29. D. de probat.*

Filii probantur teſtibus vel inſtrumentis. Teſtibus maxime agnatis & cognatis. Inſtrumentis puta tabulis dotalibus, bonorum deſcriptionibus, rationibus, diariis vel etiam epiſtolis, *l. 29. D. de probat.* Epiſtolis, inquam: privatae enim teſtationes, modo de earum fide nonnihil conſtet, non ſunt rejiciendae. Porro verba *l. 29.* levi mendo inquinata ſunt: *Sed & epiſtolas, quae uxoribus miſſae allegarentur, ſi de fide earum conſtitit, nonnullam vicem inſtrumentorum obtinere decretum eſt.* Lege meo periculo: *ſi de fide earum conſtitit nonnihil, vicem inſtrumentorum &c.* Omnia ſunt elegantia & plana. Sufficit igitur, ut de fide epiſtolarum nonnihil conſtet, id eſt, ut aliquatenus conſtet quibus, a quibus, vel de quibus ſcriptae ſint.

XLIII. *Ad l. 2. D. de pactis.*

IN *l. 2. D. de pactis* aliquid deeſſe mihi videtur, quod ut facilius Lectori appareat, verba *ipſius legis* referre non gravabor: *Labeo ait convenire poſſe vel re, vel per epiſtolam, vel per nuntium inter abſentes.* Malim legere (primo quia id flagitat ſenſus; ſecundo, quia Baſilica idem ſuadent) *Labeo ait convenire poſſe vel re inter praeſentes, vel per epiſtolam vel per nuncium inter abſentes.* Abſentium enim mentio praeſentium etiam mentionem flagitat, & Baſilica in ejus capitis interpretatione praeſentium meminere

legumina dicta. Sic uva & olea legi dicuntur. *Legere* etiam verbum eſt nauticum, ora enim ſive litus legi dicitur. Scaevola *l. 27. §. 1. de inſtructo vel inſtrum. Quo citius per hiemem oram legeret.* Sic legendum, non quomodo Piſani Pandectae: *operam elegeret.* Virgilius *Aen. lib. 3. v. 292. Littoraque Epiri legimus.* Idem *Aen. lib. 2. v. 207. Pars caetera pontum Pone legit.* Idem *Georg. lib. 1. v. 372. Humida vela legit.* Idem *Aen. lib. 5. v. 209. Legunt in gurgite remos.* Hiems autem non eſt tempus, ſed tempeſtas ſive procella. Ea vox terrae & mari communis eſt, ut ſupra obſervavi.

XLV. *Ad l. 43. D. de uſuris.*

Titius centum debebat fiſco. Ea centum Maevius ſolvit. Quaerit Modeſtinus, an Maevius a Titio petere poſſit uſuras ejus temporis, quod ceſſit poſt ſolutionem, fiſco factam: & reſpondet diſtinguendo, ſi in ſtipulationem deductae ſunt, peti poſſe, ſi non deductae ſunt, peti non poſſe; quia, ut ajunt Graeci, privatus fiſci privilegio non gaudet. Fiſcus enim uſuras petere poteſt, etiamſi in ſtipulationem deductae non ſunt; privatus non poteſt, niſi in ſtipulationem deductae ſint. Haec eſt vera & germana ſpecies *l. 43. D. de uſur.* in qua negationem deeſſe contendo, Baſilicorum & Graecorum interpretum auctoritate fretus. Ea autem hoc loco addenda eſt: *uſuras, quae in ſtipulatum deductae non ſunt, petere poſſe.* Legendum audacter & incunctanter, *petere non poſſe.* Baſilica ſic vertunt: τόκους οὐκ ἀπαιτῶ σε, εἰ μὴ ἔτυχες ἐπερωτητικῶς. Cyrillus hanc *ejus legis* epitomam in haec verba concinnavit: ἐὰν χρέος ἐκχωρήσῃ μοι ὁ φίσκος οὐκ ἀπαιτῶ τόκους ἀνεπερωτήτους.

XLVI. *Ad l. 22. §. 6. D. mandati.*

SIc legitur Florentiae particula *l. 22. §. 6. D. mandati. Qui aedem ſacram ſpoliandam, hominem vulnerandum, occidendum, mandatum ſuſcipiat.* Ruſſardus emendat *mandata*; Gnoſius putat eſſe omiſſionem praepoſitionis *ad*, quaſi ſcriptum eſſet, *qui ad aedem ſacram.* Legendum forte *hominem vulnerandum, occidendum, mactandum ſuſcipiat*, ut *l. 9. D. ad leg. Pomp. de parricid.* Mactare eſt interficere, ut Graecis θύειν, unde forte noſtrum *tuer.* Mactare eſt plus, quam occidere; & occidere plus, quam vulnerare. Mactare enim eſt hominem quaſi victimam occidere, non gladio, ſed clava, aliove inſtrumento adſimili.

XLVII. *Ad l. 7. D. de ſerv. praed. urb.*

SI ſervitutem luminum mihi debeas, & ego feneſtras meas occluſas habuero, tu interim parietem aedificaveris, quaerit Cajus in *l. 6. D. de ſervit. praed. urb.* an jus meum amiſerim, & reſpondet, me amiſiſſe. Pomponius in *l. ſequenti* quaerit, an idem de arbore, quod de pariete dicendum ſit; & reſpondet, non idem dicendum eſſe propter rationem, quam ſubjicit: *quia non ita in ſuo ſtatu & loco maneret arbor, quemadmodum paries propter motum naturalem arboris.* Exiſtimarem, legendum eſſe *propter crementum naturale arboris*, niſi Baſilica communi lectioni convenirent. Vertunt enim οὐ γάρ ἐστιν, ὡς τοῖχος, ἀκίνητος. Arbor movetur afflante vento & reflante. Movetur etiam, id eſt, mutatur, cum adoleſcit, cum conſeneſcit, & moritur.

Ad

principalis eo-
dem loco, & reo ſive principali debitori contenditur. Secundus autem fidejuſſor ſive fidejuſſoris fidejuſſor vicarius dici poteſt, ut ſervus ſervi ſive ſubſervus.

XLIX. *Ad l. 1. §. 23. D. de quaeſt.*

I*Ta ſit, ut etiam varia modo fateantur, ut non tantum ſe, verum etiam alios comminentur.* Verba ſunt mendoſiſſima *l. 1. §. 23. D. de quaeſtion.* Quidam legunt *crimmentur.* Gnoſius emendat *commentiuntur* & ſubaudit *in.* Totum comma ſic reddo ac reſtituo: *Ita ſit, ut etiam varia modo fateantur non tantum in ſe, verum etiam in alios commentiantur.* Vel ſi mavis: *Ita ſit, ut etiam varia non tantum in ſe, verum etiam in alios commentiantur.* Vel etiam, *ita ſit, ut vera non tantum in ſe non fateantur; verum etiam*

latis confirmat. Tam enim in veteribus & novis editionibus, quam in τῷ κατὰ πόδας varie legitur. Sic habent veteres editiones: *Solam teſtationem prolatam nec aliis legitimis adminiculis cauſam approbatam nullius eſſe momenti certum eſt.* Novae editiones ſic habent: *Sola teſtatione prolatam nec aliis legitimis &c.* Sic habet τὸ κατὰ πόδας Thalelaei: μόνην ἑνὸς ἀνθρώπου μαρτυρίαν προσφερομένην καὶ μὴ ἄλλοις νομίμοις βοηθήμασι τῆς αἰτίας ἀποδεικνυμένης, μηδεμιᾶς εἶναι ῥοπῆς ὡμολογημένον ἐστί. Quae ultima lectio quin veriſſima ſit, non dubito. Itaque *d. l. 4* ſic deinceps legenda eſt: *Solam teſtationem prolatam nec aliis legitimis adminiculis cauſa approbata nullius eſſe momenti certum eſt.* Et ſola teſtatio, non quemadmodum putant de teſtimonio ſine jurejurando, vel ſine judicis praeſentia, vel ſine ejuſdem ſententia, vel ſine publicatione, vel ſine ratione, ſed de teſtimonio unius hominis accipienda eſt.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX LEGUM,

Quae in his Obſervationibus & Conjecturis illuſtrantur aut emendantur.

E Digeſtis.

L. 15. *de Juriſdictione.* Pag. 494
l. 2. *de Feriis.* 495
l. 2. *de Pactis.* ibid.
l. 21. *de Judiciis.* 494
l. 23. *eod.* 487
l. 7. *de Servitut. praedior. urban.* 496
l. 19. *eod.* 487
l. 6. §. 1. *in fin. de Servitut. praedior. ruſtic.* 488
l. 17. §. 1. *ſi Servit. vindic.* ibid.
l. 20. *Quemadm. ſervit. amitt.* 487
l. 1. §. 4. *ſi quadrup. paup. fec. dic.* 492
l. 22. §. 6. *Mandati.* 496
l. 14. *Pro ſocio.* 486
l. 25. *eod.* 485
l. 35. *eod.* 491
l. 13. §. 4 *Locati.* 488
l. 32. *de Pignorib. & hypothec.* 490
l. 17. §. 12. *de Aedilitio Edicto.* 491
l. 43. *de Uſuris.* 496
l. 29. *de Probationibus.* 495
l. 3. § 6. *de Teſtibus.* 487
l. 11. §. 10. *de Donation. inter vir. & uxor.* 489
l. 24. §. 5. *Soluto matrimonio.* 490
l. 33. *eod.* ibid.
l. 1. §. 3. *de Impenſis.* 489
l. 27. §. 1. *de Fidejuſſoribus.* 497
l. 27. §. 1. *de Inſtruct. vel inſtrum.* 496
l. 63. *ad leg. Falcidiam.* 487
l. 5. *de Manumiſſ. teſtam.* 495
l. 3. *ad leg Juliam. majeſt.* 486
l. 1. *de Quaeſtionibus.* 493
l. 1. §. 23. *eod.* 497
l. 7. *de Poenis.* 494
l. 57. *de Verbor. ſignificat.* 494
l. 101. §. 2. *eod.* 493
l. 144. *eod.* 492
l. 166. *eod.* 493
l. 177. *eod.* 491
l. 183. *eod.* 492
l. 206. *eod.* 485
l. 177. *de Regulis Juris.* ibid.
l. 197. *eod.* 492

E Codice.

l. ult. de Feriis. 495
l. 3. *Ne uxor pro marito &c.* 488
l. 4. *de Teſtibus.* 498
l. 8. *de Teſtamentis.* 485
l. 12. *de Poenis.* 489
l. ead. eod. ibid.

E Codice Theodoſ.

l. 1. *de Paganis.* 491
l. 4. *eod.* 492

J O:

Digitized by Google

JOHANNIS STEKII, JC^{ti}.

OBSERVATIONES ANTICRITICAE JURIS:

SEU,

VINDICATIONES LEGUM

A

CORRUPTELIS CRITICORUM

ET

NEOTERICORUM INTERPRETUM.

Digitized by Google

Curiae ſupremae Pariſienſis Senatoribus Regiis,

AFFINIBUS SUIS OBSERVANDIS,

in

Grati, & ad obſequia devoti Animi Teſtimonium,
Has Legum Vindicationes

CONSECRAT, IPSORUMQUE TUTELAE COMMITTIT

JOHANNES STEKIUS;

Author, JCtus, & Commiſſarius Generalis Illuſtris Reip. Bernenſis.

PRAEFATIO.

ETſi hodie, Viri Nobiliſſimi & Ampliſſimi, in majori laude videatur eſſe poſitum, quid moris ſit potius ſcire & reſpondere, quam quid in uſu & more eſſe debeat; eamque Juris partem nullatenus negligere mihi liceat, quam Pragmaticam vocamus: attamen illam, quae, quid obſervandum ſit, ea, quae docet, quid obſervetur, longe nobiliorem eſſe ſemper judicavi: ut ut haec majoris ſit compendii, & mercedis, ideoque mercenaria merito appellari poſſit. Quae cauſa eſt, quod poſt editum Syſtema feudale, Obſervationibus meis practicis has Anticriticas praetuli, & in lucem potius edere cogitavi; ut labores illos meos ordinarios & pragmaticos θεωρία iſta, veluti dulci ſolamine, ſublevarem. Et theoricis autem haec Anticritica ſelegi, in aliud tempus remiſſis libris meis methodicis & Hermineuticis, veluti Syſtemate Juriſprudentiae Publicae & Privatae; Paratitlis Typicis; Rationalibus in Codicem, & hujuſmodi aliis inchoatis opuſculis, quae adhuc mihi abſolvenda ſuperſunt: quod publica utilitas & neceſſitas hoc ſcribendi genus, prae caeteris a nobis poſtulet. Quis enim eſt ex hoc noſtro ordine, qui ſua Reſponſa & Conſilia legibus non confirmet; cum turpe ſit Jureconſulto ſine legibus loqui? At ſi leges ſunt depravatae; ſi de vera illarum lectione non conſtet; ſi Criticus aliquis novam lectionem ſubornet, ſenſumque novum, & receptae lectioni contrarium, tanquam foetum alienum ſupponat: quis poterit de Jure ſolidam ferre ſententiam? Unde non mirum, ſi res eo devenit, ut plures hodie Conſuetudinarios, quam Jureconſultos invenias; qui, quid in uſu ſit potius, quam quid in uſu eſſe debeat, judicant; qui a legibus recedunt, & ad coecam ſine ratione conſuetudinem confugiunt. Quamvis autem nobis ſaepe ſubeunda ſit haec alea, &, quod mutari non poteſt, patienter ferendum; tamen neque ſemper, neque longe a Juris textu & legitimo tramite recedendum. Veterem igitur Juriſprudentiam veneremur, colamus & excolamus; adverſus novatores & corruptores eam defendamus, pro illius conſtantia & veritate in arenam deſcendamus. Juris autem ſolidam baſin & veluti propugnaculum nobis ſuppeditat manuſcriptus Liber ille antiquus Pandectarum, Piſis primo inventus, poſtea Florentiam deportatus: cujus tanta debet eſſe authoritas, ut pro archetypo ſit habendus, ad quem in rebus dubiis recurrendum. Ille enim integritatem ſuam ſemper ſervavit; caeteri mendoſi ac manci fuerunt deprehenſi: Ille traditione Principum ad nos pervenit, & publica authoritate conſervatus; caeteri a librariis incertae fidei, & ab aliis privatis diſtracti facile corrumpi potuerunt: Ille fons eſt; alii ſunt rivuli: ut multis comprobat ſolertiſſimus Antonius Auguſtinus, qui, libris ſuis Emendationum, *Vulgarem ſuo tempore textum, ad illum, tanquam ad primum Exemplum, correxit. Et ſane etiam Bartoli tempore ad Piſanum illud Volumen prototypum, tanquam ad ſupremum Controverſiarum criticarum judicem fuit provocatum. Cum enim inter Bartolum & Peruſinum Baldum de re graviſſima lis eſſet mota, & de cujusdam capitis ſcriptura dubitaretur, Piſas ad illum Archetypum Pandectarum fuit miſſum, & Piſanis illis Digeſtis obtemperatum. Laelius Taurellus. JCtus doctiſſ. & politiſſimus, Antonii Auguſtini ὁμόχρονος, in ſua praefatione Commentarioli ad* l. Gallus 29. D. de lib. & poſth. *de hoc Exemplari eximium perhibet teſtimonium; quando ait:* Ex eo ſolo exemplari Florentino, omnes omnino, quibus legum ſtudioſi utuntur, libros dimanaſſe. *Ego vero, in Vindicationibus iſtis, non ea ſolum authoritate nitor, ſed & rationibus, ex ipſis legum viſceribus depromptis; Legum, inquam, harmonia, ſerie & contextu: quod alterum noſtrarum Vindicationum & legalis ſcientiae fulcrum appellari debet; ſine quo, prius illud eſſet tenue & exile, & hoc ſine illo ponderis levioris. Neque enim mihi probatur, quod Critici noſtri, Viri alioquin magni (qua in re nimium ſibi indulſerunt)*

ſo-

mutare ſe lectionem vulgarem monuit, quod in duobus vetuſtiſſimis libris, quos penes ſe haberet, ita legeretur. Sed illi, vel cum Florentina conſentiunt (atque ita illos admittimus) vel, ſi diſſentiunt, meliores illos non eſſe credimus: cum Viri doctiſſimi in ea ſint ſententia, Thuſcanos illos libros a Triboniano conſcriptos fuiſſe; ſaltem certum ſit, illud unicum Exemplum eſſe, ad quod omnes omnino, qui hodie extant, libri Digeſtorum, fuerint transſcripti. Addit quidem Cujacius, ſe duos illos libros ſuos magni facere; attamen plus rationi juris tribuere, quam ulli ſcripturae, cum ea nulla res facilius depravari poſſit, Obſerv. lib. 1. cap. 1. *Ego vero Juris rationi multum tribuo, ſed & Piſano Florentino Exemplari; maxime, ſi lectio illa cum textus ſerie, & aliis legibus conſentiat. Quid igitur de Sciolis illis dicemus, qui praeter ſuſpicionem vocis male pictae, vel conjectationem inverſae vel omiſſae vocis, nihil habent? Duo igitur in hoc ſcribendi genere conjungenda ſtatuo, Librorum fidem & Juris rationem, cui incluſam volo Textus ſeriem & Legum harmoniam, qua Juris ratio debet eſſe ſuffulta; quae etiam in ſingulis prope Capitibus conjunxi. Nullam enim legem ſine juris ratione vindicavi; & ubique Florentinam editionem tueor, ſi non aperte, ſaltem tacite: licet enim ſaepe de vetere lectione loquar, vel recepta & vulgari; nullam tamen aliam, quam Florentinam intelligo. Sic igitur praeſtiti, quod e re mihi videbatur publica, & quod potui, non quod volui, Opuſculo exiguo, ſed laboris pleno. Quamvis autem molis ſit exiguae (quod non una vice totum Opus emittere, per otium, licuerit; & quod Lectorem, parum hac aetate iſti ſcribendi generi aſſuetum, ſimul & ſemel obruere non debuerim) tamen haec pauca Capita, quae Prodromi loco praebui (ad praeguſtandum, non ad replendum) delicatulis, nauſea laborantibus, forſan appetitum poterunt excitare. Quod ſi gratus ſit hic cibus, continuo, quod ſupereſt, praelo committi poterit. Sane, Lectoris ſola benevolentia ad reliqua me poterit invitare, imo accendere; inprimis Veſtri favoris Sol, Viri Nobiliſſimi & Ampliſſimi, quorum praeſidio & tutamini hunc tenellum ingenii foetum committere non dubitavi. Videor autem mihi audire innumera tum amicorum, tum malevolorum judicia, prout cujuſque libri ſua ſunt fata. Illos quod attinet: non conſultum putabunt, hoc ſcribendi genere, tam odioſo, tantaeque invidiae pleno, ſe oneraſſe; & tot crabrones, quod dicitur in proverbio, irritaſſe, nimis eſſe moleſtum. Ipſis tamen notum eſſe poteſt & debet, a me neminem laceſſitum, qui prior ipſe ſtilum non ſtrinxerit; vel adverſus Thuſcanam Bibliothecam, vel doctiſſimos Jureconſultos, qui eam defenderunt, quique contra illorum authoritatem, & ipſam rationem Juriſque principia non inſurrexerit. Cogitare etiam debent, quod cum publico bono ſcribam, & ſtudio de literis bene merendi, nec invidiam, neque odium curare me debere. Secum enim reputent, quam utile, imo quam neceſſarium ſit, judicandi, & civiles controverſias definiendi certam habere normam; Leges non dubias, non fluctuantes. Has ſi Criticorum expunctionibus & correctionibus relinquamus incertas, quis illorum judicium ſubeat? Quis hoc Themidis ſtudium dignum exiſtimet, cui in-poſterum ingenui ſe addicant? Quis non totam legalem diſciplinam condemnet, tanquam otioſorum hominum figmentum? Quis non tanquam naenias ac fabulas ex fori ſubſelliis eliminet? Expendant igitur amici noſtri, & aequa lance ponderent, majus ne ſit operae pretium huic licentiae Criticae frenum injicere, certos limites ponere, ac vanitati Criticorum larvam detrahere: an vero odium vel invidiam declinare! Sane, hunc meum conatum non laudaverit, niſi cui perſpectum eſſe poteſt, eo rem deveniſſe, ut nullius judicii habitus fuerit Jureconſultus, qui in legibus aliquid mutare neſciverit. Certum autem eſt, hunc unicum inclareſcendi atque ad eruditionis culmen aſcendendi gradum exiſtimatum fuiſſe, Cujaciano more leges tractare, quamvis infeliciore ſucceſſu; id eſt, affirmantem legem in negantem, & negantem in affirmantem tranſmutare. Memini a Viro docto me audiviſſe, poſthac nullum inclareſcendi locum eſſe in profeſſione juris; quod ſuperioris ſeculi Criticos ſummae laudis & exiſtimationis ſcalas poſt ſe traxiſſe putaverit: omnibus enim aliis inpoſterum credidit palmam eſſe praereptam, quod textus Juris ſua opinione corrigi amplius non poſſit. Quaſi in ſola Criſi nominis immortalitas & famae celebritas ſit poſita. Fuerunt haeredes inſtituti, ea lege gravati, ut Critici fierent. Quid igitur ipſorum erat officii? Non ſolum aliorum correctiones addiſcere; ſed & novas emendationes effingere, & leges refingere. Eſt & aliud genus amicorum: qui, cum nil ſcribant, quod in publicum prodeat, hoc ſemper in ore habent: Hodie nil ſcribi poſſe, quod non dictum & ſcriptum fuerit ante. Etſi autem agnoſcam, doctiſſimorum librorum tantam eſſe copiam, ut vix certo numero concludi poſſint; tamen ita fuiſſe ſcripta omnia, ut non vel meliori ordine, vel lucidius & accommodatius tractari poſſint, nemo mihi unquam perſuadebit. Sed, quamvis reliqua omnia ſint ſcriptitata, & in ipſo Critico dicendi genere nihil amplius ſuperſit, in hoc tamen Anticritico ſtadio, vel nemo, vel pauci comparuere. Di-*

propter ſingularem Veſtram humanitatem & benevolentiam, qua me [illegible] *excepiſtis, & in rebus meis forenſibus conſilio & auxilio mihi adfuiſtis. Accedit affinitatis & neceſſitudinis vinculum, quo ſocero meo, felicis memoriae, veſtro propatrueli,* D. D. Johanni Bauhino, *Conſiliario & Archiatro Wirtenbergico, eſtis conjuncti, quem, ut caeteros* Bauhinos *noſtrates, ſingulari affectu ſemper fuiſtis proſecuti. Aequum erat, hoc affinitatis & amicitiae ligamen excolere, & veluti renovare; ne locorum diſtantia intercideret, & abſentium memoria deleretur. Praeſtitiſſet hoc multo felicius Ampliſſimus & Conſultiſſimus* D. D. Johann. Jacobus Feſchius, *Reipublicae Baſilienſis Syndicus, & alterius propatruelis veſtri celeberrimi* D. D. Gaſpari, *Archiatri & Profeſſoris Medicinae primarii, nuper-defuncti gener, niſi infinita & Reipublicae, & Academiae negotia illum ab hoc officii genere diſtraherent. Sed quod ab utroque Bauhiniano genere fuerit neglectum, doctiſſimus Medicinae Candidatus,* Gaſparus, *Gaſpari filius unicus, quem non ita pridem Lutetiae vidiſtis, abunde compenſabit; de quo clariſſimus noſtrae aetatis Poëta canit:*

Dignus Avitarum virtutum filius haeres
Extendet meritae nobile laudis opus.

Accipite, Viri Nobiliſſ. Ampliſſ. & Conſultiſſimi, hoc levidenſe munuſculum ſerena fronte, & veſtra benevolentia, ejuſque Authorem complectimini. Deus Opt. Max. totam Bauhinianam familiam, & Vos in ea, ô Venerandi veſtri Senatus columina, ac Themidis decora, diu ſervet incolumes! ita ſovet

Veſtri obſervantiſſimus

Johannes Stekius, U. J. D.
Incl. Reipub. Bernenſis M. S. S. Generalis Commiſſ.

In commendationem
Elegantissimi Operis,
a Cl. V.
D. JOHANNE STEKIO, JC.
Editi.

I.

VErba nihil ſcire eſt legum, ſi ſenſus aberrat;
Haec eſt Juridici regula prima chori.
Tu verba, & legum ſenſum bene perſpicis; ergo
Juriſtas inter tu mihi primus eris.

Amico ſuo veteri poſuit
M. Ludovicus Lucius,
Baſileae Organi Ariſtotelici
Profeſſor.

II.

SUmmus Deorum Rex, & aequus arbiter,
Quam condidiſſet Urbis axes maximi,
Diſtare Divos cenſuit certis notis.
Hinc, Ipſe, fulmen horridum manu gerit;
Hinc, Mars coruſca caſſide obnubit caput;
Virgam, hinc, colubris implicat Cyllenius;
Hinc, quiſque ſigna fert ſibi dati offici.
Aſtraea (noſtris exulat quae finibus)
Mucrone nudo dexteram armat, at manum
Bilance laevam: hac ponderat legum vices,
Illa at, ſevere probra cuncta demetit.
O ter beatos, ſacra queis aenigmata
Juris patent! mortalitatis hi parum
Habent, Diis ſed proximi immortalibus,
Poſt fata, coeli poſſidebunt culmina.
Adſcripſit huicce caſta Te quoque ordini
Steki *Themis; quam vindicare laus tibi*
Eſt unica, id quod ore, ſcriptis, comprobas.
Nomen vetuſtas ſic teret nunquam tuum,
Virtus quod aſtris inſerit micantibus.

Obſervantis animi teſtimonium P.
Johannes Screta Schotnovins
a Zavorzitz, Praga-Boh. Med. D.

III.

ET Themis, & Pallas de digno anademate certat;
Utraque prima tuas vult redimiſſe comas.
Illa cauit ſanctos Legum in myſteria amores;
Haec Ariſtotelicae praedicat artis opes.
Scande alacris Pindum, & varii magnalia Juris
Explica, Hyanthaei buccina grata chori.
Iſta tui ingenii magmenta Jehova ſecundet,
Teque ſubinde ſua pro bonitate juvet!
Eja age fac quae te Charites facere uſque ſorores
Urgent, hiſce tibi eſt vita colenda modis.
Propoſiti archetypum celebri *Genathius* arte
Geſſit ſolemni diſtribuiſſe foro.
Gaudete Aſtraeae ſoboles dilecta, Heliconi
Hoc opere inſignis conciliatur honos.
Exoptata dies eum nos veneranda Geneva
Contubernales vellet habere ſuos.
Exoptata dies, cum noſtrae antiqua Nemauſus
In viridi audiret plectra Daphnoue Lyrae.
Et eum trans Gardi triplicem nos Utica pontem
Exciperet, Muſis Utica amica meis.
Quam mihi *Sanravl* gratum coluiſſe Penates,
Atque inter Charites vivere Monſpelii!
O utinam divina meas Hygiea Camenas
Aſpiciat, morbos impediatque novos!
Quinque per hos menſes miſere me exercuit aegrum
Gutta per articulos praecipitata meos.
Frigidus heu ſtomachus, calidum jecur, atque cerebrum
Debile, ſunt vitae carnificina meae!
Nunc mihi ſubducit vires, nunc reddit eaſdem:
Me *Deus* horriſono ſervat in Oceano.
Illius arbitrio ſto, ſurgo, cadoque, beatis
Donec tandem etiam me inſerat ordinibus.

Veteris amicitiae monumentum P.
Joan. Jac. Grasserus Baſil.
Sac. Pal. Com. Civ. Rom.
11. *Febr.* 1627.

JO-

CAPUT I.

Vindicatio l. 5. §. 1. ff. Ne quis eum, qui in jus vocabitur, vi eximat. *adverſus Anton. Fabrum, Sab. Praeſ.*

PAce manium tuarum, magne Faber, Juriſconſultorum noſtri temporis anteſignane; malo conſilio obliteraſti verba, *ab Actore*, in *d. l. 5. §. 1.* quae ita habet: *In eum, qui vi exemit, in factum judicium datur, quo non id continetur, quod in veritate eſt, ſed quanti ea res eſt ab Actore aeſtimata, de qua controverſia eſt.* Movit te quidem, ut has dictiones induceres, quod injuſtum ſit calumniatori aeſtimationem concedere, quanti ea res ſit. Ais enim: *Quomodo rem aeſtimaret, niſi per jusjurandum in litem? Atqui inauditum eſt, ut jusjurandum in litem detur calumniatori.* Sed enim conſiderare debebas, ſi tollantur hae voces, *Ab Actore*, verba legis minime cohaerere, non ſenſum conſtare, nec rationem legi innexam locum habere, atque ita penitius in legis ſententiam & rationem penetrare, non in cortice haerere. Inquiratur igitur in cauſam hujus legis, & veritas antiquae lectionis eluceſcet. Cur calumniatoris aeſtimationi res committitur? Quia vocatum in jus vi eximens hac poena afficitur, ut calumniatoris aeſtimationis habeatur ratio: & ſic judiciorum authoritas conſervatur. Hoc publici boni cauſſa (intereſt enim Reipublicae judicia non eludi) & in odium vi eximentium vocatos prudenter fuit introductum. Perpendantur verba legis: *Quo non id continetur, quod in veritate eſt.* Ergo, non mirum, ſi a calumniatore res aeſtimetur; nam ſi a judice, utique eſſet in veritate. Excute etiam haec verba legis: *Etiamſi calumniator quis ſit, tamen hanc poenam eum perſequi.* Poena non eſſet, ſi judicis arbitrio, quanti res eſſet, aeſtimaretur. Sed haec poena eſt, quod actoris aeſtimationi ſtare eum, qui vi exemit, oporteat. Neque opus eſt, ut aeſtimatio fiat per jusjurandum, ſiquidem non reſpiciatur illud, *Quod in veritate eſt.* Et ineptum eſſet jusjurandum deferre, ubi veritas non requiritur: & quis prohibeat, judicem ſuper ea aeſtimatione cognoſcere? Senſus igitur legis eſt: Non ad id, quod vere debetur actori ab exempto, condemnatur, qui exemit, ſed ad eam ſummam, quae ab actore, in libello petita, licet exemtus forte tantam non debuerit. Sibi enim imputet; quod, cum exemerit in jus vocatum, ſummam petitam ab actore, forſan debito majorem, ſolvere teneatur: dico, ſummam libello petitam, quae eſt aeſtimatio illa actoris, de qua lex loquitur. Haec mihi videtur ſana *hujus legis* interpretatio. Caeterum huic errori Fabriano, & criticae licentiae anſam praebuit falſa Accurſii, Bartoli, Baldi, Alexandri & Jaſonis expoſitio, quam amplecti hic voluit Faber: nam iſti omnes hanc aeſtimationem interpretantur de ea, quae fit jurejurando in litem, & non de ea, quae in libello fuit petita. Hanc gloſſam refellit Duarenus graviſſimis argumentis, quae non piget de verbo ad verbum adſcribere. *Fieri poteſt*, inquit Duarenus, interpretationem illorum recitans, *ut, qui eo judicio experitur, de reſtitutione rei non contendat, ſed pecuniam aut rem aliam ſibi tradi poſtulet. Verum ea interpretatio quam abſona ſit, & a puritate, elegantia & perſpicuitate Ulpiani verborum aliena, obſcurum non eſt. Quandoquidem non de re aeſtimanda, ſed quae jam aeſtimata eſt, aperte loquitur Ulpianus. Unde apparet, ea verba, ſalva ratione recti ſermonis, de jurejurando in litem accipi non poſſe. Verior eſt itaque Fulgoſii ſententia, qui ſenſit; poenam in jus vocatum eximentis hanc eſſe, ut ad id, quod revera debebatur actori, ab eo, qui exemtus eſt, non condemnetur, verum, conſiderata tantum actoris adverſus eum petitione, ſummam eum judicio in factum praeſtare cogatur, quae ab Actore in libello petita eſt, licet vocatus eum forte non debuerit. Hoc enim additum eſt, ut appareat, etiam calumniator quis ſit, tamen hanc poenam eum perſequi.* Quae Duareni verba, in quae forte-fortuna, poſt abſolutam hanc vindicationem, tamquam lucidiſſima face, tenebras, quibus Faber legem obſcuravit, diſcutiunt.

CAPUT II.

Vindicatio l. 5. ff. de pactis. *contra Jacobum Raevardum.*

NOn minori licentia, Jacobus Raevardus, ex *l. 5. ff. de Pactis.* eliminat vocem *Privata:* item, *Aut juris gentium*, nulla authoritate, nec ratione, magna ingenii confidentia. Textus tot ſeculis, authoritate publica comprobatus, ſic ſe habet: *Conventionum autem tres ſunt ſpecies; aut enim ex publica cauſa fiunt, aut ex privata; privata, aut legitima, aut juris gentium.* Raevardus *lib. 4. variar. cap. 1.* legit, *aut enim ex publica cauſa fiunt, aut ex privata, aut legitima.* Contendit, omnes omnino Conventiones juris gentium eſſe publicas: *Quo enim alias*, inquit, *jure hoſtis cum hoſte paciſcitur? &c.* Conſtituit igitur tres ſpecies Conventionum, *ex cauſa publica, privata, & legitima:* atque ita legitimas conventiones opponit privatis; contra juris principia. Quanto melius, ex vetere lectione, aſſeritur vera & certa conventionum diviſio: quod omnis conventio ſit vel ex cauſa publica, vel privata; & privata ſit ex cauſa vel legitima, id eſt, juris Civilis, vel juris gentium. Occurrit Raevardus, *Publica conventio eſt etiam juris gentium.* Quid tum poſtea? Omnis quidem publica Conventio eſt etiam juris gentium; ſed non omnis juris gentium Conventio eſt publica. Eſt enim juris gentium conventio etiam ex cauſa privata, quamvis publica authoritate comprobata: uti ſunt fere omnes, emptio, venditio, locatio, conductio, & caeteri ſimiles. Sed publica conventio, quae opponitur privatae, hic non eſt ex cauſa privata; verum ex publica: ut, ſi duo belli duces de pace paciſcantur. Vetus igitur lectio retinenda, aut in juris principia impingendum.

CAPUT III.

Vindicatio l. 27. ff. de Pactis. *ab expunctione Antonii Fabri.*

PAulus Juriſconſultus *d. l.* ait: *Si unus ex argentariis ſociis cum debitore pactus ſit, an etiam alteri noceat exceptio. Neratius, Atilicinus, Proculus, nec, ſi in rem pactus ſit, alteri nocere: tantum enim conſtitu-*

... in hac lege ſcripſit : Pactum unius ex ... gentariis ſociis, ſocio non nocere : hoc enim improbari a *l. ſi duo* 34. *de Recept. Arbit.* & a *l. ſi duo* 5. *ff. ſi quis cautioni.*. Vult igitur Antonius Faber, pactum unius Correi alteri non nocere, niſi ſint ſocii; & ſocii alterins pactum nocere alteri, ex *d. l. ſi duo* 34. At cum Argentarii vel Correi non ſint ſocii, verum eſſe illud: Pactum unius alteri nec prodeſſe, nec nocere, licet in rem conceptum ſit, imo quamvis una ſit obligatio, *l.* 3. §. 1. juncta *l.* 2. *ff. de duobus reis.* Ideoque videri poſſit, etiamſi non ſint ſocii, nocere tamen poſſe; quia tamen in propria cujusque perſona conſiſtat obligatio, non debere pactum unius nocere alteri: aliud eſſe, ſi ſocii ſint, quoniam hoc caſu commodum vel incommodum unius cum alio communicetur. Hactenus Faber, ex *d. l. ſi duo* 34. Huic ſententiae cum contradicat *noſtra lex* 27. ſi ſubſiſtat vox *Sociis*, tollendam conſulit potius, quam ἀντινομίαν *d. l. ſi duo* 34. ferendam. Quid igitur remedii, pro retinenda voce *Sociis?* Praeſentiſſimum eſt aliud conciliationis & ſanioris expoſitionis: nam, ſi bene utramque legem expendas, nulla erit pugna; etiamſi, *Sociis*, maneat: econtra ſi tollas, legis veritas ejusque authoritas ſuccumbet. Recipe itaque ſaluberrimum remedium ex *d. l.* 34. *ff. de Recept. Arbit.* & veram *noſtrae legis* ſententiam. Loquitur *lex* 34. non de quovis pacto, ſed de compromiſſo, quod ſi violetur, poena committitur; ita ut compromiſſum unius ſocii, hoc caſu, alteri noceat. Non igitur contradicit *lex noſtra* 27. nam unius ſocii pactum quodvis aliud non nocet ſocio. Speciale igitur hoc eſt, quod dicitur *d. l.* 34. non tam, quod compromiſſa, de quibus illa loquitur, redacta ſint inſtar judiciorum, *l. rem non novam* 14. *C. de judic.* quam propter poenam. *Videndum eſt*, inquit, *lex* 34. *ſi alius petat, vel ab alio petatur; poena committatur. Idem in duobus argentariis, quorum nomina ſimul eunt*, id eſt, ſimul facta ſunt, *l.* 9. *ff. de pactis.* ſeu debita ſimul creata: *& fortaſſe poterimus ita fidejuſſoribus conjungere, ſi Socii ſunt*; quae particula, *Fortaſſe*, potius eſt decidendi, quam dubitandi, ut alibi ſaepe. *Alias*, intellige, extra compromiſſum, & hanc poenam commiſſam, *nec a te petitur*, *nec ego peto*, *nec meo nomine petitur*, *licet a te petatur.* Haec *legum iſtarum* eſt ſententia & conciliatio, Accurſio, Alberico de Roſate, & Fulgoſio probata. Hic in *d. l. ſi duo rei* 34. *de Recept. Arbit.* ita ſcribit: *Reſpondebitis*, inquit Fulgoſius, *quod nullo modo Juriſconſultus ſibi contradicit: nam alter non compromittens non repellitur ibi a pactione per exceptionem, quin imo nec etiam ipſe compromittens exceptione repellitur, ſed tenetur tantum ad poenam*, *l.* 2. *de Arbitr. & tum dicitur in d. l. ſi duo* 34. *poena committitur, die contra compromittentem, non contra non compromittentem.* Hanc ſententiam ſecutus eſt Ronchegallus in *l. eandem* 9. §. *ſed ſi quis* 1. *num.* 29. *ff. de duobus reis. &* Ludovicus Charondas *lib.* 1. *veriſimilium cap.* 21. *concll.* 6. Teſſ. *deciſ.* 191. Atque ita reſtitutam habes *l.* 27. *ff. de Pact.* & a litura Fabriana vindicatam.

CAPUT IV.

Vindicatio l. 3. ff. de Minor. 25. annis. *in principio; & vera ejus docetur ſententia, adverſus Jacobum Raevardum.*

Jacobus Raevardus, vir alioquin acutus, *l.* 3. *ff. in princ. de Minor.* peſſime corrigit, & rationis *tempore Ulpiani Conſulibus jus dandi tutores non fuit.* Sit ita! Quid hoc ad rem? Lex non loquitur de tutore, ſed de adminiſtratione rerum, Minori 25. annis permittenda; ſive de remiſſa neceſſitate Curatoris, atque adeo de conceſſa venia aetatis, quae res ad Conſules ſpectabat. Ulpianus, inquam, de Curatore agit; Raevardus de Tutore. Imo ille ne quidem de Curatore dando; hic de dando Tutore interpretatur: ille de adminiſtratione ſine Curatore Minori commiſſa; hic de adminiſtratione Tutoris loquitur: atque ita ille de caepis interrogat; hic de alliis reſpondet. Ubi ingenii tui acumen, Raevarde; ubi judicii tui dexteritas? Non attendis, quid ſibi velint haec verba? *Decreta Ambitioſa interpretati ſunt.* At ex praecedentibus didiciſſe debuiſſes veram *hujus l.* 3. ſententiam, ſi expendiſſes verba: *Hodie*, inquit Ulpianus §. *fin. l.* 1. *in hanc usque aetatem adoleſcentes curatorum auxilio reguntur: nec ante rei ſuae adminiſtratio eis committi debebit, quamvis bene rem ſuam gerentibus.* Cohaeret *lex ſequens: Nec per liberos ſuos rem ſuam maturius a curatoribus recipiat. quod enim legibus cavetur, ut ſinguli anni per ſingulos liberos remittantur, ad honores pertinere, Divus Severus ait, non ad rem ſuam recipiendam.* Loquitur de lege Julia & Papia; quibus illi, qui quinque liberos anno vigeſimo, qui tres habebat vigeſimo ſecundo, ad honores admittebantur. Et quod hac leges de honoribus tantum permiſerunt, quidam ad rerum adminiſtrationem trahere voluerunt; quod *hac lege* prohibetur. Addit itaque *l.* 3. Decreta Conſulum vel Praeſidum ſuper hac re facta fuiſſe *Ambitioſa:* quia favebant honorum ambitui: nil vero de tutoris datione ſtatuitur. Fruſtra igitur ſtilum Criticum huic textui admovit Raevardus, male vocem *Conſulum* expunxit, & *Proconſulum* ſubſtituit.

CAPUT V.

Pinelli & P. Buſii correctio reprehenditur; & l. 15. §. ult. ff. de Uſufructu, *a depravata lectione & ſenſu vindicatur.*

ARius Pinellus, vir clariſſimus, ingenium exercere voluit circa *l. C. de bonis mater. n.* 74. & in componenda non exigua lite, ad Criſin, tanquam ad extremum remedium, confugit; non adeo inſulſe, ſi modo leges apertae, quas habuit adverſas, ferre potuiſſent. Miratur ibi Pinellus, qua ratione, quo jure, *ultimus ille* §. *l.* 15. *ff. de uſufruct.* introductus fuerit, quo ſtatuitur, quod *Proprietatis dominus ne quidem, conſentiente fructuario, ſervitutem imponere poſſit*, ideo, adjecta negativa particula, vult legendum: *Proprietatis dominus, non conſentiente quidem fructuario, ſervitutem imponere non poteſt*; id eſt: Proprietatis dominus, diſſentiente fructuario, ſervitutem fundo imponere nequit. Huic lectioni ſubſcribit P. Buſius vir doctiſſ. in *d. l.* 15. Rationes adfert uterque. Sed quid argutiis opus eſt, ſi textus reclamat? Dicendum: Si dura eſt, attamen lex eſt. Et ipſa legis Correctio eſt longe durior & intolerabilior; exemplum etiam hujus κρίσεως periculoſum. Quis tandem legibus fideret, ſi haec licentia admittenda? Omnis legum dignitas & exiſtimatio vacillaret. Sed examinemus hanc doctiſſimorum Virorum κρίσιν. Si negativa particula *non* apponenda circa finem, ſenſus erit inſipidus & obſcurus; phraſis inuſitata: niſi manus Critica admoveatur ad principium, & loco, *ne quidem*, legatur, *non qui-*

Digitized by Google

re poteſt, *l. 165. ff. de R. J.* Fructuario alienare non licet, *l. 6. ff. Comm. praed.* ergo nec conſentire, ut ſervitus imponatur: Fructuarii enim conſenſus vel diſſenſus in genere hic nil operatur, niſi quatenus ſua intereſt, ut poſtea dicetur. Ideo Clariſſ. Connanus, *lib. 4. comm. cap. 3. n. 3.* magnam lucem huic legi intulit: qui, non mutata lectione veteri, quis ſenſus ſit, & quae legis aequitas, ex *l. 16. ſeq.* docuit: *Niſi qua deterior fructuarii conditio non fiat.* Neque difficile eſt, hanc legem ita interpretari, cum ipſemet textus hanc interpretationem ſubjiciat, *d. l.* 16. in qua exemplum continetur. Non itaque video a ratione & aequitate, neque a legibus eſſe alienum, ſi cum hujus reſtrictionis moderamine dicta lex ſit intelligenda. Atque ita, citra omnem correctionem, antiqua lectio apertis & elegantibus verbis concepta ſubſiſtet. Conſentit etiam initium §. *ult. d. l. 15. Sed nec ſervitutem imponere fundo poteſt proprietarius.* Quod ſi is ſenſus eſſet, quem affinxit Pinellus, verbis in fine §. *ult.* ſequeretur, diſſentiente Fructuario, ſervitutem a Proprietario fundo imponi poſſe: quod *initio d. §. ult.* ex diametro repugnat. Huc facit *l. 17. in pr. h. t. Locum autem religioſum facere poteſt conſentiente uſufructuario, & hoc verum eſt favore religionis.* Qui caſus eſt ſpecialis, quo licet conſentiente Uſufructuario ſervitutem imponere, locum religioſum faciendo, & quidem religionis favore. Eſt haec exceptio a Regula ſuperiori, in §. *ult. d. l. 15.* ergo extra hunc caſum Regula generalis locum habere debet: namque Exceptio in caſibus non exceptis firmat Regulam. Monet quidem circa *d. l. 15.* in tranſitu legendum eſſe Anton. Auguſtin *lib. 2. cap. 1.* propter Graecam phraſin (animadvertit enim, ſi haec Pinelli correctio admittatur, Latinam phraſin non ſatis fore congruam, & ab elegantia Ulpiani alienam) ſed non opus eſt, confugere ad Graeciſmos, ſi lectio vetus ſit Latina, terſa & uſitata. Ant. Auguſtinus receptae lectionis inuſitatas apud Latinos phraſes excuſat, quod multa in *Digeſtis* graeco dicendi genere ſcripta reperiantur; ſed non excuſat Criticos, qui nulla authoritate veterem lectionem mutant, & vim legibus illatam, ex contextu juris convictam, verborum inelegantia, & horrida barbarie conſpurcatam, graecanicae locutionis colore & praetextu palliant. Quod ſi conſulendus eſt hic Anton. Auguſtinus, conſulatur *lib. 4. cap. 17.* ubi reprehendit eos, qui controverſias negativae particulae inſinuatione decidunt: *Maxima*, inquit, *culpa penes Accurſium reſidet, qui, quae non probat, negatione addita aut ablata, emendat.* Hunc imitantur circa hanc legem Pinellus & Buſius; quam bene, judicet Lector ex argumentis ſupra allatis. Noſtram, imo Connani, ſententiam Antonio Fabro non diſplicuiſſe, videbis in *Rationalib.* ſuper *h l. 15. §. 6.* in ratione decidendi: ad quam Lectorem remitto.

CAPUT VI.

Rejicitur Antonii Fabri correctio l. 1. pr. ff. Quib. modis uſusfr. amitt. *& vera legis ſententia aſſeritur.*

SUpervacaneam navavit operam A. Faber, in corrigenda *l. d. in princ. lib. 65. err. 2. de erroribus Pragm.* inſuper etiam, dum nimium curioſe legis ſenſum inquirit, rem totam intricat. Quid enim,

ber, non reperio; ut neceſſe ſit, criticam operi implorare. Fruſtra igitur, pro *Quoque*, ſubſtituit *Quomodocunque:* quaſi vero ex contractiore ſcriptura hoc mendum vocis, *Quoque* (quod ſuperinducta linea, ita ſcriptum fuerit, *quoque*; id eſt, *Quomodocunque*) in textum irrepſerit: cum tamen conſtans hactenus lectio hujus legis laudata fuerit, *Traditus quoque*, non, *Quomodocunque.* Neque praeſes noſter Ant. Faber ullius authoritate nititur; ſed, illum-ipſum audiamus diſſerentem: *Quaſi vero*, inquit, *non ipſe jure, ſed Praetoris tantum tuitione conſtituatur uſusfructus, qui per traditionem conſtituitur, &c.* Atque ita conatur ad abſurdum deducere; ſed fruſtra: nam, nemo ita concludit, Uſumfructum traditum eſſe ſolo Praetorio jure conſtitutum. Praeterea, quamvis non fuit neceſſe, ſeparatim, & per ſe, exempla dare Uſusfructus, ipſo jure conſtituti (cum res ſit plana, & omnibus nota; uti monet Faber) utile tamen erat, exempla dare Uſusfructus, utroque jure conſtituti, Civili & Praetorio: ut ipſemet Faber agnoſcit, ſua correctione vocis, *Quomodocunque*; id eſt, ſive jure Civili, ſive Praetorio, ſeu ex quacunque cauſa. Atque ita, hic ipſe ſenſus ſubſiſtere potuit, ſine correctione: nam, cum parvi referat, ut ait lex, ſive jure ſit conſtitutus, ſive Praetoris tuitione (ideoque traditus quoque Uſusfructus capitis minutione amittatur, quod lex concludit) quid opus erat iſta metamorphoſi? Audi rationem: quia traditus Uſusfructus non tantum eſt juris Civilis, ſed etiam Praetorii; & perinde eſt, quo jure ſit conſtitutus Uſusfructus. Nota enim verba, *Parvi refert*, quae ſufficiunt ad hunc ſenſum ſtabiliendum; ut non neceſſe fuerit convertere vocem, *quoque*, in *Quomodocunque.* Deinde, quid hoc abſurdi, Exempla dare Uſusfructus, jure conſtituti, quamvis rei notae, ut de ea quid jus diſponat, multis ignotum, magis illuceſcat? ſed enim, lex haec noſtra Uſusfructus hujus nullum exemplum ſuppeditat; & occurrit tantum dubitationi de Uſufructu tradito. Neque enim ex cauſa venditionis, aut alterius rei exemplum adducit; ſed in genere loquitur de Uſufructu tradito: cum autem exempla ſubjicit, ex illis adducit, quae ſunt juris Praetorii, veluti fundi vectigalis & ſuperficiei. Magis enim mihi probatur illorum interpretatio, Ulpianum nulla plane uſum fuiſſe exemplo Uſusfructus, jure Civili conſtituti; ſed ſolum Uſusfructus tuitione Praetoris ſtabiliti, ut paulo poſt demonſtrabitur. Atque ita ceſſabit tota illa difficultas, quam A. Faber hic movit: nam ſuperiorem interpretationem praeſuppoſui, non conceſſi; &, ex hypotheſi Fabriana, Fabrum refutavi. Sane, ſeries & conſtructio, verborum quin-etiam elegantia plane requirunt, ut lex hoc poſteriore ſenſu intelligatur; conceſſo nimirum hoc altero fundamento Fabriano, quod lex rei notae nullum exemplum adducere voluerit, videlicet Uſusfructus, ipſo jure conſtituti, qui capitis minutione amittitur. Ideo dicendum ſit, quod utatur tantum exemplis Uſusfructus, praetoria tuitione conſtituti. Ait enim lex: *Proinde, traditus quoque uſusfructus; Item, in fundo vectigali vel ſuperficie, non jure conſtitutus.* Conſtrue, in hunc modum: *Traditus quoque Uſusfructus*, non jure conſtitutus (quiſquis ille ſit; modo traditus, modo praetoriana tuitione ſit conſtitutus) item: *In fundo vectigali, vel ſuperficie*; ſubintellige, Uſusfructus, qui

Digitized by Google

nis ſuae inconſtantia aperte eam mendoſam vocet, cum ait, Legem manifeſte oſtendere, non de alio Uſufructu tractari eo loco, quam de illo, qui non jure conſtitutus ſit; quod & dictio *Proinde* demonſtret, & articulus *quoque*, ſi retineatur, eandem procul dubio ſuadeat interpretationem. *Illatio namque illa eſt*, ait, *ex eo, quod proxime dictum fuerat.* Quod ſi ergo articulus, *quoque*, verum interpretationem ſuadet, cur mendoſam judicas? cur aliam vocem ſupponis; atque imponis? Quae igitur hujus mutationis eſt cauſa, quam corrigendi libido, & pruritus? Sunt tamen, qui paulo aliter *hanc legem* exponunt, inter quos eſt doctiſſ. Oſwaldus Hilligerus. Sed illa noſtra interpretatio ad verba *legis* propius accedit; & inſtituto noſtro magis inſervit, atque errorem Fabrianum clarius refellit. Ideo vero non improbo, quod bene Hilligerus animadvertit ad *cap.* 17. *lib.* 10. *commentar. Donelli: Hujus legis* correctionem ideo eſſe inconvenientem, quod ſequeretur, ſi dixiſſet Juriſconſultus, traditum Uſumfructum *Quomodocunque*, id eſt, ex quacunque cauſa, ſive Civili, ſive Praetoria, non debuiſſe ſubjicere, *Item*, &c. quae vox arguat, ſpeciem ſequentem in praecedenti non contineri; ſed dicendum fuiſſe, *veluti*, aut ſimile quid. Cui addo hanc rationem, peremptoriam, ex ipſo quoque *legis* textus: Si traditus Uſusfructus hic intelligendus *Quomodocunque*; id eſt, ex quacunque cauſa, ſive Praetoria, ſive Civili, cur igitur ſtatim ſubjicit: *Non jure conſtitutus?* nam qui juris Civilis vinculo non eſt ſubnixus, non eſt, *Quomodocunque*; atque ita lex ſibi contradicet, ſi haec correctio admittenda. Et ipſe Faber ſibi contradicit manifeſte: ait enim, *loco citato*, non de alio Uſufructu hic tractari, quam de eo, qui jure conſtitutus non eſt: quomodo igitur de eo, qui ex quacunque cauſa, conſtitutus eſt, hic tractatur? Intelligis ſatis, Lector, quae abſurda ſecum trahat haec Fabriana correctio.

CAPUT VII.

Franciſci Hotomanni expunctio ex l. pen. ſub finem princ. ff. Si Uſusfr. pet. *improbatur, & vera legis ſententia defenditur.*

Mirum eſt, Franciſcum Hotomannum, Jureconſultum clariſſimum, in eum errorem incidiſſe, ut, critica illa contagione correptus, integram dictionem ex *d. l. penult.* expunxerit. Verba legis ſunt, prout a multis ſeculis recepta & ſana habet lectio: *Quod ſi forte qui agit, dominus proprietatis non ſit; quamvis fructuarius, jus utendi non habet, vincet tamen jure, quo poſſeſſores ſunt potiores, licet nullum jus habeant.* Hotomannus hic delet vocem *Fructuarius*, & legit: *Quamvis jus utendi non habet*, &c. Atque ita truncat legis ſenſum & pervertit. Quod ut intelligatur, notandum eſt, Ulpianum hic loqui de actione contra fructuarium; & quidem de actione illius, qui Dominus proprietatis non eſt, contra fructuarium, qui tamen jus utendi non habet. Praecedentia verba hoc manifeſte docent: *Quanquam enim actio negativa domino competat adverſus fructuarium.* Eſt autem fructuarius verus; eſt etiam putativus: qui videlicet jus Uſusfructus nullum habet, & tamen eſt in quaſi poſſeſſione Uſusfructus. Porro Ulpianus ait: *Quod ſi qui agit, dominus proprietatis non ſit*; ſupple, ex antecedentibus; & tamen agat contra fructuarium: & ex ſequentibus verbis; *Si agit*, videlicet contra fructuarium, talem, qui jus utendi non habet; modo in poſſeſſione ſit, id eſt, quaſi rius nullum jus habeat utendi, videtur ambo eſſe pari conditione, & pari juris diſpoſitione. Sed ratio decidendi eſt: Ideo non eſſe pari conditione; ſed potiorem eſſe fructuarium, eum videlicet, qui eſt in poſſeſſione uſusfructus, quae eſt quaſi poſſeſſio; quamvis jus utendi-fruendi non habeat: quia vincit eo jure, quo poſſeſſores ſunt potiores; licet nullum jus habeant. Qui ſenſus cum ſit planus, manente voce *Fructuarius*: econtra, ea deleta, fiat obſcurus. Male eam expunxit Hotomannus, quaſi irrepticiam: non enim colligi potuiſſet, contra quem vinceret ille, qui proprietatis Dominus non eſt; quod aperte vetus lectio indicat. Atque hoc eſt, quod monet Gothofredus, hac lege ſtatui: Eum, qui agit adverſus fructuarium, qui jus utendi non habeat, in re dubia potiorem eſſe actore. Hoc enim vult ſignificare: Quamvis intricata verborum ſeries, quibus haec exprimit, errore procul dubio typographico, in meo exemplari, ſenſum Gothofredi reddat obſcurum. Apertius Anton. Faber in *Ration. h. l. Ergo*, inquit, *ſi is, qui agit Negatoria, Dominus proprietatis non ſit; quamvis, qui convenitur tanquam poſſeſſor & fructuarius, verus fructuarius non ſit; vincet tamen actorem, tanquam poſſeſſor, & eo jure, quo poſſeſſores ſunt potiores, licet nullum jus habeant.* Atque hoc docet *l. ult. Inſt. de acquir. poſſeſſ.* de extraneis, id eſt, qui nec Domini ſunt, nec quicquam juris in re habent; videlicet, etiam vitioſam poſſeſſionem ipſis prodeſſe; niſi, ſcilicet, poſſeſſionem illam habeant ab actore ipſo, *l.* 1. *§. ult. Uti poſſid.* Atque ita habes legem vindicatam a Critica litura, & ſuae verae lectioni & ſententiae reſtitutam.

CAPUT VIII.

De lectione l. 12. §. 1. ff. de Uſu & habitat. *ubi Cujacii, Donelli, & Connani inprimis correctio rejicitur.*

Verba *d. l.* ſunt: *Sed neque foliis, nec oleo, nec frumento, neque frugibus uſurum.* Circa vocem, *Foliis*, Jureconſulti nonnulli criſin ſuam exercuerunt. Quidam ingenioſe; alii abſurde. Cujacius quidem valde ſibi temperat, qui *Obſervat.* 37. *lib.* 9. retinet veterem lectionem, *Foliis*; & intelligit folia vulgaria, quibus ruſtici utuntur hyeme, alendo pecori, vel ligandis vineis. Vult igitur lex, ex illius ſententia, hujusmodi *Foliis*, ut & horreo, & pomis, & oleribus, & aqua, eum, qui uſum duntaxat habet, ad uſum quotidianum uti poſſe, non ad quaeſtum, nec abuti debere. Idem tamen Cujacius, *Inſtitut. eod. tit.* notat, legendum eſſe *Oleis.* Quae lectio multis magnis Viris probatur. Inter alios etiam Donello, *cap. ult. lib.* 10. *comm. Jur. Civil.* Et, ut verum fatear, diu illa mihi arriſit. Sed, ut antiquae lectioni adhaeream, movet me textus Graecus; qui *in Eclog.* utitur voce ΦΥΛΛΟΙΣ, *Foliis.* Verba Graeca ita habent: Ὁ τὴν χρῆσιν μόνην ἔχων καὶ περὶ τὴν καθημερινὴν χρείαν κέχρηται τοῖς ξύλοις, καὶ τῷ κήπῳ, καὶ τῇ ὀπώραις, καὶ λαχάνοις, καὶ ΦΥΛΛΟΙΣ, καὶ τῷ ὕδατι: οὐ πρὸς κέρδος, οὔτε καταχρῆται. *Baſilic. libr.* 16. *tit.* 8. *de Uſu & habitat.* §. 2. Aut igitur argumenta firmiora adducantur, aut perſuaderi mihi non poteſt, veterem lectionem mutandam. Fateor quidem, hujus lectionis vulgaris non ab omnibus fuiſſe redditas rationes, pondere aequales, & quaſdam eſſe levioris armaturae; neque tamen opinor, adeo illas facile dilui, imo pleraſque ſubſiſtere poſſe. Nam quod a Cujacio reprehenditur ratio,
quam

liata parantur. Sufficit autem, folia etiam, inter alia, hunc habere uſum, quod ex illis unguenta conficiantur. Non igitur neceſſe eſt, ut unguenta intelligantur per folia; ſicuti vult Gothofredus, quamvis praeter alium uſum, etiam illum ipſum habeant. Et hoc ſenſu (quando nimirum non intelligitur unguentum ex foliis; ſed folia ipſa, ex quibus tamen unguentum confici poteſt) locum non habebit refutatio Cujacii, *cap.* 37. *Obſerv. lib.* 9. quod hic non agatur de iis, quae ipſi non conficimus. Neque adeo abs re loqui videtur Gilbertus Regius, contra quam Oſwaldus Hilligerus putavit; ſi ad aequitatis lancem Regii verba expendas, vulgaria folia intelligi, ideo, *quia pleraeque arbores illis ſpoliatae moriuntur, maxime, ſi virida folia excutiantur:* hoc enim innuit Regius *Enantioph. lib.* 1. *cap.* 9. Nervam ideo neque foliorum, neque olei uſum eſſe putaſſe, quia his ſpoliatae arbores moriantur, ut ita detrimentum arborum impediret. Quamvis enim Hilligerus dicat, etiam ſponte arbores foliis denudari, aut vi ventorum dejici; hoc tamen non elidit rationem Regii, qui dicit, pleraſque, non omnes, mori arbores, foliis ſpoliatas. Deinde ait: *maxime, ſi viridia folia excutiantur*; atque ita reſtringit ſuam aſſertionem, ut vix impugnari poſſit. Quod ſi igitur textus Graecus hic mutationem non permittit, nec ullum abſurdum hinc ſequatur, ſi vetus lectio manet, cur opus eſt illa correctione, *Foliis*, in vocem *Oleis?* Pejor tamen eſt lectio Connani, qui loco *Foliis* legit *Doliis:* quaſi vero inter fructus, qui tribuendi ſunt uſuario, doliorum mentio facta fuerit; praeſertim cum *in lege* reſtrictio ſequatur Nervae: *Quod ad victum ſufficiat.* Inter ea autem, quae ad victum ſufficiunt, quomodo referri poſſunt dolia, quae vaſa ſunt & inſtrumenta? Et cur fructibus, oleo & frumento jungerentur dolia? Deinde, ad legis ſenſum haec lectio *Doliis* non quadraret: nam doliorum ea eſt ratio, ut uſuarius fundi doliis omnino & ſolus uti poſſit, per *l.* 10. §. *ult. in fin. ff. de uſu & habitat.* Cur igitur hic contradixiſſet Nerva, & voluiſſet, neque doliis, neque oleo, &c. uſurum? Quod autem folia fructus induſtriales non ſint; ideoque haec lectio non ad rem ſit, & minus apte cum oleo & frumento conjungantur, non eſt magni momenti argumentum. Sufficit enim in eadem cauſa eſſe, id eſt, inter fructus referri poſſe; quod tamen de doliis dici non poteſt. Maneat itaque lectio recepta, ſine ullius abſurditatis aut erroris ſuſpicione. Et quamvis non adeo videatur inſipida illa mutatio *Foliis* in *Oleis*; non tamen eſt valde congrua: cum de fructibus ſit ſermo, non de arboribus. Olea autem eſt arbor; Oliva fructus. Valeat autem omnino Connani correctio, tanquam a ſerie & mente legis aliena.

CAPUT IX.

Vetus lectio Senatusconſulti Vellejani defenditur l. 2. §. 1. ad Senatusconſultum Vellej. *contra Cottam, Hotomannum & Hortenſium.*

Senatusconſultum Vellejanum non una parte Criticorum manus patitur. Quatuor locis lex tam celebris fuit impetita; quaſi prae ceteris calamitati, & infortunio Criticq nata: cujus jugulum cen-

Conſulis nomen accepiſſe. Sed num putat, Conſulum non fuiſſe, ad Senatum *verba facere?* Fallitur. Haec enim ſolennis erat formula, *Ad Senatum verba facere.* Apud Tacitum, Livium, & Ciceronem, *Ad Senatum referre.* Hoc diligenter animadvertit Briſſonius, *lib.* 2. *Formul. Conſules*, ait, *plane de eo, quod retulerant, verba feciſſe dicebantur.* Quod demonſtrat ex Frontino, Cicerone, ex hoc ipſo Senatusconſulto; ex Salluſtio, Livio & aliis authoribus. In hoc igitur Senatusconſulto primo *verba facta ſunt, quid de ea re fieri oporteat.* Subjicitur: *De ea re ita conſuluerunt.* Et quidem ex more: nam poſtquam *verba* in Senatu a Conſulibus *eſſent facta* (id eſt, res ad Senatum eſſet *relata*) *dicebantur ſententiae*; id eſt, de re propoſita conſulebant in medium. Hotomannus loco *Conſuluerunt*, ſcripſit *Cenſuerunt.* Cur haec mutatio? Num quia Senatorum eſt *cenſere*, non conſulere? Fateor quidem, ſolenne etiam eſſe verbum *Cenſere. Quae Patres cenſuerunt, vos jubete*, ait Sulpitius Conſul, Populum concione advocata alloquens, apud Livium *lib.* 31. *cap.* 7. Et Cicero *Philipp.* 8. *Hoc autem tempore, ita cenſeo decernendum.* Et hujus rei infinita exempla adferri poſſent. Certum tamen eſt, hanc vocem non ſolam fuiſſe ſolennem, ſed & *Decernere, Placere, Conſentire, Conſciſcere*, & alia; ut obſervavit accurate Briſſonius *lib.* 2. Quibus addo etiam verbum *Conſulere* in altera ſignificatione; & unum inſtar omnium ſit hoc argumentum. Si Conſulis erat conſulere Senatum (uti erat, quod videre eſt apud Ciceronem, *lib.* 1. *Divinat.* & apud A. Gellium *lib.* 7. *cap.* 3. *Senatus de Republica conſulitur*) cur non ipſius Senatus quoque fuiſſet *Conſulere*, altera ſignificatione, qua *Conſulere* ſignificat Conſilium dare? Eſt enim verbum *Conſulere* mediae ſignificationis; quod non tantum Conſilium petere, ſed etiam Conſilium dare ſignificat. Unde *In publicum conſulere*, apud Plin. *Epiſt.* 190. Et *In medium conſulere*, apud Virgilium *lib.* 11. *Aeneid. vſ.* 335.

Conſulite in medium, & rebus ſuccurrite feſſis.

Et apud Lucanum & Livium: *Conſulitur in medium.* Apud Tacitum: *In unum conſulere.* Idem Hotomannus, *lib.* 1. *Obſerv. cap.* 15. *in fin. & lib.* 4. *Obſ. cap.* 15. Et in *Epit. D. h. t. n.* 9. ex hoc Senatusconſulto tollit voces *Mutui Dationes*, & ſubſtituit *Mutuationes.* Qua ratione? Quia, inquit, non credendo, ſed accipiendo pro alio, id eſt, non activa, ſed paſſiva obligatione intercedit: putat enim Mutuationem eſſe Debitoris, & Mutui dationem tantum eſſe Creditoris. Fallitur: nam & Mutui datio ad Debitorem referri poteſt. Apparet hoc ex *l. civitas* 27. *ff. De rebus creditis. Civitas*, ait Ulpianus, *Mutui Datione obligari poteſt.* Quod ſi obligari poteſt Mutui datione, Debitrix eſt; atque ita Mutui datio, non ad Creditorem ſolum pertinet, ſed etiam ad Debitorem. Deinde animadvertendum, Senatusconſultum non hic loqui de Mutui datione feminarum, ſed de Mutui datione, quibus interceſſerint feminae, id eſt, de Mutui datione aliorum, pro qua intervenit femina. Eſt enim Intercedere, Recipere aliam obligationem, veterem aut novam, *l.* 8. §. 1. *ff. & C. h. t. l.* 6. veterem participando, ſi fidejubeat, mandet, conſtituat, pignori det; aut etiam in ſe transferendo, *l.* 4. *C. h. t.* ut docte Cujac. *tract.* 4. *ad Afric. in l.* 19. *h. t.* explicat. Quod ſi igitur hic femina dationi inter-

non dubitavit, interjectis & tranſpoſitis vocibus, pro: *Et Mutui dationes pro aliis, quibus interceſſerint feminae*, legit: *Et Mutui dationes, quibus aliis modis interceſſerint feminae*; ſed adeo inſulſe, & contra mentem legis, ut quid ſibi velit, vix ſeipſum intelligat, multo minus explicet; quem etiam ulteriori refutatione indignum judicamus. Standum igitur lectioni veteri Senatusconſulti & ab ea ne latum quidem unguem recedendum eſſe, ullum hactenus colorem apparuiſſe concludimus.

CAPUT X.

Lectio l. ult. §. 2. ad Senatusconſultum Vellejanum, *contra Hortenſii Expunctionem defenditur.*

POmponius Jureconſultus, *l. ult.* §. 2. ait: *Si mulier creditori viri fundum vendidit, & tradidit, ea conditione, ut emptor acceptam pecuniam viro referret; & hunc fundum vendicet, exceptio quidem opponitur & de re empta & tradita, ſed replicabitur a muliere*, &c. Contra hanc legem objicit Gothofredus *l. 4. C. eod.* qua dicitur: *Si praedia tua annis major viginti quinque vendidiſti, & pro marito pecuniam ſolviſti; deficit auxilium Senatusconſulti.* Hic autem dum uxor fundum Creditori mariti vendidit, pro marito pecuniam ſolviſſe videtur, atque adeo deficere auxilium Senatusconſulti. Cur igitur in *d. l. ult.* §. 2. dicitur, replicationem mulieri dari ex hoc Senatusconſulto? Solvit hanc objectionem Gothofredus: *Quia*, inquit, *ſollicitata fuit ab emptoribus.* Sed in *l. 4. C. eod.* ipſa Emptorem ſollicitavit. Quae ſatis uſitata eſt harum duarum legum conciliatio, & ſolida. A qua recedit Hortenſius, &, ut melius conciliet, confugit ad artem Criticam, expungens verbum *Tradidit*; & legit, *Fundum vendidit ea conditione*, &c. quia (uti putat Hortenſius) eo dum tradidit mulier, pro marito ſolvit: atqui, cum pro marito ſolvit, juxta *d. l. 4. C. h. t.* auxilium Senatusconſulti deficit: delendam igitur eſſe vocem *Tradidit*, ut irreptitiam. Male; & contra legis mentem; ut apparet ex ſequentibus verbis legis! dicitur enim aperte: *Exceptio opponitur ei de re empta & tradita.* Bene igitur Gothofredus, qui, ſine litura ſenſum verum legis retinens, utramque conciliavit.

CAPUT XI.

Servandam eſſe lectionem Pandect. Florentinarum, quae communis eſt, in l. Mandatum 57. ff. Mandati. *adverſus Donelli & aliorum Criſin, & vera ſententia* d. l. *docetur adverſus Robertum & alios.*

SUnt viri magni in ea opinione, male cohaerere verba *legis d.* inde ab initio verborum: *Sed venaliciariorum ex provincia*, &c. usque ad finem. Saltem haec verba Accurſio, Antonio Auguſtino, Donello, & multis aliis videntur obſcura; imo juri contraria. Mihi tamen veteri illa lectione nihil videtur eſſe planius. Sed videamus, Primo, difficultatum Rationes, & Remedia Critica, quibus Viri docti ſe ex illis extricare conati ſunt: Poſtea vero, qua re falſi fuerint: Denique, quis ſenſus verus ſit legis: & qua ratione vulgaris lectio Pandectarum Florentinarum ſarta-tecta ſervanda, diſpiciamus. Hugo Donellus, prae caeteris, mentem ſuam explicat clariſſime, Facti ſpeciem in hunc modum formans: *Proponitur*, inquit, *quaeſtio de Venaliciario; qui, quia abeſſe cogebatur, dedit alicui ſervos quosdam ſuos* miſerat Titio, & mandarat, ut venderet: defuncto Titio, qui mandatum ſuſceperat, haeredes ejus, errore lapſi (dum ſc. eodem mandato teneri putant, aut ſibi hic idem licere, quod defuncto) non animo ſurandi, ſed exequendi, quod defunctus curae ſuae fecerat, ſervos vendiderunt; quaerebatur, An eo facto aliquid Venaliciario nocuiſſent? Reſpondet Papinianus, hactenus eos Venaliciario nocere potuiſſe, ut Emptores bona fide tanquam a Dominis accipientes, ſervos uſu capere poſſent: ideo placere, ſi hi ſervi juſto tempore poſſeſſi eſſent, ab Emptoribus, uſu captos videri: *Sed Venaliciarium ex provincia reverſum* (intellige, ait Donellus, cum Accurſio, ſervis venditis, nondum uſucaptis) *Publiciana actione non inutiliter acturum*; id eſt, ſervos, tanquam a ſe prius bona fide poſſeſſos, Publiciana vindicaturum & ablaturum Emptoribus. Subjicit Donellus: *In Pandectis Florentinis legitur, Non utiliter negative: ac propemodum haec quoque vulgata eſt lectio.* Haec Donellus; qui, ſequentibus verbis, hanc lectionem improbat, propter rationem, quam ſubjiciat Papinianus. *Ratio enim haec eſt*, ait Donellus, *quod error haeredum non debeat venalitio nocere: Nocere autem, ſi Venaliciarius non utiliter ageret*; ideoque ſubjicere Papinianum, obſcuris quidem verbis, quorum tamen haec ſit ſententia: Quod quidem exceptio juſti Dominii adverſus Publicianam detur, ſed cauſa cognita; id eſt, datur non omni, qui ſe juſtum Dominum dicit, ſed ei, qui & vere juſtus Dominus ſit, de quo diligenter judici cognoſcendum ſit: Nunc autem ceſſare hanc cauſam in propoſito: emptores enim iſtos Dominos ſervorum factos non eſſe, emiſſe ab iis, qui Domini non fuerint, & non emiſſe ex Domini mandato, quoniam id mandatum morte Domini finitum ſit. Nec eo defendi debere, quod errore ſe dominium transferre, voluntate Domini, putaverint: quoniam Papinianus dicat, non oportere eum, qui certi hominis fidem elegerit, ob errorem aut imperitiam haeredum, affici damno. Haec eſt expoſitio *legis* eorum, qui loco, *Non utiliter*, ut habent Florentinae, *Non inutiliter*, legunt: quam lectionem fideliter Donellus expreſſit. Eodem fere modo Zoanetus *reſtitut. ad D. cap.* 18. niſi quod non accipit *d. l. 57.* de intentata Publiciana, ante impletam uſucapionem; ſed eo caſu, exceptionem veri dominii, uſucapione quaeſiti, non admitti, ob ſubjectam in *d. l.* rationem. Robertus *lib. 2. recept. lect. cap.* 16. receptam quidem lectionem tuetur, ita tamen, ut per *Venaliciarium* intelligat, non mandantem, ſed emptorem; atque in ea opinione ſequitur Accurſium & Connanum *lib. 7. comment. cap.* 14. *n.* 12. & aliter format caſum, quam Donellus; quaſi, videlicet, ſervi venditi fuiſſent mangoni, ſeu venaliciario: eo deinde abſente, mandantem poſſeſſionem recepiſſe, & quaeri; An Publiciana illi emptori detur contra mandantem. Rationem dubitandi hanc eſſe; quod venditio ſit facta voluntate mandantis, ideoque tranſlatum fuerit dominium: decidendi autem rationem eſſe; mandatum fuiſſe morte mandatarii extinctum, nec, ob haeredum imperitiam, damno afficiendum eſſe, qui mandaverat. Ita extricare conatur Robertus, qui tamen magis hac interpretatione ſe implicat. Quomodo enim Venaliciarius hic fuiſſet Emptor; cum Emptores Venaliciario hic opponantur? *Eos ab emptoribus uſucaptos videri placuit*, ait Papinianus; *ſed venaliciarium ex provincia reverſum*, &c. Particula adverſativa *Sed* ſatis oſtendit, Emptorem non fuiſſe hoc caſu Venali-

Digitized by Google

minii jam amiſſi objicere poſſit. Haec de interpretatione Roberti: revertamur ad Donelli & aſſeclarum κρίσιν. Is refert, multos notaſſe, ita in quibuſdam veteribus exemplaribus ſe inveniſſe, *Non inutiliter*, loco, *Non utiliter*. Sed neque autorem laudat, neque teſtatur ſe legiſſe; quare hoc teſtimonium eſt incertae fidei. A quo igitur didiciſti, Donelle, legendum eſſe, *Non inutiliter?* Non ſane ab Ant. Auguſtino, qui *emendation. lib. 16. cap. 1.* ait, quoſdam ita ſcribere, ſed qua autoritate, quave ratione, non docet: qui monet, etiam Haloandrum legere, *Inutiliter*; plane cum recepta lectione. Sed in refellenda κρίσει Donelli non inhaerebo, quae per ſe ſatis erit refutata, ſi, quam plana ſit, & ſine errore, & ſine ſcrupulo recepta Florentinarum lectio, demonſtravero. Cur igitur Papinianus vult, *Venaliciarium, ex provincia reverſum, Publiciana non utiliter acturum eſſe?* Rationem addit manifeſtam; quia exceptio juſti dominii cauſa cognita datur; videlicet. Emptori. Publiciana igitur, per hanc exceptionem eliditur. Datur quidem talis actio, ſed ſalva Emptoris exceptione, quod ſit Dominus emptione factus ſervorum emptorum. Gothofredus igitur recte annotat: *quia*, inquit, *Publiciana non competit contra Dominum*; ſubintellige, *utiliter*. Sed, inquies, quid ſibi volunt verba ſequentia, & quomodo illa cohaerent: *Neque oportet eum, qui certi hominis fidem elegit ob errorem aut imperitiam haeredum adſici damno?* Verba ſunt perſpicua; nullo indigent commentario. Cohaerent autem ita, quod inſuper proſpiciatur etiam mandanti; & illum ob errorem aut imperitiam haeredum damno affici non eſſe aequum. Prior igitur pars deciſionis eſt de Venaliciario, agente contra Emptores ſervorum inutiliter: ſed tamen damno non afficiendum vult altera pars deciſionis legis. Quomodo igitur ipſi ſuccurrendum? Hoc quidem non exprimitur; ſed obſcurum non eſt, & facile ſuppletur: quia competit ipſi actio contra haeredes mandatarii. Haec enim actio ſeu vendicatio non poteſt competere, niſi vel contra emptores ſervorum, vel contra haeredes mandatarii. Non competit contra emptores, ait lex (utiliter videlicet actio non competit) & quidem Venaliciarius damno non tenetur: ergo ipſi actio alia ſupereſt, nimirum, contra haeredes mandatarii; quod manifeſtiſſime ſequitur. Haec interpretatio, ut facilis eſt & perſpicua, ita ſua ſponte refellit Enarrationem Donellianam; quae tota nititur fundamento Accurſii: ideo, ſcilicet, Venaliciarium non inutiliter acturum; quia videlicet, nondum ſervi illi fuerint uſucapti: cum tamen contrarium dicat lex, *Eos ab emptoribus uſucaptos videri placuit*. Cur igitur contra legem tu ſtatueres, eos quidem eſſe poſſeſſos, nondum uſucaptos? Dura profecto interpretatio eſt, quae tantam huic legi vim faciat. Deinde obeſt interpretationi Donelli ratio legis ſubjecta: *Cum exceptio juſti dominii cauſa cognita detur.* Si igitur non *inutiliter* ageret Venaliciarius, cur exceptio juſti dominii daretur, cauſa cognita, adverſus iſtam actionem? Vides igitur, plane illam correctionem legis ſubſiſtere non poſſe, *Non inutiliter*; & omnino legendum eſſe, *Non utiliter*. Sed objicies, particulam adverſativam *Sed* male cohaerere cum praecedentibus. Quid enim ſibi volunt haec verba, *Ab emptoribus uſucaptos videri placuit, ſed venaliciarium ex pro*-

in *Et* convertere; quam negativam affirmativae ſubſtituere) Cur, inquam, illud *Sed?* Quia nova hic facti ſpecies. Venaliciarius eſt abſens; redit ex provincia. Nova difficultas! nova dubitandi ratio! Quamvis enim ſervi ab Emptoribus fuerint uſucapti; attamen, quia Venaliciarius fuit abſens, & ex provincia reverſus, aliter videtur judicandum, hoc caſu. Quid igitur juris? Itaque ob novam illam dubitandi rationem, concinne proponit particulam adverſativam, *Sed*, tanquam dubitandi rationem. Verum enimvero ſi nolis admittere, *Sed* hoc ſenſu locum habere poſſe: age, non ſit adverſativum; quin potius confirmativum: qui loquendi modus non eſt praeter uſum! Manes Latinorum advoco. Numquid ſaepe vox *Sed* pro confirmanda ſuperiore aſſertione elegantiſſime uſitatur? Inſpice Ciceronem *Act. 3. Verrina cap. 27. Sunt homines Siculi non contemnendi, ſi per noſtros Magiſtratus liceat, ſed homines & ſatis fortes, & ſatis plane frugi ac ſobrii.* Ita quoque Papinianus, in confirmationem ſuperiorum, Servos ab Emptoribus uſucaptos; ſed Venaliciarium non utiliter acturum: quaſi dicat, *Sed &*, id eſt, Inſuper, non utiliter acturum. Atque ita ſatis mihi feciſſe videor iis, qui hanc Criticorum correctionem tueri hactenus fuerunt conati, & gravibus argumentis receptam lectionem defendiſſe.

CAPUT XII.

Aſſeritur lectio conſueta l. 9. §. 3. ff. Locati *adverſus Vultejum, Gothofredum, & Valent. Guil. Forſterum.*

GEnuina §. *illius* lectio eſt illa communis & uſitata: *Siquidem fortuitus caſus incendii cauſam intulerit, non praeſtabit periculum locator.* Vultejus *Inſtit. h. t.* ſtatuit, *hoc* §. reponendum eſſe *Conductor*, loco Locator. *Saepe enim*, ait, *alterum relatum pro altero promiſcue uſurpari: ſaltem* Locatoris *voce intelligendum* Conductorem, *ſicuti* Emere *pro* Vendere *dicitur in l. unic. C. ſi ſervus extero.* Gothofredus putat, legendum eſſe *Locatori*, ut ſubintelligatur Conductor, qui Locatori praeſtet periculum. Ratio lectionis & interpretationis Vulteji ac Gothofredi eſt, quod exiſtiment, hic Conductorem non praeſtare periculum incendii fortuiti: quod eſt falſum & contra mentem legis, ut apparebit, ſi paulo attentius eam conſideres. Caſus hic eſt: Colonis praediorum denunciatum eſt, ut innocentem ſeu innoxium ignem habeant; ſed fortuito caſu incendium obortum eſt: quaeritur, quis illius damnum praeſtare debeat? num Colonus, ſeu Conductor; an vero Locator? Juxta communem contractus naturam ad caſum hunc fortuitum non tenetur Conductor. Sed, quia ſpecialiter hic conventum eſt, ut ignem habeat Colonus innoxium; ideo, ut haec verba aliquid operentur, non Locator praeſtabit hoc periculum, ſed Conductor, qui pollicitus eſt pacto ſpeciali, ſe innoxium habiturum ignem. Sed inquies, atqui ignis iſte Conductoris fuit innoxius; ſiquidem incendium iſtud dicatur fortuitum. Imo, non ſimpliciter eſt fortuitum, in hac facti ſpecie; attende enim ad verba §. *Siquidem fortuitus caſus incendii cauſam intulerit:* cauſa igitur eſt fortuita, ſed tamen, tuo igne, damnum fuit datum. Ventus, exempli gratia, ſi vehementior ignem in diverſas domus partes, & periculoſas difflarit, cauſa quidem fuit

aliquid operetur, ita debet intelligi, ut etiam extendatur ad caſum fortuitum; ſi, videlicet, incendii cauſam intulerit. Subjicit lex, *illo* §. *Si vero culpa locatoris, quam praeſtare neceſſe eſt, damnum fecerit, tenebitur.* Exceptio eſt, a priori regula; Locator igitur cauſa priori non tenetur, ſed poſteriori tenetur ad damnum, quod propria culpa fuerit datum. Quae ſententia adeo plana eſt, ut non neceſſe fuerit Forſteri correctione, quaſi legendum ſit, *Locator is*, duabus vocibus; ac ſi ſenſus conſtare non poſſit, niſi *Culpa* in ablativo ſumatur, & *Locator* in nominativo, ſeparata ſyllaba *is*, ut fiat pronomen: quae mutatio, quamvis non evertat ſenſum, attamen omnino eſt ſupervacanea.

CAPUT XIII.

Rejicitur emendatio l. 15. §. 7. ff. Locati. *ab Hotomanno introducta.*

NAtiva lectio §. *7. l. 15.* haec eſſe debet, quae omnibus exemplaribus hactenus fuit excuſa (quamvis Hieronymus Pantſchmannus *lib.* 1. *q.* 1. *n.* 6. teſtetur, ſe legiſſe, uti Hotomannus emendat) ea autem ſic habet: *Supra denique damnum ſeminis ad colonum pertinere declaratur.* Ut ſenſus ſit, ſupra fuiſſe declaratum, quod damnum ſeminis ad Colonum pertineat. Atque ita *Supra* adverbialiter ſumitur, & reſpicit §. 2. verſ. *Sed & ſi labes, &c.* ubi dictum eſt, quod praeter ſeminis amiſſi damnum, fructuum quoque damnum non praeſtet; ſeu mercedem agri, quando labes facta ſit, omnemque fructum tulerit. Hoc paucis verbis repetitur, & ad *dictum* §. *& verſiculum* remittitur; ut bene Gothofredus *h. l.* Hotomannus *lib.* 4. *obſ.* 21. aliter hanc legem interpretatur, in hunc modum; ut *Supra* ſit ipſi praepoſitio, non adverbium: *Supra denique damnum ſeminis, ad Colonum pertinere, declaratur.* Quaſi ſenſus ſit: Supra, ſeu Praeter damnum ſeminis, ad Colonum damnum pertinere. Quod falſum; & §. 2. verſ. *Sed & ſi, &c.* contrarium. Ideo interponit negativam particulam, *non*; & vult legendum: *Ad colonum non pertinere.* Subintellige, *Damnum*, quod ſit ſupra damnum ſeminis, quod ſolum pertineat ad Colonum. Sed quid opus eſt iſta Criſi, ubi ſenſus, ſine illa, multo planior? Certum eſt, damnum ſeminis ad Colonum pertinere, non ad Locatorem; & Hotomannus vult, damnum illud, quod eſt ſupra damnum ſeminis, non pertinere ad Colonum. Senſus igitur eſt idem, quo ad damnum ſeminis: nam uterque vult, eo damno teneri Colonum. Noſtra autem, id eſt, recepta lectio, omni caret difficultate. Hotomanni eſt ita obſcura, ut, niſi ſuppleas aliquid, ſenſus ſit imperfectus. Standum igitur puto lectioni veteri, poſthabita Hotomanni, & aliorum, inutili correctione.

CAPUT XIV.

Defenditur lectio Florentina, l. 7. §. ult. ff. de diſtractione pignorum, *adverſus Donellum, & alios.*

SI uſpiam audaciam ſuam exercuere Critici, eam in corrigenda, vel potius depravanda *d. l.* 7. oſtendere. Correctionem illam defendit Clariſſimus Donellus, & aliquot rationibus firmat; quas refutare non eſt difficile. Sed inſpiciamus legem; dein, quid correctores in ea deſiderent, audiamus. *Quaeritur, ſi pactum ſit a creditore, ne liceat debitori hypothecam vendere, vel pignus, quid juris ſit; & an pactio nulla* tentiam, lege converſa) *Et certum eſt, nullam eſſe pactionem, ut venditioni ſtetur.* Utriuſque lectionis librorum teſtimonia fuerunt prolata; cujus autem major eſſet authoritas, ut intelligi poſſet, Bartolus Piſas miſit, ubi tunc Florentinae Pandectae erant: repertumque, quod ipſe optaverat, ſcriptum, nimirum, ibi fuiſſe: *Nullam eſſe venditionem.* Et ſane, haec lectio juri omnino eſt conſentanea; quod, ex hac cauſa, contra venditorem condictio detur; ſi pactum non fuerit ſervatum, *l.* 3. *de contrab. Empt.* convenit *l. ſi ſterilis* 21. §. *Sed & ſi ita.* 3. *ff. de Action. Empti & Vend.* Et quid aequius eſt, quam ut alienatio pignorum prohibeatur? praeſertim, ſi ita expreſſe conventum; cum pacta pignorum haud dubie, ut pignus, rem afficiant & ſequantur. Unde recte Gomez. in *l. Tauri* 40. *n.* 18. cautionem hanc tradit, quod ipſo jure impediatur alienatio; ſi pactum hoc, tradendo rem ſuam, adjiciens, ſibi jus hypothecae in illa re, ratione hujus conventionis ſervet. Sed, executiamus ordine argumenta Donelli, uti habentur in commentario ad *l* 135. §. 3. *de V. O. a num.* 5. *uſque ad* 10. quibus adverſus lectionem Florentinam inſurgit, cujus tamen authoritatem, Bartoli tempore, nulla ſuperavit, & illius MSS. ſpretis omnibus aliis exemplaribus, ſtandum fuiſſe judicatum ſit. Argumentum primum hoc eſt: Reſponſio debet fieri conformis quaeſtioni. Secundum hanc vulgatam lectionem non eſſet conformis. Non itaque eſt vera lectio. Reſp. Legis reſponſionem, juxta Florentinam lectionem, eſſe conformem: quo ad ſenſum. Quaeſtio enim eſt, an pactio illa ſit nulla. Supple alterum membrum quaeſtionis, an vero venditio ſit nulla. Reſpondetur, venditionem eſſe nullam, & pactioni ſtari. Nec video, cur minus apte reſponderetur, ſi priſtina lectio retineretur: nam prius de venditione quaeritur, ſi pactum ſit a Creditore, ne liceat Debitori hypothecam vendere, vel pignus, quid juris ſit. Reſpondetur etiam primo, de illa venditione, nullam eſſe. Poſtea quaeritur, an pactio talis ſit nulla. Reſpondetur, ſecundo ordine, pactioni eſſe ſtandum. Clarum itaque eſt, primum Donelli argumentum non ſubſiſtere. Secundum argumentum ejus eſt: Iſta pactio plane eſt inefficax: ergo locum habere non debet. Quia aut illa pactione agitur, ne conſentiat Debitor de re vendenda; atque ita naturae repugnat: ſic enim cohiberetur voluntas & conſenſus hominis. Aut hoc agitur, ne obligetur Debitor, quamvis conſenſerit, quod juri repugnat. Praeſertim, ſi res vendi poteſt, & venditori commercium aut adminiſtratio non interdicta: &, alias, detraheret juri tertii ementis; obligationi, ſuo facto, quaeſitae. Reſpondeo: Non quidem hoc agitur, ne conſentiat Debitor de re vendenda; ſed hoc, ut, ſi vendiderit, ne obligetur Debitor. At vero, ſic juri non repugnat. Regerit Donellus: ſi res ſit in commercio, ut vendi poſſit, & ſi ſit vendita, talem venditorem non obligari, juri repugnat; vel, ſequitur adminiſtrationem rei tali perſonae eſſe interdictam: atqui neutrum hîc locum habet. Duplico: inſufficientem eſſe partium Enumerationem. Non enim ſolum talis alienatio eſt prohibita, quia res non eſt in commercio, vel quia adminiſtratio perſonae eſt interdicta. Deinde, eſt fallacia a Noncauſa, ut Cauſa: praeſupponitur enim ea cauſa hujus alienationis, quae revera cauſa non eſt. Adhuc enim alia eſt cauſa; nimirum, conventio pignoris contractui adjecta, qua jus hypothecae in illa re Creditor reſervat: ita, ut alienari non poſſit, ne

ſine

Digitized by Google

Creditori paratum, auferatur: ut hic bene monet doctiſſimus Hilligerus. Argumentum tertium eſt: paciſcentis nihil intereſt, cui jus ſuum manet integrum; maxime, ſi ad traditionem nondum ventum. Reſp. Etiamſi ad traditionem nondum ventum, intereſt tamen Creditoris paciſcentis, ne ad traditionem res deveniat; atque ita multis moleſtiis afficiatur: &, ſi facta fuerit traditio, ut jus ſuum ſibi ſalvum, & cautio ſarta-tecta maneat, quae alioquin videtur ſuccumbere: ſaltem, multis periculis obnoxia, ſi pro libitu pignus alienari poſſit; ut vix pignus ſit vel cautio dicenda, ſi alienatio locum habere debeat. Animadvertis, Lector, quam tutum ſit, veteri lectioni ſtare; & quam lubricum jus reddatur, ſi ab illa receditur.

CAPUT XV.

Vindicatio l. 40. De haeredibus inſtituendis *a correctione, & depravatione Alciati. Antiquae lectionis aſſertio; & vera legis interpretatio.*

REmedium ſaepe periculoſius eſt morbo: imo remedium aliquando adhibetur, ubi morbus non eſt. Contigit hoc ipſum circa *hanc legem*, quae nec Medicum, nec Chirurgum unquam deſideravit; attamen tot manus Criticas eſt experta, & interpretationes. Julianus apertis verbis edixit: *Si paterfamilias Titium, quem ingenuum eſſe credebat, haeredem ſcripſerit; eique, ſi haeres non eſſet, Sempronium ſubſtituerit.* Alciatus interponit *Cohaeredem*, inter voces *Sempronium*, &, *Subſtituerit*. Quem ſequitur Balduinus, Weſenbeck, Mynſingerus, Cantiuncula, Lancellotus, & alii: imprimis Vacon. *lib. 6. declar.* 85. qui teſtantur, ſe hanc vocem in antiquiſſimo MSS. deprehendiſſe. Duarenus *itidem cap.* 10. Goveanus *lib.* 1. *var. lect. cap.* 6. Johann. Dauth. *ad l.* 1. *h. tit. n.* 90. Vaſquius *lib.* 1. *de ſucceſſ. progreſſ.* §. 15. *n.* 6. Donell. *ad l.* 3. *C. h. t. n.* 3. *& in d. l.* 40. cui ſubſcribit etiam P. Buſius in *h. l.* Hotomannus in §. *ult. Inſtit. h. t.* non quidem nititur MSS. ſed tamen, hunc ſenſum eſſe Juliani, indicat, & ſubintelligendam vocem *Cohaeredem*, incuſans Tribonianum, quod Juliani reſponſum detruncarit. Quis tot Viris clariſſimis audeat contradicere? Sed plerique idem ex eodem fonte hauſerunt, vel potius Lacuna eadem. Nobis, non tam quis dicat, quam quid dicatur, examinare fas ſit. Non poſſum probare illud MSS. Alciati, vel etiam Vaconii, quod textus ſeriei repugnat: majoris ſit authoritatis Florentinum, cum vulgari lectione conſentiens, & cum illius tenore: nam ſervus ille Titius dicitur haereditatem adiiſſe. Quod ſi Sempronius fuiſſet cohaeres, una quoque haereditatem adiiſſet. Puto igitur, imperiti cujusdam librarii audacia, in MSS. ab Alciato & Vaconio tractato, irrepſiſſe vocem *Cohaeredem*. Anſam huic ſcriptioni dedit, quod in *fine legis* dicitur, de diviſione, aequis portionibus, inſtituenda. Hanc rationem ponit Balius, & huic criſi illud fundamentum ſubſternit: ut, ſcilicet, poſterius reſponſum, de ſemiſſe inter dominum ſervi & ſubſtitutum dividendo, reſpondeat priori. Si haec fuiſſet ratio, eam utique urſiſſet Julianus, in ſua definitione, & fundamenti alicujus loco poſuiſſet; qui tamen ſuae deciſionis longe alias rationes attulit. Quare omnino vox illa omittenda, & vulgaris lectio, quae cum Sub finem lex, aeque ac circa principium, plagas ſuas paſſa eſt, ſolis Medicorum praecocibus remediis inflictas. Verba ejus ſunt: *Igitur, in hoc caſu, ſemiſſes fient, ita, ut alter ſemis inter eum, qui dominus inſtituti haeredis fuerit, & ſubſtitutum, aequis portionibus dividatur.* Magnus ille Cujacius, loco verborum *Alter ſemis*, legit *As*; ut ſit ſenſus, Totum aſſem, ſeu haereditatem totam, fuiſſe aequis portionibus diviſam: & putat, Tribonianum deceptum, exiſtimaſſe, punctum eſſe interpoſitum, easque duas literas dictiones has duas ſignificare; A. nim. *Alter.* & S. *Semis.* Hoc etiam placet Vultejo, in *Inſtitut. h. t.* qui dicit, textum hoc ipſum exigere, qui expreſſe contineat, *Semiſſes fient.* Ex ſemiſſibus igitur, ut partibus, colligi aſſem, id eſt, totum. Et *legem ſubſequentem* 41. caſu ſpeciali, hoc ipſum confirmare, ubi habeatur, quod diviſa ſit haereditas inter Tiberium, & eum, qui Parthenio ſubſtitutus erat. Sed Hotomannus non putat, Tribonianum adeo fuiſſe inſipidum, qui has notas A S. pro notis voluerit habere, quin retinere maluiſſe A S. quam pro, *Alter ſemis*, interpretari; ſi ita ſcriptum deprehendiſſet. Quod Donellus ſuper hac re judicet, vide eum, ad *l.* 3. *C. h. t. n.* 4. Viglius *in* §. *ult. Inſtit. h. tit. n.* 6. retinet quidem haec verba, & *Alter ſemis* exponit, pro *Uterque ſemis.* Duriuſcule, ut verum fatear, & exemplum me legiſſe non memini! Monet tamen Gothofredus (quod pene praeterii) alias hic legi, *Ut uterque.* Qua authoritate? non video. Alias, ait, legi hic pro *Alter*, *Alteruter.* Sed non eſt alius ſenſus. Connanus non adeo hic contemnendus, qui *lib.* 10. *comment. cap.* 7. *n.* 5. interpretatur, *Alter ſemis dividitur*; id eſt, cuique eorum alter ſemis datur. Et locos, ex Tullio, profert non adeo diſſimiles. Etſi vero, uſque adeo iſta mihi non diſpliceant remedia: tamen *hanc legem* adeo laborare, mihi perſuadere non poſſum, ut vel duriorem interpretationem exigat, vel ad criſin confugiendum ſit. Et in ea ſententia ſunt Viri ſolidiſſimi judicii, Marcus Lyclama a Nycholt, *lib.* 5. *Membranar. Eclog.* 15. & Oſwaldus Hilligerus, *in notis, ad Donell. Enucleatum.* Sed ille ſuae legis interpretationi rationem ſubjungit, quam probare non poſſum, & hic a ſententia Juliani paulo longius mihi recedere videtur: neque ſibi adeo confidit, in illo ſuo novo gloſſemate, quin illud non alio, quam conjectationis & ſuſpicionis nomine dignetur. Nos igitur periculum faciamus, ſi lectionem Florentinam & vulgarem, ſine ulla ope critica, incolumem ſervare poſſimus; ut tamen a verbis, & ſerie contextus, quam minime diſcedamus. In eum finem *totius legis* expoſitionem quandam paraphraſticam inſtituemus. Quidam paterfamilias haeredem ſcripſit Titium, quem credebat eſſe ingenuum, eique ſubſtituit Sempronium, eo caſu, ſi nimirum Titius haeres non eſſet. Sed Titius ille deprehenſus fuit eſſe ſervus; qui adiit haereditatem, juſſu ſui Domini, ut Domino ſuo haereditatem illam acquireret: Sempronius autem ſubſtitutus, cum animadvertit, haereditatem non Titio, ſed hero illius acquiri, exiſtimat, ſe in conditione eſſe, atque adeo in diſpoſitione ſubſtitutionis, ſeu ſubſtitutionem ſuam locum habere; ſiquidem Titius revera non ſit haeres, ſed illius Dominus haereditatem invadat. Itaque haereditatem petit Sempronius. Julianus reſpondet, dici poſſe, Sempronium in partem haereditatis admitti; ſed non addit initio, in quantam. Cur autem Sem-

quia pater ille familias, veluti data opera, dominum Titii haeredem inſtituiſſet. Nam qui ſcit, ait Julianus, *aliquem ſervum eſſe, & eum haeredem ſcribit, & ita ſubſtituit, Si Stichus haeres non erit, Sempronius haeres eſto*, intelligitur dixiſſe: Si neque Stichus haeres erit, neque alium fecerit. Ergo ſi ſciviſſet, ipſum Titium eſſe ſervum; hic fuiſſet ſenſus: Si nec ipſe futurus eſſet haeres, nec dominum faceret haeredem. Itaque eo caſu, qui ſciviſſet Titium eſſe ſervum, Sempronius, quamvis ſubſtitutus, Dominum excludere non potuiſſet. Sed nunc infert Julianus: atqui hic talis caſus non eſt, ſed paterfamilias credebat Titium eſſe ingenuum; ideoque hic Sempronius (ob errorem videlicet patrisfamilias. ad partem admittitur; ne videlicet teſtator fine ſuo omnino fruſtretur. Et quicunque eum, quem liberum putat eſſe, haeredem ſcripſerit, qui poſtea ſervus fuit deprehenſus, nihil aliud ſuae inſtitutionis verborum complexu potuit ſignificare, quam Titius haeres eſto, & poſt eum Sempronius (ſi videlicet haereditatem Titius vel ſibi acquiſivit, vel mutata conditione alium haeredem non fecerit) nam non potuit tertium caſum intellexiſſe; quod videlicet, ſi, ſine mutata conditione, haeredem alium non fecerit: quia credidit eum eſſe in ſtatu libertatis, quo vivus alium non potuit facere haeredem, niſi hac mutata conditione. Cum itaque hic ſit alia ratio, quam in priori caſu, quo paterfamilias ſeu teſtator faciebat inſtitutum eſſe ſervum; atque adeo conſenſit, ut Dominus eſſet haeres. Ideo etiam, hoc ſecundo caſu, Sempronius ab haereditate excludi omnino non poteſt. Quae igitur ipſi pars aſſignanda? Reſpondet Julianus: hoc caſu ſemiſſes fieri, & alterum ſemiſſem inter Dominum Titii, tanquam haeredis inſtituti, & alterum inter ſubſtitutum Sempronium, aequis portionibus, dividendum. Cur ita? Quia Sempronius non omnino poteſt a complexu verborum inſtitutionis excludi: ſiquidem, qui credebat aliquem eſſe ingenuum, cum fuerit ſervus, erravit quidem in eo: ſed tamen ſcire debuit, & potuit fieri poſſe aliquando, ut futurus eſſet ſervus; atque, eo caſu, etiam Dominum acquiſiturum. Veriſimile igitur, non mentem teſtatoris fuiſſe alienam, ut noluerit Domino Titii acquiri; cum ea ſit conditio Titii, ut in ſervitutem cadere poſſit. Sed, inquies, quomodo intelligenda iſta diviſio? Cedit alter ſemis Domino Titii in ſolidum; alter aequis portionibus inter eundem Titii Dominum & Sempronium dividitur. Haec interpretatio, quae eſt κατὰ πόδα, & nullis ambagibus implicata, nec forinſecus accerſita, ſed ex ipſis viſceribus legis nata, ſi non ſatisfacit, poteris vel ad χείρον tolerabiliorem recurrere, vel meliorem expoſitionem adferre. Durum ne tibi videatur, quod Titii Dominus tres quadrantes accipiat, & Sempronius unum quadrantem; cum tamen Titius inſtitutus, vel illius loco Dominus, totam hereditatem adire poſſit. Si dicas, Julianum admittere Sempronium, initio legis, in partem haereditatis: & ego, cum lege, in partem admitto; ſed, lex initio non exprimit, in quam partem; tantum ſub finem, pars illa aſſignatur. Neque *lex ſequens* 41. hanc noſtram interpretationem mutare poteſt: nam, licet in ea dividatur haereditas inter Tiberium, & eum, qui Parthenio ſubſtitutus erat; non tamen ibi dicitur, in duas partes aequales eſſe diviſas. Intelligenda igitur eſt, eo modo fuiſſe diviſionem inſtitutam, qui in *fine* 40. *legis* fuit ſtatutus: quod nimirum ſemiſſes fuerint facti, & alter inter alios duos aequis portionibus diviſus.

APpoſite Antonius Auguſtinus *lib.* 4. *cap.* 17. *Emend.* monet, dedecori eſſe, toties evenire, ut interpoſita particula *Non* ἀντινομίαις ll. Juriſconſulti mederi conentur; in quos ſcommata illud quadret: Si controverſa eſt diſſenſio, ſubjiciet *Non.* Et culpam maximam penes Accurſium reſidere putat; qui, quae non probat, negatione addita, aut ablata emendet, cujus ſint frequentia iſta: *lege affirmative*, *lege negative*, vel *interrogative.* Nimis frequenter autem Accurſium in eo imitatus politiſſimus alioquin Jureconſultus Cujacius. Inter alia, locus eſt in *tract.* 1. *ad Africanum*, quem ſequitur etiam praeceptor olim meus, Vir clariſſimus, Dn. Julius Pacius, *centur.* 5. ἐναντιοφανῶν 96. ubi hanc movet quaeſtionem: *An haeres ſub conditione inſtitutus, ſi ignoret conditionem eſſe impletam, poſſit adire haereditatem?* Reſpondet Pacius, non poſſe adire. Confirmationis loco adducit *l. multum* 21. *ff. de condit. & demonſtr.* quoniam, ut adire poſſit, ſcire debet, haereditatem ſibi eſſe delatam *l. in repudianda* 23. *ff. h. t.* quandoquidem aditio cum animi deliberatione fieri debeat; ideo veram & certam ſcientiam deſiderat, *l. ſi totam* 76. *ff. de R. J.* Sed is, qui neſcit conditionem eſſe impletam, ſcire nequit haereditatem ſibi eſſe delatam. Proinde adire non poteſt. Huic opponit *d. l.* 21. *h. t.* §. *ult.* prout vulgo legitur: *Quid tamen, ſi ignoret conditionem extitiſſe? Puto, poſſe adire haereditatem.* Reſpondet, locum eſſe mendoſum; quem reſtituerit Cujacius, appoſita negativa particula. Legendum igitur eſſe: *Non puto poſſe*, &c. Male! Econtra, optime Gothofredus hunc §. *ult. d. l.* 21. interpretatur; quod hic, qui ignoravit, conditionem extitiſſe, plane ignorarit conditionem fuiſſe adjectam; atque adeo credidit, pure ſe fuiſſe inſtitutum. Ideoque, ſecundum hanc expoſitionem, non obſtat lex *multum* 21. *ff. de condit. & demonſtr.* quae loquitur de eo, qui ſcivit conditionem adjectam, ſed ignoravit eam eſſe impletam. Illam autem ſententiam legis eſſe affirmativam, conſtat tam ex antecedentibus, quam ex conſequentibus. Praecedentes enim & ſubſequentes *hujus legis* caſus, ambo affirmative deciduntur: quibus cum ſpecies illa noſtra, quae eſt in controverſia, comparatur, & ad eandem veluti claſſem refertur. Cur igitur veriſimile non ſit, eam quoque affirmative determinari? Sane, nova lex fuiſſet condenda, ſi contraria, negativa videlicet, definitio fuiſſet inſtituenda: nam in praecedentibus quaeritur, quid juris ſit, ſi quis ignorat portionem haereditatis; intellige, ſi ex aſſe haeredem ſe putavit, & non ex parte. Reſpondetur affirmative; nihil ei nocere, quo minus pro haerede gereret. Item, quid juris ſit, ſi conditionem, ſub qua haeres inſtitutus eſt, non ignorat, ſi tamen extitit conditio, ſub qua ſubſtitutus eſt. Reſpondet: ſi extitit conditio, ſub qua ſubſtitutus eſt, utique adire poteſt haereditatem. Quaſi dicat; non minus illo caſu, magis dubio, quam hoc ſecundo, haereditas recte aditur. Ubi iterum animadvertenda eſt affirmativa definitio. In conſequentibus quaeritur, quid ſtatuendum ſit, ſi quis ignoret ſubſtitutionis ſuae, qua cohaeredi ſubſtitutus eſt, conditionem, quod, repudiatione illius, portio ipſi ſubſtituto delata ſit. Eandem dicit eſſe rationem, cum priori (caſu nimirum eo, qui eſt noſtrae diſceptationis) atqui dubium non eſt, illam portionem ſibi eſſe delatam, quamvis hanc conditionem ignorarit extitiſſe; modo omnino ignorarit ſubſtitutionem, & ſe abſolute cohaeredem putarit. Ita enim haec ſpecies formanda: Qui ſe ex aſſe ſcriptum putat,

Digitized by Google

eam impletam *l.* 32. §. 1. *h. t.*) *putat enim, ſe poſſe ſtatim nanciſci haereditatem, & vult etiam ſtatim habere. Neque haec illius voluntas facultate deſtituitur; immo concurrit poteſtas. Licet enim vere fuerit ſub conditione ſcriptus, tamen, poſtquam ea evenit, perinde eſt, ac ſi pura fuerit inſtitutio.* Ita Hilligerus docte & eleganter huic ſententiae ſubſcribit. Sed refutandum ſupereſt argumentum Julii Pacii. Ut quis adire poſſit, ſcire debet haereditatem ſibi delatam. Concedo. Sed is, qui neſcit conditionem eſſe impletam, ſcire nequit, haereditatem ſibi eſſe delatam. Reſpondeo, qui ſolum neſcit hanc conditionem impletam, revera neſcit, haereditatem ſibi delatam; quod ſibi vult *d. l. multum* 21. Sed qui plane ignorat conditionem eſſe adjectam, & credit, pure ſe eſſe inſtitutum, quamvis ignoret quoque conditionem impletam, modo ſit impleta, ille non ignorat, ſibi haereditatem eſſe delatam. Novit enim & credit, quod revera eſt. Novit & credit, ſibi delatam haereditatem, & quidem pure; ea autem pura eſt, quamvis non initio facta, tamen eſt pura. Illius igitur aditio fit cum magna animi deliberatione, & illius opinio & perſuaſio eundem habet effectum, quem habet ſcientia; pure enim ſe credit inſtitutum: quamvis autem non ita ſit inſtitutus, ex poſt-facto pure haeres ſuit factus: quod conditio illa fuerit impleta. Unde, quod Accurſius hic notat, *vehementem opinionem veritati & certitudini exaequari*; melius ita formari poteſt & adaptari: Opinio, quae cum veritate concurrit, veritati & certitudini exaequatur, illa nimirum, quae prius ſuit opinio, poſtea tamen vera & certa eventu fuit facta. Vides igitur, aliam eſſe ſpeciem facti hujus §. *ult. l.* 21. & aliam *d. l. multum* 21. quae nullo modo ſit illi contraria, ut non opus ſit negativae particulae interpoſitione, & periculoſa Cujacii & Pacii noſtri correctione.

CAPUT XVIII.

Donelli & Ant. Fabri correctio l. 57. verſ. Quod ſi. ff. de Legat. 1. *reiicitur, & vulgata lectio retinetur.*

LEx ita habet: *Quod ſi teſtator eo animo fuit, ut quanquam liberandorum praediorum onus ad haeredes ſuos pertinere noluerit, non tamen aperte utique de his liberandis ſenſerit, poterit fideicommiſſarius per doli exceptionem a creditoribus, qui hypothecaria ſecum agerent, conſequi, ut actiones ſibi exhiberentur,* &c. Donellus ait, mendum eſſe in verbo *Noluerit*, & legendum, *Voluerit*. Hoc apparere ex ſequenti particula adverſativa, *Tamen*. Anton. Faber in eadem eſt opinione, *lib.* 11. *Conject. cap.* 10. Ego vero non video, cur iſta hic opus ſit correctione. Quamvis enim videatur parvi referre, ſive legas, *Noluerit*, ſive, *Voluerit*, quod ſcilicet fideicommiſſarius poſſit conſequi, ut ſibi actiones exhibeantur, quando non aperte de liberandis praediis ſenſerit; ſive teſtator voluerit liberatum eſſe haeredem, ſive noluerit; quod iſta voluntas ſive noluntas hic nihil operetur, propter obſcuritatem verborum teſtamenti: attamen multo nervoſior mihi videtur recepta lectio, quam iſta correctio. Nam, quia noluit onus liberationis praediorum ad haeredes pertinere, ad quem igitur pertinebit? cum non aperte de his liberandis ſenſerit. Naſcitur igitur quaeſtio hic de fideicommiſ-

ex vulgari lectione duplex ratio legis apparet; nimirum noluntas teſtatoris & obſcuritas, quae ratio poſterior priore corroboratur. Intellige igitur, non de noluntatis, ut ita loquar, obſcuritate: illa enim noluntas ſatis erat clara, ſed cum noluerit haeredes oneratos, & non expreſſerit teſtator, quis loco haeredum deberet eſſe oneratus, attamen conjici poterat fideicommiſſarium onerari, cavit ipſi certo remedio. Sic igitur multo planior eſt legis ſententia, ſi vulgatam lectionem retineamus, quam ſi Donelli & Ant. Fabri correctionem admittamus. Objectionem Donelli quod attinet, de particula *Tamen*; juvat ea potius cauſam noſtram, quam quod eam deſtruat. Nam ſenſus eſt: quanquam noluerit haeredes ſuos oneratos; tamen non etiam aperte ſenſiſſe, quem alium voluerit oneratum, quod onus facile poſſit ſuper fideicommiſſarium cadere; & cum noluerit haeredes oneratos, tamen non aperte ſenſiſſe, &c. Haec optime cohaerent; & non video, quae interpretatio opportunior afferri poſſit.

CAPUT XIX.

P. Perenonii divinatio reprehenditur, circa l. 82. §. 2. ff. de Legat. 2. *& vera §. illius mens aperitur, contra Gothofredum & alios.*

CErtum eſt, LL. ſacratiſſ. noſtras sttentum pleriſque in locis Lectorem requirere; qualis ſi non ſit, in errorem facile incidere poteſt. Et hoc quidem ſaepe ſaepius accidiſſe palam eſt, & apparet ex interpretibus *l.* 82. §. 2. *ff. de Legat.* 2. Eum §. credunt plerique contradicere *l.* 113. *in princ. ff. de Legat.* 1. in qua ſententiis etiam eſt vir doctiſſimus Dionyſius Gothofredus. Dicitur autem in illo §. 2. *Calumnioſa eſt enim illa annotatio, poſſe legari ſervo, & quandiu ſerviat.* Et in *d. l.* 113. *Servo alieno ita legari poteſt, quoad ſerviat, vel ſi ſervus forte Titii erit.* Quae inter ſe omnino pugnare videntur. Unde Perenonius, vir doctus, ut hoc diſſidium tolleret, negativam inſeruit verſic. *Calumnioſa eſt enim*; & legit; *Calumnioſa eſt enim illa annotatio, non poſſe legari ſervo:* ſed praeter inſtitutum & mentem legis, quam ipſe non erat aſſecutus. Senſus enim non eſt, falſam eſſe ſententiam, poſſe legari ſervo, &c. (hoc enim eſſet pugnare cum *d. l.* 113.) ſed falſam eſſe annotationem, quae fuit facta ad deciſionem Juliani, quae in ipſo textu continetur: *Id demum Servo alieno legari poſſe, quod ipſe liber factus capere poſſet.* Qua annotatione reprehenditur his & ſimilibus verbis Juliani definitio: *Poſſe legari ſervo & quandiu ſerviat.* Quaſi illis verbis Juliani ſignificatum fuiſſet, non poſſe legari ſervo, quando dictum eſt: Id demum legari poſſe ſervo, quod ipſe liber factus capere poſſet; quod tamen minime fuit ſignificatum. Ideoque annotatione illa male fuit contradictum verbis, quibus Julianus quaeſtionem illam definivit. Et ſane optime hic Accurſius annotationem reprehenſionem interpretatur. Calumnioſa igitur eſt illa reprehenſio, quae facta eſt a neſcio quo, adverſus deciſionem illam Juliani. Sicuti quoque fruſtra reprehenderemus, ſeu, ut loquitur textus, annotaremus, eſſe quoſdam ſervos, qui licet libertatem conſequi non poſſint, attamen legatum & haeredi-

Digitized by Google

ut nullum ſit pugnae aut ἀντινομίας veſtigium, nec critica illa interpoſitione negativae particulae, ulla ratione, indigere.

CAPUT XX.

Cujacii & Donelli correctio profligatur circa l. 66. §. penul. ff. de Legat. 2.

UBi Lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus; ubi vero Lex non corrigit vel correctione indiget, cur Legem corrigamus? Sanus eſt *l.* 66. §. *penult. Sin autem res mea legetur mihi, legatum propter iſtas cauſas non valebit.* Cujacius tamen *Tract.* 5. *ad African. ad l.* 35. *de vulgar.* & Donellus *lib.* 8. *cap.* 11. putant eſſe mendoſum, & nolunt legendum eſſe: *Propter iſtas cauſas*, ſed, *Praeter iſtas cauſas:* & ſic legi aſſeverant, in quibuſdam exemplaribus. Num Manuſcriptis? num fidis & alicujus authoritatis? Hic tacent docti illi Viri. Nos vero opponimus illis exemplaribus incertae fidei Bibliothecam Florentinam & Piſanam, quae illorum exemplarium talium-qualium authoritatem, quibus legitur *Propter*, non *Praeter*, multis paraſangis ſuperat. Sed, attendamus argumenta! Donellus ait: *Inepta eſſet ratio; nam etſi poneremus, iis caſibus legatum non valere (quod non ita eſt) non tamen fieret propter pignus, aut uſumfructum alienum; cum per ea non res magis mea fiat, ſed minus, &c.* Cujacius ait: *In hoc verſu explicando quis non laboravit? ſed omnem rem expedivit laborando, qui* Praeter *legit, non* Propter. Sed enim, tam cito non expediveris, Cujaci, uti putas; nam manet eadem difficultas, quamvis *Praeter* legas, ut poſtea ſum dicturus. Ut autem in veram *hujus paragraphi* mentem penetremus, totus erit enucleandus. Supra teſtator rem ſuam legavit, in qua tamen alius aliquis habuit uſumfructum; hic uſusfructus, vel aeſtimatio illius peti poteſt, per legatarium ab haerede; is enim legatario hunc uſumfructum praeſtare debet. Rationes ſunt: Prima; *Uſusfructus etſi in jure conſiſtit, emolumentum tamen rei continet.* Secunda ratio eſt; *Fundo relicto, ob reliquas praeſtationes, quae legatum ſequuntur, agetur* contra haeredem; ut is, videlicet, liberet fundum, & praeſtet legatario, ut fundum poſſit habere, & libere poſſidere: *verbi gratia, ſi fundus pignori datus*, debet pignus luere, *vel aliena poſſeſſio ſit*, hoc debet curare & praeſtare, ut legatarius poſſeſſionem aſſequatur; quamvis iſtud locum non habeat in caeteris ſervitutibus: nam haeres non tenetur fundum liberare a ſervitute viae vel itineris, vel ſimilibus, *l. cum filius* 76. §. *Dominus* 2. *ff. de legat.* 2. *l. ſervo* 69. §. *ſi fundus* 3. *ff. de legat.* 1. ſed tantum praeſtabit, qualis eſt. His praemiſſis, Papinianus alium format caſum: *Sin autem res mea legetur mihi.* Supra enim res teſtatoris fuit legata, ſed alius habuit uſumfructum, vel alii fuit oppignorata, vel alius poſſedit. Nunc igitur videndum, ſi res legatarii fuit legata illi ipſi legatario, utrum hoc legatum valere debeat, *propter iſtas cauſas* praecedentes; vel non. Quaenam ſunt illae cauſae praecedentes? Thematis praecedentis, nimirum, *Fundi legati uſumfructum alienum petendum ab haerede.* Cauſae fuerunt hae: 1. Quod uſusfructus ſit emolumentum fundi. 2. Quod ob praeſtationes reliquas, veluti ſi fundus pignori fuerit datus, vel ſi ſit aliena poſſeſſio, agitur adverſus haeredem; ergo etiam ob uſumfructum. Quaeritur itaque, num ob has cauſas valeat non propter iſtas. Scopus igitur eſt, diverſitatem caſuum iſtorum oſtendere. Prima diverſitas eſt in diſpoſitione juris: nam priori caſu legatum valuit; hoc autem non valet. Secunda diverſitas eſt rationum: nam hoc poſterius legatum non valet, ob alias rationes, non ob priores rationes, intellige, ob defectum cauſarum. Nam alioquin rerum contrariarum contrariae ſunt rationes; eaedem videlicet, quo ad ſubjectum & praedicatum, ſed negative formatis Enunciationibus. Nam prius legatum videtur valere, quia uſusfructus etiam pertinet ad legatarium; & quia omnino fundus erat liber praeſtandus ab haerede. Sed, hoc poſteriori caſu, legatum non valet, ideo, quia teſtator, qui habuit uſumfructum, non poteſt praeſtare uſumfructum, vel quia non poteſt pignus luere, vel poſſeſſionem non poteſt tradere. Sunt igitur aliae rationes, ob quas res mea mihi legari non poſſit (quamvis ſimili caſu cum praecedentibus) ſi ſcilicet in re illa mea teſtator habuit uſumfructum, vel jus pignoris, vel poſſeſſionem. Quaenam igitur eſt illa alia ratio? Reſpondeo: hoc legatum eſt inutile; quia, quod meum eſt, amplius meum fieri non poteſt. Quare fruſtra Donellus laboravit in refutatione hujus lectionis receptae, quaſi inepta eſſet ratio. Utique inepta eſſet, ſi haec eſſet legis, quam ipſe putat vulgaris lectionis eſſe ſententiam; nempe, non valere legatum propter pignus, aut uſumfructum alienum. Sed haec ratio minime eſt inepta, ſi hoc modo intelligas, illas rationes praecedentes, contrario ſenſu adaptatas (nimirum negative, cum etiam caſus iſte poſterior ſit negativus, & priori oppoſitus, vice verſa) non poſſe applicari ad hoc legatum poſterius: *Si res mea mihi legetur*; ut ſcilicet, quibus rationibus prius legatum valuit, iis rationibus poſterius legatum (negative applicatis) valere non poſſit; ſed aliam eſſe rationem, cur legatum non valeat: *Si res mea mihi legetur.* Oswaldus Hilligerus *in notis ad Donell. Enucl. lib.* 8. *cap.* 11. *lit. O.* non quidem huic ſententiae omnino ſubſcribit; ſed non multum aberrat, cum dicit: *Propter iſtas cauſas non valebit*, id eſt, non licet ex ſuperioribus argumentis ducere; ut, quia iſtis caſibus legatum ſubſiſtit, ita & rei meae legatum valeat. Dicendum enim fuiſſet, ut, quia iſtis caſibus legatum ſubſiſtit, ita vice verſa rei meae legatum, propter iſtas cauſas, negative applicatas, non valeat. Nam, quia ideo non valet legatum rei meae, quod ſit res mea, ideoque amplius mea fieri non poſſit (atque ita ratio eſt in ipſis viſceribus caſus; ideo alia non opponitur) ideirco hujus non valoris ratio non poteſt eſſe pignus vel uſusfructus, id eſt, ſi alienus quidem pignus non habeat, vel poſſeſſionem, vel uſumfructum, ut priori caſu, ſed ipſemet teſtator. Nam ideo, quia teſtator habet illud jus, non ſequitur, quod illa res non poſſit amplius mea fieri. Imo contrarium ſequitur; non, quia teſtator habuit pignus vel uſumfructum, ideo minus eſſet mea illa res legata. Accurſius appoſite, ad *h.* §. his verbis: *Cum plenam etiam, ſine legato, ſim habiturus proprietatem*; illo nimirum teſtatore mortuo. Recte etiam hoc obſervavit Cujacius: ſed ideo non debuit mutare lectionem Florentinam, & *Propter* in *Praeter* mutare: nam adhuc ſenſus ille, quem explicui, ſupereſt. Deinde, quid interpretationi ſuae prodeſt illud *Praeter?* Obeſt potius, & plane obſcurat ſenſum, vel pervertit, niſi ad noſtrum trahatur. Nam, ſi dicas,

Digitized by Google

non ſunt vere; nam uſuſfructus, pignus, poſſeſſio vere ſunt & poſſunt eſſe etiam in re mea mihi lega-

Et ſic luce meridiana clarius eſt, a [illegible] recepta nullatenus eſſe recedendum.

F I N I S.

INDEX CAPITUM.

CAP. I. *Vindicatio* l. 5. §. 1. ff. Ne quis eum, qui in jus vocabitur, vi eximat. *Adverſus Anton. Fabrum, Sab. Praeſ* Pag. 509

II. *Vindicatio* l. 5. ff. de Pactis. *Contra Jacobum Raevardum.* 510

III. *Vindicatio* l. 27. ff. de Pactis. *ab expunctione Ant. Fabri.* ibid.

IV. *Vindicatio* l. 3. ff. de Minor. 25. annis in princ. *& vera ejus docetur ſententia: adverſus Jacobum Raevardum.* 511

V. *Pinelli & P. Buſii correctio reprehenditur; &* l. 15. § ult. ff. de Uſufruct. *a depravata lectione & ſenſu vindicatur.* 512

VI. *Rejicitur Antonii Fabri correctio* l. 1. princ. ff. Quib. modis uſusfruct. amitt. *& vera legis ſententia aſſeritur.* 513

VII. *Franciſci Hotomanni expunctio ex* l. penult. ſub fin. princ. ff. Si Uſustr. pet. *improbatur, & vera legis ſententia defenditur.* 515

VIII. *De lectione* l. 12. §. 1. ff. de Uſu & Habitat. *ubi Cujacii, Donelli, & Connani inprimis correctio rejicitur.* 516

IX. *Vetus lectio Senatusconſulti Velleiani defenditur* l. 2. §. 1. ff. ad Senatusconſultum Vellej. *contra Cottam, Hotomannum & Hortenſium.* 517

X. *Lectio* l. ult. §. 2. ff. ad Senatuſconſultum Vellejanum, *contra Hortenſii expunctionem defenditur.* 519

XI. *Servandam eſſe lectionem Pandect. Florentinarum, quae communis eſt, in* l. Mandatum 57. ff. Mandati. *adverſus Donelli & aliorum criſin; & vera ſententia* d. l. *docetur adverſus Robertum & alios.* 519

XII. *Aſſeritur lectio conſueta* l. 9. §. 3. ff. Locati. *adverſus Vultejum, Gothofredum, & Valent. Gul. Forſterum.* 522

XIII. *Rejicitur emendatio* l. 15. §. 7. ff. Locati. *ab Hotomanno introducta.* 523

XIV. *Defenditur lectio Florentina*, l. 7. §. ult. ff. de diſtractione pignorum. *adverſus Donellum, & alios.* ibid.

XV. *Vindicatio* l. 40. ff. De haeredibus inſtituendis *a correctione, & depravatione Alciati. Antiquae lectionis aſſertio; & vera legis interpretatio* 525

XVI. Ejuſdem legis *vindicatio, adverſus Cujacium.* 526

XVII. *Lectio vulgaris* l. 21. §. ult. ff. de acquir. hered. *contra Cujacium & Pacium aſſeritur.* 528

XVIII. *Donelli & Ant. Fabri correctio* l. 57. verſ. Quod ſi. ff. de Legat. 1. *rejicitur, & vulgata lectio retinetur.* 529

XIX. *P. Perenonii divinatio reprehenditur, circa* l. 82. §. 2. ff. de Legat. 2. *& vera §. illius mens aperitur, contra Gothofredum & alios.* 530

XX. *Cujacii & Donelli correctio profligatur circa* l. 66. §. penult. ff. de Legatis 2. 531

DET-

Digitized by Google

DETLEVI LANGEBEKII,

HAMBURGENSIS JURISCONSULTI,

I N

LEGES ALIQUOT PERDIFFICILES, ET NONDUM SATIS INTELLECTAS,

NOVAE ANNOTATIONES.

Acceſſit Rerum & Verborum in iisdem praecipue memorabilium Index.

Recenſuit

JOACHIMUS CLUTEN,

Parchimenſis Megapolitanus.

Digitized by Google

HENRICO RANTZOVIO,

Joan. Equit. aurat. F. inclyti Regis Daniae in partib. Holſaticis vicario,

DETLEVUS LANGEBEKIUS

S.

QVam grave exiſtimationis onus ſibi imponat, Vir Nobiliſſ. qui commodo Studioſorum conſultum volens, publico ſcripto ſe quicquam in eorum gratiam, cujus praeſens & expedita ſit utilitas, prolaturum teſtatur; & ipſe non ſine dolore expertus ſum. Cum enim ſuperioribus annis, de textu Juris Civilis ſingulari ac mirabili quadam ratione numerariis notis illuſtrando, perfectoque Indice conficiendo, ad Franciſcum Balduinum Juriſconſultum ejus poſtulatu ſcripſiſſem; mirum quam avide, obviiſque (ut ajunt) ulnis, ea res protinus a ſtudioſis & excepta & deſiderata fuerit! Quare & multi docti viri me frequentibus literis, non ſolum admonere, ſed & urgere, atque etiam tarditatem (ut exiſtimabant) meam, paulo acerbius incuſare, non deſtiterunt: cum enim ſummam ejus rei commoditatem intelligerent, vix quiſquam erat, qui non & pridem abſolutam eſſe, & jam in publico apparere cuperet Quae nimia, atque etiam injuſta multorum feſtinatio, quam gravis mihi hactenus fuerit, vix verbis explicare poſſim. Videbam enim eos, tum pondus ac magnitudinem rei non ſatis conſiderare; tum levius paulo de incredibilibus meis laboribus judicare. Ut taceam de illis, qui ob tam longam (ut ipſis forte videtur) moram, de exitu deſperantes, impoſſibile quiddam, ac quod nunquam proditurum ſit, me tentaſſe, invidioſius exiſtimant. Ut autem conſtare poſſit, nullam mihi merito negligentiae ac ceſſationis culpam adſcribi poſſe, nemoque adeo ob paucorum annorum moram deſperandum putet, eaque de cauſa mihi quicquam detrahat: conſtitui hac Epiſtola, ſtudium ac diligentiam in ea re meam paucis declarare. Plane autem confiteor, ſancteque affirmo, me, quantum quidem per neceſſaria negocia licet, nihil mihi dare vacui temporis, omnibusque adeo nervis abſolvendo operi incumbere. At quanti, & quam infiniti prope laboris res ſit, ipſe hactenus ſatis expertus ſum, & adhuc ſumma cum moleſtia ſentio. Atque utinam hoc quadriennio Corpori juris vacare licuiſſet! jam pridem & abſolutum, & praelo commiſſum fuiſſet. Sed quia multis doctis viris placebat, ob magnam, quam praetendebant, ſtudioſorum utilitatem, me prius ipſum Indicem aggredi, & qua poſſem cura conficere; non potui eorum judicio ac voluntati non acquieſcere. Cum autem is jam Dei beneficio ad finem perductus ſit, ſolusque mihi & exſcribendi, & in ordinem redigendi labor reſtet: dici non poteſt, nec a quoquam facile credi, quantum & hic taedii, atque improbae moleſtiae feram. Incredibilis eſt enim rerum cumulus ac multitudo; ſingulaque non tantum minutatim ac ſcrupuloſe colligenda, ſed & omnia mea unius tantum opera ac manu peragenda: res enim non patitur, me cujusquam ope atque auxilio in ea re uti. Quare non eſt, quod ſtudioſi tam anxia expectatione ſe crucient: brevi haud dubie fidem meam apud eos, etiam cum foenore, liberaturus ſum, habebuntque rem ſtudiis ſuis ſupra modum aptam, commodam atque utilem; & cujus mihi, ſi candidi eſſe volent, perpetuo gratias agent. Cum autem, Nobiliſſ. Vir, huic rei, jam annis plus minus quatuordecim, aſſidue vaco, & magna cura atque intentione Textus Juris civilis ſcrutor, incidi plerunque in LL. quasdam, in quibus explicandis Accurſius atque alii, mihi nonnihil a ſcopo aberrare videbantur: quare temperare mihi non potui, quin protinus, ut quaeque offerebantur, arrepto calamo, obiter memoriae cauſa, quid mihi in illis ſententiae eſſet, annotarem. Cum igitur ejuſmodi Annotationum ſatis magnum numerum in adverſariis haberem; libuit hoc tempore ex illis nonnulla tantum capita, non quidem praecipua ac ſelectiora, ſed, ut forte occurrerunt, in publicum proferre, tum, ut ſtudioſis novi aliquid objicerem, tum, ut aliorum ingenia ad ſimilia tentanda excitarem. Quam enim utilis expurgando ac reſtituendo Jure civili, in quo tam multos & inſignes viros tanta cum laude ſudare videmus, haec res ſit, nemo haud dubie erit, qui negare audeat. Nam licet in ſpeciem levior paulo multis videri poſſit; tamen fructu atque utilitate facile multorum, in cumulatione allegationum ac materiarum operoſos labores vincit. Ipſo enim textu vel depravato, vel perperam & non recte intellecto, non video quid certi ac ſinceri de jure reſponderi poſſit. In confeſſo eſt enim, omnes omnium diſciplinarum errores & corruptelas, inde primum originem ſumpſiſſe. Et quamvis cum illis minime ipſe comparandus ſim, tamen utique ſtudium & conatum in ea re meum, non improbatum iri exiſtimo. Quid enim prohibet, me, licet tenuiorem, poſt tantorum virorum terga, ſpicas

ille-

Digitized by Google

[illegible] prae caeteris in mentem veniſti, cui hoc qui-quid eſt exigui ſcripti dedicarem: nec enim mihi ad omnia te opportunior hoc tempore occurre-re potuit. Quare non dubito, quin, qua es virtute, eruditione, humanitate atque intelli-gentia, haec mea & ad judicandum, & ad defendendum benigne ſuſcipere velis. Ac quam-vis hoc loco de tua, generiſque tui nobilitate & virtutibus amplius commemorandi magna eſſet occaſio; tamen quia (ut audio) Pierides res patris tui brevi meritis encomiis ornabunt, ipſe huic rei ſuperſedere conſtitui. Vale, Vir modis omnibus Laudatiſſime; ac me tibi commenda-tum habe. Hamburgi 12. Id. Mart. Anno a nato Chriſto, M. D. LXIV.

LEGUM ET PARAGRAPHORUM,

Quae ſingulis Capitibus explicantur, Elenchus.

Cap. I. *Nova ac vera explicatio* l. Filius a patre 28. in princ. D. de lib. & poſthum.

II. *Verus ſenſus* l. periculi precium 5. D. De nautico ſoenore.

III. *Alio ſenſu declaratus* §. ſi inter virum 24. l. cum his ſtatus 32. D. De donation. inter vir. & uxor. *quam ab Accurſio vel aliis factum ſit.*

IV. *Vera ſpecies* leg. dotale praedium cujus 15. D. fundo dotali.

V. *Alium eſſe ſenſum* l. ſi quis ita haeres 74. D. De haered. inſt. *quam hactenus vulgo exiſtimatum ſit.*

VI. *Doctores hactenus non intellexiſſe* l. 2. D. rem ratam haberi. *Vera igitur ejus ſpecies propoſita.*

VII. *Alio ſenſu explicata* l. qui plures haeredes 23. D. De vulg. & pupill. *ſub quam hactenus factum ſit.*

VIII. *Male ab Accurſio intellectum eſſe* §. 2. vers. ſed etſi unus l. 2. D. De praetoriis ſtipulat. *Quare vero ſenſu declaratus.*

IX. *Perperam hactenus intellectam* leg. Proculus 18. cum princip. leg. ſeq. D. de negociis geſtis. *Alio igitur & vero ſenſu declarata.*

X. *Vero intellectu conciliata* l. 8. D. De praetor. ſtipul. *cum* l. Inter 12. D. Qui ſatiſd. cog.

XI. *Quae ſint verae rationes dubitandi in* §. ult. l. cohaeredi 41. D. De vulgar. & pup. ſubſtit.

XII. *Emendatus & declaratus* §. a filia pater 10. *in* l. cum pater filios 77. D. De legat. 2.

XIII. *De intellectu* §. ſi Titius 6. l. ſi fundum ſub conditione 84. D. De legat. 1. *contra Accurſium.*

XIV. *Vera ſpecies* §. 1. l. ſi alii uſus 42. D. De uſufruct.

XV. L. 16. & l. ult. D. ad Senatusconſultum Turpilian. *aliter quam ab Accurſio factum ſit, declaratae.*

XVI. *Aliam eſſe ſententiam Juriſconſ. in* §. 7. l. pater filium 38. D. De legat. 3. *quam Accurſius crediderit.*

XVII. *Quid apud Juriſconſultos ſit,* Male agere: *item,* Nihil agere, *contra aliorum ſententiam.*

XVIII. *Vero ſenſu explicatus* §. 1. *in* l. 32. D De uſufruct. legato. *rejecta Accurſii interpretatione.*

XIX. *In* §. fin. vero filius 3. l. quaeſitum eſt 30. D. De peculio: *quaedam aliter explicata quam ab Accurſio factum eſt.*

XX. *De abſciſſo & pendente jure filii, in* §. ſi filium 2. l. 9. D. De liber. & poſthum.

XXI. *Conciliatio* leg. ſi quis in legatione 8. D. De judiciis, *cum* §. 1. l. eum qui 5. D. De conſtit. pecunia.

XXII. *Explicatio illorum verborum, quibus Ulpianus in* l. 1. §. ideo autem 20. D. De exercitor. action. *dicit,* In re dubia melius eſſe, verbis edicti ſervire

XXIII. *Vera ſpecies* §. Item ſi meſſes 3 in l. fructus 7. D. Solut. matrim. *praeter aliorum ſententiam explicata.*

XXIV. *De intellectu* leg. 4. §. 2. D. De manumiſſ. teſtamento, *declaratio.*

XXV. *Vera ſpecies* l. 2. C de conditionib. inſertis.

XXVI. *Verus intellectus* leg. 44. D. Ad leg. Falcid. *contra Accurſium.*

XXVII. *Vera explicatio* §. ultim. *in* leg. 3. D. De haeredibus inſtitue.

XXVIII. *Utilis ac commoda interpretatio* l. ſi filiusfam. 18. D. Ad l. Falcid. *qua oſtenditur, quomodo veterum Juriſconſ. argumentationes explicandae.*

XXIX. *Duobus locis Accurſium non ſatis ſententiam Juriſconſ. percepiſſe, atque aliud quam voluerunt interpretatum.*

XXX. *De diviſione Stipulationum.*

XXXI. *Vera ſpecies ac ſententia* §. 1. l. cum tabulis 16. D. De his quae ut indig. aufer.

XXXII. *Dilucida explicatio* l. ſi ſervo 26. D. De adimendis legat.

XXXIII. *De intellectu* l. ſi quis teſtamento 12. D. De ſtatuliber.

XXXIV. *Commoda explicatio* l. Plautius 49. D. Ad l. Falcidiam.

XXXV. L. Marcellus 14. D. De in rem verſo, *aliter quam ab Accurſio factum ſit explicata.*

XXXVI. *De certis & incertis Contractibus admonitio.*

XXXVII. *Nova ac probabilis explicatio* §. Cato 1. in l. 4. D. De verb. obligat.

XXXVIII. *Verus intellectus* leg. cum dominus 19. in princip. D. De pecul. legat.

XXXIX. *Correctus ac reſtitutus* §. utrum. 3. l. ſi is qui ducenta 13. D. De rebus dubiis.

XL. *Nova ac vera explicatio* §. forſitan 8. *in* l. Gallus 29. D. De liber. & poſthum.

XLI. *De capitibus* l. Velleiae, *& quae illis ad perfectam ſententiam deeſſe videantur.*

XLII. *De intellectu* §. ultim. *in* l. Gallus. 29.

Elenchi Capitum Finis.

DET.

ANNOTATIONES.

CAPUT I.

Nova ac vera explicatio L. Filius a patre 28. in princ. D. De liber. & poſthum.

Tryphoninus lib. xx. Diſputationum.

F*ilius a patre, cujus in poteſtate eſt, ſub conditione, quae non eſt in ipſius poteſtate, haeres inſtitutus, & in defectum exhaeredatus, deceſſit; pendente etiam tum conditione, tam inſtitutionis quam exhaeredationis. Dixi, eum haeredem ab inteſtato mortuum eſſe; quia dum vixit, neque ex teſtamento haeres, neque exhaeredatus fuit; haerede autem ſcripto ex parte filio, cohaeres poſt mortem filii inſtitui poteſt.*

Filius, ſub conditione, quae non eſt in ipſius poteſtate, inſtitui poteſt, ſi modo ſub contraria conditione exhaeredatur, hoc ſcilicet modo: *Si Titius conſul fuerit factus, filius meus haeres eſto; ſi non fuerit factus, exhaeres eſto.* Cum ergo talis inſtitutio atque exhaeredatio conſiſtat, *l.* 4. *C. de inſtitut. & ſubſtitut. l jam dubitari* 86. *D. de haered. inſtitut.* quaeri poteſt: Num, ſi moriente filio, etiam tum pendeat conditionis vel eventus, vel defectus, valeat utique tale teſtamentum, nec filius patrem inteſtatum facere poſſit. Quod videbatur; cum talis inſtitutio atque exhaeredatio rite facta ſit, & ab initio utiliter conſtiterit, omninoque neceſſe ſit alterutram conditionem quandoque exiſtere, *l.* 60. *in fin. princ. D. de condict. indeb. l.* 8, *§. ſi ita* 1. *D. de periculo & commod. rei empt.* quae neceſſitas & in cauſa eſt, quod talis forma inſtituendi recepta & admiſſa fuit. Sed tamen Tryphoninus aliud decidit; ſcilicet, hunc filium morte ſua patri ab inteſtato haeredem fuiſſe: nam cum in tempus mortis ejus, tam inſtitutionis, quam exhaeredationis conditio pependerit; in vita ſua, ex teſtamento, neque haeres, neque exhaeredatus fuit: quare morte ejus teſtamentum nullius eſſe momenti apparuit. Quaſi enim praeteritus judicandus eſt, cujus in vita neque inſtitutionis neque exhaeredationis conditio extitit. Quamvis enim verum ſit, alterutram conditionem omnino extituram: tamen neceſſe eſt idipſum vivente adhuc filio fieri, *l. unica §. fin autem aliquid* 7. *C. de caduc. toll.* ut certa extet cauſa, quia vel inſtitutus vel exhaeredatus ſit, *l.* 18. *D. de bonor poſſ. contra tab.* alias totius teſtamenti jus concidit. Cauſa enim, ex qua quid vel valeat, vel debeatur, praecedere ſemper debet, *l. hujusmodi* 13. *D. quand. dies legati ced.* non enim ſufficit, omnino quid eſſe futurum, niſi & in vita ejus extet, cui jus aliquod inde quaeri debet, *d. §. fin autem aliquid* 7. Nam, quemadmodum in legatis, ſi alicui, ſive illud factum fuerit, ſive non legatum ſit; quamvis certum ſit, alterutrum omnino futurum, tamen ut ejus legatario cedat dies, neceſſe eſt alterutrum caſum vivo legatario extare: alias ſi pendente utroque caſu deceſſerit, *d. l. hujusmodi* 13. nihil ad haeredem tranſmittet. Sic & in ſupraſcripto caſu: niſi vivente filio alteruter caſus evenerit, nulla fuiſſe videbitur cauſa, ex qua valuiſſe teſtamentum judicari poſſit: pendente enim utraque conditione, non eſt verum, filium in vita vel inſtitutum vel exhaeredatum fuiſſe. Nam *quod pendet, non eſt pro eo quaſi ſit, l. is damnum dat.* 69. *§.* 1. *D. de regul. juris*; ad quam decidendi rationem pauci reſpexerunt. Quid autem, ſi huic filio ſubſtitutus datus ſit? Et in poteſtativis conditionibus verum eſt, *l. ſuus quoque* 4. *§. ultim. D. de haeredibus inſtituendis.* ſi filius in tempus uſque mortis conditionem trahat, nec impleat; morte ejus ſubſtitutum admitti: & quandoque etiam vivente adhuc filio; nempe ſi talis ſit conditio, quae ultimo vitae momento impleri non poſſit, *l. ultim. D. de condit. inſtitut.* At noſtro caſu dubium admodum eſt, num ſubſtitutus aliquo caſu admitti poſſit. Nam ſive in caſum exhaeredationis, ſive in caſum inſtitutionis, ſubſtitutionem conſideremus, non videtur ei locus eſſe poſſe. Ac primo, quantum ad inſtitutionem, ſubſtitutio filio facta, non ex loco eſt, quaſi ſi extraneo facta eſſet. In extraneo enim nihil refert, quomodo impediatur, cum eo quocunque modo ſublato, & ſive non potuit, ſive noluit haeres eſſe, *l.* 3. *Cod. de haered. inſtitut.* ibi DD. in locum ejus recte ſubſtitutus vocetur. In filio autem, qui ſub fortuita conditione inſtitutus, & in defectum ejus exhaeredatus eſt, & pendente utroque caſu deceſſit, longe aliud eſt. Nam cum, in tempus uſque mortis ejus, nulla extiterit cauſa, ex qua potuerit haeres eſſe, ſubſtitutus ex capite inſtitutionis nullo modo admitti poterit. Ut enim teſtamentum valeat, neceſſe eſt filium ita inſtitui, ut in poteſtate & arbitrio ejus omnino ſit, velit haeres eſſe, nec ne: quod in propoſita ſpecie non eſt: Nam quamvis a principio recte inſtitutus fuerit; tamen exitus declaravit, eum, etiamſi maxime voluiſſet, nunquam potuiſſe eſſe haeredem, *l. ejus eſt nolle* 3. *D. de regulis juris. l.* 4. *D. de acquir. haered.* quare non mirum, ſi morte ejus talis inſtitutio irrita fiat, nec per hoc ſubſtitutio locum habere poſſit. Principali enim deſtructo, nec quod ex eo pendet, ſubſiſtit, *gloſſ. in verbo pertinere. l. ſi poſthumus* 14. *D. de liber. & poſthum.* Exhaeredationis autem nomine inutilem fuiſſe ſubſtitutionem, indubitati juris eſt; cum nuſquam relatum ſit, exhaeredato, praeterquam pupillo, in ipſius ſcilicet bonis, ſubſtitui poſſe, *§. non ſolum* 43. *Inſtit. de pupill. ſubſtit. l.* 1. *D. de vulg. & pupill. ſub.* In bonis enim teſtatoris ſcripto haeredi, & in defectum inſtitutionis ſubſtituendum eſt, *d. l.* 1. ibi *gloſſ.* alias a ſubſtitutione inciperet teſtamentum, *l.* 2. *in fin. D. de vulg. & pupill.* & inepte hoc nomine appellaretur: praeſertim cum & ipſa exhaeredatio, non ſecus atque inſtitutio, ex defectu conditionis irrita fuit, nec effectum habuit. Nullus ergo caſus in propoſita ſpecie utilis invenitur, quo ſubſtitutio locum habere potuit. Nec eſt quod DD. dicunt, ad ſuſtinendum teſtamentum, & exhaeredationem in eo factam, neceſſario praeſupponendum eſſe, ſaltem ſubſtitutum aliquem fuiſſe adjectum, cujus aditione confirmari potuerit exhaeredatio: niſi enim ex teſtamento adeatur haereditas, exhaereda-

Digitized by Google

per hoc teſtamentum interim valuit, quod ex adjecta exhaeredatione probatur. Nec ad ſuſtinendam hanc exhaeredationem quicquam potuit ſubſtitutio, quae & in caſum exhaeredationis (ut ſupra dictum eſt) non potuit habere locum, cum quo ad validitatem teſtamenti, inſtitutio & exhaeredatio per ſe ſuffecerint: in quo omnes DD. quotquot fere ſunt, admodum falli conſtat. Valuit enim teſtamentum abſque ullo vel cohaerede vel ſubſtituto, uſque in tempus mortis filii: ejus autem morte, tam inſtitutio, quam exhaeredatio, ac per hoc totum teſtamentum corruit, nec cohaeredis vel ſubſtituti datione ſuſtineri potuit: quod tamen quidam nimis abſurde volunt. Cum enim in vita ejus nec inſtitutionis nec exhaeredationis conditio extiterit; periode eſt, ac ſi omnino praeteritus fuiſſet. Patrem ergo tantum moriendo, ſi neutra conditio eo vivo extitiſſet, inteſtatum facere potuit, non ante: quod forte patri ſatis fuit. Si vero, vivo filio, inſtitutionis conditionem extitiſſe proponeremus, tum quidem ſuſtineretur cohaeredis vel ſubſtituti datione teſtamentum; & ſi non eſſet filius haeres, ſubſtitutum vel cohaeredem admitteremus. At ſi exhaeredationis conditio eveniſſet, cohaeres quidem admitti poſſet, confirmareturque ejus aditione exhaeredatio; ſubſtitutus autem nullo modo, niſi cohaeredi filii ſubſtitutum poneremus. Quomodo enim exhaeredato quis ſubſtitutus intelligi poſſit? cum privatio neceſſario praeſupponat habitum, *l. decem.* 116. *cum ſimilib. D. de verb. obligat.* nec caſus exhaeredationis ſubſtitutioni conveniat: praeterea cum & ex hac ſubſtitutione, exhaeredato in ipſius ſcilicet bonis facta, teſtamentum patris, quod omnino neceſſarium erat, confirmari non potuit, *l.* 10. §. *ſi ex aſſe* 4. *D. de vulgar. & pupill.* Sed cum ſupra dictum ſit, ob utramque conditionem pendentem, morte filii teſtamentum irritum fieri, nec ſubſtituti vel cohaeredis datione ſuſtineri; quaeri poterit, num aliquo caſu vel remedio teſtamento ſubveniri poſſit, ut poſt mortem filii valeat. Et reſpondet Tryphoninus, *verſ. Haerede autem pro parte:* id quidem fieri poſſe, ſi filius pro parte ſub conditione fortuita ſit haeres inſtitutus & ſub contraria conditione exhaeredatus: & illi pure cohaeres datus, qui & praeterea poſt filii mortem haeres ſcriptus ſit. Illo enim caſu, licet filius pendente utraque conditione decedat, ſicque teſtamentum morte ejus concidat; tamen quia cohaeres, & poſt ejus mortem haeres ſcriptus eſt, ſuſtinetur teſtamentum. Idque favore teſtatoris, qui ſaltem poſt mortem filii, haeredem habere poſſit, *arg. l.* 42. *in princ. verſ. Quae ſententia. D. de acquir. haered.* quem vivente filio, quamdiu neutra conditio extitit, habere non potuit, nec etiam voluit. Conſtitit enim teſtamentum a principio, recteque factum fuit, &, licet morte filii, ipſo jure deſtituatur: tamen, quia nullam id filii ipſius utilitatem reſpiciat, ac poſt ejus mortem contingat, *l. ult. ibi Neque enim filius. D. de condit. inſtit.* facile eſt, ut ex nova teſtatoris diſpoſitione, poſt mortem filii collata, ſuſtentetur. Ex quo & notari poterit, facilius quid in continuatione ejuſdem perſonae admitti, quam ſi nova perſona adjiciatur, *l.* 1. *in fi. C. de liber. praeter. l. penult.* §. *ſed ſi ego* 1. *D. de injuſto rupt. irrit. l. cohaeredi* 41. §. *cohaeres* 6. *D. de vulg. & pupill. l.* 5. *verſ. Sane quia. C. de locat. praedii civil.* Nec novum eſt in jure, ut quis poſt mortem filii, etiam ſimpliciter exhaeredati, inſtitui poſſit, *l. qui filio* 38. *in princ. D. de haered. inſtit. d. l. ult. in fin. D. de cond. inſt.*

ente videtur, ut tunc a principio inſtituto haerede non ſit opus. Quod Papiniani verba aperte indicant *d. l. ult. in fin. D. de condit. inſtit.* diſerte enim dicit: *Exhaeredato filio nepotes, cum filius moreretur, poſſe inſtitui;* nec obſtare hunc filium nepotibus, quo minus poſt ejus mortem, ex teſtamento avi haeredes ſint. Atque hoc ſenſu multae DD. intricationes ceſſabunt. Primum enim inſulſum eſt, quod de ſubſtitutione filio facta adferunt, illaque exhaeredationem confirmari volunt: ſive enim inſtitutionis conditio extiterit, evaneſcit exhaeredatio, nec confirmatione indiget; ſive exhaeredationis caſus evenerit, ſubſtitutio non habet locum. Tantum abeſt, ut per eam exhaeredatio confirmari poſſit: pendente autem utraque conditione; quomodo nuda expreſſione ſubſtitutionis, exhaeredationem confirmari ac ſuſtineri, dicere poſſumus? Deinde abſurdum eſt, quod exhaeredationem, a ſubſtituto factam, cum ea, quae ſub contraria conditione inſtitutionis fit, ubique confundant, de una ad aliam argumententur, ac quaſi pro paribus accipiant, cum nimium inter eas interſit. Illa enim propterea fit, ut gradus, ſi ad illum haereditas perveniat, conſiſtat, *l.* 3. §. *ult. l.* 8. *ſupra, hoc titul. l. ſi libertus ſub* 20. §. 4. *verſ. Exiſtimo. D. de bon. libertor.* haec autem, ut inſtitutionis forma, quam ſibi teſtator eligendam putavit, valeat, teſtamentumque interim ſuſtineatur. Sic nec illa ſub conditione fieri poteſt, *dict. l.* 3 §. *pure* 1. haec autem utique, *l.* 4. *C. de inſtit. & ſubſtitut. ſub condit. & hac noſtra lege.* ut taceam, quod & extraneus ſub contraria conditione exhaeredari poſſit, *l.* 44. *D. de haered. inſtit. l.* 17. §. *ſi eodem* 2. *D. de milit. teſtam. l.* 41. §. *haeres vel legat.* 8. *D. de legat.* 3. *l.* 27. *D. ad leg. Falcid.* cum ſi principaliter fieret, inepta eſſet, *l.* 14. § *ultim. D. de liberis & poſthumis. l. quidam cum filium* 132. *D. de verb. oblig.* nec ut illa, quo ad ſuum effectum, neceſſario ſubſtituti aditionem requirit, ita & haec: illius enim primarius finis eſt excluſio ab haereditate; quae, niſi adita a quoquam haereditas fuerit, fieri non poteſt, *d. l. filium quem* 20. *D. de bon. poſ. cont. tab.* hujus autem, ut inſtitutio ſub fortuita conditione concepta, interim valeat. Nam quo ad ejus effectum (ut ſaepe dictum eſt) nihil ſubjuncta ſubſtitutio operari poterit. Praeterea inconveniens admodum eſt, Poſt Mortem Filii, pro moriente filio, & Inſtitui pro ſubſtitui exponere; qua expoſitione totus textus corrumpitur. Nec valent quicquam illae conſiderationes, num filius poſt mortem ſuam exhaeredatus cenſeatur, quod LL. prohibitum eſt, *l. Gallus* 29. §. *in omnibus* 10. *h. t.* vel num exhaeredatio in vita filii confirmari potuerit, nec ne: ut priore caſu valeat; poſteriore autem minime. Id enim in exhaeredatione principaliter facta procederet, de qua omnes LL. expreſſe loquuntur, *l. ſi ita ſcriptum* 13. §. *ult. hoc titulo. l. hujus* 47. §. *ult. D. de haered. inſtit.* In noſtro autem caſu principaliter de inſtitutione agitur, cui ad id, ut recte facta intelligatur, exhaeredatio in conſequentiam adjuncta proponitur. Semper autem principale attenditur, non conſecutivum, *l.* 1. *D. de auctor. tutor. l. tutor* 19. *D. Ad SCtum Vellejan.* Quare & haec exhaeredatio, antequam de ejus effectu quaeratur, quod demum exiſtente conditione fit, confirmatione, vel confirmationis conſideratione non indiget. Et omnino falſum eſt, quod quidam volunt: Loriot. *Axioma* 26. cohaeredem hoc noſtro caſu, pendente ſcilicet & inſtitutionis & exhaeredationis conditione, poſſe adire, & confirma-

Digitized by Google

DD. in explicatione hujus legis comminiſcuntur.

CAPUT II.

Verus ſenſus l. periculi precium 5. D. de nautico foenore.

Scaevola lib. 3. Reſponſorum.

Periculi precium eſt, & ſi conditione, quamvis poenali, non exiſtente, recepturus ſis quod dederis, & inſuper aliquid praeter pecuniam, ſi modo in aleae ſpeciem non cadat; veluti ea, ex quibus conditiones naſcuntur: ut ſi manumittas, ſi illud non facias, ſi non convaluero, & caetera. Nec dubitabis, ſi piſcatori erogaturo in apparatum, plurimum pecuniae dederim, ut ſi cepiſſet, redderet: & athletae, unde ſe exhiberet, exerceretque, ut ſi viciſſet, redderet. §. 1. *In his enim omnibus, & pactum ſine ſtipulatione ad augendam obligationem prodeſt.*

Scaevola in hac lege duas ſpecies conditionum perſequitur, ſub quibus aliquid dari, ut reddatur, poteſt. Prima eſt illarum conditionum, quae in poteſtate alicujus, vel opera conſiſtunt: ut, ſi dem tibi decem, ne Stichum ſervum tuum manumittas; & ſi feceris, quindecim mihi reddas. Item, ſi decem tibi dem, ut intra annum uxorem ducas; ſi non ducas, quindecim mihi reſtituas. Item, ſi dem tibi decem, ut me a morbo aliquo intra certum tempus liberes; ſi non efficias, quindecim mihi reddas. Quae conditiones poenam continent ejus, qui accepit, nempe ſi faciat, vel non faciat, quod convenit; quod utique in poteſtate ejus, vel opera, vel diligentia poſitum eſt. Cum igitur haec conventio poenalis erat, videbatur, hanc poenae conventionem legitimum modum uſurarum egredi non poſſe, *l. poenam* 44. *D. de uſuris.* poenaeque adjectionem in fraudem uſurarum factam cenſeri. Sed tamen diverſum Scaevolae placuit: nec enim ſimplex poenae adjectio eſt, ut in hujuſmodi ſtipulationibus: SI intra certum tempus viginti mutua non reddantur, triginta reddi, *l. cum ſtipulati ſumus* 113. *D. de verbor. obligat. l. lecta* 40. *D. Si cert. petat.* quae poenae adjectio ultra legitimum modum uſurarum non extenditur. Et ratio diverſitatis haec eſt, quod prioribus illis caſibus periculum ſortis ſubitur: ſi enim non manumittas, vel uxorem intra praefinitum tempus ducas, vel me cures: id quod datum eſt, retines; cujus periculi nomine conceſſum eſt, poenae adjectione nonnihil ſolitum modum uſurarum excedere. Quod in poſteriori ſtipulatione ſecus eſt, ubi non de periculo ſortis, ſed tantum de ſimplici mora temporis agitur; non mirum igitur, ſi eo nomine poena ultra conſtitutum uſurarum modum non debeatur. Altera ſpecies eſt earum conditionum, quae non ſunt poteſtatis & operae, ſed in fortuna poſitae ſunt; veluti ſi dem piſcatori decem, ut ſi caeperit aliquid, quindecim reddat; item ſi athletae, ut ſi vicerit, ſimiliter quindecim reddat. Quae conditiones, licet operam quoque requirant, tamen quo ad effectum, aleae quaſi ſpeciem continent, & verae conditionis inſtar ſunt; quo nomine non dubium eſt, ob incertitudinem eventus, & ſortis periculum, quin ſupra ſortem etiam non modicum paciſci liceat. Differunt autem hae conditiones a ſuperioribus: quod hae non ſimiliter ut illae, poenales ſint: item quod illae negligentiae nomine, & fere effectu non ſecuto committantur; hae vero fortunae ſolum poteſtate, & effectu ſecuto, vim ſuam obtineant. Quare major dubitatio in illis, quam in his videri poterat. Concludit tamen Juriſconſultus periculi precium utroque caſu eſſe, & adjectionem ultra legitimum uſurarum re; illa autem, quae ſequuntur *in verſ. Nec dubitabis*, ad clauſulam illam: SI MODO IN ALEAE SPECIEM NON CADANT, ſpectare. Et redditur hoc modo ſenſus legis clariſſimus.

CAPUT III.

Alio ſenſu declaratus §. ſi inter virum 24. 25. 26. l. cum hic ſtatus 32. D. de donation. inter vir. & uxor. *quam ab Accurſio vel aliis factum ſit.*

§. 24. *SI inter virum & uxorem ſocietas donationis cauſa contracta ſit, jure vulgato nulla eſt. Sed nec poſt decretum Senatus, emolumentum ea liberalitas, ut actio pro ſocio conſtituatur, habere poterit: quae tamen in commune tenuerunt, praeſtitute ſine revocanda non ſunt. Idcirco igitur pro ſocio actio non erit: quia nulla ſocietas eſt, quae donationis cauſa interponitur, nec inter caeteros: & propter hoc, nec inter virum & uxorem.* §. 25. *Idem erit dicendum, & ſi emptio contracta ſit donationis cauſa: nam nulla erit.* § 26. *Plane ſi minoris res venierit, donationis cauſa, vel precium poſtea ſit remiſſum; admittemus, donationem pertinere ad Senatusconſultum.*

Satis frigide explicat Accurſius *hos* §§. ſic, ut mentem Juriſconſulti nequaquam percepiſſe videatur. Haec autem, meo judicio, eſt ſententia hujus loci: quod Juriſconſ. Paulus tractet, an Senatusconſultum, de confirmandis donationibus inter virum & uxorem, ſpectet etiam ad ea, quae donationis quidem cauſa facta ſunt, verum jure communi non valent: ſcilicet ut, quemadmodum verae donationes, licet ipſo jure irritae ſint, Senatusconſulto confirmentur: ſic & hi actus, qui jure communi non ſubſiſtunt. Quod videretur: cum non minus ipſae donationes inter virum & uxorem ipſo jure irritae judicentur, quam caeteri actus, qui jure civili nulli ſunt; quare & merito generalibus verbis Senatusconſulti aeque confirmari cenſerentur. Diverſum tamen Paulo videtur; idque duobus exemplis declarat. Ac primum explorati juris eſt, ſocietatem donationis cauſa jure communi eſſe nullam, *l. 5. §. ult. D. pro ſocio. l.* 16. §. 1. *D. de minorib. l.* 35. §. *ſi quis ſocietatem* 5. *D. de donat. mort. cauſ.* etiam inter caeteros: num ergo, ſi donationis cauſa inter virum & uxorem ſocietas ineatur, morte donatoris confirmari poterit, ut actio pro ſocio contra haeredes locum habeat. Et dicit Juriſconſultus, id nullo pacto admittendum: nec enim Senatus mens fuit, ut hujuſmodi actus confirmaret; ſed ut illas demum donationes, quae inter virum & uxorem ſpecialiter prohibitae erant, aliquo caſu ratas eſſe vellet. Quo ſpectat quod ante ſcribit, §. *oratio non ſolum* 16. *Quae ratio donationem prohibuit, eadem beneficium datum imploravit.* Item paulo poſt, §. *ſive autem* 23. *Generaliter univerſae donationes, quas impediri diximus, oratione valebunt*; ut intelligamus, Senatusconſulti beneficium per omnia reſpondere praecedenti prohibitioni. Praeterea nec Senatus naturalem contractus defectum confirmare potuit, *l.* 2. *D. de uſufruct. ear. rer. quae. l. obligationes quae* 27. *D. de action. & obligat.* Quod tamen intelligendum de ea ſocietate, quae plane & in totum donationis cauſa facta eſt; veluti ſi, uxore nihil conferente, vir pactus ſit, ut certa pars ex quaeſtu negotiationis ſuae ad uxorem ſpectet: quo caſu non dubium eſt, ſocietatem, tanquam donationis cauſa factam, ipſo jure eſſe nullam. Verum quid ſi mulier in ſocietatem contulit; an & tunc ſocietatem ipſo jure nullam eſſe, nec confirmari poſſe dicemus? Et reſpondetur, tunc ſocietatem jure conſiſtere, licet inaequalitas quanti-

ta-

Digitized by Google

pertinere, nec poſt mortem mariti revocandam. Et quod haec Pauli ſit ſententia, plane apparet ex ſequenti exemplo. Nam conſtat emptionem, donationis cauſa contractam, nullius eſſe momenti, *l. ſi quis donationis* 38. *D. de contrah. empt. l. ſicut emptio* 20. *D. locati.* quare & ad Senatusconſultum non pertinet; quod liquet eum intelligere de ea venditione, in qua nullum interceſſit precium; quae & naturaliter nulla eſt. At ſi precii quidem conventio intervenit, verum multo minoris, quam quanti res eſt, veniit; vel etiam ſi juſto precio veniit, verum poſtea precium ſit remiſſum; dicendum eſt, conſtitiſſe ab initio venditionem; ac propterea quod donationis cauſa factum eſt, morte mariti per Senatusconſultum confirmari. Sicque ex hoc loco duo apte notari poſſunt: Primum, quod generalis confirmatio non trahatur ad illicita, vel ipſo jure nulla, de quo per DD. variis locis *cap.* 1. *de jurejurand. in* 6. *Bartol. l.* 1. *D. de his qui ſunt ſui vel.* Deinde, quod facilius illa ſuſtineantur, quae ab initio partem, licet modicam, veri habuerunt, quam quae prorſus inania & nulla fuerunt, *arg. l.* 76. *§. haeres meus* 3. *D. de legat.* 2. *d. l. ſi quis donationis* 38. *D. de contr. empt.*

CAPUT IV.

Vera ſpecies l. dotale praedium cujus 15. D. De fundo dotali.

Papinianus lib. III. Reſponſorum.

Dotale praedium, cujus vir poſſeſſionem retinuit, poſt literas ad uxorem miſſas, quibus dotis non fore praedium declaravit: in matrimonio defuncta muliere, virum retinere placuit; quia mulier actionem ex pacto non habuit.

Species hujus legis, ab Accurſio poſita, prorſus aliena eſt a verbis ac ſententia Juriſconſulti: ut quilibet animadvertere poterit. Et quamvis verba (more ipſius Papiniani) admodum ſint conciſa & intricata, ſic ut non facile vera illorum ſententia explicari poſſit; tamen hanc eſſe ſpeciem hujus reſponſi credendum eſt. Vir in dotem accepit praedium, pactusque eſt de lucranda dote, ſi in matrimonio moriatur mulier; poſtea ad uxorem mittit literas, quibus declarat non fore dotis praedium illud; quo facto renunciaſſe tam doti, quam pacto dotali intelligitur: manente autem aliquot poſt annis matrimonio, mulier paſſa eſt maritum retinere poſſeſſionem praedii, eoque ſolito more uti frui: defuncta ea demum in matrimonio, quaeritur, an renunciatio, a viro facta, rata ſit, & dotale praedium ad haeredes uxoris redire debeat. Et reſpondet Papinianus, pactum illud non habuiſſe effectum: tum quod paſſa eſt mulier maritum poſtea retinere fundum, quaſi & ipſa tacite id repudiaſſe intelligatur; *arg. l. cum quis decedens* 37. *in princip. D. de legat.* 3. *l.* 12. *§. contrario* 7. *D. mandati.* tum quod nudum pactum fuit, quod licet ad exceptionem & retentionem quidem proſit, actionem tamen producere non potuit, *l.* 7. *§. ſed cum nulla* 4. *cum ſeq. l.* 45. *cum ſimilib. D. de pactis.* Atque hoc ſenſu omnia verba proprie accipientur, & aptiſſimus erit legis intellectus.

vili, atque ſi ſine ea re haeres inſtitutus eſſet, atque auctoritate Galli Aquilii factum eſt.

Hanc legem omnes intelligunt, quaſi Juriſconſultus nihil aliud velit, quam, quod aliis LL. *l.* 1. *§. ſi ex fundo.* 4. *l.* 9. *§. ſi duo* 13. *l.* 10. 11. 14. *§. ult. hoc eod. titul.* dicitur, haeredem, qui ex certa re vel fundo inſtitutus eſt, detracta rei vel fundi mentione, ex aſſe haeredem eſſe; cum tamen longe alia fuerit Juriſconſulti ſententia. Decepti autem eſſe videntur vulgari lectione, quae ſic habet: Ex Certo Fundo, Excepto Usufructu. cum Florent. codex rectius habeat: Excepto Fundo, Excepto Usufructu. Quare meo judicio hoc vult Juriſconſultus, in haeredis inſtitutione certam aliquam rem expreſſe excipi poſſe; veluti ſi dicat teſtator: *Titius ex aſſe haeres eſto, excepto fundo Treboniano, vel excepto uſufructu illius*, vel *illius fundi.* Quo caſu ex aſſe quidem haeres erit; verum fundus vel uſusfructus exceptus, quaſi ex cauſa fideicommiſſi, ad legitimos haeredes ſpectabit. Et quid prohibet excipere certam aliquam rem, ut ex reliquo quis haeres ſit; cum legatum nihil aliud ſit, quam delibatio haereditatis, qua teſtator ex eo, quod univerſum haeredis foret, alicui quid collatum velit? *l.* 116. *in princ. D. de legat.* 1. Et in fideicommiſſis voluntas magis, quam ſcriptura ſpectetur? Praeterea cum in exhaeredatione, nempe in illius odium, talis exceptio tantum inveniatur eſſe prohibita? *l.* 19 *D. de liber. & poſthum.* Et probatur hic intellectus per caſum expreſſum in *l. Cajus haeres* 86. *D. de legat.* 2. Ubi teſtator pronepotem ex ſemiſſe inſtituerat, excepta domo ſua & paterna, cum omnibus, quae ibi eſſent; & reſpondet Juriſconſultus, nomina quidem debitorum, ſi qua ibi inveniantur, communia eſſe omnium; in caeteris autem nullum pronepoti locum eſſe.

CAPUT VI.

Doctores hactenus non intellexiſſe l. 2. D. Rem ratam haberi. *Vera igitur ejus ſpecies propoſita.*

Papinian. lib. XI. Reſponſorum.

In ſtipulatione de rato habendo, non eſt cogitandum, rei promittendi vel ſtipulandi compendium, ſed quid interfuit ejus, qui ſtipulatus eſt, ratum haberi quod geſtum eſt.

Scrupuloſa & conciſa admodum eſt haec lex, nec ab Accurſio vel DD. intellecta. Senſus autem ejus pendere videtur ex *lege praecedenti*, in qua idem Papinianus dicit, ſtipulationem, de rato ab uno interpoſitam, etiam committi poſſe, ſi ab alio petatur; ſcilicet ſi is, a quo poſtea petitur, talis ſit perſona, per quam ſi ſolvere cogatur, propter conjunctionem & ſtipulator damno afficiatur, & exemplum ponit in principali debitore, & ejus fidejuſſore, *l.* 29. *D. de recept. arbitr.* item in duobus reis promittendi ſociis, *leg.* 14. *D. eod.* Unde a contrario ſequitur, quod ſi per eum, qui poſtea convenitur, is, qui ſtipulatus eſt, non perſtringatur, ſtipulatio committi non poſſit; ut forte in fidejuſſore, qui donationis cauſa fidejuſſit, *l.* 32. *D. de pactis. l.* 4. *D. de negot. geſtis. l.* 9. *§. non ſolum* 3. *D. ad SCtum Macedon. l.* 6. *§. ſi paſſus* 2. *D. mandati.* Sic & in duobus reis promittendi non ſociis: nam ſi ab uno fuerit per procuratorem creditoris petitum, & de rato cautum,

in non locis *hac lege* latius explicatur : ſcilicet quod is, qui ſtipulatus eſt, ex perſona alterius conrei rationem ejus quod intereſt, ducere non poſſit, ſed tantum ex perſona propria. Ita ergo fingenda ſpecies. Procurator creditoris ab uno reo promittendi petiit, interpoſitaque eſt de rato cautio, domino ratum non habente : ſiquidem ab ipſo rurſus petat, qui ſtipulatus eſt, committitur ſtipulatio. Si vero ab altero, is ex aliena ſtipulatione agere non poteſt : imo nec is, cum quo prius actum fuit : non enim dicere poteſt, ſua propterea intereſſe, quod ſi ratum dominus habuiſſet, alter reus non potuiſſet conveniri : ex ipſius enim perſona quid interſit ſpectandum eſt. Sic & in caſu converſo, ſi unius rei ſtipulandi procurator a debitore petierit, ſtipulatioque de rato intervenerit, ſi poſtea dominus petat, commiſſa eſt ſtipulatio ipſi debitori : non autem alteri reo ſtipulandi, ſi forte alleget, & ſua interfuiſſe, priorem ſolutionem ratam fuiſſe. Si vero alter reus ſtipulandi petierit, damnum quidem, quod debitor ex ſolutione procuratori facta ſenſit, ex ſtipulatu ab eo petere poterit : non autem allegare, propterea quicquam ſua intereſſe, quod ſi ſolutio procuratori facta rata fuiſſet, alter reus ſtipulandi petere non potuiſſet. Sumptuum ergo nomine qui hoc judicio fiunt, non eſt habenda ratio, cum alienum factum non ſit promiſſum : quod tamen propter communem reorum obligationem ſecus videbatur. Quare quod de reo promittendi vel ſtipulandi dicitur, de altero reo intelligendum eſt : videturque id appellare reorum compendium, ex parte reorum debendi, *l.* 3. §. 1. *D. de duob. reis. l.* 31. §. 1. *D. de novation.* §. *ex hujuſmodi* 1. *Inſtitut. de duobus reis.* quod alterius ſolutione alter liberetur, exactioneque ab uno ſtipulatore facta, ab altero contingat liberatio : ex parte reorum ſtipulandi, *l. ſi duo rei* 128. *in princip. D. de verbor. obligat. l.* 16. *& alias. D. de duobus reis. dict.* §. *ex hujuſmodi* 1. *Inſtitut. eod. tit.* quod propriam quiſque habeat obligationem : & quod, non obſtante alterius obligatione, ſuo nomine quiſque agere poſſit. Ex illo igitur commodo, quod conrei perſonam reſpicit, nemo ſua quicquam intereſſe dicere poteſt. Atque haec mihi videtur eſſe ſubtilis Papiniani ſententia.

CAPUT VII.

Alio ſenſu explicata l. qui plures haeredes 23. D. de vulgar. & pupill. ſubſtit. *quam hactenus factum ſit.*

Papinianus lib. VI. Reſponſorum.

QUi plures haeredes inſtituit, ita ſcripſit : Eoſque omnes invicem ſubſtituo poſt aditam a quibuſdam ex his haereditatem, uno eorum defuncto, ſi conditio ſubſtitutionis exiſtit; alio haerede partem ſuam repudiante, ad ſuperſtites tota portio pertinebit, quoniam invicem in omnem cauſam ſinguli ſubſtituti videbuntur. Ubi enim quis haeredes inſtituit, & ita ſcribit, Eoſque invicem ſubſtituo; hi ſubſtituti videbuntur, qui haeredes extiterunt.

Propriam ſpeciem hujus legis, atque etiam veram dubitandi rationem DD. fere ignorarunt; hoc enim tantum hic agi volunt : Subſtitutionis reciprocae ſpem, ad cohaeredis haeredem non tranſire, *l.* 10. *in princ. l.* 45. §. 1. *D. de vulgar. & pupill. l.* 81. *D. de acquir. haered. l.* 9. *D. de ſuis & legit.* Quod quamvis verum ſit, & multis LL. probetur; tamen de eo non videtur proprie hic agere Juriſconſultus, [...] autem (niſi fallor) vera eſt ſpecies : Teſtator plures inſtituit, & adjecit, Eosque Omnes Invicem Substituo : quidam eorum adierunt; unus non adita hereditate deceſſit, atque ita conditio ſubſtitutionis extitit; alius deinde partem ſuam repudiat : quaeritur, defuncti illius pars ad quos ex ſubſtitutione ſpectet : ſcilicet an tota illa pars ad reliquos illos & ſuperſtites, qui adierunt, pertineat : vel an & hic, qui repudiavit, in ſubſtitutione partem faciat. Quod videbatur, cum teſtator inſtitutos omnes ſubſtituerit : qua dictione univerſali, quae nihil excludit, *l.* 32. §. 2. *D. de legat.* 2. *l.* 9. *D. de legat.* 3. intelligi poterant & illi, qui partem ſuam ex inſtitutione repudiarant : utique enim haeredes inſtituti fuerunt; praeſertim cum & teſtator praeter inſtitutos, & alium in ſubſtitutione adjicere potuiſſet, *l.* 9. *&* 32. *D. de vulgar. & pupill.* Cui accedit, quod licet inſtitutus partem ſuam haereditatis, vel alii acquiſivit, vel ut indignus amiſit, utique tamen ad ſubſtitutionem admittatur, *l.* 3. *in fin. c.* 41. §. 1. *l.* 43. §. *ult. D. de vulg. & pupill. l.* 35. *in fin. princ. D. de acquir. haered.* perſonam enim deſignatam reſpicit ſubſtitutio atque ita LL. illas intelligi debere exiſtimo. Diverſum tamen Papiniano videtur : nempe quod tota illa pars, ad reliquos illos & ſuperſtites ſpectet : nec is, qui repudiavit, quicquam in ea juris habeat. Idque dupliciter probat : Primo, quod dictio illa omnes, non univerſaliter & collective, ſed diſtributive accipienda, & ad quemvis ſingulariter referenda ſit, *l.* 29. *&* 44. *D. de haered. inſtit. l.* 2. §. *ult. D. de cond. inſtitut.* quo ſpectant illa verba : *Quoniam in omnem cauſam ſinguli ſubſtituti videbuntur*; quae alias eſſentocioſa : hoc enim proprie volunt, inſtitutos in omnem cauſam non collective, ſed diſtributive, & quaſi ſeparatim ſubſtitutos videri. Deinde quod illis verbis : Eosque invicem substituo, non omnes, qui ſcripti fuerunt, ſed illi tantum, qui haeredes extiterunt, ſubſtituti intelligantur. Verba enim cum effectu accipienda ſunt, *l. penult.* §. *docere* 2. *D. Ne quis eum qui in jus voc.* quod & ob eam cauſam a teſtatoribus quandoque diſerte exprimebatur, *l.* 10. *in princ. D. de vulgar. & pupill.* Ex quibus rationibus decidendi plane apparet, Papinianum hic non de haeredibus inſtitutorum, ſed de ipſis inſtitutis egiſſe.

CAPUT VIII.

Male ab Accurſio intellectum eſſe §. 2. verſ. Sed etſi unus, l. 2. D. praetoriis ſtipulat. *Quare vero ſenſu declaratus.*

SEd etſi unus ex haeredibus promiſſoris totam rem poſſideat, in ſolidum eum condemnandum Julianus ſcribit; in quantum autem ipſe ea ſtipulatione, vel fidejuſſores, & an omnino teneantur, dubitari poteſt : & videndum eſſe ait, ne non committatur.

Haeret Accurſius in interpretatione illorum verborum : nam dum Juriſconſultus dubitat, an committatur ſtipulatio, & fidejuſſores teneantur : poteſt videri concludere, ſtipulationem non committi. Quod cum mirum videri poſſit, cum ſtipulatio ſit haereditaria, haereſque poſſeſſor : Accurſius, non perceptis verbis ac rationibus Juriſconſulti, vult utique committi ſtipulationem, & fidejuſſores teneri; quod omnino verbis repugnat : plerumque enim Juriſconſulti, cum videndum eſſe dicunt, ſi non contrarium ſubjiciunt, id ipſum confirmant, *l.* 4. §. *Cato.* 1. *D. de verbor. obligat. cum ſimilib.* ibi a Zaſio adduct. & a Duareno

lib,

Digitized by Google

ſed ut poſſeſſorem & agere, & conveniri, *l. de eo* 12. *§. haeres* 6. *D. ad exhibend. l. penult. §. ult. D. de noxalib. l.* 1. *§. ult. D. ſi quadr. pauper.* Quare, quemadmodum ſtipulatio ab uno interpoſita, ad alium poſſidentem non tranſit, *l. ſi legati* 28. *in fin D. de pignorib. l.* 38. *§. ſicut autem* 5. *D. de verbor. obligat. l.* 3. *§. ſi haeres* 4. *D. uſufr. quemadm. cav.* nec fidejuſſores dati tenentur: ſic & hoc caſu, quo haeres non ut haeres, ſed ut quivis poſſeſſor convenitur. Atque hoc mihi videtur ſenſiſſe Juriſconſultus.

CAPUT IX.

Perperam hactenus intellectam l. Proculus 18. cum princip. l. ſeq. D. de negotiis geſtis. *Alio igitur, & vero ſenſu declarata.*

Paulus lib. IX. ad edict.

Proculus & Pegaſus bonam fidem eum, qui in ſervitute gerere coepit, praeſtare debere ajunt. Ideoque quantum, ſi alius negocia ejus geſſiſſet, ſervari potuiſſet, tantum eum, qui a ſemetipſo non exegerit, negociorum geſtorum actione praeſtaturum: ſi aliquid in peculio habuit, cujus retentione id ſervari poteſt.

Idem lib. 11. ad Neratium:

At qui natura debitor fuit, etiamſi in peculio nihil habuit, ſibi poſtea ſolvere debet, in eodem actu perſeverans; ſicut is, qui temporali actione tenebatur, etiam poſt tempus exactum, negociorum geſtorum actione id praeſtare cogitur.

Longe alius eſt ſenſus harum legum, quam vulgo etiam a doctoribus credatur: volunt enim Proculus & Pegaſus, ſervum, ſi in ſervitute gerere coepit aliena negocia, quamvis damni dati nomine, poſtea liber factus, non teneatur (ut in *principie legis praecedentis* dicitur) tamen bonam fidem eum utique praeſtare debere. Quae bona fides in eo ſpectanda eſt, ſi forte idipſum, vel in totum, vel pro parte, ex peculio ſuo ſervare ac retinere potuiſſet. Pone eum ipſum, cujus negocia geſta ſunt, vel alium, negocia ſervi illius peculiaria geſſiſſe; certe ſi egiſſet cum domino ejus de peculio, forte pro ratione peculii x. conſecutus fuiſſet; merito ergo, cum ſervus ipſius negocia geſſit, ſi medio tempore peculium vel extinguatur vel transferatur, debuit & tantum a ſe exigere, & ex ratione peculii retinere: ipſo enim geſtu, natura debitor factus eſt. Nec de eo, quod ante negocia geſta debuit, *hac lege* agitur; ſed de eo, quod ipſa geſtione debere incipit: quo certe caſu aequum eſt, ut ſi ex peculio retinere quicquam potuit, eatenus teneatur; quaſi enim dolo non retinuiſſe intelligitur, *arg. l.* 9. *§. ſi ſervus* 2. *D de tribut. l.* 11. *§. quod autem deduci.* 6. *D. de peculio.* Si vero nihil in peculio fuit, excuſatus erit; nec ſi liber factus perſeveret, prior geſtio in actionem negociorum geſtorum transferri debebit. Si autem & ante negocia geſta debitor fuit, eo plus eſt; ut etiamſi tempore ſervitutis nihil in peculio fuerit, utique perſeverando a ſe exigere debuerit, nec inopia peculii excuſetur: plene enim hoc debitum in negociorum geſtorum actionem translatum eſt; idque in *princip. l. ſeq.* dicitur, & quam optime exemplum adjectum quadrat.

cavere longiorem: praetor enim beneficium ſuum non vult eſſe captioſum; & poſt videri calumnioſe ſatis petere, quem alius antecedit.

Multus eſt Accurſius cum pleriſque aliis, in concilianda hac lege cum *l. inter* 12. *D. qui ſatiſdar. cogantur*: nec tamen quicquam, quod veriſimile ſit, adferunt; ut taceam de illis, qui & verba textus mutare conantur. Haec autem eſt Juriſconſulti ſententia, quod haeredem, ſub conditione ſcriptum, cavere ſubſtituto aequum cenſeat: quod de ſimplici repromiſſione, ac de ſtipulatione juſſu praetoris interponenda, intelligendum eſt, *d. l. inter* 12. *l.* 3. *C. de verbor. ſign.* nec enim ſatiſdare cogendus erit: quod haeredi grave eſſet futurum, cum non facile fidejuſſores, praeſertim in paulo longius tempus poſſet invenire. Dicit igitur Juriſconſultus hic, beneficium illud praetoris, quo, ante conditionem exiſtentem, bonorum poſſeſſionem agnoſcendi dat poteſtatem, *l.* 2. *§.* 1. *l.* 5. *in princip. l.* 6. *D. de bonor. poſſ. ſecund. tab.* in damnum haeredis non ita accipiendum, ut praetor eum interim ſatisdatione onerari voluerit: praeſertim cum & ſubſtitutus, quaſi calumnioſe ſatisdationem petere videatur, quem alius antecedit, ac propterea merito nuda repromiſſione contentus eſſe debeat. Atque hoc eſt, quod Juriſconſultus dicit, poſſe videri calumnioſe ſatis petere: nam ſatis petere, ſatis exigere eo modo dicitur, *l.* 72. *§. Titius* 2. *l.* 103. *D. de condition. & demonſtr. l.* 41. *§. ult. D. de legat.* 3. *l.* 3. *D. ut in poſſ. legator.* quo ſatisdare, quae plerunque fidejuſſoribus datis expediebatur, *l.* 1. *D. qui ſatisdar. cog. dict. l.* 3. *Cod. de verbor. ſign.* Fere autem ſatisdationis exactio, contumelioſa & oneroſa habebatur, *l.* 27. *§. ultim. D. de teſtam. tutel. l.* 31. *D. de reb. auctor. jud. poſſ. l.* 39. *§.* 1. *D. de noxalib.* propter fidejuſſorum quaerendorum difficultatem, *l.* 2. *§.* 6. *verſ. Sed utrum. D. de judiciis. l.* 8. *in fin. D. de uſufruct. ear. rer. quae. l.* 33. *§. praeterea cum* 2. *C. de epiſcop. & cler.*

CAPUT XI.

Quae ſint verae rationes dubitandi in §. ult. l. cohaeredi 41. D. de vulgar. & pupillar. ſubſtitution.

NOn videri cum vitio factam ſubſtitutionem, his verbis placuit: ille filius meus ſi (quod abominor) intra pubertatis annos deceſſerit, tunc in locum partemve ejus Titius haeres eſto, non magis quam ſi poſt demonſtratam conditionem, ſibi haeredem eſſe ſubſtitutum juſſiſſet. Nam & qui certae rei haeres inſtituitur, cohaerede non dato, bonorum omnium haereditatem obtinet.

Dubitandi rationem in *hoc §.* anxie quaerit Accurſius; non tamen ſatis exacte ex mente & ſententia Juriſconſulti explicat. Sciendum eſt igitur, ex verbis illis: *In locum, partemve ejus, Titius haeres eſto*, quaſi colligi poſſe, quod teſtator ſubſtitutum non ſuis, ſed tantum pupilli bonis haeredem ſcripſerit: ſicque non ſua, ſed ſolum pupilli bona ad illum voluerit pervenire; idque duabus rationibus, ex ipſis verbis ſumptis. Primo, quod verba in perſonam pupilli conceperit, & in locum ejus Titium haeredem ſubſtituerit: unde apparere videtur, quod de ipſius tantum ſucceſſione, non de ſua ſenſerit. Item, quod tantum de pupillari expreſſa, per quam ipſi pupillo, *tit. de pupillar. ſubſtit. in fin. princ. Inſtitut.* non autem de tacita vulgari, per quam teſtatori ſucceditur, cogitarit; cum alias ſolliciti teſtatores ſoleant

ſam eſſe *l.* 10. §. *filio impuberi* 2. & §. *ad ſubſtitutos* 5. *D. eod. tit.* Et quod has dubitandi rationes conſideraṙit Juriſconſultus, apparet ex ejus reſponſione: ſingulis enim rationibus peculiare dictum opponit. Ac primo dicit, non magis ob hoc vitioſam eſſe ſubſtitutionem, quod in perſonam tantum filii concepta fuerit, quam ſi teſtator poſt expreſſam pupillaris ſubſtitutionis conditionem, ſibi ſubſtitutum haeredem eſſe juſſiſſet, hoc ſcilicet modo: *Si filius meus intra pubertatis annos deceſſerit, Titius mihi haeres eſto.* Quo caſu non minus pupillo, quam ſibi, ſubſtituiſſe intelligitur, *l paterfamil.* 46. *D. eod. l.* 8. *§. qui filio* 1. *D. de bonor. poſſ. ſecund. tab.* & non minus pupilli, quam ſua bona ad ſubſtitutum ſpectabunt. Secundo, non nocet partis eſſe factam mentionem, cum & alias certae rei ſcriptus haeres, cohaerede non dato, ex aſſe haeres ſit, *l.* 19. *D. de liber. & poſthum. l.* 1. *§. ſi ex fundo* 4. *l.* 9. *§. ſi duo* 13 *l.* 10. 33. *in fin. D. de haered. inſtit. l.* 29. *ad SCtum Trebell.*

CAPUT XII.

Emendatus & declaratus §. a filia pater 10. in l. cum pater filios 77. D. de Legat. 2.

A *filia pater petierat, ut, cui vellet ex liberis ſuis, praedia, cum moreretur, reſtitueret; uni ex liberis praedia fideicommiſſi viva donavit: non eſſe propter incertum diem fideicommiſſi, certae donationis electionem videbatur. Nam in eum deſtinatio dirigi potuit, qui fideicommiſſum inter caeteros habiturus eſt, remota matris electione.*

In hoc § ad finem negatio deeſſe videtur; ita enim meo judicio verba illa legenda ſunt: *Nam in eum deſtinatio dirigi potuit, qui fideicommiſſum inter caeteros habiturus non eſt, remota matris electione.* Ut haec ſit ſententia, donationem a matre inter vivos factam, quae cum moreretur, cui vellet ex liberis, reſtituere rogata erat, pro fideicommiſſi reſtitutione habendam non eſſe; quod fieri poſſit, ut is a matre per donationem electus ſit, qui, tempore mortis ejus, ab ea eligi non poſſit; & qui, ſi a matre nulla facta eſſet electio, cum caeteris non admitteretur; quo caſu, donatio in damnum ac praejudicium caeterorum praemature facta cenſeretur. Ex hoc ſenſu continent haec verba rationem decidendi, ad omnes illas LL. *eadem l.* 77. *§. haereditatem* 4. *l. uxorem & filium* 41. *§. Sejum* 12. *D. de legat.* 3. *l. unum ex familia* 67. *in princ. D. de legat.* 2. *l.* 22. *in princ. ad SCtum Trebellian. l. Statius Florus* 48. *§. ult. D. de jure fiſci l.* 114. *§. iidem principes* 12. *D. de legat.* 1. quae ante diem cedentem, vel venientem, non neceſſe eſſe dicunt, vel etiam prohibent fideicommiſſum reſtitui. Quae ratio & alibi a Juriſconſulto Marciano, in ſimili caſu, his verbis expreſſa eſt, *d. l.* 114. *§. Divi Severus & Antonin.* 11. *D. de legat.* 1. *Cum poſſit die fideicommiſſi cedente, ſui juris conſtitutis ipſis reſtitui; vel ſi aliquis ex iis deceſſerit, non omnibus.* Ex quibus negationem hic addi debere, perſpicuum eſt; cum ſi negatio deſit, nullus ſane ſenſus, qui Papiniano dignus ſit, hinc elici poſſit.

CAPUT XIII.

De intellectu §. ſi Titius 6. l. ſi fundum ſub conditione 81. D. de legat. 1. *contra Accurſium.*

S*I Titius, cui Stichus legatus fuerat, antequam ſciret ad ſe legatum pertinere, deceſſerit: & eundem Sejo* ...

eſt: quod non repudiato legato ab haerede, dominium rei legatae, ipſo jure ad legatarium tranſeat, ſicque rei vindicatione legatum perſequi poſſit: cum ſi repudiaſſet haeres legatum, quod utique poteſt, ut *hac lege* apparet, *l.* 26. *D. de bon. libertor.* (nec enim ante agnitionem plene fuit in dominio defuncti) *l.* 13. *D. de condition. inſtitut. l. precia rerum* 63. *in fin. princ. D. ad l. Falcid.* legatario actio tantum perſonalis ex teſtamento detur. Nam cum teſtator ignoravit ſibi eſſe legatum, non quaſi legatarius, ſed quaſi extraneus legaſſe intelligitur: quo fit, ut ſi haeres repudiet, utique quaſi re aliena legata, perſonali actione teneatur, *l. cum alienam rem* 10. *C. de legatis §. non ſolum autem* 4. *Inſtit. de legat.*

CAPUT XIV.

Vera ſpecies §. 1. l. ſi alii uſus 42. D. de uſufruct.

R*Erum an aeſtimationis uſusfructus tibi legetur, intereſt. Nam ſi quidem rerum legetur: deducto eo, quod tibi praeterea legatum eſt, ex reliquis bonis uſumfructum feres. Sin autem aeſtimationis legatus eſt, id quoque aeſtimabitur, quod praeterea tibi legatum eſt. Nam ſaepius idem legando, non ampliat teſtator legatum; re autem legata etiam aeſtimationem ejus legando, ampliare legatum poſſumus.*

Speciem hujus §. non omnes intelligunt, nec ab Accurſio recte explicata eſt. Quare vera ſpecies, mea ſententia, haec eſt; Teſtator plures habens fundos, legavit Titio fundum Sejanum; poſtea alio loco legat ei uſumfructum fundi Sejani, Semproniani & Titiani. Quaeritur, an & legatum fundi Sejani, & praeterea uſusfructus ejuſdem debeatur. Reſpondetur; quod, deducto fundo Sejano, reliquorum tantum fundorum uſusfructus peti poſſit. Sed quid ſi teſtator, legato fundo Sejano, poſtea aeſtimationis fundi Sejani, Semproniani & Titiani uſumfructum leget; an & legatum fundi Sejani conſtet, & praeterea aeſtimationis ejuſdem fundi uſusfructus recte petatur. Et reſpondetur: hoc caſu utrumque locum habere; res enim & aeſtimatio ejuſdem rei concurrere, & ſimul deberi poſſunt.

CAPUT XV.

L. 16. & l. ult. D. ad Senatusconſultum Turpilian. *aliter, quam ab Accurſio factum ſit, declaratae.*

Paulus lib. ſingulari de adulter.

D*Omitianus reſcripſit: Quod de feriis, & de abolendis reis dicitur, non pertinere ad ſervos, qui accuſati in vinculis eſſe jubentur, ne judicium finiatur.*

Non recte intelligit Accurſius hanc legem. Haec autem eſt, quantum ego conjicere poſſum, Juriſconſulti ſententia. Quod dicitur, publica abolitione interveniente, repeti poſſe reum, idque tantum intra xxx. dies, *l.* 10. 12. non habere locum in ſervo, qui ex vinculis cauſam dicere cogitur, *l.* 25. §. 1. *D. ad Syllanian. l.* 2. *in princ. D. de cuſtod. reor.* quamvis enim is intra xxx. dies non repetatur, non poterit praeſcriptionis auxilio juvari; idque propter ipſa vincula, quae majorem vim ac perpetuitatem, quam inſtituta accuſatio, continere videntur. Praeſertim cum & lex talem ſervum prohibeat abſolvi, antequam de eo judicetur, *dict. l.* 2. §. 1. *verſic. Dubitationem.* Sic nec §. *ult. leg. ultimae* percepiſſe videtur, cu-

Digitized by Google

cauſa non pecuniaria, ſed capitalis fuerit; dicitur, reſtaurandam eſſe cognitionem abolitionis, ſed ſi delator in probatione deficiat, non impune eum laturum.

CAPUT XVI.

Aliam eſſe ſententiam Juriſconſulti in §. 7. l. pater filium 38. D. de legat. 3. *quam Accurſius crediderit.*

*P*Ater filios haeredes ſcripſerat, & adjecerat: Praedia, quae ad eos ex bonis meis perventura ſunt, nulla ex cauſa abalienent, ſed conſervent ſucceſſioni ſuae; deque ea re ſibi invicem caveant. Ex his verbis quaeſitum eſt, an praedia per fideicommiſſum relicta videantur. Reſpondi nihil de fideicommiſſo proponi.*

Non intellexit Accurſius, quare in propoſita ſpecie Juriſconſultus dixerit*: nihil de fideicommiſſo proponi*; vult enim ipſe, nihilo minus hic, ex voluntate teſtatoris, fideicommiſſum eſſe: quod verum eſſet, ſi de eo fuiſſet quaeſitum, an liberis ſuis, fideicommiſſi nomine eſſent obligati. Quae non videtur fuiſſe quaeſtio; ſed potius, an filii inter ſe, ſi quiſquam eorum ſine liberis moriatur, de fideicommiſſo teneantur. Quod videbatur: cum teſtator adjecerit, eos praedia ſucceſſioni ſuae conſervare debere, quod de legitimis haeredibus intellexiſſe videri poterat. Deinde, quod eos ſibi invicem cavere volunt; qua mutua cautione, eum eo magis de filiis ſenſiſſe apparebat. Diverſum tamen Juriſconſulto viſum eſt: ſcilicet quod non de filiis inter ſe, ſed de liberis eorum cogitarit: ut ſic verba illa, CONSERVENT SUCCESSIONI SUAE, de liberis tantum intelligantur, eorumque nomine tantum cautio interponenda ſit, perinde ac ſi poſteris dixiſſet, *l.* 83. §. 1. *D. de legat.* 3.

CAPUT XVII.

Quid apud Juriſconſultos ſit, Male agere: *item,* Nihil agere: *contra aliorum ſententiam.*

SAepe jure noſtro *male quem agere*, vel *nihil agere* dicitur: quibus verbis nihil aliud ſignificari volunt interpretes, Alciat. *Parerg. lib.* 4. *cap.* 14. Duarenus *in l.* 4. *D. de pactis.* quam quod eum, qui nullam actionem habet, nihil agere; illum autem, qui actionem quidem habet, verum exceptione repelli poteſt, male agere exiſtiment. Mihi autem majorem haec verba vim ac poteſtatem habere videntur, atque olim, cum adhuc judicia ordinaria in uſu erant: illum male petere vel male agere, fuiſſe dictum, qui per hoc incidebat in poenam plus petitionis, §. *ſi quis agens* 33. *Inſtitut. de actionib.* remque conſumebat; illum autem nihil facere vel agere, cui ex eo nullum erat periculum. Idque ex quibuſdam locis Juriſconſultorum & exemplis ibidem ſubjectis, plane intelligi poteſt; quorum primus eſt in *l.* 4. *D. de compenſation.* ubi Paulus ſic ſcribit: *Sicut enim, cum totum peto a reo, male peto; ita & fidejuſſor non tenetur ipſo jure in majorem quantitatem, quam reus condemnari poteſt.* Quibus verbis ſignificare videtur Juriſconſultus, eum, qui totum petit a reo, qui compenſare poteſt, quaſi plus petendo rem amittere: idque ex eo, quod ipſo jure dicatur fieri compenſatio, *l. poſtquam* 21. *D. eod. tit. l.* 4. *& ult. C. eod.* hoc eſt, per legem in-

* [in vulgg. Edit. *Mater.*]

rius, ſciens L. Falcidiam locum habere, integrum legatum petebat, plus petere judicabatur, *d.* §. *ſi quis* 5. Alius locus eſt in *leg. unica. D. quando dies uſusfructus cedat.* ubi ita ſcribit Ulpianus §. 4. *Deinde Scaevola ait, agentem ante diem uſusfructus nihil facere; quamvis alios, qui ante diem agit, male agit.* Jam certum eſt, illum, qui ante diem experitur, tempore plus petere, atque in poenam amiſſionis rei incidere, §. 33. verſ. *plus autem. Inſtitut. de actionib.* Quod ſecus eſt in eo, qui ante diem legati cedentem agit: hic enim nondum eſt creditor, nec ullam habet actionem, *l. is, cui ſub conditione* 42. *D. de action. & obligat. l.* 45. §. 1. *l.* 50. §. *ult. D. de legat.* 2. quare potius nihil facere, quam male agere judicatur. Idem intelligi poteſt ex *l. pecuniam quam* 36. *D. ſi cert. petetur.* Ubi quaerit Juriſconſultus, ſi illum, qui pure mihi debet, juſſerim ſub conditione Titio promittere, &, pendente conditione, cum debitore meo egerim, an nihil egiſſe, vel potius ante tempus petiiſſe exiſtimandus ſim. Et reſpondet, cum credita pecunia permanſerit, & quaſi ſub contraria conditione mihi promiſſa fuerit; ſi interim egerim, ante conditionem me petiiſſe videri, & ſic male egiſſe: quod & alibi perperam agere vocatur, *l.* 2. §. *qui ita ſtipulatur* 6. *D. de eo, quod cert. loc.* Unde ſequitur, omnem illum, qui jure veteri quocunque modo plus petebat, ut merito cauſa caderet, male vel perperam agere, fuiſſe dictum: nihil autem agi vel fieri, fere in jure pro eo accipitur, *l.* 1. *D. de offic. procurat. Caeſ. l.* 21. §. *ſi metu* 4. *D. quod metus cauſa, l.* 25. §. 3. *verb. Denique ſcribit. cum aliquot ſeqq.* §§. *D. de uſufruct. l.* 2. *D. de pignorat. act. cum infinitis ſimilibus* cum id quod fit vel agitur, per ſe nullius eſt momenti, nec quicquam adfert vel damni vel praejudicii.

CAPUT XVIII.

Vero ſenſu explicatus §. 1. in l. 32. D. de uſufruct. legato. *rejecta Accurſii interpretatione.*

F*Ilios ex Sejo, & filiam ex alio marito, haeredes inſtituit aequis portionibus, & matri ita legaverat: Aeliae Dorcadi matri meae dari volo, quoad vivet, uſumfructum bonorum meorum; ita ut poſt obitum ejus, ad liberos meos, aut ad eum, qui ex his vivet, pertineat. Filii poſt aditam haereditatem deceſſerant; quaeſitum eſt: mortua matre, ſuperſtite filia teſtatricis, uſusfructus utrum ad ſolam filiam, an vero pro portione haereditatis pertineret. Reſpondi: ad eos redire, apud quos proprietas eſſet. Claudius non credidit, ipſum uſumfructum, in vicem portionum haereditariarum, poſt mortem aviae inter ipſos datum: eo magis, quod aequis partibus haeredes ſcripti erant.*

In hoc §. omnino contrarium ejus, quod Juriſconſultus voluit, interpretatur Accurſius: nec ſane interpretatio ejus vel verbis vel rationi juris congruit. Species autem per ſe clara eſt, & recte ad conſultationem reſpondit Scaevola. Nec Claudius ejus ſententiam reprehendit, ſed potius (ut plerunque ſolet) *l.* 88. §. *Damae & Pamphilo* 12. *D. de legat.* 2. *l.* 37. §. *nuptura* 4. *in fin. l.* 38. §. *quindecim.* 5. *in fin. l.* 41. §. *penult. D. de legat.* 3. *l.* 15. §. *teſtator* 3. *l.* 16. §. *Baſilicae* 2. *D. de aliment. & cibar. legat. & alibi ſaepe.* comprobat, & quamobrem ita ſenſerit, declarat. Dicit igitur: Propterea a Scaevola reſponſum eſſe, *uſumfructum ad eos redire, apud quos proprietas eſſet: quod non crediderit, ipſum uſumfructum in vi-*

cem

ri poterit 21. *D. ut in poſſeſſ. legator. l.* 7. *de praetor. ſtipulat. l.* 1. *C. de obligat. & actio.* aliud eſt enim pro portionibus, aliud vice vel loco portionum dari. Eſt ergo illorum verborum hic ſenſus: Non credidit Scaevola portiones haereditarias, in ipſo uſufructu, matri dato, poſt mortem ejus dilatas eſſe; ac tunc uſumfructum invicem, hoc eſt, loco portionum haereditariarum, inter liberos eſſe diviſum; ut ſcilicet tunc primum, quaſi novae portiones haereditariae in ipſo uſufructu datae cenſeantur. Quod videbatur; propterea quod teſtatrix expreſſim uſumfructum poſt mortem matris ad filios, vel ad eum, qui tum viveret, pertinere voluit: qua expreſſione nihil opus fuit, ſi ſimpliciter uſumfructum ad liberos pro portionibus haereditariis, ſicque ad proprietatem reverti voluiſſet. Nec enim verba, ut plane ocioſa ſint, accipienda, *l. quod ait lex* 23. *in princ. D. de adulter. l.* 1. *in fin. D. ad municipal.* Diſplicuit autem Scaevolae illa conſideratio; ac voluit, ipſum uſumfructum poſt matris mortem, ſecundum ſuam naturam, ad proprietatem reverti: ſicque non ad ſolam filiam ſuperſtitem, ſed & ad defunctorum filiorum haeredes pro parte pertinere; idque ea ratione, ut Claudius adjicit, quod ab initio pro aequis portionibus haeredes ſcripti fuerunt, atque omnes matris teſtatricis haereditatem adierunt. Cum igitur ea aditione partem haereditatis liberi acquiſierint; non mirum ſi uſusfructus finitus, partes illas ſequatur, *l.* 3. §. *unde Celſus* 1. *D. de uſufruct. accreſc.* haec enim ejus natura eſt, ut quoquomodo amiſſus, ad proprietatem revertatur, *l.* 10. *D. de vi armat. cum ſimilib.* Inutilis eſt ergo illa teſtatricis adjectio: *Aut ad eum, qui ex his vivet, pertineat*; repugnat enim naturae ipſius rei. Praeterea & novam feciſſet priorem inſtitutionem; cum ſemper, abſcedente uſufructu, nudae proprietatis tantum haeredes fuiſſent, §. 1. *verſ. Ne tamen. Inſtitut. de uſufruct. l.* 3. *ad fin. D. de uſufruct.* Si enim portionis haereditariae loco, ei, qui tempore mortis matris viveret, datus fuiſſet; deſiiſſet (ut ego quidem arbitror) habere uſusfructus naturam: & haereditario jure ad ſuperſtitem ſpectaſſet, nec ad proprietatis partes redire potuiſſet. Praeterea nec quoque in hoc uſufructu, Falcidiae deductionem ab initio liberos habuiſſe puto, *l. omnium* 3. *D. de uſufruct.* cum illud in extraneo legatario (meo judicio) locum habeat: non in eo, cujus ab inteſtato ſperari poteſt haereditas, *argum. l.* 6. *in fin. D. ſi tabul. teſtam. null. ext. l. ſed filius qui* 12. *D. de vulgar. & pupillar.* ut nec in eo uſufructu, qui ad certum tempus tantum datus eſt, *l. uxori meae* 37. *D. eod. tit.* Non novum autem, quod voluntas teſtatoris, ac nonnunquam etiam expreſſa ejus diſpoſitio, contra rationem juris, ac rei naturam, non admittatur, *l.* 19. 25. *D. ſupr. eod. tit. l.* 14. *D. de vulgar. & pupillar. l.* 55. 95. 112. §. *penult.* §. *ultim. D. de legat.* 1. *l.* 8. *D. de caſtrenſ. pecul.* ſed a jure communi limitationem recipiat.

CAPUT XIX.

In §. ſin vero filius 3. l. quaeſitum eſt 30. D. de peculio. *quaedam aliter explicata, quam ab Accurſio factum eſt.*

SIn vero filius ſit, quamvis ex parte inſtitutus: nihilominus in ſolidum actionem patietur. Sed ſi velis pro parte nomen cohaeredis redimere, audiendus eſt; quid enim ſi in rem patris verſum ſit? cur non conſequatur filius a cohaerede, quod in re patris eſt? Idem, & ſi peculium locuples ſit.

Si filius, qui contraxit, cujus nomine pater de peculio tenetur, ex parte haeres ſcriptus ſit, cohaeredi in ſolidum tenebitur; & ſi pro parte nomen cohaeredis redimat, quando a cohaerede conſequatur, Jurisconſultus duobus caſibus decidere videtur. Primo, ſi juſſu patris contraxit. Deinde ſi in rem patris verſum eſt, *l.* 1. *D. quod cum eo qui in. l.* 1. *& per totum tit. D. quod juſſu. l.* 1. *& per totum tit. D. de in rem verſo.* §. *ſi igitur* 1. §. *praeterea* 4. §. *caeterum* 5. *Inſtit. quod cum eo qui.* quo caſu, ut Jurisconſultus hic dicit, ſi totum, quod ad filium ex contractu pervenit, in rem patris verſum fuit; totius dimidiae partis, a cohaerede ſemiſſario petitio datur. Cui & tertium caſum adjicit, cum dicit: *Idem eſſe, ſi peculium locuples ſit.* Quae verba ab Accurſio non recte percipiuntur. Haec autem eſt Jurisconſulti ſententia: Quamvis nihil in rem patris verſum fuerit; peculium autem tam locuples ſit, ut ſolidum inde ſolvi poſſit; utique a cohaerede ſolidae partis petitionem eſſe. Quod ſecus eſſet, ſi peculium toti debito non ſufficeret: tunc enim cohaeres non niſi pro ea parte teneretur, quae ad eum ex peculio perveniſſet, licet maxime ipſe filius ſolidum ſolviſſet: nec nominis redemptio quicquam filio hoc caſu prodeſſet.

CAPUT XX.

De abſciſſo & pendente jure filii, in §. ſi filium 2. l. 9. D. de liber. & poſthum.

QUae ſit ratio illorum verborum, quibus Paulus Jurisconſultus differentiam aſſignat (quare ſcilicet, ſi filius a patre ſit exhaeredatus, & mortuo patre decedat, obſtet nepoti: quo minus is teſtamentum avi, in quo praeteritus eſt, rumpat: non autem ſi apud hoſtes, poſt mortem patris decedat) non omnes intelligunt. Sunt autem haec verba: *Quod, moriente avo, filii jus pependerit, non abſciſſum, ut ſuperiore caſu, fuerit.* Quare ut recte intelligantur, ſciendum eſt, quod dicit priore caſu abſciſſum eſſe jus filii, ad exhaeredationem eſſe referendum: nam illa jure patriae poteſtatis facta fuit, *l* 3. §. *ſi emancipatus fil. uxore* 5. *D. de bonor. poſſ. cont. tab. l. quidam cum* 132. *D. de verb. oblig. tit. Inſtit. de exhaeredat. liber. in princ.* & jus filii ſubſiſtit, cum pro mortuo exhaeredatus habeatur, *l.* 1. §. *ſed etſi patruus* 5. *D. de conjung. cum emancip. liber.* quamvis, ſi diutius vixiſſet, potuit per inofficioſi querelam tolli. Sufficit autem, ipſum filium tempore mortis patris eſſe in diſpoſitione paterna, ad excludendum nepotem: quae & efficax ſit, & maneat in tempus mortis filii, licet nondum effectum habuit. Quo ſpectat, quod ante aditam haereditatem filium mortuum fuiſſe ſcribit: adita enim demum haereditate, exhaeredatio vires accipit, *l.* 20. *in princ. D. de bonor. poſſ. contra tab. l.* 68. *ad fin. D. de haered. inſtitut.* Quod ſecus eſt, ſi filii excluſio non ex diſpoſitione paterna, ſed extrinſecus legis poteſtate in ſuſpenſo ſit, *l.* 32. §. 1. *D. de haered. inſtitut.* & pendeat: tunc enim nocere nepoti non poterit; quod fit, ſi filius tempore teſtamenti, quo praeteritus eſt, apud hoſtes ſit, atque ibi poſt patris mortem decedat. Nam, licet is filius praeteriri poſſit, *l. Gallus* 29. §. *in omnibus* 10. §. *videndum.* 14. *D. h. t.* quam praeteritionem & ob id vim exhaeredationis habere videbatur, §. *ſed ſi in expeditione* 6. §. *mater* 7. *Inſtitution. de exhaeredat. liberor.* tamen cum non reverſus, potius tempore teſtamenti, non in rerum natura fuiſſe, quam quaſi exhaeredatus eſſe cenſeatur, *l.* 6. §. *ſed ſi pater* 1. *D. de injuſto rup. irrit. teſtament.* ſequitur, ejus perſonam nepoti non obſtare. Superiore enim caſu certum eſt, filium eſſe exhaeredatum: quod ſatis eſt, ad excludendum nepotem ab evertendo judicio paterno, jure patriae poteſtatis eſſe factum. In poſteriore, non

eſt

Digitized by Google

IN conciliandis his legibus DD. anxie torquentur; cum tamen, ſi quis verba recte inſpiciat, facile diſcriminis ratio appareat: nam in *priore lege* agitur, cum quis ante legationem efficaciter debuit, & ex contractu omnino perfecto obligatus fuit; de quo non dubium, quin ſi tempore ac loco legationis conſtituerit, ibi conveniri non poſſit; cum, eo caſu, origo principalis obligationis inſpicienda ſit, *l. 69. D. de fidejuſſoribus l. 76. §. haeres 3. D. de legat. 2. l. 33. in principio. D. de donationibus.*

Verum in *l. eum qui* 5. non de eo, qui omnino efficaciter obligatus fuit, agitur; ſed de eo, qui quid ſimpliciter accepit, obligaturus ſe poſtea, certo modo ac forma: quo caſu, quamvis ex numeratione vel traditione, naturaliter obligatus fuit, *l. 9. §. numeravi 4. D. ſi cert. petat. l. 126. §. Chryſogonus 2 verſ. Supereſt. D. de verbor. obligat.* tamen quia id actum erat, ut efficacius obligaretur, quod & in tempus legationis dilatum eſt: merito in eo non tempus vel locus traditionis, ſed initi & perfecti contractus inſpicitur, *l. 7. D. de novationibus.* quemadmodum, & ſi ab initio ita principaliter contractum eſſet, ut tempore legationis ſolveretur, *l. contraxiſſe 21. D. de actionibus & obligationibus l. 3 D. de legationibus.* Secus, ſi a principio quis plene obligatus; poſtea ſe tempore ac loco legationis ſoluturum conſtituat: de quo proprie loquitur *verſic. Sed ſi cum. in §. 1. l. eum qui 5.* tunc enim idem, quod in priori membro, dicendum eſt. Atque ita ego hanc antinomiam conciliandam eſſe judico.

CAPUT XXII.

Explicatio illorum verborum, quibus Ulpianus in l. 1. §. 20. D. de exercitor. act. *dicit.* In re dubia melius eſſe verbis Edicti ſervire.

FIliusfamilias, ſi voluntate patris exerceat navem, pater in ſolidum tenetur; idque ſpeciali jure, ob publicam utilitatem introductum eſt: omnium enim illorum nomine, quae ad publicam cauſam pertinent, pater ex ſola voluntate in ſolidum conveniri poteſt, *l. 2. D. ad municipal. l. 7. D. de admin. rer. ad civit. l. 20. §. idem ſcribit. ſi filius 6. D. famil. erciſcund. l. 1. C. quod cum eo qui.* alias enim, ſi voluntate patris, in merce peculiari privatim negocietur, non in ſolidum, ſed quatenus in merce peculiari eſt, obligatur: quo caſu ſui crediti eatenus tantum ratio ducitur, ut in tributum vocetur; ſcilicet, ut pro rata tantum cum caeteris conſequatur, *de tributoria per totum. §. Introduxit 3. Inſtitut. quod cum eo.* idque propter utilitatem negotiationis, & uſum commerciorum, ita conſtitutum eſt. Cum enim voluntate patris, publice in mercibus peculiaribus negotiatur, intelligitur id patris quaſi conſenſu facere. Qui conſenſus non ita tamen patri praejudicat, ut in ſolidum teneri poſſit: non enim patris nomine, nec in bonis patris, ſed in re peculiari negotiatur. Nam, licet peculium filii patris ſit; tamen, quamdiu in manu filii eſt, ejus quaſi patrimonium cenſetur, *§. actiones autem de peculio 10. Inſtitut. de actionibus. l. 39. 47. §. ult. D. de pecul. l 17. D. de ſtatulib.* Si vero, abſque negotiatione & mercibus, filius alias patre etiam ſciente contrahat, de peculio tantum pater conveniri poteſt; cujus natura eſt: ut ex eo *verbor. ſign. l. 1. §. 1. verſ. Si autem D. ſi familia furt. fec. dicat. l. 1. §. ſcientiam 3. in princip. D. de tribut. act.* vel quod ſcierit & voluerit; vel quod ſcierit quidem, non autem voluerit: quaeri poſſet, quomodo utrobique voluntas accipienda ſit: quod Juriſconſultus eleganter ex verbis edictorum explicat; ut ſcilicet id in unoquoque obtineat, quod verbis principaliter ſignificatur, nec ultra ſit extenſio facienda. Cum enim edictum de exercitoria voluntatis fecerit mentionem, *§. praecedent.* intelligendum utique de vera voluntate, licet non expreſſa; nec ſufficiat quem ſciviſſe, niſi & voluerit: ſi enim ſciverit tantum, non etiam voluerit, non continuo dicendum, eum in ſolidum obligari, ſed ad modum tributoriae; ſi vero nec ſciverit, de peculio, *l. ſi ſervus 6. in princ. D. eod. tit.* In tributoria autem, cum edictum de ſciente loquatur, *l. 1. D. de tributoria.* cenſendum locum quidem habere in eo, qui ſimpliciter & nude tantum ſciverit, licet non voluerit, ut ſcilicet ſola ejus patientia ſufficiat: non tamen ex eo conſequi, ut ſi & ſciverit & voluerit, non ad modum tributoriae, ſed exercitoriae, in ſolidum teneatur. Quam rem non ſatis videtur percepiſſe atque explicaſſe Accurſius. Atque eſt hic appoſitiſſimum exemplum, quomodo, in dubiis Legum quaeſtionibus, principalis verborum ſignificatio inveſtiganda & ſequenda ſit. Alciat. *Paradox. lib. 4. cap. 15. Parerg. lib. 3. cap. 21.*

CAPUT XXIII.

Vera ſpecies §. item ſi meſſes 3. in l. fructus 7. D. de ſolut. matrim. *praeter aliorum ſententiam explicata.*

Item ſi meſſes ejus anni, quo divortium factum eſt, colonum ex forma locationis ſequantur: ante vindemiam ſoluto matrimonio, nihilominus pecunia meſſium in computationem, cum ſpe futurae vindemiae veniet. §. 4. *Apparet igitur ex his, illos fructus, quos mulier percepit, antequam nuberet, non debere in contributionem venire.*

Vera ſpecies hujus §. (niſi admodum fallor) haec eſt: Mulier fundum ſuum, in quo & vineae & agri, colono (in tres puta annos) locaverat: illa lege adjecta, ut & quarti anni meſſes (forte ad provocandam ejus operam ad ſtercorandum agrum, vel quod pleraeque ſationes in proximum fiant annum) colonum ſequerentur. Ponamus, quarto anno, Kalend. forte Martiis, contractum matrimonium, & fundum in dotem datum; demum Kalend. Septembribus divortium factum: quaeritur, quomodo fructuum illius anni ineatur computatio. Et videbatur, ſolius vindemiae haberi rationem: cum meſſes ad mulierem non ſpectent, ſed priorem colonum ſequantur. Accedit eo, quod, pro his meſſibus, peculiaris non fuit impoſita merces, ſed priorum annorum locationibus acceſſit, & conjuncta fuit; quorum annorum mercedes non venire in contributionem, ſubjicit Ulpianus. Si enim peculiaris pro his meſſibus pacta fuiſſet merces; non mirum, ſi & illa in fructuum computationem deduceretur. Aliud tamen Ulpiano videtur: nempe & harum meſſium aeſtimationem faciendam, earumque una cum vindemia ineundam rationem. Sed & ex eo, quod dicit, *Ante vindemiam ſolutum matrimonium*, videbatur nec illam in computationem venire, cum adhuc pendent, & alii jam ſint collecti fructus; ex

fructus ſit, *l. ſi fundus* 8. *in fin. D. eod. tit.* ratio facit, ut & illa in computationem vocetur. Valde autem quaeri poſſet, cum haec meſſium quaſi locatio a vindemia ſeparata ſit, num pro rata menſium ex unoquoque, ſecundum Papiniani ſententiam, §. *Papinianus* 1. *ſupr. ead. l.* confundantur partes. Exempli cauſa: Si meſſes in fine Julii menſis collectae ſint, earumque aeſtimatio efficiat 12. num pro rata praeteriti temporis, quinque ex illis (pro rata autem caeterorum menſium, ex vindemia portiones deducantur) vel an meſſium & vindemiae pro utroque tempore ſimpliciter fiat contributio. Sed cum meſſium non vera fuerit locatio, & totius anni unus fructus ſit; nulla eſt ratio, quare meſſes a vindemia ſeparari debeant: ergo, illis ſimul contributis, portiones faciendae ſunt.

CAPUT XXIV.

De intellectu §. 2. l. 4. D. de manumiſſ. teſtamento. *Declaratio.*

SCribit Paulus *in* §. 2. *l.* 4. *D. de manumiſſ. teſtam.* hoc modo: *Illud conſtat, ſi libertate data ſic fuerit legatum, eique ſi eum vindicta liberavero haeres meus decem dato; licet ex nimia ſubtilitate ſeparatum ſit legatum a teſtamento, attamen humanitatis intuitu valebit legatum, ſi vivus eum manumiſerit.* Quae verba conciſa admodum ſunt, & intricata (nec enim aperit Juriſconſultus, quam hic dicat ſubeſſe, ſubtilitatem) quare & Accurſius ſubtilitatem illam inexplicatam reliquit. Haec autem mihi Pauli ſententia eſſe videtur: Teſtator Sticho ſervo libertatem teſtamento dedit; poſtea autem legatum ei hoc modo adſcripſit: *Sticho, ſi eum vindicta liberavero, haeres meus* x. *dato.* teſtator eum vivus manumiſit. Quaeritur, an ei teſtamento legatum debeatur? & videretur quod non: conditio enim in factum teſtatoris concepta eſt, & haeres ſtatim, conditione exiſtente, rogatus eſt dare; ergo ſi teſtator vivus manumittat, intelligitur & haeres ſtatim, ac vivo etiam teſtatore ad dandum obligatus eſſe (ita enim verba prae ſe ferre videntur) anticipat igitur haec obligatio haeredis ipſum teſtamentum. Juris autem ratio non patitur, ut haeres ante acquiſitam haereditatem obligatus cenſeatur, *l.* 63. *in fin. princ. D. ad l. Falcid.* vel ut quicquam ex teſtamento debeatur prius, quam aditione vires acceperit, *l.* 9. *D. de teſtam. tutel.* Atque hoc eſſe arbitror, quod Juriſconſultus dicit, nimia ſubtilitate ſeparatum eſſe legatum a teſtamento, id eſt, legatum quaſi ante teſtamentum deberi, atque ideo nihil commune cum teſtamento habere, eaque de cauſa inutile eſſe. Nam nec ſpes libertatis ante aditionem quicquam operatur, *l.* 2. *in fin. princ. l.* 9. §. *ult. D. de ſtatuliber.* quamvis, adita poſtea haereditate, favore ſui redintegretur; quod in legatis, quae non ſimili favore ſubnixa ſunt, ſecus dicendum eſt. Concludit tamen Juriſconſultus, humanitatis intuitu valere legatum ac ſervo deberi.

CAPUT XXV.

Vera ſpecies leg. 2. C. de conditionib. inſertis.

Imperat. Severus & Antonin. AA. Gallieno:

CUm patremfamilias fideicommiſſi nomine, quod in diem certam reliquit, ita cavere praecepiſſe proponas, ſi a marito non divertiſſet; juriſdictionis originem perinde ſervari aequum eſt, ac ſi nihil ſuper ea re ſcriptum fuiſſet. Nec exemplum legati, vel haereditatis, in quibus conditio divortii nonnunquam remitti ſolet, huic rei comparandum eſt; cum abſurdum ſit, ideo perpetui edicti formam negligi, quia patris ſui voluntati non obtemperatur.

tur vera ejus eſſe ſpecies. Teſtator rogavit Sempronio fundum Sejanum, rogavitque, ut eundem poſt certum tempus reſtituat filiae teſtatoris, ſi ſtatim caveat, ſe non diverſuram a marito; filia cavere non vult, atque interim etiam a marito divertit; tempore adveniente, petit a Sempronio fideicommiſſum; Sempronius negat ei deberi, tum quia non cavit, tum quia contra injunctam conditionem fecit; defendit ſe filia hoc colore, ac dicit: Si pater meus teſtamento illam ſcripſiſſet conditionem, Si caviſſem me diverſuram, certe remiſſa mihi fuiſſet & cautio & conditio, *l.* 5. *C. de inſtitut. & ſubſtit. ſub cond.* at ſi forte ſecundum voluntatem patris & caviſſem & divertiſſem illo caſu, non ob id indigna fideicommiſſo fuiſſem: ergo in propoſito quoque, licet diverterim, non videtur mihi hoc nocere debere: cum enim utroque caſu diverterim, cenſendum & idem jus utroque caſu locum habere. Sed reſpondent Impp. abſurdam eſſe hanc allegationem, magnamque ſubeſſe diverſitatis rationem: nam illa conditio inhoneſta eſt, quare merito remittenda; haec autem licita & honeſta; ergo implenda, ſi ad fideicommiſſum admitti velit. Item licet in illa quis diverterit, tamen ſecundum voluntatem teſtatoris id fecit, quare excuſationem merebitur; in hac autem contra voluntatem ejus, quae & juſta & honeſta eſt, id fit; quare poena potius, quam favore digna, cenſebitur. Cum enim conditioni ſecundum jus commune ſatisfacere debuerit, nec remiſſioni, nec veniae impetrationi locus erit. Quod igitur de juriſdictione & edicto dicit, ad illam partem ſpectat, qua cautum fuit, ut conditionibus, teſtamento ſcriptis, quis ſatisfacere teneretur, & quod conditione defectus a relictis excluderetur.

CAPUT XXVI.

Verus intellectus l. 44. D. ad l. Falcid. *contra Accurſium.*

Ulpianus libro xxi. ad edictum.

FAlcidia intervenire non poteſt, ſi ſtatuliber de alieno dedit, non de bonis defuncti: vel alias eſt liber homo, qui conditionem implevit.

Haec lex, licet perbrevis ſit, non recte tamen ab Accurſio explicatur: vult enim ipſe de eo hic agi, an quod alienum non ex peculio ſtatuliber det, in Falcidiam haeredi computetur; quod quamvis & alibi negetur, *l. id autem* 76. *infr. D. eod.* tamen quaeſtio illa verbis hujus legis non congruit: non enim dicit Juriſconſultus in Falcidiam non imputari, ſed Falcidiam in eo non intervenire; hoc eſt (ut ego quidem arbitror) Falcidiam ex eo non deduci. Quare intelligendum eſt, hoc a Juriſconſulto quaeri, an de eo, quod ſtatuliber, conditionis implendae cauſa, non haeredi dare gravatus eſt, Falcidiam haeres deducere poſſit. Et diſtinguendum, ut, ſi ex peculio ſuo det, Falcidia in eo locum habeat; ſi vero de alieno, minime: non enim in bonis defuncti fuit, quod datum eſt. Idem, ſi non ſervus, ſed liber ſit, qui dare juſſus eſt: nam licet & is de peculio ſuo, quod ad dominum ſpectare creditur, dederit; tamen Falcidia in eo non interveniet: nec enim peculium liberi hominis intelligitur, *l.* 182. *D. de verbor. ſign.*

CAPUT XXVII.

Vera explicatio §. ult. in l 3. D. de haeredibus inſtituend.

APerturae tabularum dilatio neceſſarii haeredis jus non mutat; ut ſolemus in ſubſtituto impuberi dicere. nam eſt relatum, ſi ſe arrogandum dederit, ſubſtitutus impuberi defuncto filius, neceſſarium eum fore.

Flu-

deſinet eſſe neceſſarius: quia apertura nihil cum teſtamento commune habet, nec ex ipſo teſtamento pendet, ſed potius fortuita eſt, *l. 26. § idem imperator. 3. D. de fideicomm. libertat.* ſecus, ſi hic filius ſub conditione poteſtativa haeres ſcriptus ſit, &, pendente conditione, ſe arrogandum dederit, *l. 10. D. de liber. & poſthum.* Cum enim haec conditio, ex neceſſario, voluntarium faciat, *l. 69. ad fin. l. 86. D. de haered. inſtit. l. 12. D. de condition. inſtit.* non mirum, ſi, ea pendente, arrogandum ſe det, neceſſarius eſſe deſinat. Idem in ſubſtituto impuberi neceſſario: nam ſi pater impuberi fratrem in poteſtate ſubſtituiſſet, vetuiſſetque, pupillares tabulas ante mortem aperiri, *l. 8. D. teſtament. quem. aperi. §. igitur 2. Inſtitut. de pupillar. ſubſtit.* & ipſe frater ſe medio tempore arrogandum dederit, non efficit, quo minus impuberi defuncto neceſſarius ſit, *l. 2. §. prius 4. l. 10. §. 1. D. de vulgar. & pupillar.* Quamvis enim haec dilatio ex diſpoſitione teſtatoris ſit, tamen non ipſum ſubſtitutum reſpicit, ſed extrinſecus conſideratur. Nec obſtat, ſi quis dicat, ipſam ſubſtitutionem conditionalem eſſe inſtitutionem, *l. 41. §. cohaeres 6. D. de vulgar. & pupillar l. in ratione* 11. *§. quod vulgo 5. D. ad l. Falcid.* non enim voluntaria, ſed neceſſaria eſt conditio, quam vulgaris conditionis formam ac regulam non ſequitur, *Bartol. §. & quid ſi tantum 5. l. Gallus 29. D. de lib. & poſt.* Quod autem, in principio, de apertura teſtamenti diximus, ad leges & SCtum refertur, quibus vetabatur certo tempore aperiri teſtamentum, & quibus haeres, ante apertum teſtamentum, haereditatem adire prohibebatur, *l. 3. §. quod ad cauſam 18. l. 4. 5. & per totum D ad Syllanian.* Lex autem Papia ad liberos non pertinebat, *l. 1. C. de caduc. tollend. l. ſi fratris 3. C. de jure deliberand.* Idem, ſi alia quacunque ex cauſa apertura teſtamenti differatur.

CAPUT XXVIII.

Utilis ac commoda interpretatio l. ſi filiusfamilias 18 D. ad l. Falcid. *qua oſtenditur, quomodo veterum Juriſconſultorum argumentationes explicandae.*

Varie Juriſconſulti quandoque partium allegationes, & ea, quae ultro citroque in cognitione dicta fuerunt, adducunt: ſimul & ipſi nonnunquam, contra ſuammet ſententiam, tam ſubtiliter & argute argumentantur, ut non levis operae ſit, in quibuſdam omnes illorum rationes atque argumenta explicare. Magnum enim in veteribus illis Juriſconſultis fuit ingenium, mirum acumen, abſolutiſſima juris cognitio; adeo ut in quam multis vix illorum mentem, vel tenuiter nobis aſſequi datum ſit, *l. in ratione* 11. *§. quod vulgo 5. §. ſeq. D. ad l. Falcid.* Supra tamen quam diei poteſt, utile eſt, tales eorum argumentationes, quoad licet, curioſius excutere & perſcrutari: praeterquam enim quod ingenium mire acuat, nihil ad ſubtilitatem juris percipiendam, remque ipſam perfecte intelligendam conducibilius. Et quamvis omnium fere per omnia aequalis ſit laus, *l. 1. §. cumque haec materia 5. C. de veteri jure enucl.* duo tamen in eo genere mirifice excellunt, Paulus & Tryphoninus, *l. Neſennius 34. D. de negot. geſt. l. 38 D. de minorib. l. 53. D. de admin. tutor. l. 56. §. ult. D. de jure dot. l. 4. D. quibus ad liber. proclam. non. l. 1. § ſi accuſationem* 10. *D. ad Tur-*tam deducere poſſit. Et reſpondet, quod utique; idque probat ab autoritate: nam divum Pium conſtituiſſe, & in fideicommiſſis ab inteſtato Falcidiae eſſe locum, *l. 3. C. ad Trebellian. l. ult. C. quando dies legat. ced.* Contra id excipiendo Paulus opponit a diverſis, idque ex vi & proprietate verbi: illud quidem in haereditatibus ita conſtitutum eſt, verum in propoſito non eſt haereditas, ſed peculium, *l. 1. 2. D. de caſtrenſ. pecul.* quod rurſus replicando oppugnatur a pari: at, cum aliquis a filio inſtitutus eſt haeres, iſque adeat, deſinit eſſe peculium, & incipie eſſe haereditas, *d. l. 2 & l. 18. D. de ſtipulat. ſervor l. 33. D. de acquir. rer. dom.* Duplicando & illud refellitur a differentibus. Id quidem verum eſt in extraneo inſtituto adeunte, at cum apud patrem manet peculium, priſtinum jus peculii durat, *l. 9. 14. D. de caſtrenſ. peculio.* Quod ſimiliter triplicando per inſtantiam a ſimili oppugnatur. Quid refert, id, quod a filiofamilias relictum eſt, haereditas ſit, nec ne: nam nec ejus, qui apud hoſtes mortuus eſt, proprie eſt haereditas, *l. 3. in fin. D. de verb. ſign.* utique tamen in ejus teſtamento exercetur Falcidia, *l. 1. §. 1. D. ad l. Falcid.* Quadruplicando & illud quoque a ſpeciali tollitur. Id quidem fictione L. Corneliae ita introductum eſt, non quod jure communi ita ſe res habeat, *d. l. 1. §. 1.* Ex qua argumentatione, quaſi neceſſario conſequi videbatur, Falcidiae in propoſita ſpecie locum non eſſe. Diverſum tamen Paulus concludit, ac ſententiam ſuam primum a lata verbi ſignificatione probat: nam licet pater proprie non ſit haeres, quaſi tamen haeredem eſſe, dicendum eſt, *l. 3. § Pomponius 9. D. de minorib.* praeſertim cum & filiusfamilias in caſtrenſi peculio, quaſi paterfamilias judicetur, *l 6. §. ult. D. de injuſto rupt. irr. cum ſimilib.* Deinde exemplis aliarum legum argumento a contrariis (ut ſcilicet contrariorum eadem ſit diſpoſitio per contrarium) confirmat. Ac primo: nam ſi pater ſcriptus fuerit a filio haeres, & rogatus reſtituere haereditatem, cogi poteſt a fideicommiſſario, adire haereditatem, & reſtituere, *l. 1. §. hoc autem 5. D. ad Treb* quo caſu poenam amiſſionis Falcidiae ſuffert, *l. 4. 16. §. idem Marcianus 9. D. ad Trebell. l. 4. in fin. C. eod.* ergo econtra, ſi ſponte reſtitueret, commodum deductionis quartae merebitur. Deinde, ſi pater, ſcriptus haeres a filio, omiſerit ex teſtamento haereditatem, ad legata & fideicommiſſa, exemplo edicti tenetur, *l. 17. §. 1. D. de caſtrenſi peculio:* ergo & contra, ſi ex teſtamento adierit, exemplo aliarum legum quartam deducet. Eſtque argumentatio a cauſa teſtati, ad cauſam inteſtati, *l. 3. C. de inoff. donat.* Cum autem aequiparatio plerumque ad omnia extendatur, *l. 1 ibi DD. D. de legat.* 1. neceſſario hinc & alia conſequuntur, ſcilicet, ut non ſolum fructus in quartam, *l. 18. §. 1. in fin. D. ad Trebell.* ſed etiam quartae fructus computentur, *l. 22. §. ſi haeres 2. D. ad Trebellian. l. 3. C. eod.* Item ut utiles actiones ex SCto transeant, *§. reſtituta autem 3. Inſtitut. de fideicommiſſ. haeredi.* & ut non ſolum haereditas fiat peculium, poſt reſtitutionem; ſed & haeredis loco habeatur, cui reſtitutum eſt, *l. 5. §. 1. D. quod cum eo qui in alien.* Quae axiomata tamen, & argumentorum exempla nemo fere hinc colligit, cum tamen optime hinc colligi poſſe videantur. Ut autem ſtudioſi intelligant, hanc per omnia eſſe mentem ac ſententiam Juriſconſulti, verba ipſa legis ſubjiciam. *Paulus: Si filiusfamilias, qui militaverat, decedens, patris ſui fidei commiſiſſet codicillis, ut*

Digitized by Google

ceſſionibus, propter fideicommiſſa. Sed in propoſito nec haereditatem eſſe; quamvis placeret mihi, extraneo haerede inſtituto, fieri haereditatem ejus aditione: nam cum apud patrem remanet, jus priſtinum durat, & peculium eſt. Nec huic contrarium eſt, quod in teſtamento ejus, qui apud hoſtes deceſſit, exercetur Falcidia; nam fictio L. Corneliae & haereditatem & haeredem facit. Sed nemo dubitabit, quin debeat id quoque indulgeri legis beneficium: ſiquidem quaſi patrisfamilias bona reſtituere cogatur; & haeres ſcriptus, omiſſa ex teſtamento aditione, exemplo edicti, legatorum nomine convenietur. §. 1. His conſequens erit, ut ſi ex fructibus medio tempore quartam, & quartae fructus habuerit pater, etiam Trebellianum SCtum inducamus, & utiles actiones exerceri poſſint, fiatque haereditas per reſtitutionem.

CAPUT XXIX.

Duobus locis Accurſium non ſatis ſententiam Juriſconſultorum percepiſſe, atque aliud, quam voluerunt interpretatum.

Scribit Ulpianus, *l.* 8. *in princ. D. ſi ſervit. vindic.* eum, qui oneris ferendi ſervitutem debet, reficere debere, non autem ad hoc teneri, ut aedificium vicini, quamdiu paries reficitur, fulciat. Deinde adjicit: *Et hic quoque, ſicut in caeteris ſervitutibus, actio contraria dabitur, hoc eſt, jus tibi non eſſe me cogere.* Quibus verbis tantum de ſultura aedificii agi vult Accurſius. Ego vero haec verba ad refectionis onus & ſervitutem referri debere exiſtimo; ſcilicet, quod ab initio convenire & paciſci liceat, ut is, cui ſervitus debetur, reficere teneatur: quod ſi factum fuerit, is, qui ſervitutem debet ferendi oneris, contrariam, hoc eſt, negatoriam actionem, ex cauſa & in vim exceptionis intentare poterit, ut dicat, jus tibi non eſſe me cogere, ſcilicet ad reficiendum. Quamvis enim ex natura ſervitutis, refectio ad eum, qui debet ſervitutem, ſpectet, *l. eum debere* 33. *D. de ſervitut. praed. urban. l. etſi forte* 6 *§. etiam de* 2. *D. ſi ſerv. vindic* tamen non dubium eſt, quin contra paciſci liceat. Qui locus me admonet, ut & alium non recte ab Accurſio explicatum judicem: is eſt in *l. venditor.* 13. *§. ult. D communia praedior.* ubi Juriſconſultus ita ſcribit: *Ita tamen lapides caedere debet, ut neque uſus neceſſarii lapidis intercludatur, neque commoditas rei jure domino adimatur.* Quae verba priora Accurſius intelligit de eo, qui caedit, ne ſcilicet illius uſus intercludatur, cum potius de domino fundi intelligenda ſint: nempe ut ita caedere debeat, ne dominus, ſi forte neceſſario opus habeat, ipſe carere cogatur: nec enim aequum eſt, alios ſumere, dominum autem egere, *l. praeſes* 6. *C. de ſervit. & aqua* Eſt ergo haec Juriſconſulti ſententia, eum ita caedere debere, ne dominus ipſe egeat, & ne ob hoc ei deterior vel incommodior uſus fundi reddatur: nam verbum, Domino, ad utramque clauſulam referendum eſt.

CAPUT XXX.

De diviſione ſtipulationum.

Diviſionem ſtipulationum, quae a Pomponio tradita eſt, *l* 5. *D. de verbor. obligat. tit. Inſtitut. de diviſ. ſtipulat.* multi explicare conati ſunt: ſed nemo adhuc (meo judicio) ſatis exacte. Stipulationum igitur quaedam judiciales ſunt, quaedam praetoriae, quaedam conventionales, quaedam communes. Et in hac diviſione Judiciales dictae ſunt, non a judicio, ſed ab ipſo judice: ad differentiam illarum ſtipulationum judicialium, quae ab Ulpiano in ſua diviſione ponuntur, *l.* 1. *D. de praetor. ſtipulat.* ipſum judicium praecedunt. Hae autem, de quibus hic agimus, a mero judicis officio proficiſcuntur; hoc eſt, ipſius autoritate & arbitrio, cum de cauſa cognoſcit, interponi jubentur: proprie enim ad rem, quae ſub judice eſt, & ad finem litis & judicii pertinent; nec principaliter per ſe, ſed in conſequentiam judicii petuntur, & locum habent; idque multis modis. Nam quandoque, licet condemnatus ſit reus ad rem reſtituendam actori, iſque reſtituerit; tamen fieri poteſt, ut in eo periculum adhuc tam actori, quam reo ſubſit, vel quod reus quicquam doloſe in re reſtituta fecerit, quod ignoret actor, vel quod commodum aliquod inde ſperare poſſit, vel quod reus illius rei nomine cuiquam ſit obligatus, quo nomine poſt finitum judicium non facile invicem agere poſſent, nec etiam cautionem exigere, *l.* 4. *Cod. depoſiti. l. in bonae fidei* 13. *Cod. de uſuris.* Quare in reſtituenda vel tradenda re, de cautione ultro citroque interponenda, judicis officium implorare poſſunt; ex parte rei, de dolo, vel jus rei non factum deterius, vel his rebus recte reddi, vel de evictione, &c. *l.* 18. 20. *in fin. l.* 45. *D. de rei vindicat. l.* 9. *§ ex hoc edicto* 7. *§. item Julianus* 5. *D. quod met. cauſ. l.* 15. *D. de pignor. action. l.* 32. *D. de noxalib. l.* 58. *D. de evictionib. l.* 25. *§.* 1. *D. ſolut. matrim. l.* 13. *§ idem Celſus* 17. *D. de action. empt. l.* 71. *§.* 1. *D. de legat.* 1. *l.* 21. *§.* 1. *&* 2. *D. de aedilit. edict.* Ex parte vero actoris, his rebus recte praeſtari: per eam enim proprie ejus indemnitati, qui vel tradidit, vel reſtituit, proſpicitur, *l.* 19. 58 *D. de rei vindic. l.* 21. *§. idem Pompon.* 2. *D. de aedilit. edict. l.* 36. *D. ad Trebell. l.* 71. *§.* 1. *D. de verbor. ſign.* Deinde fieri poteſt, quod res petita abſit, ac propterea condemnatio fieri non poſſit: quo caſu cautio judicis officio interponenda eſt, pro qualitate negocii; vel de perſequenda inquirendave re; vel ſimpliciter, ſi in poteſtatem venerit, redierit, exhiberi, reſtitui, *l.* 14. *§. aliquando* 5. *§.* 11. *verſ. Pro eo autem qui. D. quod metus cauſa. l.* 21. *D. de rei vindicat. l.* 5. *§. ult. D. ad exhibend. l.* 60. *§. ult. D. de legat.* 1. *cum ſimilib.* Tertio fieri poteſt, quod res ante condemnationem dolo vel culpa perierit, vel alias praeſtari non poſſit, ſic ut lis eo nomine aeſtimanda ſit: quo caſu de aeſtimatione certo tempore praeſtanda cavendum eſt, *l.* 4 *in fin. l.* 5. *D. de in litem jurand.* Et referri poſſunt in hunc numerum: cautio de refundendo, *l.* 5. *§. ult. l.* 7. *in princ. D. de tributor. l.* 9. *§. ult. l.* 52. *in fin D. de peculio.* item, ſi quandoque locupletior factus fuerit, ſolvi, *l.* 43. *in fin. D. de admin. tutor. l.* 47. *§. ſi ſemel.* 2. *D. de pecul. l.* 63. *§. id quod facere* 3. *D. pro ſocio.* item de reſtituendo, ſolvendo, certo loco, vel tempore, & aliae infinitae, *l.* 11. 27. *§. ſi per filium* 4. *D. de rei vendic. l.* 4. *§.* 1. *D. de eo quod cert. loc. l.* 12. *§. ſi juſta* 5. *D. ad exhib.* Et dicitur his caſibus, officio vel arbitrio judicis, cautio praeſtari, *l.* 14. *§.* 11. *verſ. Pro eo autem. D. quod met. cauſ. l.* 3. *D. de tutel. vel ration. diſtr. l.* 13. *§. ſi ſub conditione. l.* 16. *in princ. l.* 57. *in fin. D. de petit. haered.* vel per judicem caveri: habet enim locum, ubicunque ſub finem judicii de aliquo cavendum eſt. Praetoriae ſunt, quae a mero praetoris officio proficiſcuntur: hoc eſt, apud eum, qui juriſdictioni praeeſt, interponuntur, & dictae ſunt, non ex eo, quod praetor eas introduxit; ut in *l.* 5. *D. de praetoriis ſtipulat.* ſed quod praetoris aditione, praeſentia, authoritate, juſſu, imperio in illis opus ſit: non enim apud ſimplicem judicem exerceri poſſunt, ſed apud eum, qui juriſdictionem & imperium habet; nec judicii alicujus ſuſcepti nomine, ſed principaliter per ſe petuntur. Ut igitur omnia judicia a praetore petebantur, & conſtituebantur; ita & hae ſtipulationes, quod actionum inſtar eſſent, *l.* 36. *D. de action. & obli*g

Digitized by Google

generis damni infecti ſtipulatio, & legatorum nomine cautio, & ſi quae ſimiles: quae id proprium habent, ut ab initio, & principaliter tantum, ac per ſe, abſque judicii ſuſceptione petantur; nec enim ſupradictae cautiones in judicium incidere poſſunt, ſed abſolutam tantum habent praetoris implorationem & juſſionem. In quem numerum ſi quis & referat cautionem, quae ab arrogatore arrogato praeſtatur, forte non erraverit, *l. 18. 19. D. de adoption. §. cum aut impubes 3. Inſtit. eod.* Ut autem omnia negocia civilia, fere ad juriſdictionem praetoris pertinebant, *l. 2. §. cumque conſules 27. D. de origin. juris.* ita ſpecialiter emptiones & venditiones ad juriſdictionem aedilium curulium ſpectabant, *l. 63. D. de aedilit. edict.* quare & cautiones, quas eo nomine, ſecundum formam edicti, ab initio principaliter interponi neceſſe erat, de vitiis, de morbis, &c. apud illos fere expediebantur: magiſtratus enim erant, *l. 2. §. deinde cum placuiſſet 26 D. de origin. juris* & de illis rebus, de quibus proponebant edicta, juriſdictionem habebant, & judicia dabant, *l. 1. in princ. l. 28. 38. 63. D. de aedilit. edic.* Quae autem cautiones, ſuſcepto de emptis vel venditis rebus judicio incidebant, judiciales erant, *l. 21. §. 1. & 2. l. 26. 30. in princip. D. de aedilit. edict. cum ſimilib.* Conventionales ſtipulationes quae ſint, minus obvium eſt. Communes ſtipulationes ſunt, quae nonnunquam principaliter, & ultro per ſe, ab eo, qui juriſdictioni praeeſt, petuntur; nonnunquam incidenter ſuſcepti judicii nomine, a judice, qui de cauſa cognoſcit, interponi jubentur; ut fit in cautione, rem pupilli ſalvam fore. Ab initio enim quandoque tutores apud praetorem rem pupilli ſalvam fore cavere tenentur, *l. 2. in fin. D. rem pupill. ſalv. Inſtit. de ſatiſdat. tutor. in princ. l. 2. C. de tutor. vel curat. qui ſatis non.* quandoque & in judicio idem fit, *l. 13. in princip. D. de tutor. vel curat. datis l. 6. verſic. Communes. D. de verb. obligat.* Idem in cautione de rato, & ſtipulatione duplae: nam vel per ſe apud praetorem, vel aedilem, vel etiam judicii ſuſcepti nomine apud judicem peti & interponi poſſunt, *d. l. 6. verſ. Communes.* Et referri huc poſſunt cautiones, Evicta haereditate legata reddi; item, Quanto amplius cepit, quam per L. Falcidiam licuit, reſtitui; item cautiones de uſufructu, & aliae innumerabiles. Quarum cautionum omnis generis magnum numerum in Indice meo (quem brevi proditurum ſpero) ſtudioſi invenient.

CAPUT XXX.

Vera ſpecies ac ſententia §. 1. l. cum tabulis ſecundis 16. D. de his quae ut indign. auſer.

QUoniam ſtuprum in ea contrahi non placuit, quae ſe non patroni concubinam eſſe patitur; ejus, qui concubinam habuit, quod teſtamento relictum eſt, actio non denegabitur: idque in teſtamento Coccei Caſſiani, clariſſimi viri, qui Rufinam ingenuam honore pleno dilexerat, optimi maximique Principes noſtri judicaverunt; cujus filiam, quam alumnam teſtamento Caſſianus nepti cohaeredem datam appellaverat, vulgo quaeſitam apparuit.

Quaecunque Accurſius in interpretatione hujus §. comminiſcitur, plane aliena ſunt a ſententia Papiniani, ac fere ridicula: ut quivis facile judicare poteſt. Quaeſtio autem haec eſt: An concubinae teſtamento relinqui poſſit: & videbatur non poſſe; cum quaſi ſtupri commercium cum ea ſit: ob quam paret, concubinae recte teſtamento relinqui poſſe, actionemque ei non denegari. Ex quo & ſequitur, quod quemadmodum matri concubinae, ita & liberis ejus, ex alio ante concubinatum ſuſceptis, relinqui poſſit; cum ſi turpis eſſet conjunctio, aeque in liberis atque in matre inutile eſſet relictum. Idque exemplo probat: Rufina enim, ingenua mulier, filiam vulgo conceperat; poſtea ſe in concubinatum Coccei Caſſiani dedit: quam cum fere uxoris loco dilexiſſet, moriens filiam ejus vulgo conceptam, tanquam ſcilicet alumna ſua eſſet, una cum nepte ſua haeredem inſtituit. Quaeſitum fuit, an inſtitutio jure valeret: & judicarunt Principes, ob non illicitum concubinatum inſtitutionem valere. Poſſet & in eo intelligi, qui alterius concubinam, invito illo, ſibi junxiſſet; in qua cum ſtuprum non committatur, non prohibetur ei liberiſque ejus teſtamento relinquere: quod ſecus eſt in liberta, quae in patroni eſt concubinatu; quam ſi quis invito patrono ſibi junxerit, quaſi ſtuprum cum ea contraxiſſe intelligitur, nec relicta valebunt, *l. 1. ibi Gloſſ. de concubin.*

CAPUT XXXII.

Dilucida explicatio l. ſi ſervo 26. D. de adimendis legat.

Paulus libro IX. Quaeſtionum.

SI ſervo cum libertate dato legato, & alienato, adimatur libertas; quamvis alieno inutiliter adimatur, tamen legatum ad emptorem non perventurum: & merito. Conſtitit enim ademtio, quia poſſit redimi, ſicut datio, cum in eum confertur, qui faciendi teſtamenti tempore fuit teſtatoris, deinde alienato codicillis libertas datur. §. 1. Quid ergo, ſi eum, quem liberum eſſe quis juſſerat, manumiſerat vivus, deinde codicillis libertatem ei ademerit? videamus an perdiderit legatum vana ademptio libertatis, quod quidam putant. Sed ſupervacua ſcriptura non nocet legato.

Servo ſuo teſtator cum libertate legatum dedit, deinde eum alienavit; qua alienatione libertas perempta eſt, legatum autem ad novum dominum pertinet, *l. quaeſitum 91. §. ſervo 3. §. ſi quis Stichum 5. D. de legat. 1.* Pone ergo, dominum poſtea in codicillis adimere huic ſervo alienato libertatem; quaeritur, num talis ademptio libertatis noceat legato, quod diximus ad novum dominum ſpectare. Et videbatur non nocere; nam inutilis eſt talis ademptio: cum enim per alienationem libertas extincta fuit, *l. ſervo libertatem 47. D. de condition. & dem.* inutilis plane & ſupervacua erat ademptio codicillis ſcripta. Inutile autem nullum effectum producere poteſt, *l. 14. § 1. ſupr. eod. l. 8. §. Marcellus 9. ad Vellejan.* Aliud tamen Juriſconſultus videtur; ſcilicet ademptionem illam, licet aliquo caſu inutilem, diverſo tamen caſu aliquid operari poſſe: nam cum ſervo teſtamento manumiſſo, media tempora non noceant, *l. Ariſto 46. l. verum eſt 58. D. de manum. teſtam.* ſi hic ſervus alienatus, ante mortem teſtatoris, in poteſtatem ipſius revertatur, & libertatem & legatum conſequetur; ergo & quod medio tempore in praejudicium ejus codicillis ſcriptum eſt, ipſi nocere poterit: ſi enim in poteſtatem teſtatoris revertatur, idipſum effectum ſuum habebit; quod in dicta ademptione libertatis apparet, *l. ult. in fin. infra eod.* nam reverſo eo in poteſtatem, legatum non debebitur: proprio enim ſer-

mitibus. Quod autem ademptum eſt, nec datum intelligitur, *l.* 14. *D. de legat.* 1. Ex quo & conſequitur, legatum illud ad novum dominum non pertinere: ſufficit enim ademptionem illam libertatis ab initio, propter jus & ſuſpenſionem medii temporis, recte conſtitiſſe, *l. prox. infr. in princ.* & aliquo caſu, redemptione ſcilicet alienati ſervi, legatum perimere potuiſſe: nam, quamvis poſt alienationem ſervi, codicillis ſcripta ſuit; tamen propter conjunctionem teſtamenti & codicillorum, perinde de ea judicatur, ac ſi teſtamento ſcripta fuiſſet, *l.* 2. §. 1. *D. de jurid. codicillor.* quo caſu non dubium, per eam extinctum fuiſſe legatum, *d. l. ſervo libertatem* 47. *cum ſimilib.* Idque probat per contrarium, in datione libertatis; quae, quamvis prima facie inutilis videri poſſit, tamen per eam & confirmari poterit alias inutile legatum, *l.* 8. §. *penult. D. de jure codicillor.* nam certum eſt, ſervo ſuo ſine libertate legari non poſſe. Pone, teſtatorem in teſtamento legaſſe ſervo, poſtea eum alienaſſe; legatum novo domino non debebitur. Quid autem ſi codicillis, poſtea ſcriptis, libertatem ſervo det; num per talem dationem, & legatum teſtamento ſcriptum confirmetur, ut ad novum dominum ſpectare poſſit? Et videbatur non confirmari; quia libertas alieno ſervo inutiliter datur, *l. Servius* 35. *D. cum ſimilibus. de manum. teſtam.* Sed tamen & hoc caſu, propter conjunctionem teſtamenti & codicillorum diverſum dicendum eſt: nam & ſi medio tempore mortis redimeretur ſervus, & legatum & libertas in perſona ejus conſiſterent; ergo & ad novum dominum, libertate ſcilicet per alienationem extincta, legatum ſpectabit. Sed quid? Si ſervo & libertatem & legatum teſtamento dedit; poſtea eundem inter vivos manumiſit, codicillis autem deinde factis libertatem ademerit; num talis ademptio legato officiat? quod ſimiliter, propter conjunctionem codicillorum cum teſtamento videbatur; nam ſi rurſus in ſervitutem redigeretur, talis ademptio ei obſtaret, nec ex teſtamento libertatem & legatum conſequi poſſet. Sed hoc caſu ademptionem illam omnino inutilem ac ſupervacuam eſſe Juriſconſultus dicit, nec legato nocere: nam libertas inter vivos data, efficacior eſt quam alienatio, *l. prox.* §. 1. *l.* 34. §. *liberum hominem* 2. *D. de contrah. emption.* nec tam facile revocatio in ſervitutem, quam redemptio ſervi alienati ſperari ac proſpici poteſt.

CAPUT XXXIII.

De intellectu l. ſi quis teſtamento 12. D. de ſtatuliber.

Julianus lib. VII. Digeſtorum.

SI quis teſtamento libertatem acceperit ſub conditione, ſi rationem reddiderit; debet pro haereditaria parte haeredibus reliqua ſolvere, etiamſi nomina quorundam haeredum ſint in conditione poſita.

Miratur hoc loco Accurſius, quare Juriſconſultus, nominibus haeredum expreſſis, pro haereditariis partibus cuique reliqua deberi dicat; cum certi juris ſit, nominum propriorum expreſſionem viriles inferre partes, *l.* 54. §. *ult. ſi haeredes* 124. *D. de legat.* 1. *l. nonnunquam* 24. *D. ad Trebellian.* ideoque varias adſert ſolutiones, quae textui non congruunt. Sciendum eſt igitur, nomina quorundam haeredum, non ſolutioni reliquorum adjecta, ſed conditioni reddendae rationis; hoc ſcilicet modo: Stichus ſi arbitrio Sempronii, Titii, Seji, haeredum meorum rationes reddiderit, liber eſto; quo caſu videbatur non omnibus haeredibus reliqua deberi; ſed illis tantum, quibus rationem reddere juſſus eſſet: ex quo & ſequeretur, pro virilibus eos admitti. Quod Juriſconſultus negat, ac dicit omnibus haeredibus pro haereditariis portioni-

CAPUT XXXIV.

Commoda explicatio l. Plautius 49. D. ad L. Falcidiam.

PLautius: Servo quem tibi legaveram, fundum legavi. Atilicinus, Nerva, Sabinus, primum in ſervo rationem legis Falcidiae habendam, & quota pars ex eo decederet, eam partem in fundo inutilem futuram: deinde, ex reliquis partibus fundi, legis Falcidiae portionem deceſſuram, ſicut ex omnibus legatis. Caſſius: Quod ſervo pars lege Falcidia decedat, incipere ſervum fieri communem haeredis & legatarii; communi autem ſervo cum legatum ſit, totum pertinere ad ſocium: quia in eam perſonam legatum conſiſtere poſſit; qua ratione ſemel ex fundo partem legis Falcidiae deceſſuram. Paulus: Caſſii ſententia utimur; nam & divus Pius reſcripſit, ſervo communi fideicommiſſum datum, totum ad ſocium pertinere.

In ſpecie hujus legis foede erratur, ſic ut vulgo ſententiam ejus non recte percepiſſe videantur: quare & varie textus mutatur; cum tamen lectio Florentina, quam & adſcripſi, veriſſima ſit. Quaerit autem Plautius: Si ſervo legato fundus legatus ſit, & Falcidia interveniat, quomodo in utroque legato ratio ineunda ſit. Et recenſet, diverſas Juriſconſultorum de hac re ſententias. Primo Atilicini, Nervae & Sabini; qui voluerunt, primum in ſervo rationem Falcidiae habendam, ut intelligatur, quota ejus portio Falcidiae nomine ad haeredem ſpectare debeat, quae portio, ſi forte vel ſexta vel ſeptima eſt; indicarunt, & tantam partem in fundi legato eſſe inutilem: pervenit enim res in eum ſtatum, unde non potuit incipere, *l.* 11. *D. de ſervitutib. l.* 16. *D. ad l. Aquil.* Nam ſicut haeredis ſervo pure legari non poteſt, §. *an ſervo haeredis* 32. *Inſtitut. de legatis. cum ſimilib.* ita & ſi ſervus, cui legatum eſt, pro parte poſtea ejus eſſe incipiat, perimi pro ea parte legatum dicendum eſt: ut quod juris in toto, idem in parte ſit, *l. quae de tota* 76. *D. de rei vind.* Cum autem utile per inutile non vitietur, *l.* 1. §. *ſed ſi mihi* 4. *D. de verbor. obligat.* voluerunt caeteras partes fundi ad legatarium ſervi pertinere, in eisque & Falcidiae eſſe locum. Deinde Caſſii in hac re ſententiam refert: qui voluit quidem, primum in ſervo quaerendam eſſe Falcidiam; ut ſciatur, quota ejus pars apud haeredem remaneat: noluit tamen eo nomine quicquam de fundi legato diminui. Quare alia regula juris praeſentem quaeſtionem dirimendam cenſuit; nempe illa: Si ſervus communis uni dominorum acquirere non poſſit, totum ad ſocium pertinere, §. *ult. Inſtit. de ſtipulat. ſervor.* quod in omnis generis acquiſitionibus locum habet, *l. qui bona* 23. §. *ult. D. de acquir. rer. domin. l.* 1. §. *communis ſervus* 4. *D. de ſtipulat. ſervor. l.* 12. *D. de author. tutor.* plures enim domini, non quaſi ab initio, ſed concurſu partes habere intelliguntur, *l.* 1. §. 1. & 2. *D. de uſufruct. accreſc.* ut illis potius non decreſcere, quam accreſcere cenſeatur. Quare cum ob Falcidiam ſervus communis eſſe incipiat, haeredis & legatarii, idem & hoc caſu dicendum eſt Cum enim perſona ſit, in qua totum legatum ſuo jure conſiſtere poſſit (quod aditae haereditatis tempore ſpectatur, *l.* 11. *D. de option. legat.*) ex accedenti pro parte interire non debet: una igitur tantum Falcidiae nomine, non duplex deductio, ex fundo fieri debet. Quam ſententiam Paulus reſcripto divi Pii a ſimili confirmat.

Digitized by Google

qui conventus, a ſocio petere poteſt id, in quo damnatus fuerit: quid enim dicemus, ſi peculium ſervo ab altero ademptum fuerit? Paulus: Ergo haec quaeſtio ita procedit, ſi de peculio agi non poteſt.

Sententiam hujus legis (niſi fallor) Accurſius asſecutus non eſt: atque ideo diverſum aliquid a mente Juriſconſulti interpretatur, in eo, quod peculium ab eo, in cujus rem verſum non eſt, ademptum eſſe exiſtimat: quo certe caſu dubium non eſſet, cum eo nullo modo, ſed cum altero tantum agi posſe. Quare omnino ponendum, de eo Juriſconſultum loqui, in cujus rem verſum eſt; ut is ſcilicet peculium ademiſſe intelligatur: apparet enim cum eo de in rem verſo agi non poſſe, quamdiu apud alterum eſt peculium, cum quo de peculio ſit actio. Nam quamdiu illa (de peculio ſcilicet) locum habet; haec illius eſt acceſſoria, in iis, qui ſocii ſunt, nec principaliter intendi poteſt. Atque hoc eſt, quod Paulus ſubjicit: Hanc quaeſtionem (ſcilicet de eo, quod in rem alterius verſum eſt) cum altero ſociorum de in rem verſo agi poſſe, ita procedere: Si non cum eo, in cujus rem verſum eſt, ſed cum altero de peculio ſit actio; qui certe quod praeſtiterit, ſocietas vel communi dividundo judicio ab altero repetet. Si enim is, in cujus rem verſum eſt, peculium non ademerit, arbitror, cum prius de peculio conveniendum: atque alterum ſi conveniatur, non injuſte exceptionem (Si non in rem alterius verſum ſit) objicere poſſe. Atque haec mihi videtur eſſe Juriſconſulti ſententia.

CAPUT XXXVI.

De certis & incertis contractibus admonitio.

Quod Juriſconſulti paſſim de contractibus certis vel incertis dicunt, *l. certi condictio 9. D. ſi certum petatur. l. 1. §. debitum autem 6. D. de conſtitut. pec. l. 18. in princ. D. de acceptilat.* id fere Accurſius de certo vel incerto, quod in contractum vel obligationem deductum eſt, intelligit: quemadmodum & alibi certa vel incerta ſtipulatio dicitur, *l. ſtipulationum quaedam 74. D. de verbor. obligat.* vel ſtipulatio certi incertive, *l. ſi poenam 68. l. liber homo 118. §. ult. D. de verbor. obligat. l. 4. D. de uſuris* Cum certi contractus (meo judicio) potius illi dici poſſint, qui nominati appellantur; ſcilicet quod certum ac proprium nomen contractus habeant, *l. juris gentium 7. D. de pactis.* Incerti autem, qui vulgo innominati dicuntur, eo quod proprio non appellentur nomine: non enim illis locis de eo, quod in obligationem deductum eſt, ſed de ipſa cauſa, contractu vel obligatione Juriſconſulti loqui videntur. Sic & actio praeſcriptis verbis vel in factum, incertum judicium, vel incerti civilis actio vel condictio dicitur, *l. ſi convenerit 23. D. commun. divid. l. pen. D. depoſiti. l. 6. 16. D. praeſcript. verbis. l. 19. in fin. D. de precario l. 9. 22. in fin. C. de donation.* hoc eſt (ut ergo arbitror) incerti contractus vel negocii actio, judicium vel condictio: tunc enim locum habent, cum incertum eſt, quo nomine contractum negocium proprie appellandum ſit. Idem in condictione incerti: nam & illa tunc datur, cum nominatae illae & ſpecialiter introductae condictiones, proprie locum non habent: ſed negocium ſubjectum ad ſimilitudinem illarum ita accedit, ut condictionem dari aequum ſit, *l. 22. in fin. l. 40. §. 1.*

CAPUT XXXVII.

Nova ac probabilis explicatio §. Cato 1. in l. 4. D. de verb. obligat.

Cato lib. xv. ſcribit: Poena certae pecuniae promiſſa, ſi quid aliter factum ſit; mortuo promiſſore, ſi ex pluribus haeredibus, unus contra quam cautum ſit, fecerit; aut ab omnibus haeredibus poenam committi pro portione haereditaria, aut ab uno tantum pro portione ſua. Ab omnibus, ſi id factum, de quo cautum eſt, individuum ſit; veluti, Iter fieri: quia quod in partes dividi non poteſt, ab omnibus quodammodo factum videretur: at ſi de eo cautum ſit, quod diviſionem recipiat, veluti amplius non agi, tum eum haeredem, qui adverſus ea fecerit, pro portione ſua ſolum poenam committere. Differentiae hanc eſſe rationem, quod in priore caſu omnes commiſiſſe videntur: quod niſi in ſolidum peccari non poterat; ut in illa ſtipulatione: Per te non fieri, quo minus mihi ire agere liceat. Sed videamus, ne non idem hic ſit, ſed magis idem, quod in illa ſtipulatione, Titium haeredemque ejus ratum habiturum: nam hac ſtipulatione & ſolus tenebitur, qui non habuerit ratum; & ſolus aget, a quo fuerit petitum, idque & Marcello videtur, quamvis ipſe dominus pro parte ratum habere non poteſt.

Cato unam tantum poenalium ſtipulationum diviſionem, ex parte ſcilicet haeredum promittentis, perſequi videtur; eamque maxime illuſtrem: nempe quod quandoque, licet per unum tantum factum ſit, quo minus ſtipulationi ſatisfiat, tamen poena ab omnibus pro parte haereditaria committatur: ſcilicet quando factum, a teſtatore promiſſum, non ſolum ſui natura individuum eſt, ſed per haeredes primum praeſtari vel conſummari debet; veluti ſi ſpopondiſſet defunctus, iter fieri, foſſam fodi, domum aedificari, vacuam poſſeſſionem tradi, operas praeſtari, vel etiam ſervitutem conſtitui, &c. Quandoque vero, licet per unum contra factum ſit, poena non niſi pro ejus haereditaria portione committatur: ſcilicet cum id, quod in ſtipulationem deductum eſt, inter haeredes ipſo jure diviſum eſt, veluti Amplius non agi. Quae diviſio diſerte intelligenda eſt, & ad id tantum, de quo agitur, reſtringenda: ſcilicet ad haeredes promiſſoris tantum, & quatenus ipſi inter ſe teneantur; quo nomine illa duo maxime inter ſe contraria complectitur: nempe quando omnes haeredes ſimul, nullo excepto, obligati ſunt: item quando non omnes teneatur, ſed uſus ſolum, pro portione ſua haereditaria. Fuit autem ejus opinionis Cato, quod ad hanc diviſionem omnia facta dividua & individua referri poſſe putaret; ſive in faciendo, ſive non faciendo conſiſterent, *l. 75. §. qui id quod 7. D. infr. eod.* ſive ad faciendum aliquod opus, vel conſtituendum quicquam, ſive ſimpliciter ad non impediendum ſtipulatorem ſpectarent. Quare & ad priorem partem accommodat exemplum, quo principalis res, & ſui quidem natura, & haeredum nomine individua eſt; quo ad ſtipulationem autem, de ſimplici facto atque prohibitione haeredum agatur, veluti *Per te non fieri, quo minus mihi ire agere liceat.* Qua ſtipulatione, cum olim quidem conſtituta fuit ſervitus, de eo ſolum agitur, ne ſtipulator conſtituta ſervitute uti prohibeatur: idque poena adjecta, ſi contra fiat. Cum autem principale illud, ſuper quo interpoſita eſt ſtipulatio, nempe via, individuum quiddam ſit, quod nec haeredum promiſſoris no-

Digitized by Google

nempe ut omnes haeredes, nullo excepto, poenae nomine teneantur: ita ut, etſi unus totam poenam praeſtet, a ſingulis pro portione haereditaria repetere poſſit, ipſeque ſuam partem computare teneatur. Atque hoc eſt, quod Cato dicit, ab omnibus haeredibus poenam committi pro portione haereditaria: cum alias pro jure ſtipulatoris, ſinguli in ſolidum conveniri poſſint, *l. 2. §. item ſi in facto 5. l. 85. §. quod ſi ſtipulatus 3. D. eod. tit. l. 25. §. in illa quoque 12. l. 44. §. quod ex facto 5. D. famil. erciſcund.* Quod Paulo iniquum videtur: reprehendit itaque Catonem, quod hoc exemplum priori membro ſuae diviſionis per omnia convenire voluit, *Ut & alibi l. 2. §. idem Julianus 7. D. de eo quod certo loc. l. 2. D. de haered. inſtit. l. 98. §. aream 8. D. de ſolution.* cum magna hic ſit rationis diverſitas. Quamvis igitur Catonis diviſio una cum exemplis ſubjectis in ſe vera ſit, tamen non omnia exempla ad eam referri poſſunt: quare ſubdiviſione caetera exempla diſertius explicanda erant. Nam licet inter hoc exemplum & illa, de quibus in priori parte dictum eſt, magna ſit individuae rei nomine ſimilitudo: tamen illa proprie ad rem ipſam vel faciendam, vel perficiendam, vel conſtituendam pertinent, quod pro parte nullo modo fieri poteſt, *l. 72. in princ. l. 85. §. ſecunda ad opus 2. D. infr. eod. l. 80. §. quaedam 1. D. ad l. Falcid.* quare eo nomine non minus is, per quem non ſtat quo minus fiat, quam is, per quem ſtat, tenetur (in ſolidum enim peccatum eſt, & ab omnibus quodammodo factum videtur, ut ipſe Cato ſubjicit) fuerat enim in illius arbitrio, poſt praeſtitutum cohaeredi tempus, vel integrum facere ac praeſtare, *l. fideicommiſſa 11. §. ſi in opere 23. D. de legat. 3. l. 2. §. ex his 2. ſupra eod. l. 25. §. contra ſi promiſſor 10. l. 44. § ult. D. famil. erciſc.* ne poena, quae grandior forte erat, committeretur: ergo quo ad effectum rei, non minus ipſe, quam alter tenetur; & ſi poena ſolvenda ſit, non minus ipſe, quam alter, per quem revera ſtetit, eam ſufferre cogitur; & ſive ipſe ſolverit, ſive alter, utique ei pars haereditaria imputari poterit. Verum eſt enim, & per eum factum, quo minus in ſolidum fieret; quare non ſimpliciter alterius nomine, ſed & ſuo tenetur: communis ergo erit poenae commiſſio. At in eo exemplo, quod Cato ſuperioribus ſimile eſſe voluit, ſcilicet, *Per te non fieri, quo minus mihi ire agere liceat*, longe aliud eſt. Quamvis enim ſtipulatio ſervitutis nomine, quae individua eſt, interpoſita ſit; nec ſtipulatoris interſit, ab uno, an a pluribus prohibeatur, *l. 3. in fin. l. 85. §. quod ſi ſtipulatus 3. eod. titul.* ſemper enim in ſolidum prohibetur; quare & poena quo ad ipſum in ſolidum committitur; ita ut cum quolibet (ut ſupra dictum eſt) experiri poſſit; quod quidem ex parte ſtipulatoris juſtum eſt, ne qui in ſolidum prohibitus eſt, tantum partem poenae conſequatur; de quo proprie non agit hic Cato, tamen ex parte haeredum promiſſoris inter ſe, multum intereſt: nec enim factum cohaeredis meum factum eſt, *l. 9. in fin l. 10. D. depoſiti l. 44. §. quod ex facto 5. D. famil. erciſc.* & quamvis pro jure ſtipulatoris, in ſolidum conveniri poſſim: tamen pro jure noſtro inter nos, ſi ſolvi integram poenam, non partem poenae, ſed integram poenam familiae erciſcundae judicio a cohaerede conſequi potero: nec enim eſt quod mihi imputari poſſit. Utrumque igitur membrum, ad rem perfecte intelligendam, ſubdiviſione opus habere videtur: nam quo ad prius membrum, quandoque haeredes promiſſoris non ſolum ex unius quid ſolverunt, ab eo, per quem factum eſt, totum repetere poſſunt. Quod fit, cum nulla eorum culpa in eo, quod vel factum, vel non factum eſt, verſatur: nec enim, ſi cohaeres meus aliquem prohibeat, vel dolo quicquam faciat, *l. 2. §. item ſi in facto 5. l. 4. in princip. ſupr.* vel non ſolvat, *l. 5. §. ult. infr. l. 25. §. idem juris eſt in 13. D. famil. erciſcund.* id me ulla ex parte contingit; quamvis pro jure ſtipulatoris, in ſolidum conveniri poſſim; idque ea ratione, quod, ex haeredum perſona, obligationis poenalis conditio non immutetur, *l. 2. §. ex his 2. ſupr. l. 2. §. incertam 2. D. de praet ſtipul.* item quod prohibitio, vel dolus, pro parte intelligi non poſſint, *l. 9. 22. ad fin. D. depoſiti. l. 17. D. judicat. ſolv. l. 85. § quod ſi ſtipulat. 3. infr.* Sic & alterum membrum Catonianae diviſionis, ſubdiviſione diſtingui poteſt. Quandoque enim haeres, qui contra fecit, in ſolidum & ad totam poenam tenetur; ut in altero membro praecedentis ſubdiviſionis contingit (quo & Paulus referre videtur ſtipulationem REM RATAM HABERI. Inter quam tamen & ſuperiores hoc intereſt, quod hic ob unius factum cohaeredes conveniri noo poſſint; forte quod non de tanto hic agitur, vel damno vel delicto; vel quod nihil in perſonam ipſam ſtipulantis committatur) quandoque haeres, contra faciens, non in ſolidum, ſed pro haereditaria tantum poenae parte obligatus eſt; quod contingit, cum id, quod ſtipulatione continetur, ipſo jure diviſum eſt; veluti AMPLIUS NON AGI: nec enim quiſquam pro majori parte, quam pro qua haeres eſt, agere poteſt, *l. 58. in princ. D. rem rat. haberi.* quod quamvis & in ſtipulatione RATAM REM HABERI, ſimiliter videri poſſet; tamen quia ratihabitio per ſe conſiderata facti eſt, nec ita ut actiones & jura, *l. 25. §. an ea 9. §. idem juris eſt 13. D. famil. erciſcund. l. 26. Cod. de pactis.* ipſo jure per LL. XII. Tab. diviſa eſt; placuit, eum, qui ratum non habeat, ſolum, & ad integram poenam teneri. Solus enim plerumque de integro & toto actu vel re intelligitur, *l. generali 32. §. 1. D. de uſufr. legat. l. 5. in princ. D. de iis qui dejecer.* atque hoc modo accipiendum eſt, quod paſſim legitur, *l. 44. §. ſi quis ſtipulatus 6. D. famil. erciſcund.* & Paulus hic ſubjicit: Eum, qui ratum non habeat, ſolum teneri; ut non intelligamus, eum ſolum teneri pro portione haereditaria, ut in ſtipulatione AMPLIUS NON AGI: quod & Alciato videtur, & verba prae ſe ferunt. Ipſa enim ratihabitio per ſe, utpote principaliter in obligationem deducta, hac ſtipulatione conſideratur; non quod in conſequentiam ſit, ſcilicet ſi poſtea agere incipiat: praeſertim cum & ſeparatae ſint ſtipulationes, *l. 14. 15. D. ratam rem haber.* atque etiam ad multa alia ea rati ſtipulatio accommodari poſſit, *l 1. §. cautionales 2. D. de praetor. ſtipulat. l. 10. 11. 20. D. ratam rem haber.* Quod igitur Paulus dicit, ſtipulationem: *Per te non fieri, quo minus mihi ire agere liceat, magis ſimilem illi: Titium haeredemque ejus ratum habiturum*, non eo ſpectat, quaſi per omnia ſimiles ſint; ſed ſolum, ad improbandam omnimodam ſimilitudinem, quam Cato inter illam, & ſtipulationem ITER FIERI eſſe voluit, dictum eſt. Nam quamvis, quantum ad ſtipulatorem, ſit quaedam ſimilitudo, cum utraque ſtipulatione totam poenam conſequatur, nec ejus interſit, a quo ei ſolvatur; tamen quo ad haeredes promiſſoris (de quibus proprie *hac lege* agitur) magna eſt differentia: priore enim cohaeredes nullum damnum in effectu patiuntur, cum quicquid ſolverunt, repetunt: altera, pro rata ſuae partis damnum

Digitized by Google

Nec enim fere uno loco Juriſconſulti omnia exequi ſolent; multaeque paſſim diviſiones reperiuntur, quae collatione aliorum locorum, atque etiam ex rationibus juris civilis, prolixiore explicatione indigent. Hujus autem interpretationis meae haec eſt potiſſima ratio: quod Paulus, dum diſſimilitudinem inter illas ſtipulationes, ITER FIERI, & *Per te non fieri, quo minus mihi ire agere liceat*, eſſe voluit; non ſimpliciter hanc alteri membro dixit convenire: quod nec potuit; cum nimis notum ſit, ex ea & caeteros conveniri poſſe, quod in altero membro non eſt. Nam quamvis diverſum a quibuſdam olim fuerat exiſtimatum, *l. 85. §. quod ſi ſtipulatus 3. infr.* tamen Paulus rejecta ubique illorum opinione, contrariam ſententiam veriorem affirmat; inepte ergo ex improbata aliorum opinione argumentaretur. Praeterea, ſi haec fuiſſet ejus ſententia, ſatis erat, ſi illud Catonis exemplum adduxiſſet, & cum illo contuliſſet; quod non facit, ſed cum alia ſtipulatione, nempe, *Titium haeredemque ejus ratum habiturum*, confert. Unde & plane apparet, cum non omnino eodem loco habuiſſe hanc rati ſtipulationem, cum illa AMPLIUS NON AGI alias vel inepta (ut dictum eſt) fuiſſet argumentatio, vel propius ſimilitudinem notaſſet: nec enim in hac portionum haereditariarum facit mentionem, quod erat neceſſe, ſi eam omnino ejuſdem naturae cum ſtipulatione AMPLIUS NON AGI, eſſe voluiſſet. Quod autem in fine a Paulo adjicitur, ipſum dominum pro parte ratum habere non potuiſſe (ex quo quaſi a contrario ſequi videretur, & ipſum cohaeredem, ratum non habentem, non in ſolidum, ſed pro portione haereditaria teneri) ſciendum eſt, illam collationem non ad diviſionem portionum haereditariarum, ſed potius ad diviſionem ipſorum haeredum referendam eſſe, ſcilicet, quod quidam teneantur, quidam non teneantur; cum ipſe dominus, licet pro parte ratum non habeat, utique in ſolidum ad poenam obligatus ſit. Atque haec quidem (meo judicio) fere neceſſaria eſt hujus §. interpretatio, ſiquidem Florentinam lectionem in hac poſteriori parte veriorem fateamur: nam in priori, vulgaris rectior eſt. Si vero ex vulgari lectione & illa verba reciperemus: ET PAULUS RESPONDIT NON ESSE IDEM (quae neſcio quam bene congruant; cum fere non ſoleant Juriſconſulti in medus argumentationibus adjicere, ſe ita reſpondiſſe) ſimplicior nonnihil eſſet explicatio, & apertior illius quidem ſtipulationis: PER TE NON FIERI, QUO MINUS MIHI IRE AGERE LICEAT, ad prius Catonis membrum; hujus vero: TITIUM HAEREDEMQUE EJUS RATUM HABITURUM, ad poſterius membrum relatio. Sed non ſolum praedicta abſurda obſtarent, verum & rationes Juris ex ſuperioribus repugnare viderentur.

CAPUT XXXVIII.

Verus intellectus l. cum dominus 19. in princ. D. de pecul. legat.

Papinianus lib. VII. Reſponſor.

Cum dominus ſervum vellet manumittere, profeſſionem edi ſibi peculii juſſit, atque ita ſervus libertatem accepit, res peculii profeſſioni ſubtractas non videri manumiſſo tacite conceſſas, apparuit.

Species hujus legis, ex interpretatione Accurſii poſita, prorſus aliena eſt a mente Juriſconſulti; nec verbis congruit, ut paulo diligentius inſpicienti fatur, quod dominus, profeſſione contentus, caetera, quae profeſſione non continerentur, ſervo tacite conceſſiſſet; quod Papinianus negat in iis, quae a ſervo per dolum & fraudem profeſſioni ſubtracta ſunt: dolus enim in omni cauſa exceptus cenſetur, *l. creditor 60. §. Lucius Titius 4. D. mandat. l. tres fratres 35. D. de pactis. l. 5. §. Lucianus 7. l. qui plures 41. l. L. Titius 46. §. tutelae 5. D. de admin. tutor.*

CAPUT XXXIX.

Correctus ac reſtitutus §. utrum 3. in l. ſi is qui ducenta. 13. D. de rebus dubiis.

Quam horridus & tractatu difficilis ſit hic §. nemo eſt, qui non intelligat. Nunquam autem mihi perſuaderi poterit, integram atque incorruptam ejus eſſe lectionem; niſi Julianum mera nobis aenigmata prodidiſſe, affirmare velimus: ut enim caetera taceam, quid *verſ. Animadvertendum igitur* ſcrupuloſius, quid intricatius, atque etiam diſſolutius? Quare ſemper arbitratus ſum, aliquid ibi ad perfectam ſententiam deeſſe. Exiſtimo igitur ita partem illam eſſe reſtituendam, ac legendam: *Animadvertendum igitur eſt, quid ſit de quo quaeritur. Nam cum ita concipio: Si illud aut illud factum non erit, quaeri debet, an aliquid factum ſit; cum vero ita: Si quid eorum factum non erit, quaeri debet, an aliquid factum non ſit. Illius effectus hic eſt, ut neutrum fiat; hujus autem, ut utrumque fiat: nec in illo nocet, aliquid non feciſſe, ſi aliquid factum ſit; neque in hoc prodeſt aliquid feciſſe, ſi aliquid factum non ſit.* Atque hoc modo recte cohaerebunt omnia, veraque erit formularum illarum explicatio: confert autem Juriſconſultus conceptiones illas ſtipulationum inter ſe, per contrarium. Ac primo indicat, quomodo prior non commiſſa, altera vero commiſſa cenſeatur: ſecundo explicat, quomodo e diverſo prior commiſſa, altera non commiſſa intelligatur: tertio aperit, quid in priori non noceat, ut commiſſa; in altera vero non proſit, quin commiſſa judicetur. Atque hoc modo clara & expedita ſunt omnia.

CAPUT XL.

Nova ac vera explicatio §. forſitan 8. in l. Gallus 29. D. de liber. & poſthum.

Edidi ante aliquot annos novas in capita quaedam *l. Gallus* 29. explicationes: quarum cum me nondum poeniteret, libuit eas, quales eſſent, & hic ſubjicere; ſunt autem tales: Cum Galli formula de nepote tantum poſthumo inſtituendo concepta eſſet, Scaevola eam & in pronepotibus quoque poſthumis locum habere poſſe interpretatus eſt: & varias ſpecies recenſuit, quae verbis quidem & formulae Galli non includantur, verum ex mente atque interpretatione admitti aequum ſit. Cum enim magna ſit fortunae in rebus humanis poteſtas, infinitaque caſuum varietas, non omnia in diſpoſitionibus ſatis diſerte exprimi ac verbis caveri poſſunt; quare tandem ſuadet, *§. quid ſi qui filium 6. in fin.* cum tam magna ſit hujus rei utilitas, favorabileque admodum ſit, teſtantium judicia quoquo modo ſuſtineri, quo omnes occaſiones rumpendi auferantur: ut etiam admittatur, generaliter fieri poſſe poſthumorum inſtitutiones, hoc ſcilicet pacto: *Quicquid ſibi liberorum natum erit poſt mortem*; aut: *Quicunque natus fuerit.*

Digitized by Google

Ita, ſi quis nominatim nepotem poſthumum inſtitueret, & aliquo caſu pronepos, quamvis ſuus, naſceretur, de eo inſtitutio nullo pacto eſſet intelligenda: ubique enim de nepote vel pronepote nominatim inſtituendo fit mentio, §. *idem credendum* 2. Sed quia & iſtis caſibus, quibus tam generalis facta eſſet inſtitutio, Scaevola ingenii perſpicacitate praeſentiebat, non levem poſſe incidere ſcrupulum, hunc in §. forſitan ſubtiliter admodum monet atque explicat, ſed tam obſcure atque intricate, ut hactenus omnes, vel etiam doctiſſimi in eo recte percipiendo defecerint. Proprie autem *hic* §. ad id, quod ſupra in §. *quid ſi qui filium* 6. *in fin.* dixerat, eſt referendus; quod & Taurellus annotavit. Verba autem ex vulgari diſtinctione ſic ſe habent: *Forſitan addubitet quis, an iſtis caſibus ſi nepos poſt teſtamentum naſcatur, vivo patre ſuo; deinde ex eo concipiatur, iſque mortuo patre, deinde avo naſcatur; an non potuerit haeres inſtitui, quia pater ipſius non recte inſtitutus eſſet? quod minime eſt expaveſcendum: hic enim ſuus haeres naſcitur, & poſt mortem naſcitur: ergo & ſic pronepos admittetur, qui natus erit ex nepote poſtea vivo filio, atque ſi ex eo natus eſſet adoptatus.* Species *hujus* §. talis eſt: Teſtator vivo filio nepotem ex eo naſciturum generali formula inſtituit, hoc ſcilicet modo: *Quidquid mihi liberorum natum erit*; aut: *Quicunque mihi natus fuerit, poſt mortem meam, haeres eſto.* Natus eſt hic nepos vivo patre ſuo, atque etiam avo; quo caſu inſtitutio illa omnino eſt inanis & vacua, adeo ut nullo caſu, nec ad Galli formulam cum vivo teſtatore avo ſit natus: nec ad L. Vellejam, cum vivo patre ſuo natus, eo tempore, quo naſcitur, avo non ſit ſuus (quod primum caput L. Vellejae requirebat) poſſit referri: excedit enim hic caſus utramque diſpoſitionem, quemadmodum Juliani caſus §. *ille caſus* 15. utrumque caput L. Vellejae. Senſerat autem praecipue de hoc nepote teſtator, quia eo tempore, quo teſtamentum faciebat, non poterat de alio, quam de hoc nepote, qui proxime poſt teſtamentum erat naſciturus, cogitare, *arg. l. ſiquid earum* 47. *in fin. D. de legat.* quamvis enim generaliter, quiſquis ſibi poſt mortem ſuam eſſet naſciturus inſtituit; tamen id de eo, qui tum proxime ſperabatur, omnino erat intelligendum: praeſertim in tam curioſa veterum in teſtamentis ſubtilitate, *l. matrimonii* 21 *D. qui & a quib. manum. l. eum qui calendis* 41. *D. de verbor. obligat. l. boves* 89. §. 1. *de verbor. ſignificat.* Cum autem is vivo patre ſuo atque avo ſit natus, videbatur, inſtitutionem illam officio ſuo functam, ac conſumptam, nec ulterius vim atque effectum ullum habere poſſe: utique enim de proxime naſcituro ſenſit; & verba diſpoſitionum, praeſertim in teſtamentis qua primum poſſunt, operantur, vel operari debent, *l. ult. in fin. D. commun. praed. l. ſi plures* 17. *D. de condition. inſtit. l. Arethuſa* 15. *D. de ſtatu hom.* relinquebatur igitur, hunc nepotem non recte inſtitutum; cum licet de eo praecipue inſtitutio facta ſit, tamen in ejus perſona locum habere non potuit: de quo non eſt dubium. Sed ſi ex hoc nepote, vivo patre ejus, ac teſtatore, alius conciperetur; iſque mortuo patre ſuo, deinde avo, filio ſcilicet teſtatoris, naſceretur; eo nimirum tempore, quo teſtator manente ſuprascripto teſtamento, jam recens eſſet mortuus: quod ſemper his caſibus, qui ad Gallum ſpectant, eſt praeſupponendum. Hic poſſet ingens dubitatio ſuboriri, num pronepos iſte a proavo recte cenſeretur inſtitutus, & clauſula teſtamenti contineretur; quod non videbatur. Primo, quod difficulter poſſet judicari de hoc pronepote teſtatorem ſenſiſſe, cum de eo non potuerit veriſimiliter cogitare: nec enim de perdiſſime 10. *D. hoc titulo.* Abſurdum autem, & contrarietatem quandam implicare videbatur, ut in quaſi rupto teſtamento quis utiliter inſtitutus judicaretur. Nam quamvis nepotes non opus erat inſtituere, §. *in omnibus* 10. *hac l. tit. Inſtit. de exhaeredat. liberor. in princ.* tamen hic nepos, cum poſt teſtamentum fuerat natus, quaſi poſthumus poterat judicari, *l. poſth.* 13. *D. de injuſto rupt.* qui certe nepotes poſthumi, ſi tempore nativitatis utiliter non reperiebantur inſtituti, rumpebant, §. *poſthumi quoque* 1. *Inſtit. de exhaered. liberor.* quemadmodum & nepotes jam nati, ſi ſucceſſione agnaſcebantur, §. *idem credendum* 2. *in fin. hac l.* & *l. poſthumorum* 13. *D. de injuſto rupt.* Sed tamen, quia non verus erat poſthumus, utpote vivo ſuo patre natus, aliud Scaevolae videtur: dicit enim hoc minime eſſe expaveſcendum; & ſubjungit rationes, quibus illis, quae dubitationem facere videbantur, reſpondet. Primo, quod licet teſtator de eo veriſimiliter non cogitarit, tamen utique verum ſit, eum tempore ſuae nativitatis ſuum haeredem eſſe, atque etiam poſt mortem teſtatoris natum; quod ſufficit ut verbis illis generalibus comprehendatur, §. *quid ſi qui filium* 6. *hac l.* referuntur enim ad omnem, qui teſtatori poſt mortem ſuus naſceretur, *l. placet* 4. *l. ſeq. D. hoc titulo.* cum igitur id huic pronepoti contigerit, non videtur illa diſpoſitione excludendus. Secundo dicit, nihil referre, quod nepos iſte non recte ſit inſtitutus: non enim per hoc vitium afferri teſtamento, ut ruptum cenſeatur, cum nunquam fuerit ſuus iſte nepos, ut qui, vivo patre ſuo, qui primum ſuitatis locum tenuit, ſit natus, & illo etiamnum vivo mortuus, ita ut nunquam vim rumpendi habuerit; nec plus facere hujus nepotis nativitatem, quam ſi fuiſſet extraneus, & a teſtatore vivo filio in nepotem adoptatus: quamvis enim adoptione, quaſi ſui haeredis agnatione, rumpebatur olim teſtamentum, *l. verum eſt* 8. *D. de injuſto rupto.* tamen cum quis vivo filio in nepotis locum adoptabatur, quamdiu filius vivebat, non agnaſcebatur avo ſuus haeres, *l. ſi quis nepotem* 10. *de D. adoption.* quare & nullum jus rumpendi habebat, cum ejus inſtitutio non eſſet neceſſaria. Quemadmodum ergo ex hoc nepote adoptato conceptus pronepos, ſi, mortuo patre ſuo, deinde avo, filio ſcilicet teſtatoris, naſceretur, recte ſupraſcripta formula teſtamenti comprehenderetur; nec ei obeſſet, quod pater ejus illa formula non recte eſſet inſtitutus (nec enim verbis inſtitutionis, quae tantum poſthumi facerent mentionem, continebatur) ſic & in propoſito caſu, cum hic non adoptatus, ſed ex filio natus fuit: nam, cum utroque caſu hic nepos vivo patre ſuo, ſive naturali, ſive adoptivo moriatur, nec unquam ſuus factus ſit: non poteſt ejus vel praeteritio, vel inſtitutio, teſtamento vel poſterioribus nocere. Atque hoc eſt, quod dicit Scaevola, quamvis obſcure admodum, in §. *ergo & ſic pronepos* 9 cujus verba certe non mutanda, quod a nonnullis fit, ſed alio, quam hactenus factum ſit modo diſtinguenda ſit; quod ſi fiat, nihil illis erit apertius, & aptiſſime ſuperioribus congruent. Ita enim legenda & diſtinguenda ſunt: *Ergo & ſic pronepos admittetur, qui natus erit ex nepote poſtea*; hic ſubſiſtendum. Deinde: *Vivo filio, atque ſi ex eo natus, eſſet adoptatus.* Ut hic ſit ſenſus: Hunc pronepotem, de quo quaeritur (nempe qui natus eſt poſtea ex nepote, qui & ipſe poſt teſtamentum ex filio erat natus) perinde admittendum, ne ei ſcilicet obſit patris vel praeteritio, vel inutilis inſtitutio; atque ſi vivo filio ex eo natus, ſcilicet nepos iſte, eſſet adoptatus: ut enim hoc caſu, adoptati nepotis vel praeteritio, vel inutilis inſtitutio,

Digitized by Google

volam tale quiddam, quod omnino peregrinum, & a propoſito alienum eſſet, immiſcuiſſe.

CAPUT XLI.

De capitibus L. Vellejae, & quae illis ad perfectam ſententiam deeſſe videantur.

ID quoque hoc tempore praeterire nolui, quod prius caput L. Vellejae (meo judicio) etiam a doctiſſimis non recte legitur: verba enim illa quae ſtatim ſequuntur, ETIAMSI PARENTE VIVO NASCANTUR, non ſequenti clauſulae (ut fere ab omnibus fit) annectenda, ſed cum verbis L. Vellejae legenda ſunt; quod & Accurſius annotavit, hoc ſcilicet modo: *Qui teſtamentum faciet, is omnis virilis ſexus qui ei ſuus haeres futurus erit, &c. etiam parente vivo naſcantur.* Haec enim ultima prioris capitis fuerunt verba, quibus tota periodus, quae forte longiuſcula erat, claudebatur. Totius autem prioris partis haec fuit haud dubie ſententia: *Qui teſtamentum faciet, is omnis virilis ſexus, qui ei ſuus haeres futurus erit cum naſcetur, inſtituendi poteſtatem habeto: quique ita ſcripti erunt, recte inſtituti ſunto, etiamſi parente vivo naſcantur.* Haec enim poſtrema verba, quaſi caput ac fundamentum ſunt prioris partis, ob quae & L. Vellejae interpretationem Galli formulae Scaevola ſubjunxit: ſtatim enim dicit, eam voluiſſe, vivis nobis natos ſimiliter non rumpere teſtamentum. Quare & principium tantum & finem, in quibus tota vis ejus partis ſita erat, omiſſis caeteris, quae forte prolixiora erant, adſcripſit. Quam inconcinne autem haec verba ſequentibus conjungantur, nemo eſt, qui non videt: cum enim poſterius caput tantum de illis loquatur, qui tempore teſtamenti ſimul ſunt in vita; ineptum erit illi applicare de nepote, vivo patre & avo nato. Quid enim id ad poſterius caput pertinet, quo nihil de nativitate agitur; cum qui poſt teſtamentum quoquo modo naſcuntur, ad prius caput ſpectent? Ut taceam de aliis, qui etiam ſuperflua quaedam verba ex Pandectis Florentinis adjicere conantur: quibus, dum nimis ſuperſtitioſe in omnibus inhaerent, mirum in quam abſtruſos quandoque delabantur ſenſus. Quaſi vero & in illis non infinitae ſint mendae & multa tam aperte falſa, ut nullo colore defendi poſſint: quamvis enim illarum Pandectarum editione Juriſprudentiae ingens acceſſit lumen; indignum tamen fuerit, omnes illius ſcriptoris mendas & errores, etiam contra rationem Juris, & Latini ſermonis puritatem, pro myſteriis quibuſdam venerari, nec latum quidem unguem ab illis diſcedere; denique nihil non fingere, ut tales lapſus ſuſtineantur: quod certe nonnullos neſcio quam feliciter facere videmus. Sic nec poſterius caput a Scaevola totum hic adſcriptum puto, ſed ea tantum verba adducta, de quibus in praeſenti praecipue agebat. Hanc autem fuiſſe ſententiam integri illius capitis arbitror: *Si quis ex ſuis haeredibus, ſuus haeres eſſe deſierit, liberi ejus, & caeteri in locum ſuorum ſui haeredes ſuccedunto: quique eorum ante inſtituti vel exhaeredati erunt, ſucceſſione ne rumpunto.* Hoc enim illud eſt, quod paulo poſt ſcribit Scaevola: §. *ille caſus* 15. *h. l. Poſteriore capite non permittit inſtitui, ſed vetat rumpi, neve ob eam rem minus ratum eſſet, quod ſuccedit.* Qua de re, & quae utriusque capitis ad Gallum fuerit ratio, alias quandoque, praeter aliorum ſententiam, prolixius agemus.

to vivo patre ſuo, qui mox poſt nativitatem nepotis deceſſerat; perſequitur Scaevola in § *ult.* eandem ſpeciem, & quod ante dixerat de morte patris, extendit ad ejus emancipationem: ut ſcilicet nec hoc caſu, ex ſententia Juliani, hic nepos teſtamentum rumpere poſſit; eo magis, quod, licet hoc caſu filius emancipatus paternam haereditatem repudiet, tamen nepos iſte avo ſuus haeres non exiſtat. Nam ſi de emancipatione nepotis (ut vulgo fit) *hunc* §. intelligamus, non video, quid id ad hanc legem faciat: non enim de emancipatione hujus nepotis, ſed de ejus utili inſtitutione, ne ſcilicet teſtamentum aliquo caſu rumpat, tota lege agitur. Quomodo autem emancipatus rumpere poterit? & inſulſum admodum eſſet, de eo dubitare, num quis emancipatione ſuus haeres fiat, cum emancipatione ſui haeredes eſſe deſinamus, §. *emancipati* 9. *Inſtitut. de haered. quae ab inteſt.* Quare quod de emancipatione dicitur, non ad nepotem, ſed ad ejus patrem referendum videtur. Alias poſtrema verba non congruent, nec aptam habebunt juris deciſionem: quis enim non videt, omnia, quae ad interpretationem illorum verborum adducuntur, & coacta eſſe, & minime veriſimilia? Praeterea & quod hunc caſum ad receptam Juliani ſententiam refert, & tam diſerte, quemadmodum in *praecedenti* §. de nepote vivo patre ſuo nato, exprimit, omnino eſſet otioſum. Quid enim id ad hujus nepotis emancipationem momenti adferret; cum de nullo neque filio neque nepote dubium ſit, quin emancipatione ſuus & neceſſarius eſſe deſinat? Quare ponendum, Scaevolam quaerere, cum recepta ſit Juliani ſententia, ut, licet nepos inſtitutus vivo patre naſcatur (qui tamen mox decedat) rumpere non poſſit; num, ſi is pater non mortuus, ſed emancipatus ſit, patriſque inſtitutionem repudiet, nepos avo ſuus & neceſſarius exiſtat: quod videbatur, cum paſſim in Jure legamus, emancipatione filii nepotem numero ſuorum haeredum eſſe §. 2. *verſ. Ita demum. Inſtitut. de haered. quae ab inteſtat.* diverſum tamen Scaevola probat. Et poteſt forte ejus eſſe ratio, quod hic filius eo tempore fuit inſtitutus, quo eum praeterire omnino non licuit: alias teſtamentum ipſo jure fuiſſet nullum, §. *in omnibus* 10. *hac l. tit. Inſtit. de exhaeredat. liberor. in princ.* quare, cum praecipua atque unica fuit cauſa ſuſtinendi teſtamenti, in quo nepos eſt inſtitutus (licet poſtea emancipetur, & paternam haereditatem repudiet) non facit ita nepoti locum, ut ſuus & neceſſarius ex teſtamento fiat.

Sicque ex *hoc* §. notari poſſe videtur, quod licet emancipatione filii nepos in locum ſui haeredis ſuccedat, *l. poſthumorum* 13. *D. de injuſto rupt. l.* 1. §. *ſi filius* 4. *D. de ſuis & legitim.* tamen id non habere locum, ſi talis emancipatio poſt teſtamentum factum, quo is filius inſtitutus ſit, contingat: nam quamvis poſtea repudiet, utique tamen nepos non erit neceſſarius, ſed voluntarius. Quare & caute ſupra de emancipatione non filii, §. *& quid ſi tantum* 5. *h. l.* ſed tantum nepotis dixit; cujus inſtitutio ad ſuſtinendum a principio teſtamentum non eſt neceſſaria, §. *in omnibus* 10. *hac l.* Si ergo inſtitutus nepos, ſive vivo, ſive mortuo patre ſuo emancipetur, poſteaque mortuo avo repudiet, impedimento non erit, quo minus pronepos ex eo ſubſtitutus, ſuus ſit haeres proavo; quod forte ſecus eſſet, ſi jam tempore teſtamenti, praemortuo patre, primum ſuitatis locum

Digitized by Google

ſuadetur ex illis verbis, §. *idem credendum* 4. *in fin.* NE SUCCESSIONE TESTAMENTUM RUMPERET: vel etiam jam tempore teſtamenti emancipatum; quod apparet ex illis verbis, §. *& quid ſi tantum* 5. *h. l. Quid ſi nepos, ex quo pronepos inſtitueretur (ut oſtendimus) emancipatus eſſet*, quae praeteritum tempus reſpicere videntur. Omnino autem *hic.* §. cum praecedenti §. conjungendus eſt; ut ex ſententia Alciati, quod antea dixit de morte nepotis, poſtea extendat ad ejus emancipationem. Eo enim ſpectat parentheſis illa (ut oſtendimus) qua aperte ſe Juriſconſultus ad praecedentia refert: quo fit, ut Conani ſententiam minime probem, qui ut quod de emancipatione dicitur, & ad filium trahat nepotem ſub conditione, ſi filius emanciparetur, vult eſſe inſtitutum; quod verbis legis minime convenit: expreſſe enim Juriſconſultus non de filii, ſed nepotis emancipatione loquitur; nec de tali conditione nominatim adjicienda, tota lege quicquam agitur. Nec quenquam monſtrationis tantum cauſa exprimuntur, ut indicet, de illis ſe caſibus proprie loqui, qui ad Galli proviſionem, non ad L. Vellejam pertineant; quare nihil prohibebit, illa ad proavum extendi, ſi de pronepote agatur: quemadmodum & in §. *ſeq.* ubi ſimiliter verba illa parentheſi includenda ſunt. Cum enim utrobique de nepote & pronepote ſimul tractet, notat illis verbis, de illo ſe nepote vel pronepote tantum loqui, qui poſt mortem ſcilicet avi vel proavi naſcatur: hoc enim indicat particula illa SCILICET, & quod utrobique ſtatim ſubdit, hos caſus ad L. Vellejam non pertinere. Ideo autem de repudiatione adjeci, quia cum emancipatione filii non cenſeatur extincta ejus inſtitutio, ſi filius paternam haereditatem amplecti velit, obſtabit nepoti. Quae autem jure praetorio de filiis emancipatis, & nepotibus ex eis introducta ſunt, ad hanc Legem non ſpectant; cum hic tantum de Jure antiquo & civili agatur: quod & alii annotarunt.

F I N I S.

IN-

Digitized by Google

A.

ACcurſius non aſſecutus ſententiam §. ſi inter 24. l. cum hic ſtatus 32. ff. de donat. int. vir. & uxor. 3, 548. *Item* l. dotale praedium cujus 15. ff. de fundo dot. 4. 549. *Item* l. 2 ff. rem ratam hab. 6, 550. *Item* §. ſi Titius 6. l. ſi fundum ſub condit. 81 ff. de legat. 1. 13, 555. *Item* §. pater filios 7. l. pater fil. 38. ff. de legat. 3. 16, 557. *Item* §. 1. l. 32. ff. de Uſufr. legat. 18, 559. *Item* §. ſin vero fil. 3. l. quaeſitum eſt 30. ff. de Pecul. 19, 560. *Item* l. 44. ff. ad l. Falcid. 26, 564. *Item* §. ult. l. 3. ff. de haered. inſtit. 27, 565. *Item* § ult. l. venditor. 13. ff. communia praed. 29, 567. *Item* l. 8. in princ. ff. ſi ſervitus vind. 29, 567. *Item* l. Marcellus 14. ff. de in rem verſ. 35. 573. *Item* l. 16. & ult. ff. ad SCtum Turpil. 15. 556 *Item* §. 2. verſ. Sed etſi unus l. 2. ff. de praetor. ſtipul. 8, 552. *Item* §. ult. l. cohaered. 41. ff. de vulg. & pup. ſubſtit. 11, 554.

Accurſius legis Vellejae verba, circa 1. *legem, recte legit.* 41. 581

Accurſii Interpretatio circa §. 1. l. cum ſecundis 16. ff. de his quib. ut indig. *eſt aliena a ſententia Juriſconſultor.* 31. 569

Accurſii ſolutiones in l. ſi quis teſtamento 12. ff. de ſtatulib. *textus non congruunt.* 33, 571

Accurſii ſpecies facti ad l. cum dominus 19. ff. de pecul. legat. *eſt inconveniens.* 38, 577. 578

Ademptio libertatis an noceat legata. 32, 571

Aediles olim magiſtratus erant. 30, 569

Aedilium juriſdictio qualis. ibid.

Aequiparatio extenditur ad omnia. 28, 566

Apertura teſtamenti 27, 564. *nihil commune cum teſtamento habet, nec ab eo pendet, ſed fortuita eſt.* ibid.

Argumentum ab auctoritate Juriſconſultis commune. 28, 565

Argumentum a cauſa teſtati ad cauſam inteſtati. 28, 566. *Item a contrariis.* ibid. *a differentib.* ibid. *a diverſis.* ibid. *a lata verbi ſignificatione.* ibid. *a pari* ibid. *a ſimili,* ibid. *a ſpeciali.* itid.

C.

CAuſa, ex qua quid valet vel debetur, praecedere ſemper debet. 1, 544

Cautio, quae ab arrogatore arrogato praeſtatur, eſt ſtipulatio praetoria. 30, 569

Cautiones judiciales, quae officio judicis praeſtantur. 30. 568

Certae rei ſcriptus haeres, cohaerede non dato, ex aſſe haeres eſt. 11, 555

Certi contractus qui dicantur; & unde. 36, 573

Compenſatio fit ipſo jure. 17, 557

Conani ſententia circa §. ult. l. Gallus. *improbata.* 42. 583

in Concubina ſtuprum non committitur. 31. 570

Concubinae an relinqui teſtamento poſſit. ibid.

Concubinatus legibus permiſſus. ibid.

Conditio alternativa quid operetur in legatis. 1, 543

Conditio dandi vel faciendi fortuita, & an in ea paciſci liceat. 2, 547

Conditio dandi vel faciendi poteſtativa quid, & an poenalis. 1, 544. & 2. 547

Conditioni ſecundum jus commune ſatisfaciendum eſt. 25, 564

Conditione pendente filius neque inſtitutus, neque exhaeredatus. 1, 544

Conditionibus teſtamento ſcriptis ſatisfaciendum. 25, 564

Confirmatio generalis non trahitur ad illicita. 3. 549

Confirmantur facilius ea, quae ſpeciem veri habent, quam quae prorſus inania & nulla ſunt. 3. 549

Continuatio in eadem perſona facilius admittitur, quam nova adjicitur. 1. 544

D.

DEfectus naturalis contractus SCto confirmari nequit. 3. 548

Dilatio, extrinſecus adveniens, jus neceſſarii haeredis mutare non poteſt. 27, 565

Diſpoſitiones hominum caſus omnes comprehendere non poſſunt. 40, 579

Dolus in omni cauſa exceptus cenſetur. 38, 578

Donatio a matre reſtituere rogata inter vivos facta, an pro reſtitutione fideicommiſſi habenda. 12. 555

Donationes inter virum & uxorem, alias prohibitae, SCto confirmantur. 3. 548

E.

EMancipatione filii, nepos numero ſuorum haeredum eſt, & in locum ſui patris ſuccedit. 42, 582

Emancipatione filii facta poſt teſtamentum conditum, nepos eſt voluntarius, non neceſſarius haeres. ibid.

Emptio donationis cauſa facta, nullius eſt momenti. 3. 549

Exceptio rei certae in haeredis inſtitutione quid operetur. 5. 550

Exhaeredatus habetur pro mortuo. 20, 560

Exhaeredatio filii quando noceat nepoti. ibid.

Exhaeredatio vires accipit, adita haereditate. ibid.

Extenſio, de perſona in perſonam, non facile admittitur. 40. 580

F.

FActum cohaeredis mei, factum meum non eſt. 37, 575

Falcidia an de eo, quod ſtatu liber implendae conditionis cauſam, non haeredi, dare gravatus eſt, deduci poſſit. 29, 564

Fideicommiſſi reſtitutio ante diem cedentem, & venientem non eſt neceſſaria. 12, 555

Filius fam. in peculio caſtr. quaſi paterfamilias judicatur. 28, 566

Filius, exercens navem voluntate patris, in ſolidum eum obligat. 22, 561

Florentinae Pandectae ingens lumen afferunt Juriſprudentiae. 41, 581. *ſcatent infinitis mendis.* ibid.

Fortunae in rebus humanis magna poteſtas eſt. 40, 578

H.

HAeres ante acquiſitam haereditatem non obligatur. 24, 563. *in multis non ut haeres, ſed poſſeſſor agit, & convenitur.* 8. 553. *non pro majore parte quam haeres eſt, agere poteſt.* 37, 576. *ſub conditione ſcriptus, cavere ſubſtituto debet.* 10 554. *Haeredes promiſſoris ex facto unius, an & quando omnes teneantur.* 37, 576

I.

INcerti agi quid dicatur. 36, 574. *Incerti condictio quae, & quando locum habeat.* 36, 573. *Incerti contractus qui dicantur, & quando locum habeant.* 36, ibid.

Iniquum eſt alios ſumere, dominum egere. 29. 567

Inſtituti in omnem cauſam, non collective, ſed diſtributive ſubſtituti videntur. 7, 552

In toto quod juris eſt, idem in parte. 34. 572

Index juris ab auctore compoſitus, & quae ſit eius utilitas in Praefat. 539 & 30, 569

Ipſo jure fieri quid ſit. 17, 558

Juris civilis illuſtrandi nova ratio. in Praefat. pag. 539.

Juriſconſulti quando videndum eſſe dicunt, ſi non contrarium ſubjiciunt, idipſum confirmant. 8, 552. *in mediis argumentationibus non ſolent adjicere, ſe ita reſpondiſſe.* 37, 577. *non omnia uno in loco exequi ſolent.* ibid.

Juriſconſultorum argumentationes explicatae. 28. 565

Juriſconſultorum veterum laus. 28, ibid.

Judicia olim omnia conſtituebantur a praetore. 30, 568

L.

LEgatum quid. 5. 550

Legatarius tempore contrahente, an & quando teneatur. 21. 561

Legis Vellejae primum Caput hactenus etiam a doctiſſimis non recte lectum. 41. 581

Digitized by Google

tione. 3, 5..

14, 550

M.

M*Ale agens & petens proprie quid: aliter quam ab aliis explicatum.* 17, 558

N.

N*Eceſſarius haeres eſſe an deſinat filius, ſi ſe inter tempus aperturae tabularum arrogandum dederit.* 27, 565. *Item ſi ſub conditione poteſtativa ſcriptus haeres, pendente conditione ſeſe arrogandum dederit.* 27, ibid.

Nihil agere vere quid. 17, 557

O.

OMnes *dictio univerſalis eſt, & nihil excludit.* 7, 552. *diſtributive intelligenda.* ibid.

P.

P*Actum nudum exceptionem, non actionem parit.* 4, 549 *Poena ultra legitimum modum uſurarum promiſſa, quando debeatur.* 2, 547. *Poenalis obligationis conditio ex haeredum perſona non immutatur.* 37, 576

Pater in his, quae publicam utilitatem attingunt, peculii nomine in ſolidum convenitur. 22, 561. *Item regulariter, non in ſolidum, ſed quantum in peculio eſt, obligatur.* 22, ibid. *Pater ſcriptus haeres a filio, & rogatus reſtituere, cogi poteſt a fideicommiſſario adire haereditatem, & reſtituere.* 28, 566. *Item ſi omittat haereditatem, tenetur ad legata & fideicommiſſa: ſi adeat, quartam deducet.* 28, ibid *Item, rogatus reſtituere, ſi ſponte reſtituat, commodum deductionis quartae meretur.* ibid.

Patris voluntas duplex, tacita & expreſſa, circa peculium. 22. 562

Peculium quandiu in manu filii eſt, ejus eſſe cenſetur patrimonium, 22, 561. *Peculii natura.* ibid. *Pendentia pro non exiſtentibus habentur.* 1, 543. *Plures domini non ab initio, ſed concurſu partes habere intelliguntur.* 34, 572

Poſthumorum inſtitutio quomodo fieri poſſit. 40, 578

Portionum loco, & vice portionum, quid ſignificet. 18, 559

Praeſcriptis verbis, & in factum actio. 36, 573

Praetor omnium negociorum civilium juriſdictionem habuit. 30, 569

Praetoris appellatione qui comprehendantur. 30, ibid.

Principale, non conſequutivum, attenditur. 1, 546. *Principale deſtructo, corruit acceſſorium* 1, 544. *Propriorum nominum expreſſio, viriles infert partes.* 33, 571

R.

R*Atihabitio facti eſt.* 37, 576. *Refectio ex natura ſervitutis, ad eum pertinet qui ſervitutem debet.* 29, 567. *Refectionis onus, ei cui ſervitus debetur, pacto imponi poteſt.* 29, ibid.

S.

SAtis petere *quid.* 10, 554. *Satis dationis exactio onerosa & contumelioſa.* 10, ibid. *Servus communis, ſi uni dominorum acquirere non poteſt, totum ad ſocium pertinet.* 34, 572. *Servo haeredis pure legari non poteſt.* ibid. *Servo inter vivos manumiſſo, ſi peculium non adimatur, an conceſſum videatur.* 38, 578. *Servo legato, ſi fundus ſit legatus, & Falcidia intervenerit, quomodo in utraque ratio ineunda ſit.* 34, 572. *Servo ſuo ſi teſtator cum libertate leget, & deinde eum alienet, an valeat legatum, & ad quem pertineat.* 32, 570, 571. *& ſeq. Idem ſi teſtamento libertatem & legatum dedit, poſtea eundem inter vivos manumiſit, & codicillis factis libertatem ademit, an talis ademptio legato noceat.* ibid. *Servo ſuo ſine libertate inutiliter legatur* 32, 571

Societas donationis inter vivos cauſa inita an valeat, & an SCto confirmari poſſit. 3, 548

Solus *dictio quomodo accipiatur.* 37, 576. *Stipulatio de rato interpoſita, an & quando committatur.* 6. 550. 551. *& ſeq. Stipulatio damni infecti.* 30, 569. *Stipulationes communes.* ibid.

Stipulationes judiciales, & unde ſic dictae. 30, 567. *& quare interponantur.* 30, 568. *Stipulationes praetoriae actionum inſtar ſunt.* ibid. *Stipulationum diviſio a nemine adhuc recte tradita.* 30, 567. *Stipulationum diviſio vera,* ibid. *Subſtitutio conditionalis eſt inſtitutio.* 27, 565. *fit in defectum inſtitutionis.* 1, 544. *Subſtitutionis reciprocae ſpes ad cohaeredis cohaeredes an tranſeat.* ibid. *Subſtitutus quando admittatur in conditionibus.* ibid.

Succeſſionis verbum quid denotet. 16, 557

T.

T*Eſtamentum ut valeat, quae requirantur circa inſtitutionem filii.* 1, 544. *Teſtamenta quoquo modo ſuſtineri debent.* 1, 543.

Teſtatores ſolliciti omnem caſum diſertis verbis exprimere ſolent. 11, 554. 555

Turpitudinis cauſa nihil teſtamento relinqui poteſt. 31, 570

V.

V*Erba cum effectu accipienda ſunt.* 7, 552. *non ſunt otioſa in legibus.* 18, 559

Verborum ſignificatio in explicatione legum attendenda. 22, 22, 562

Vincula quam vim habeant. 15, 556

Voluntas magis, quam ſcriptura, in fideicomm. attenditur. 5, 550

Voluntas teſtatoris interpretationem accipit a lege & jure communi. 18, 559

Uſusfructus quoquo modo amiſſus, redit ad proprietatem. ibid.

Utile per inutile non vitiatur. 34, 572

F I N I S.

PE-

Digitized by Google

PETRI PERRENONII
ANIMADVERSIONUM
ET
VARIARUM LECTIONUM
JURIS CIVILIS
LIBRI DUO.

IN.

Digitized by Google

Cap. I. Explicatio l. ſi extraneus 33. D. de jure dot. ejuſque conciliatio cum l. Neſennius 41. D. de re jud.
II. Vera lectio l. 1. C. de comitib. & tribun. ſcholar. lib. 12. & l. humilioribus 14. C. de ſuſcept. praepoſit. & arcar. lib. 10.
III. Explicatum quod eſt in l. ſtatuliberi 29. in princ. D. de ſtatuliber. ſtatuliberos puniri ut ſervos.
IV. Intellectus l. Pomponius 9. D. de negoc. geſt.
V. Fructus percepti. Duae inter bonae fidei poſſeſſorem & fructuarium differentiae. Explicata l. bonae fidei 48. in princ. D. de acquir. rerum domin.
VI. Notatus veterum ritus in nuptiis: ex quo l. penult. D. de donat. inter vir. & uxor. vere intelligitur & ab interpolatione in ſuam vindicatur lectionem.
VII. Ratio conciliandi l. ex diverſo 17. D. ſolut. matrim. cum l. ſicut autem 21. D. de re judicat.
VIII. Duplicem videri eſſe legis actionem.
IX. Juſtae & injuſtae uxoris appellatio, ejuſque explicatio: item de duobus nubendi generibus ad l. ſi uxor. 13. §. 1. D. ad l. Jul. de adult.
X. Quaedam expoſita & declarata in l. 1. D. de regul. juris.
XI. An, ſi heres rogatus ſit poſt mortem ſuam reſtituere quicquid ex hereditate boniſve percepiſſet, fructus etiam reſtituantur: eaque de re quaedam explicatae leges.
XII. De iis, quae jure magiſtratus competant. Quando pater filium vel filius patrem judicem habere poſſit, & alia quaedam.
XIII. Panniculoria, Spolia, Zonae, Στρωτὸν, Sinus, & alia ad l. Divus Adrianus 6. D. de bon. damnat. quae & ipſa emendatur.
XIV. De ſequeſtre explicatae leges, an in eum transeat poſſeſſio & dominium rei depoſitae.
XV. De ſequeſtre amplius.
XVI. Mos Impp. reſcribendi ad libellos verbis JCtorum, & vera lectio l. Lucius 21. §. ultim. D. ad municip.
XVII. Declarata l. 2. D. de in jus vocando.
XVIII. Error jus facit ad l. 3. D. de ſuppellect. legat.
XIX. Qui neque ſequantur neque ducantur.
XX Ad Edictum: Si quis jus dicenti non obtemperaverit.
XXI Labeonis ſententias quamvis veras, ſaepenumero non recipi, quod a veterum JCtorum autoritate recedant. Explicata l. ſaepe 53. D. de verb. ſignif. & l. 1. D. de dolo malo.
XXII. Explicatio l. ultim. D. de ſervis exportand.
XXIII. Vetus lex: ut liceat alterius etiam ignorantis & inviti conditionem meliorem facere. Et de forma mandati ſervanda.
XXIV. Juriſprudentiae definitio.
XXV. Dignitatum cauſae & gradus. Frequentes qui. Leviter emendata l. ſpecioſas 100. D. de verb. ſignif. & l. 1. C. de ſentent. paſſ. Nobiliſſimi, Conſulares &c.
XXVI. Quomodo legatus proconſulis mandata juriſdictione proprium quid habeat.
XXVII. Calculatores pueri & impuberes.
XXVIII. De archiatris qui Imperatores dicantur & imperare aegrotis: & de iis enucleatus Senecae locus lib. 6. de Benefic. item de iiſdem elucidata & explicata l. Medicus 26. D. de oper. libert.
XXIX. Ocularius, ϰυρυδονταὶ Medici, ϰυρυδονταὶ in Eccleſia.
XXX. Duplex eſſe pactum, unum quod legibus, alterum quod ſola contrahentium valeat voluntate.

LIBRI SECUNDI.

Cap. I. Ad l. Sejus 46. D. ad SCtum Trebell. & conjuncta l. Publius 36. D. de condit. & demonſt. cum l. ultim. D. de fideicomm. libert.
II. Ex Conſtantino Harmenopulo emendata l. quamvis 75. D. de jure dotium.
III. De vi ac proprietate dictionis χρήσεως ad l. ſi habitatio 10. D. de uſu & habitat.
IV. Caput legis Juliae de adulteriis, & explicatus Martialis locus
V. Repetitionem uſusfructus Capitis diminutione & ἀχρησία amiſſi locum non habere in legato uſusfructus in ſingulos annos: & de hac re quemadmodum ſit emendanda l. licet 23. D. de uſuſ. legat. oſtenditur.
VI. Sabinus an idem ſit qui Vitellius.
VII. Explicata l. 9. D. de condit. furt. & §. 1. verſ. Aliquando. Inſtit. de perpet. & tempor. action.
VIII. Perjurii poena quae ſit legibus.
IX. Veritas rerum erroribus geſtarum non vitiatur.
X. Criminis ſubſcriptio quando locum habuerit.
XI. Quaeſtionum, Diſputationum, Aſſeſſoriorum, Diſceptationum & Decretorum libri a diverſis Juriſconſultis editi.
XII. Conciliatio l. ſunt qui in id 16. D. de re judic. cum l. verum eſt 63. in princ. D. pro ſocio.
XIII. Propemetica & indicia jure licito quamvis petantur, minus id tamen honeſte fieri.
XIV. Caduca duplicia lege & caſu Librarius Caducorum.
XV. Legum quaedam inſcriptiones reſtituuntur.
XVI. Non eſſe Labeonis, quae a Paulo libris Pithanῶν Epitomatorum referuntur & refutantur, argumentis & exemplis demonſtratur. Cujus rei ignorantia quaedam male intellectae leges hactenus explicantur & elucidantur.
XVII. Vox periculi quid ſignificet.
XVIII. An permiſſa ſit altio, & quemadmodum ſe contra vim defendere permiſſum ſit.
XIX. L. debitor. 82. D. de legat. 2. addita negatione emendandam eſſe.
XX. Operam dare. Explicata l. praedia 27. §. 1 D. de inſtit. legat.
XXI. Teſtamenti definitiones.
XXII An minori 12. annis domum deductae donari poſſit, & de ea re explicata l. 65. D. de donat. inter vir. & uxor.
XXIII. Quo tempore vixerint Urſejus Ferox. Proculus, Marcellus Scaevola, Junius Mauricianus, Juriſconſulti.
XXIV. Culpa eſt ſe immiſcere rei ad ſe non pertinenti.
XXV. Sententia l. cum tabulis 16. §. quoniam 1. D. de his quae ut indig. auſ. Concubinae & uxoris differentia.
XXVI. Explicatio quorundam, quae ſunt in l. abeſſe 32. D. Ex quib. cauſ. major particula Aut ſublata ex l. 1. C. de ſalg. hoſpit. non praebend.
XXVII. Quare furti & in factum actione teneatur, qui equis alienis equas ſuas ſubjecerit.
XXVIII. Pecunia, quae dicitur peculium praeſidii cauſa ad l. ſi chorus 79. D. de legat. 3.
XXIX. Interdictorum genera.
XXX. De vectigali ſtipendio & tributo.

PE-

Digitized by Google

VARIARUM LECTIONUM
JURIS CIVILIS
LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Explicatio l. ſi extraneus 33. D. de jure dot. *ejuſque conciliatio cum* l. Neſennius 41. D. de re judic.

EXtraneus, qui dotem marito promiſit, aut neceſſitate id fecit, puta, quia debitor erat mulieris, aut ſola donandi voluntate. Priori caſu in ſolidum convenitur, id eſt, etiam ultra quam facere poteſt: poſteriori in id ſolum quod facere poteſt; ut definitur, *l. ſi extraneus* 33. *D. de jure dot.* cui opponitur *l. Neſennius* 41. *D. de re judic.* quae aperte ait, extraneum, qui quod donaturus erat mulieri marito promiſit dotis futurum, in ſolidum a marito conveniri, non in quantum facere poteſt: ejuſque deciſionis eſt ratio, quia maritus negotium ſuum geſſit, ut merito extraneus ex negotio geſto marito teneatur in ſolidum, *l. ſi donaturus* 9. §. 1. *D. de condict. cauſ. dat.* Quae ratio etiam redditur de ſimplici donatione in eo caſu, quo quis alicui donaturus promiſit ſe, quod illi donare volebat, alii donaturum: definitur enim donatorem teneri in ſolidum, quod is, cui promiſſum eſt, negotium ſuum geſſerit, *l. qui id quod* 33. §. *ultim. D. de donat. l. penultim. D. de novat. d. l. Neſennius* 41. Quapropter animadvertendum eſt in *d. l. extraneus* 33. maritum nullum ſibi geſſiſſe negotium, quoniam dotem, quam extraneus donavit, ſibi non eſt ſtipulatus: quo fit ut maritus, cui debetur dos, ex mera extranei donatione & liberalitate, extraneum in ſolidum convenire non poſſit, ut nec uxor poſſet. Itaque hac in parte nihil intereſt inter donationem ſimplicem, uxori factam; & donationem, dotis cauſa marito factam, niſi mariti ſtipulatio intercedat: quamvis alias multum intereſſe dicamus inter venditionem ſimplicem, & venditionem dotis cauſa, *l. quoties* 16. *D. de jure dotium*; inter ſimplicem donationem, & donationem factam diviſionis cauſa, *l. ſi filia* 10. §. *ſi pater* 3. *D. famil. erciſc.* inter venditionem ſimplicem, & venditionem pignoris cauſa, *l.* 2. 5. *&* 6. *D. de diſtract. pign. l.* 3. *C. plus valere quod agitur quam quod ſimul. concip.* inter venditionem ſimplicem, & venditionem diviſionis cauſa, in ſpecie, *l. ſervos* 34. *D. famil. erciſc.* Tamdiu enim idem jus habet donator reſpectu mariti, quod haberet reſpectu uxoris, ut ſcilicet non in ſolidum, ſed in quantum facere poteſt, conveniatur, quamdiu maritus per ſtipulationem donationem in creditum non tranſtulit, & obligationem ſuum gerendo negotium non novavit. Quae cauſa eſt, cur hac de re tractetur ſub titulo de Novationibus, *l. penultim. D. de novat.* Et ſciendum eſt, idem prorſus eſſe in marito, qui promiſit, quod uxori debet, alicui extraneo. Nam quandoque ea promiſſione non niſi in quantum facere poteſt, extraneo tenetur, ut teneretur uxori, *l. ſi prior* 32. *D. ſolut. matr.* Quo fit etiam, ut, ſi dos confiſcetur, maritus a fiſco niſi in quantum facere poteſt conveniatur, quoniam non in plus teneretur uxori, *l. ſi maritus* 32. *D. eod.* Quandoque tenetur in ſolidum, ſi ſcilicet extraneus ſibi negotium geſſit, & ſuo nomine ſolvi dotem ſibi ſtipulatus eſt, non quatenus maritus uxori debet, in ſpecie *l. quae dotis* 33. *D. eod.* Atque hanc eſſe hujus legis veram interpretationem puto.

CAPUT II.

Vera lectio l. 1. C. de Comitib. & Tribun. ſchol. lib. 12. *&* l. humiliorib. 14. C. de ſuſcept. praepoſ. & arcar. lib. 10.

IN *l.* 1. *C. de Comitib. & Tribun. ſchol.* Imperatores, dum praepoſitos & Tribunos ſcholarum, item Comites ſacri ſtabuli, & Curam palatii depoſito ſacramento inter eos, qui Comites Aegypti vel Ponticae dioeceſeos fuerint, haberi cum primi ordinis comitiva praecipiunt, alios, qui ejuſdem comitivae honorem fuerint nacti, inter eoſdem Aegypti & Ponticae dioeceſeos Comites minime haberi volunt, ſed inter alios aliarum provinciarum duces tantum. Hoc ſenſu recte legitur vulgo & in plerisque omnibus libris, *dict. l.* 1. nec eſt cur in ea loco horum verborum: *alios, qui honore comitivae regimen fuerint nacti*, cum quibuſdam legamus: *ſiu abſque honore comitivae regimen fuerint nacti.* Quod ut intelligatur, ſciendum eſt, inter Comites primi ordinis & duces provinciarum, duces ſeu Comites Aegypti & Ponticae dioeceſeos maxime excelluiſſe, & ſummae dignitatis fuiſſe, *l.* 2. *C. de Comit. rei militar. Edicto Juſtiniani* 8. ita ut non quicunque primi ordinis comitivam merebantur, & dignitatem, quam illi duces habebant, conſequerentur, ſed ſolum quam aliarum provinciarum duces habebant, *l.* 1. *C. de Comitib. & archiat. palat. d. l.* 2. Itaque in *d. l.* 1. *de Comitib & Tribun. ſcholar.* hoc peculiariter praepoſito ac Tribuno ſcholarum, Comiti ſacri ſtabuli & Curae palatii tribuitur, ut poſt adeptam primi ordinis Comitivam inter Comites vel duces Aegypti & Ponticae habeantur. Unde recte Imperatores addunt, alios inter tales duces non numerari, ſed inter alios duces aliarum provinciarum. Addendum eſt enim in textu vocabulum *aliarum*, ut legatur: *Inter eos, qui duces fuerint aliarum provinciarum.* Id quod Imperatores duobus confirmant exemplis, *dict. l.* 2. *de Comitib. rei milit. dict. l* 1. *De Comit. & archiat. ſacri palat.* quas cum *l.* 1. *De Comit. & Tribun. ſcholar.* conjungendas eſſe inſcriptiones & ſubſcriptiones eaedem ſatis demonſtrant: niſi quod in ſubſcriptione *l.* 1. *de Comitib. & Tribun. ſcholar.* legendum eſt, ut in duabus aliis legibus pro VII. XII. Quod etiam in *l. humilioribus.* 14. *C. de ſuſcept. praepoſ. & arcar.* pro *conſtituendum*, *conſuendum* legendum cenſent, hac ratione, quia in ea agitur

Digitized by Google

non animadvertunt verbi *conſtituendi* ſignificationem, quae eſt, collatas a provincialibus veſtes fiſcalibus titulis inſerre, ut accipitur in *l. 6. eod. tit.* Vult enim lex illa (quae poſita ſub titulo *de Suſceptoribus*, nihil ad eum pertineret, ſi emendationem illorum ſequeremur) ut veſtes militares, collatae a cohortalibus, non a decurionibus fiſco inſcribantur & referantur. Confectae jam & elaboratae veſtes conferuntur, nec neceſſe habent, quibus conferuntur earum conficiendarum amplius gerere curam.

CAPUT III.

Explicatum quod eſt in l. ſtatuliberi 29. in princ. D. de ſtatulib. *ſtatuliberos puniri ut ſervos.*

Non ſatis aſſequuntur plerique, quid ſit, quod refertur in *l. ſtatuliberi 29. in princip. D. de ſtatulib.* ſtatuliberos a ceteris ſervis noſtris nihil pene differre, & ideo quod ad actiones vel ex delicto venientes, vel ex negotio geſto, vel ex contractu pertinet, ejuſdem eſſe conditionis, cujus ſunt ſervi noſtri, adeoque etiam in publicis judiciis eaſdem pati poenas, quas ceteri patiuntur ſervi: non ſatis, inquam, aſſequuntur plerique, quid illud ſit, cum contrarium ſcriptum eſſe videant in *l. mortis 9. §. ultim. D. de poenis.* Quidam textum *d. l. ſtatuliberi* 29. emendandum eſſe putarunt, quos alii merito refellunt: qui tamen nec ipſi quidquam afferunt, quod ad explicationem loci faciat. Nam quod ajunt, *d. l. ſtatuliberi* 29. intelligendam eſſe de jure, quod receptum fuerit ante Conſtitutionem D. Pii, rem non explicant, cum veriſimile ſit, minime Pomponium, qui poſt D. Pium ſcripſit, contra ejus Conſtitutionem ſcribere voluiſſe. Huc accedit, quod Ulpianus, qui in *d. l. moris* 9. §. *ultim.* ſcribit, *ſtatuliberum quaſi liberum jam puniendum eſſe* (quae verba propter particulam *Jam* occaſionem dederunt illi ſupra adductae ſententiae ac conciliationi) alibi tamen fatetur, ſtatuliberum ſervi appellatione comprehendi, & non minus, quam ſervum tormentis ac quaeſtioni admoveri, *l. 1. §. ſervi appellatione 4. D. de SCto. Silanian.* Dicendum enim eſſet Ulpianum poſt Conſtitutionem D. Pii modo ex ea, modo contra eam reſpondiſſe: quod plane ridiculum eſt dicere. Abſurdum etiam foret hic ratione conciliare *l. edictum* 8. *§. ultim. D. de quaeſtion.* cum *l. ſtatuliber* 14. *eod.* in quarum una Paulus ait, de ſtatulibero non ſecus ac de ſervo quaeſtionem haberi; in altera negat Modeſtinus, ſtatuliberum ut ſervum puniendum eſſe, ſed potius ut liberum: cum uterque poſt Conſtitutionem D. Pii ſcripſerit. Quapropter ſciendum eſt quod dicitur, ſtatuliberum medio tempore ſervum eſſe & ideo ut ſervum puniri; id reſpectu heredis recte dici, non autem reſpectu extranei. Et hoc eſt, quod dicitur in *d. l. ſtatuliberi* 29. *a ceteris ſervis noſtris ſtatuliberos nihil differre*, ideoque ejuſdem eſſe conditionis, cujus ſunt ceteri ſervi noſtri: & quod ita ait Ulpianus in *d. l. 1. §. ſervi 4. de SCto. Silan.* nam medio tempore heredis ſunt, nec quod conditio exiſtens efficit ut deſinant eſſe heredis, facit ne videantur interim ejus eſſe, & Paulus in *d. l. edictum* 8. *§ ultim. D. de quaeſtion.* dum inquit: *ut quaeſtio ex eo habeatur, quod ſervus heredis eſt.* Ergo quando heres poenam a ſtatulibero petit, non ut liber, ſed ut ſervus heredis punitur ſtatuliber, ne deterior cauſa heredis ſit ob beneficium ſtatu libertatis, *arg. l. ſi is qui jus 42. in fin. D. ad l. Jul. de adult.* Et ita intelligenda eſt *l. ſtatuliberi 29. in princ.* ex ipſis legis verbis: *ſtatuliberi a ceteris ſervis noſtris nihil pene differunt.* At non, ſi reſpectu heredis ſervus

[illegible] aureorum anulorum ſunt conſequuti. Hi enim quamvis reſpectu extranei pro ingenuis habeantur, reſpectu tamen patroni pro libertis habentur & ut liberti puniuntur, ne deterior patroni cauſa fiat per jus illud & beneficium aureorum anulorum, *l. ſi exheredatus 10. §. ult. cum l. ſeq. D. de SCto Silan. l. ſi is qui jus 42. D. ad l. Jul. de adult. l. ſed ſi hac lege 9. §. 1. D. de in jus vocand.* Sic &, in tutela liberorum, patroni pro libertis habentur, in aliorum tutelis pro ingenuis, *l. ἀπελεύθεροι 14. l. cum ex oratione 44. D. de excuſat.* Atque ita, quod *Novell.* 78. jus aureorum anulorum tribuitur libertis, ut ingenui ſint & habeantur; id reſpectu patronorum locum habet minime.

CAPUT IV.

Intellectus l Pomponius 9. D. de negot. geſtis.

Cum multae ſunt leges, quae abſque ſuis inſcriptionibus explicari intelligique minime poſſunt, tum vel *l Pomponius 9. D. de negot. geſt.* explicatio fruſtra tentatur, niſi ratio inſcriptionis habeatur. Ex quo cujus ſint utilitatis & fructus ſingularum legum, in Pandectis relatarum, inſcriptiones, liquido conſtare poteſt. Nam haec lex, quae, multum vexata hactenus, minime percepta intellectaque fuiſſe videtur, ope & auxilio inſcriptionis mirifice illuſtratur ac elucidatur. Sumpta eſt ex libris *Quaeſtionum* Scaevolae, in quibus multa continentur, quae ad *Reſponſorum* proprie libros pertinere videntur: aut potius multa referuntur in *Quaeſtionum* libris, quae jam ante in libris *Reſponſorum* habebantur: ut de *Quaeſtionum* & *Reſponſorum* Papiniani libris alii prodiderunt. Itaque habenda eſt conſulentis Scaevolam & conſulti Scaevolae ratio. Haec conſulens ex Pomponio profert: *Si negotium quamvis male a te geſtum probavero, negotiorum tamen geſtorum te mihi non teneri:* eique quodammodo dura videntur, cum abſurdum ſit negotiorum geſtorum actionem ſemel coeptam: propter rem aut negotium geſtum nuda voluntate, id eſt, ſola probatione negotii geſti tolli & evaneſcere. Quare verius ipſi videtur, eo caſu actionem negotiorum geſtorum non extingui aut ceſſare, ſed pendere, donec re ipſa quod geſtum eſt comprobatum ac ratum habitum ſit: eſt enim inter probare & ratum habere ſeu comprobare; ut infra dicetur. Putat igitur, negotiorum geſtorum actionem nuda illa probatione tolli non debere, ſed expreſſa comprobatione & ratihabitione: ideoque quod dictum eſt a Pomponio negotiorum geſtorum actionem ceſſare, ſic intelligendum eſſe (illa enim verba: *ſed ſuperius ita verum*, &c. ſic accipio) ut voluerit Pomponius tum demum locum hoc habere, quando negotii geſtor dolo malo caret. Huc uſque conſulentis ſententia, qui putat, non nuda negotii probatione ſed ratihabitione negotiorum ceſſare actionem, & tamdiu durare eam, quamdiu ratum non habuerit is, cujus negotium ſit: neque enim ſufficere rem probari a domino; ratum haberi neceſſe eſſe. Scaevola ſuam interponens ſententiam plus admittit, quam conſultor, dum ait: non tantum poſt ſolam probationem negotiorum geſtorum durare actionem, ſed etiam poſt ratihabitionem & comprobationem. Et hoc eſt, quod ait in lege: *Imo puto etſi comprobem*, &c. quaſi dicat, imo plus admitto, etiam poſt ratihabitionem non ceſſare actionem negotiorum geſtorum, quod in fine legis poſt multam diſputationem eo modo & ſenſu repetit: *Erit igitur*, inquit, *& poſt ratihabitionem negotiorum geſtorum actio.* Unde quod

Digitized by Google

bus Scaevola ſuam confirmat ſententiam, cum ex ipſo textu peti poſſint, & eorum explicatio non ſit difficilis. Illud addendum eſt videri intereſſe inter *probare* & *ratum habere*, ex his legis verbis: *& quemadmodum, quod utiliter geſtum eſt, neceſſe eſt apud judicem pro rato haberi omne, quod ab ipſo probatum eſt*; item ex illis: *videndum ergo ne in dubio hoc ratum habeam, actio negotiorum geſtorum pendeat*. Nam quomodo cum ſemel coeperit nuda voluntate, id eſt, ſola probatione tolletur. *Comprobare* idem, quod *ratum habere* eſſe, apparet ex illis: *Imo puto etſi comprobem*, &c. quibus notat Scaevola verba conſulentis de rato habendo: *Videndum ergo, ne in dubio hoc an ratum habeam* &c. quibus putabat poſt ratihabitionem negotiorum geſtorum actionem non eſſe; non autem poſt ſimplicem & meram voluntatem, id eſt, poſt ſolam probationem, quae, ut dictum, poſtea Scaevola notans ait: *Imo etſi comprobem*; id eſt, non ſolum ſi probem, de quo non dubitabat conſultor, ſed etiam ſi comprobem, ſeu ratum habeam, actio negotiorum geſtorum non ceſſat, ſed durat adhuc. Hinc *rem ratam habere, rem comprobare* & *agnoſcere, quod actum eſt*, definitur, *l. quo enim tutore* 11. *D. rem ratam hab.*

CAPUT V.

Fructus percepti. Duae inter bonae fidei poſſeſſorem & fructuarium differentiae. Explicata l. bonae fidei 48. in princ. D. de acquir. rerum domin.

Vulgo percepti fructus definiuntur: qui ſunt a ſolo ſeparati. Id, quod non eſt omnino verum. Differunt enim fructus percepti ab iis, qui ſolo deſierunt contineri, *l. ſi fructuarius* 13. *D. quib. modis uſuſf. l. qui ſcit.* 25. §. 1. *verſ. praeterea. D. de uſur. l. bonae fidei* 48. *in princ. D. de acquir. rerum domin.* Et fructus ſeparati non continuo percepti fructus ſunt, quamvis quidem percepti qui ſunt, etiam ſint neceſſario ſeparati: quoniam fructus percepti dicuntur, qui ab eo ipſo, cui acquiruntur, ſolo ſunt ſeparati: aut qui cum primo ab alio ſeparati ſunt, eos dominus ſibi poſtea uſurpavit: ſeparati vero ſimpliciter dicuntur, etiam qui ab alio quovis, quam a domino, ſeparati nondum a domino naturaliter poſſidentur. Colligitur & illuſtratur haec differentia duabus legibus, quas modo protuli. Nam in *d. l. ſi fructuarius* 13. *Quib. mod. uſuſf.* hoc intereſſe inter fructuarium & bonae fidei poſſeſſorem dicitur, quod hujus fructus fiant ſtatim, poſtquam a ſolo ſeparati fuerint; illius cum eos perceperit: ubi *perceperit* explicandum eſt, per ſe a ſolo ſepararit: quia agit de fructuario, qui aliter dominus fructuum eſſe non poteſt, *l. qui ſcit.* 25. §. 1. *verſ praeterea. D de uſur. l. arborib.* 12. §. *ſi furt.* 5. *D. de uſufruct. l. ſi ſervus communis* 61. § *locavi* 8 *D. de furt. l ſi ejus* 78. *D. de rei vindicat.* (hanc enim legem ad uſufructuarium pertinere *lib.* 2. *harum Animadv.* oſtendemus) & quae in illa lege inter bonae fidei poſſeſſorem & uſufructuarium ſtatuitur, differentia haec eſt: Fructuarii, non ſunt fructus, niſi ipſe eos ſepararit, bonae fidei poſſeſſoris ſunt, etiamſi eos ab alio ſeparari contigerit: quod tamen discrimen turbat Accurſius, ob non obſervatam verbi *percipere* ſignificationem, in *d. l.* 13. In *l. bonae fidei* 48. *in princ.* dicuntur fructus fieri bonae fidei poſſeſſoris ſtatim, poſtquam a ſolo ſeparati ſunt, etiam antequam ab eo percipiantur; quo ſignificat Jctus, fructus ſe-quam proponam, inter bonae fidei poſſeſſorem & fructuarium. Nam primo bonae fidei poſſeſſoris fructus fiunt, ſive ab ipſo ſeparentur, ſive a quovis alio; fructuarii non fiunt, niſi ab ipſo ſeparati fuerint, non etiam ſi ab alio, *l. qui ſcit* 25. §. 1. *verſ. praeterea. D. de uſur.* & ideo, quandiu apud illum manent, fructuarii non ſunt, *l. arboribus* 12. §. *ult. D. de uſur.* cum bonae fidei poſſeſſoris ſint, quamvis poſſeſſionem eorum non ſit nactus, ut eſt accipiendum, quod eſt in *l. bonae fidei* 48. *in princ. D. de acquir. rer. domin. Denique etiam priuſquam percipiat, ſtatim ubi a ſolo ſeparati ſunt, bonae fidei emptoris fiunt.* Deinde bonae fidei poſſeſſoris fructus ſunt, ſive excuſſi fuerint, ſive per ſe deciderint; fructuarii, niſi excuſſi fuerint, non etiam ſi deciderint, *l. ſi fructuarius* 13. *quib. mod. uſuſfr.* Atque hic duobus modis accipio, quoquo modo, in *l. qui ſcit.* 25. §. 1. *verſ. praeterea. De uſur.* Id autem locum habet, quoquo modo ſati fuerunt fructus, id eſt, ſive ab ipſo bonae fidei poſſeſſore, ſive ab alio quovis, quod apparet ex ortithesi malae fidei poſſeſſoris, cujus fructus non fiunt, quoquo modo ſati fuerint, *d. l. qui ſcit.* 25. *in princ.* & ex ejuſdem *legis* §. 1. *verſ. praeterea.* Igitur bonae fidei poſſeſſoris fructus fiunt omnes, ſive ipſe ſeverit, ſive alius quivis, & ſive bonae fidei poſſeſſoris induſtria & opera fructus provenerint, ſive alius cujuſvis. Et hoc modo accipio, quod eſt in *l. bonae fidei* 48. *in princ. D. de acquir. rerum domin Fructus bonae fidei emptoris eſſe non ſolum, qui ejus induſtria & opera provenerunt, ſed omnes*, id eſt, etiam alios quoſcunque ab alio, quam a bonae fidei poſſeſſore, ſatos, aut etiam eos, qui alius quam bonae fidei poſſeſſoris opera & induſtria provenerunt. Id quod Jctus eadem ratione probat, qua *l. qui ſcit.* 15. §. 1. *verſ. praeterea.* de eadem re & ſpecie tractans, quod quantum ad fructus attinet, bonae fidei emptor pene loco domini ſit. Ut itaque fructus, quos alius quivis, quam dominus ipſe, ſevit, domini ſunt, propter jus corporis, quod magis quam jus ſeminis aſpicitur in fructibus, ita & bonae fidei emptoris fiunt, qui quoad fructus attinet dominus pene eſt. *Pene* autem refero ad fructus naturales, quorum reſpectu bonae fidei poſſeſſor domini loco non eſt, *l. fructus* 45. *D. de uſur.* Quae adduntur poſtea verba in *d. l. bonae fidei* 48. *Denique etiam priusquam percipiat bonae fidei emtor, ſtatim ubi a ſolo ſeparati ſunt fructus, ejus fiunt*, ita accipienda ſunt. Dixerat Iuriſconſultus, bonae fidei emtorem percipiendo fructus ſuos facere; cui ſtatim addit, imo etiamſi non percipiat fructus, ejus fiunt ſtatim, poſtquam ſolo ſeparati ſunt. Poſſis quoque dicere, haec verba non incommode referri ad id, quod dixerat Jctus, fructus etiam aliena induſtria ſatos bonae fidei poſſeſſoris eſſe, ut id ex iis velit confirmare hoc modo: Si fructus a quocunque ſint terra ſeparati, bonae fidei poſſeſſoris fiunt, merito ejuſdem fieri debent, a quocunque ſati fuerint. Sane eodem modo colligit *l. qui ſcit.* 25 §. 1. *verſ. praeterea. D. de uſur.* Haec ſunt, quae mihi, quaeſtionem de bonae fidei poſſeſſore, an fructus tam naturales quam induſtriales ejus ſint, tractanti in mentem venerunt: quae quanta, quamque difficilis habeatur, vulgo notum eſt; ita ut de hac poſſis dicere, tot eſſe interpretum ſententias, quot fere ſunt interpretes. Ad hanc igitur haec paucis praemunitionis loco dicenda putavi, de qua quid meae ſententiae prolixius alibi, ex legibus & jure noſtro, aperiam.

Digitized by Google

quae eſt, collatas a provincialibus veſtes fiſcalibus titulis inſerre, ut accipitur in *l. 6. eod. tit.* Vult enim lex illa (quae poſita ſub titulo *de Suſceptoribus*, nihil ad cum pertineret, ſi emendationem illorum ſequeremur) ut veſtes militares, collatae a cohortalibus, non a decurionibus fiſco inſcribantur & referantur. Confectae jam & elaboratae veſtes conferuntur, nec neceſſe habent, quibus conferuntur earum conficiendarum amplius gerere curam.

CAPUT III.

Explicatum quod eſt in l. ſtatuliberi 29. in princ. D. de ſtatulib. *ſtatuliberos puniri ut ſervos.*

Non ſatis aſſequuntur plerique, quid ſit, quod refertur in *l. ſtatuliberi 29. in princip. D. de ſtatulib.* ſtatuliberos a ceteris ſervis noſtris nihil pene differre, & ideo quod ad actiones vel ex delicto venientes, vel ex negotio geſto, vel ex contractu pertinet, ejuſdem eſſe conditionis, cujus ſunt ſervi noſtri, adeoque etiam in publicis judiciis eaſdem pati poenas, quas ceteri patiuntur ſervi: non ſatis, inquam, aſſequuntur plerique, quid illud ſit, cum contrarium ſcriptum eſſe videant in *l. mortis 9. §. ultim. D. de poenis.* Quidam textum *d. l. ſtatuliberi* 29. emendandum eſſe putarunt, quos alii merito refellunt: qui tamen nec ipſi quidquam afferunt, quod ad explicationem loci faciat. Nam quod ajunt, *d. l. ſtatuliberi* 29. intelligendam eſſe de jure, quod receptum fuerit ante Conſtitutionem D. Pii, rem non explicant, cum veriſimile ſit, minime Pomponium, qui poſt D. Pium ſcripſit, contra ejus Conſtitutionem ſcribere voluiſſe. Huc accedit, quod Ulpianus, qui in *d. l. moris* 9. §. *ultim.* ſcribit, *ſtatuliberum quaſi liberum jam puniendum eſſe* (quae verba propter particulam *Jam* occaſionem dederunt illi ſupra adductae ſententiae ac conciliationi) alibi tamen fatetur, ſtatuliberum ſervi appellatione comprehendi, & non minus, quam ſervum tormentis ac quaeſtioni admoveri, *l. 1. §. ſervi appellatione* 4. *D. de SCto. Silanian.* Dicendum enim eſſet Ulpianum poſt Conſtitutionem D. Pii modo ex ea, modo contra eam reſpondiſſe: quod plane ridiculum eſt dicere. Abſurdum etiam foret hac ratione conciliare *l. edictum* 8. §. *ultim. D. de quaeſtion.* cum *l. ſtatuliber* 14. *eod.* in quarum una Paulus ait, de ſtatulibero non ſecus ac de ſervo quaeſtionem haberi; in altera negat Modeſtinus, ſtatuliberum ut ſervum puniendum eſſe, ſed potius ut liberum: cum uterque poſt Conſtitutionem D. Pii ſcripſerit. Quapropter ſciendum eſt quod dicitur, ſtatuliberum medio tempore ſervum eſſe & ideo ut ſervum puniri; id reſpectu heredis recte dici, non autem reſpectu extranei. Et hoc eſt, quod dicitur in *d. l. ſtatuliberi* 29. *a ceteris ſervis noſtris ſtatuliberos nihil differre*, ideoque ejuſdem eſſe conditionis, cujus ſunt ceteri ſervi noſtri: & quod ita ait Ulpianus in *d. l. 1. §. ſervi 4. de SCto. Silan.* nam medio tempore heredis ſunt, nec quod conditio exiſtens efficit ut deſinant eſſe heredis, facit ne videantur interim ejus eſſe, & Paulus in *d. l. edictum* 8. § *ultim. D. de quaeſtion.* dum inquit: *ut quaeſtio ex eo habeatur, quod ſervus heredis eſt* Ergo quando heres poenam a ſtatulibero petit, non ut liber, ſed ut ſervus heredis punitur ſtatuliber, ne deterior cauſa heredis ſit ob beneficium ſtatu libertatis, *arg. l. ſi is qui jus* 42. *in fin. D. ad l. Jul. de adult.* Et ita intelligenda eſt *l. ſtatuliberi* 29. *in princ.* ex ipſis legis verbis: *ſtatuliberi a ceteris ſervis noſtris nihil pene differunt.* At non, ſi reſpectu heredis ſervus aureorum anulorum ſunt conſequuti. Hi enim quamvis reſpectu extranei pro ingenuis habeantur, reſpectu tamen patroni pro libertis habentur & ut liberti puniuntur, ne deterior patroni cauſa fiat per jus illud & beneficium aureorum anulorum, *l. ſi exheredatus* 10. §. *ult. cum l. ſeq. D. de SCto Silan. l. ſi is qui jus* 42. *D. ad l. Jul. de adult. l. ſed ſi hac lege* 9. §. 1. *D. de in jus vocand.* Sic &, in tutela liberorum, patroni pro libertis habentur, in aliorum tutelis pro ingenuis, *l. ἀπελεύθερον* 14. *l. cum ex oratione* 44. *D. de excuſat.* Atque ita, quod *Novell.* 78. jus aureorum anulorum tribuitur libertis, ut ingenui ſint & habeantur; id reſpectu patronorum locum habet minime.

CAPUT IV.

Intellectus l Pomponius 9. D. de negot. geſtis.

Cum multae ſunt leges, quae abſque ſuis inſcriptionibus explicari intelligique minime poſſunt, tum vel *l Pomponius* 9. *D. de negot. geſt.* explicatio fruſtra tentatur, niſi ratio inſcriptionis habeatur. Ex quo cujus ſint utilitatis & fructus ſingularum legum, in Pandectis relatarum, inſcriptiones, liquido conſtare poteſt. Nam haec lex, quae, multum vexata hactenus, minime percepta intellectaque fuiſſe videtur, ope & auxilio inſcriptionis mirifice illuſtratur ac elucidatur. Sumpta eſt ex libris *Quaeſtionum* Scaevolae, in quibus multa continentur, quae ad *Reſponſorum* proprie libros pertinere videntur: aut potius multa referuntur in *Quaeſtionum* libris, quae jam ante in libris *Reſponſorum* habebantur: ut de *Quaeſtionum* & *Reſponſorum* Papiniani libris alii prodiderunt. Itaque habenda eſt conſulentis Scaevolam & conſulti Scaevolae ratio. Haec conſulens ex Pomponio profert: *Si negotium quamvis male a te geſtum probavero, negotiorum tamen geſtorum te mihi non teneri:* eique quodammodo dura videntur, cum abſurdum ſit negotiorum geſtorum actionem ſemel coeptam: propter rem aut negotium geſtum nuda voluntate, id eſt, ſola probatione negotii geſti tolli & evaneſcere. Quare verius ipſi videtur, eo caſu actionem negotiorum geſtorum non extingui aut ceſſare, ſed pendere, donec re ipſa quod geſtum eſt comprobatum ac ratum habitum ſit: eſt enim inter probare & ratum habere ſeu comprobare; ut infra dicetur. Putat igitur, negotiorum geſtorum actionem nuda illa probatione tolli non debere, ſed expreſſa comprobatione & ratihabitione: ideoque quod dictum eſt a Pomponio negotiorum geſtorum actionem ceſſare, ſic intelligendum eſſe (illa enim verba: *ſed ſuperius ita verum*, &c. ſic accipio) ut voluerit Pomponius tum demum locum hoc habere, quando negotii geſtor dolo malo caret. Huc uſque conſulentis ſententia, qui putat, non nuda negotii probatione ſed ratihabitione negotiorum ceſſare actionem, & tamdiu durare eam, quamdiu ratum non habuerit is, cujus negotium ſit: neque enim ſufficere rem probari a domino; ratum haberi neceſſe eſſe. Scaevola ſuam interponens ſententiam plus admittit, quam conſultor, dum ait: non tantum poſt ſolam probationem negotiorum geſtorum durare actionem, ſed etiam poſt ratihabitionem & comprobationem. Et hoc eſt, quod ait in lege: *Imo puto etſi comprobem*, &c. quaſi dicat, imo plus admitto, etiam poſt ratihabitionem non ceſſare actionem negotiorum geſtorum, quod in fine legis poſt multam diſputationem eo modo & ſenſu repetit: *Erit igitur*, inquit, *& poſt ratihabitionem negotiorum geſtorum actio.* Unde

quod

Digitized by Google

bus Scaevola ſuam confirmat ſententiam, cum ex ipſo textu peti poſſint, & eorum explicatio non ſit difficilis. Illud addendum eſt videri intereſſe inter *probare* & *ratum habere*, ex his legis verbis: *& quemadmodum, quod utiliter geſtum eſt, neceſſe eſt apud judicem pro rato haberi omne, quod ab ipſo probatum eſt*; item ex illis: *videndum ergo ne in dubio hoc ratum habeam, actio negotiorum geſtorum pendeat*. Nam quomodo cum ſemel coeperit nuda voluntate, id eſt, ſola probatione tolletur. *Comprobare* idem, quod *ratum habere* eſſe, apparet ex illis: *Imo puto etſi comprobem*, &c. quibus notat Scaevola verba conſulentis de rato habendo: *Videndum ergo, ne in dubio hoc an ratum habeam* &c. quibus putabat poſt ratihabitionem negotiorum geſtorum actionem non eſſe; non autem poſt ſimplicem & meram voluntatem, id eſt, poſt ſolam probationem, quae, ut dictum, poſtea Scaevola notans ait: *Imo etſi comprobem*; id eſt, non ſolum ſi probem, de quo non dubitabat conſultor, ſed etiam ſi comprobem, ſeu ratum habeam, actio negotiorum geſtorum non ceſſat, ſed durat adhuc. Hinc *rem ratam habere, rem comprobare & agnoſcere, quod actum eſt*, definitur, *l. quo enim tutore* 11. *D. rem ratam hab.*

CAPUT V.

Fructus percepti. Duae inter bonae fidei poſſeſſorem & fructuarium differentiae. Explicata l. bonae fidei 48. in princ. D. de acquir. rerum domin.

Vulgo percepti fructus definiuntur: qui ſunt a ſolo ſeparati. Id, quod non eſt omnino verum. Differunt enim fructus percepti ab iis, qui ſolo deſierunt contineri, *l. ſi fructuarius* 13. *D. quib. modis uſuſf. l. qui ſcit.* 25. §. 1. *verſ. praeterea. D. de uſur. l. bonae fidei* 48. *in princ. D. de acquir. rerum domin.* Et fructus ſeparati non continuo percepti fructus ſunt, quamvis quidem percepti qui ſunt, etiam ſint neceſſario ſeparati: quoniam fructus percepti dicuntur, qui ab eo ipſo, cui acquiruntur, ſolo ſunt ſeparati: aut qui cum primo ab alio ſeparati ſunt, eos dominus ſibi poſtea uſurpavit: ſeparati vero ſimpliciter dicuntur, etiam qui ab alio quovis, quam a domino, ſeparati nondum a domino naturaliter poſſidentur. Colligitur & illuſtratur haec differentia duabus legibus, quas modo pretuli. Nam in *d. l. ſi fructuarius* 13. *Quib. mod. uſuſf.* hoc intereſſe inter fructuarium & bonae fidei poſſeſſorem dicitur, quod hujus fructus fiant ſtatim, poſtquam a ſolo ſeparati fuerint; illius cum eos perceperit: ubi *perceperit* explicandum eſt, per ſe a ſolo ſepararit: quia agit de fructuario, qui aliter dominus fructuum eſſe non poteſt, *l. qui ſcit.* 25. §. 1. *verſ praeterea. D de uſur. l. arborib.* 12. §. *ſi furt.* 5. *D. de uſufruct. l. ſi ſervus communis* 61. § *locavi* 8 *D. de furt. l ſi ejus* 78. *D. de rei-vindicat.* (hanc enim legem ad uſufructuarium pertinere *lib.* 2. *harum Animadv.* oſtendemus) & quae in illa lege inter bonae fidei poſſeſſorem & uſufructuarium ſtatuitur, differentia haec eſt: Fructuarii, non ſunt fructus, niſi ipſe eos ſepararit, bonae fidei poſſeſſoris ſunt, etiamſi eos ab alio ſeparari contigerit: quod tamen discrimen turbat Accurſius, ob non obſervatam verbi *percipere* ſignificationem, in *d. l.* 13. In *l. bonae fidei* 48. *in princ.* dicuntur fructus fieri bonae fidei poſſeſſoris ſtatim, poſtquam a ſolo ſeparati ſunt, etiam antequam ab eo percipiantur; quo ſignificat Jctus, fructus ſe quam proponam, inter bonae fidei poſſeſſorem & fructuarium. Nam primo bonae fidei poſſeſſoris fructus fiunt, ſive ab ipſo ſeparentur, ſive a quovis alio; fructuarii non fiunt, niſi ab ipſo ſeparati fuerint, non etiam ſi ab alio, *l. qui ſcit* 25. §. 1. *verſ. praeterea. D. de uſur.* & ideo, quandiu apud illum manent, fructuarii non ſunt, *l. arboribus* 12. §. *ult. D. de uſur.* cum bonae fidei poſſeſſoris ſint, quamvis poſſeſſionem eorum non ſit nactus, ut eſt accipiendum, quod eſt in *l. bonae fidei* 48. *in princ. D. de acquir. rer. domin. Denique etiam priuſquam percipiat, ſtatim ubi a ſolo ſeparati ſunt, bonae fidei emptoris fiunt.* Deinde bonae fidei poſſeſſoris fructus ſunt, ſive excuſſi fuerint, ſive per ſe deciderint; fructuarii, niſi excuſſi fuerint, non etiam ſi deciderint, *l. ſi fructuarius* 13. *quib. mod. uſuſfr.* Atque hic duobus modis accipio, quoquo modo, in *l. qui ſcit.* 25. §. 1. *verſ. praeterea. De uſur.* Id autem locum habet, quoquo modo ſati fuerunt fructus, id eſt, ſive ab ipſo bonae fidei poſſeſſore, ſive ab alio quovis, quod apparet ex ortitheſi malae fidei poſſeſſoris, cujus fructus non fiunt, quoquo modo ſati fuerint, *d. l. qui ſcit.* 25. *in princ.* & ex ejuſdem *legis* §. 1. *verſ. praeterea.* Igitur bonae fidei poſſeſſoris fructus fiunt omnes, ſive ipſe ſeverit, ſive alius quivis, & ſive bonae fidei poſſeſſoris induſtria & opera fructus provenerint, ſive alius cujuſvis. Et hoc modo accipio, quod eſt in *l. bonae fidei* 48. *in princ. D. de acquir. rerum domin. Fructus bonae fidei emptoris eſſe non ſolum, qui ejus induſtria & opera provenerunt, ſed omnes*, id eſt, etiam alios quoſcunque ab alio, quam a bonae fidei poſſeſſore, ſatos, aut etiam eos, qui alius quam bonae fidei poſſeſſoris opera & induſtria provenerunt. Id quod Jctus eadem ratione probat, qua *l. qui ſcit.* 15. §. 1. *verſ. praeterea.* de eadem re & ſpecie tractans, quod quantum ad fructus attinet, bonae fidei emptor pene loco domini ſit. Ut itaque fructus, quos alius quivis, quam dominus ipſe, ſevit, domini ſunt, propter jus corporis, quod magis quam jus ſeminis aſpicitur in fructibus, ita & bonae fidei emptoris fiunt, qui quoad fructus attinet dominus pene eſt. *Pene* autem refero ad fructus naturales, quorum reſpectu bonae fidei poſſeſſor domini loco non eſt, *l. fructus* 45. *D. de uſur.* Quae adduntur poſtea verba in *d. l. bonae fidei* 48. *Denique etiam priuſquam percipiat bonae fidei emtor, ſtatim ubi a ſolo ſeparati ſunt fructus, ejus fiunt*, ita accipienda ſunt. Dixerat Juriſconſultus, bonae fidei emtorem percipiendo fructus ſuos facere; cui ſtatim addit, imo etiamſi non percipiat fructus, ejus fiunt ſtatim, poſtquam ſolo ſeparati ſunt. Poſſis quoque dicere, haec verba non incommode referri ad id, quod dixerat Jctus, fructus etiam aliena induſtria ſatos bonae fidei poſſeſſoris eſſe, ut id ex iis velit confirmare hoc modo: Si fructus a quocunque ſint terra ſeparati, bonae fidei poſſeſſoris fiunt, merito ejuſdem fieri debent, a quocunque ſati fuerint. Sane eodem modo colligit *l. qui ſcit.* 25 §. 1. *verſ. praeterea. D. de uſur.* Haec ſunt, quae mihi, quaeſtionem de bonae fidei poſſeſſore, an fructus tam naturales quam induſtriales ejus ſint, tractanti in mentem venerunt: quae quanta, quamque difficilis habeatur, vulgo notum eſt; ita ut de hac poſſis dicere, tot eſſe interpretum ſententias, quot fere ſunt interpretes. Ad hanc igitur haec paucis praemunitionis loco dicenda putavi, de qua quid meae ſententiae prolixius alibi, ex legibus & jure noſtro, aperiam.

Digitized by Google

in ſuam vindicatur lectionem.

Merito videtur haec lex difficillima, & pene inexplicabilis, quippe quae ſibi contraria, & ſeipſam evertere videatur. Quae cauſa fuit, cur eam ex iis etiam, qui in jure civili aliquid vidiſſe exiſtimantur, emendarent atque interpolarent. Ego vero ſpero, quod quidem ſine cujuſquam invidia dictum & velim & credam facile, hoc caput tantum lucis ei allaturum, ut ſeipſa in poſterum vindicet ab omni emendatione. Sciendum eſt igitur, duplex matrimonii genus hac in lege proponi; unum, quod ſolo fit maritali conſenſu & honore, nullo ritu ac ceremonia: alterum, quod fit ſolennitatibus aquae & ignis adhibitis, quod proponitur in §. *ultim.* id tamen priori loco tractabitur. Uxores aqua & igni acceptas fuiſſe a maritis, cum matrimonia legitime & ſolenniter contraherentur, jamdudum probatum eſt a pluribus doctiſſimis Viris, ita ut poſt illos aliquid hac de re dicere actum eſſet agere potius, quam ad rem aliquid in medium adferre. Unum inter cetera in hac lege monendum duxi, de virginis ſcilicet deductione in hortos, ejuſque ibi commoratione, quae ſeparatam a viro diaetam haberet. Hoc etenim fieri ſolitum fuiſſe in iis nuptiis, quae ſolenniter contrahebantur, apparet tum ex hoc loco, tum ex Terentio in *Adelph. Act.* 5. *ſcen* 5. *vſ.* 10. *Atque hanc in horto maceriam jube dirui. Quantum poteſt, hac transfer, unam fac domum, traduce & matrem & familiam omnem ad nos.* Qui Terentii locus ita hanc legem illuſtrat, ut nullus alius poſſit magis. Quod Scaevola in *hortis*, Terentius in *horto*; quod ille *diaetam*, hic *maceriam*; quod ille *priusquam ad maritum uxor tranſiret*, hic e contrario, *unam fac domum, traduce & matrem & familiam omnem ad nos.* In quibus poſtremis verbis ita apparet matrisfamilias nomen, ut clarius non poſſit: matremfam. ſcilicet dictam fuisſe ſtatim, poſtquam per deductionem in domum tranſiiſſet ad maritum. *Unam fac domum*, dixit etiam Terentius eo ſenſu, quo Ulpianus, in *l.* 1. *§. ſi vir aut uxor* 15. *D. de SC. Silan. Sed quia*, inquit, *commixta familia & una domus eſt*, & Imperator Gordianus uxorem *ſociam domus* eſſe ait, *l.* 4. *C. de crimine expilat. heredit.* & Cicero *lib.* 1. *offic. cap.* 17. *Nam cum ſit hoc natura commune animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima ſocietas in ipſo eſt conjugio, proxima in liberis; deinde una domus, communia omnia.* Ex quo apparet demum, poſt in domum deductionem, uxorem matrisf. nomen habuiſſe, & originem ſumpſisſe, quae vocatur & laudatur *vitae ſocietas* & *conſortium inter conjuges*, in *l.* 1. *D. de ritu nuptiar. l.* 1. *D. rerum amot. l. ſi verum* 82. *D. de re judic. d. l.* 4 *C. de crimine expil. hered. Horti* autem intelliguntur, qui ſunt aedibus juncti, ut in *l. urbana* 198. *D. de verbor. ſignif. l. ultim. in princ. D. de ſervit. praediar. urbanor.* in quibus ſaepe *caenaculum* & *maceria* erat *d. l. ultim. in princ. l. ſenatus* 43. §. 1. *D. de legat.* 1. *l. uxorem* 41. *D. de legat.* 3. ac ſaepe loco aedium habitabantur, *l.* 5. §. *domum* 2. *D. de Injuriis.* Alii enim ſunt, qui extra urbem erant, *l.* 4. §. *penult. D. de penu legat. d. l.* 198. Hic autem contrahendarum nuptiarum modus, quando ſcilicet uxores aqua & igni accipiebantur, pertinebat ad eas nuptias, quae per *confarreationem* fiebant, quod oſtendit Servius *lib.* 4. *Aeneid. vſ.* 374. hac amplius adhibita, ut explicat Servius, ſolennitate. *Sellae duae jugatae erant, ovili pelle ſuperinjecta, ejus ovis, quae hoſtia fuiſſet, ibique nubentes velatis capitibus in confarreatione ſedebant.* Oportebat, inquam, pellem eſſe ejus ovis, quae hoſtia fuiſſet, quod & Feſtus, in aliis etiam ſacris ſolennitatibus uſitatum fuisſe nuptias locum adhuc habuiſſe, & mariti & matrisf. ſeparatas ſellas fuiſſe, non tamen ſeparatos agros, ſed in eadem diaeta eademque villa diverſas cathedras ſeu ſellas habuiſſe. Sidon. *Ep.* 9. *lib.* 2. *Sic tamen, quod qui inter matronarum cathedras codices erant, ſtilus iis religioſus inveniretur, qui vero per ſubſellia patrumfamilias, ii cothurno latialis eloquii nobilitarentur.* Pertinet huc nonnihil *l.* 1. *C. de verb. ſignif.* ibi *Vinum, quod in apothecis fuit, ſi ideo illic habuit, ut cum in praedium veniſſet materf. eo uteretur*, &c. Ergo ut haec concludatur obſervatio, ante nuptias ſeparatae erant diaetae viri & uxoris, ſeparatae ſellae; poſt nuptias vero conjunctae diaetae, ſeparatae ſellae. His praemiſſis nunc ad ſententiam hujus §. *ult.* accedamus. Igitur inter eos, qui ſolenniter nuptias contrahunt, donatio valet, ſi fiat ante nuptias, quamvis ipſo die nuptiarum, *l. inter eos* 27. *D. de donat. inter vir. & uxor.* niſi ſcilicet ſit facta deductio in domum mariti, quia jam uxor eſſe videtur, quae deducta eſt in domum, *l. cum in te* 6. *C. de donat. ante nupt.* nec opus eſt accedat concubitus, *l.* 15. *D. de condit. & demonſt.* Haec de poſteriori hujus legis capite. Diverſum eſt caput primum: in eo enim matrimonium valere proponitur, etiam abſque tabularum conſignatione & in domum deductione, ſineque ullo plane ritu & ſolennitate, *l.* 4. *D. de pignor. l.* 4 *D. de fide inſtrum.* Solo igitur conſenſu, ac maritali tantum affectione, hoc conſiſtere matrimonium dicimus. Hinc regula *Nuptias conſenſus, non concubitus facit*, quae de ſimplici ac nudo conſenſu minime intelligenda, ſed (ut ante propoſuimus) de conſenſu & honore maritali, alioqui matrimonium nihil a concubinatu differret, qui ſola animi deſtinatione aeſtimatur, *l.* 4. *D. de concubin.* Neque rurſus intelligenda eſt de conſenſu confirmato per deductionem in domum, ut voluit Hotomanus, qui hac de cauſa accuſavit Tribonianum, quaſi minus proprie dictam regulam eruiſſet, ex *d. l. cui fuerit* 25. *D. de condit. & demonſtrat.* quae loquitur de conſenſu poſt deductionem in domum. Nam licet dicta regula elicita ſit ex *d. l.* 15. non minus tamen vera eſt, etiam intellecta, de ſimplici maritali affectione, id eſt, non confirmata per deductionem in domum. Atque huc valde pertinet *l. cum hic ſtatus* 32. §. *ſi mulier* 13. *D. de donat. inter vir. & uxor.* ubi haec eadem proponitur regula, nulla deductionis in domum facta mentione. *Non coitus*, inquit Ulpianus, *matrimonium facit, ſed maritalis affectio.* Quae & eodem ſenſu a Papiniano proponitur in *l. donationes* 31. *in princ. D. de donat.* & a Juſtiniano *Novell.* 67. *cap.* 2. Maritalis igitur affectio ſola matrimonium facit, *l.* 5. *D. de bon. damnat.* Quapropter hoc caſu donatio non valet, quia facta videtur inter virum & uxorem, *d.* §. *ſi mulier* 13. *d. l.* 32. ubi illa verba, *perſonis inter ſe comparatis*, hoc ſignificant, viro & uxore inter ſe comparatis, ut in utroque ſit dignitas par & ingenuitas, ut in *l. ſi donationum* 22. *C. de nupt. inter pares honeſtate perſonas.* Concubinam enim eo in loco ab uxore voluit ſeparare Papinianus, quae invicem dignitate diſtinguuntur, *l. item legato* 49. §. *parvi autem refert* 4. *D. de leg.* 3. Item quod *d. l.* 32. ait, *conjunctione vitae comparata*, non hoc ſignificat, ut vir & uxor debeant una habitare: cum ſeorſim etiam maritalem affectum habere poſſint, *d.* §. *ſi mulier* 13. *d. l.* 5. *D. de bonis damnat.* ſed illud vult ſignificare, quod eſt in definitione matrimonii: perpetuam ſcilicet & individuam vitae conjunctionem.

C A-

Digitized by Google

quatenus facere poteſt, damnetur, quaeri ſolet. Neratius cum Proculo ſcribit, juſtum quidem & aequum eſſe, ut non in ſolidum, ſed quatenus facere poteſt, conveniatur, *l. ex diverſo* 17. *D. ſoluto matrim. alio nos tamen jure uti*, *l. ſicut* 21. *D. de re judicat.* Quae verba ſic accipio, ut velit Neratius, ipſo jure aut potius ſtricto & civili jure, id quidem eſſe receptum, quamvis aequius juſtius ſit contrarium. Atque eodem modo Paulus in ſimili caſu ex Proculo in *d. l. ex diverſo* 17. dari exceptionem ait, quamvis jure civili obligatio ſit, quo ſignificat Jctus dari exceptionem juſto & aequo jure, quanquam ſtricto & civili obligatio conſiſtat, & ideo denegatur exceptio. Jus receptum & quo utimur jus ſtrictum eſt, quod ſaepe aequiore & extraordinario jure emendatur & mitigatur. Unde cum ſecundum jus vulgare, aut, ut ait Jctus, ſecundum vulgarem juris formam pater filios ſuos, quos emancipare rogatus eſt, emancipare non cogatur, *l. filiusf.* 114. §. 8. *D. de leg.* 1. extra ordinem tamen cogitur, *l. ſi cui legatum* 91. §. 1. *D. de condit. & demonſtr.* quia nimirum in extraordinariis judiciis ſtrictum jus negligitur, *l. actio* 43. *D. de negoc. geſt.* Atque ita in *l.* 3. *in princ. D. de minoribus*, cum dictum eſſet, minoribus rem ſuam, etiam bene gerentibus, adminiſtrandam non committi, eoque nos jure uti, additur, Principes perraro minoribus rerum ſuarum adminiſtrationem extra ordinem indulgere. Jus itaque vulgare & receptum ſignificat jus ſtrictum, cui ſaepe adhaerere ſolent Jcti, etiam contra omnem aequitatem, ut in ſpecie *l. ſaepe* 53. §. *ultim. D. de verbor. ſignif. l. proſpexit* 12. §. 1. *D. Qui & a quibus manumiſ.* Hoc igitur in loco, quamvis juſtum & aequum ſit, ex ſententia Proculi & Neratii, qui ſaepenumero contra jus ſtrictum & receptum reſponderunt, ſocerum conventum a marito in ſolidum non condemnari, jure tamen aliter introductum eſt, quod & ipſe Neratius non diffitetur, in *d. l. ſicut autem* 21. *D. de re judicat.* Atque haec ſententia etiam probatur & confirmatur ex eo, quod proponitur in lege, quae proxime ſubſequitur *d. l. ſicut autem* 21. in qua ex Pomponio additur, id quod eſt in *d. l. ſicut autem* 21. ita accipiendum eſſe, ſi a ſocero petatur ex promiſſione ſoluto matrimonio: nam aliud eſſe, ſi conſtante adhuc matrimonio dos ab eo petatur; ſuccurrendum enim utique, & ut ne majoris ſummae condemnetur, quam quantum facere poteſt. Hoc enim in loco *utique* interpretor tam ex aequitate, quam ex jure recepto.

CAPUT VIII.

Duplicem videri eſſe legis actionem.

DUplicem eſſe legis actionem exiſtimo, quam, ut juriſdictionem in contentioſam & voluntariam dividere poſſis. Ita enim accipio, quod eſt in *l.* 3. *D. de offic. proconſul.* dum ait Jctus: *Omnino enim non eſt apud eum legis actio. Omnino*, id eſt, neque ex juriſdictione voluntaria, neque ex juriſdictione contentioſa: de utraque enim paulo ante dixerat. Inde plenam legis actionem dicimus, *l.* 1. *C. de adopt.* quaſi aliqua minus plena ſit, puta contentioſa ſola, vel voluntaria ſola; ut ecce, magiſtratus quidam municipales habent legis actionem, Paulus *lib* 2. *Sentent. tit.* 25. *l. ultim. C. de vind. libert.* quamvis facere ea non poſſunt, quae magis imperii ſunt, quam juriſdictionis, *l. ea quae magis* 26. *D. ad municip.* Qui autem plenam perfectamque legis actionem habet, non ſotari non poterat; quia cum imperium proconſul non deponat, priuſquam Romam ingreſſus ſit, *l. ultim. D. de offic. proconſul.* juriſdictionem voluntariam exercere minime prohibetur, exemplo ejus quod dicitur, eandem exercere juriſdictionem voluntariam, quamprimum eſt urbe Roma egreſſus, quamvis in provinciam, quae ei decreta eſt, nondum pervenerit. Deponit autem juriſdictionem contentioſam ſtatim, poſtquam ſucceſſor metropolin provinciae ingreſſus eſt, *l.* 1. *D. de offic. praef. Auguſt.* quod tamen vir doctus male negat. Qua in re differt a Praeſide, qui omne deponit imperium & omnem amittit juriſdictionem, poſtquam provincia exceſſit & privatus fit ſtatim, *l.* 3. *D. de offic. praeſid.* Dio *lib.* 53. item cum primum ſucceſſor provinciam eſt ingreſſus, licet metropolim nondum attigerit, *l. ſi forte* 17. *D. eod.* in qua continetur exceptio ejus, quod diximus, Praeſidem adveniente ſucceſſore ſuo deponere omnem juriſdictionem, tam contentioſam, quam voluntariam, nempe ſi neſcierit, ſucceſſorem ſuum adveniſſe. Tunc enim adhuc poterit exercere juriſdictionem voluntariam, ut manumittere, tutores dare, quae ſunt juriſdictionis voluntariae. Sic denique accipio quod eſt in *l. quidam conſulebant* 57. *D. de re judic.* ubi cum Jctus ex eo, quod minori princeps poteſtatem dediſſet, probaſſet minorem recte jus dixiſſe, addit, *omnia enim Princeps gerere decrevit*, id eſt, tam quae ſunt voluntariae juriſdictionis, quam quae contentioſae. Sed ut ad legis actiones revertamur, quod definiuntur in *l* 2. *D. de Origin. Jur.* §. 6. *quibus inter ſe homines diſceptabant*, ad contentioſas legis actiones pertinere arbitramur. Eodem vero modo Feſtus *in fragm.* jus deſcribit: *Vindiciae*, inquit, *appellantur res eae, de quibus controverſia eſt, quod potius dicitur jus: quia ſit inter eos, qui contendunt.* Temere quidam hanc Pomponii deſcriptionem Triboniano aſſcribunt, & veram eſſe negant, cum eadem ex his Ovidii verbis elici poſſit, *Faſt. lib.* 1. *v.* 47.

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur,
Faſtus erit, per quem lege licebit agi.

Legis autem actionis diviſio confirmatur, *l. penul. C. de haeret.* ibi, *omnis legitimus actus.* Hactenus de legis actione, de qua alias pluribus.

CAPUT IX.

Juſtae & injuſtae *uxoris appellatio, ejuſque explicatio, item de duobus nubendi generibus, ad* l. ſi uxor 13. §. 1. D. ad leg. Jul. de adult.

UXoris *juſtae* & *injuſtae* appellatio reperitur in *l. ſi uxor* 13. §. 1. *D. ad leg. Jul. de adulter.* ex qua etiam conſtat, aliud eſſe juſtum matrimonium, injuſtum aliud: cum poſtquam dixiſſet de uxore, tam juſta quam injuſta, addit: *Haec enim lex ad omnia matrimonia pertinet. Omnia*, id eſt, tam juſta, quam injuſta. Utriusque matrimonii, tam juſti quam injuſti, fit etiam mentio in *l.* 1. *D. unde vir & uxor.* & legitimi ſolum (quod idem eſt cum juſto) in *l. de jure* 37. §. *ult. D. ad municip. Juſtum matrimonium eſt*, in quo obſervantur ſolennitates, quae legibus requiruntur, ſecundum quod *juſta ac legitima uxor* eſt, quae legum ritibus adhibitis, & ſolennitatibus aut conventione in manum, non affectione ſola maritali dicitur, quaeque uti leges jubent nubit. Martial. *Lib.* 5. *Ep.* 76.

Digitized by Google

Sane apud Autores duo nubendi genera, lege & ſine; vel quod idem eſt, juſte & injuſte reperiuntur. Ovidius *lib.* 2. *de Arte am. v.* 157.

Nam legis juſſu lectum veniſtis in unum:
Fungitur in vobis munere legis amor.

Ex quo Ovidii loco ſatis intelligitur, quid *non lege nubere*, amore ſcilicet ſolo maritali. Eadem quoque diviſio *nubendi lege* & *ſine lege* reperitur apud Terent. *in Phorm. Act.* 1. *ſc.* 2. *v.* 64. *Si uxorem velit lege, id licere facere: ſin aliter, negat.* Sic enim hic Terentii locus diſtinguendus eſt, non ut alias legitur in impreſſis libris: nam (*lege*) ad uxorem referendum eſt, non ad *licere*, quod & Donatus videtur obſervaſſe. Huc accedant & alia Autorum loca. Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 338.

Non niſi legitime vult nubere.

Etiam apud Gajum *lib.* 1. *Inſtit. tit.* 4. *in princ.* duo ponuntur genera nubendi, *nuptiis* & *ſolo conſenſu*, cujus verba poſt referentur. Martial *lib.* 11. *Ep.* 24.

Nubere Sila mihi nulla non lege parata eſt,
Sed Silam nulla ducere lege volo.

Eſt autem *lege nubere* non ſimpliciter, id eſt, ſolo affectu nubere, ſed ut leges jubent, eoque ſenſu uſurpavit Labeo, in *l. ultim. D. de ſtatulib.* ubi Latini interpretes male pro *lege* ſcripſerunt, *ex lege*, & interpretati ſunt ex conditione; melius Graeci legem Juliam intelligunt. Quod comprobat Ulpianus *in fragm. titul* 11. § 20. *de tutelis.* ubi ait: *Mulieri virginive, ut nubat lege ea lege Julia de maritandis ordinibus, tutorem dari a praetore urbis, ad dotem conſtituendam.* Quo in loco recte Ulpianus addit, *ad dotem conſtituendam*, quoniam in nuptiis legitimis dos cum pacto intercedebat, *l.* 1. *C. de cond. ob cauſ. dat.* Novella Majorani *de ſanctim. & viduis: lib. Reſponſ.* Papian. *tit.* 37 Plautus *Trinum Act.* 3. *ſc.* 2. *v.* 64. *Me germanam meam ſororem in concubinatum tibi ſic ſine dote dediſſe magis, quam in matrimonium.* Ulpiani loco addatur hic Tertull. *in Apolog. cap.* 4. *med. Nonne*, inquit, *vaniſſimas Papias leges, quae ante liberos ſuſcipi cogunt, quam Juliae matrimonium contrahi?* Quo in loco Tertullianus ait *leges Julias cogere*, id eſt, jubere uxorem ducere, ut Martial. *Quae legis juſſu*, &c. Et Ovidius: *Non legis juſſu*, &c. Et Apulejus *Apolog.* 2. *in fin. Uxorem duci leges jubent*, & Ulpianus *tit.* 17. §. 1. *Caelebs legi paruerit*, id eſt, nupſerit. Ex his eum conſtet, quid ſit *juſte nubere*, ſatis etiam apparet, quae ſit *juſta uxor*; ea ſcilicet, quae nupſit ſecundum leges, conventionem in manum in nubendo & alios ritus requirentes; quam ſicut nos *juſtam* aut *legitimam*, *aut lege jubentem* dicimus, ſic Dionyſ. Halicar. κατὰ νόμους συνελθοῦσαν vocat, ut *injuſtam* Zoſimus *lib.* 2. ἡ κατὰ νόμους συνελθοῦσαν. Plutarchus quoque *in collat Anton. cum Demetrio*, hanc μὴ κατὰ νόμους συνοῦσαν, illam δικαίως γαμηθεῖσαν vocat. Ubi ita ſcribitur apud Gajum *lib.* 1. *Inſtit. tit.* 4. *princ. Legitimae ſunt nuptiae, ſi Romanus Romanam nuptiis intervenientibus vel conſenſu ducat uxorem*, apparet nuptias ab ipſis nuptiis parari, quia ait *nuptias legitimus fieri nuptiis*, id eſt, nuptiarum ſolennitatibus intervenientibus & ſolo conſenſu. Quo in loco, ut hoc obiter addam, legitimas nuptias utraſque vocat. Has, quoniam legibus approbatae ſunt, & legibus nomen ſumpſerunt, ut de concubinatu dicitur, in fine *l.* 3. *D. de concubin.* illas, quoniam legibus ipſis conſtitutae ſunt & inventae: quemadmodum *civiles* dicuntur actiones, & quae legibus conſtitutae ſunt, & quae iis comprobatae ſunt, §. 1. *Inſtit. de obligat.* Alias melius diſtinguuntur nuptiae a ſimplici matrimonio, *l. ſi ita* 10. *D de ritu nupt. l. penult. D. de Donat. inter virum* & *uxor.* Notandum eſt, ut uxores dictae ſunt *juſtae*, ſic & viros *juſtos* dictos, qui habebant *juſtas* uxores. Ovidius *de art. am. lib.* 2. *v.* 598.

Quos faciunt juſtos ignis & unda viros.

nupſit, quibus omiſſis, ſi quae nubit, *injuſta* uxor eſt. Et cujus exemplum eſſe puto inter alia in deportati uxore. Nam cum modo ſolvi matrimonium deportatione affirmetur, *l. ſi quis ſic ſtipuletur* 56. *D. ſolut. matr.* modo negetur, *l.* 5. *D. de bon. damnat. l. res uxoris* 24. *C. de donat. inter vir. & uxor. l.* 1. *C. de repud.* hoc de *injuſta* uxore, quae ſolo affectu uxor eſt, intelligendum; illud de *vera* & *legitima*. Cum enim deportatus peregrinus efficiatur, *l.* 1. *C. de hered. inſtit. l.* 10. §. 6. *D. de in jus vocand.* non poteſt is legitimus maritus eſſe; quia inter peregrinum & civem Romanum non ſunt legitimae nuptiae. At, quia affectu etiam ſolo conſtant nuptiae, nihilque prohibeat & virum mariti affectionem & mulierem uxoris animum retinere, quod *d. l.* 5. & *d. l.* 1. non mirum ſi nuptiae conſiſtant, in quibus etiam naturale jus & gentium ſpectatur, *l. adoptivus* 14. §. 1. *D. de ritu nuptiar. Pellex*, quae uxoris loco in domo ſine nuptiis eſt, *l. Maſſurius* 144. *D. de verbor. ſignific.* pro *injuſta* uxore accipi videtur apud Livium; cum opponitur *juſtae matriſam. lib.* 39. *cap.* 53. *Nam etſi*, inquit, *minore aetate, quam Perſeus eſſet, hunc tamen juſta matrefamilias, illum pellice ortum eſſe.* Juſtam matremfamil. hic dixit Livius, quam ex Dionyſio & Zoſimo vocare poſſis κατὰ νόμους συνελθοῦσαν. Ad Livii locum pertinet hic Juſtin. *lib.* x. *cap.* 1. *Artaxerxi regi Perſarum ex pellicibus* cxv. *filii fuere, ſed tres tantum juſto matrimonio ſuſcepti. Amicam*, quae eadem eſt cum pellice, *d. l.* 144. etiam uxori opponit Terent. *Andr. Act.* 1. *ſc.* 3. *v.* 11. *Sive iſta uxor eſt, ſive amica*; ubi pro *iſta* legi poſſet commode *juſta*. Illud ad extremum obſervandum eſt, injuſta matrimonia adhibitis poſtea ſolennitatibus & repetitis ritibus confirmata fuiſſe. Stat. Papin. *lib.* 1. *Sylvar.* 2. *v.* 28.

——— ——— *Subiit leges & frena momordit*
Ille ſolutus amor; conſumta eſt fabula vulgi:
Et narrata diu viderunt oſcula cives.

Ex quibus verſibus intelligitur, partim in his apud Tacitum *lib.* 11. *Annal. cap* 27. (*Cuncta nuptiarum ſolennia celebrat: Haud ſum ignarus fabuloſum viſum iri; tantum ullis mortalium ſecuritatis fuiſſe in civitate omnium gnara & nihil reticente, nedum conſulem deſignatum cum uxore Principis praedicta die adhibitis, qui obſignarent velut ſuſcipiendorum liberorum cauſa conveniſſe: at illam audiſſe auſpicium verba ſubiiſſe, ſacrificaſſe apud deos, diſcubitum inter convivas, oſcula, complexus, noctem denique actam licentia conjugali*) quid ſit *ſubiiſſe*, legibus ſcilicet paruiſſe in nubendo: partim matrimonia legibus probata & juſta palam & ſcientibus, videntibusque amicis atque civibus celebrata fuiſſe, quod & in jure noſtro eodem ſenſu dicitur, cum de eadem re tractatur, vicinis ſcientibus, *l. ſi vicinis* 9. *C. de nupt. l. filium* 6. *in fin. D. de his qui ſui vel alien. jur.* Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 337.

Haec tu ſecreta & paucis commiſſa putabas,
Non niſi legitime vult nubere:

partim denique fama vulgi & rumore) matrimonia minus juſta ac legitima nota fuiſſe, Plaut. *in Perſ. Act.* 3. *ſc.* 1. *v.* 57. *Non tu nunc hominum mores vides? Cujuſmodi hic cum fama facile nubitur.* Tacit. *lib.* 12. *Ann. cap* 5. *C. Pompejo Q. Verannio Coſſ. pactum inter Claudium & Agrippinam matrimonium, jam fama, jam amore illicito firmabatur, necdum celebrare ſolennia nuptiarum audebant, nullo exemplo deductae in domum patrui fratris filiae.* Ad id, quod ſupra diximus, matrimonia injuſta confirmari conſueviſſe, facit quod apud Terent. *in Andr. Act.* 1. *ſc.* 5. *v.* 60. Pamphilo Glycerium, quam jam pro uxore habebat, pater in manum poſtea dat his verbis: *Te iſti virum do, amicum tutorem, patrem; bona noſtra haec tibi permitto, & tuae mando fidei.* Haec ſatis ſuperque de injuſta uxore, quam eſſe dicimus, quae cum poſſet ritibus adhibitis juſta eſſe, iis omiſſis, injuſta facta eſt: non quae cum vellet juſta eſſe, juſta eſſe non

Digitized by Google

IN *lege* 1. *D. de regul. Juris* quaedam ſunt aliorum jam explicata diligentia, quae ideo repetenda non duco. Id enim neque propoſitum fert meum, neque patientia Lectoris. Quod vero hic dicitur non ex regula jus ſumi, ſed ex jure regulam, ſic accipio, ut velit Jctus indicare, ad ſcientiam juris perveniri non per cauſas & maximas aut axiomata, ſed per effectus & conſequentias; & quamvis ars juris certis ſuis praeceptis ac regulis comprehendatur, ea tamen praecepta non ex ſe judicari, ſed ex iis, quae inde conſequuntur, aeſtimari. Ex artibus & ſcientiis quaedam procedunt a cauſis ad effectus; quaedam vero e contrario ab effectibus ad cauſas, e quibus eſt Jurisprudentia, quae tum in primis fidit, cum eadem ex conſequentibus ponderata & aeſtimata fuerint. Nec enim Juriſconſulti ex eorum ſunt numero, quos his verbis eleganter notat Lactantius *lib.* 3. *cap.* 23. *Cum autem*, inquit, *primis habuerint fidem, qualia ſunt ea quae ſequuntur, non circumſpiciunt, ſed defendunt omni modo, cum debeant prima illa utrumve vera ſint, an falſa, ex conſequentibus judicare.* Haec Lactantius. Regulae igitur, ſi quae ſunt apud Jctos, cum ex jure deſcendant & originem ſumant, etiam pro juris ratione variantur: & hoc eſt, quod ait Jctus, ex jure quod eſt regulam ſumi. Nulla enim alia de cauſa illud, *quod eſt*, addit, quam ut ſignificaret, regulam pro juris ratione aliam atque aliam eſſe, & quale jus ſit, talem etiam eſſe juris regulam. Non ergo tanti fiunt regulae, ut mordicus retineantur, ſi aliquid poſtea emergit, quod aliud jus ſuadere videantur. Et hoc eſt, quod ajunt Imperatores in *l.* 7. *C. de Conſt. princip.* leges & conſtituta regulam futuris imponere. Ex his conſtat, quid de regulis judicandum ſit; illas nimirum non per ſe ſubſiſtere, ſed ex jure duntaxat ſtabiliri ac aeſtimari, & jure aut ſtare, aut cadere potiſſimum, nec ita nos aſtringi regulis, quin ab illis recedere poſſimus, ſi id ſuadeat jus aliquod poſtea emergens. Etſi autem ex regulis quandoque argumenta ducantur, ut in *l. ultim. C. de hered. inſtit. l. debitor* 82. § *ultim. D. de legat.* 2. Quin imo ſequi regulas juris, quod dicitur, nihil ſit aliud, quam producere aliquid ad conſequentias & inde argumentari, ut intelligitur ex *l. quod vero* 14. conjuncta *l. ſequen. D. de legib.* id tamen ideo fit, quia regulae pro jure ſemel receptae ſunt, atque ex jure, quod eſt, deſumptae, & ipſae rationem juris habent. Atque hinc exiſtimo originem habuiſſe Proculejanorum & Sabinianorum ſectam, ut voluerint Sabiniani, regulas antiquas ſartas tectas retinendas eſſe, nec ab iis vel latum unguem recedendum; Proculejani vero ſatius eſſe putarint, regulas mutari & pro juris ratione variari. Videamus, quid ſit, quod regula dicitur *officium ſuum perdere, ſimul ac in aliquo vitiata eſt.* Id autem refero ad jus ſingulare, quo aliquid receptum eſt utilitatis cauſa, contra jus commune. Nam cum jus finitum ſit, id eſt, certis praeceptis, definitionibus & regulis concludatur, *l.* 2. *D. de jur. & facti ignorant.* & omnis regula ex jure, ut ſupra dictum eſt, depromatur, ſi quid ex aequitate contra jus propter utilitatem communem, vel alicujus favorem conſtituitur, contra regulas juris & civilem rationem receptum dicitur, *l. quod vero* 14. *D. de leg. l. contra* 141. *D. de reg. jur.* Et hoc eſt, quod dicitur in *l.* 15. *D. de leg. In his quae contra rationem juris conſtituta ſunt, non poſſumus ſequi regulam juris*; quia ſcilicet ex ipſo jure cum deſumatur regula, ſi quid contra jus con-

id ſit juris proprium, ut ibi ſit eadem juris conſtitutio, ubi eadem eſt ratio, *l. illud quaeſitum* 32. *D. ad leg. Aquil. l. ult. C. ad leg. Falcid.* quoniam regula ex jure ipſo valet, etiam hoc ei cum jure commune eſt, ut ad conſequentias producatur, ut modo probavimus ex *l. debitor* 82. §. *ultim. D. de legat.* 2. *l. ultim. C. de hered. inſtit. l.* 15. *D. de legib.* Lactantius *lib.* 5. *cap.* 9. *Quoniam pietas in ſummo regulam tenens tenorem ſuum ſervaret in ceteris.* Aequitas vero quoniam certis nullis regulis ac praeceptis continetur, *d. l.* 14. *D. de diverſ. temp. praeſcript.* ad conſequentias minime producitur, etiamſi eadem ſit & aeque juſta in aliis ratio, imo etiam quandoque aequior, *l. qui negocia* 34. *D. Mandati. l. quod contra* 14. *D. de legib.* Ea etiam, quae raro fiunt, vitiant regulas, cum eorum in jure conſtituendo a legiſlatoribus ratio non habeatur, *l.* 3. & 4. *D. de legib. l.* 2. *D. ſi pars hered. pet. Novell.* 44. & 49. Nam & ita Graeci ſcribunt, nos quae non frequenter fiunt minime εἰς κανόνας παραλαμβάνειν ϰ ἄλλων ἐπὶ ἕτερον. De legibus quoque dicere poſſis, eas per privilegia vitiari: nam cum leges ſint communes *l.* 1. *D. de legib.* privilegia vero ſpecialia & priva, quod per privilegia ſtatuitur, id ad corruptionem communium legum introductum eſſe dicitur, *Novel.* VII. Ex his conſtat, regulam tunc officium ſuum perdere, cum ad ſimiles caſus trahi & extendi nequit; cum ſit in primis regulae munus, ut ad conſequentias & ſimiles caſus produci poſſit, *l.* 15. *D. de legib.* Cum itaque aliquid ex aequitate ſtatuitur contra tenorem juris, quia vitiatur jus: ideoque etiam regula, quae ſemper ex jure deſcendit, nunquam ex aequitate, ſuo officio minime fungitur regula, quoniam hoc in caſu produci non poteſt ad conſequentiam, nec efficere ut ibi ſit idem jus, ubi eadem eſt ratio, quod regulae maxime proprium eſt. Haec ſunt, quae potiſſimum ad hanc legem dicenda putavi, quibus & illud addam, regulas juris tam late fere patere, quam jus, neque ullam eſſe fere legem aliamve juris conſtitutionem, quae non ſuam regulam habere videatur. Unde legum regulae pro ipſis regulis ſumuntur, *Novell. Theod. de teſtament. l. Sancimus* 6. *C. de advoc. diverſ. judic.* & pro ipſo jure, *l.* 2. *D. locati*, ubi locatio & conductio uſdem cum emptione & venditione *regulis* contineri dicitur. Seneca quoque *lib.* 2. *de ira cap.* 27. regulam juris aperte refert inter leges & publicas tabulas. Sic enim ille: *Quis eſt iſte, qui ſe profitetur omnibus legibus innocentem, ut hoc ita ſit, quam anguſta innocentia eſt ad legem bonum eſſe? Quanto latius officiorum patet, quam juris regula? Quam multa pietas, humanitas, liberalitas, juſtitia, fides exigunt, quae omnia extra publicas tabulas ſunt?* Equidem in *tit. de regulis Juris* ejusmodi proponitur ſententiae pro regulis juris, quae haec non tenentibus minime regulae videntur, quales ſunt *l.* 2. *l.* 28. *l.* 62. *l.* 65. *l.* 73. §. 2. *l.* 191. Quas quaeſo, etiam referunt ſententias libris ſuis *Regularum* Neratius, Pomponius, Scaevola, Gajus, Ulpianus, Paulus, Martianus, Modeſtinus, Rufinus? Non certe, quas quidam ſolum vocandas regulas putant, κύριας quasdam, δόξας & ἀφορισμούς. Quamobrem idem ſignificare regulam puto, quod legis index apud Ciceron. 1. *Philipp. cap.* 8. ſignificat: *Hic eſt*, inquit Cicero, *legis index, ut ii rei in tertia decuria judicent, qui libere judicare non audeant*, & quod argumentum legis ac juris dicimus, *l. qui filium* 77. *in fin. D. ad SCtum Trebell. l. hereditas* 34. *D. de acquir. rer. domin.* Non nego tamen, quin regulae maxime & proprie accipiantur eo modo, quo illi accipiunt. Sed de his ſatis.

CA-

Digitized by Google

eaque de re quaedam explicatae leges.

Qui ajunt, intereſſe utrum teſtator dixerit, *quicquid ex bonis ſupererit poſt mortem tuam reſtituas*, ut hoc caſu fructus reſtitui debeant, an *quicquid ex hereditate ſupererit*, ut hoc fideicommiſſo fructus in reſtitutionem non veniant, ſatis refelluntur *l quod his verbis* 83. *in princ. D. de legat.* 3. *l. heredes* 57 *in princ. D. ad SCtum Trebell.* ubi expreſſe dicitur, in fideicommiſſo hoc, *Quicquid ex hereditate boniſve ad te pervenerit*, fructus non contineri. Qui etiam intereſſe putant, utrum teſtator dixerit: *Quod ex hereditate pervenerit*; utrum: *Quod ex hereditate ſuperfuerit*, ut in hoc fideicommiſſum fructus reſtituendi veniant, in illud minime, refelluntur *l.* 3. *§. cum Pollidius* 3. *D. de uſur. l.* 2. *§. ultim. D. de dol. praeleg.* in quibus in fideicommiſſo, *Quicquid ex bonis vel hereditate pervenerit*, fructus reſtitui dicuntur. Hae igitur diſtinctiones cum non valeant ad conciliationem legum, quaerenda & invenienda eſt nobis alia. Animadverti, quod fructus hoc fideicommiſſo, *Quicquid ex hereditate boniſve pervenerit vel ſupererit*, modo reſtitui dicuntur, modo non, ita intelligendum eſſe, ut non reſtituantur, ſi de teſtatoris voluntate hac in re non conſtet, reſtituantur, cum de ea conſtat. Unde quando reſtituendos eſſe, vel non reſtituendos ajunt Jcti, fere ſemper addere ſolent, id de voluntate teſtatoris eſſe, ut in *l.* 3. *§. nonnunquam* 2. *D. de uſur. Ita quod ex fructibus ſupererit jure voluntatis reſtitui oportebit.* In *l. Balliſta* 32. *D. ad SCtum Trebell. Ex his verbis, quae proponis, exiſtimo etiam fructus, quos ex hereditate percepit, reſtituere eum debere.* In *l. quod his verbis* 83. *in princ. D. de legat.* 3. *Nec enim quicquam proponi ex quo de his quoque reſtituendis teſtatricem rogaſſe probari poteſt.* In *l. heredes* 57. *in princ. D. ad SCtum Trebell. Nihil de fructibus pendente conditione perceptis petitum videri conſtitit.* In his enim omnibus legibus de fideicommiſſo agitur, quo rogatus eſt quis, quicquid ex hereditate boniſve ad ſe perveniſſet, reſtituere. Regula eſt: Non videtur rogatus reſtituere fructus, cujus fideicommiſſum reſtituere quicquid ad ſe ex hereditate pervenit. Exceptio eſt, Niſi alia mens teſtatoris appareat. Regula proponitur in *l. deducta* 58. *§. penult. D. ad SCtum Trebell.* in quo male Cujac. *lib.* 12. *obſ. cap* 10. negationem detrahit, quod ſatis oſtendit, quae additur in eo clauſula: *Cum ea verba diminutionem quidem hereditatis admittunt, fructuum autem additamentum non recipiant.* Nam *fructuum additamentum non recipere* illa verba, ait Papinianus, reſpiciens ad fideicommiſſarium, non ut putat Cujacius ad heredem ſcriptum & rogatum reſtituere hereditatem: hocque ſignificat hujuſmodi legatum non poſſe fructuum additamentum recipere, quamvis quidem minuatur, ita ut fideicommiſſarius poſſit minus recipere.

CAPUT XII.

De iis, quae jure magiſtratus competunt. Quando pater filium vel filius patrem judicem habere poſſit: & alia quaedam.

Sunt quae jure magiſtratus haberi ac competere dicuntur, *l.* 1. *in princip. D. de offic. ejus cui mandat. l. more majorum* 5. *D. de Juriſdict.* Magiſtratum cum dicimus, eum intelligimus, qui ordinarie, non extraordinarie jus dicit, *l.* 2. *§. & haec omnia* 33. *D. de orig. Jur. l. ſi in aliam* 7. *§. ultim. D. de offic. proconſ.* Sueton. *in Tiber. cap.* 31. *Caetera quoque, non niſi per magiſtratum & jure ordinario agebantur.* In jure

magiſtratum quod ad jus publicum attinet non ſequi jus poteſtatis ſuae, ac ſi diceret JCtus, magiſtratum in ordinariis judiciis poteſtatem ingenii, quam habet, non ſequi: quod & probat *l.* 1. *D. Si ventr. nomin. mul.* ſed in extraordinariis tantum, *l. penult. §.* 1. *D. Ne vis fiat ei qui in poſſeſſ. miſſ. l.* 1. *D. Si quis jus dicent. non obtemp.* Eſt etenim alia juris, alia publici judicii poteſtas, *l.* 1. *C. de teſtam. manum. l. qui id quod* 33. *in princ. D. de donat.* adeo ut multa, qua jure denegantur, judicii poteſtate tribuantur, *l. hereditas* 50. *in fin. D. de heredit. petit. l. filiusf.* 114. *§. ſecundum vulgarem* 8. *D. de legat.* 1. conjuncta *l. ſi cui legatum* 92. *§.* 1. *D. de cond. & demonſt.* Atque in judiciis publicis magiſtratus, ſi quam habent poteſtatem, ea uti poſſunt, in jure ordinario non poſſunt: id eſt, judices, qui magiſtratus ſunt, in publicis judiciis uti poſſunt ſuo, hoc eſt, magiſtratus jure, & etiam jure poteſtatis ſuae, ſi quam habent: quod jus eis non competit quatenus ſunt magiſtratus, ſed alio extraordinario & ſpeciali privilegio. In jure ordinario, quoniam juris potius, quam judicii vigor ſpectatur, magiſtratus, qui poteſtatem ſpecialem habent, exercere eam utique non poſſunt, ſed contenti eſſe debent jure, quod magiſtratus conditio tribuit. Itaque poſſis dicere, magiſtratum eo caſu vere magiſtratum eſſe, cum magiſtratus, ſi proprie loqui velimus, ſit is, qui poteſtate praeditus non eſt, & ideo magiſtratus ſeparatur ab eo, qui poteſtatem habet, *l. eum qui* 13. *D. de Juriſd. l.* 3. *§. ultim. D. de recept. arbitr. l. qui furere* 20. *D. de ſtatu homin.* Et ſi quandoque poteſtas tribuitur magiſtratui, *l. poteſtatis* 215. *D. de verbor. ſignificat.* ut imperium *l.* 2. *D. de adopt. l.* 2. *D. de in jus vocand. l.* 4. *D. de recept. arbitr.* intelligere oportet eam poteſtatem idque imperium, quam quodve alio, quam magiſtratus jure habet, cum ea magiſtratus minime jure ſuo habeat, *l.* 3. *D. de Juriſd.* Hinc quod dicitur in *l. in privatis* 77. *& l. ſeq.* patrem poſſe judicem eſſe filio, & contra filium patri, quoniam judicandi munus ſit publicum, ſic accipio, ut ideo filius patri judex eſſe poſſit & viciſſim pater filio, quoniam judicare eſt ordinarii judicii & publici juris, ideoque magiſtratus judex poteſtatem in ea re ſuam exercere non poteſt, quod maxime convenit cum *d. l.* nam quod ad jus, juncto *§. ultim.* legi, quae praecedit. E diverſo igitur in extraordinariis judiciis, in quibus magiſtratus poteſtatem ſuam exercere poteſt, filius magiſtratus patri jus dicere non poteſt, & contra pater filio, *l. qui jurisdictioni* 10. *D. de Juriſd.* Quod magiſtratus jure competit more majorum competere, mandari, transferri dicitur, *l.* 1. *§. qui mandatam* 1. *D. de offic. ejus cui mand. eſt juriſd. l. more majorum* 8. *D. de juriſd. l. magiſtratus* 25. *D. ad municip.* Itaque in *l. pen. D. de Juſtit. & jure.* Haec verba, *ſalvo more majorum*, jurisdictionem denotant, illa vero, *ſalva majeſtate imperii ſui*, poteſtatem ac imperium merum ſignificant. In *l. cum praetor* 12. *§.* 1. *D. de Judic.* recte videtur abeſſe vox *more*, in quibusdam libris; item *ſi quibus id more conceſſum eſt propter vim imperii.* Nam quod conceditur propter vim imperii, id non more, ſed ſpeciali lege & conſtitutione tribuitur: aut certe dicendum eſt, *imperii* verbo mixtum imperium comprehendi, non merum, & ita retinenda erit vox *more*; idque probabilius videtur.

CA-

Digitized by Google

tionem 15. §. 27. *verſ. Haec autem fere. eod.* Juſtin. *hiſtor. lib. 36. cap. 4. Poſt hanc ſceleſtam violentiae rabiem ſqualidam veſtem ſumit, barbam capillumque in modum reorum ſummittit.* Q. Curtius *lib. 6. cap. 9. Tunc Philotam, religatis poſt tergum manibus, obſoleto amiculo velatum juſſit induci.* Sueton. *in Claud. cap. 15.* Sidon. Apollin. *Epiſt. 7. lib. 1.* Caeſar *de bell. Alexand. cap. 67. Neque tantum privato veſtitu, ſed etiam reorum habitu.* Hujuſmodi autem veſtis erat pannis (unde *panniclaria* dicta) conſuta, quibus etiam pauperes abjectique utebantur. Seneca *lib. 5. de Benefic. cap. 13. Sic qui male veſtitum & pannoſum vidit, nudum ſe vidiſſe dicit.* Idem *Epiſt. 20. Alioqui leve argumentum eſt bonae voluntatis grabatus aut pannus, niſi apparuit aliquem illa non neceſſitate pati, ſed malle.* Comicus *in Eunuch. Act. 2. ſc. 2. v. 5. Video ſentum ſqualidum aegrum pannis annisque obſitum.* Autor Phaenic. *apud Lactant. v. 19. .... Egeſtas obſita pannis.* Juſtin. *hiſtor. lib. 21. cap. 5. pannoſus & ſqualidus.* A *pannis* igitur dicuntur *panniclaria*, quae ſunt veſtes, quibus in reatu criminali conſtitutus induitur, vel, ut ait Ulpianus: *ſunt ea, quae in cuſtodiam receptus ſecum attulit.* Ab his differunt *Spolia*, quae ſunt veſtes, *quibus indutus eſt reus, cum ad ſupplicium ducitur: idque ipſa oſtendit appellatio*, inquit Ulpianus: quia ſpoliari reus non poterat, niſi poſt condemnationem; non autem quando in carcerem ducebatur, ut reſcripſerat Adrianus Imperator, *l. 2. d. tit. D. de bon. damnat.* Inde apud alios autores *ſpoliari* dicuntur rei, quando ad ſupplicium deſtinantur. Valerius Maximus *lib. 2. cap. 2. Magiſter equitum & victor ſciſſa veſte* SPOLIATOQUE *corpore lictorum verberibus laceratus.* Livius *lib. 8. cap. 32. Tunc Papyrius redintegrata ira* SPOLIARI *magiſtrum equitum, ac virgas ac ſecures expediri juſſit.* Quapropter in noſtra lege ita legendum eſt omnino: PANNICULARIA *ſunt ea, quae in cuſtodiam receptus ſecum attulit.* SPOLIA, *quibus indutus eſt, cum quis ad ſupplicium ducitur.* De *pannicular iis* amplius videamus. *Pannicularia* non ſunt, quae reus in Zona circa ſe habuit. Recte! quia in Zona res precioſae, ut aurum, argentum; non autem ea, quae ad victum ſolum neceſſaria gerebantur. Suet *in Vitell. cap. antep. Zona ſe aureorum plena circumdedit.* Egeſippus *lib. 5 cap. 24. auro & argento ſuccinctos* dixit. Refert liber *officior. Conſtantinop.* tyrannos ideo ademiſſe Chriſtianis hominibus condemnatis Zonam & Στρεπλὶν, ut omnem eorum fortunam ſubſtantiamque haberent; ubi idem explicat, quid ſit στρεπλὶν his verbis: Στρεπλὶν ἐςὶν ἐλλαλάμψ@ γυναὶς ἐν τελῶν πεπλεγμένη@ χάλατος χρυσίου ὅπως ἰφίεσιν ἐπὶ τραχήλα. Eodem ſenſu paulo ante dixit χρυσοπλόκιον ἄργυρον. Recte autem ait ἐν τραχήλα, quia res magni pretii fere gerebantur in ſinu. Seneca *epiſt. 20.* & *epiſtol. 119.* Ovid. *Amor. lib. 1. El. 10. v. 12.*

Quo precium condat non habet ille ſinum.

Quintil. *declamat. 5. in fin. Et ego quidem rogabo qui ſoleo, ſed in tuos ſinus populus congeret ſtipes.* Inde in *l. qui teſtamentum 27. D de probat. Fortunam & ſubſtantiam in ſinu habere*; & in *hac ipſa lege: Vel ſi quod chirographum magnae pecuniae in ſinu habuerit.* Illa verba in *hac lege, Pannicularia* &c. ſunt adhuc ex Adriani conſtitutione: itaque verbum *ultro* in ea ſignificat *prius*, ut in *l. 2. in. princ. D de lege Rhodia. l. 1. §. interdictum 6. D. uti poſſidetis.* Vult enim Imperat. Adrianus non prius *ſpoliari* reum debcre, quam ſi damnatus ſit: idque etiam refert Adrianum reſcripſiſſe Calliſtratus in *l. 2. eod.*

improprie *ſequeſtrem* eſſe, cui alio, quam cuſtodiae ſolius propoſito res committitur, quique alia, quam cuſtodiae lege rem deponendam accipit. Quod cum ita ſit, apparet tum proprie, tum improprie accipi *ſequeſtrum*, & modo dici pro cuſtodiae depoſitione, modo pro alio aliquo depoſito. Certe hoc etiam ex Juliano apparet, *ſequeſtrum* ita proprie accipi de cuſtodia, ut ſemper in deponendo ad ſolam cuſtodiam depoſitum videatur, niſi aliquid ſpecialiter in contrarium actum fuiſſe aperte probetur, *l. intereſſe 39. D. de acquirend. poſſeſſ.* Quamobrem qui praeter cuſtodiam quid amplius in *ſequeſtro* requirit, ut qui non ſolam cuſtodiam, ſed poſſeſſionis quoque translationem in eo ſpectari ait, de *ſequeſtro* proprie non loquitur, ſed improprie *ſequeſtrum* intelligit. Hoc cum conſtet, *ſequeſtrum* eſſe proprie, quando cuſtodia apud aliquem deponitur, ſed non poſſeſſio ſimul, aut dominium: conſtet etiam, tum demum in *ſequeſtro* deponi poſſeſſionem aut dominium, quando non ipſa res deponitur, qua de controverſia eſt, ſed aliud aliquod pignus ſponſionis, quod ferat qui vicerit, *l. ſi gratuitam 17. §. ultim. D. de praeſcript. verb.* apparet toties in *ſequeſtro* poſſeſſionem transferri, quoties deponitur non ipſa res, qua de agitur in judicio, ſed aliud quid pro pignore ejus, de quo eſt actio. Quare quod *ſequeſtrum* dicitur quod, cum quaeſtio eſt in judicio, deponitur, *l. ſequeſter 110. D. de Verb. ſignif. l. 5. C. quor. appell. non recip. l. Imp. 21. §. ult. D. de appellat.* de proprio *ſequeſtro* id intelligendum eſt, quo ſola cuſtodia traditur, ut ſupra dictum. Toties igitur proprie *ſequeſtrum* accipitur, quoties ipſa res deponitur, de qua controverſia eſt; improprie vero quoties non ipſa res, ſed aliud aliquid ſponſionis gratia. Et in proprio *ſequeſtro* datur depoſiti ſequeſtraria actio, *l. 5. §. 1. l. ſi in Aſia 12. §. cum ſequeſtre 2. D. depoſiti.* quia poſſeſſio nunquam a deponente abſceſſit; in improprio vero non datur depoſiti, ſed praeſcriptis verbis actio, quia, qui depoſuit poſſeſſionem, & dominium habere deſiit, *l. 17. § ultim. D. de praeſcript. verb.* Atque haec eſt dubitandi ratio in *l. 9. §. Labeo 3. D. de dolo malo.* in qua qui rem depoſuit, de qua controverſia erat, eam repetere non poteſt ſequeſtraria, quia ei nondum adjudicata ſit, nec ejus eſſe declarata eſt per ſententiam judicis: itaque interim tantum aget praeſcriptis verbis, ad exemplum *ſequeſtri* improprii. Haec cum ita ſint, notandum, eſt *l. licet deponere 17. D. depoſit.* de *ſequeſtro* improprio eſſe, itaque in eo recte poni, apud *ſequeſtrum* depoſitum fuiſſe, eum res aliqua in controverſiam deduceretur, non autem depoſitam fuiſſe rem ipſam controverſam, ut in proprio *ſequeſtro* fieri ſolet. Quare recte ſtatuit illa lex ea depoſitione (his verbis utitur lex, quae notanda ſunt) hoc agi videri, ut in ſequeſtrem poſſeſſio transferatur. Ex his, quae dicta ſunt, manifeſta eſt duarum legum conciliatio, *l. intereſſe 39. D. de acquir. poſſeſſ. l. licet deponere 17. D. depoſiti.* in quarum hac ſtatuitur, in *ſequeſtro* poſſeſſionem transferri, quoniam de improprio *ſequeſtro* loquitur; in illa negatur transferri, quae cum de proprio *ſequeſtro* ſit, non contraria eſt, *d. l. 39.*

CAPUT XV.

De Sequeſtre amplius.

Quod apud *ſequeſtrem* deponitur, tamdiu apud eum manere debet, quamdiu lis durat & finita controverſia non eſt, *l. 5. C. quorum appell. non* re-

heo 3. *D. de dolo. l.* 5. *§. ultim. D. depoſiti:* in quibus omnis dubitationis ratio pendet ex eo, quod diximus, apud *ſequeſtrum* depoſitum non ante repeti, quam res judicata ſuerit, & lis finem acceperit, optima ratione, quoniam cum victori rem reddere debeat, *l. ſi grasuitam* 17. *§. ultim. D de praeſcript. verb. l. intereſſe* 39. *D. de acquir. poſſeſ. l. litigatores* 11. *§.* 2. *verſ. Quidergo. D. de recept. arbitr.* victor non eſt, niſi qui in lite ſuperior extitit: adeo ut ſi ſententia extinguatur appellatione, res adhuc deponenda ſit, *l.* 5 *C. quorum appell. non recip.* quia victus non videtur, qui provocat, *l.* 2. *D. de poenis:* & ita victor non eſt, cujus adverſarius victus dici non poteſt, ut eſt apud Ennium *in fragment. Servis* (*p.* 133. *Ed. Heſſ.*) *Qui vicit non eſt victor, niſi victu fatetur.* Item quoniam res depoſita apud *ſequeſtrum* ab utraque parte deducitur, ut de ea litigetur, *l. ultim. C. quib. ad libert. proclam. non licet*, quamdiu igitur litigant adverſarii, res depoſita reddi non poteſt. Quod apud *ſequeſtrem* deponitur, in medio jure collocari dicitur, *l. ultim. C quando ad libert. proclam. non licet*, ſi in ea legamus, ut eſt in veteribus libris & Codice Theodoſ. & in *l.* 8. *C. quand. provoc. non licet.* Graeci, ut oſtendit Cujacius, in depoſito interpretantur, *in medio jure*, *ἐν μέσῳ τῷ δικαίῳ*. Similique fere modo Imperator de ſe in *l. omnium* 19. *§.* 1. *C. de teſtament. Nobis mediis & toto jure, quod ſcriniis noſtris eſt conſtitutum, teſte ſuccedit*, & in *l.* 2. *C. de his qui in Eccleſ. Sine aliquo juris teſte & interprete*, eſt ſine aliqua media perſona; & in *l. ubi falſi* 22. *C. ad legat. Cornel. de falſ. judex medius* dicitur, quod debeat ſervare, quae ſentiat, donec ſententia aperit, quid ſibi liqueat. Quod Modeſtinus ait, *ſequeſtrem dici ab eo, quod occurrenti aut quaſi ſequenti eos, qui contendunt, committitur*, *l. ſequeſter* 110. *de verb. ſignif.* ſic exaudio, quaſi dixiſſet, *ſequeſtrem* dictum eſſe ab eo, quod committatur intervenienti & medium ſe interponenti: ut *ſequeſtrem* non ab eo dici velit Modeſtinus, ut quidam volunt, quod ſequatur eos, qui contendunt, ſed ab eo, quod fidei ejus committatur, poſtquam ſe obtulit, aut electus depoſitum recepit, ut eadem ſit Modeſtini, quae Gellii derivatio, *ſequeſtrem* dictum eſſe, quod ejus fidem pars utraque ſequatur. Et quod ait occurrenti aut quaſi ſequenti, duo notat tacite *ſequeſtri* genera, unum, quando quis ſponte ſua ſe ac ſuam operam contendentibus offert; alterum, quando quis electus electionem approbat, ac eorum judicium ſequitur, a quibus electus eſt, qui dicitur vir bonus, ab utraque parte electus, apud quem deponatur, *l.* 5. § 1 *D. ut legat. nomin. caveatur.* Priori ſimilis eſt ille, de quo Virgil. 7. *Aeneid. vſ.* 536.

Dum medium paci ſe offert juſtiſſimus unus.

In quo verſu qui dicitur *medius pacis*, a Lucano *lib.* 10 *vſ* 472 *pacis ſequeſter* appellatur, & a Seneca *publicae gratiae ſequeſter.* Idem enim ſignificat *medius*, quod *ſequeſter.* Fabius *lib.* 12. *cap.* 8. *Quomodo autem ſequeſter ille & media litium manus, & quidam interpres.* Quo ex loco etiam apparet, *interpretis* nomen idem valere, ac pro *ſequeſtre* accipi: ut & apud Livium *lib.* 2. *cap.* 33. *in fin. Huic interpreti arbitroque concordiae civium.* & apud Aſcon. *Verr.* 2. *l.* 2. *C. de his qui in Eccleſ.* Ergo ab eo, quod fidem ejus ſequantur alii, non ab eo, quod aliorum fidem ſequatur, dictus eſt *ſequeſter:* & *committere*, in *d. l ſequeſter*, nihil eſt aliud, quam fidem ſequi aut committere alicujus fidei. Alioqui ſi dixerimus dictum ab eo *ſequeſtrem*, quod ſequatur fidem, nihil durius eo, quod ait Modeſtinus, ob occurrendo & ſequendo dictum, cum *guntur. l. acceptam* 9. *C. de uſur. l.* 1. *§. ſuper peculio* 1. *C. de aſſert. tollend.* Illa vero verba, *oportet rem litigioſam arbitratu judicis apud aedem aliquam deponi*, hoc potius ſignificare videntur, nullo alio in loco rem deponi, quam in aede ſacra; ſed ſi id faciendum judex arbitratus ſit. In *d. l.* 7. *§. ultim. apud officium* eſt apud aedem publicam, quoniam publicae perſonae ac officiales curam habebant aedium publicarum, *l.* 1. *§. ſin autem* 2. *C. de commun. ſervo manumiſſ. l. moris* 9. *§.* 8. *D. de poenis.*

CAPUT XVI.

Mos Imperatorum reſcribendi ad libellos Verbis Juriſconſultorum & vera lectio l. Lucius 21. §. ultim. D. ad municipal.

Hic morem notabo, qui ab Imperatoribus in reſcriptis obſervari ſolebat. Sciendum eſt, reſcripta Imperatorum nihil aliud plerunque fuiſſe, quam ipſorum Juriſconſultorum reſponſa ſeu opiniones, libellis eorum, qui Imperatores conſulebant, relatas, ut eas Imperatores ſuis reſcriptis vel confirmarent, ſi probarentur, vel rejicerent, ſi rejiciendae viderentur. Unde Imperator Alexander in *l.* 4. *C. de contrah. ſtipul. Secundum reſponſum Domitii Ulpiani, praefecti annonae, Jcti, amici mei, ea quae ſtipulata eſt* &c. et in *l. ſi lis* 11. *C. ad legem Cornel. de falſ.* Imperatores Diocletianus & Maxim. *Juxta reſponſum viri prudentiſſimi Pauli requiretur.* Huic rei facem etiam praefert vetus Veſpaſiani reſcriptum, ad libellum ſibi oblatum: *Si qua nova addicere vultis, Proconſ. adire debebitis. Ego enim nullo reſpondente conſtituere nihil poſſum.* Imperatores igitur reſcribebant ex reſponſis magiſtratuum & Juriſconſultorum. Et hoc eſt, quod ſaepenumero ſolet addi in reſcriptis Imperatorum, *ſic reſponſum eſſe*; ut in *l.* 3. *C. de acquir. poſſeſ. ſicut reſponſo Papiniani continetur:* in *l.* 6. *C. de nupt. reſponſum viri prudentiſſimi Pauli declarat:* in *l. poſtquam* 7. *C. de hered. vendit. ſicut reſponſum eſt:* in *l.* 3. *C. in quibus cauſis pignus vel hypotheca nulli prudentum placuit:* in *l.* 2. *C. Hermog. de Calum. ſicut reſponſis prudentum continetur.* Quod autem dixi ſolitos fuiſſe eos, qui libellos principibus offerebant, prudentum reſponſa iis inſerere, id probo ex *l. utere* 14. *C. de praed. minor. Utere viri prudentiſſimi Papiniani reſponſo, caeterorumque, quorum precibus feciſti mentionem ſententiis:* ex *l. cum reſponſo* 12. *C. de legat. Cum reſponſo viri prudentiſſimi Papiniani, quod precibus inſertum eſt* &c. Atque hoc eſt, quod ſaepenumero Juriſconſultorum ſententiae Imperatorum reſcriptis *juvari ac confirmari* dicuntur, *l. legato* 37. *D. de legat.* 1. *l. poſtumus* 6. *§. ultim. D. de inoff. teſtament. l. divi fratres* 17. *D. de jure patron. & alibi.* Haec cum ita ſint, mirum videri non debet, quod Imperatorum reſcripta eadem plerumque verba habent, quae Juriſconſultorum reſponſa ac ſententiae. Cujus rei hoc in loco exempla quaedam proponere placet, ut ita vindicetur ab emendatione *l. Lucius* 21. *§. ultim. D. ad municip.* de qua poſtea dicemus. Ac primum prodeat *l.* 6. *C. de nuptiis:* qua in lege Imperator Gordianus verba Pauli, cum ejus mentione, ita expreſſit, ut in eo reſcripto videatur Imperator ipſe ſecundas, ut ſic dicam, egiſſe. Pauli autem reſponſum iiſdem verbis extat in *l. eos qui* 65. *§.* 1. *D. de ritu nupt.* Ejuſdem Pauli verba, quae extant *lib.* 5. *Sentent. tit.* 15. expreſſerunt Imperatores Dioclet. & Maxim. in *l.* 6. *C. de teſtibus.* Imperatores quoque Severus & Antoninus duobus in locis Pauli ſententiam uſurparunt, in *l.* 1. *C. de praeſcript.*

Digitized by Google

plerique omnes locum aliter legendum putarunt, & ubi ſcriptum eſt, *idem* (id eſt Paulus) *reſpondit*, emendarunt, ac ipſe Cujac. *lib.* 2. *obſerv. cap.* 23. *Iidem* (ſcilicet Imperatores) *reſcripſerunt.* Illud hic addendum videtur, principes ſuos habuiſſe quaeſtores, qui eos monerent, quod potiſſimum ſequerentur reſponſum inter tot, tam multa ac tam varia ſaepenumero prudentum reſponſa; quod probat *l. ultim. C. de diverſ. reſcript. Novell.* 83. 114. & *Novell. Valentin. de homicid.* Unde in *l. reſcriptum* 12. *D. de diſtract. pignor. Reſcriptum eſt ab Imperatore, libellos agente Papiniano.* Lamprid. in *Alexand. cap.* 31. *Relegentibus cuncta librariis & iis, qui ſcrinium gerebant, ita ut Alexander ſua manu adderet, ſi quid eſſet addendum, ſed ex ejus ſententia, qui diſertior habebatur.* Symmach. *Epiſt.* 52. *lib.* 5. *Reſcriptorum omnium fama te reſpicit.*

CAPUT XVII.

Declarata l. 2. D. de in jus vocando.

QUo in loco *legis* 2. *D. de in jus vocando* legitur, *Eum, qui in cauſa publica transvehatur*, in jus vocari non debere, quidam, pro *in cauſa publica*, *in capitolium* legendum putant, itaque emendant. Id enim transvectionis genus notari ab Ulpiano arbitrantur, quando equites Romani Idibus Julii ab aede Honoris equis inſidentes in Capitolium tranſibant. Nonnulli etiam pro illis verbis ſubſtituunt *in cenſu publice*, & ad illam transvectionem referunt, quando equites Romani poſt militiae ſtipendia, equis etiam inſidentes, per forum transibant & rationes reddebant, quantum temporis & quibus ſub ducibus meruerant, ut eos Cenſores vel honeſta vel ignominioſa dimitterent miſſione. Sed videamus, ecquid afferri poſſit, quod lectionem omnium librorum conſenſu & autoritate firmatam tueri queat. Suetonii quidem locus, quo tamen alii ad ſuam abutuntur ſententiam, huc mirifice facit. Sic enim ille in *Octavio cap.* 38. *Equitum turmas frequenter recognovit poſt longam intercapedinem, reducto jure transvectionis, ſed neque detrahi quemquam in transvehendo ab accuſatore paſſus eſt, quod fieri ſolebat. Ex ſenio vel aliqua corporis labe inſignibus permiſit, praemiſſo in ordine equo, ad reſpondendum quoties citarentur pedibus venire, mox reddendi equi gratiam fecit eis, qui majores annorum quinque & quadraginta retinere eum nollent.* Vides ex hoc loco, equos in foro, &, ut ait Suetonius, in ordine adhiberi ſolitos fuiſſe. Poſtremis autem Suetonii verbis idem contineri puto, quod jam fuerat ante in XII. Tabul. ita ut Octavianus videatur jus XII. Tabul. hac in re in uſum reduxiſſe. Voluerunt enim XII. Tabul. ſi aeger vel ſenex in jus vocatus eſſet, ut jumentum daretur, aut ſi nollet ille, ut accipere cogi non poſſet. Verba XII. Tabul. ita legenda ſunt: *Si in jus vocato morbus aevitasve vitium eſcit: qui in jus vocaſſit jumentum dato, ſi nolet, arceram ne ſternito. Eſcit* pro *ſit*, ut alio in loco XII. Tabul. apud Feſtum in *Nec. Aſi ei cuſtos nec eſcit*, & apud Ennium VIII. *Annal.* (*pag.* 85. *Ed. Heſſ.*)

Quin & mortalem ſummum fortuna repente
Reddite, e ſummo ut regno famul optimus eſcit.

Sed ut de equis, qui in publica cauſa habeantur, amplius agamus, huc pertinere nonnihil videtur Martial. *lib* 8. *Epigr.* 44. dum ait:

Foroque triplici ſparſus ante equos omnes,
Aedemque Martis & Coloſſon Auguſti.

Cauſidicum medio cum faber aptat equo.

Carolus Magnus apud Naucler. *Si advocatus placitare voluerit, ut non pluribus, quam triginta equis, ad placitandum venias.* Neſcio etiam, an ad transvectionis morem reſpexerit Julianus *Novell.* 69. cum ait *facere litigatorem tranſire.* Nihil enim affirmare hic libet, quamvis quidem, quae diximus, veriora eſſe exiſtimem iis, quae de transvectionis alio genere ab aliis referuntur. Si quid aliud hac de re mihi inter legendum offeratur, harum rerum avidis id minime invidebo.

CAPUT XVIII.

Error jus facit, ad l. 3. D. de ſupell. legat.

ERror jus facit, inquit *l.* 3. §. *ultim. D. de ſupell. legat.* ubi non error privatus vel unius hominis, id eſt, ſolius teſtatoris, ut plerique, ſecuti Graecorum interpretationem, putant, ſed error publicus intelligitur: quod ſatis confirmant illa ipſius Pauli verba, hodie propter uſum imperitorum, non ergo propter ſolius teſtatoris erroneam voluntatem. In ea enim lege agitur de iis, quae non unius praeſumtione, ſed quae publice & totius populi ore ita putantur: quia ibi Paulus disputat de candelabris argenteis, quae ait ſupellectilis antiquitus non fuiſſe, propter ſeculi ſeveritatem, non admittentis adhuc ſupellectilem argenteam; aliud tamen ſuo tempore obtinere, ut & Papinianus, de eadem re tractans, ait, in *l. legata* 9. §. 1. *eod. Poſterior aetas recepit.* & Celſus in *l.* 7. §. 1. *eod. Moribus civitatis & uſu rerum ſupellectilem eſſe mutatam, quoniam cum veteres uterentur fictili, lignea, vitrea, aerea ſupellectili: poſteriores uti coeperunt ebore, teſtudine, argento, auro, & gemmis pro ſupellectile.* Etenim prior aetas ſupellectilem argenteam non admittebat, & ideo aliter reſpondiſſent veteres JCti, quam ut reſpondent Paulus & Papinianus. *Error* itaque, qui publicus conſuetudine factus eſt, *jus facit*, ut in *l. quod non ratione* 39. *D. de legibus.* & apud Senecam aliquot in locis, ut *Epiſt.* 123. Recte apud nos locum tenet, *error* ubi publicus factus eſt. Fuit quidem hac de re inter Tuberonem & Servium diſputatio. Servius enim putabat, defuncti voluntatem ſemper ex communi loquendi uſu interpretationem capere, eamque intelligi ex recepta & approbata loquendi forma: Tubero contra ſolam defuncti voluntatem ſufficere per ſe, etiamſi communis recti ſermonis uſus deficiat. Utriusque ſententiam refert Celſus, & Servii probat in *l.* 7. *D. de ſupel. legat.* quam probabiliorem certe exiſtimo, alioſque juris noſtri autores approbaſſe non dubito. Unde Ulpian. in *l. librorum* 52. §. *quod tamen* 4. *D de legat.* 3. cum dixiſſet, *niſi nos urſerit voluntas*, recte addit poſtea, *quia in uſu plerique libros appellant:* & Celſus, cum dixiſſet, veriſimilius eſſe mentem teſtantis fuiſſe, ut legato vino & amphoras acceſſioni eſſe voluerit, adjicit: *ſic loquimur, habere nos amphoras mille, ad menſuram vini referentes*, *l.* 3. §. 1. *D. de tritic. vino oleo legat.* Sic Papinianus, cum dixiſſet, in *l cum pater* 77. §. *fidei tuae* 12. *D. de legat.* 2. *Nam ordo ſcripturae non impedit cauſam juris ac voluntatis:* recte addidit *juris*, quaſi dicere voluiſſet juſtae voluntatis, quod Paulus poſt eum clarius dixit in *l* 6. *D. de ſolut. Nec enim ordo ſcripturae ſpectatur, ſed potius ex jure ſumitur id, quod agi videtur.* Error igitur ſolius defuncti jus non facit, ut in *l. ſi alii* 19. *D. de uſuf. legat. l. his verb.* 7. *C. de teſtam. milit* nec voluntas, quae profertur aliquid con-

Digitized by Google

re ſententiam ac voluntatem defuncti, quatenus communi uſu loquendi approbatur. Quod ſi in contraria fuerunt Graeci ſententia, ne eorum quidem autoritati acquieſcendum eſſe, judico plane; de qua tamen nobis alibi dabitur fortaſſin dicendi locus.

CAPUT XIX.

Qui neque ſequantur, neque ducantur.

Vocationis in jus duae ſunt viae, una ut vocatus in jus eat & ſequatur; altera, ut, niſi eat & ſequatur, invitus per manus injectionem ducatur atque trahatur: idque leges XII. Tabul. ſanciebant, in quibus ita fuit: *Si calvitur pedemve ſtruit manum endo jacito*; item: *Manus injectio eſto in jus dicito.* Livius *lib. 3. cap. 17. Si ad judicem non eat pro damnato in vincula duci jubet.* Quintil. *Declamat.* 11. *Illo per fidem trahite damnatos, quo non ſequantur.* Cicero *pro Quintio, cap. 19. In jus vocas, ſequitur.* Hinc in *l. medicos 6. C. de profeſ. & medic. lib. 10. Nec ad judicium deduci vel exhiberi* in *l. 1. §. ex hoc reſcripto 1. D. de ventr. inſpiciend. Aut exhiberi aut ducere permitti extra ordinem: l. 1. D. de interdict. de quibus exhibendis ducendis interdicta competunt: l. petitiones 5. in fine C. de advocat. diverſ. judicior. Nec exhibitionis vel deductionis onere moleſtari.* Primo igitur ſe reus in judicio exhibere ac ſiſtere debuit, id eſt, vocantem in jus eum ſequi oportuit. Cornificius *lib. 2. cap. 13. ad Herennium: Lege jus eſt id, quod populi juſſu ſancitum eſt. Quod genus eſt, ut in jus eas, cum voceris:* deinde id niſi feciſſet invitus ab actore deducebatur, aut perducebatur ad magiſtratum, ut eſt in *l. qui filium 4. D. ubi pupill. educ. debeat, l. 4. D. ad legem Juliam de vi privata*, & in edicto Praetoris apud Gellium *lib. 11. cap. 17. Si quis eorum ad me eductus fuerit.* Philoſtratus in Heliod. αὐτὰ παρήγαγεν αὐτὸν εἰς τὰ δικαστήρια ἀκούοντά τε καὶ ὃ φησιν ἴλκων. Ex quo apparet Gajum ſub hoc titulo, *Qui neque ſequantur neque ducantur*, comprehendere voluiſſe eos, qui cum in jus vocati non veniunt, inviti in jus duci non poſſunt. Hic namque titulus non fuit in edicto Praetoris, ſed in opere Gaji Jcti, edicti Praetoris interpretis: cujusmodi ſaepe ſunt tituli apud Licinium Rufinum in libris Ulpiani, Pauli, ejuſdem Gaji & aliorum Juriſconſultorum, ut Ulpianus libro *de officio Proconſulis*, ſub titulo *de ſicariis & veneficis*: Modeſtinus libro *differentiarum* 6. ſub titulo *de ſcientib. & ignorantib.* Papinianus libro *definitionum* 2. ſub titulo *de Judicatis.* Ulpianus *lib. 19. ad Edictum*, ſub titulo, *Si fatebitur injuria occiſum eſſe in ſimplum &c.* Et Gajus definivit ſub illo titulo, eum, qui ſolutus non ſit, vocari in jus non poſſe, nec ſi vocatus non ſequatur, in jus trahi poſſe, *l. 48. de verb. ſignif. l. 4. D. de in jus vocand. l. 4. §. 1. D. ſi quis cautionib.* Sunt aliae cauſae, propter quas in jus vocatus ſequi debet, qui tamen ſi vocatus non eat, duci non poteſt, ut ſi ex domo ſua in jus vocetur, *l. plerique 18.* cum *l. ſequent. D. de in jus vocand.* & alii jam ab aliis notati. Illud tamen admonendum videtur, hunc titulum, *In jus vocati ut eant, vel ſatiſdent*, ſic exaudiendum eſſe, in jus vocati ut eant vel ſatiſdent, niſi duci in jus ac trahi velint: nam qui neque ſequitur vocatus, neque ſatiſdat, manu injecta invitus trahitur, & ductus in jus ambulare cogitur.

CAPUT XX.

Ad edictum: Si quis jus dicenti non obtemperaverit.

Quemadmodum qui in jus vocatus non ſequitur, invitus duci ac trahi poteſt, ita res, qua de agitur, ultra quod res progredi nequit, ac ſummum ac perfectum in re aliqua punctum. Cicero 1. *Offic. cap. 17. Efficitur id quod Pythagoras ultimum in amicitia putavit, ut unus fiat ex pluribus.* Tacitus in *praefat. vitae Agricol. Dedimus profecto grande patientiae documentum, ut ſicut aetas vidit quid ultimum in libertate eſſet, ita nos quid in ſervitute.* Summum vero & ultimum in jurisdictione eſſe puto extraordinarium auxilium, ultra quod jurisdictio non extenditur. *§. 4. verſ. Septima. Inſtit. de bonor. poſſeſ.* Extraordinarium etenim auxilium eſt, quod neceſſitatem ſummam habet, ut quod non niſi neceſſario a jus dicente impertiatur, *l. 4. C. de aedific. privat. l. decreto 24. D. de adminiſt. tutor.* Unde fit, ut tum demum detur, quando jus dicens aut magiſtratus ſummo ac mero jure ſuae poteſtatis utitur. In extraordinariis enim tantum auxiliis magiſtratus ſuam poteſtatem exercent, non etiam in ordinariis, ut alibi dicebamus, *l. 1. §. neceſſario 2. D. ſi vent. nomin. mulier. in poſſeſ. miſſ. l. nam quod ad jus 14. D. ad SCtum Trebell. l. 3. §. 1. D. Ne vis fiat ei qui in poſſeſ.* Atque hoc eſt, quod ſtatim inquit Jctus, in veſtibulo explicationis hujus edicti, omnibus magiſtratibus, ſecundum jus poteſtatis ſuae, conceſſum eſſe jurisdictionem ſuam defendere poenali judicio; ubi jus *poteſtatis* ſignificat extraordinariam jurisdictionem, ut in *d. l. 1. d. l. 14. d. l. 3.* & id, quod in *l. 3. §. 1. D. de recept. arbit. neceſſitas jurisdictionis.* Itaque quoniam jubere duci manu militari extraordinarii imperii eſt *d. l. 1. d. l. 3.* ideo ſummum eſt in jurisdictione, & majorem magiſtratus jurisdictionem habere non poteſt. Quod cum ita ſit, qui jus dicenti aliquid mandanti, quod eſt ſuae poteſtatis ac imperii, non paret, non obtemperaſſe magiſtratui videtur. Et quod eſt in *l. unica. D. ſi quis jus dicenti non obtemperav. Eum non videri obtemperare jus dicenti, qui quod extremum eſt in jurisdictione non fecit, veluti ſi quis rem mobilem vindicari a ſe paſſus non eſt, ſed duci eam vel ferri paſſus eſt, caeterum cum ſi & ſequentia recuſavit, tunc non obtemperaſſe videri*; quod, inquam, ita in ea ſcriptum eſt, ita ſubaudiendum neceſſario eſt. Is videtur jus dicenti non obtemperaſſe, qui quod extremum eſt in jurisdictione non fecit; veluti ſi duci rem aut ferri paſſus non eſt, quod Jctus vocat *ſequentia recuſare*: quoniam, ut dixi, vindicatio non eſt ſummum in jurisdictione, ſeu non eſt extraordinariae jurisdictionis, ſed ordinariae. Verum quidem eſt, eum, qui vindicari rem paſſus non eſt, jus dicenti non obtemperare, *l. qui reſtituere 68. D. de rei vindic.* ſed non propterea eum dicendum eſt negligere, quod ultimum eſt in jurisdictione. Pluribus modis non obtemperatur jus dicenti, ut, ſi quis tribus edictis propoſitis vel uno pro tribus praeſentiam ſuam facere contempſerit, *l. contumacia 53. D. de re judic.* ſi quis in jus vocatus non ierit, *l. 2. D. ſi quis in jus vocat. non ierit.* & jure veteri, ſi quis citatus non reſpondebat, neque excuſabatur, Gell. *lib. 11. cap. 1.* in ſumma quicunque ut contumax plecti poteſt, *l. 1. §. 3. verſ. Propter caſum. D. de poſtul. d. l. contumacia* 53. Sed non propterea hi omnes non faciunt, quod eſt extremum in jurisdictione. Videamus nunc, quae ſit hujus Edicti poena. Veteribus poena eorum, qui conſulibus non paruiſſet, &, ut ait Plutarchus ἀπειθείας ζημία, fuit quinque boum & duarum ovium, ut eſt apud Plutarch. *in Publicola.* Jure noſtro, qui non obtemperat jus dicenti, in ſolidum convenitur ac damno litis coërcetur, *l. de aetate 11. §. qui tacuit 4. D. de interr. in jure faciend. l. contumacia 53. D. de re judicat.* Hoc etenim judicium non quanti intereſt, ſed quanti res eſt, continet, *l. unica. D. Si quis jus dicenti non obtemp.* quod veram

vocat. Sequitur, ut officium videatur, quibus magiſtratibus haec mulctae illatio competere poſſit. Omnibus, qui jus poteſtatis habent, ut apparet ex *l. unica D. Si qui jus dicenti non obtemper.* id eſt, qui imperium habent, *l. 3. D de Juriſd.* Certe mulctae illatio ſummis tantum competit magiſtratibus, *l. aliud fraus eſt* 131. *in fin. D. de verb. ſignific. l. ſacrileg.* 9 *in fin. D. ad leg. Jul. pecul.* Cum itaque magiſtratus municipales imperium aut poteſtatem non habeant, *l. eu quae* 26. *D. ad municip.* hoc edicto juriſdictionem ſuam defendere non poſſunt. Equidem quemadmodum Ulpianus *lib.* 1. *ad edictum urbicum* de juriſdictione urbana eique obtemperandum eſſe ſcripſit, *l. unic. D. Si quis jus dicenti non obtemper.* ut & Paulus *eodem libro l ultim. D. de juriſdict. l. 2. D. ſi quis in jus vocat. non ierit.* & Hermogenianus *lib.* 1. *Epitomarum. l. contumacia* 53. *D. de re judic.* quem conſtat in libris ſuis *Epitomarum* ordinem Edicti perpetui ſecutum fuiſſe, *l. 2. D. de ſtatu homin.* Sic Gajus *libro ſuo* 1. *ad edictum provinciale* (Provinciales autem magiſtratus in ſuis edictis provincialibus Praetorum edicta ſequebantur plurimum, eorumque ordinem ſervabant) de juriſdictione municipali diſputavit, eique parendum eſſe ſcripſit, *l. incola* 29 *D. ad municipal.* Sed eis poenale judicium ad defenſionem juriſdictionis non dedit. Auſim tamen hoc judicium concedere duumviris, idque quia illis auſim etiam tribuere poteſtatem, praeter omnium ſane opinionem. Poteſtatem quod illis tribuo, moveor *l ſi quis uxori* 52. §. *ſi fugitivum* 12. *D. de furt.* ubi *a duumviris vel ab aliis qui poteſtatem habent.* Hi certe a magiſtratibus municipalibus ſeparantur, *l. in honorariis* 35. *in fin. D. de oblig. & action.* & a ſimplicibus judicibus, *l. ultim. C. qui admit. ad bonor. poſſeſſ.* & maximae autoritatis, dignitatis & poteſtatis fuiſſe oſtenduntur, *l. 1. D. de albo ſcribend.* & hic Apuleji locus in *Apologia* 1. *fere circ. med. Splendidiſſima Colonia ſumus*, inquit, *in qua Colonia patrem habui loco principe duumviralem, cunctis honoribus perfunctum. Cujus ego locum in Repub. exinde, ut participare curiam coepi, nequaquam degener pari ſpero honore & exiſtimatione tueor.* Scilicet ut proconſules ac praeſides in iis provinciis, quas gerebant, majus imperium poſt principem obtinebant, *l 8. D. de offic. proconſul. l. 4. D. de off. praeſid.* ita puto duumvirum ſummum a principe locum in ſua Colonia municipiove tenuiſſe: majorem certe magiſtratum fuiſſe oſtendit *l. 1. in princip. C. de natalib. liber.* Utut ſit reſpexiſſe Ulpianum ad veterem legem plane exiſtimo, quae, teſte Dionyſio Halicar. *lib.* 10. volebat, *p.* 674. ἵνα τῶν ἀρχῶν πάσαις ἐξῇ τοὺς ἀκοσμοῦντας εἰς τὴν ἑαυτῶν ἐξουσίαν ζημιοῦν τινὰ γὰρ, addit Halicarn. οὐχ ἅπασιν ἐξῆν, ἀλλὰ τοῖς ὑπάτοις μόνοις. Veriſimilius igitur Ulpianum demonſtraſſe, non uni tantum magiſtratui, ut olim conſul, juriſdictionem ſuam defendere licere, ſed omnibus, qui poteſtatem habent; non autem oſtendiſſe omnibus magiſtratibus licere defendere ſuam juriſdictionem excepto uno, ut videatur hoc in loco legendum aut *non tantum conſulibus*, aut, quod magis probabile eſt, *tantum duumviris*, qui quidam municipales conſules erant, ut duumviros loco conſulum poſuerit Ulpianus, quoniam eorum locum quodammodo tenent in municipiis. Certe alterutra lectio vera eſt.

De Labeone ſcribit Pomponius, cum ingenii qualitate & doctrinae fiducia (quippe qui non ſolum juris ſcientia, ſed aliis quoque artibus inſtructus eſſet; ut & de Tuberone eſt apud Gellium *lib.* 1. *cap.* 22.) veterum plurima placita innovaviſſe. Cujus quidem rei non eſt opus hic proferre exemplum. Illud ſaltem animadvertendum puto, JCtos alios, qui poſtea ſecuti ſunt, a ſententia ejus plerunque receſſiſſe, quamvis veram eam eſſe non negarent. Cujus rei eſt inſigne teſtimonium in *l. ſaepe* 53. §. 2. *D. de verbor. ſignificat.* in explicatione horum verborum *Ope conſilio.* Labeo etenim contra veteres ſeparatim accipienda volebat, cujus ſententiam Paulus veriorem quidem eſſe non negat, ſed non audet a veterum opinione recedere. *Verius eſt*, inquit Paulus, *quod Labeo ſcribit disjunctim accipienda eſſe illa verba* Ope Conſilio, *attamen poſt veterum autoritatem eo perventum eſt, ut nemo* Ope *videatur feciſſe, niſi fraudulentum habuerit conſilium, nec conſilium habuiſſe noceat, niſi factum ſecutum fuerit.* Eodemque fere modo Javolenus de ejuſdem Labeonis ſententia; *Labeonis & Ofilii ſententia rationem quidem habet, ſed alio jure utimur, l. Stichum* 39. §. *pen. D. de ſtatulib.* Ex eo, quod voluit Labeo *ope conſilio* ſeparatim intelligendum eſſe, ſequeretur, alium condictione furtiva teneri, alium non teneri. At ex ſententia veterum, qui ope & conſilio furtum fecit, non condictione furtiva, ſed furti actione tenetur, *l. Neratius* 11. §. *quamvis* 2. *D. de ſervo corrupt. l. 6. D. de condict. furt. l. qui ſervo* 36. *D. de furt.* Atque id antiquis placuiſſe ipſemet ſcribit Ulpianus in *l. ſi ſervus* 27. §. *ſi quis de manum.* 21. *D. ad leg. Aquil.* Haec eſt ſententia *d. l. ſaepe* 53. cujus haec verba: *Sic enim alii condici poteſt alii non poteſt*, non poſſis aliter conciliare cum *d. l. 6. de condict. furt.* Idem factum eſſe in definitione doli plane exiſtimo. Nam quamvis Labeonis ſententiam probet Ulpianus in *l. 1. D. de dolo*, dolum malum definientis, *omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam*, tamen eandem Servii definitionem, quam notarat ac reprehenderat Labeo in *d. l.* 1. magis probaſſe, propter veterum autoritatem, fidem facit *l. 7. §. dolo malo 9. D. de pact.* Dolus eſt *machinatio quaedam alterius decipiendi cauſa, cum aliud ſimulatur & aliud agitur*, aut, ut alii brevius, Aquilius apud Ciceron 3 *Offic.* cap. 14. & *in Topic.* Paulus *lib.* 1. *Sentent. tit.* 8. *Dolus malus eſt, cum aliud agitur, aliud ſimulatur.* Lactant. *lib. de Ira Dei cap.* 4 *Hic ſi aliud ſenſit & aliud locutus eſt, quid aliud appellandus eſt, quam deceptor bilinguis, malus & propterea ſtultus.* Quintil. *lib.* 12. *Inſtit. cap.* 1. *Vir autem malus aliud dicat neceſſe eſt, quam ſentiat.* Homer. *Iliad.* 1. *v.* 312.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζῃ.

Illum odi, tanquam infernum ipſum, qui aliud mente occultat, & aliud dicit. Et ut ait Salluſtius *Bell. Cat. cap.* 10. *Qui aliud clauſum in pectore, aliud promptum in lingua habet.* Verba Homeri videtur imitatus aliquo modo Lucianus, ἢ ἕτερα, inquit, μὲν κεύθειν ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλα δὲ λέγειν. Has definitiones notat Labeo ex eo, quod poſſit etiam abſque ſimulatione id agi, ut quis circumveniatur; poſſit & ſine dolo malo aliud agi, aliud ſimulari, ut faciunt, qui per ejuſmodi ſimulationem ſibi ſuiſque rebus conſulunt. Quin etiam cum urbane aliquid agimus, aliud ſimulamus dolo non facimus. Cicero 2. *de Orat. cap.* 67. *Urbana etiam diſſimulatio eſt, cum aliter ſentias ac loquare.* Inde Nonius, *callet* interpretatus, *ſcit* calliditate, quae ſit urba-

Qq 3 na

... in altero monumento ita:

Flectere doctus equos nitida certare paleſtra:
Ferre jocos aſta, fallere noſce fidem.

Certe in civili converſatione valet, quod Publius Mimus ait: *Homo ſemper in ſeſe aliud fert, in alterum aliud cogitat:* & Plinius *lib.* 8. *Epiſt.* 18. *Decipere pro moribus temporum prudentia eſt.* Haec quanquam ita ſe habeant & vera omnino ſint, ſecuti ſunt tamen magis Aquilii & Servii definitionem autores noſtri; atque hoc eſt quod clamat Cicer. 3. *Offic. cap.* 15. *Ex omni vita ſimulationem diſſimulationemque tollendam eſſe.* Haec duo exempla, quae hic propoſuimus, ſatis probant Labeonis aliorumque ejuſdem ſectae ſententias, licet eſſent quandoque verae, repudiatas fuiſſe, quoniam a veterum ſententia nonnihil diſcederent. Tanti faciebant veterum autoritatem, ut prae hac omnem diſputandi ſubtilitatem contemnerent: id quod & feciſſe Celſum oſtendit, *l. ſi me & Titium* 32. *D. de reb. credit.* Si me & Titium rogaveris mutuam pecuniam, ego debitorem meum juſſerim tibi promittere, tu ſtipulatus ſis non quaſi eſſes meus debitor, ſed quod Titii debitorem eſſe putares; quaeritur an mihi obligatus ſis? Non videtur; ſiquidem nullum ille negocium tecum contraxit. Ideo ait Celſus *ſubſiſto*, ſed tamen inquit Celſus, *potius eſt ut obligari te exiſtimem*, propter veterum opinionem, exiſtimantium, id, quod ex injuſta cauſa apud aliquem ſit, ab eo condici poſſe, *l.* 6. *D. de condict ob turp. cauſam l. ſenatus* 35. §. 3. *verſ Nec dubitarant. D. de mort. cauſa donat. l. in ſumma* 65. *D. de condict. indebit. l.* 6. *l. in rerum* 30. *D. rerum amot.*

CAPUT XXII.

Explicatio l. ultim. D. de ſervis exportand.

Vellem equidem, mihi tam facile eſſet veram hujus legis promere interpretationem, quam poſſum levi negotio aliorum de hac lege refutare ſententias & explicationes. Dicere non auſim, me veram allaturum interpretationem, tamen experiar ecquid afferre, ſi non verum, at ſaltem proximum vero poſſim. Qui hac lege venditur, ut poſt tempus manumittatur, ſi ab emtore non manumittitur, ipſo jure liber fit ex Conſtitutione D Marci, *l. Aelianus* 10. *l. cauſam* 20. *in princ. D. de manumiſſ.* quoniam proprio jure ad libertatem pervenit, *l. ſi ſervo* 84. *D. de hered. inſtit.* adeo ut etiamſi longe poſt praeſcriptum venditionis tempus manumittatur, nihilominus ſtatim poſt id tempus liber factus eſſe videatur, *l.* 3. *&* 4. *C. ſi mancip. fuer. alien. ut manumitt.* His tamen opponitur *l. ultim. D. de ſervis exportand.* quae ait, ſervo vendito hac lege, ut poſt mortem emtoris in libertate moraretur, poſt mortem emtoris, eum ſervum jure ipſo liberum non eſſe, niſi manumiſſus ſit. Qui ajunt, hanc legem ita accipiendam eſſe, ut Scaevola illius autor neget ex conventione directo competere, non neget, quin ex conſtitutione D. Marci competat etiam abſque manumiſſione, ab aliis ſunt reprehenſi. At qui hoc refellunt, ipſi magis refutatione digni videntur. Nam quod tribus diverſis in locis ſcribunt, diſtinguendum eſſe inter *Digeſtorum* & *Quaeſtionum* Scaevolae libros, ut *Quaeſtionum* libri editi fuerint poſt Conſtitutionem D. Marci jam promulgatam; *Digeſtorum* vero ante eam Conſtitutionem: dici non poteſt quam in eo errent. Primum enim conſtat mihi, Scaevolam ſcripſiſſe *Digeſtorum* libros, non ſolum vivente Marco Imperatore, ſed etiam mortuo. Conſtat id ex *l. Pamphilo* 39. §. 1. *D. de legat.* 3. ubi Scaevola in libris *Digeſtorum* Marcum *Divum* nominat; ex quo apparet, Imperatorem Marcum jam mortuum fuiſſe, quia niſi poſt mortem *Divos* vocare mos erat. Deinde *Digeſtorum* libri fere fuerunt ab illius ſeculi ſcriptoribus poſtremo ſcripti, cum illi nihil aliud ſint, quam librorum omnium, & tractatuum libros ſcripſiſſent, tandem eos in certum corpus redigerent, quod *Digeſtorum* nomine appellabant. Unde in *l. quoties* 9. §. 1. *C. de hered. inſtit.* Celſus *l.* 12. *quaeſtionum*, *Digeſtorum* 11. quia nimirum jam Celſus ſuos libros in *Digeſtorum* volumen redegerat. Et apud Gellium *lib.* 6. *cap.* 5. *In libro Alfeni Digeſtorum* 34. *Conjectaneorum autem* 2. De libris Scaevolae id probat *l. Aurelius* 28. §. *ultim D. de liberat. legat.* in qua ex libris *Digeſtorum* eadem verba referuntur, quae fuerant jam ex libris *Reſponſorum* relata *l. Lucius* 93. §. *Semproniae* 1. *D. de legat.* 3. Idem judicium eſt de *l. negotiorum* 24. *D. de appellat.* quae eſt ex libris *Reſponſorum*, & *l. negotiorum* 64. *D. de re judicat.* quae cum ſit ex *Digeſtorum* libris, eadem ſunt in ea verba, quae in *d. l.* 24. Idem etiam de *l. liberto* 21. §. *a liberto* 1. *D. de annuis legat.* & *l. maritum* 25. §. *ultim. D. ad legem Falcid.* Hinc eſt, quod ſaepe in ipſis *Digeſtorum* libris, *quaeſiit*, *quaeſitum eſt*, *reſpondeo*, *reſpondit* ſcriptum invenitur. Poſtremo Scaevola certe non videtur, Conſtitutionem D. Marci ignoraſſe, in *d. l. ultim.* dum proponit, ſervus, ea lege venditus, ut poſt emtoris mortem in libertate ſit, utrum ipſo jure liber fiat, an manumiſſione demum. Nam ſi tempore, quo Scaevola haec ſcribebat, nondum promulgata erat Conſtitutio D. Marci, qui Scaevola mentem & ſenſum ejus Conſtitutionis propoſuiſſet? quid non ſimpliciter potius dixiſſet, talem ſervum non fieri liberum, ſi manumiſſus non fuiſſet; non autem quaeſiviſſet, an etiam ipſo jure liber fieret? An non ex jure incognito proponere quaeſtionem abſurdum fuiſſet Scaevolae? Vides igitur ex his, quae dicta ſunt, veram non eſſe ſuperiorum ſententiam; quare afferam aliam. Servus, hac lege venditus, ut poſt certum tempus manumittatur, ipſo jure fit liber, volente nolente emtore; volente, non autem repugnante venditore, *l. penult. D. qui ſine manumiſſ. l. veram* 11. §. *item quaeritur* 6. *D. de minorib. l.* 1. *l. ultim. C. Si mancip. fuerit alien. ut manum.* quia quamvis ſervus, hac lege venditus, interim ſit in bonis ac dominio emtoris, *l. Paulus* 38. §. *quaeſitum* 2. *D de liber. cauſ. d. l.* 1. *Si mancip fuer. alien.* niſi in ſpecie *l. quod autem* 7. §. *uxori* 8. *D. de donat. inter vir. & uxor.* tamen, quia venditor legem libertatis impoſuit, poteſt libertatem dare aut non dare ſi velit. Itaque dicere non omnino abſurde quis poſſet, quaeſitum fuiſſe in *d. l. ult.* an ſervus, venditus hac lege, ut poſt mortem emtoris liber eſſet, poſt mortem emtoris liber fiat ipſo jure reſpectu venditoris: quod negat Scaevola. Sed haec, quae ſequitur ſententia, fortaſſis probabilior videbitur. Non dictum fuiſſe ſcilicet in pacto conventionis, ut ſervus poſt mortem emtoris liber eſſet, ſed ut in libertate moraretur; quae longe differre oſtendit Quintil. *Declamat.* 340. *&* 342. quemadmodum differunt ſervum eſſe & in ſervitute, *l. ſi poſtulaverit* 27. § *de eo* 8. *D. ad leg. Jul. de adult.* §. *ultim. Inſtit. de ingenuis*, aut ſervum eſſe & ſervire, *l. is qui uſumfr.* 18. *D. de noxalib. action. l. uxori* 24. *in fin. D. de uſufr. legat.* & apud eundem Quintilian. *lib.* 5. *Inſtit. cap.* 10. & *lib.* 7. *cap.* 4. Quod cum ita ſit, apparet, eum, qui ita loquitur, *Servus in libertate moretur*, non velle, ut liber fiat, tanquam ſi manumiſſus fuiſſet; ideoque libertas plena non competit, niſi accedat etiam manumiſſio. Oportet enim manumiſſio accedat, ut juſta ac perfecta libertas competat; ut ait ſervus apud Comicum: *Meliore opus eſt auſpicio liber perpetuo ut ſiem.* Recte vero Claudius Tryphoninus addit ad Scaevolam, D. Marcum conſtituiſſe, ſervos non manumiſſos ipſo jure fore liberos ex lege dicta libertatis in vendendo; recte, inquam addit verbum *libertatis*, ut indicet, toties ipſo jure competere libertatem, quoties addita lex talis eſt, ut qui ſervus eſt, liber fiat.

C A-

& inviti nos facere poſſe, deteriorem non poſſe, l. ſolvendo 39. *D. de neg. geſt.* Cum etenim natura cognationem quandam inter nos conſtituerit, *l.* 3. *D. de Juſtit. & jure.* naturalis ratio ſuadet, ut homini conjuncto & neceſſario noſtro benefacere noſtra multum interſit, ut dicitur. Et quamvis beneficii nomine carere videatur, quod nolenti & invito datur, *l. invito* 69. *D. de reg. Jur.* naturalis tamen & inſita omni homini benefaciendi propenſa voluntas facit, ut non modo beneficium accepiſſe intelligatur, qui invitus accepit, ſed etiam duplici beneficio affectus exiſtimetur; ut eleganter ait Leo *Novell.* 102. Hanc naturalem aequitatem & hoc jus, nobis inſitum, ſecuta eſt civilis prudentia, quae in plerisque omnibus naturae veſtigiis inſiſtit, §. *venditae* 41. *Inſt. de rerum diviſ.* Cicero 3. *Officior.* Haec vetus eſt juris civilis conſtitutio; haec vetus lex ſcripta, de qua Ageſilaus apud Xenoph. *libro* 5. *de reb. Graec. p.* 548. *ὁ μὲν δὲ Ἀγησίλαος ἔλεγεν, ὅτι, εἰ μὲν βλαβερὰ τῇ Λακεδαίμονι πεπραχὼς εἴη, δίκαιος εἴη ζημιοῦσθαι, εἰ δ' ἀγαθά, ἀρχαῖον εἶναι νόμιμον ἐξεῖναι τὰ τοιαῦτα αὐτοσχεδιάζειν.* Succenſebant populus & Ephori Phaebidae, quod ſibi mandata imperataque non feciſſet; feciſſet autem ea, quae imperata non eſſent: quem Ageſilaus hac ratione defendit, ut merito quidem puniri illum poſſe diceret, ſi rem male geſſiſſet, minime vero poſſit puniri, cum rem bene feliciterque adminiſtrant: Eſſe enim legem eamque veterem, quae permittat aliena bene adminiſtrare noſtro arbitrio nulliusque adducti autoritate & imperio. In quo certe, ſi judicanda res & aeſtimanda ex jure noſtro eſſet, Phaebidas culpa non vacaret. Nam cum jure noſtro forma mandati ſervanda ſit, nec is, cui mandatum eſt, aliud facere poſſit, quam quod mandatum eſt, *l.* 3. *l.* 4. *l.* 5. *D. Mandati. l. ſi itaque* 19. *D. de Jurejurand.* tenetur qui mandatum egreditur, licet mandantis meliorem conditionem fecerit, *l. ſi quis pro eo* 46. *D. Mandati. l. maritus* 21. *C. de procurat.* Ex quibus duabus legibus conſtat, non licere a mandato recedere, quando certa definita & praeſcripta eſt mandati forma ac modus. Quare hoc in caſu, quando certum eſt mandatum, illuſtre cum judicium tum factum D Craſſi Muciani Jcti, quod refert Gellius *lib.* 1. *cap.* 3. ſequi conſultum plane exiſtimarem.

CAPUT XXIV.

Jurisprudentiae definitio.

QUid alii iique *καλοὶ κἀγαθοὶ* de definitione Jurisprudentiae attulerint, obſcurum eſt minime. Ego quidem eorum usque ſententiam probavi & ſecutus ſum, donec mihi ipſe aliam meliorem & probabiliorem dicam invenerim. Sane non ſum usque adeo φίλαυτος, nec hoc meo minus, quam mediocri ingenio tribuo, ut audeam dicere, ſententiam meam illorum ſententia veriorem eſſe. Nihil tamen vetat, quo minus ego quoque de hac definitione, multum ac ſaepe inter noſtros vexata, aliquid libere proferam in medium, paratus ſemper mutare ſententiam, quoties melior offeretur. Haec igitur verba in definitione Jurisprudentiae, *divinarum rerum*, ſubobſcura ſunt. Ea ego ſic accipi commode poſſe arbitror, ſi referantur ad illa, quae ſunt juris naturalis, ut definitio tantundem valeat, ac ſi ita concepta fuiſſet: *Jurisprudentia eſt naturalium & humanarum rerum ſcientia*, vel *Juris naturalis & humani ſcientia.* Quod ut intelligatur, ſciendum eſt, veteres, quod ſit *naturaliter* vinum reputaſſe & exiſtimaſſe, nullum jus naturale eſſe, quod non idem divini juris communionem haberet, vel ipſum jus divinum eſſet, imitatione fortaſſe Stoicorum, quibus idem Deus fuit & natura. Hermes Trismeg. *ἐν τῷ Θεῷ καὶ ἡ φύσις συγκατέθηκεν.* Hinc Juſtinianus jura patris naturalis nexu divino copulata eſſe dixit, *l. penult.* §. 1. *C. de adopt.* & jus naturale divina providentia eſſe introductum, §. *ultim. Inſtit. de jure natural gent. & civili:* & qui facit aliquid contra jus naturale, rem minus religioſam facere dicitur, *l.* 4. *C. de nupt.* & affectio naturalis ſanctiſſima dicitur, *l.* 17. §. 1. *D. de adopt.* ut & Calpurnius Flaccus ait, adoptionem ſanctam rem eſſe, quod beneficia naturae ac juris imitetur; & Imperator, quem juris & aequitatis naturalis maxime rationem habere decet, *l.* 1. *C. de leg. juris religioſiſſimus* dicitur, *l. unum ex familia* 67. §. *ultim. D. de leg.* 2. in *prooemio Inſtit. in princ.* Quapropter jurisprudentiam, definiendo *divinarum & humanarum rerum ſcientiam*, intelligis naturalium & humanarum rerum ſcientiam. Sic quod jus definitur *ars boni & aequi*, idem eſt, ac ſi definiretur ars juris naturalis. Nam bonum & aequum, ut ſupra diximus, jus naturale etiam dicitur, aut potius naturalis aequitas. Cui juris definitioni maxime affinis eſt haec legis definitio apud Ciceronem 2. *de leg. cap.* 5. *Lex eſt juſtorum injuſtorumque diſtinctio ad illam antiquiſſimam & rerum omnium principem expreſſa naturam.* Quod vero quidam illa verba, *divinarum rerum*, ad jus publicum referunt, quod illud in ſacris & ſacerdotibus conſiſtat, de hac opinione nihil dicam aliud, quam quod accipiunt anguſtius jus publicum, pro eo jure ſcilicet, quod tantum in ſacris & ſacerdotibus conſiſtat. In quo peccant, ut apparet. Itaque oſtendant oportet, divinum dici tam de magiſtratibus, quam de ſacris & ſacerdotibus, aut fateantur ſe facere definitionem Jurisprudentiae nimis anguſtam; cum ſub ea comprehendant tantum jus privatum, & unam juris publici partem. Deinde nusquam humanae res ſimpliciter accipiuntur pro rebus privatis, ut illi accipiunt. Quamobrem niſi probatur ſententia, quam ſupra attulimus, aliam proferre poſſumus: ut ſub humanis rebus jus tam publicum, quam privatum profanum contineatur, ſub divinis jus ſacrum, ut Jurisprudentia intelligatur eſſe juris humani, id eſt, publici ac privati & divini ſcientia: idque confirmatur ex eo, quod eſt apud Horatium *de arte poetica vſ.* 396.

—— —— Fuit haec Sapientia quondam
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis

Nec obſtat, quod diſtinguimus jus ſacrum aut divinum a jure publico; quia, etiamſi jus publicum in ſacris & ſacerdotibus conſiſtere dicatur, ſit nonnunquam tamen, ut unum ab altero ſeparetur, *l.* 19. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* Gajus *lib.* 2. *Inſtit. tit.* 1. Auſon. *Eidyl.* 15. & quia jus generaliter dividi poteſt in humanum & divinum; quemadmodum res dividuntur generaliter in divinas & humanas, & ſub divinis ſacrae & religioſae comprehenduntur, *l.* 1. *D de rerum diviſ. l.* 1. *D. de interd.* Quandoque igitur jus dividebatur (idem de rebus judicium eſt) in publicum & privatum, & ſub publico divinum continebatur (non tamen ſolum divinum) quandoque etiam in publicum, divinum & privatum: quandoque denique in divinum & humanum, & ſub humano publicum & privatum comprehendebatur. Igitur, ut paucis agam, in definitione juriſprudentiae ſub rebus humanis tam privatae, quam publicae continentur, &

per

videbitur: mihi tamen, neſcio quo pacto, prior magis arridet. Atque eodem plane modo accipio, quod nuptiae *divini ac humani juris communicatio* dicuntur, *l. 1. D. de Ritu nupt.* ut per jus divinum jus naturale ſignificetur, cujus juris eſt conjunctio maris & feminae, per humanum jus gentium. Et hoc eſt, quod ab Ulpiano & Juſtiniano dicitur juris naturalis eſſe conjunctio maris & feminae, quam nos homines matrimonium appellamus. Hic enim duo genera notantur naturale & gentium: Conjunctio maris & feminae juris naturalis eſt; matrimonium juris gentium. Itaque, quoniam matrimonium origine ſua conſideratum nihil fere eſt, quam conjunctio maris & feminae, recte matrimonium dicitur communicatio juris naturalis. Dicitur matrimonium etiam juris humani communicatio, quia bona aliaque communicantur. Imperator Gordianus in *l. 4. C. de crimin. expil. heredit.* recte hoc videtur expreſſiſſe, dum uxorem *in humanae ſociam atque divinae domus ſuſcipi* ait: *domus* enim vocabulum plane eſt naturale; id quod eleganter & pluribus explicat Cicero 1. *Offic. l. pronunciatio* 195. §. 2. *verſ. Jure proprio. D. de verbor. ſignificat.* Sciendum vero eſt, illam naturalem, ſeu divinam communicationem deſignatam fuiſſe per aquam & ignem, quibus recipiebantur uxores in domum, *l. penult. D. de donat. inter vir. & uxor.* Nam aqua & ignis naturales ſunt ἀρχαὶ & στοιχεῖα; ut ea appellat Lucas *in quodam verſu*, quibus hominis vita ſuſtentatur ac natura propagatur. Idque explicat Servius *lib. 4. Aeneid. v.* 103. his verbis: *Quae conventio* (in manum) *eo ritu perficitur, ut aqua & igni adhibitis, duobus maximis elementis, natura conjuncta habeatur.* Significabant igitur veteres, per aquae & ignis communicationem, ſocietatem vitae, quae inter conjuges eſt & eſſe debet, *l. 1. D. rerum amot. l. ſi rerum* 52. *D. de re judic.*

CAPUT XXV.

Dignitatum cauſae & gradus. Frequentes *qui. Leviter emendata l.* ſpecioſas 100. D. de verbor. ſignif. & *l.* 1. C. de ſentent. paſſ. Nobiliſſimi, Conſulares &c.

AButar hoc loco *dignitatis* voce, & *dignitatem* vocabo omnem honorem, ordinem, magiſtratum, poteſtatem & meritum, quamvis ab his *dignitas* multum differat; ut poſtea dicam. Omnis igitur *dignitas* vel loci eſt, vel ordinis, ſeu familiae, vel meriti, quod ſpecialiter *dignitas* vocatur. Unde in *l. 4. C. Theod. ad leg. Jul. de ambit.* & *l. 4. C. Theod. de accuſ. cujuſcunque loci, ordinis, dignitatis;* & in *l. 1. C. Theod. de ſtud. libert. urb. Rom. oppidi hominum & natales & merita:* apud Auſon. *in Grammat. Latin. Burd.*

Qui quamvis humili
Stirpe, loco ac merito:

apud Sidon. *Epiſt. 6. lib. 8. Ortu clariſſimus, privilegio ſpectabilis, merito illuſtris:* apud eundem Sidon. *Epiſt. 6. lib 7. Tu ſacratiſſimorum pontificum Leontii, Fauſti, Graeci, urbe, ordine, charitate medius invenieris:* apud Gellium *lib. 12. cap.* 8. *Nobili genere, ampliſſimis honoribus & ſummo loco in civitate praeditus:* in *l. 6. §. 1. D. de muner. & honor. Convenienter magiſtratui fortunae ſuae & ſplendori publico:* in *l. 4. C. Theod. de agent. in reb. Unde domo, quam officiorum originem & ſortem fateatur.* Ex his omnibus locis apparet, tres *dignitatis* eſſe cauſas, natalium ſplendorem, loci dignitatem, meriti praeſtantiam. Itaque, quoniam mulieres ex virorum perſonis conditionem ac-

naec, [illegible], ut de ceteris taceam, aliquando quaſi diverſa ſeparari. Nam *dignitas* & *magiſtratus*, *l. qui furere* 20. *D de ſtatu homin. l. penul. C. de appellat.* diſtinguuntur: *honor* & *meritum*, apud Symmach. *Epiſt.* 21. *lib.* 10. *honor* & *ordo*, *l. 1. C. de ſentent. paſſ. natalis* & *honor*, *l. 3. C. de commerc. & mercat. privilegium* & *dignitas*, *l. originarios* 11. *C. de agricol. Dignitas, locus,* & *ordo*, *l. 1. C. Theod. ad leg. Jul. de ambit.* Quae omnia ut confundantur ſaepius, ſic tamen diſtingui poſſunt, ut *honor* & *dignitas* ſint tam loci, quam meriti: aut certe *dignitas*, quae a magiſtratu & poteſtate, quae actu exercetur, ſeparatur, *l. 3. §. ultim. D. de recept. arbitr.* Ordo familiae tantum, privilegium loci. *Meriti* verbo improprie, ut puto, uſus eſt Claudian. *in 2. Paneg. in laudes Stilicon. v.* 121. ubi ait:

——— ——— ——— *Lectos ex omnibus oris*
Evehis & nunquam meriti cunabula quaeris.

Praetereundum videtur minime *loci dignitatem*, in conſeſſu ſenatus & ferendis ſententiis, longe caeteris praeſtitiſſe. Et ideo praefectus urbi caeteris omnibus praefertur in dicenda ſententia, *l. 3. C. de officio praefect. urb Novell.* 62. qui ideo ex Symmach. *Epiſt.* 34. *lib.* 10. appellari poteſt *ſummi loci judex.* Praefecti quidem praetorio etiam ob *loci dignitatem* ſummam rerum habere dicuntur, *l. quilibet* 40. *C. de decurion.* ſed praetorii *dignitas* non eſt tanta, quanta urbis, cujus amplius eſt & ſpecioſius nomen. Igitur praefectus urbi non pro *dignitate* ſua ſeu familiae, nec pro merito ſuo primum in ſenatu locum obtinet, ſed pro *loci dignitate* & excellentia. Et hoc eſt, quod laudat in Theodoſio & Arcadio Imperatoribus Symmach. *Epiſt.* 21. *lib.* 10. cum inquit: *Ejuſdem praeterea rationis ſalubritate vetus dicendorum ſententiarum forma reparata eſt: ne ſummum cuique decernendi locum non ratio munerum, ſed honorum fortuna praeſtaret* Haec aſſcribere placuit, quae ad alia viam praemunirent. De *dignitatum* gradibus dicam, ſi prius illud addidero, quod dignum relatu exiſtimo, *frequentes*, qui & aſſidui, ac quotidiani dici poſſunt, dictos etiam fuiſſe in commemoratione dignitatum, qui alicujus aut loci, aut ordinis, aut meriti fuerint; Auſon. *Epiſt.* 15.

At nunc frequentes atque claros, nec procul
Quum floreas inter viros.

Sidonius *in Paneg. Anthemii: Quia res eſt ſemper ab aevo Rura, frequens conſul.* Plinius *Epiſt. 7. lib. 3. Fuit inter principes civitatis, ſine potentia, ſine invidia. Salutabatur, colebatur, multumque in lectulo jacens, cubiculo ſemper, non ex fortuna frequenti.* Significat & *frequentem* Sidonius *Epiſt. 6. lib. 1. Senatorii ſeminis homo, qui quotidie trabeatis proavorum imaginibus:* & Cicero *in Piſonem cap. 26. Nunc etiam, in hac quotidiana, aſſidua urbanaque vita ſplendorem tuum, gratiam, &c.* Huc pertinent & XII. Tabul. verba: *Aſſiduo vindex aſſiduus eſto, Proletario civi quivis volet vindex eſto.* Certe quantum conjectura aſſequi poſſum ex alio Sidonii loco, *frequentem* dici ex ordinis ſeu familiae dignitate exiſtimo. Ejus haec ſunt verba, *Carmine 16. in fine.*

Quicquid agis, quocunque loci es, ſemper mihi fauſtus,
Semper honoratus, ſemper quoque maximus eſto.

Hic namque illa tria, de quibus ſupra dictum eſt, *locum, ordinem, meritum* poni non dubito. Illis verbis *quicquid agis* ponitur meritum; iſtis, *quocunque loci*, locus; hoc *ſemper*, familia ſeu ordo. De *dignitatum* igitur gradibus videamus, quorum ſunt tres (de dignitatibus ſenatoriis loquor) nam ſenatores alii ſunt clariſſimi; alii ſpectabiles; alii illuſtres. Quod ſenatores ſint etiam illuſtres, probant *l. ultim. C. de nupt. l. 2. C. de tutor. illuſt. l. 3. §. ultim. C. de ſilent.*

Quod

Digitized by Google

clariſſimo. Nam quoniam omnes clariſſimi ſunt, qui ſenatoriis utuntur ornamentis, quamvis ſenatores non ſint, *l. 4. C. de milit. teſtam. l. ſpecioſas* 100. *D. de verb ſignif.* (in qua, ut hoc obiter annotem, agnoſco idem vitium, quod in plerisque legibus animadvertit Cujacius, ut pro *item* legatur *id eſt*: nam nullus non eſt clariſſimus, qui utitur ornamentis ſenatoriis, quamvis ſenator non ſit, ideoque clariſſimus & is, qui utitur ornamentis ſenatoriis: non ſunt ſeparandi, tanquam diverſi, cum nemo poſſit uti ſenatoriis ornamentis, quin idem clariſſimus & ſit & habeatur) ideoque ſenatores amplioribus dignitatibus honorabantur, quam eſt illa clariſſimatus dignitas. Eſt itaque triplex ſenatoria dignitas, clariſſima, ſpectabilis & illuſtris: hoc enim ordine ſunt hae tres collocandae dignitates; ut apparet ex loco Sidonii, quem ſupra citavimus. Ortu clariſſimus, privilegio ſpectabilis, merito illuſtris. Et cum minor ſit clariſſimatus dignitas (unde clariſſimus reverentiam debet ſpectabili, *l. peculiari* 16. *C. Th. de proxim. comit. diſput*) merito Juſtinianus ſpectabilem dignitatem mediam facit, *l. unic. C. de ratiocin. oper. public. Novell.* 23 in qua ſuperior dignitatis diviſio reperitur. In ea enim judices dividuntur in majores, medios & minimos; & perilluſtres, ſpectabiles & clariſſimi definiuntur. Fadem quoque diviſio eſt in *l. omnis C. Th. De iis quae adminiſt. vel offic. public. ger.* ibi altior judex, mediae dignitatis, minimus. Ubi vero duo tantum gradus ponuntur, ut in *l. penult. D. ad leg. Cornel. de ſicar.* in honore poſitus, & qui ſecundi gradus eſt, & in *l. 3. §. penult. eod.* altior & qui honeſtiore loco poſitus, & in *l. 1. C. de ſent. paſſ.* utriusque ordinis viri. Idem colligitur ex *l. 4. 6. & 8. D. de ſenat. l. mulieres* 13. *C. de dignit.* ſciendum eſt, ſecundum gradum non intelligendum eum, qui ſit ſenatorii ordinis ſecundus, id eſt, ſpectabilis; ſed ſecundum a ſenatorio ordine: quod probat eleganter *l. eum te non ex ſenatore* 10. *C. de nupt.* Itaque deleta particula *Et* in *d. l. 1. C. de ſentent. paſſ.* plane legendum exiſtimo: *Cum ſalutatus eſſet a Gentiano, & Advento, & Opilio Macrino, praefectis praetorio clariſſimis, item amicis & principalibus officiorum utriusque ordinis viris*; ubi *utriusque ordinis* eſt, tam clariſſimi, quam non clariſſimi ordinis. Haec autem differentia confirmatur, *l. ſtadio* 15. §. 1. *D de excuſat.* ubi gradus ſuperior ſenatorum confertur cum aliis ſenatoriis gradibus inferioribus, & inferior cum ſuperioribus; non ſuperior cum inferiore, vel contra inferior cum ſuperiore; & rurſum ſenator generaliter ibidem confertur cum alio ſolo ἄχλως ἀξιωματικῷ. Nobiliſſimatus dignitas, de qua dicendum reſtat, non loci nec meriti, ſed familiae ſeu natalium, & ordinis erat, *l. 3. C. de commerc. & mercat. l. mulieres* 13. *C. de dignit.* Apulejus *lib. 1. Florid. Nam ex innumeris hominibus pauci ſenatores, ex ſenatoribus pauci nobiles genere, & ex conſularibus pauci boni.* Zoſimus *lib. 2 cap.* 39. τῆς λεγομένης νωβελισσίμων καὶ αὐτῷ Κωνσταντίνῳ τυχόντας ἀξίας, αἰδοῖ τῆς συγγενείας. Prudent. *in Periſteph. Abſit, ut me nobilem ſanguis parentum praeſtet.* Quod conſulares majoris dignitatis facere videtur Apulejus, loco ſupra ante citato praetermittendum non eſt: nam quamvis clariſſimi tantum eſſe videantur, *l. 1. C. de dignit. l. 2. C. de domeſt. l. 1. C. de praepoſit. labor.* tamen majores praefectoriis eos eſſe oſtendit, *l. 1. D. de ſenat.* qui praefectorii utique clariſſimi ſunt, *l. 1. C. de ſentent. paſſ. l. 1. C. de dignitat.* Lampridius *in Alexand.* Conſula-

conſularibus numerabantur. Sed haec ſuper ſatiſque.

CAPUT XXVI.

Quomodo legatus proconſulis, mandata juriſdictione, proprium quid habeat.

QUi mandatam jurisdictionem ſuſcepit, proprium nihil habet, ſed ejus, qui mandat, jurisdictione utitur, *l. 1. §. qui mandatam* 1. *D. de offic. ejus cui mand. eſt jurisd. l. ſolet praetor.* 16. *D. de Jurisd.* Quid eſt igitur, quod dicitur in *l. Legati* 13. *D. de offic. proconſ.* proconſulis legatos nihil habere proprium, niſi eis a proconſule mandata ſit jurisdictio: ex quo apparet, eos, mandata jurisdictione, aliquid proprium habere. Sic exiſtimo, legatum proconſulis propriam habere jurisdictionem, cum ei a proconſule ſtatim, poſtquam provinciam ingreſſus eſt, mandatur jurisdictio; quod omnino fieri debet, *l. 4. §. poſt haec* 6 *D. de offic. proconſul.* Sunt etenim quaedam, quae legato ſpecialiter data ac conceſſa ſunt, quaeque poſt mandatam a proconſule jurisdictionem ſtatim jure ſuo quodammodo habere incipit: ut eſt *tutoris datio*, quae ſpecialiter oratione divi Marci legato conceſſa eſt, *l. 1. D. de tutor. & curat. dat.* item *cognitio de ſuſpectis tutoribus*, quam Imperatores Severus & Antoninus ſpecialiter legato conceſſerunt, *l. 4. D de offic. ejus cui mand. eſt jurisd. l. 1. D. de ſuſpect. tutor.* Hinc eſt, credo, cur Tribonianus ante & poſt *d. l.* 13. addiderit duos illos caſus, qui pertinent ad explicationem illius *l.* 13. Legatus, mandata ſibi jurisdictione, jus habet dandi judicem: quare? quia poſt mandatam jurisdictionem proprium quid habet, eum, mandata jurisdictione, ad eum transeat totum officium juris dicendi, *l. 1. §. damus* 3. *D. de ſuſpect. tut.* Item poteſt tutores dare, quia hoc ei ſpecialiter & conſtitutione datum eſt. Nec obſtat *l. 1 § qui mandatam* 1. *D. de offic. ejus cui mandat. eſt juriſd.* in qua Papianus differit, eum, cui mandata eſt juriſdictio, nihil habere proprium, quod merum imperium lege datum non poſſit transferri, & ideo legatum proconſulis, mandata ſibi juriſdictione, non habere animadverſionem (id eſt, jus ac imperium irrogandi ultimum ſupplicium, *l. ſi quid erit* 11. *D. de offic. proconſ. l.* 11. *§ ultim. & l. ſeq. D. de poenis*) non obſtat hoc, inquam, quia poteſtas illa animadvertendi legato non eſt conceſſa ulla lege aut ſpeciali conſtitutione, ideoque per univerſalem juriſdictionem non poteſt transferri in legatum, quae univerſalis juriſdictio omnino mandanda eſt legato ſtatim, poſt ingreſſum provinciae. Nec obſtat, quod dicitur in *l. ſolent etiam* 6. §. 1. *D. de offic. proconſ.* mandare juriſdictionem legato, vel non mandare, eſſe in arbitrio proconſulis, ut & adimere mandatam; quia de juriſdictione illud intelligendum eſt, quae non eſt ſpecialiter & lege demandata legato, ſed quam proconſul ad ſuum arbitrium permittit legato. Cum igitur aliquid proprium habeat legatus & non habeat, ſed diverſa ratione ab eo appellari poteſt proconſul, ut ſi mulctam dixerit (quae ſpecies ponitur exempli cauſa, in *l. 2. D. Quis & a quo appell.*) quoniam quamvis mulctam dicere vere poſſint ſoli majores magiſtratus, *l. aliud* 131. *in fin. D. de verbor. ſignif.* tamen etiam is, cui ſpecialiter conceſſa eſt, quamvis magiſtratus major non ſit, mulctam dicere poteſt, *l. 2. §. ultim. D. de Judiciis*; quod permiſſum fuiſſe legato veriſimile eſt: ab eo appellari non poteſt Proconſul, exemplo ejus, qui juriſdictionem alienam exercet, *l. Imperatores* 21.

CAlculatores, quos διαψηφισαὶ appellari ait Modeſtinus, in *l. σπαδόντα* 15. §. Μηδὲ [illegible] 5. *D. de excuſat.* impuberes praeſtare miniſteria, ſcribit Ulpian. in *l. ut juris jurandi* 7. §. *dabitur* 5. *D. de oper. libert* Quod praetermittendum ſilentio non putavi, ut hinc annotarem, a pueritia Romanos calculis operam dediſſe, & aſſem in varias partes diducere didiciſſe. Julius Capitolin. *in Pertin. cap* 1. *Puer literis elementariis & calculo imbutus.* Horat. *de arte poëtic v.* 325.

Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in parteis centum deducere &c.

Huc pertinet Ciceronis locus *lib. 2. cap. 23. de legib.* qui male vulgo accipitur de duodecim tabulis legum, cum, ut poſtea ex ejusdem Ciceronis alio loco probabo, de duodecim unciis, quae aſſem conficiunt, intelligendus ſit: *Diſcebamus*, inquit Cicero, *pueri duodecim, ut carmen neceſſarium, quas jam nemo diſcit Duodecim* intellige uncias, ut in hoc ejusdem ioco *in Hortenſio*, quem citat Nonius in *Scriptat Itaque tibi concedo*, inquit, *quod in duodecim ſcriptis ſolemus, ut calculum reducas, ſi te alicuius dati poenitet.* Ut autem illum locum male interpretantur de XII. Tabulis, ita multos alios, qui Ciceronis ipſius ſunt pro XII. Tabulis citant. Cujus rei probandae ac confirmandae cauſa cum multa afferri poſſent exempla, unum tamen ſufficere arbitratus ſum, ex quo quid de multis aliis judicandum perſpicuum erit. Nam plurimi haec [apud Ciceronem *de legibus lib. 2. cap.* 8.] *Pietatem adhibento, opes amovento, qui ſecus faxit Deus ipſe vindex erit*, adeo ſibi perſuaſerunt eſſe ex XII. Tabulis, ut ab his potiſſimum initium recenſendi ordine XII. Tabulas faciant, quae tamen ipſius Ciceronis, & ab ipſo Cicerone ſuo Marte conficta. Lactantius *lib. 5. cap.* 20. *Cicero in ſuis legibus, cum caſte ad ſacrificia praeciperet accedere, Pietatem, inquit, adhibento* &c.

CAPUT XXVIII.

De archiatris, qui Imperatores *dicuntur,* & imperare aegrotis; *& de iis enucleatus Senecae locus* lib 6. de benefic. *item de iiſdem elucidata & explicata* L. Medicus 26. D. de oper. libert.

SUnt Medici emeriti, qui ſolis praeceptis ſolent curationem aegrotorum imperare, qui a Symmach. *lib* 3. *Epiſt.* 37. dicuntur *ſummates inter medendi profeſſores*, & *lib* 10. *Epiſt.* 40. *ſummates profeſſionis medicae.* Hi inter caetera de probitate morum & peritia novorum medicorum aeſtimare ſolent, *l.* 1. *D. de decret. ab ordin. faciend.* Symmach. *dicta Epiſt.* 40. *Qua lege cautum eſt, ut primi artis ejuſdem de novorum ſcientia judicarent.* Et paulo poſt: *Sed quia lege & more cogentibus ſummates ejusdem profeſſionis par fuit in examen acciri, adhibitum eſt collegium omne medicorum.* Hi etiam ſolis praeceptis facienda vitandave tam novis medicis, quam ipſis aegrotis impetrabant; de quibus haec idem Symmach. *Epiſt* 1. *lib.* 10. *Solent*, inquit, *qui medicinam callent, cum jam forte uſu in magiſterium provehuntur, ac fiunt emeriti officii, proximis imperare ac feriata manu curationem curare praeceptis. Feriatam manum* dixit Symmachus, ſignificans manum magiſtri emeriti officii; ut & eodem ſenſu Prudent. in *Periſteph paſſ. Caſſian. v.* 39. uſurpavit:

Ut libet illudant, lacerent impune, manusque
Tingant magiſtri feriatas ſanguine.

Imperare dixit Symmachus; quia medici magiſtri aegrotis imperare dicuntur & imperatores, ut & apud

ad vitandave praecipiens, [illegible] *non tanquam amicus vidit, ſed tanquam imperator.* Cur ita legendum putem haec me movent: Primum, quia ante dixerat de medico, *facienda vitandave, praecipiens*; ex quo apparet, non aegrum imperatorem dici debere, ſed medicum. Deinde ex illo, quod ait, *ſine affectu illum praecipere*, quod reſpondet verbo *amicus*: Amicus non eſt, quia ſine ullo affectu praecipit. Tum vero ut ita credam fortius facit, quae praecedit periodus. Quid ergo? Quare medico & praeceptori plus quiddam debeo, nec adverſus illos mercede defungor, quia ex medico ac praeceptore in amicum tranſeunt, *Itaque medico* &c. Sed hac emendatione nihil clarius. Quare ille Senecae locus nihil facit ad id confirmandum, quod volunt, Aegrotos recte imperare aegrotis; neque etiam ea eſt ejus verbi ſignificatio in *l. Medicus* 26. *D. de oper. libertor. Imperantes* enim eo in loco ſignificantur medici emeriti officii, qui praeceptis curationem praecipiunt novis medicis, ut libertis in ſpecie hujus legis; qui etiam medici fuerunt, *l. Scio amico* 10. *in fin. D. de ann. legat. l. qui cum* 14. § *ſi patris* 7. *D. de bonis libert. l.* 3. *C. commun de legat.* Eſt igitur *d. l.* 26. ſenſus, hic nimirum, ut breve faciam: Medicus patronus (intelligit autem medicum primum ac emeriti officii, qualem ſupra definivimus) medicus igitur patronus, cum videret ſi liberti ſui medici medicinam ſibi non facerent aliis archiatris, qui imperant libertis & aliis novis medicis, cogi poſſe medicinam facere, ad alias operas ſuis uſus eſt libertis: licet igitur ut opus, id eſt, medicinam facerent, ſed ſe ut ſequerentur ac aliis operis vacarent. Quaeritur, an id poſſit jure patronus facere &c.

CAPUT XXIX.

Ocularius, περιοδευταὶ *medici, &* περιοδευταὶ *in Eccleſia.*

SUperius admonet caput de Medicis & alia quaedam adjiciamus. Medici accipiuntur, qui alicujus partis vel certi doloris ſanitatem pollicentur, ut puta *auricularius*, *l.* 1. §. *Medicos* 3. *D de extraord. cognit.* Ubi malim *ocularius*, ut in veteri inſcriptione. MEDICUS ELIRICUS SHIRURGUS OCULARIUS VIVIR: & Martial. *lib.* 8 *epigr.* 74.

Hoplomachus nunc es, fueras ophtalmicus ante:
Feciſti medicus, quod facis Hoplomachus.

Περιοδευταί, qui dicuntur in *l.* 6. §. *Grammatici* 1. *D. de excuſat. tutor.* recte exponuntur a veteri interprete *circuitores*, ſuntque & ipſi archiatri, de quibus *proximo capite* actum eſt; idque ſatis oſtendit Senecae locus, quem protulimus, ubi ait: *Et me inter eos, quos perambulat, ponit.* Ita ut περιοδευταὶ dicti ſint, quod ſolum aegrotos circumeant, non autem urbes & oppida, ut putavit Cujacius. Sic Gratianus Imperator apud Auſonium in *Paneg. cap.* 34. dicitur circumire tentoria & quaerere de ſanitate cujusque militis: *Legionibus univerſis*, inquit, *ut in communi Marte evenit, ſi quid adverſi acciderat, vidi circumire tentoria, ſatin' ſalvae quaerere, tractare vulnera ſauciorum*: ubi obiter nota morem de ſanitate alicujus: *ſatisne ſalvus ſit.* Sic apud Livium *lib.* 1. *cap.* 58. *quaerentique viro*, SATIN' SALVA? *minime*, inquit: *quid enim ſalvi eſt mulieri amiſſa pudicitia*; ita legendum *ſalva*, non *ſalvae*, ut vulgo. Salluſt. in 6. *libro hiſtoriar. cap.* 6. *Inde ortus ſermo percunctantibus utrinque* SATIN' SALVAE, *quam grati ducibus ſunt, familiaribus copiis augerentur.* Eadem ratione dicuntur *circumire aedes ſacras & opera publica inſpiciendi gratia proconſules*, *l.* 7. §. 1. *D. de offic. proconſ.* Eodem

vero

11. [illegible] intellexit, cum dixit: *Per diſpoſitas aras circumiens ſacerdos rem divinam procurat.*

fere ſenſu, quo Imperator in *l. donatio* 25. *C. de donat.* ita dixit: *Hiſque penitus cognitis vel recipiantur, ſi complacitae ſunt, vel rejiciantur, ſi ſunt moleſtae.* Liv. *lib.* 34. *cap.* 57. *Tunc enim repeti reddique per conventionem res: & ſi quarum turbata bello poſſeſſio ſit, eas aut formula juris antiqui, aut ex partis utriusque commodo (commodum* dixit Livius eodem ſenſu, quo Cicero ſupra *commoditatem* negotii) *componi.* Huc pertinet & hoc apud Ciceron. *Partit. cap.* 37. *Scriptorum privatum aliud eſt, publicum aliud: publicum, lex, SCtum, foedus; privatum, tabulae, pactum conventum, ſtipulatio. Quae autem ſcripta non ſunt, ea aut conſuetudine, aut conventis hominum, aut quaſi conſenſu hominum obſervantur.* Donatus in illud Terent. *Eun. Act* 5. *Sc.* 8. *vſ.* 56. *At ego per iſthoc Phaedria & tu Chaerea. Hunc comedendum & deridendum vobis propino, ambo,* inquit, *nominat quaſi legibus paciſcatur.* In illo quoque exemplo, quod adducit autor *ad Herennium lib.* 2. *cap.* 13. ad id pactum, quod legibus valeat, *In comitio aut in foro ante meridiem cauſam conjicito*, illud plane legitimum eſt, & directum. Livius *conjicito*, *lib.* 38. Verbi genus hoc conſervato, quo magis in legibus, quam in foederibus uti ſolemus. Quemadmodum autem pacta quaedam legibus fiunt, ita & quaedam legibus improbantur, quaedam etiam jure praetorio. Cicero 1. *Offic. cap.* 10. *Jam illis pactis non ſtandum eſſe quis non videt, quae coactus aut dolo deceptus quis promiſerit? quae quidem pleraque jure praetorio liberantur, nonnulla legibus.* Et ita in *l. ſive generalis* 61. *in princ. D. de jure dotium. Ipſo jure promiſſio non valet, quia lege rata non habetur autoritas dolo malo facta.*

CAPUT XXX.

Duplex eſſe pactum, unum quod legibus, alterum quod ſola contrahentium valeat voluntate.

Pactum eſſe duplex, unum, quod legibus valeat; alterum, quod ſola contrahentium voluntate, autor *ad Herenn.* ſcriptum reliquit, *lib.* 2. *cap.* 13. Quod placet hoc loco aliquot tam juris noſtri, quam aliorum autorum exemplis ac autoritatibus ſtabilire ac fulcire. Paulus in *l. ſi pater* 12. §. 1. *D. de pact. dotal. Ex pactis conventis*, inquit, *quae ante vel poſt nuptias interponi ſolent, alia ad jus pertinent, veluti quando dos petatur, quando reddatur, in quibus non ſemper voluntas contrahentium ſervatur, alias ad voluntatem, ut mulier dote promiſſa ſe alat.* Quod ad pactum de dote reddenda attinet; hoc idem Paulus declarat in *l. ſi unus* 27. §. 3. *verſ. Quod ſi in ſpecie. D. de pactis.* Sunt ergo quaedam pacta, quae legibus & jure conſtant. Inde promittendo dicimus, aliquando obligari ipſo jure, *l. homo liber* 54. §. 1. *D. de acquirend. rerum domin.* & Ulpian in *frag. tit.* 24. pactis verbis interpretatur ipſe optimo jure. Quod autem dicitur in *d. l. ſi unus* 27. *pacta jus non habere*, id non generaliter eſt verum, cum Paulus poſtea pacta quaedam proponat, quibus ipſe jus tribuit, ut illud, de quo ſupra dictum eſt, & pactum de injuria facta, quod actiones ipſo jure tollit, *l. ſi tibi* 17. §. 1. *D. eod.* quod eſt ex XII.

Finis Libri Primi.

Digitized by Google

E T

VARIARUM LECTIONUM
JURIS CIVILIS
LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Ad l. Sejus 46. D. ad SCtum Trebellian *Et conjuncta* l. Publius 36. D. de condit. & demonſt. *cum* l. ultim. D. de fideicommiſſ. libert.

QUi fiduciario heredi bona ſua relinquit, ut ea alicui reſtituat, cum ad annos ſedecim pervenerit, non prius reſtituere debet, quam is annum 16. impleverit, *l. ſi cui* 49. *D. de legat.* 1. *l. nonnunquam* 48. *D de condit. & demonſt.* Nam cum ſub conditione legatum ſit, *d. l. ſi cui* 49. *l. ſi Titio* 22. §. 1. *D. quand. dies legat.* nihil plane debetur, antequam legati conditio venerit; & ideo mortuo ante conditionem fideicommiſſario nihil plane heredibus debetur, niſi mens & voluntas teſtatoris alia eſſe probetur, quae faciat ut fideicommiſſum non ſub conditione, ſed in diem relictum eſſe videatur, *d. l. ſi cui* 49. *l. Sejus* 46. *D. ad SCtum Trebell.* quae hanc voluntatem ita explicat, ſi teſtator prorogare ſolutionis tempus voluerit, & tutelam heredi fiduciario magis permittere, quam incertum fideicommiſſi diem conſtituere. Ex quibus verbis quod vir doctiſſimus elicit legis noſtrae emendationem, ut pro *ſedecim*, *quatuordecim* legamus; immane quantum a vero aberrat! Nam JCtus non intelligit tutelam, quae eſt vis & poteſtas in caput liberum, id eſt, in pupillum, ſed tutelam rerum hereditariarum, quando fiduciarius heres nonniſi miniſter eſt & diſpenſator fideicommiſſi, *l. ſi quis Titio* 17. *D. de legat.* 2. *l. quidam teſtamento* 96. §. *ſi ſcriptus ex parte* 3. *D. de legat.* 1 *l. Lucius* 78. §. 1. *D. ad SCtum Trebell. Novell. Marciani de teſtament. cler.* Quo fit ut, mortuo eo, cui reſtituere debuit hereditatem, nihil heredis commodo cedat, *d. l. ſi quis Titio* 17. quamvis alias fiduciarii heredis magis, quam ullius habita videatur eſſe ratio, *d. l. ſi quis Titio* 17. *l. Julianus* 60. *D de legat.* 2. *l. cum quis decedens* 37. *l pater* 38. §. *fidei* 6. *D. de legat.* 3. *l. in fraudem* 10. §. 1. *D. de his quib. ut indig.* Quando itaque relictum eſt fideicommiſſum ſub die certo, id ante eum diem debetur, cum ejus dies ceſſerit, ideoque moriente fideicommiſſario fideicommiſſum ad heredes ſuos tranſmittit; quoniam quae in diem debentur, ad heredes tranſmittuntur. Atque haec eſt ſententia *d. l. Sejus* 46. Quid ſi ipſe ſubſtitutos habeat? an ut ad heredes ante 14. annum tranſmittit fideicommiſſum, ita etiam ad ipſos ſubſtitutos tranſmittere poteſt? Ponamus ſpeciem *l. Publius* 36. §. 1. *D. de cond. & demonſtrat.* *Peto ut filio meo praedia, cum annorum 16. erit, reſtituas, quod ſi filius meus ſedecim annos non impleverit, peto, uti reddas ea Publio Maevio & Gajo Cornelio.* Hic haec verba, *cum erit annorum ſedecim*, non ſunt conditionalia; alioqui ipſa ſubſtitutio inanis & nulla eſſet: ideoque ſtatim poſt mortem meam cedit dies fideicommiſſi, & mortuo filio quocunque tempore, ante ſedecim annos completos, ſit ſubſtitutioni locus. In his legati aut fideicommiſſi verbis, *cum annorum 16. erit*, aut conditio eſt, aut dies certus. Conditio reddit legatum incertum; dies certus legatum in tutum redigit. In hoc tamen utrumque legatum aut fideicommiſſum par eſt, quod non prius peti poteſt legatum aut fideicommiſſum, ſub die relictum, quam conditionale. Nam ut in hoc non venit dies ante 14. annum impletum, ita nec in illo venit, quamvis quidem ceſſerit. Itaque neutro caſu aliquid mutatur in eo, quod dicimus, *cum 16. annorum erit*, completos annos ſignificari, nec legatum prius deberi, quam impleti ſint prorſus: quoniam etiam in legato diei certi illud verum eſt, cum ante illos annos plene perfectos legatum peti non poſſit. Ut autem legatum, quod ſub die differendae ſolutionis gratia relictum eſt, ante peti a fideicommiſſario non poteſt, quam dies venerit; ita nec ab heredibus ejus ante id tempus, quod veriſimile non ſit teſtatorem voluiſſe prius ad heredes legatum pervenire, quam ad ipſum fideicommiſſarium pertinuiſſet, ſi vixiſſet. Quamobrem non niſi poſt annum 16. impletum fideicommiſſum debebitur ex *l. Publius* 36. §. 1. Et ita quoque addendum puto ad ſpeciem *l. Sejus* 46. Ut autem diximus illa verba, *ſi 16. annorum erit*, propter ſubſtitutionem, ne ſcilicet evaneſcat, pro die certo accipi in ſpecie *l. Publius* 36. ita etiam in ſpecie *l. ultim. D. de fideicomm. libert.* conditio dicitur appoſita reſpectu ſubſtitutionis nulla & ſupervacua eſſe: quae quidem lex, cum ſit ex ejusdem autoris eodem libro, conjungenda eſt cum hac *l. Publius* 36. quam idem ipſe, de quo ſupra, etiam fecimus mentionem, male emendandam eſſe putat. Caret enim mendo, & redditur multo intricatior, ſi, ut ille vult, pro *ſedecim*, *quatuordecim* ſubſtituamus.

CAPUT II.

Ex Conſtantino Harmenopulo emendata l. quamvis 75. D. de Jure dotium.

POſtrema verba *l. quamvis* 75. *D. de Jure dotium*, ſic potius legenda ſunt, quam ut vulgo leguntur: *Hujus etiam* (ſcilicet mulieris) *quamvis conſtante matrimonio dominium ſit? apud maritum tamen emolumenti poteſtatem eſſe creditur, cujus etiam cauſa matrimonii onera maritus ſuſtinet.* Et hanc lectionem confirmant quae adduntur in lege, *maritum ſuſtinere onera matrimonii*; quibus ſignificat JCtus merito apud maritum eſſe dotis onus, cum apud eum ſit dotis emolumentum & commodum, quod, ut dicimus, eum ſequantur onera & incommoda, quem ſequuntur commoda, & contra. Sane emolumentum dotis maxime pertinet ad maritum, eaque de cauſa inſtar fructuarii eſſe dicitur ab eo, qui ſcripſit τὸ πλάτος Βασιλικῶν ad *l. 65. D. de Jure dot.* Huc accedit, quod

Ju-

Digitized by Google

tius legis noſtrae ſenſu, adjicit in fine, maritum ob id, quod ſuſtineat, onera matrimonii etiam dotis emolumentum edere, conſtante matrimonio: Ἐν ὅσῳ γὰρ, inquit, πρὸς τῷ ἀνδρὶ ἐστὶν ἡ γυνή, τὸ κέρδος αὐτῆς ἔχει ὁ ἀνὴρ διὰ τὰ βάρη; ut non dubitem, quin ex Harmenopuli autoritate lex noſtra ita ſit emendanda, ut ſupra propoſuimus. Sed Harmenopuli verba, quibus legem noſtram totam interpretatur, digna ſunt, quae integra referantur; ut quî commodus ſenſus ex hac lege elici poſſit appareat, & ut intelligatur, alia quaedam in hac lege aliter legenda eſſe, quam quod vulgo legantur, & nonnulla verba, turbata ſuis ſedibus, reſtituenda eſſe; quaedam etiam in aliorum locum ſubſtituenda. Harmenopuli igitur verba haec ſunt, *lib. 4. πρόχειρ. tit. 8.* Εἰ καὶ ἐν τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ ἀνδρός ἐστιν ἡ προὶξ ὅμως τῆς γυναικός ἐστιν, ὅθεν ἐκδικουμένου προικιμαίου ἀγροῦ ἡ γυνὴ κινεῖ περὶ ἐκδικήσεως, αὐτῇ γὰρ διαφέρει ἐὰν γὰρ μὴ ἐκνικήσῃ, ταύτας αὐτὸν ἔχειν ἐν προικί, ἐν ὅσῳ γὰρ πρὸς τῷ ἀνδρὶ ἐστὶν ἡ γυνὴ τὸ κέρδος αὐτῆς ἔχει ὁ ἀνὴρ διὰ τὰ βάρη: hinc conſtat ſi quid autoritati Harmenop. tribuendum eſt (ut certe eſt tribuendum) hanc legem ita totam legendam eſſe: *Quamvis in bonis mariti dos ſit, mulieris tamen eſt, & merito placuit, ut ſi in dotem fundum inaeſtimatum dedit, cujus nomine duplae ſtipulatione cautum habuit, isque marito evictus ſit, ſtatim eam ex ſtipulatione agere poſſe, quia ejus intereſt non eſſe evictum quod in dote fuit, quoniam ipſa evictionem pati creditur, ob id quod eum in dote habere deſinit. Hujus etiam &c.* Ad id autem, quod Harmenopulus dotis commodum apud maritum eſſe ait, cum apud eundem ſit dotis unus, pertinet quod eſt *lib. 29.* Βασιλικ. ὁ ἀνὴρ τοὺς καρποὺς τῆς προικὸς λαμβάνει διὰ τὰ βάρη τοῦ γάμου. Item: ὅπου τὰ βάρη τοῦ γάμου, ἐκεῖ καὶ ἡ προὶξ ὀφείλει εἶναι.

CAPUT III.

De vi ac proprietate dictionis χρήσεως *ad* l. ſi habitatio 10. D. de uſu & habitat.

Quaerit Ulpianus in *l. 10. D. de uſu & habit.* χρῆσις habitationis relicta, utrum *uſumfructum* ſignificet, an *uſum tantum*. Ex Papiniano reſpondet, *uſum tantum contineri*: quod videtur a Graeca loquendi conſuetudine alienum, cum χρῆσις ſemper fructum ſignificet, ut apud Curium *Epiſtol. ad Ciceron. lib. 7. Ep. 29.* & apud Ariſtot. 4. *Ethicor. cap. 1.* & apud Iſocrat. *ad Demonic.* Harmenopulus quoque χρῆσιν *uſumfructum* interpretatur. Sic enim ille *lib. 5.* οὐσουφροῦκτος γὰρ κατὰ Ῥωμαίους ἡ χρῆσις λέγεται. Sed ſciendum eſt, ea de cauſa dubitari in *d. l. 10.* an appellatione χρήσεως in legato habitationis contineatur uſusfructus, quia χρήσεως vox fere ac proprie uſumfructum ſignificat. At quoniam contra naturam habitationis foret, uſumfructum contineri eo legato, cum habitatio uſum, non uſumfructum contineat, *d. l. 10. in princ. l. ſi quis unas 32. in fin. D. de uſufr.* ideo contra proprietatem dictionis χρήσεως reſpondetur, *uſum tantum contineri*. Et eodem modo proponitur paulo poſt aliud legatum, legato χρήσεως prorſus ſimile, quando ſcilicet domus uſusfructus habitandi cauſa relinquitur, quo caſu etiam deciditur, citra uſum ac proprietatem vocabuli uſusfructus, *uſum tantum*, id eſt, habitationem contineri. Male igitur illi, qui probare conantur χρήσεως appellatione proprie uſum ſolum ſignificari. Male etiam enim χρῆσις μὲν tuus, κτῆσις δὲ *Attici noſtri: Ergo fructus eſt tuus, mancipium illius*, nonne in hoc Curii loco, cum κτῆσις ſit unius Attici ſcilicet, fructus nihilominus eſt alterius, videlicet Ciceronis, maxime confirmatur, cum ita reſcribit: *Cujus*, quod poſtea reſponſione Ciceronis, *quando proprium te eſſe ſcribis mancipio & nexu, meum autem uſu & fructu, contentus iſto ſum. Id enim cujusque proprium eſt, quo quis fruitur atque utitur?* Refutantur etiam ex eo ipſo, quod ajunt χρῆσιν eſſe dominium naturale, ſeu quod in bonis dicitur; κτῆσιν vero dominium civile, ſeu Quiritarium. Qui enim dominium naturale habet, uſumfructum maxime habet, adeo ut qui dominus eſt ex jure Quiritium ſolum, nihil habere plane videatur, quo utatur fruatur, & dominium inane & vacuum habere dicatur, *l. unica. C. de nud. jure Quirit. tollend.* Itaque maritus, qui dominium naturale ſeu bonitarium habet, *l. quamvis 75. D. de Jure dot.* inſtar fructuarii eſt in rebus dotalibus, ut ſuperiori capite dicebamus ſcribere, τὸ πλάτος Βασιλικῶν in *l. 65. D. de jure dotium.*

CAPUT IV.

Caput legis Juliae de adulteriis; & explicatus Martialis locus.

Cum lege Julia adulteria puniebantur, ac potiſſimum mulieres, quae adulterium commiſerant, ea lege tenebantur, tum vel hae tantum mulieres ei legi obnoxiae erant, quae matresfam. haberi volebant, quaeque honeſtatem vitae ac pudicitiam profitebantur; cum eae, quae ſeſe vulgo, omni abjecto pudore, proſtituebant, illius legis poenam facile effugerent, & adulterii minime tenerentur, *l. quae adulterium 29. C. ad legem Jul. de adult. l.° ſi ea quae 22. eod.* Veteres enim nullam aliam poenam iis mulieribus imponebant, quae ſeſe proſtituere non verebantur, quam ut ſe per criminis profeſſionem omnis honeſtatis juris ac legum expertes redderent. Cornel. Tacit. *lib. 2. Ann. cap 85. More inter veteres recepto, qui ſatis poenarum adverſum impudicas in ipſa profeſſione credebant.* Quo ſaepe fiebat, ut mulieris, quae poenam adulterii evitare volebant, impudicitiam & lenocinium profiterentur. Sueton. *in Tiberio cap. 35. Feminae famoſae, ut ad evitandas legum poenas jure ac dignitate matronali exſolverentur, lenocinium profiteri coeperant.* Idem traditur in *l. mater 10. D. ad leg. Jul. de adult.* Ex his explicandus eſt hic Martialis locus: *lib. 6. Epigr. 22.*

Quod nubis Proculina concubino;
Et moechum modo, nunc facis maritum:
Ne lex Julia te notare poſſit,
Non nubis Proculina, ſed fateris.

Sic enim hic locus diſtinguendus eſt, & explicandus hoc modo: Quod Proculina nubis ei, cum quo adulterium commiſiſti, tantum abeſt, ut hoc pacto videaris pudicitiam profiteri (quae certe praeſumitur alias, ſi conjungantur, qui adulterium antea commiſerant, quoniam lege Julia tenentur, *l. commiſſum 27. C. ad legem Jul. de adult. Novell.* 134.) ut potius videaris profiteri amorem impudicum & lenocinium, ne lex Julia te notare poſſit, quae eas, quae lenocinium profitentur, a legis obſervatione liberas eſſe vult, *d. l. mater* 10. hoc, inquam, modo hic Martialis locus diſtinguendus eſt & intelligendus, quem Alexander ab Alexandro *lib. 4. Genial. cap. 1.* non recte

Digitized by Google

Jupiter & toto concepit pectore flammas.
Virgil. *in Cir. v.* 244.
Sin confeſſus amor noto te macerat igne.

CAPUT V.

Repetitionem uſusfructus capitis diminutione & ἀχρηστίᾳ amiſſi locum non habere in legato uſusfructus in ſingulos annos: & de hac re quemadmodum ſit emendanda l. licet 23. D. de uſuf. leg. *oſtenditur.*

USusfructus legatus morte, capitis diminutione, & non utendo amittitur. Morte omnino, ita ut repeti nequeat, *l. repeti* 5. *D. quib. mod. uſusf. amitt.* capitis diminutione & ἀχρηστίᾳ amiſſus repetitur. Nam poteſt teſtator repetere legatum uſusfructus, ut uſusfructus etiam poſt capitis diminutionem debeatur, *l. licet* 23. *D. de uſuf. legat. l.* 3. *in princ D. quib. mod. uſusf. amitt.* Non utendo quoque amiſſus uſusfructus repetitur, quia ex omni cauſa licet repetere uſumfructum, excepta cauſa mortis, *d. l. repeti* 5. Repetitur autem uſusfructus hoc modo: *Titio uſumfructum do lego; quoties uſusfructus amiſſus erit, eundem uſumfructum eidem do lego, l. in annos ſingulos* 8. *D. de ann. legat. l.* 3. *in princ. D. quib. mod. uſusf. amitt.* Sed magna eſt quaeſtio, an in uſufructu legato in annos ſingulos habeat locum repetitio ſolum. Quod Mauricianus velle videtur in *l. licet* 23. *D. de uſuf. legat.* ubi ait Conſtitutioni Antonini Imperatoris, qua confirmat, licere teſtatori uſumfructum legatum repetere, ut etiam poſt capitis diminutionem vel ἀχρηστίαν debeatur, duntaxat locum eſſe, cum legatus eſt uſusfructus in annos ſingulos. Cujacius *Obſ. lib.* 14. *cap.* 17. vidit, emendandam eſſe *d. l. licet* 23. ut certe emendanda eſt. Nam pugnat cum multis aliis locis, quod in ea dici exiſtimatur, repetitionem uſusfructus tunc tantum valere, cum in annos ſingulos legatus eſt uſusfructus. Itaque ubi in *d. l. licet* 23. legitur, *tunc tantum eſſe huic Conſtitutioni locum*, emendat Cujacius *nec tantum eſſe &c.* ut legatum uſusfructus in annos ſingulos etiam repeti poſſit. At ſiquidem emendanda eſt ea lex, ut certe eſt, ſic potius legi debere contenderem: *Nec tamen* (quae particula in quibusdam libris expreſſe legitur) *eſſe huic Conſtitutioni locum, cum in annos ſingulos relegaretur:* obſervandum enim eſt, cum uſusfructus legatur in annos ſingulos, plura eſſe legata, plures uſusfructus, *l. cum uſusfructus* 13. *D. de uſufr. legat. l.* 10. *D. quand. dies legat.* & non utendo non amitti, *l. ſi uſusfructus* 28. *D. quib. mod. uſusfr.* neque capitis diminutione, *l. penult. D. de capit. minut. l. in ſingulos* 8. *D. de ann. legat.* Quod cum ita ſit, quid opus eſſet repetitione? cum illud ipſum legatum uſusfructus in ſingulos annos tacitam habeat repetitionis poteſtatem, ut dicitur in *l.* 2. §. *ſi non mors* 1. *D. quib. mod. uſusfr.* quia tantum unius anni ſemper amittitur uſusfructus, *l.* 1. *in fin. & d.* §. *ſi non mors* 1. *d. tit. quib. mod. uſusfr.* idque merito, quoniam, ut ſupra dictum eſt, plura ſunt legata in legato hujusmodi, quae non ſemel, ſed ordine & in ſingulos annos legatario acquiruntur, ideoque non poſſunt illa amitti, quae nondum ſunt legatario acquiſita, ſecundum regulam juris, quae ab autoribus uſuifructui maxime accommodatur, *l.* 1. *D. quemad. uſusfructus amitt. l. Titio uſusfr.* 96. *D. de cond. & demonſt. l. non videntur* 83. *D. de regul. Juris*, quamque ad materiam uſusfructus potiſſimum pertinere, recte animadverſum eſt. Facit & huc *l.* 3. *in princ. ita & capitis diminutione amiſſus quovis alius uſusfructus legari poteſt.* Atque ita legatum uſusfructus in annos ſingulos, quia jam habet tacitam repetitionem, a teſtatore repeti non poteſt. Cum etiam tacita per ſe repetitio firma ſit, expreſſa opus non videtur eſſe, ideoque ſupervacua eſt. In hac lege vero agitur de expreſſa repetitione, a teſtatore facienda; idque ipſa legis verba ſatis oſtendunt.

CAPUT VI.

Sabinus an idem ſit, qui Vitellius.

ANtonius Auguſtinus, vir Reip. literariae bono natus, in libris ſuis *Emendationum lib.* 1. *cap.* 6. Vitellium eundem eſſe cum eo, qui Sabinus ſaepius laudatur, aut Vitellium Sabinum fuiſſe appellatum exiſtimavit. Movetur Auguſtinus *l. Sabinus* 18 *D. de hered. inſtit.* in qua cum inſcriptio ſit ex libro Pauli ad Vitellium, & poſtea in contextu laudetur Sabinus a Paulo, videtur Paulus appellationem Sabini tribuere Vitellio: ita ut videatur Sabinus idem eſſe, qui Vitellius. Sed male! nam eodem modo poſſemus inferre, Julianum dictum fuiſſe Marcellum, ex *l. Marcellus* 15. *D. de donat. cauſa mort. l. Marcellus* 66. *D. de reg. jur.* aut Plautium Caſſium, ex *l. Caſſius* 18. *D. de liberat. legat.* Quapropter illud ſciendum eſt, Sabinum ad Vitellii libros notas ſcripſiſſe. Patet id ex *l. hoc legatum* 45. *D. de legat.* 3. *l.* 8. *l. quaeſitum* 12. §. *ſed ſi fundus* 27. *D. de inſtruct. legat. l.* 3. *in princ. D. de penu legat. l. tutorem* 22. *in fin. D. de his quae ut indig.* Quod cum conſtet, obſervandum eſt in *d. l. Sabinus* 18. Paulum, ſcribentem ad Vitellium, maluiſſe laudare Sabinum in contextu, quia Sabini nota ad eundem Vitellium utebatur, & maluiſſe Sabino ſuum relinquere, quam id tribuere Vitellio, ne uni detraheret, quod alteri adderet. Poſſis dicere, id potius Tribonianum fecifſe, ut & alibi fecit. Nam cum in *l.* 10. §. *ult. D. de manum. teſtam.* Pauli *librum quartum ad Sabinum* eandemque ſententiam & eadem verba, quae in *l. ſi idem ſervus* 14. *D. de legat.* 2. retuliſſet, attamen inſcriptionem *d. l. ſi idem ſervus* 14. fecit *libro quarto ad Vitellium.* Illud nimirum uno in loco movit Tribonianum, quod videbat Paulum libro ad Vitellium referre potius Sabini, quam Vitellii verba, ideoque inſcribendam eſſe potius legem *ad Sabinum*; in altero ſciebat Paulum ſcribere ex profeſſo *ad Vitellium* illo, quem proferebat, loco, itaque non temere Pauli propoſitum mutandum putabat. Neque foret diſputationi locus; ſi quis vellet contendere Caelium Sabinum ad Maſſurium Sabinum, qui dictus fuiſſet Vitellius, notas ſcripſiſſe, ita ut Caelium intelligeremus per Sabinum (quem ſupra probavimus ad Vitellium ſcripſiſſe) Maſſurium Sabinum per Vitellium. Nam haec opinio (qua tamen Auguſtini ſententia mihi in mentem aliquando venit) refutatur, *d. l. quaeſitum* 12. §. *ſed ſi fundus* 27. *De inſtruct. legat.* ubi cum Ulpianus proponat Sabini ſententiam in libris ad Vitellium, quam ſecutum fuiſſe Caſſium in libris quoque ſuis ad Vitellium ibidem refert, ſatis conſtat, non intelligendum Caelium Sabinum, quippe qui poſt Caſſium vixerit, ſed Sabinum Maſſurium, quem Caſſius magiſtrum ſuum laudat in *l. qualem autem* 19. §. *ultim. D. de recept. arbit.* Refutant id & alia loca, quae lubens omitto. Quis autem fuerit Vitellius, quo tempore vixerit, deliberandum amplius cenſeo. Par eſt nos veteribus Jctis hoc tribuere, & hanc referre gratiam, ut inquiramus & ſcire ſtudeamus, qui illi & quales fuerint:

Digitized by Google

CAPUT VII.

Explicata l. 9. D. de cond. furt. & §. 1. verſ. Aliquando. Inſtit. de perpet. & tempor. action.

Difficilis haec lex habita eſt a multis hactenus, & quod mirere ab ipſo Cujacio, qui, pluribus in hanc legem in medium prolatis, quae contraria videantur, nihil tamen ſolvit, ſibique ingenui judicis more *non liquere* libere fatetur. Videamus, quae opponi poſſint, tum deinde quemadmodum haec lex intelligenda ſit. Condictio furtiva & rerum amotarum comparantur, ita ut utraque eodem caſu dari dicatur, *l. contra* 6. §. 4. *l. ſi mulier* 21. §. *penult. D. rer amot.* Condictio autem rerum amotarum non datur in heredem, niſi in quantum locupletior eſt factus, *l. ultim C. eod.* Ergo nec in heredem in ſolidum dari debet furtiva condictio. Patris in peculio filii per omnia eadem eſt, quae heredis ratio, atqui in patrem non datur actio peculii ex furtiva condictione, niſi quantum pervenit ad ſe, *l.* 3 §. *penult. D. de pecul. l.* 4. *D de condict. furtiv.* ſicut nec in dominum, *l. ſervus* 30. *D de action. empti. d. l.* 4. Ergo nec in heredem dari debet, niſi quantum eſt locupletior factus, quod & directo probat, *l.* 2. §. *ultim. D. vi bonor. rapt* His tamen omnibus obſtat maxime *l.* 9. *D. de condict furtiv* quae aperte ſtatuit condictionem furtivam in ſolidum dari, non quatenus eſt heres locupletior factus. Idem Cujacius alio loco hanc legem intelligit, ut lis conteſtata fuerit cum defuncto. Ego vero animadverti, eam accipiendam eſſe de condictione furtiva, quae ex bonae fidei contractibus datur. Generaliter enim in bonae fidei contractibus heres in ſolidum tenetur, quamvis dolus aut delictum defuncti in iis verſetur, *l. ultim. D. de fidejuſſ tutor. l. ex depoſiti* 12. *l. ex contractibus* 49. *D. de oblig & action. l. ex facto* 131. *D de verb. oblig. l. hoc jure* 152. §. *ultim. l. ad ea quae* 157. §. *ultim. D. de reg. jur.* Quare ſi depoſitarius rem depoſitam contrectet, mandatarius, tutor, negotiorum geſtor, aut quivis alius in bonae fidei contractu dolo aliquid agat aut ſurripiat vel contrectet, heres ejus in ſolidum tenetur, quamvis dolus defuncti aut delictum verſetur; idque propter contractum bonae fidei. Atque hanc ſententiam ex eo confirmo, quod cum *d. l.* 9. ſumpta ſit ex libro Ulpiani 30. ad Edictum conjungenda eſt cum *l. ſi hominem* 7. *D. depoſit.* quae ejusdem autoris & inſcriptionis eſt, eademque fere verba habet. Haec cum ita ſcripſiſſem, incidi poſtea in doctiſſimi cujuſdam viri commentarium, qui hanc legem eodem fere modo explicat; in quo mihi magnopere ſum gratulatus. Nolui tamen hanc obſervationem celare, tum quia non multis eſt obvia, tum etiam quia ab eodem viro doctiſſimo paulo aliter tractata eſt. Facere non poſſum, quin his adjungam explicationem §. 1 *verſ. Aliquando. Inſtit. de perp. & temp. action.* qui & ipſe varie a variis accipitur. *Aliquando etiam ex contractu actio contra heredem non competit, cum teſtator doloſe verſatus ſit, & ad heredem ejus nihil ex eo dolo pervenit.* Haec enim ſunt Juſtiniani verba, quae, qui emendarent, non defuerunt; ſed illa refero ad contractus ſtricti juris, ut velit Imperator in illis heredem, niſi in quantum eſt locupletior factus teneri. Videntur enim & aliae leges diſtinguere hoc caſu inter bonae fidei contractus & ſtricti juris, ut in *l. ultim. D. de fidejuſſ. tutor.* Nam, ta, *non tantum in quod pervenit*, ad contractus ſtricti juris; haec vero, *verum etiam in ſolidum*, ad bonae fidei referantur. Et ideo JCtus in principio §. generaliter dixit *in contractibus*. Sed de his alibi fortaſſis accuratius.

CAPUT VIII.

Perjurii poena quae ſit legibus.

Novi interpretes hac in quaeſtione, *An perjurium legibus puniatur*, varii fuerunt, & inter eos affirmativam quidam, negativam alii magis amplexi ſunt ſententiam, ita quidem, ut, qui unam ſententiam probarunt, alteram ſtatim repudiarint, nec utramque ſtare ſimul poſſe exiſtimarint. Ego vero ambas ſententias conjungendas puto, & adhibitis diſtinctionibus dicendum, perjurium puniri legibus, & non puniri. Puniri probat *l. nam ſufficit* 22. *D. de dolo l.* 2. *in fin. C. de indict. viduit. l. quoties* 17. *C. de dignit. Novell.* 51. non puniri *l.* 2. *C. de rebus credit* quae omnino referenda eſt ad eum, qui per Deum pejerat, ut Conſtantinus Harmenopulus interpretatur recte, qui ideo ait jurisjurandi contemptam religionem ſatis Deum habere vindicem ſeu ultorem. Ultionem enim perjurii in Deum Deo potiſſimum veteres tribuebant. Juſtin. *hiſtor. lib.* 14. *cap.* 4. *At vos devota capita reſpiciant Dii perjuriorum vindices.* Cornel. Tacit. *lib* 1. *Ann. cap.* 73. *Jusjurandum perinde aeſtimandum, quam ſi Jovem fefelliſſet, Deorum injurias Diis curae.* Ita ut de perjurio idem poſſis dicere, quod de ingratitudine Seneca *lib.* 3. *de Benefic. cap.* 6. cum inquit: *Hoc frequentiſſimum ingrati crimen nusquam punitur, Et hoc ubique improbatur neque abſolvimus illud, ſed cum difficilis eſſet incertae rei aeſtimatio, tantum odio damnavimus & inter ea relinquimus, quae ad vindices Deos remittimus.* Haec cum ita ſint, ſciendum eſt, Deo ultionem contemptae jurisjurandi religionis relinqui, ejus poenam Deo inprimis tribui, quod non ſatis digne ac pro merito videatur puniri poſſe ab hominibus, puniri quidem ab iis, ſed non, ut, quae poena infligitur, ſatis ſevera ſit, ad vindicandum tantum ac tam immane crimen. Itaque cum de poena illa, quae ab hominibus ſtatuitur perjurio, loqueretur Juſtin. *Novell.* 51. *in Praefat.* recte addit, *ſi qua omnino eſt poena.* Poena eſt eo reſpectu, quod impunitum non eſt perjurium; ſed quomodocunque punitur, poena non eſt, quia non ſatis ſevere & pro criminis magnitudine vindicatur, quod a ſolo Deo fieri debet & poteſt. Unde duobus in locis, quos poſtea proferam, τιμωρία τῆς ἐπιορκίας Deo imprimis tribuitur; mulcta infamiae hominibus. Nulla etenim alia ratione punitur perjurium, quam infamiae inflictione, *l. quoties* 17. *C. de dign. l. ſi quae major* 41. *C. de tranſact.* quae omnino ad perjurii poenam pertinet, non ad actionem ex jurejurando, *Ariſt. cap* 18. *Rhet. ad Alexand.* οὐκ ἐπιορκοῦσι φοβούμενοι τήν τε ἐκ τῶν θεῶν τιμωρίαν καὶ τὴν ἐκ τῶν ἀνθρώπων αἰσχύνην. Ad quem locum valde pertinet Cicero *lib.* 2. *de legib. cap.* 9. *Perjurii poena divina exitium; humana, dedecus eſto.* Iſocrat. *in orat. adverſ. Callimach. init.* εἰ δ' οἱ τολμῶντες ἐπιορκεῖν, μὴ μόνον ἐπιορκοῦντες ἐξελέγχοιντο, μηδὲ τῆς ἐκ τῶν θεῶν τιμωρίας ὑπομένοιεν, ἀλλὰ καὶ παραχρῆμα ζημιοῦνται. Ex his conſtat, veram perjurii poenam permitti Deo; mulctam & infamiae illationem hominibus. Nec novum, ut quae potiſſimum ulciſcenda Deo relinquuntur, interim tamen ab hominibus vindicentur, ne omnino impunita alios ad ſimilia facinora provocent & in-

Digitized by Google

tiſſimum divina vindicta puniuntur; ſecundario Imperatoris ira & motu, *l. 1. C. de ſumma trinitat.* Sic Imperatores Leo & Alexander, in quadam Conſtitutione apud Harmenopulum, cum dixiſſent judicem, qui occulte & male judicat Deum habere vindicem, addunt: *non tamen alienum putavimus & hunc injuriis poenis & execrationibus eſſe ſufficiendum.* Illud non alienum plane ab hoc loco fuerit addere, Principes propter poenam perjurii, quam ſupra diximus infamiam fuiſſe, ſaepenumero jurisjurandi gratiam feciſſe, *l. ultim. in princ. D. ad municip. Novell. 51. in Praefat.* Quod de eo demum jurejurando dici exiſtimo, quod fit adhibitis inſtrumentis; non etiam de corporali, cujus gratiam non faciebant Imperatores, *l. 1. C. ſi adverſ. vendit. l. 3. in fin. C. ſi minor. ſe major. dixer.*

CAPUT IX.

Veritas rerum erroribus geſtarum non vitiatur.

QUod eſt in *l. illicitus 6. §. veritas 1. D. de offic. praeſid. veritatem rerum erroribus geſtarum non vitiari*, & ideo praeſidem provinciae id ſequi, quod eum ſequi convenit, ex fide eorum, quae probantur, annotarunt, jam quidam minime pertinere ad probandam & confirmandam Johannis ſententiam, Judicem non debere ex ſententia judicare, ſed ſecundum acta & judicata, id eſt, ſecundum ea, quae aguntur, allegantur & producuntur in judicium. Id ut plenius intelligatur, tenendum eſt, errore, quaſi quadam defenſione & praetextu factum, ſi non in totum excuſatur, at certe relevari ac interpretatione leniri, *l. 4. C. ad leg. Jul. de adult.* aliquando etiam ne relevari quidem, aut errore & imperitia obliterari & vitiari, ut in *l. 3. C. de apoſtat.* Et hoc eſt, quod dicitur hoc in loco, *veritatem rerum erroribus geſtarum non vitiari*; hoc eſt, rei geſtae veritatem, ſeu ipſum factum non excuſari ex eo, quod qui fecit, ſe per errorem aut alio reſpectu feciſſe dicat: id quod toties JCtus inculcat, dum praetextum & colorem facti non excuſare, ſed ipſum factum ſimpliciter puniri ait. Probetur igitur Praeſidi illata vis, illicita exactio, violentia & metu facta venditio, non poterit qui vim intulit, qui illicite exegit, qui metu alium vendere coëgit, ullo ſe praetextu excuſare. Miniſter factum hoc praetextu non teget, quod cauſa adjuvandi militares viros aliquid fecerit; nec exactor, quod tributa exegerit. Praeſes igitur in judicando ſequetur, quod factum fuiſſe apparebit, nec erroris aut alius alicujus praetextus, qui in facto occurrit, habita ratione, aliquid de ſeveritate ſententiae remittet. Veritatem enim rei geſtae ſibi proponet, & ſecundum eam ſententiam feret. *Veritas rei* dicitur, *l. 10. C. de donat. l. 11. C. de fide inſtrum. l. 2. C. de acquiren. poſſeſ.* Subſtantia veritatis, *l. 10. C. de fide inſtrum. l. 2. §. ſi ſub conditione 2. D. pro emtor.* Rei geſtae veritas, *l. 17. C. de pact.* Res geſta & veritas, *l. 21. C. ad leg. Cornel. de falſ.* Ipſius rei natura & veritas, *l. ultim. C. arbit. tutel.* Id quod vere geſtum eſt, *l. data 27. C. de donat.* Haec itaque rei geſtae veritas errore aut praetextu ullo non obliteratur, *l. 6. D. ad municip. l. 4. C. de teſtam.* maxime vero *criminum veritas*, ut vocatur ab Apulejo, *lib. 10. de Aſin. aureo. Nam haec errore non lo[illegible]atur, labefactatur, obliteratur, aut adumbratur.* Quod dupliciter intelligi poteſt: primo, ut, quamvis quod per errorem geſtum eſt, extenuetur & excuſetur, non omnino tamen, non puniendum ſit: quoniam negari non poteſt, quin aliquid factum ſit, quod ipſum errore nullo vitiatur. Et tale eſt illud apud Juſtin. *in princ. Inſtit. de oblig. quae quaſi ex delicto. Et utique*, inquit, *aliquid peccaſſe intelligitur*, quodam loco apud Ovidium [illegible] qui valde huc pertinet:

Nil ego ſi peccem poſſum neſciſſe, nec ullus
Error, qui facti crimen obumbret, erit.

Huc illud pertinet etiam, quod dicitur in *l. ſi filia 20. in princip. D. famil. erciſc. Imperitiam ſeu errorem juriſdictionis formam mutare non poſſe*; quod tamen non eſt perpetuum: nam quandoque in re geſta non juris effectus, ſed animi deſtinatio reſpicitur, ut eſt in *l. Eum qui duas 18. C. ad leg. Jul. de adult.*

CAPUT X.

Criminis ſubſcriptio, quando locum habuerit.

QUae criminis ſubſcriptio, ſive inſcriptio laudatur, eo nomine ne accuſator temere ad accuſationem deſcendat, ni poenam, quam irrogari cupit, ipſe incurrere velit, *l. ſi cui crimen 7. D. de accuſ. l. penult. C. eod.* Symmach. *lib. 10. Epiſt. 63.* eam in extraordinariis duntaxat criminibus obtinuiſſe reperior, *l. ultim. D. de privat. delict. l. ultim. D. de furt.* Cicero 2. *de Invent. cap. 19. Et quia parricidii cauſa ſubſcripta eſſet, extra ordinem eſſet acceptum nomen &c.* Caelius ad Cic. *lib. 8. Epiſt. 8. Itaque ſine ullo ſubſcriptore deſcendit & Tuccium reum fecit.* Cauſa tamen, quia Tuccius extraordinarius reus lege Plotia ſubſcripta fuit. Quo in loco recte *extraordinarius reus lege Plotia* ſubſcriptus dicitur, quia extraordinarii rei, quos ſubſcriptos fuiſſe diximus, legibus rei erant, *l. penult. D. de praevar. l. ordo 7. D. de public. judic. l. penult. C. de accuſ.* Itaque valde probo, quod Harmenopulus *lib. 1.* id, quod dicitur in *l. aut privatim 10. D. ad SCtum Turpill. abolitionem lege fieri*, interpretatur ac ſi ſcriptum eſſet, *ex inſcriptorum numero rei nomen aboleri.* Caeterum *inſcriptum* & *ſubſcriptum* crimen indifferenter dicimus, quamvis *ſubſcribere* quid aliud, quam *inſcribere* ſignificet aliquando apud autores; accuſatorem ſcilicet adjuvare & alieno nomine poſtulare. Corn. Nepos *in Attico. cap. 6. Neminem neque ſuo nomine neque ſubſcribens* accuſavit. Pedianus *in Divin. cap. 15. ſubſcriptores dicuntur, qui adjuvare accuſatorem cauſidici ſolent.* Et ita accipitur ſubſcriptor in ſuperiori Caelii ad Ciceronem loco. De illa vero ſubſcriptione agimus hoc loco, quam quiſque ſuo accuſaturus proponebat, de qua Seneca *lib. 9. controv. 2. Paulus erat accuſator cum commentariis.* Gellius *lib. 4. cap. ultim. Tum cenſor eum, qui impeſtive laſciviſſet, in aerarios retulit, cauſamque hanc joci ſcurrilis apud ſe dicti ſubſcripſit.* Et quod apud Paulum *lib. 5. tit. 16. §. 14. Sent. accuſatores edere crimina* dicuntur, id ſignificat per ſubſcriptionem genus criminis edere & exprimere, vel, ut Seneca ait, *ſubſcriptionem edere*, cujus verba commodius infra citabuntur. Sciendum eſt quoque, hanc ſubſcriptionem variis locis fieri ſolitam fuiſſe, in ſecretario principis, *l. penult. C. de accuſat.* annalibus & ſacris ſcriniis, *l. praeſcriptiones 65. C. de appellat.* commentario principis. Tacitus *lib. 4. hiſtor. cap. 40. Petit a Caeſare Junius Mauricus, ut commentariorum principalium poteſtatem ſenatus faceret, per quos noſceret, quem quiſque accuſandum popoſciſſet, apud magiſtratus.* Plautus *in Trucul. Act. 4. ſc. 2. v. 48. Jam hercle apud omnes magiſtratus faxo erit nomen tuum, poſt id ego manum in te conjiciam.* Idem *in Aſinaria. Act. 1. ſc. 2. v. 5. Ibo ego ad Tresviros, veſtraque ibi nomina faxo erunt capitis.* Huc pertinet hoc Sidonii Apollin. *Epiſt. 3. lib. 1. Arvandum publico nomine accuſaturi geſtis decretalibus inſequuntur*; & Varronis *fragmentum*, citante Nonico: *Itaque eas in ceram conſcribillavit Herculis ad litem.* Illud autem maxime notandum hic eſt, inſcriptum reum ſtatim carceri traditum fuiſſe, tormenta, verbera, catenas ſu-

Digitized by Google

ſet, unum & eundem duobus reis ſimul ad quaeſtionem, ad carceres, & ad caetera obligari.

CAPUT XI.

Quaeſtionum, Disputationum, Aſſeſſoriorum, Diſceptationum, & Decretorum libri a diverſis Jctis editi.

Libros Quaeſtionum ſcripſerunt Africanus, Papinianus, Fuſidius, Tertullianus, Paulus, Scaevola, Calliſtratus, Maecianus, quibus referebant, quid ipſis aſſidentibus & ſuadentibus a magiſtratibus lata ſententia conſtitutum eſſet; ut recte ſuos libros Scaevola inſcripſerit: *Quaeſtionum publice tractatarum libros.* Nam intelliguntur quaeſtiones a Jctis in cognitionibus magiſtratuum & judicum multum agitatae & diſcuſſae, non ſimplices & nudae quaeſtiones, ſed quaeſtiones tractatae & plenae. *Tractare* etenim ſignificat, rem plene perfecteque, quandoque etiam adhibitis Jurisperitis, conſiderare, *l. Divi fratres 17. D. de jure patronat.* Et haec eſt inter *tractatum*, ſeu *tractationem* & *quaeſtionem* differentia, quod *tractatus* latior ſit, *quaeſtio* ſtrictior & ſimplicior, *l. 5. in princ. D. de praeſcript. verb.* Seneca 1. *Controverſ. circ. med. Hoc ex aequitatis parte pendet & tractatio magis eſt, quam quaeſtio.* Idem 5. *Controverſ. Hoc non tanquam quaeſtionem, ſed, ut illi mos erat, pro tractatione & loco.* Ex quibus duobus locis Senecae conſtat, *tractatum* eſſe, de quo nihil in perpetuum & generaliter definiri poſſit, ſed quod pro tempore ac loco aliud atque aliud ſit, ut quod in aequitate conſiſtit, quae etiam in jure noſtro certis regulis non facile concludi dicitur, *l. 14 in princ. D. de diverſ. temp. praeſcript.* *Quaeſtionem* eſſe certam, definitam, & regulis ſuis comprehendi, quod & probat *l. mora 32. in princ. D de uſur.* ut jus *l. 2. D. de Jur. & facti ignorantia.* Et hoc eſt, quod dicitur in *l. ſi ſervum 91. §. ſequitur 3. D. de verbor. obligat.* *In quaeſtione* (*quaeſtionem* accipit pro *tractatu*, ut in *l. 88 D. ad leg. Faleid.*) *de bono & aequo ſub autoritate juris ſcientiae pernicioſe plerunque errari:* dum ſcilicet *tractatus* boni & aequi ad praecepta ac regulas juris revocatur, qui nulla regula certa comprehenditur: item, quod infertur ex *l. 17. D. de jure patron. in tractatibus*, nullam juris ante lati rationem haberi, ſed quid aequum bonum videatur, libere & ingenue promi. Recte igitur Scaevola non ſimpliciter *quaeſtionum*, ſed *quaeſtionum tractatarum* libros ſuos inſcripſit, quod idem valet, ac ſi eos *Tractatuum* inſcriptione donaſſet. Recte etiam *quaeſtiones publice tractatas* vocavit, quia, ut dixi, quaeſtiones propoſitae a Jctis examinatae, diſcuſſae & examinatae in auditoriis & tribunalibus magiſtratuum intelliguntur. Unde in *l. Lucius 38. D. Mandati. Eſt earum ſpecierum judicialis quaeſtio, per quam res expediatur*, & in *l. 4. C. de liber. cauſa. in auditorio quaeretur.* Idem probant *l. Titius 43. verſ. Illud. D. de action. emti. l. jubemus 6. C. de natur. liber.* Et quia, ut dixi, potiſſimum a Jctis disputabantur eae quaeſtiones, unde ſaepius in libris illorum quaeſtionum, *dixi*, *dicebam*, & alia occurrunt verba *l. teſtam. 40. D. de reb. credit. l. peregre 44. §. quaeſitum 1. D. de acquir. poſſeſſ. l. penult. D. de liberat. legat. l. ſi cui 92. D. de cond. & demonſt.* quae ex libris Ulpiani *de fideicommiſſis*, qui ſunt & *quaeſtionum*, ut Maeciani inſcribuntur libri *quaeſtionum de fideicommiſſis.* Item *quidam dicebant*, *exiſtimabant*, & ſimilia *d. l. lecta. d.* magiſtratibus eorumque ſententias inſtruebant. Unde in *l. metum 9. §. 3. verſ. Sed ex facto. D. quod metus cauſa. Praetorem, me aſſidente, interlocutum eſſe ſcio*, & in *l. 3. D. §. 3. de uſur. Praefectis praetorio ſuaſi.* De quaeſtione propoſita, & in auditorium deducta licebat Jurisperitis multum inter ſe diſputare, ut quam probarent ſententiam magiſtratus pro tribunali ſedens confirmaret, & in judicando ſequeretur. Hinc in ſpecie *l. lecta 40. D. de rebus credit.* Ulpianum & Paulum multum inter ſe agitatam quaeſtionem diſputaſſe ſub Papiniano, aut in auditorio Papiniani apparet; cujus illi aſſeſſores fuerunt, ut refert Spartianus. In aſſeſſoriis etiam legum, ante latarum, ratio non habebatur. Itaque cum Ulpianus legem propoſuiſſet, addit, *Praetores etiam exemplum legis ſecuturos in aſſeſſorio*, *l. lex Cornelia 5. §. hac lege 8. D. de Injur.* quaſi alias leges non ſequantur. Et recte Sabinus inſtruit Praetorem, quidque ſequendum ſit Praetori in auditorio apud ſuos aſſeſſores docet; eodem modo, quo noſtri aliquando ſolent autores virum bonum inſtruere, eisque, qui in re aliqua liberum arbitrium habent, praecepta dare, quo arbitrari juſte poſſint, ne aberrent a bono & aequo, ut in ſpecie *l. ita ut omnes 36. in princ. D. Mand.* conjuncta *l.* quae praecedit. Jurisconſultorum igitur ſententiae potiſſimum in auditoriis & apud tribunalia magiſtratuum valebant & familiam ducebant, & ab iis reſponſa non ſolum privatis, ſed etiam magiſtratibus reddebantur, *l. 5. D. de manumiſ. vindict.* Extra judicium etiam magiſtratus non facile quid ſine conſenſu aſſeſſorum ſuorum faciebant. Itaque Ulpianus aſſeſſor in villa dicitur Praetori permiſiſſe manumittere, *l. 8. D. de manumiſ. vindict.* in qua lege ſubaudiendum eſt, Praetorem animi cauſa conceſſiſſe in villam & hortos poſt negotia publica & litium dijudicationes; quod fieri ſolitum fuiſſe conſtat ex Horatio *Od. 5. lib. 3. v. 50.*

—— —— Non aliter tamen
Dimovit obſtanteis propinquos.
Et populum reditus morantem:
Quam ſi clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedaemonium Tarentum.

Ex Vopiſco *in Aureliano cap. 1. Ibi cum animus a cauſis atque negotiis publicis ſolutus ac liber vacaret, ſermonem multum a palatio uſque ad hortos Valerianos inſtituit.* Hujus veteris moris veſtigia etiam ſunt in *l. 1. §. adeundi autem 9. D. quand. appelland. l. quid tamen 21. §. ſi arbiter 10. D. de recept. arbit.* Haec viſum eſt adjicere de hac lege, quia perperam a quibusdam explicatur. *Diſputationum* libri etiam ſunt publicarum quaeſtionum & tractationum libri, *l. Divo. 11. C. de quaeſtion.* *Decretorum* libri ſunt etiam libri, quibus referuntur ſententiae Imperatoris in cognitionibus prolatarum, Jurisconſultis in conſilium adhibitis & quid judicandum principi ſuggerentibus. Principes namque, quando de re plene tractare volebant, Jctos in conſilium aſſumebant, qui propoſitam quaeſtionem pluribus tractarent, & de ea plene definirent, ut in *l. Divi fratres 17. D. de Jure patron.* Hinc quod principes in cognitionibus cum conſilio collocuti aliquid dixiſſe referunt, *l. 6. C. de uſucap. pro emp.* & in Actis Apoſtol. *cap. 25. v. 12.* συλλαλήσας μετὰ τοῦ συμβουλίου ἀπεκρίθη. Jurisconſultorum aſſeſſus maxime intelligitur. Illi enim in conſilium principum potiſſimum

tit. ultim. D. de jure fiſci. l. qui filium 74. *D. ad SCtum Trebell. l. Modius* 97. *D. de acquir. hered.* in qua neſcio, quid nonnulli conjiciunt de notis Pauli ad Papinianum. Sed haec prolixius fortaſſe, quam par eſt.

CAPUT XII.

Conciliatio l. Sunt qui in id 16. D. de re judic. *cum* l. Verum eſt 63. in princ. D. pro ſocio.

VIdentur contrariae *l. ſunt qui in id* 16. *D. de re judic.* & *l. verum eſt* 63. *in princ. D. pro ſocio.* Illa enim condemnationem fieri, ait, in id, quod ſocius facere poteſt, ſi ſocius ſit univerſorum bonorum: haec etiamſi non omnium bonorum, ſed unius duntaxat ſit rei ſocius, in quantum facere poteſt ſocium condemnari dicit. Sed ſciendum eſt, Ulpian. in *d. l. verum* 63. conſiderare ſocietatem etiam eam, quae unius rei eſt, quatenus ita eſt inita, ut unusquisque partem pro indiviſo poſſideat, & uterque ſocius partem, in qua eſt ſocietas, in ſolidum habet; ideoque recte addit, etiam unius rei ſocietatem quodammodo jus habere fraternitatis: *Fraternitatem* quoque cape, quando fratres commune patrimonium pro indiviſo poſſident. Et ideo Paulus eleganter ſcribit, in *l. ſi is qui tres* 31. *D. de excuſ. tutor. Neque fratres conſortes plurium loco habendi ſunt, neque non fratres, ſi idem patrimonium habeant.* Igitur quemadmodum fraternitas conſors unius perſonae loco eſt, ita & ſocietas, *l. mortuo* 22. *D. de fidejuſſ.* Societas ſive omnium bonorum, ſive unius duntaxat rei, jus quodammodo fraternitatis habet, dummodo in quo conſiſtit ſocietas, non poſſideatur ab uno ex ſociis, tanquam certa pars & diviſa. At partis ſocius partem fere ſemper diviſam vult habere, & parte communi uti, tanquam propria, ut inquit Ulpianus in *l. merito* 51. *D. pro ſocio. Et ſane*, inquit, *plerunque credendum eſt eum, qui partis dominus eſt, jure potius ſuo uti.* Qui partis ſocius eſt, plerunque videtur, rem communem tanquam propriam tractare. Nam ſocius, qui partem communem pro derelicto habet, videtur totum quid dereliquiſſe, *l.* 3. *D. pro derelict.* & ſocius partis, qui partem communem dat mutuo, eam tanquam propriam & partem ſuam diviſam credere videtur, *l. ſi ſocius* 16. *D. de rebus credit.* quam accipiendam eſſe de ſocio, qui partem communem habet, apparet, ſi, ut ſuadet inſcriptio, conjungatur cum *l. ſi unus* 67. *§. ſi unus* 1. *D. pro ſocio,* quae itidem ait, eum, qui totorum bonorum non eſt ſocius, ſi foeneraverit pecuniam communem & ex ea uſuras perceperit, ita demum partiri uſuras, ſi ſocietatis nomine foeneraverit, alias non partiri, ſi ſuo foeneraverit nomine. Qui partis diviſae ſocius eſt, vere ſocius non eſt, ſed particeps potius, Aſconius 3. *Verrin.* Hoc eſt igitur, quod ait *d. l.* 16. Ulpianus: *ſocium omnium bonorum accipiendum eſſe.* Nam quamvis de ſocio omnium bonorum tantum loquatur, non tamen excludit unius rei indiviſae ſocium, qui eandem habet aequitatem, quam ſocius omnium bonorum; nempe quia uterque eſt quodammodo frater conſors. At Ulpianus excludit ſocium partis diviſae, qui partem ſuam potius & propriam poſſidere videtur, quam communem: ita ut Ulpianus conſiderarit, quod plerunque fieri ſolet, ut partis ſocius partem communem velit potius poſſidere, tanquam ſuam, quam tanquam communem. Non eſt ergo ſibi ipſe contrarius Ulpianus, nec ei addenda eſt negatio in *d. l.* 16. Paulum quoque idem ſenſiſſe probat, *d. l. ſi unus* 67. *§. ultim.* ubi cum principaliter multum de ſocio unius rei diſputaſſet, addit deinde: *Non alias ſocius in id quod facere poteſt condemnatur, quam ſi confitetur ſe ſocium fuiſſe.* Affirmare auſim, hujus diſtinctio-

Proxenetica & indicia jure licito quamvis petantur, minus id tamen honeſte fieri.

QUamvis jure licito proxenetica peti dicuntur *l. 1. D. de proxenet.* eadem tamen quoniam ſordida ſunt *l. 3. eod.* minus honeſte peti exiſtimarim. Certe difficile peti ex eo patet, quod ἑρμηνευτικὰ iis facilius peti dicuntur, quae tamen ipſa non ita honeſte petuntur, cum qui ea petunt, non adeo improbabili more id facere dicantur, *d. l.* 3. Nam quod ἑρμηνευτικὰ non adeo improbabili more dicuntur peti, ſane ex eo patet, ea non plane probato aut bono more peti: *Improbato* aut *improbabili more* fieri dicuntur, *l. 1. §. ultim. D. de action. empt.* vel *malo more*, *l. atqui natura* 19. *§.* 1. *D. de neg. geſt. l.* 8. *D. quod metus cauſa. l. 1. §.* 12. *verſ. Litis cauſa. D. de extraord. cognit.* quae contra verecundiam, exiſtimationem & contra bonos mores fiunt. Proxenetica igitur & ἑρμηνευτικὰ honeſte minus petuntur, etſi licite. Atque haec eſt cauſa, cur poſt titulum, *De extraordinariis cognitionibus* (ſub quo quaedam continentur, quae quamvis jure licito, inhoneſte tamen petuntur; ut ille titulus exempla quaedam ſuppeditat) tractetur ſtatim *de proxeneticis*, atque definiatur ea etiam licite, inhoneſte quamvis peti. Sane *l. 1. D. de extraord. cognit.* & *l. ultim. De proxenet.* ex eodem ſunt Ulpiani libro. Et cum proxenetica & ἑρμηνευτικὰ jure licito petantur, quod eſt in *l. vel obligatus* 20. *D. de liber. cauſ.* aliquid datum eſſe alicui ob auctionem jure licito, id de *proxeneta* ſeu *parario* interpretor cum quibusdam, qui etſi minus honeſte, licito tamen jure honorarium petierit & acceperit: de quo ſunt intelligendae & aliae leges, quae ajunt, aliquid ab emtore emtionis cauſa impenſum & erogatum eſſe, *l. quod ſi nulla* 8. *D. de hered. vendit. l. debet* 27. *D. de aedilit. edict.* De indiciis, quae εὕρετρα dicuntur, idem eſt judicium, de quibus ideo eodem libro, quo de proxeneticis, tractavit Ulpianus, *l. ſolent* 15. *D. de praeſcript. verb. l. 1. D. de proxenet.* Nam indicia, quemadmodum proxenetica, licito jure petuntur, quamvis probe & honeſte non petantur, ut oſtendit *l. falſus creditor* 43. *§.* 9. *D. de furt.* in cujus his verbis: *Quid ergo ſi εὕρετρα, quae dicunt, petat? nec his videtur furtum facere, etſi non probe petat aliquid*, priori *petat* jus *licitum* ſignificatur, poſteriori *honeſtas*; *Probe* enim facere aliquid, non *jure licito* facere, ſed *honeſte* ſignificat. Unde haec duo *probe*, *jure licito*, conjungi ſolent, quoties indicare volumus *jus licitum* cum *honeſtate* conjunctum, *l. ut jurisjurandi* 7. *§. Jurare* 3. *D. de oper. libert.* quod alibi dicitur, *non ſolum liberum, ſed etiam honeſtum eſſe*, *l. 1. C. Th. de expenſ. ludor.* Ergo indicia, quamvis *licite* minus, tamen *probe* ac *honeſte* petuntur. Et quod *non turpiter accipi* tam expreſſe dicuntur, *l. 4. §. ultim. D. de cond. ob turp. cauſ. l ſolent* 15. *D. de praeſcript. verb.* eo ipſo *turpiter peti* & *inhoneſte* ſignificantur ſecundum id, quod eſt in *l. 1. §. proinde* 5. *D. de extraord. cognit.* Atque hoc modo explicandum puto, quod Balſamo ait, ob res culpa dominorum aut caſu perditas & aliquo inventas nomine mercedis aliquid inventori aſpergi, idque ab eo peti & exigi poſſe, ut jure quidem peti velit, quamvis non omnino honeſte & probe. Sunt, qui locum Balſamonis falſum eſſe contendunt, niſi inter dominum & inventorem ſtipulatio interceſſit; quod non probo: cum pactum aut ſtipulatio in hunc tantum finem interponatur, ut εὕρετρα non tam debeantur ex officio praeſtito, quam ex pacto aut ſtipulatione, Paulus *lib. 2. Sentent. tit.* 31. *§.* 24. *d. l. ſolent* 15. Nihil ſane impedit, quo minus illa peti jure ſcripto & conceſſo queant, etiam absque ſtipulatione aut pacto, ſed pa-

pactum

Digitized by Google

citur in *l. tutor* 16. §. 1. *D. de pignerat. actiou.* Nam quod ibi *morboſum* dicitur, paulo ante *in publicum obligatum* fuerat dictum. *Caduca* autem fiunt dupliciter vel *lege* vel *caſu*. Symmach. *Epiſt.* 54. *lib.* 10. *Quod nomen accipiet ablatio facultatum, quas nulla lex, nullus caſus fecit caducas. Caſu* ſunt *caduca*, quae publicatione, aut alio quovis modo, vivente adhuc domino, in fiſcum cadunt. Unde Imperator.s in *l.* 3. *C. de bon. vacantib. Si quando aut alicujus publicatione, aut ratione juris aliquid rei noſtrae addendum eſt.* Et recte Cujacius in *l. probibitum* 5. *C. de Juris fiſci.* emendavit, *quae ſuccubuerint legibus*; ubi *ſuccubuerunt* eodem ſenſu, quo in *l. intercidit* 59. *D. de condit. & demonſtrat. intercidit legatum*, id eſt, caducum factum eſt. Quod *lege caducum* fit, illud eſt, quod, ut ſupra dictum eſt, *domino nudum*, ut loquitur Symmach. *Epiſt.* 55. *lib.* 10. *in fiſcum defertur*, quod & lex Julia voluiſſe dicitur *l. quidam* 96. §. 1. *D. de legat.* 1. Juſtin. *Hiſtor. lib.* 19. *cap. ult. Sed quam poſſeſſione vacua fortuitis dominorum mortibus ſicuti caducam occupaverint.* Atque hoc proprie *caducum eſt.* Nam quod *caſu caducum* fit *ereptitium* potius dicendum, ut eo ſenſu *ereptitium* dicitur ab Ulpiano in *frag. tit.* 19 §. 17. His adjiciendum eſt *librarium caducorum* in *l. ultim. D de jure immunitat.* dicieum, qui res, in fiſcum caſuras, poſt mortem dominorum annotabat. Seneca *epiſt.* 68. *Pulſare ſuperbas potentiorum fores, digerere iu literam ſenes orbos, plurimum in foro poſſe, invidioſa potentia ac brevis eſt, ac ſi verum aeſtimes ſordida.*

CAPUT XV.

Legum quaedam inſcriptiones reſtituuntur.

QUanti ſint faciendae ſingularum legum inſcritiones, nemo paulo humanior eſt, qui non ſciat. Tanta eſt illarum utilitas, ut maximum quandoque pondus habeant ad explicationem legum. Quis eſt, qui duos Digeſtorum titulos, ut ut caeteros omittam, de verborum ſignificatione & de regulis juris ſe intelligere plane & explicare commode auſit dicere, qui non habeat ſingularum inſcriptionum exquiſitam rationem? Danda eſt igitur opera nobis, ut eas, ſi fieri poteſt, non vitioſas habeamus. Sunt quaedam, quae mihi reſtituendae videntur, ex quibus *l. ultim. D. de adminiſtr. tutor.* cujus inſcriptio debet eſſe, *Pomponius lib.* 8. *Epiſtolarum*, ut eſt inſcriptio legis, quae proxime praecedit, ideoque inſcriptio *legis ultim.* reddenda eſt *l. penult.* & hujus illi Sententia *d. l. ultim.* duobus in locis citatur ab Ulpiano ex *libro* 8. *Epiſtolarum*, in *l. ſumma* 21. §. *ſi dolo* 1. *D. de pecul. Et ita Pomponius lib.* 8. *Epiſtolarum*, in *l.* 3. §. *ſi ſervus* 1. *D. de tribut. action. quamvis Pomponius lib* 8. *Epiſtolarum, ſi ſolvendo tutor ſit, ex dolo ejus pupillum teneri ſcripſit.* Illud omittendum non eſt, hanc eandem ſuam ſententiam Pomponium retuliſſe, *lib.* 29. *ad Sabinum* in *l.* 1. *D. quando ex fact. tut.* ubi laudatur Ariſto, cujus etiam ſententiam, qui Pomponium conſulit, pluribus refert in *d. l. ultim.* Quod in *l. naturales* 10. *D. de oblig. & action.* modo *Paulus*, modo *Ulpianus* legitur *lib.* 47. *ad Edictum*, legendum eſt *Julianus lib.* 47. *Digeſtorum* ex *l. fidejuſſor.* 16. §. 4. *D. de fidejuſſ.* ubi eadem regulae verba ſunt, quae in *d. l.* 10. Sciendum tamen eſt, reſtituendam eſſe utique inſcriptionem *d. l. fidejuſſor.* nam illa, quam habet, transferenda ad *l.* 14 & inſcriptio *l.* 14. reddenda eſt, *l. fidejuſſor.* Sunt & aliae inſcriptiones, non ſuis locis poſitae; de quibus alias.

LAbeonis non eſſe exiſtimo, quae a Paulo *in Epitomatis* proponuntur, quaeque ab ipſo refutantur ſaepius. Ut id exiſtimem, multa faciunt Facit *l. penult. D. de capitiv. & poſtliminu. reverſ.* ubi haec proponuntur: *Si poſtliminio rediiſti, nihil, dum in poteſtate hoſtium fuiſti, uſucapere potuiſti*, quae Paulus refutat, propoſita ſententia, Dominum reverſum poſſe uſucapere, quae ſervus ex re peculiari acquiſivit, quae fuit etiam Juliani ſententia, in *l. bona eorum* 22. §. *quae peculiari* 3. *D. de captiv. & poſtlimin. reverſ.* quae a Paulo etiam refertur & probatur, in *l. ſi is qui* 15. *D. de uſucap.* & a Tryphonino, in *l in bello* 12. § *facti autem* 2. *D. de captiv. & poſtliminu. reverſ.* & ab Ulpiano, in *l. ait praetor* 23 §. *bi plane* 3. *D. Ex quibus cauſ. major.* Atqui hanc etiam fuiſſe Labeonis ipſius ſententiam, ipſe fatetur Paulus in *l. Labeo* 8. *D. de uſucap.* Hanc etenim legem accipiendam eſſe de uſucapionibus eorum, qui in hoſtium ſunt poteſtate, praeterquam quod Cujacius monuit *lib.* 22. *obſ. cap.* 17. ipſa legis verba ſatis oſtendunt. Nam, quid hoc eſſet dicere: Domini, quae peculiariter ſervi nacti ſunt, uſucapiunt, quia haec ignoranter uſucapiunt? Inanis & ἄεργος ſermo, uſucapiunt, quia uſucapiunt. Supplenda ſunt itaque in *d. l.* 8. aut certe ſubintelligenda haec aut alia ſimilia verba: *dum domini ſunt in poteſtate hoſtium*, poſt verba *nacti ſunt.* Facit praeterea *l. ultim. D. ſi ſervit. vindicet.* in qua duae referuntur ſententiae, Una, quae Labeonis putatur, aqua nondum inventa ſervitutem imponi non poſſe ut liceat aquam quaerere & ducere; Altera, quae Pauli eſſe exiſtimatur: talem ſervitutem conſtitui poſſe. Atqui haec poſtrema ſententia ab ipſo Paulo tribuitur Labeoni in *l. Labeo* 10. *D. de ſervit. ruſtic.* cujus eadem ſunt verba, quae ſecundae partis *d. l. ultim.* Quam, rogo, diverſae & abſurdae diſtinctiones ad has duas afferuntur leges? Facit & *l penul. D. de acquir. rerum domin.* ex qua aliud adhuc clarius afferam exemplum. In illius *l. penul.* §. *ultim.* ex Labeone hujuſmodi ponitur ſententia: *Si id, quod in publico innatum aut inaedificatum eſt, publicum eſt, inſula quoque, quae in flumine publico nata eſt, publica eſſe debet.* Cum conſtet hanc Labeonis eſſe ſententiam, ſequetur, ſi demus eſſe ejuſdem Labeonis, quae praecedunt quaeque refutantur a Paulo, ipſa ſuo autori Labeoni eſſe contraria. Quod quam abſurdum ſit dicere, quamque ab exiſtimatione Pauli alienum nemo non videt. Cogeremur enim fateri, Paulum mala fide Labeonis verba protuliſſe in medium, quia modo eadem probaverit, modo rejecerit. Quo quid illiberalius? quid tanto JCto indignius cogitari poſſet? In eadem lege haec me etiam movent: Proponitur a Paulo in §. 1. haec ſententia, ab eoque refutatur poſtea: *Si qua inſula propria tua eſt, nihil in ea publici eſt.* Si haec ſunt Labeonis verba (ut putantur eſſe) contraria ſunt profecto iis, quae tribuuntur Labeoni, in §. *ultim.* quaeque Paulo probantur. Item in §. 2. haec *Si qua inſula in flumine publico proxima tuo fundo nata eſt, ea tua eſt*, Labeonem non redolent, ut putatur. Quod ſi *d.* §. *ultim.* negationem addas, ut quidam faciunt, *Non ſi id &c.* tamen ſententia conſiſtere non poteſt. At qui addunt negationem, hac ſolum de cauſa addunt, ut aliis, quae referuntur in *d. l. penul.* ſententiis *hic* §. conveniat. Sed ſi velis *hujus* §. ſententiam cum aliis *ejuſdem legis* §. conciliare ſummae negligentiae, ne dicam perfidiae, aperte accuſare, quippe qui Labeonem idem ſcribentem modo probet, modo refutet. Facit de-

Digitized by Google

crediди eſſe Labeonis, quod proponitur in *l. ſi ejus fundi* 78. *D. de rei vindicat.* Quis enim dixerit, Labeonem tam novitatis fuiſſe ſtudioſum, ut quod omnium uno ore unoque conſenſu receptum erat, id unus in ſcribendo negligeret & contraſcriberet? Huc accedit, quod contraria tribuitur Labeoni ſententia in *l. ſi fructuarius* 13. *D. Quib. mod. uſusfr. amitt.* fructus ſcilicet percipi ſpica aut foeno caeſo, aut uva adempta, aut excuſſa olea, quamvis nondum tritum frumentum, aut oleum factum, aut vindemia coacta fuerit. Quod idem plane eſt cum eo, quod ſub nomine Pauli eſt in *d. l. ſi ejus fundi* 78. perceptionem fructuum accipiendam, *non ſi perfecte collecti ſint, ſed etiam ſi coepti fuerint, ita percipi, ut terra ſe continere deſierint: veluti ſi olivae, uvae lectae, nondum autem vinum oleum factum ſit*: his enim verbis utitur *d. l. ſi ejus fundi* 78. quae, ut ex *l. ſi fructuarius* 13. conſtat, accipienda eſt de fructuario: idque confirmat quod ponitur in ea, eum, qui fructus percepit, ſuo nomine percepiſſe, & ita ſuos feciſſe. Nam fructuarii fructus demum fiunt, ſi ipſe eos perceperit, aut alius ejus nomine, cum aliud ſit in bonae fidei poſſeſſore, cujus fiunt fructus, a quocunque percepti fuerint, *d. l. ſi fructuarius* 13. *D. Quib. mod. uſusfr. amitt. l. arboribus* 12. *§. ultim. D. de uſufr. l. qui ſcit.* 25. §. 1. *D. de uſur. l. bonae fidei* 48. *in princ. D. de acquir. rer. domin. l. ſi ſervus communis* 61. §. *locavi* 8. *D. de furt.*

Quare (ut dicam, quod ſentio) Labeonis eſſe illa exiſtimo, quaecunque ſub nomine Pauli, ſcribuntur: Pauli autem nomen ferunt; quia Paulus Labeonis libros in meliorem ordinem & commodiorem methodum redegit, ut valeat quod ait Imperator in *l. unic. C. de vet. jure enucleand. Eum, qui factum ſubtiliter emendat, laudabiliorem eſſe eo, qui invenit.*

CAPUT XVII.

Vox Periculi *quid ſignificet.*

PEriculum, de cujus vocis ſignificatione a quibusdam ex noſtris interpretibus quaeſitum eſt, nihil aliud eſſe puto, quam *ſtatuam* aut *columnam*, maxime autem eam, quae in foro ponebatur, in qua judicum & magiſtratuum nomina, ab iisque prolatae ſententiae ſcribebantur. Unde *magiſtratuum pericula* apud Ciceron. *in frumentaria*, quibus magiſtratuum nomina inſcripta erant. De judicum nominibus eſt locus apud Aſconium *in argum Orat. pro Milone. Quarta die adeſſe omnes in diem poſterum jubebantur, ut coram accuſatore & reo Pilae, in quibus nomina judicum inſcripta erant, aequarentur.* De ſententiis, inſtrumentis publicis inſcribi ſolitis, eſt apud Apulejum *lib. 1. Florid. in fin. Proconſulis tabella ſententia eſt, quae ſemel lecta, neque augeri litera una aeque minui poteſt, ſed utcunque recitata eſt, ita provinciae inſtrumento refertur.* Et in antiqua ſententia: *Meruit ſententiam, quam juſſu ejusdem Senecionis ſub praef. huic titulo proſcripſit.* Horat. *lib. 3. od. 24. v. 25.* ſtatuas hujusmodi intellexit, cum ait:

> *O quisquis volet impias*
> *Caedes aut rabiem tollere civicam.*
> *Si quaeret pater urbium*
> *Subſcribi ſtatuis, indomitam audeat*
> *Refrenare licentiam.*

Periculum igitur, ex Plutarcho in Iſocrate, nominare licet βουλαίας ἱστάναι. Et ſane *ſtatuas* & *columnas* in foro fuiſſe, apparet ex *l. eum qui* 36. *D. de reb. aut. judic. poſſ. l. Falcinius* 7. § *illud ſciendum* 13. *D. quibus cauſ. in poſ. eatur* & ex quadam epiſtola Diog. *ad Cratetem*, in qua ſic eſt: καὶ δ' ἀνδριάντας δ' ἐν τῇ ἀγορᾷ πρώτους αὐτοῖ τὰ ἄλφιτα. Quod *periculum* apud Aemilium Probum facit, ut apud [illegible] δὴ σφαίρῃ αἱ ἰθὺν ποιήσαντο: *At poſtquam pilae ſeu ſtatuae periculum in rectum fecerunt.* Neſcio, an *periculum* hac ſignificatione accipiatur in *l. ſi culpa* 63. *D. de rei vindic.* ubi, *ex ſententia judicis periculo judicati.* Ex his ſatis apparet, *in tit. C.* non poſſe legi: *De ſententiis ex periculo recitandis*: quippe quod agatur in eo, quo modo ſententia ex tabella ex ſcripto & ex libello feratur. Rectius igitur legitur communiter: *De ſententiis ex libello recitandis* vel *ex ſcripto*, ut probant *l. 1. l. 2. l. 3. eod. tit.* Non inepte etiam quidam legunt, *ex breviculo*, Lamprid. *in Severo cap. 28. Eum notarium, qui falſum cauſae brevem in conſilio imperatorio retuliſſet. Ex periculo* autem, praeterquam quod denotat proprie ex lapidea pila & columna, etiam ſignificare poteſt *breviter* & *ſuccincte*, quia columnis res quam breviſſime ſcribebantur. Unde στηλογραφίαν Nazianz. ut alii etiam referunt, uſurpavit pro *brevi ſubnotatione* & *quodam indice.*

CAPUT XVIII.

An permiſſa ſit ultio, & quemadmodum ſe contra vim defendere permiſſum ſit.

COmmunem omnium hominum inter ſe cognationem laudant Ulpianus *l. 3. D. de Juſtit. & jure.* Leo *Novell. l. 1.* Lactantius *cap. 7. Epitom. Si enim facti ab uno Deo*, inquit, *& orti ab uno homine conſanguinitatis jure ſociamur, omnem igitur hominem diligere debemus.* Quintil. *Declam. 9. Sub uno parente naturae cognatio eſt.* Philo *lib. 1. de vita Moſ. p. 650.* Οἰκτείνων, inquit, ἀνθρώπων, οἱ καὶ δικαίως καὶ ἀμυνόμενοι καὶ βιασθεὶς, ὑπαίτιος εἶναι δοκεῖ, διὰ τὴν ἀνωτάτω καὶ κοινὴν συγγένειαν. Sidon. Apollin. *in quodam Paneg. vulgus cognatum* dixit. Cicero quoque *lib. 1. Offic.* hanc ſocietatem & naturalem cognationem pluribus deſcribit & laudat. Propter hanc mutuam inter ſe hominum cognationem, nefas eſt, alteri alterum injuriam facere aut vim inferre, *d. l. 3.* ideoque fas eſt, ſe adverſus periculum imminens quoquo modo defendere, & ſe defendendo alterum occidere, *d. l. 3. l. 4. l. ſcientiam* 45. §. *qui cum* 4. *D. ad leg. Aquil.* quia qui homini inſidias facit, cognationis vinculum ſolvit, & ideo nec erga eum jure cognationis tenemur amplius; contra quod tamen putat Philo *loco ſupra citato.* An autem etiam permiſſa ſit ultio, quaeri poteſt. Ita videtur. Cicero 2. *de Invent. cap. 53. Vindicatio eſt, per quam vis & injuria & omnino omne, quod obfuturum eſt, defendendo aut ulciſcendo propulſatur.* Antoninus apud Herod. *lib. 4. cap. 5.* ἀμύνασθαι τοὺς αὐτοῖς ἐπιβουλεύοντας οὐ μόνον δίκαιον, ἀλλὰ καὶ εὐηθές. Seneca *lib. 2. de Ira cap. 32. Non ut in beneficiis honeſtum eſt merita meritis repenſare, ita injurias injuriis. JCtis vinci turpe eſt: hic vincere. Inhumanum verbum eſt, & quidem pro juſto receptum, ULTIO: & a contumelia non differt, niſi ordine.* Lucretius quoque videtur, non omnem improbare ultionem, ſed acriorem *lib. 5. v. 1147.*

> *Acrius ex ira quod enim ſe quisque parabat*
> *Ulciſci, quam nunc conceſſum eſt legibus aequis.*

Donatus *in Hecyr. Terent. Act. 1. ſc. 1. v. 13. Inſidiari malum eſt, ſed contra inſidiari juſtum eſt.* Sed jure noſtro omnis omnino ultio prohibita eſt, cum ita demum ſe defendere permittat, ſi aliter ſe tueri quis non poſſit, *l. ſcientiam* 45. §. *qui cum* 4. *D. ad leg. Aquil.* Debemus enim injuriam a nobis propulſare confeſtim, non ex intervallo, *l. 3. §. eum igitur qui* 9. *D. de vi & vi arm. l. 1. C. unde vi.* Atque haec quidem in iis, quae vitae necisque ſunt pertinent, in quibus prorſus ultio jure improbatur, cum eadem in judiciis & civili.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

L. debitor 82. D. de legat. 2. *addita negatione emendandam eſſe.*

NUnquam aſpexi *l. debitor* 82. §. *ultim. D. de legat.* 2 quin ex ipſius orationis ductu, ex eo, quod ibi tractat Paulus, & ex ſententia juris, ſtatuerim, negationem deeſſe. Quod cum valde miror, neminem hactenus animadvertiſſe, tum ita planum faciam, ut neceſſaria plane appareat illa negatio: & omnes tanquam ea, quae oculis cernuntur, videant: confugiendum interdum ad textus emendationem, ubi ratio juris id ſuadet, poſtulat loci, qui tractatur, ſententia & integritas. Scio equidem, quam id vulgo odioſum habeatur. Et ſane ipſe adeo ſacroſanctum apud omnes eſſe cupio & opto, ut ſartum tectum retinendum eum eſſe exiſtimem: eoque odio maximo dignos judicem, qui, nullo judicio levi aliqua conjectura ducti, opiniones ſuas textus integritati praeponere non erubeſcunt. In quibus quin habeat ab omnibus, non recuſo, niſi maturo judicio & ſincera fide ad hujus me loci emendationem acceſſiſſe appareat. Hoc ut intelligatur, paucis accipe. Quod domino non poteſt legari, ſervo legari poteſt, ut res domini, & id, quod domino pure debetur. Nec obſtat id, quod dicimus, domini perſonam inſpici, cum aliquid ſervo legatur, *l. ſi mihi & tibi* 12. §. 1. *D. de legat.* 1. quia id tantum recte dicitur de teſtamenti factione, ut hic explicat Paulus, & *l. alieno* 31. *in princ. D. de fideicomm. libert.* Itaque ei ſervo demum legare poſſum, cujus cum domino teſtamenti eſt factio, & ut ait *d. l.* 12. §. 1. cujus domino aeque legari poteſt. Ceterum integrum legatum ex perſona ſervi vires capit, & ſi ſit cum domino teſtamenti factio, quodcunque praeterea in legato eſt, perſonam ſervi reſpicit, ex eaque vires capit, aut viribus deſtituitur. Igitur in teſtamenti factione ſervus eſt plane *ἀπρόσωπος* & perſonam non habet, ut & alias *l.* 3. *D. Ne quis eum qui in jus vocat. vi exim.* Unde a domino *χαρακτηρίζεται*, ut loquitur Theophilus, & perſonam a domino accipit. In ceteris, quae in teſtamento ſunt, perſonam a ſe habet, ut non opus ſit, eum dominus perſonet. Ex hoc eſt, quod dicebat Julianus, id demum ſervo alieno legari poſſe, quod quivis alius liber capere poſſet, ut explicat Papinianus Julianum in *l.* 5. *D. de ſervit. leg.* Qua in re legatum a ſtipulatione differt, quae ex perſona domini vires accipit. Et ideo non ſicut ad fundum domini via ſervo legari non poteſt, cum alii libero non poſſit, *d. l.* 5. ita ſervus ad fundum domini viam ſtipulari non poteſt. Nam quoniam dominus viam ad fundum ſuum ſtipulari poteſt, etiam ſervus poterit, cujus ſtipulatio ex perſona domini valet, *l. ſi unus* 19. *D. de ſervit. ruſtic. praed. l.* 7. §. *ultim. l.* 17. *D. de ſtipulat. ſervor.* In legato igitur perſona ſervi inſpicitur: quo fit, ut valeat legatum, quod relictum eſt ſervo, quandiu ſerviat. Quod autem valeat, quia hujus rei probandae potiſſimum hoc caput ſuſceptum eſt, probatur, *l. ſervo alieno* 113. *in princ. D. de legat.* 1. Probatur ipſa Pauli oratione: *Nam & hoc legatum ex perſona ſervi vires accipit.* At quid haec oratio, niſi ut probet, hoc valere legatum, quoniam ex perſona ſervi vires accipit; idque maxime evincit particula ET; ex qua apparet, Paulum, quod de ceteris legatis, de quibus fecerat ante mentionem, dixit, idem dictum velle teſtamento prohibentur manumitti, & qui a praefecto vel praeſide ob delictum aliquod puniti, *l. quod ſi fugitivus* 17. § *ultim. D. de aedilit. edict. l ſervus* 9. *D. de manumiſ. l. ſervum filii* 44. §. *ſi idem ſervus* 7. *D. de legat.* 1. quod, inquam, his ſervis legatur, valet, quamvis conſequi libertatem non poſſint; cur non multo magis id legatum valere debet, quod relictum eſt ſervo, quandiu ſerviat? quia hic conſequi libertatem poteſt, illi nullam ejus unquam aſſequendae ſpem habent. Probat id denique totius loci filum. Cum Julianus definiſſet id demum ſervo alieno legari poſſe, quod ipſe liber factus capere poſſet, id ſtatim quidam arripuerunt & calumnioſa interpretatione concludere inde tentarunt, id legatum minime valere, quod ſervo alieno relictum eſt quandiu ſerviat; quia ille, liber factus, id legatum non poſſe capere videtur. Cui calumnioſae annotationi duo opponit Paulus: primum hoc legatum ex perſona ſervi conſiſtere, non minus ac ea, quae ſupra dixit, valere: deinde, ſi verum eſſet legatum, ſervo relictum, quandiu ſerviat non valere; ſequeretur & illud, multo magis legatum non valere, quod relictum eſt ſervo, cui libertas competere nunquam poteſt: quod contra jus eſt. Et ſimilis eſt ejuſdem Pauli reſponſio alio in loco & alia ſpecie, *l. ad exhibendum* 19. *D. ad exhibend.* Quae cum ita ſint, neminem dubitaturum eſſe opinor, quin locus ille negatione addita ita ſit legendus: *Calumnioſa eſt enim illa adnotatio, non poſſe ſervo legari & quamdiu ſerviat. Nam & legatum ex perſona ſervi vires accipit &c.* Illud ad extremum notandum eſt, particulam, ENIM, hoc in loco non eſſe conjunctivam, ſed adverſativam potius: quod non obſervatum cauſam, credo, dedit, cur huic legi detraheretur negatio: quemadmodum contra particulae adverſativae, ut, AUTEM, VERO, quandoque pro conjunctivis ponuntur, *l. intra quatuor* 10. §. *fin. D. de diverſ. temp. praeſcript.* Petr. Faber ad *l.* 36. *D. de regul. Jur.*

CAPUT XX.

Operam dare *explicata* l. praedia 27. §. 1. D. de inſtruct. legat.

JUdex *operam dare* dicitur, *l. ſi longius* 18. *in princ. D. de judic. l. penult. D. de vacat. mun.* quod accipiendum de pedaneo judice, patet ex *d. l. ſi longius* 18. quae judicem datum vocat eum, qui *operam dat*. Id etiam oſtendit iſte Ciceronis locus *act.* 2. *in Verrem. cap.* 29. *M. Petilium equitem Rom. quem habet in conſilio, jubet operam dare, quod rei privatae judex eſſet.* Quo in loco Petilius, judex privatus, eques Romanus recte ponitur; quoniam equites Romani potiſſimum ſelecti erant judices, qui a litigatoribus ipſis aut magiſtratibus ad judicandum eligebantur, ut jam ſatis notum eſt. Hinc recte Plinius *in praefat. natur hiſt. Quid te judicem facis? Cum hanc operam condicerem non eras in hoc albo:* Selecti enim judices in album referebantur, ut ex Seneca *lib.* 3. *de Benef. cap.* 7. *in fin.* videre eſt. Qui igitur *operam dabant*, privati judices erant; ut eſt in ſuperioribus Ciceronis verbis, quod rei privatae eſſet; & judices privatos interpretamur *ſelectos*. Gellius *lib.* 14. *cap.* 2. *Quo primum tempore a praetoribus lectus in judices ſum, ut judicia, quae appellantur privata, ſuſciperem libros utrinsque linguae de officio judicis ſcriptos conquiſivi.* Etiam arbitri *operam dare* dicuntur. Comicus *in Heaut. Act.* 3. *ſc.* 1. *v.* 92. *Si-*

cognitoriam ſuſcipere. Hinc *operam praeſtare* in civilibus officiis, *l.* 1. §. 1. *D. ad SCtam Vellejan.* & *opera forenſis* pro advocatione, procuratione, vel etiam cognitione dicitur a Corn. Nepote *in Alcibiade cap.* 3. Gell. *lib.* 14. *cap.* 4. Quod autem majores judices & magiſtratus *operam dare* dicuntur, *l.* 1. §. *ſi ea quae* 14. *D. de vent. in poſſeſſ. mitt. l.* 1. *in princ. D. ſi quid in fraud. patron. l.* 3. *C. de repud.* & alibi pro *videre* & *diligentiam adhibere* accipitur. Ex his pendet explicatio *l. praedia* 27. §. 1. *D. de inſtruct. legat.* ubi mulier dicitur Romam ex Africa veniſſe litis cauſa, mancipiaque quaedam ſecum duxiſſe, *quo citius per hyemem operam eligeret* (ſic enim legendum in *d.* §. 1. non, ut alias legitur, *ad oram legeret*) ſignificat enim Jctus, mulierem ſecum duxiſſe mancipia, ut eorum diligentia Romam citius perveniret, *quo operam judicis eligere poſſet aut condicere*, ut loquitur Plinius. *Per hyemem* autem dixit, id eſt, tempore hyemis, propterea quod hyberni dies imprimis jurisdictioni tribuebantur, ut eſt apud Cicer. 5. *ad Att. Epiſt.* 14 & apud Theoph. *in* §. *eadem* 4. *Inſtit. Quibus ex cauſis manumitt.* Quod in *d.* §. 1. dicitur *litis cauſa* iter facere, id in *l. ſed & ſi per praetorem* 26 § *penult. D. ex quibus cauſ. major*, dicitur *cognitionis vel appellationis gratia peregrinari.* Nam certe peregrinationes litis cauſa ſaepe ſuſcipiebantur, *l. civitas* 6. *C. de offic. rect. provinc. Novell.* 41. Conſtitutio quaedam Conſtantini: *Aliquot ex iis, qui contra Caecilianum diſſentiunt, data evectione publica per Africam & Mauritaniam inde Hiſpanias brevi tractu facias migrare.* Navigationem autem ſervis adjunctis fieri ſolitam, demonſtrat Novell. Valentin. *de teſtament.* ibi: *Aliis navigatio ſervis tantum comitibus expedire ſubdacit.*

CAPUT XXI.

Teſtamenti definitiones.

JUſtinianus, dum teſtamentum definit *teſtationem mentis*, reſpicit ad naturam ac vim propriam teſtamenti. Illud quippe eſt proprie teſtamentum, inquit Theodoſ. *Novell.* 9. quod teſtantis meram obtinet voluntatem. Nihil namque eſt aequius, nihil juſtius, quam *hominis ſani* ultima *voluntas*, *l. penult.* §. *ultim. D. de legat.* 2. *l.* 1. *C. de ſacroſ. Eccleſ. Novell.* 22. ubi refert Imperator legem XII. Tabularum, eamque antiquiſſimam eſſe ſcribit: *Paterſ. uti legaſſit ſuae rei ita jus eſto*; quam etiam apud Graecos obtinuiſſe diſcimus ex Iſocrate *in Aeginet.* quamque laudat Octavius Auguſtus, *in ſuo de Virgilii libris carmine*, in Calect. Scaligeri *pag.* 142.

Sed legum eſt ſervanda fides: ſuprema voluntas
Quod mandat, fierique jubet, parere neceſſe eſt.

Poſſumus itaque teſtamentum ſimpliciter definire *ultimam voluntatem*, ſeu *mentis noſtrae conteſtationem*, quamvis teſtamentum jure civili *nuda voluntate* non fiat, *l. qui ex liberis* § 1. *in fin D. de bonor. poſſ. ſecund. tabul.* Et hoc ſenſu Theoph. dixit *teſtamentum eſſe jurisgentium*, & Quintil. quodam in loco *: multa eſſe jure naturali aequa, quae tamen jure civili prohibita ſunt, ut teſtamentorum libertas. Modeſtini definitio uberior eſt & plenior: *Teſtamentum eſt voluntatis noſtrae juſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit.* Haec etenim definitio teſtamentum juris civilis facit, aut potius juris publici. Sed Ulpiani definitio omnium pleniſſima eſt: *Teſtamentum eſt men-*

* [*Inſtit. orator. lib.* 3. *cap.* 6. *circa finem. Eſt aliquid aequum, ſed prohibitum jure: ut libertas Teſtamentorum.*]

qui teſtamenti habet factionem. Teſtamenti factio, quamvis quidem ſit publici juris, *l.* 3. *D. qui teſtam. facer. poſſ.* non tamen per ſe eſt ſecundum regulas juris, *l.* 4. *eod.* ubi dicitur in quaeſtione, an teſtamentum valeat, inquirendum primum, an is, qui teſtamentum fecit, *habuerit teſtamenti factionem*; tum deinde, *an ſecundum regulas juris teſtatus ſit.* Atque illud eſt, quod proponitur apud Ulpian. in definitione teſtamenti: *Teſtamentum eſt mentis noſtrae juſta conteſtatio in id ſolenniter factum &c.* ut illud *juſta conteſtatio* ad factionem teſtamenti, quae eſt publici juris, referatur; hoc vero *in id ſolenniter factum* ad ſolennitatem juris civilis ejuſdemque regulas. Ideoque recte Ulpianus in definitione primo loco teſtamenti factionem ponit, tum poſtea juris civilis ſolennitatem, ſecundum doctrinam Gaji *d. l.* 4. Qui habet teſtamenti factionem, ille nihilominus ſecundum regulas juris teſtari debet, nec poteſt facere, ut jus civile non habeat locum in ſuo teſtamento, *l. nemo poteſt* 55. *D. de legat.* 1. *l. teſtandi* 13. *C. de teſtament.* Sed qui non habet teſtamenti factionem, nec teſtando ſecundum regulas aliquid agit, quia non refert, ſolenne eſſe teſtamentum, niſi juſta ac legitima ſit teſtantis voluntas. *Solennia juris* dicuntur, *l.* 1. *D. de injuſt. rupt.* Solennitas legum, *l. ultim. in fin. C. famil. erciſ.* Obſervatio legum, *l. hereditas* 19 §. *filiusfam* 2. *D. de caſtrenſ. pecul.* Diligentia legum & obſervantia, *l.* 1. *D. de milit. teſtam.* Nimia & miſera diligentia, *l penult.* §. *ultim. D. de legat.* 2. Teſtamentum igitur vel eſt mera voluntas, vel juſta ac legitima voluntas, vel voluntas ſolennis, duobusque poſtremis modis proprie teſtamentum jure civili dicitur, primo modo nomen generale ultimae voluntatis retinuit. Hinc in veteri teſtamento: *Et hanc meam noviſſimam voluntatem valere volo jure teſtamenti. Quod ſi forte non conſebitur nomen & jus habere, mando cujusvis alterius ultimae voluntatis.* Et notandum eſt, eodem ordine tractari in Codice de teſtamento: nam Primo proponitur teſtamentum militis, quod nihil niſi mera teſtantis eſt voluntas & teſtamentum vere juris gentium. Nam ſi, ut recte quidam adnotant, ſcire velis, quale ſit teſtamentum juris gentium, hujus rei notitiam ex teſtamento militari petere te oportet. Deinde ponitur teſtamenti factio, *Qui teſtamenta facere poſſunt*: Poſtremo ſolennitates juris, quibus conſtare debent teſtamenta, *tit. De teſtament. & quemadm. teſtament. ordinent.* Quod in Ulpiani & Modeſtini additur definitionibus: *De eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit*, non ſolebat omitti etiam ab ipſis teſtatoribus. Unde ita eſt in teſtamento quodam veteri: *Haec eſt L. Cuſpidii diſpoſitio & ultimae voluntatis ſententia, de eo quod poſt mortem ſuam fieri cupit.* Quod ita ſcribit Iſidorus *lib.* 4. *cap.* 24. *Teſtamentum vocatum, quia niſi teſtator mortuus fuerit, nec confirmari poteſt, nec ſciri, quid in eo ſcriptum ſit, quia clauſum & obſignatum eſt, & inde teſtamentum, quia non valet, niſi poſt teſtatoris monumentum. Unde Apoſtolus: Teſtamentum, inquit, in mortuis confirmatur*, quod, inquam, ita ſcribit Iſidorus, ſciendum eſt, id eum ſumpſiſſe aliqua ex parte ex Lactantio *lib.* 4. *cap.* 20. *Niſi teſtator mortuus fuerit*, inquit, *nec ſciri poteſt, quid in eo ſcriptum ſit, quia clauſum & obſignatum eſt.*

C A.

Digitized by Google

liani ſententiam relatam, exiſtimantis eam ſponſam eſſe, quamvis ſponſalia non praeceſſerint, Labeonis & Papiniani diverſum exiſtimantium proponit in *l. cum hic ſtatus* 32. §. *ſi quis ſponſam, pen. D. de donat. inter vir. & uxor.* quod jam ante fecerat in *l. quaeſitum* 9. *D. de ſponſal.* Putabant enim Labeo & Papinianus, quod & ipſe Ulpianus probat, minorem ſponſam videri, ſi praeceſſerint ſponſalia, alias ſponſam minime intelligi debere; *quamvis*, inquit Ulpianus ex Labeonis ſententia, *jam uxorem eſſe putet, qui duxit*, id eſt, ut ego interpretor, quamvis qui minorem in domum duxit, ei maritalem affectum & honorem uxoris deferat, qui honor matrimonium facit, *d. l. cum hic ſtatus* 32. §. *ſi mulier* 13. *l. donationis* 31. *D. de donat.* Quo fit, ſicut poſtea additur, ut donatio in minorem collata non valeat, quia non in ſponſam, nec in extraneam collata eſt, ſed quaſi in uxorem, ut eſt in *d.* §. *ſi quis ſponſam.* Recte *quaſi in uxorem*, quia quamvis nuptiae nondum ſint, ut poſtea in ipſa lege additur, tamen haec cohabitatio ſpeciem quandam matrimonii habet, & ut ait *l. quod Servius* 8. *D. de cond. cauſ. dat.* habitum matrimonii, quae & ipſa in principio minore ducta nuptias factas ait, poſtea vero nondum matrimonium coitum dicit. Recte igitur dicimus minorem, licet nec uxor, nec nupta eſſe intelligatur, tamen *quaſi uxorem* eſſe, *l. quaeſitum* 17. *in fin. D. de reb. autor. judic. poſſid.* & loco nuptae, *l. quaeſitum* 9. *D. de ſponſal.* eumque, qui minorem ducit *quaſi maritum*, ut in *d.* §. *ſi quis ſponſam.* Contrarium tamen ipſe Labeo libris poſteriorum definit, ratam nimirum eſſe donationem, quam vir in nondum viri potentem facit, *l. quod vir* 65. *D. de donat. inter vir. & uxor.* Cujus haec reddi ratio poteſt, quia uxor eſſe non poteſt, quae virum pati nequit, ut idem alibi ait, *l. quod pupillae* 30. *D. quando dies legat.* Dici potuiſſet, eam donationem valere, tanquam in ſponſam factam, niſi conſtaret, Labeonem negaſſe minorem ſponſam eſſe, niſi ſponſalia praeceſſerint. An ergo dicemus de minore ſponſa aut cum qua contracta ſint ſponſalia, intelligendam eſſe *d. l.* 65. Non id eſſet interpretari legem. Quamobrem exiſtimo, tum demum non valere donationem, quando vir minori dederit, quaſi jam ſuae uxori, valere, ſi dederit non tanquam jam uxori ſuae, ſed tanquam futurae poſt nuptiarum legitimum tempus impletum, id eſt, poſt 12. annos. Ea igitur in re, quae fuerit dantis voluntas, quod propoſitum, conſiderandum eſt.

CAPUT XXIII.

Quo tempore vixerint Urſejus Ferox, Proculus, Marcellus, Scaevola, Junius Mauricianus, Jcti.

AEquum eſt profecto & utile ſcire, quo tempore vixerint juris noſtri autores: cum minime par ſit eorum incognitam jacere memoriam, qui publico adeo profuerunt, & nobis, quantum in ipſis fuit, ſuo labore, otium, vigiliis ſomnum & ſecuritatem, occupationibus vacationem conciliarunt, & minime id ſit infructuoſum, ſed inprimis conducat ad juris noſtri explicationem. Urſejum Ferocem, ad quem Julianum notas ſcripſiſſe ex multis legum inſcriptionibus apparet, & ex Ulpiano diſcimus, *l. ſi quis* 6. §. *ult. D. commun. divid.* ante Tiberii tempora vixiſſe puto, aut certe primis Tiberii temporibus. Moveor eo, quod in *l.* 1. *ſive autem* 9. *D. quar. rer. act. non det.* Caſſius exiſtimaſſe Urſejum refert, & in *l. ſupra* 11. §. *apud* 2. *D. de aqua & aqua pluv. arcend. apud Ferocem Proculus ait*, intelligi debet *in notis Ferocis ad Proculum*, non, ut ſupra apud Caſſium dictum eſſe annotavimus; & ita Servius, qui ad Alphenum notas ſcripſit, *apud Alphenum reſpondiſſe aut notaſſe* dicitur, *l. actione* 65. §. *item ſcriptum* 8. *D. pro ſocio. l. ſi quis duos* 67. *D. de ſolution.* Ex his fere etiam conſtat, quo tempore vixerit Proculus ante Tiberii tempora certe, Caeſaris ſeculo, ut puto. Coaetaneum eum fuiſſe Attilicino demonſtrat *l. Attilicinus* 17. *D. de pact. dotal.* qui Attilicinus tempore Fufidii fuit; ut patet ex *l.* 5. *D. de auro arg. legat.* quem Fufidium tempore Ciceronis fuiſſe recte probavit Cujac. *obſ.* 1. *cap.* 9. Ideoque Paulus Attilicinum teſtem laudat cujuſdam reſcripti Caeſaris ad Statilium Taurum, *l. Attilicinus* 35. *D. de ſervit. ruſtic.* Neminem igitur dubitaturum opinor, quin Proculus Caeſare imperium obtinente floruerit. Marcellum ſub Marco Antonino fuiſſe opinor, ex *l. non putabam* 48. *D. de condit. & demonſt.* cujus ſententia allegatur in *l. ſi cui legetur* 49. *in princ. D. de legat.* 1. in quo (ut hoc obiter addam; omiſſum eſt nomen Imperatoris, quod ſic reſtituendum eſt: *Et ita Imperatorem Marcum decreviſſe Marcellus ſcripſit.* Confuſa eſt vox *Marcum* cum voce *Marcellus*, utriusque ob affinitatem. Quod autem diximus, Marcellum ſub Marco Antonino fuiſſe, probatur & *l. de illo* 23. *D. pro ſocio. l. ſi nemo* 19. *D. de teſtam. tutel.* Male eundem alii referunt ad tempora Antonini Pii. Scaevolam poſt Imperatoris Marci Antonini mortem vixiſſe teſtatur *l. Pamphilo* 39. §. 1. *D. de legat.* 3. *l. verum* 11. §. *quid ſi minor* 1. *D. de minorib.* Pomponii utitur autoritate, *l. ſed interim* 18. *D. de condict. furtiva.* & Maeciani, *l. ſi a ſervo* 20. *D. ad leg. Falcid.* Certe vixit poſt Marcellum aut eodem tempore, quoniam ad Marcellum notas ſcripſit, *l. ſed interim* 11. §. *conſequenter* 6. *D. de donat. inter vir. & uxor. l. cum quidam.* 24 *D. de legat.* 2. *l. in eo quod* 33. *D. de acquirend. rerum domin.* Junium Mauricium ſub Antonino Caracalla vixiſſe, fidem facit *l. ſi Auguſtae* 57. *D. de legat.* 2. *l. licet* 23. *D. de uſufr. legat.* Ejus utitur Ulpianus autoritate, *l.* 7. §. 1. *D. de pact. l.* 1. *D. pro ſuo.*

CAPUT XXIV.

Culpa eſt ſe immiſcere rei, ad ſe non pertinenti.

NEmini licet actionem alieno nomine ſine mandato ejus proponere, quin is, qui eam proponit, pro calumniatore habeatur & damnetur, *l. noſtris* 8. *C. de calumniat.* Quamobrem quod dicitur, *Culpam eſſe, ſe immiſcere rei, ad ſe non pertinenti*, id tum recte dicitur quando quis cauſam alienam in judicium deducit ſine mandato ejus, ad quem res cauſa & lis pertinet. Anianus *lib.* 9. *C. Theod. Calumniatores ſunt quicunque cauſas ad ſe non pertinentes ſine mandato alterius propoſuerunt.* Papianus *tit.* 15. *Reſponſor. Qui aliter* (ſine mandato) *alienae cauſae ſe miſcuerit pro calumniatore damnatur.* Unde quod dicimus, neminem alieno nomine agere poſſe, *l. nemo alieno* 123. *D. de regul. juris*; id verum eſt, quando quis ſine mandato & conſenſu domini lites agit, ut Placentinus interpretatur recte: quae tamen diſtinctio in civilibus ſolum & privatis cauſis valet, *l. licet* 42. §. 1. *D. de procurat.* cum in publicis & criminalibus etiam cum mandato alterius cauſam ſuſcipere non poſſimus, Paulus *lib.* 5. *Sent. tit.* 4. *l. pen.* §. 1. *D. de public. judic.* Illud tamen in criminalibus conceſſum eſt humani-

tatis

Digitized by Google

In civilibus etiam, quamvis alieno nomine ſine mandato agere non liceat, judicium tamen accipere licet, *l. ſolutione* 23. *D. de ſolut.* quo caſu ſit quaſi novatio, *l.* 2. §. *ultim. D. ad SCtum Vellejan. l.* 2. *C. de pact.* Igitur non licet pro alio agere; pro alio excipere licet. Recte autem diximus, culpam eſſe ſe immiſcere ſine mandato cauſae, ad ſe non pertinenti, quia ſimpliciter ſe cauſae alienae immiſcere vitio non datur, *l.* 1. §. 5. *D. de poſtuland.* Cauſa autem non pertinere ad eum, qui agit, dicitur, ſi ejus non intereſt cauſam agi; alias enim culpa vacat, ſi immiſceat ſe etiam ſine mandato, *l. patri* 27. *in princ. D. de minor.* Certe quando quis cauſam agebat, an ejus intereſſet, quaeſitum fuiſſe, oſtendit *l. non tantum* 6. *D. de appell.* Porro quod extra hunc caſum, quo quis litem alienam agit & ſine mandato in judicium deducit, ab aliis ad hanc regulam aliud affertur exemplum de Medico indocto & imperito, quod ei vitio detur, morbi curationem polliceri ac recuperandae ſalutis ſpem, cum medicinae ſit plane imperitus ac rudis, non eſt omnino ab hoc loco alienum, mihique non improbatur. Qua de re viſum eſt, hic aſſcribere Perſii verſus, non ſolum huic uni ſpeciei de Medico accommodatos, ſed etiam ad intelligentiam noſtrae regulae pertinentes, *Sat.* 5. *vſ.* 96.

Stat contra ratio ac ſecretam gannit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiaret agendo.
Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inſcitia debilis actus.
Diluis elleborum, certo compeſcere puncto
Neſcius examen: vetat hoc natura medendi.

His etenim ſignificat Perſius, quamvis propter libertatem naturalem conceſſum ſit id facere, quod velis, etiamſi in eo non ſis exercitatus, id tamen civili ratione non permitti (ſic accipitur etiam *ratio* apud noſtros, pro jure ſcripto & pro eo, quod ſuis finibus & terminis, item regulis ac praeceptis determinatum eſt ac definitum, *l. jus ſingulare* 16. *D. de legib. l.* 1. §. *ſi ego* 3. *D. ſi pars heredit. l. qui quadraginta* 88. *D. ad leg. Falcid.*) & tum demum tibi licere libertate uti naturali, niſi jure ac lege prohibearis. Jure itaque civili in omnibus, qui extra culpae aleam eſſe volunt, requiritur, quod in medicis & fabris requirit Horatius *Epiſt.* 1. *lib.* 2. *vſ.* 115.

——— ——— Quod medicorum eſt
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

Et illud veterum valet adagium: *Quam quisque novit artem, in hac ſe exerceat.* Juris civilis eſſe regulam noſtram demonſtrat, quod in ea dicitur, *culpam eſſe ſe immiſcere rei, ad ſe non pertinenti.* Culpa enim juri aſſcribitur, ut Donatus Terentium *Adelph. Act.* 3. *ſc.* 3. *vſ.* 64. in eo civiliter dixiſſe ait, quod dixerit *hoc vitio datur*, non *hoc malum eſt.* Ad hanc autem regulam nonnihil pertinere videtur, quod ſcribit Plutarchus, hanc eſſe potiſſimum inter amicos & adulatores differentiam, quod illi non anxie inquirant, quid pro amicis faciendum ſit, & expectantes amicorum mandata, non ultro ſe ingerant ad omnia eorum negotia, οὐκ ἐξακριβοῦντες, οὐδὲ πολυπραγμονοῦντες δ', ἑαυτοὺς εἰς πᾶσαν ὑπουργίαν ἐμβάλλοντες; hi vero contra ſolliciti ſint plus aequo de negotiis eorum, quibus adulantur, iis ſe intempeſtive intrudant, & nolentibus officia praeſtent. [1. *Petr. c.* 4. *vſ.* 15.]

CAPUT XXV.

Sententia l. cum tabulis 16. §. quoniam 1. D. de his quae vi indig. auſ. *Concubinae & uxoris differentia.*

Ingenua, quae corpore quaeſtum facit, eave, quae obſcuro nata eſt loco, concubina eſſe poteſt, non ingenua, non ſimpliciter eſt de omni ingenua intelligendum; ſed vel de ea, quae inhoneſte vivit, vel de ea, quae humili nata eſt loco; alias concubina prorſus eſſe non potuiſſet, ideoque cum ea ſtuprum commiſſum fuiſſet. Certe hoc in loco de ea accipiendum eſt, quae quaeſtum corpore fecit. Et hoc eſt, quod ad reſtrictionem ejus, quod ſimpliciter dixerat Papinianus, ingenuae concubinatum eſſe, poſtea idem addit, *filiam vulgo quaeſitam apparuiſſe.* Ex eo enim manifeſtum eſt, mulierem vulgo concepiſſe, quamvis in concubinatu peperiſſet. Inde igitur vult probare Papinianus, concubinatum conſtare, quod filiam Rufina in concubinatu ex vulgari conceptione pepererit, & per conſequens mater ipſa vulgo quaeſtum fecerit. Quapropter vera eſt & recta illa lectio, quae habet: *cujus filiam, quam alumnam teſtamento Caſſianus nepti coheredem datam appellaverat, vulgo quaeſitam apparuit.* Nam ex his vult inferre Papinianus, Caſſianum Rufinam recte in concubinatu habuiſſe, quod Rufina vulgo conceperit: propterea quod ingenua illa demum eſſe poteſt concubina, quae vulgo quaeſtum facit. Ex his facile evitabis, quod movit Cujacium *Obſ. lib.* 5. *cap.* 6. ut, hac in parte, hanc legem emendaret. Nam non recte ex eo, quod filia in concubinatu nata vulgo quaeſita apparuit, inferes generaliter, ex concubinatu ſuſceptos liberos ſpurios ac vulgo quaeſitos eſſe: cum aliud ſit *ex concubinatu*; longe aliud *in concubinatu* naſci: cum poſſit alia concubina eſſe, quam quae vulgo quaeſtum facit. Quamobrem ponit alienam ab hoc loco facti ſpeciem Cujacius, dum putat quaeri, an Rufinae filia recte concubina ſit: cum quaeratur potius, an Rufina concubina eſſe queat, & per conſequens, an capere ex teſtamento Caſſiani poſſit: & ex eo ſolum, quod filia vulgo quaeſita fuit, probatur, matrem recte concubinam fuiſſe, quae, cum ingenua eſſet, quaeſtum vulgo faciebat. Ponendum eſt igitur, Rufinam concubinam fuiſſe; idque ſatis oſtendit totius orationis ordo & contextus. Haec cum ita ſint, dicendum exiſtimo, in noſtra lege ſic legendum eſſe: *qui Rufinam ingenuam non honore pleno dilexerat:* quod idem eſt cum eo, quod dicitur in *l.* 3. §. 1. *verſ. Divus tamen. D. de donat. inter vir. & uxor. non affectione uxoris, ſed magis concubinae.* Honor enim maritalis ſignificatur, id eſt, affectio, qua maritus uxorem proſequitur, quaeque uxorem a concubina ſeparat, *l. cum hic ſtatus* 32. §. *ſi mulier* 13. *D. de donat. inter vir. & uxor. l. item legato* 49. §. *penult. D. de legat.* 3. *donationes* 31. *D. de donat.* Sic igitur illi male ſentiunt, qui ex hoc loco probant, quoad honorem utriusque, id eſt, tam uxoris, quam concubinae, eandem eſſe rationem, &, ut ajunt, dilectionem pleno honore in utraque locum habere. Nam qui plenus honor tribui poteſt concubinae, cui honor ſimpliciter denegatur? *d. l. donationes* 31. deinde ſi maritalis affectio honorem illum ſignificat, quo maritus afficit uxorem, *l. cum hic ſtatus* 32. §. *ſi mulier* 13. *D. de donat. inter vir. & uxor. d. l. donationes* 31. & maritalis affectio concubinae competere nequit, *d. l. donationes* 31. *l.* 3. §. 1. *verſ. Divus tamen. D. de donat. inter vir. & uxor.* apparet, ut maritalem affectionem, ita nec honorem tribui concubinae poſſe. Atque hoc eſt, quod dicimus, *concubinam ex ſola animi deſtinatione aeſtimari*, *l.* 4. *D. de concubin.* ubi *ſola* intellige ſine honore ac dignitate, qua uxor aeſtimatur, *l. item legato* 49. §. *penult. D. de legat.* 3. Inde refert quidam, ex vitarum Caeſarum ſcriptoribus, Imperatorem, neſcio quem, dixiſſe, *uxorem* nomen eſſe dignitatis, non voluptatis. Paulus quoque *lib.* 2. *Sent. tit.* 20. §. 1. ſcribens: *Eo tempore, quo quis uxorem habet, concubinam habere non poteſt. Concubina igitur ab uxore ſola* di-

Digitized by Google

dubio, non ut Anianus his verbis eum interpretatur: *Qui uxorem habet, eo tempore concubinam habere prohibetur, ne ab uxore eum dilectio ſeparet concubinae:* nimirum apud Paulum *ſeparare* accipit pro *disjungere*, cum potius pro *diſtinguere* capiendum ſit. Et totius loci Paulini haec eſt ſententia: *Qui uxorem habet, eo tempore concubinam habere nequit: nam hac in re concubina non differt ab uxore; duas autem uxores habere non licet: & in hoc tantum diſtinguitur concubina ab uxore, quod alia ſit mariti affectio in uxorem, alia in concubinam.*

CAPUT XXVI.

Explicatio quorundam, quae ſunt in l. Abeſſe 32. D. Ex quibus cauſ. major. *particula AUT ſublata ex* l. 1. C. de falg. hoſpit. non praebend.

HAe in lege verbum *deferre* tam pro *mittere*, quam pro *referre* ſeu *inſcribere* accipio, ut ſignificare velit JCtus, non minus eos Reip. cauſa abeſſe, qui relati in commentarium principis & aerario inſcripti ſalaria de publico accipiunt, quam qui mittuntur ad aerarium & commentaria principis, ſeu, ut eſt in *l. munerum* 18. *§. legati quoque* 12. *D. de muner. & honor. qui mittuntur ad ſacrarium principis.* Sane *deferre* etiam *mittere* & *ablegare* ſignificat. Liv. *libr.* 41. *cap.* 8. *Poſtero die legati Sardorum, qui ad novos magiſtratus delati erant*, &c. Atque hoc eſſe puto, cur JCtus ita diverſe locutus ſit: *qui ad aerarium, aut in commentarium principis delati ſunt*, ut *deferre ad aerarium* ſit *mittere*; *deferre in commentarium* ſit *referre & inſcribere.* Quod autem tribuni militum praefecti & comites legatorum in hac lege nominantur, ii intelliguntur, qui in provincias miſſi Reip. cauſa aberant, de quibus ideo ait JCtus *eos Reip. cauſa abeſſe quamprimum ab urbe Roma exceſſerint, quamvis nondum provinciam decretam attigerint*; item in redeundo *quamprimum provincia egreſſi ſint, quamvis nondum in urbem venerint.* Hi tres ſaepe conjunguntur, *tribuni, praefecti, legati* aut *comites* magiſtratuum. Cicer. *lib.* 5. *ad Attic. Ep.*17. *Sic in provincia nos gerimus, quod ad abſtinentiam attinet, ut nullus teruncius inſumatur in quenquam: id fit etiam & legatorum & tribunorum & praefectorum diligentia.* Idem *pro C. Rabirio Poſtum. Qui nec tribunus, nec praefectus, nec ex Italia comes.* Conjunguntur & alii, ut *legati, oratores, comites*, *l. lege* 7. *D. ad leg. Jul. de vi public.* Tribuni, notarii, comites, *l. unic. C. de mand. princip.* Tribuni, praefecti, & equites Romani, Seneca *lib.* 9. *Controverſ. Fuere tribuni, fuere praefecti, fuere equites Romani, cum iis ergo Praetor.* Tribuni, praefecti, ſcribae, & comites magiſtratuum, Cicero *pro C. Rabirio Poſtumo cap.*6. *Ut tribuni, ut praefecti, ut ſcribae, ut comites omnes magiſtratuum hac lege tenerentur.* Tribunus, praefectus, legatus, Praetor, Salluſt *in Catilin. cap* 62. *fin. Homo in literis quod amplius annos* 30 *tribunus aut praefectus, aut legatus, aut praetor cum magna gloria in exercitu fuerat.* Comites tribuni praepoſiti militum, *l.* 1 *C. de ſalga. hoſpit. non praebend. Ne quis comitum vel tribunorum aut praepoſitorum militum nomine*: ſic enim lego, deleta particula *aut*, ante *militum*, quod confirmat *l.* 1. *C. de commeat. praefecti, tribuni & contubernales*, Cicero *lib.* 5. *Famil. Epiſt.* 20. *Quod ſcribis de beneficiis, ſcito a me & tribunos militares, & praefectos, & contubernales meos delatos eſſe.* Tribuni & praefecti, *l.* ἐκ τῆς βουλῆς ἑπομένους, εἰς βοήθειαν. Sed ideo legati a comitibus ſeparantur, quia & ipſi ut proconſules comites habebant, *l.* 6. *§. penult. D. de poenis* & in *hac lege*, ibi *comites legatorum.* Quo in loco tribunis & praefectis JCus comites legatorum jungit, non comites magiſtratuum, ut Cicero duobus locis *in orat. pro Rabirio Poſtum.* quos ſupra adduximus, ideo quia ante dixerat de comitibus magiſtratuum, id eſt, proconſulum & praeſidum provinciarum. Procuratores enim principum accipio pro legatis praeſidum provinciarum, vel certe, niſi placet eos legatos vocare, pro comitibus praeſidum provinciarum, ἑπόμενοι τοῖς ἡγεμόσι τῶν ἐθνῶν εἰς βοήθειαν. Nam quemadmodum legatus perſonam proconſulis refert & repraeſentat, & ideo dicitur ἐκ προσώπου a Theoph. *tit. de ſuſpect. tutor.* ita & procurator Caeſaris mittitur in provinciam, ut perſonam agat praeſidis & vicem ejus referat, *l.* 3. *C. ubi cauſ. fiſcal. vel divin. domin. l* 4. *C. ad leg. Fabiam. l.* 2. *C. de poenis.* quanquam poſſis inter procuratorem Caeſaris reſpectu praeſidis, & inter legatum reſpectu proconſulis ſtatuere differentiam. Ut ut ſit, procurator Caeſaris eſt ex iis, quos Juſtinianus τοποτηρητὰς vocat *Novell.* 8. & 13. Ergo *comites* ſunt, qui magiſtratus in provincias euntes comitantur, quibus libertini junguntur, *l. SCto* 16. *D de offic. praeſid. l. qui juriſdictioni* 10. *D. de juriſd.* quaerendum amplius cogito. Comitibus recte junguntur praefecti, qui & ipſi magiſtratus in provincias comitabantur. Aemilius Probus *In Attic. cap.* 6. *Multorum conſulum praetorumque praefecturas ſic delatas accepit, ut neminem in provincia ſit ſecutus, honore fuerit contentus, rei familiaris deſpexerit fructum.* *Praefecti* etiam antiquitus dicebantur, qui eam mittebantur in urbem, quae nullum civitatis corpus habebat, nullum publicum conſilium, ut eſt apud Livium *lib.* 26. *cap.* 16. *Tribuni* autem ſunt, qui cohortibus praetoriis praeſunt, *l.* 9. *D. de excuſat.* Haec ad hanc legem dicenda fuerunt, ex qua male faciunt, qui probant proconſulem ſtatim, quam ab urbe Roma profectus eſt, accipere imperium. Nam de imperio haec lex non eſt, ſed de abſentia Reip cauſa, quae duo multum inter ſe differunt. Praeſes provinciae, ex urbe egreſſus, ſtatim abeſt Reip. cauſa, imperium non accipit, niſi in metropolim venerit, & quamprimum excedit provincia ſua, privatus ſit & omne deponit imperium, *l.* 1. *D. de offic. praefect. Auguſt. l.* 3. *D. de offic praeſid.* Dio *lib.* 53. Quis etiam dixerit legatum proconſulis imperium habere, quod non habet etiam in provincia, antequam in provinciam veniat? quod eodem modo probari poteſt ex hac lege, quo de proconſule probari volunt. Idem de tribunis, & praefectis, & comitibus dici poteſt.

CAPUT XXVII.

Quare furti & in factum actione teneatur, qui equis alienis equas ſuas ſubjecerit.

QUi me inſcio equum meum, aut aſinum in equas ſuas admiſit, furti tenetur, ſi furandi animum habuiſſe eum appareat; puta ſi celandi animo id fecerit, ne pro equis admiſſariis quid mercedis perſolveret. Quod ſi hunc animum non habuerit, quia eo ipſo, quod equis meis equas ſuas ſubjecit, furti ſe quodammodo obligaſſe videtur, in factum actione tenetur, quae proxima eſt actioni furti, *l. ſi quis uxori* 52 *§. ſi quis aſinum* 20. *D. de furt. arg. l. in furti* 50. *§. ultim.*

Quae cauſa & fuit cur dubitaretur, cujus fetus ejus equae eſſet, quam meus equus praegnantem feciſſet; utrum domini equae, an meus, *l. 5. §. idem ſcribit 2. D. de rei vindic.* De mercede, quam diximus dominos ex admiſſariis equis percepiſſe, teſtis eſt Varro Sexageſ. citante Nonio, *in equimentum. An ſi equum emiſſes quadrupedem*, inquit, *ut meo aſino Reatino admitteres, quantum popoſciſſem, dediſſes equimenti.*

CAPUT XXVIII.

Pecunia, quae dicitur peculium praeſidii cauſa, ad l. ſi chorus 79. D. de legat. 3.

Solebant patresf. nummos ſeponere, quos conferrent praeſidii gratia, ſi ita res ferret, *l. ſi chorus 79. D. de legat.* 3. Quem morem ab Athenienſibus habuiſſe Romanos, opinor. Scribit enim Diogenes Laërtius, *in Solone*, Athenienſes ſingulos decimam rerum ſuarum ſeu patrimonii ſui partem ad ſumptus bellicos ſepoſuiſſe. Hoc ſignificare voluiſſe Marculphum *in formul. praeſidii* nomine puto: ut tam de alode paterna, quam de comparato vel mancipiis vel praeſidio meo. De hac re tangit etiam Theoph. *Inſt. tit. de libert.* hoc modo: *Cenſus*, inquit, *ſignificat tabulam, in qua Romani ſuas profitebantur divitias & ſcribebant, ut unusquisque pro facultatibus belli tempore contribueret.* Atque haec, quae ſeponebantur praeſtationi vectigalium ſubjici vetabantur, *l. 9. §. earum rerum 6. D. de public.* quoniam tributa ſunt nervi Reip. *l. 1. §. in cauſa 20. D. de quaeſtion.* Hanc pecuniam *peculium* appellaſſe ait Proculus in *d.* l. 79. eodem fere modo, quo Seneca *lib. 1. de Tranquill. animi. Placeat argentum grave ruſtici patris ſine ullo opere & nomine artificis. Peculium* etiam *patrimonium* ſignificat, *l. cogi 16. in princ. D. ad SCtum Trebell.* & apud Plaut. *in Caſin. Act. 2. ſc. 3. v. 40. Cui homini hodie peculi eſt nummus, non eſt plumbeus*: quod & ipſe Plutarchus ſcribit *in Publicola. Peculii* nomine etiam ſignificantur quaecunque mulier ſibi recepit, cum res in dotem daret, quae Graeci παράφερνα vocant, *l. 9. §. dotis 2. D. de jure dot. l. donationes 31. §. 1. D. de donat.* & apud Plaut *in Caſin. Act. 2. ſc. 2. v. 26. Num pecull probam nihil habere addecet clam viro.* & apud Symmach. *Epiſt. 2. lib. 6.* Ait Ulpian. in *d. l. 9. §. 3. quaeque Galli peculium appellant.* Hic nihil muto. Pertinet huc nonnihil Caſſiod. *lib. 7. Epiſt. 32. Pecunia a pecudum tergo nominata, Gallis auctoribus, ſine aliquo adhuc ſigno ad metalla tranſlata eſt.*

CAPUT XXIX.

Interdictorum genera.

Interdicebatur nonnullis non ſolum urbe aut provincia aliqua, ſed etiam omni hominum commercio, conſuetudine & uſu. Atque hi ſaepenumero navigio impoſiti deportabantur. Paulus Diaconus *in Anaſtaſio lib. 17. Is non ſolum ſalubria eorum monita ſprevit, ſed etiam a ſuis aſpectibus eos non ſine contumelia expulit, navique fragili impoſitos mandat ne uſpiam per totam Graeciam ad aliquam civitatem accederent.* Et in *l. 1. C. Th. de ſtud. liberal. urb. Romae. Statim navigio ſuperpoſitus abjiciatur urbe.* Et hoc eſt, quod Dio *lib. 56. p. 587.* ait Auguſtum conſtituiſſe, μηδένα πυρὸς ἢ ὕδατος εἰρχθέντα ἐν ἠπείρῳ διατρίβειν. Tales autem non licebat domo tectove recipere, ut de interdicto aqua & igni eſt, apud Paulum *lib. 5. Sent. titul. 26. §. 3.* & *Praeſtitit uſſucto jus vitae Caeſar & agri.* Eſt & aliud quoddam interdictorum genus fere ſuperiori contrarium, quando interdicitur, ne quis domo aut patria excedat, *l. relegatorum 7. §. ſolet praeterea 19. D. de interd. & releg.* ne commeandi ad alia quaelibet loca aut evagandi ad urbes habeat poteſtatem, *l. vitiorum 12. C. Th. de haeredit.*

CAPUT XXX.

De vectigali, ſtipendio & tributo.

Differunt *vectigal, ſtipendium* & *tributum.* Publicum vectigal a tributo ſeparatur, *l. 2. §. ſi quid publici 16. D. de heredit. vel act. vendit. l. Julianus 13. §. idem Julianus 6. D. de action. emt. l. cum ſervus 39. §. ſi quis alicui 4. D. de legat. 1. Tributum* eſſe puto, quod extra ordinem ſolennium vectigalium ad exercitum alendum imperabatur civibus. *Cicero lib. 2. Offic. cap. 21. Danda etiam opera eſt ne (quod apud majores noſtros ſaepe fiebat, propter aerarii tenuitatem aſſiduitatemque bellorum) tributum ſit conferendum.* Idem *pro L. Flacco c. 9. In aerario nihil habent civitates, nihil in vectigalibus, duae rationes conficiendae pecuniae aut verſura aut tributo* &c. Idem *Epiſt. 29. lib. 12. Famil. Conqueritur undique, ut optime meritis militibus promiſſa ſolvantur, quod quidem fieri ſine tributo poſſe non arbitror.* Tributum vocat Theoph. *tit. de rerum diviſ.* βαρὸ τέλος. Eodem modo & Cicero *Epiſt. 8. lib. 3. Famil. Niſi quod principes civitatum me poſtulaſſent, ne indictionem tributorum & illam acerbiſſimam exactionem, quam tu non ignoras, capitum atque oſtiorum.* Hoc eſt, quod dicitur *tributum capitis*, in *l. ultim. D. de cenſib.* & apud eundem Cicer. *lib. 5. ad Attic. Epiſt. 16. Audivimus nihil aliud niſi imperata ἐπικεφάλια* (id eſt, tributa per capita) *ſolvere non poſſe.* Leo, in quadam conſtitutione, tributum in ſingula capita κεφαλιτίωνα appellari, ait. *Stipendium* etiam a *tributo* differt, quod particulatim colligitur, & ut ait Theoph. κατὰ μερῶν. Livius *lib. 33. cap. 46. Quin & pecunia, quae in ſtipendium Romanis ſuo quoque anno penderetur, deerat, tributumque grave privatis imminere videbatur.* Quod autem dicitur *tributum* idem eſſe, quod *ſtipendium*, in *l. ager 27. D. de verbor. ſignif.* hoc verum eſt, quando abutimur voce *tributi*, quod facere cogimur, ſi alendus eſt exercitus, quia tum tributum eſt ſtipendii cauſa. Tacit *lib. 4. Hiſtor. cap. 74. pr. Nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi poſſunt.* Liv. *lib. 23. cap. 31. Senatus, quo die primum eſt in Capitolio conſultus, decrevit ut, quo eo anno duplex tributum imperaretur, ſimplex confeſtim exigeretur, ex quo ſtipendium praeſens omnibus militibus daretur.* Quo ſenſu *tributum* accepit JCtus in *d. l. 27.* ut illa verba ſatis oſtendunt, ex eo quod militibus tribuatur. *Stipendium* pacis tempore a *tributo* maxime differt, belli tempore vix poſſis unum ab altero ſeparare. Haec quanquam ita ſint, animadvertere tamen eſt, *tributum* pro *vectigali* accipi, ut in *l. 1. §. 1. D. de public.* publicani conſequi tributum dicuntur, quod indicitur vectigal, in *l. inter publica 17. D. de verbor. ſignific.* ut in veteri quodam decreto: *Tributis cujuſlibet vectigalis fixi mobilisque pondere per omnia ſecula liberavit.* ut & in *l. generali 32. §. ultim. D. de uſu & uſufr. legat. Tributa praeter ea, quae vel pro praediis aut moventibus deberi & reddi neceſſe eſt.* Recte itaque Juſtin. *in princ. lib. 13.* differentiae cauſa *annuum vectigale tributum* dixit.

F I N I S.

GEOR.

Digitized by Google

GEORGII CONRADI CRUSII

E X

VARIIS OBSERVATIONIBUS,

Quae ad Jus Civile pertinent,

D I A T R I B E,

EX JULIANI LIBRO XXX. DIGESTORUM:

DE SCRIPTURA ET SENTENTIA

Cap. Si Paterfamilias 40. D. de Heredibus Inſtituendis.

Quod Caput ingeniorum omnium adhuc veluti quaedam crux fuit.

Accedit

D I S S E R T A T I O

Ex Ulpiani libro IV. ad Edictum

De Pactis & Conventionibus.

Digitized by Google

CURATORIBUS.

D. AMELIO A BOUCHORST, Domino de Wimmenum, de Ordine Equeſtri in Conſeſſum Praepotentium Hollandiae Ordinum Delegato, & ejuſdem Conſeſſus Praeſidi, Sylvarum Hollandiae Praefecto, Rhenolandiae Aggerum Comiti.

D. JOHANNI A THILT, JCto. Reipubl. Harlemenſis Conſuli, Supremi Senatus Rhenolandici Adſeſſori.

D. CORNELIO DE WITTE, Ruardo, Aggerum Puttenſium Comiti, Balivo Beyerlandiae, Reip. Dordracenae Conſuli.

EORUMQUE COLLEGIS.

Ampliſſimis Spectatiſſimiſque Dominis, Florentiſſimae Civitatis Lugd. Batavae

CONSULIBUS.

D. JOHANNI ELEMAN, Med. Doct. nuper in Concilio Praepotentium Hollandiae Ordinum Adſeſſori.

D. GUILHELMO PAETS; JCto. Domino de Poel, Aggerum Rhenolandiae Chomarchae.

D. GUILHELMO SIMONIS HASIO.

D. HERMANNO VANDER MEER, JCto. Quaeſtori Academ.

ET

Ampliſſimo, Clariſſimoque Viro

D. JOACHIMO A WEVELINCHOVEN, JCto. Senatori Lugd. eiſdem D. Curatoribus a Secretis.

Hanc lucubratiunculam conſecrat

GEORG. CONR. CRUSIUS.

NOBILISSIMI ATQUE AMPLISSIMI DOMINI.

QUod ſapientiſſimi quique viri ad rationem ſtudiorum praecipue frugiferum eſſe & ſalubre arbitrantur, ut laborum gradus fiant, id ego ut ſequerer, conatus ſum maxime. Denique non prius uti conſilio eorum auſus fui, qui in Jurisprudentia Romana efflagitabant ut ſpecimen aliquod ceteris darem, quam ipſe non exiguo tempore mei periculum feciſſem. Occurrebant autem multa & varia, in quibus me poſſem oſtendere. Meditabar JULII PAULI SENTENTIARUM *novam quandam editionem; nam & ordinem novum excogitaveram, vel potius antiquum renovaſſe videbar, ad quem omnia etiam ex his libris in D. relata legum capita ſuo quaeque titulo & loco redderem: & novas quoque animadverſiones ac notas, tametſi poſt Cujacium, parabam, quibus illuſtrior multum ornatiorque libellus elegantiſſimus fieri poſſet. Habebam* VARIAS OBSERVATIONES, *quae ad jus civile pertinent. Habebam quaedam alia. Ea autem univerſa quia juſti temporis moram, quo magis permatureſcerent, requirere videbantur, ſtatui per partes eſſe faciendum, ut probare inciperem Vobis, ſi quid forte in me bonae ſpei ſitum eſſet (quod alii quidem non omnino damnandum amice ac benevole judicaverunt) ipſe per eſſe exiguum & ſentio, & profiteor lubens. Qualis ergo cunque erit haec Diatribe mea, Vobis eam dicare inſtituo, Ampliſſimi Domini, non aliam ob cauſam, quam quod de literarum omnium, atque inprimis de Juris ſtudioſis exiſtimare veriſſime poteſtis. Valete plurimum Reip. veſtrae & literariae commodo. In Academia & Urbe veſtra ante diem 7. Kal. Sext.* CIↃ IↃC LXIX.

AD LECTOREM.

SI aut minus te peritum, LECTOR, aut parum aequum judicem praebebis, deprecor judicium tuum; ſi alios judicantes audies vane aut perverſe, vehementer a te peto, ut ponderare velis ea judicia, nec committere, uti plus apud te ambitio, malignitasve, aliave hominum vitia, quam ipſa veritas cauſaque valeant. Meditari poſſunt alii, & moliri opera poſt mortem, at nobis invidere non debent de hujuſmodi opuſculis; quibus probandis non alios cenſores poſcimus, quam eos, qui in adoleſcente non minus veniam dare temeritati didicerunt, quam laudare ſpem: quod ſi, LECTOR, feceris, optandum quiddam me adſequutum putabo. Vale.

Digitized by Google

nis polliciti eſſent, cum hanc reddidiſſet Ulpianus, quod in ejusdem, id eſt, dimidiae partis praeſtatione imago ſocietatis eſſet, Tribunianus nobis ex *dimidia* fecit *certam*, *tertiam* intelligens: id inſuper habens, quod tamen ignotum eſſe nulli poterat, cum ſocietatem ſimpliciter audimus, intelligere non aliter nos poſſe, quam ſocietatem aequis partibus, §. 1. *& quidem Inſt. de ſociet.* Atque iſti facto Tribuniani non diſſimile eſſe hoc Alciati facinus videtur; cujus auctoritatem arbitror jam ſatis amoliti ſumus. Verum ſuccedit Cujacius, ille CUJACIUS, amicus & familiaris mihi, & doctor, & omnia. Is *in not. ad §. ult. Inſt. de vulg. ſubſt, & ad h. cap. & Obſ. 17. cap.* 21. acuta ſuſpicione, quam Antonius Contius (nam ceteros minorum gentium interpretes commemorare nihil attinet) licet Cujacio ſubinimicus probavit *in not. ad §. ult. Inſt. de vulg. ſubſt.* tamen, & laudavit, & admiratus eſt: is igitur, ut veram ſententiam Juliani ſuſtinere ac tueri verba ejus poſſent, ſcripſiſſe Julianum conjecit: *ita ut* AS *inter eum* &c. Tribunianum vero explanaſſe perperam, quod pro notis inſubtiliter acceperat, verbum AS. ut ex A. efficeret *alter.* ex S. *ſemis.* Qua quidem in re ſemper ego dubitavi, utrum ſui ſimiliorem exiſtimarem, Cujacium an Tribunianum, id eſt, ſubtiliorne ea Cujacii conjectura videri deberet, an ſtolidior ſubtilitas Tribuniani; atque adeo adſentire Hotomanno *in §. ult. Inſt. de vulg. ſubſt.* hac parte coepi, cui iſta conjectura ob eam cauſam diſplicuit; maxime etiam ideo, quod ejusmodi notae A. pro ALTER uſurpatae exemplum nullum reperiatur.

CAPUT VIII.

Noſtra conjectura de reſtitutione verborum Juliani; & de emendatione c. 3. D. de adim. vel transf. legat.

DIcam igitur, quid ipſe ſim ſuſpicatus de vitio & medicina hujus loci; ſed dicam tentaturus verecunde exemplo Juliani: cum praeſertim id & aetas mea poſtulet, & ipſe locus difficilis multum ac ſcopuloſus, qui tot tam praeclara praeſtantiſſimorum hominum ingenia exercuit. Exiſtimo, veram Juliani ſcripturam fuiſſe iſtam: *Igitur in hoc caſu ſemiſſes fient, ita ut alter* [ſit] SEM. *id eſt.* SEMPRONII. AS *inter eum, qui dominus inſtituti heredis fuerit, & ſubſtitutum aequis portionibus dividatur*; depravatam vero vel ipſius oſcitantia Tribuniani, vel, ne tanto capiti videamur vel inſultare, imperitia librariorum; qui cum legerent: *ita ut alter* ſit SEM. AS *inter eum.* &c. corrumpere, quod minus adſequebantur, ſtatim inſtituerunt, deſcripſeruntque: *ita ut alter* SEMIS &c. ejecta etiam particula *ſit*: aut ſi qua alia ſimilis poteſtatis Juliano uſurpata fuit; quod eam crederent ſupereſſe. Hanc conjecturam noſtram facile ſpero agnituros probaturosque viros eruditos, qui de his rebus & recte poſſunt, & ex animi ſui ſententia volunt judicare: nam in ceterorum ſpem gratiae hoc ſpecimen non ſpecitur, nec certamen cernitur. Argumenta reſtituendae ad hunc modum ſcripturae Julianeae fortiſſima ſuperius deſignavi illa: quod facti ſpecies propoſita ſit in nominibus *Titii* & SEMPRONII: quod ratio ambigendi & definiendi concepta in perſonis *Stichi* & SEMPRONII: quod prima etiam definitio, &, ut Theophili verbis utar, ἡ μεθ᾽ ἐνδιαμε[illegible] facta in perſona SEMPRONII. Nulla igitur eadem macula haeret depravati nominis SEMPRONII, a nullo dum abſterſa. Verba ſunt in *princ. c. Si quis* 3. *D. de adim. vel tranſf. legat.* ex Ulpiani libro 24. ad Sabinum: *Si quis ita legaverit:* Titio fundum do lego. Si Titius deceſſerit, SEJO heres meus dare damnas eſto: *recte tranſlatum legatum videtur.* Ea verba Sabini, ut opinor, ſic amplificat Ulpianus: *ſed etſi jam mortuo eo, cui legatum erat, easdem res tranſtulerit,* SEMPRONIO *debetur.* Non difficile cuiquam erit animadvertere, aut in priore ſententia pro SEJO ſcriptum fuiſſe SEM. hoc eſt, SEMPRONIO, aut in poſteriore pro SEMPRONIO legendum eſſe SAJO. At prius iſtud veriſſimum eſſe ſequentes paragraphi demonſtrant, quibus ſub iiſdem nominibus *Titii* & SEMPRONII ſimiles aliae ſpecies proponuntur.

CAPUT IX.

Alia menda animadverſa in c. 1. §. 1 D. de bon. poſſ. ſec. tab.

DEtegam aliud quoque mendum, quod cauſam & originem ſuperiori non diſſimilem habuit depravandae ſcripturae in *c. 1. § 1. D. de bon poſſ. ſec. tab.* Ait Ulpianus, verba edicti praetorii enarrans: *Nenautem omnes tabulus praetor ſequitur hac parte edicti, ſed* ſupremas; *hoc eſt, eas, quae* NOVISSIMAE CTA *factae ſunt, poſt quas nullae factae ſunt.* Non opinor fore quenquam, qui idoneam de his verbis ſententiam animo ſuo vere poſſit concipere; quae tamen erit facillima & aperta, ſi verba Ulpiani reſtituantur ad hunc modum: ſupremas, *hoc eſt, eas, quae* NOVISSIME A. I. TA. (id eſt, *noviſſime a primis tabulis*) *factae ſunt.* Neque enim aliud ſenſit Ulpianus, quam tabulas dici *ſupremas*; non ideo quod noviſſime ante mortem ſuam eas tabulas teſtator fecerit, ſed adſpectu ſolummodo tabularum, quae priores factae ſint: denique *noviſſimas* ſic intelligi, factas noviſſime a primis tabulis, tametſi veteres ſint; non ita, quas noviſſime antequam decederet, fecerit paterfamilias. Ipſe Ulpianus ſe declarat verbis ſequentibus: *ſupremae enim*, inquit, *hae ſunt, non quae ſub ipſo mortis tempore factae ſunt, ſed poſt quas nullae factae ſunt; licet hae veteres ſint:* ſcilicet illae notae & literae I. TA ad eum modum coaluerunt in ITA, ut in noſtro capite iſtae SEM. AS. in SEMIS. Geminum germanum huic peccatum in *c. In ratione* 11. *§. ſi filio 6. D. ad leg. Falcid.* feliciſſime deprehendit Jacobus Gothofredus, *in notis ad* 12. *tabb. p.* 184. tanto optimus hujus ſeculi juris Rom. interpres, quanto ſui peſſimus Dionyſius. Nec dubito ſane, quin ejuſmodi errores quamplurima alia Pandectarum loca occuparint, quos animadverſurus facilius, & felicius emendaturus ſit, cui diligenter inſpiciendi Florentini illius codicis poteſtatem Deus dederit: quod ut nobis aliquando contingat, tametſi ſperare vix poſſum, tamen opto vehementer.

CAPUT X

Quae adverſus conjecturam noſtram objici poſſint.

FInem facere in hoc voto conſtitueram: nam perbrevis licet haec exercitatio ſit, attamen eis, quibus placitura eſt, ſatis videbitur longa; illis, queis diſplicitura, etiam nimium. Dabo tamen vobis, qui admittere conjecturam noſtram verecundabimini,

credidi eſſe Labeonis, quod proponitur in *l. ſi ejus fundi 78. D. de rei vindicat.* Quis enim dixerit, Labeonem tam novitatis fuiſſe ſtudioſum, ut quod omnium uno ore unoque conſenſu receptum erat, id unus in ſcribendo negligeret & contraſcriberet? Huc accedit, quod contraria tribuitur Labeoni ſententia in *l. ſi fructuarius* 13. *D. Quib. mod. uſusfr. amitt.* fructus ſcilicet percipi ſpica aut foeno caeſo, aut uva adempta, aut excuſſa olea, quamvis nondum tritum frumentum, aut oleum factum, aut vindemia coacta fuerit. Quod idem plane eſt cum eo, quod ſub nomine Pauli eſt in *d. l. ſi ejus fundi* 78. perceptionem fructuum accipiendam, *non ſi perfecte collecti ſint, ſed etiam ſi coepti fuerint, ita percipi, ut terra ſe continere deſierint: veluti ſi olivae, uvae lectae, nondum autem vinum oleum factum ſit:* his enim verbis utitur *d. l. ſi ejus fundi* 78. quae, ut ex *l. ſi fructuarius* 13. conſtat, accipienda eſt de fructuario: idque confirmat quod ponitur in ea, eum, qui fructus percepit, ſuo nomine percepiſſe, & ita ſuos feciſſe. Nam fructuarii fructus demum fiunt, ſi ipſe eos perceperit, aut alius ejus nomine, cum aliud ſit in bonae fidei poſſeſſore, cujus fiunt fructus, a quocunque percepti fuerint, *d. l. ſi fructuarius* 13. *D. Quib. mod. uſufr. amitt. l. arboribus* 12. *§ ultim. D. de uſufr. l. qui ſcit.* 25. *§.* 1. *D. de uſur. l. bonae fidei* 48. *in princ. D. de acquir. rer. domin. l. ſi ſervus communis* 61. *§. locavi* 8. *D. de furt.*

Quare (ut dicam, quod ſentio) Labeonis eſſe illa exiſtimo, quaecunque ſub nomine Pauli, ſcribuntur: Pauli autem nomen ferunt; quia Paulus Labeonis libros in meliorem ordinem & commodiorem methodum redegit, ut valeat quod ait Imperator in *l. unic. C. de vet. jure enucleand. Eum, qui factum ſubtiliter emendat, laudabiliorem eſſe eo, qui invenit.*

CAPUT XVII.

Vox Periculi *quid ſignificet.*

P*Ericulum*, de cujus vocis ſignificatione a quibusdam ex noſtris interpretibus quaeſitum eſt, nihil aliud eſſe puto, quam *ſtatuam* aut *columnam*, maxime autem eam, quae in foro ponebatur, in qua judicum & magiſtratuum nomina, ab iisque prolatae ſententiae ſcribebantur. Unde *magiſtratuum pericula* apud Ciceron. *in frumentaria*, quibus magiſtratuum nomina inſcripta erant. De judicum nominibus eſt locus apud Aſconium *in argum Orat. pro Milone. Quarta die adeſſe omnes in diem poſterum jubebantur, ut coram accuſatore & reo Pilae, in quibus nomina judicum inſcripta erant, aequarentur.* De ſententiis, inſtrumentis publicis inſcribi ſolitis, eſt apud Apulejum *lib.* 1. *Florid. in fin. Proconſulis tabella ſententia eſt, quae ſemel lecta, neque augeri litera una neque minui poteſt, ſed utcunque recitata eſt, ita provinciae inſtrumento refertur.* Et in antiqua ſententia: *Meruit ſententiam, quam juſſu ejusdem Senecionis ſub praef. huic titulo proſcripſit.* Horat. *lib.* 3. *od.* 24. *v.* 25. ſtatuas hujusmodi intellexit, cum ait:

O quisquis volet impius
Caedes aut rabiem tollere civicam.
Si quaeret pater urbium
Subſcribi ſtatuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam.

Periculum igitur, ex Plutarcho in Iſocrate, nominare licet βαλαίας εἰκόνας. Et ſane *ſtatuas* & *columnas* in foro fuiſſe, apparet ex *l. eum qui* 36. *D. de reb. aut. judic. poſſ l. Falcinius* 7. *§ illud ſciendum* 13. *D. quibus cauſ. in poſſ. eatur* & ex quadam epiſtola Diog. *ad Cratetem*, in qua ſic eſt: καὶ δ' ἀνδριάντας δ' ἐν τῇ ἀγορᾷ πρατέον αὐτοῦ τὰ ἄλφιτα. Quod *periculum* apud Aemilium Probum [illegible]
δὴ σφαίρης αἱ ἴδιον ποιήσαντο: *At poſtquam pilae ſeu ſtatuae periculum in rectum fecerunt.* Neſcio, an *periculum* hac ſignificatione accipiatur in *l. ſi culpa* 63. *D. de rei vindic.* ubi, *ex ſententia judicis periculo judicati.* Ex his ſatis apparet, *in tit. C.* non poſſe legi: *De ſententiis ex periculo recitandis*: quippe quod agatur in eo, quo modo ſententia ex tabella ex ſcripto & ex libello feratur. Rectius igitur legitur communiter: *De ſententiis ex libello recitandis* vel *ex ſcripto*, ut probant *l.* 1. *l.* 2. *l.* 3. *eod. tit.* Non inepte etiam quidam legunt, *ex breviculo*, Lamprid. *in Severo cap.* 28. *Eum notarium, qui falſum cauſae brevem in conſilio imperatorio retuliſſet. Ex periculo* autem, praeterquam quod denotat proprie ex lapidea pila & columna, etiam ſignificare poteſt *breviter* & *ſuccincte*, quia columnis res quam breviſſime ſcribebantur. Unde στηλογραφίαν Nazianz. ut alii etiam referunt, uſurpavit pro *brevi ſubnotatione* & *quodam indice.*

CAPUT XVIII.

An permiſſa ſit ultio, & quemadmodum ſe contra vim defendere permiſſum ſit.

COmmunem omnium hominum inter ſe cognationem laudant Ulpianus, *l.* 3. *D. de Juſtit. & jure.* Leo *Novell. l.* 1. Lactantius *cap.* 7. *Epitom. Si enim facti ab uno Deo*, inquit, *& orti ab uno homine conſanguinitatis jure ſociamur, omnem igitur hominem diligere debemus.* Quintil. *Declam.* 9. *Sub uno parente naturae cognatio eſt.* Philo *lib.* 1. *de vita Moſ. p.* 650. Οὐκ τείνων, inquit, ἄνθρωπον, εἰ καὶ δίκαιος καὶ ἀμυνόμενος καὶ βιασθεὶς, ὑπαίτιος εἶναι δοκῶ, διὰ τὴν ἀνωτάτω καὶ κοινὴν συγγένειαν. Sidon. Apollin. *in quodam Paneg. vulgus cognatum* dixit. Cicero quoque *lib.* 1. *Offic.* hanc ſocietatem & naturalem cognationem pluribus deſcribit & laudat. Propter hanc mutuam inter ſe hominum cognationem, nefas eſt, alteri alterum injuriam facere aut vim inferre, *d. l.* 3. ideoque fas eſt, ſe adverſus periculum imminens quoquo modo defendere, & ſe defendendo alterum occidere, *d. l.* 3. *l.* 4. *l. ſcientiam* 45. *§. qui cum* 4. *D. ad leg. Aquil.* quia qui homini inſidias facit, cognationis vinculum ſolvit, & ideo nec erga eum jure cognationis tenemur amplius; contra quod tamen putat Philo *loco ſupra citato.* An autem etiam permiſſa ſit ultio, quaeri poteſt. Ita videtur. Cicero 2. *de Invent. cap.* 53. *Vindicatio eſt, per quam vis & injuria & omnino omne, quod obfuturum eſt, defendendo aut ulciſcendo propulſatur.* Antoninus apud Herod. *lib.* 4. *cap.* 5. ἀμύνεσθαι τὸ αὐτό· ἐπιβουλεύοντας οὐ μόνον δίκαιον, ἀλλὰ καὶ ὅσιον. Seneca *lib.* 2. *de Ira cap.* 32. *Non ut in beneficiis honeſtum eſt merita meritis repenſare, ita injurias injuriis. JCtis vinci turpe eſt: hic vincere. Inhumanum verbum eſt, & quidem pro juſto receptum, ULTIO: & a contumelia non differt, niſi ordine.* Lucretius quoque videtur, non omnem improbare ultionem, ſed acriorem *lib.* 5. *v.* 1147.

Acrius ex ira quod enim ſe quisque parabat
Ulciſci, quam nunc conceſſum eſt legibus aequis.

Donatus *in Hecyr. Terent. Act.* 1. *ſc.* 1. *v.* 13. *Inſidiari malum eſt, ſed contra inſidiari juſtum eſt.* Sed jure noſtro omnis omnino ultio prohibita eſt, cum ita demum ſe defendere permittat, ſi aliter ſe tueri quis non poſſit, *l. ſcientiam* 45. *§. qui cum* 4. *D. ad leg. Aquil.* Debemus enim injuriam a nobis propulſare confeſtim, non ex intervallo, *l.* 3. *§. cum igitur qui* 9. *D. de vi & vi arm. l.* 1. *C. unde vi.* Atque haec quidem in iis, quae vitae necisque ſunt pertinent, in quibus prorſus ultio jure improbatur, cum eadem in judiciis & civili.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

L. debitor 82. D. de legat. 2. *addita negatione emendandam eſſe*.

Nunquam aſpexi *l. debitor* 82. §. *ultim. D. de legat.* 2. quin ex ipſius orationis ductu, ex eo, quod ibi tractat Paulus, & ex ſententia juris, ſtatuerim, negationem deeſſe. Quod cum valde miror, neminem hactenus animadvertiſſe, tum ita planum faciam, ut neceſſaria plane appareat illa negatio: & omnes tanquam ea, quae oculis cernuntur, videant: confugiendum interdum ad textus emendationem, ubi ratio juris id ſuadet, poſtulat loci, qui tractatur, ſententia & integritas. Scio equidem, quam id vulgo odioſum habeatur. Et ſane ipſe adeo ſacroſanctum apud omnes eſſe cupio & opto, ut ſartum tectum retinendum eum eſſe exiſtimem: eoque odio maximo dignos judicem, qui, nullo judicio levi aliqua conjectura ducti, opiniones ſuas textus integritati praeponere non erubeſcunt. In quibus quin habeat ab omnibus, non recuſo, niſi maturo judicio & ſincera fide ad hujus me loci emendationem acceſſiſſe appareat. Hoc ut intelligatur, paucis accipe. Quod domino non poteſt legari, ſervo legari poteſt, ut res domini, & id, quod domino pure debetur. Nec obſtat id, quod dicimus, domini perſonam inſpici, cum aliquid ſervo legatur, *l. ſi mihi & tibi* 12. §. 1. *D. de legat.* 1. quia id tantum recte dicitur de teſtamenti factione, ut hic explicat Paulus, & *l. alieno* 31. *in princ. D. de fideicomm. libert.* Itaque ei ſervo demum legare poſſum, cujus cum domino teſtamenti eſt factio, & ut ait *d. l.* 12. §. 1. cujus domino aeque legari poteſt. Ceterum integrum legatum ex perſona ſervi vires capit, & ſi ſit cum domino teſtamenti factio, quodcunque praeterea in legato eſt, perſonam ſervi reſpicit, ex eaque vires capit, aut viribus deſtituitur. Igitur in teſtamenti factione ſervus eſt plane *ἀπρόσωπος* & perſonam non habet, ut & alias *l. 3. D. Ne quis eum qui in jus vocat. vi exim.* Unde a domino *χαρακτηρίζεται*, ut loquitur Theophilus, & perſonam a domino accipit. In ceteris, quae in teſtamento ſunt, perſonam a ſe habet, ut non opus ſit, eum dominus perſonet. Et hoc eſt, quod dicebat Julianus, id demum ſervo alieno legari poſſe, quod quivis alius liber capere poſſet, ut explicat Papinianus Julianum in *l. 5. D. de ſervit. leg.* Qua in re legatum a ſtipulatione differt, quae ex perſona domini vires accipit. Et ideo non ſicut ad fundum domini via ſervo legari non poteſt, cum alii libero non poſſit, *d. l. 5.* ita ſervus ad fundum domini viam ſtipulari non poteſt. Nam quoniam dominus viam ad fundum ſuum ſtipulari poteſt, etiam ſervus poterit, cujus ſtipulatio ex perſona domini valet, *l. ſi unus* 19. *D. de ſervit. ruſtic. praed. l. 7. §. ultim. l. 17. D. de ſtipulat. ſervor.* In legato igitur perſona ſervi inſpicitur; quo fit, ut valeat legatum, quod relictum eſt ſervo, quandiu ſerviat. Quod autem valeat, quia hujus rei probandae potiſſimum hoc caput ſuſceptum eſt, probatur, *l. ſervo alieno* 113. *in princ. D. de legat.* 1. Probatur ipſa Pauli oratione: *Nam & hoc legatum ex perſona ſervi vires accipit.* At quid haec oratio, niſi ut probet, hoc valere legatum, quoniam ex perſona ſervi vires accipit; idque maxime evincit particula Et; ex qua apparet, Paulum, quod de ceteris legatis, de quibus fecerat ante mentionem, dixit, idem dictum velle teſtamento prohibentur manumitti, & qui a praefecto vel praeſide ob delictum aliquod puniti, *l. quod ſi fugitivus* 17. §. *ultim. D. de aedilit. edict. l. ſervus* 9. *D. de manumiſ. l. ſervum filii* 44. §. *ſi idem ſervus* 7. *D. de legat.* 1. quod, inquam, his ſervis legatur, valet, quamvis conſequi libertatem non poſſint; cur non multo magis id legatum valere debet, quod relictum eſt ſervo, quandiu ſerviat? quia hic conſequi libertatem poteſt, illi nullam ejus unquam aſſequendae ſpem habent. Probat id denique totius loci filum. Cum Julianus definiſſet id demum ſervo alieno legari poſſe, quod ipſe liber factus capere poſſet, id ſtatim quidam arripuerunt & calumnioſa interpretatione concludere inde tentarunt, id legatum minime valere, quod ſervo alieno relictum eſt quandiu ſerviat; quia ille, liber factus, id legatum non poſſe capere videtur. Cui calumnioſae annotationi duo opponit Paulus: primum hoc legatum ex perſona ſervi conſiſtere, non minus ac ea, quae ſupra dixit, valere: deinde, ſi verum eſſet legatum, ſervo relictum, quandiu ſerviat non valere; ſequeretur & illud, multo magis legatum non valere, quod relictum eſt ſervo, cui libertas competere nunquam poteſt: quod contra jus eſt. Et ſimilis eſt ejuſdem Pauli reſponſio alio in loco & alia ſpecie, *l. ad exhibendum* 19. *D. ad exhibend.* Quae cum ita ſint, neminem dubitaturum eſſe opinor, quin locus ille negatione addita ita ſit legendus: *Calumnioſa eſt enim illa adnotatio, non poſſe ſervo legari & quamdiu ſerviat. Nam & legatum ex perſona ſervi vires accipit &c.* Illud ad extremum notandum eſt, particulam, ENIM, hoc in loco non eſſe conjunctivam, ſed adverſativam potius: quod non obſervatum cauſam, credo, dedit, cur huic legi detraheretur negatio: quemadmodum contra particulae adverſativae, ut, AUTEM, VERO, quandoque pro conjunctivis ponuntur, *l. intra quatuor* 10. §. *fin. D. de diverſ. temp. praeſcript.* Petr. Faber ad *l. 36. D. de regul. Jur.*

CAPUT XX.

Operam dare *explicata* l. praedia 27. §. 1. D. de inſtruct. legat.

JUdex *operam dare* dicitur, *l. ſi longius* 18. *in princ. D. de judic. l. penult. D. de vacat mun.* quod accipiendum de pedaneo judice, patet ex *d. l. ſi longius* 18. quae judicem datum vocat eum, qui *operam dat*. Id etiam oſtendit iſte Ciceronis locus *act. 2. in Verrem. cap.* 29 *M. Petilium equitem Rom. quem habet in conſilio, jubet operam dare, quod rei privatae judex eſſet.* Quo in loco Petilius, judex privatus, eques Romanus recte ponitur; quoniam equites Romani potiſſimum selecti erant judices, qui a litigatoribus ipſis aut magiſtratibus ad judicandum eligebantur, ut jam ſatis notum eſt. Hinc recte Plinius *in praefat. natur hiſt. Quid te judicem facis? Cum hanc operam condicerem non eras in hoc albo:* Selecti enim judices in album referebantur, ut ex Seneca *lib. 3. de Benef. cap. 7. in fin.* videre eſt. Qui igitur *operam dabant*, privati judices erant; ut eſt in ſuperioribus Ciceronis verbis, quod rei privatae eſſet; & judices privatos interpretantur *ſelectos*. Gellius *lib. 14. cap. 2. Quo primum tempore a praetoribus lectus in judices ſum, ut judicia, quae appellantur privata, ſuſciperem libros utriuſque linguae de officio judicis ſcriptos conquiſivi.* Etiam arbitri *operam dare* dicuntur. Comicus *in Heaut. Act. 3. ſc. 1. v. 92. Simus*

Digitized by Google

nis, l. 1. §. *advocato* 11. *D. de extraord cognit.* & apud Paulum *lib.* 1. *Sentent. tit.* 2. §. 2. Cognitores *operam cognitoriam ſuſcipere.* Hinc *operam praeſtare* in civilibus officiis, *l.* 1. §. 1. *D. ad SCtum Vellejan.* & *opera forenſis* pro advocatione, procuratione, vel etiam cognitione dicitur a Corn. Nepote *in Alcibiade cap.* 3. Gell. *lib.* 14. *cap.* 4. Quod autem majores judices & magiſtratus *operam dare* dicuntur, *l.* 1. §. *ſi ea quae* 14. *D. de vent. in poſſeſſ. mitt. l.* 1. *in princ. D. ſi quid in fraud. patron. l.* 3. *C. de repud.* & alibi pro *videre* & *diligentiam adhibere* accipitur. Ex his pendet explicatio *l. praedia* 27. §. 1. *D. de inſtruct. legat.* ubi mulier dicitur Romam ex Africa veniſſe litis cauſa, mancipiaque quaedam ſecum duxiſſe, *quo citius per hyemem operam eligeret* (ſic enim legendum in *d.* §. 1. non, ut alias legitur, *ad oram legeret*) ſignificat enim JCtus, mulierem ſecum duxiſſe mancipia, ut eorum diligentia Romam citius perveniret, *quo operam judicis eligere poſſet aut condicere*, ut loquitur Plinius. *Per hyemem* autem dixit, id eſt, tempore hyemis, propterea quod hyberni dies imprimis jurisdictioni tribuebantur, ut eſt apud Cicer. 5. *ad Att. Epiſt.* 14 & apud Theoph. *in* §. *eadem* 4. *Inſtit. Quibus ex cauſis manumitt.* Quod in *d.* §. 1. dicitur *litis cauſa* iter facere, id in *l. ſed & ſi per praetorem* 26 § *penult. D. ex quibus cauſ. major*, dicitur *cognitionis vel appellationis gratia peregrinari.* Nam certe peregrinationes litis cauſa ſaepe ſuſcipiebantur, *l. civitas* 6. *C. de offic. rect. provinc. Novell.* 41. Conſtitutio quaedam Conſtantini: *Aliquos ex iis, qui contra Caecilianum diſſentiunt, data evectione publica per Africam & Mauritaniam inde Hiſpanias brevi tractu facias migrare.* Navigationem autem ſervis adjunctis fieri ſolitam, demonſtrat Novell. Valentin. *de teſtament.* ibi: *Aliis navigatio ſervis tantum comitibus expedire ſubducit.*

CAPUT XXI.

Teſtamenti definitiones.

JUſtinianus, dum teſtamentum definit *teſtationem mentis*, reſpicit ad naturam ac vim propriam teſtamenti. Illud quippe eſt proprie teſtamentum, inquit Theodoſ. *Novell.* 9. quod teſtantis meram obtinet voluntatem. Nihil namque eſt aequius, nihil juſtius, quam *hominis ſani* ultima *voluntas*, *l. penult.* §. *ultim. D. de legat.* 2. *l.* 1. *C. de ſacroſ. Eccleſ. Novell.* 22. ubi refert Imperator legem XII. Tabularum, eamque antiquiſſimam eſſe ſcribit: *Paterf. uti legaſſit ſuae rei ita jus eſto*; quam etiam apud Graecos obtinuiſſe diſcimus ex Iſocrate *in Aeginet.* quamque laudat Octavius Auguſtus, *in ſuo de Virgilii libris carmine*, in Calect. Scaligeri *pag.* 142.

Sed legum eſt ſervanda fides: ſuprema voluntas
Quod mandat, fierique jubet, parere neceſſe eſt.

Poſſumus itaque teſtamentum ſimpliciter definire *ultimam voluntatem*, ſeu *mentis noſtrae conteſtationem*, quamvis teſtamentum jure civili *nuda voluntate* non fiat, *l. qui ex liberis* 11. *in fin D. de bonor. poſſ. ſecund. tabul.* Et hoc ſenſu Theoph. dixit *teſtamentum eſſe jurisgentium*, & Quintil. quodam in loco *: multa eſſe jure naturali aequa, quae tamen jure civili prohibita ſunt, ut teſtamentorum libertas. Modeſtini definitio uberior eſt & plenior: *Teſtamentum eſt voluntatis noſtrae juſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit.* Haec etenim definitio teſtamentum juris civilis facit, aut potius juris publici. Sed Ulpiani definitio omnium pleniſſima eſt: *Teſtamentum eſt mentis noſtrae juſta conteſtatio in id ſolenniter factum &c.* ut illud *juſta conteſtatio* ad factionem teſtamenti, quae eſt publici juris, referatur; hoc vero *in id ſolenniter factum* ad ſolennitatem juris civilis ejusdemque regulas. Ideoque recte Ulpianus in definitione primo loco teſtamenti factionem ponit, tum poſtea juris civilis ſolennitatem, ſecundum doctrinam Gaji *d. l.* 4. Qui habet teſtamenti factionem, ille nihilominus ſecundum regulas juris teſtari debet, nec poteſt facere, ut jus civile non habeat locum in ſuo teſtamento, *l. nemo poteſt* 55. *D. de legat.* 1. *l. teſtandi* 13. *C. de teſtament.* Sed qui non habet teſtamenti factionem, nec teſtando ſecundum regulas aliquid agit, quia non refert, ſolenne eſſe teſtamentum, niſi juſta ac legitima ſit teſtantis voluntas. *Solennia juris* dicuntur, *l.* 1. *D. de inuſt. rupt.* Solennitas legum, *l. ultim. in fin. C. famil. erciſ.* Obſervatio legum, *l. hereditas* 19 §. *filiusfam* 2. *D. de caſtrenſ. pecul.* Diligentia legum & obſervantia, *l.* 1. *D. de milit. teſtam.* Nimia & miſera diligentia, *l penult.* §. *ultim. D. de legat.* 2. Teſtamentum igitur vel eſt mera voluntas, vel juſta ac legitima voluntas, vel voluntas ſolennis, duobusque poſtremis modis proprie teſtamentum jure civili dicitur, primo modo nomen generale ultimae voluntatis retinuit. Hinc in veteri teſtamento: *Et hanc meam noviſſimam voluntatem valere volo jure teſtamenti. Quod ſi forte non conſebitur nomen & jus habere, mando cujusvis alterius ultimae voluntatis.* Et notandum eſt, eodem ordine tractari in Codice de teſtamento: nam Primo proponitur teſtamentum militis, quod nihil niſi mera teſtantis eſt voluntas & teſtamentum vere juris gentium. Nam ſi, ut recte quidam adnotant, ſcire velis, quale ſit teſtamentum juris gentium, hujus rei notitiam ex teſtamento militari petere te oportet. Deinde ponitur teſtamenti factio, *Qui teſtamenta facere poſſunt*: Poſtremo ſolennitates juris, quibus conſtare debent teſtamenta, *tit. De teſtament. & quemadm. teſtament. ordinent.* Quod in Ulpiani & Modeſtini additur definitionibus: *De eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit*, non ſolebat omitti etiam ab ipſis teſtatoribus. Unde ita eſt in teſtamento quodam veteri: *Haec eſt L. Cuſpidii diſpoſitio & ultimae voluntatis ſententia, de eo quod poſt mortem ſuam fieri cupit.* Quod ita ſcribit Iſidorus *lib.* 4. *cap.* 24. *Teſtamentum vocatum, quia niſi teſtator mortuus fuerit, nec confirmari poteſt, nec ſciri, quid in eo ſcriptum ſit, quia clauſum & obſignatum eſt, & inde teſtamentum, quia non valet, niſi poſt teſtatoris monumentum. Unde Apoſtolus: Teſtamentum, inquit, in mortuis confirmatur*, quod, inquam, ita ſcribit Iſidorus, ſciendum eſt, id eum ſumpſiſſe aliqua ex parte ex Lactantio *lib.* 4. *cap.* 20. *Niſi teſtator mortuus fuerit*, inquit, *nec ſciri poteſt, quid in eo ſcriptum ſit, quia clauſum & obſignatum eſt.*

* [*Inſtit. orator. lib.* 3. *cap.* 6. *circa finem. Eſt aliquid aequum, ſed prohibitum jure: ut libertas Teſtamentorum.*]

C A-

Digitized by Google

liani ſententiam relatam, exiſtimantis eam ſponſam eſſe, quamvis ſponſalia non praeceſſerint, Labeonis & Papiniani diverſum exiſtimantium proponit in *l. cum hic ſtatus* 32. §. *ſi quis ſponſam, pen. D. de donat. inter vir. & uxor.* quod jam ante fecerat in *l. quaeſitum* 9. *D. de ſponſal.* Putabant enim Labeo & Papinianus, quod & ipſe Ulpianus probat, minorem ſponſam videri, ſi praeceſſerint ſponſalia, alias ſponſam minime intelligi debere; *quamvis*, inquit Ulpianus ex Labeonis ſententia, *jam uxorem eſſe putet, qui duxit*, id eſt, ut ego interpretor, quamvis qui minorem in domum duxit, ei maritalem affectum & honorem uxoris deferat, qui honor matrimonium facit, *d. l. cum hic ſtatus* 32. §. *ſi mulier* 13. *l. donationis* 31. *D. de donat.* Quo fit, ſicut poſtea additur, ut donatio in minorem collata non valeat, quia non in ſponſam, nec in extraneam collata eſt, ſed quaſi in uxorem, ut eſt in *d. §. ſi quis ſponſam.* Recte *quaſi in uxorem*, quia quamvis nuptiae nondum ſint, ut poſtea in ipſa lege additur, tamen haec cohabitatio ſpeciem quandam matrimonii habet, & ut ait *l. quod Servius* 8. *D. de cond. cauſ. dat.* habitum matrimonii, quae & ipſa in principio minore ducta nuptias factas ait, poſtea vero nondum matrimonium coitum dicit. Recte igitur dicimus minorem, licet nec uxor, nec nupta eſſe intelligatur, tamen *quaſi uxorem* eſſe, *l. quaeſitum* 17. *in fin. D. de reb. autor. judic. poſſid.* & loco nuptae, *l. quaeſitum* 9. *D. de ſponſal.* eumque, qui minorem ducit *quaſi maritum*, ut in *d. §. ſi quis ſponſum.* Contrarium tamen ipſe Labeo libris poſteriorum definit, ratam nimirum eſſe donationem, quam vir in nondum viri potentem facit, *l. quod vir* 65. *D. de donat. inter vir. & uxor.* Cujus haec reddi ratio poteſt, quia uxor eſſe non poteſt, quae virum pati nequit, ut idem alibi ait, *l. quod pupillae* 30. *D. quando dies legat.* Dici potuiſſet, eam donationem valere, tanquam in ſponſam factam, niſi conſtaret, Labeonem negaſſe minorem ſponſam eſſe, niſi ſponſalia praeceſſerint. An ergo dicemus de minore ſponſa aut cum qua contracta ſint ſponſalia, intelligendam eſſe *d. l.* 65. Non id eſſet interpretari legem. Quamobrem exiſtimo, tum demum non valere donationem, quando vir minori dederit, quaſi jam ſuae uxori, valere, ſi dederit non tanquam jam uxori ſuae, ſed tanquam futurae poſt nuptiarum legitimum tempus impletum, id eſt, poſt 12. annos. Ea igitur in re, quae fuerit dantis voluntas, quod propoſitum, conſiderandum eſt.

CAPUT XXIII.

Quo tempore vixerint Urſejus Ferox, Proculus, Marcellus, Scaevola, Junius Mauricianus, JCti.

AEquum eſt profecto & utile ſcire, quo tempore vixerint juris noſtri autores: cum minime par ſit eorum incognitam jacere memoriam, qui publico adeo profuerunt, & nobis, quantum in ipſis fuit, ſuo labore, otium, vigiliis ſomnum & ſecuritatem, occupationibus vacationem conciliarunt, & minime id ſit infructuoſum, ſed inprimis conducat ad juris noſtri explicationem. Urſejum Ferocem, ad quem Julianum notas ſcripſiſſe ex multis legum inſcriptionibus apparet, & ex Ulpiano diſcimus, *l. ſi quis* 6. §. *ult. D. commun. divid.* ante Tiberii tempora vixiſſe puto, aut certe primis Tiberii temporibus. Moveor eo, quod in *l.* 1. *ſive autem* 9. *D. quar. rer. act. non det.* Caſſius exiſtimaſſe Urſejum refert, & in *l. ſupra* 11. §. *apud* 2. *D. de aqua & aqua pluv. arcend. apud Ferocem Proculus ait*, intelligi debet *in notis Ferocis ad Proculum*, non, ut ſupra apud Caſſium dictum eſſe annotavimus; & ita Servius, qui ad Alphenum notas ſcripſit, *apud Alphenum reſpondiſſe aut notaſſe* dicitur, *l. actione* 65. §. *item ſcriptum* 8. *D. pro ſocio. l. ſi quis duos* 67. *D. de ſolution.* Ex his fere etiam conſtat, quo tempore vixerit Proculus ante Tiberii tempora certe, Caeſaris ſeculo, ut puto. Coaetaneum eum fuiſſe Attilicino demonſtrat *l. Attilicinus* 17. *D. de pact. dotal.* qui Attilicinus tempore Fufidii fuit; ut patet ex *l.* 5. *D. de auro arg. legat.* quem Fufidium tempore Ciceronis fuiſſe recte probavit Cujac. *obſ.* 1. *cap.* 9. Ideoque Paulus Attilicinum teſtem laudat cujuſdam reſcripti Caeſaris ad Statilium Taurum, *l. Attilicinus* 35. *D. de ſervit. ruſtic.* Neminem igitur dubitaturum opinor, quin Proculus Caeſare imperium obtinente floruerit. Marcellum ſub Marco Antonino fuiſſe opinor, ex *l. non putabam* 48. *D. de condit. & demonſt.* cujus ſententia allegatur in *l. ſi cui legetur* 49. *in princ. D. de legat.* 1. in quo (ut hoc obiter addam) omiſſum eſt nomen Imperatoris, quod ſic reſtituendum eſt: *Et ita Imperatorem Marcum decreviſſe Marcellus ſcripſit.* Confuſa eſt vox *Marcum* cum voce *Marcellus*, utriusque ob affinitatem. Quod autem diximus, Marcellum ſub Marco Antonino fuiſſe, probatur & *l. de illo* 23. *D. pro ſocio. l. ſi nemo* 19. *D. de teſtam. tutel.* Male eundem alii referunt ad tempora Antonini Pii. Scaevolam poſt Imperatoris Marci Antonini mortem vixiſſe teſtatur *l. Pamphile* 39. §. 1. *D. de legat.* 3. *l. verum* 11. §. *quid ſi minor* 1. *D. de minorib.* Pomponii utitur autoritate, *l. ſed interim* 18. *D. de condict. furtiva.* & Macciani, *l. ſi a ſervo* 20. *D. ad leg. Falcid.* Certe vixit poſt Marcellum aut eodem tempore, quoniam ad Marcellum notas ſcripſit, *l. ſed interim* 11 §. *conſequenter* 6. *D. de donat. inter vir. & uxor. l. cum quidam.* 24 *D. de legat.* 2. *l. in eo quod* 33. *D. de acquirend. rerum domin.* Junium Mauricium ſub Antonino Caracalla vixiſſe, fidem facit *l. ſi Auguſtae* 57. *D. de legat.* 2. *l. licet* 23. *D. de uſufr. legat.* Ejus utitur Ulpianus autoritate, *l.* 7. §. 1. *D. de pact. l.* 1. *D. pro ſuo.*

CAPUT XXIV.

Culpa eſt ſe immiſcere rei, ad ſe non pertinenti.

NEmini licet actionem alieno nomine ſine mandato ejus proponere, quin is, qui eam proponit, pro calumniatore habeatur & damnetur, *l. noſtris* 8. *C. de calumniat.* Quamobrem quod dicitur, *Culpam eſſe, ſe immiſcere rei, ad ſe non pertinenti*, id tum recte dicitur quando quis cauſam alienam in judicium deducit ſine mandato ejus, ad quem res cauſa & lis pertinet. Anianus *lib.* 9. *C. Theod. Calumniatores ſunt quicunque cauſas ad ſe non pertinentes ſine mandato ulterius propoſuerunt.* Papianus *tit.* 15. *Reſponſor. Qui aliter* (ſine mandato) *alienae cauſae ſe miſcuerit pro calumniatore damnatur.* Unde quod dicimus, neminem alieno nomine agere poſſe, *l. nemo alieno* 123. *D. de regul. juris*; id verum eſt, quando quis ſine mandato & conſenſu domini lites agit, ut Placentinus interpretatur recte: quae tamen diſtinctio in civilibus ſolum & privatis cauſis valet, *l. licet* 42. §. 1. *D. de procurat.* cum in publicis & criminalibus etiam cum mandato alterius cauſam ſuſcipere non poſſimus, Paulus *lib.* 5. *Sent. tit.* 4. *l. pen.* §. 1. *D. de public. judic.* illud tamen in criminalibus conceſſum eſt humanitatis

tatis

Digitized by Google

dato agere non liceat, judicium tamen accipere licet, *l. ſolutione* 23. *D. de ſolut.* quo caſu fit quaſi novatio, *l.* 2. *§. ultim. D. ad SCtum Vellejan. l.* 2. *C. de pact.* Igitur non licet pro alio agere; pro alio excipere licet. Recte autem diximus, culpam eſſe ſe immiſcere ſine mandato cauſae, ad ſe non pertinenti, quia ſimpliciter ſe cauſae alienae immiſcere vitio non datur, *l.* 1. *§.* 5. *D. de poſtuland.* Cauſa autem non pertinere ad eum, qui agit, dicitur, ſi ejus non intereſt cauſam agi; alias enim culpa vacat, ſi immiſceat ſe etiam ſine mandato, *l. patri* 27. *in princ. D. de minor.* Certe quando quis cauſam agebat, an ejus intereſſet, quaeſitum fuiſſe, oſtendit *l. non tantum* 6. *D. de appell.* Porro quod extra hunc caſum, quo quis litem alienam agit & ſine mandato in judicium deducit, ab aliis ad hanc regulam aliud affertur exemplum de Medico indocto & imperito, quod ei vitio detur, morbi curationem polliceri ac recuperandae ſalutis ſpem, cum medicinae ſit plane imperitus ac rudis, non eſt omnino ab hoc loco alienum, mihique non improbatur. Qua de re viſum eſt, hic aſſcribere Perſii verſus, non ſolum huic uni ſpeciei de Medico accommodatos, ſed etiam ad intelligentiam noſtrae regulae pertinentes, *Sat.* 5. *vſ.* 96.

Stat contra ratio ac ſecretam gannit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiaret agendo.
Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inſcitia debilis actus.
Diluis elleborum, certo compeſcere puncto
Neſcius examen: vetat hoc natura medendi.

His etenim ſignificat Perſius, quamvis propter libertatem naturalem conceſſum ſit id facere, quod velis, etiamſi in eo non ſis exercitatus, id tamen civili ratione non permitti (ſic accipitur etiam *ratio* apud noſtros, pro jure ſcripto & pro eo, quod ſuis finibus & terminis, item regulis ac praeceptis determinatum eſt ac definitum, *l. jus ſingulare* 16. *D. de legib. l.* 1. *§. ſi ego* 3. *D. ſi pars heredit. l. qui quadraginta* 88. *D. ad leg. Falcid.*) & tum demum tibi licere libertate uti naturali, niſi jure ac lege prohibearis. Jure itaque civili in omnibus, qui extra culpae aleam eſſe volunt, requiritur, quod in medicis & fabris requirit Horatius *Epiſt.* 1. *lib.* 2. *vſ.* 115.

—— —— Quod medicorum eſt
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

Et illud veterum valet adagium: *Quam quiſque novit artem, in hac ſe exerceat.* Juris civilis eſſe regulam noſtram demonſtrat, quod in ea dicitur, *culpam eſſe ſe immiſcere rei, ad ſe non pertinenti.* Culpa enim juri aſſcribitur, ut Donatus Terentium *Adelph. Act.* 3. *ſc.* 3. *vſ.* 64. in eo civiliter dixiſſe ait, quod dixerit *hoc vitio datur*, non *hoc malum eſt.* Ad hanc autem regulam nonnihil pertinere videtur, quod ſcribit Plutarchus, hanc eſſe potiſſimum inter amicos & adulatores differentiam, quod illi non anxie inquirant, quid pro amicis faciendum ſit, & expectantes amicorum mandata, non ultro ſe ingerant ad omnia eorum negotia, οὐκ ἐξακριβοῦντες, οὐδὲ πολυπραγμονοῦντες δὲ, ἑαυτοὺς εἰς πᾶσαν ὑπουργίαν ἐμβάλλοντες; hi vero contra ſolliciti ſint plus aequo de negotiis eorum, quibus adulantur, iis ſe intempeſtive intrudant, & nolentibus officia praeſtent. [1. *Petr. c.* 4. *vſ.* 15.]

CAPUT XXV.

Sententia l. cum tabulis 16. §. quoniam 1. D. de his quae vi indig. auf. *Concubinae & uxoris differentia.*

Ingenua, quae corpore quaeſtum facit, eave, quae obſcuro nata eſt loco, concubina eſſe poteſt, non dum; ſed vel de ea, quae inhoneſtae vitae, vel de ea, quae humili nata eſt loco; alias concubina prorſus eſſe non potuiſſet, ideoque cum ea ſtuprum commiſſum fuiſſet. Certe hoc in loco de ea accipiendum eſt, quae quaeſtum corpore fecit. Et hoc eſt, quod ad reſtrictionem ejus, quod ſimpliciter dixerat Papinianus, ingenuae concubinatum eſſe, poſtea idem addit, *filiam vulgo quaeſitam apparuiſſe.* Ex eo enim manifeſtum eſt, mulierem vulgo concepiſſe, quamvis in concubinatu peperiſſet. Inde igitur vult probare Papinianus, concubinatum conſtare, quod filiam Rufina in concubinatu ex vulgari conceptione pepererit, & per conſequens mater ipſa vulgo quaeſtum fecerit. Quapropter vera eſt & recta illa lectio, quae habet: *cujus filiam, quam alumnam teſtamento Caſſianus nepti coheredem datam appellaverat, vulgo quaeſitam apparuit.* Nam ex his vult inferre Papinianus, Caſſianum Rufinam recte in concubinatu habuiſſe, quod Rufina vulgo conceperit: propterea quod ingenua illa demum eſſe poteſt concubina, quae vulgo quaeſtum facit. Ex his facile evitabis, quod movit Cujacium *Obſ. lib.* 5. *cap.* 6. ut, hac in parte, hanc legem emendaret. Nam non recte ex eo, quod filia in concubinatu nata vulgo quaeſita apparuit, inferes generaliter, ex concubinatu ſuſceptos liberos ſpurios ac vulgo quaeſitos eſſe: cum aliud ſit *ex concubinatu*; longe aliud *in concubinatu* naſci: cum poſſit alia concubina eſſe, quam quae vulgo quaeſtum facit. Quamobrem ponit alienam ab hoc loco facti ſpeciem Cujacius, dum putat quaeri, an Rufinae filia recte concubina ſit: cum quaeratur potius, an Rufina concubina eſſe queat, & per conſequens, an capere ex teſtamento Caſſiani poſſit: & ex eo ſolum, quod filia vulgo quaeſita fuit, probatur, matrem recte concubinam fuiſſe, quae, cum ingenua eſſet, quaeſtum vulgo faciebat. Ponendum eſt igitur, Rufinam concubinam fuiſſe; idque ſatis oſtendit totius orationis ordo & contextus. Haec cum ita ſint, dicendum exiſtimo, in noſtra lege ſic legendum eſſe: *qui Rufinam ingenuam non honore pleno dilexerat:* quod idem eſt cum eo, quod dicitur in *l.* 3. *§.* 1. *verſ. Divus tamen. D. de donat. inter vir. & uxor. non affectione uxoris, ſed magis concubinae.* Honor enim maritalis ſignificatur, id eſt, affectio, qua maritus uxorem proſequitur, quaeque uxorem a concubina ſeparat, *l. cum hic ſtatus* 32. *§. ſi mulier* 13. *D. de donat. inter vir. & uxor. l. item legato* 49. *§. penult. D. de legat.* 3. *donationes* 31. *D. de donat.* Sic igitur illi male ſentiunt, qui ex hoc loco probant, quoad honorem utriusque, id eſt, tam uxoris, quam concubinae, eandem eſſe rationem, &, ut ajunt, dilectionem pleno honore in utraque locum habere. Nam qui plenus honor tribui poteſt concubinae, cui honor ſimpliciter denegatur? *d. l. donationes* 31. deinde ſi maritalis affectio honorem illum ſignificat, quo maritus afficit uxorem, *l. cum hic ſtatus* 32. *§. ſi mulier* 13. *D. de donat. inter vir. & uxor. d. l. donationes* 31. & maritalis affectio concubinae competere nequit, *d. l. donationes* 31. *l.* 3. *§.* 1. *verſ. Divus tamen. D. de donat. inter vir. & uxor.* apparet, ut maritalem affectionem, ita nec honorem tribui concubinae poſſe. Atque hoc eſt, quod dicimus, *concubinam ex ſola animi deſtinatione aeſtimari*, *l.* 4. *D. de concubin.* ubi *ſola* intellige ſine honore ac dignitate, qua uxor aeſtimatur, *l. item legato* 49. *§. penult. D. de legat.* 3. Inde refert quidam, ex vitarum Caeſarum ſcriptoribus, Imperatorem, neſcio quem, dixiſſe, *uxorem* nomen eſſe dignitatis, non voluptatis. Paulus quoque *lib.* 2. *Sent. tit.* 20. *§.* 1. ſcribens: *Eo tempore, quo quis uxorem habet, concubinam habere non poteſt. Concubina igitur ab uxore ſola di-*

Digitized by Google

dubio, non ut Anianus his verbis eum interpretatur: *Qui uxorem habet, eo tempore concubinam habere prohibetur, ne ab uxore eum dilectio ſeparet concubinae:* nimirum apud Paulum *ſeparare* accipit pro *disjungere*, cum potius pro *diſtinguere* capiendum ſit. Et totius loci Paulini haec eſt ſententia: *Qui uxorem habet, eo tempore concubinam habere nequit: nam hac in re concubina non differt ab uxore; duas autem uxores habere non licet: & in hoc tantum diſtinguitur concubina ab uxore, quod alia ſit mariti affectio in uxorem, alia in concubinam.*

CAPUT XXVI.

Explicatio quorundam, quae ſunt in l. Abeſſe 32. D. Ex quibus cauſ. major. *particula AUT ſublata ex* l. 1. C. de ſalg. hoſpit. non praebend.

HAc in lege verbum *deferre* tam pro *mittere*, quam pro *referre* ſeu *inſcribere* accipio, ut ſignificare velit JCtus, non minus eos Reip. cauſa abeſſe, qui relati in commentarium principis & aerario inſcripti ſalaria de publico accipiunt, quam qui mittuntur ad aerarium & commentaria principis, ſeu, ut eſt in *l. munerum* 18. §. *legati quoque* 12. *D. de muner. & honor. qui mittuntur ad ſacrarium principis.* Sane *deferre* etiam *mittere* & *ablegare* ſignificat. Liv. *libr.* 41. *cap.* 8. *Poſtero die legati Sardorum, qui ad novos magiſtratus delati erant*, &c. Atque hoc eſſe puto, cur JCtus ita diverſe locutus ſit: *qui ad aerarium, aut in commentarium principis delati ſunt*, ut *deferre ad aerarium* ſit *mittere*; *deferre in commentarium* ſit *referre & inſcribere.* Quod autem tribuni militum praefecti & comites legatorum in hac lege nominantur, ii intelliguntur, qui in provincias miſſi Reip. cauſa aberant, de quibus ideo ait JCtus *eos Reip. cauſa abeſſe quamprimum ab urbe Roma exceſſerint, quamvis nondum provinciam decretam attigerint*; item in redeundo *quamprimum provincia egreſſi ſint, quamvis nondum in urbem venerint.* Hi tres ſaepe conjunguntur, *tribuni, praefecti, legati* aut *comites* magiſtratuum. Cicer. *lib.* 5. *ad Attic. Ep.* 17. *Sic in provincia nos gerimus, quod ad abſtinentiam attinet, ut nullus teruncius inſumatur in quenquam: id fit etiam & legatorum & tribunorum & praefectorum diligentia.* Idem *pro C. Rabirio Poſtum. Qui nec tribunus, nec praefectus, nec ex Italia comes.* Conjunguntur & alii, ut *legati, oratores, comites*, *l. lege* 7. *D. ad leg. Jul. de vi public.* Tribuni, notarii, comites, *l. unic. C. de mand. princip.* Tribuni, praefecti, & equites Romani, Seneca *lib.* 9. *Controverſ. Fuere tribuni, fuere praefecti, fuere equites Romani, cum iis ergo Praetor.* Tribuni, praefecti, ſcribae, & comites magiſtratuum, Cicero *pro C. Rabirio Poſtumo cap.* 6. *Ut tribuni, ut praefecti, ut ſcribae, ut comites omnes magiſtratuum hac lege tenerentur.* Tribunus, praefectus, legatus, Praetor, Salluſt *in Catilin. cap* 61. *fin. Homo in literis quod amplius annos* 30. *tribunus aut praefectus, aut legatus, aut praetor cum magna gloria in exercitu fuerat.* Comites tribuni praepoſiti militum, *l.* 1. *C. de ſalga. hoſpit. non praebend. Ne quis comitum vel tribunorum aut praepoſitorum militum nomine*: ſic enim lego, deleta particula *aut*, ante *militum*, quod confirmat *l.* 1. *C. de commeat. praefecti, tribuni & contubernales*, Cicero *lib.* 5. *Famil. Epiſt.* 20. *Quod ſcribis de beneficiis, ſcito a me & tribunos militares, & praefectos, & contubernales meos delatos eſſe.* Tribuni & praefecti, *l.*

ἐκ τῆς βουλῆς ἑπομένους, ἐς βοήθειαν. Sed ideo legati a comitibus ſeparantur, quia & ipſi ut proconſules comites habebant, *l.* 6. §. *penult. D. de poenis* & in *hac lege*, ibi *comites legatorum.* Quo in loco tribunis & praefectis JCus comites legatorum jungit, non comites magiſtratuum, ut Cicero duobus locis *in orat. pro Rabirio Poſtum.* quos ſupra adduximus, ideo quia ante dixerat de comitibus magiſtratuum, id eſt, proconſulum & praeſidum provinciarum. Procuratores enim principum accipio pro legatis praeſidum provinciarum, vel certe, niſi placet eos legatos vocare, pro comitibus praeſidum provinciarum, ἑπομένους τοῖς ἡγεμόσι τῶν ἐθνῶν εἰς βοήθειαν. Nam quemadmodum legatus perſonam proconſulis refert & repraeſentat, & ideo dicitur ἐκ προσώπου a Theoph. *tit. de ſuſpect. tutor.* ita & procurator Caeſaris mittitur in provinciam, ut perſonam agat praeſidis & vicem ejus referat, *l.* 3. *C. ubi cauſ. fiſcal. vel divin. domin. l.* 4. *C. ad leg. Fabiam. l.* 2. *C. de poenis.* quanquam poſſis inter procuratorem Caeſaris reſpectu praeſidis, & inter legatum reſpectu proconſulis ſtatuere differentiam. Ut ut ſit, procurator Caeſaris eſt ex iis, quos Juſtinianus τοποτηρητὰς vocat *Novell.* 8. & 13. Ergo *comites* ſunt, qui magiſtratus in provincias euntes comitantur, quibus libertini junguntur, *l. SCto* 16. *D de offic. praeſid. l. qui juriſdictioni* 10. *D. de juriſd.* quaerendum amplius cogito. Comitibus recte junguntur praefecti, qui & ipſi magiſtratus in provincias comitabantur. Aemilius Probus *In Attic. cap.* 6. *Multorum conſulum praetorumque praefecturas ſic delatas accepit, ut neminem in provincia ſit ſecutus, honore fuerit contentus, rei familiaris deſpexerit fructum. Praefecti* etiam antiquitus dicebantur, qui eam mittebantur in urbem, quae nullum civitatis corpus habebat, nullum publicum conſilium, ut eſt apud Livium *lib.* 26. *cap.* 16. *Tribuni* autem ſunt, qui cohortibus praetoriis praeſunt, *l.* 9. *D. de excuſat.* Haec ad hanc legem dicenda fuerunt, ex qua male faciunt, qui probant proconſulem ſtatim, quam ab urbe Roma profectus eſt, accipere imperium. Nam de imperio haec lex non eſt, ſed de abſentia Reip cauſa, quae duo multum inter ſe differunt. Praeſes provinciae, ex urbe egreſſus, ſtatim abeſt Reip. cauſa, imperium non accipit, niſi in metropolim venerit, & quamprimum excedit provincia ſua, privatus ſit & omne deponit imperium, *l.* 1. *D. de offic. praefect. Auguſt. l.* 3. *D. de offic praeſid* Dio *lib.* 53. Quis etiam dixerit legatum proconſulis imperium habere, quod non habet etiam in provincia, antequam in provinciam veniat? quod eodem modo probari poteſt ex hac lege, quo de proconſule probari volunt. Idem de tribunis, & praefectis, & comitibus dici poteſt.

CAPUT XXVII.

Quare furti & in factum actione teneatur, qui equis alienis equas ſuas ſubjecerit.

QUi me inſcio equum meum, aut aſinum in equas ſuas admiſit, furti tenetur, ſi furandi animum habuiſſe eum appareat; puta ſi celandi animo id fecerit, ne pro equis admiſſariis quid mercedis perſolveret. Quod ſi hunc animum non habuerit, quia eo ipſo, quod equis meis equas ſuas ſubjecit, furti ſe quodammodo obligaſſe videtur, in factum actione tenetur, quae proxima eſt actioni furti, *l. ſi quis uxori* 52 §. *ſi quis aſinum* 20. *D. de furt. arg. l. in furti* 50. §. *ultim.*

Digitized by Google

praeſumeretur. Itaque ſi non furti, ſaltem in factum teneretur, quod proxime accedit ad furti actionem Quae cauſa & fuit cur dubitaretur, cujus fetus ejus equae eſſet, quam meus equus praegnantem feciſſet; utrum domini equae, an meus, *l. 5. §. idem ſcribit* 2. *D. de rei vindic.* De mercede, quam diximus dominos ex admiſſariis equis percepiſſe, teſtis eſt Varro Sexageſ. citante Nonio, *in equimentum. An ſi equum emiſſes quadrupedem*, inquit, *ut meo aſino Reatino admitteres, quantum popoſciſcem, dediſſes equimenti.*

CAPUT XXVIII.

Pecunia, quae dicitur peculium praeſidii cauſa, ad l. ſi chorus 79. D. de legat. 3.

Solebant patresf. nummos ſeponere, quos conferrent praeſidii gratia, ſi ita res ferret, *l. ſi chorus 79. D. de legat.* 3. Quem morem ab Athenienſibus habuiſſe Romanos, opinor. Scribit enim Diogenes Laërtius, *in Solone*, Athenienſes ſingulos decimam rerum ſuarum ſeu patrimonii ſui partem ad ſumptus bellicos ſepoſuiſſe. Hoc ſignificare voluiſſe Marculphum *in formul. praeſidii* nomine puto: ut tam de alode paterna, quam de comparato vel mancipiis vel praeſidio meo. De hac re tangit etiam Theoph. *Inſt. tit. de libert.* hoc modo: *Cenſus*, inquit, *ſignificat tabulam, in qua Romani ſuas profitebantur divitias & ſcribebant, ut unusquisque pro facultatibus belli tempore contribueret.* Atque haec, quae ſeponebantur praeſtationi vectigalium ſubjici vetabantur, *l. 9. §. earum rerum 6. D. de public.* quoniam tributa ſunt nervi Reip. *l. 1. §. in cauſa 20. D. de quaeſtion.* Hanc pecuniam *peculium* appellaſſe ait Proculus in *d.* l. 79. eodem fere modo, quo Seneca *lib. 1. de Tranquill. animi. Placeat argentum grave ruſtici patris ſine ullo opere & nomine artificis. Peculium* etiam *patrimonium* ſignificat, *l. cogi 16. in princ. D. ad SCtum Trebell.* & apud Plaut. *in Caſin. Act. 2. ſc. 3. v. 40. Cui homini hodie peculi eſt nummus, non eſt plumbeus*: quod & ipſe Plutarchus ſcribit *in Publicola. Peculii* nomine etiam ſignificantur quaecunque mulier ſibi recepit, cum res in dotem daret, quae Graeci παράφερνα vocant, *l. 9. §. dotis 2. D. de jure dot. l. donationes 31. §. 1. D. de donat.* & apud Plaut *in Caſin. Act. 2. ſc. 2. v. 26. Nam peculi probam nihil habere addecet clam viro.* & apud Symmach. *Epiſt. 2. lib. 6.* Ait Ulpian. in *d. l. 9. §. 3. quaeque Galli peculium appellant.* Hic nihil muto. Pertinet huc nonnihil Caſſiod. *lib. 7. Epiſt. 32. Pecunia a pecudum tergo nominata, Gallis autoribus, ſine aliquo adhuc ſigno ad metalla tranſlata eſt.*

CAPUT XXIX.

Interdictorum genera.

Interdicebatur nonnullis non ſolum urbe aut provincia aliqua, ſed etiam omni hominum commercio, conſuetudine & uſu. Atque hi ſaepenumero navigio impoſiti deportabantur. Paulus Diaconus *in Anaſtaſio lib. 17. Is non ſolum ſalubria eorum monita ſprevit, ſed etiam a ſuis aſpectibus eos non ſine contumelia expulit, navique fragili impoſitos mandat ne uſpiam per totam Graeciam ad aliquam civitatem accederent.* Ex in *l. 1. C. Th. de ſtud. liberal. urb. Romae. Statim navigio ſuperpoſitus abjiciatur urbe.* Et hoc eſt, quod Dio *lib. 56. p. 587.* ait Auguſtum conſtituiſſe, μηδένα πυρὸς ἢ ὕδατος οἰκχθέντα ἐν χώρᾳ διαλῆσθαι. Tales autem non licebat domo tectove recipere, ut de interdicto aqua & igni eſt, apud Paulum *lib. 5. Sent. titul. 26. §. 3.* & *Paneg. dicti Caeſar. Jul. Val. Majorano* dixit:

Praeſtitis afflicto jus vitae Caeſar & agri.

Eſt & aliud quoddam interdictorum genus fere ſuperiori contrarium, quando interdicitur, ne quis domo aut patria excedat, *l. relegatorum 7. §. ſolet praeterea 19. D. de interd. & releg.* ne commeandi ad alia quaelibet loca aut evagandi ad urbes habeat poteſtatem, *l. vitiorum 12. C. Th. de haeredit.*

CAPUT XXX.

De vectigali, ſtipendio & tributo.

Differunt *vectigal*, *ſtipendium* & *tributum*. Publicum vectigal a tributo ſeparatur, *l. 2. §. ſi quid publici 16. D. de heredit. vel act. vendit. l. Julianus 13. §. idem Julianus 6. D. de action. emt. l. cum ſervus 29. §. ſi quis alicui 4. D. de legat. 1. Tributum* eſſe puto, quod extra ordinem ſolennium vectigalium ad exercitum alendum imperabatur civibus. *Cicero lib. 2. Offic. cap. 21. Danda etiam opera eſt ne (quod apud majores noſtros ſaepe fiebat, propter aerarii tenuitatem aſſiduitatemque bellorum) tributum ſit conferendum.* Idem *pro L. Flacco c. 9. In aerario nihil habent civitates, nihil in vectigalibus, duae rationes conficiendae pecuniae aut verſura aut tributo* &c. Idem *Epiſt. 29. lib. 12. Famil. Conqueritur undique, ut optime meritis militibus promiſſa ſolvantur, quod quidem fieri ſine tributo poſſe non arbitror.* Tributum vocat Theoph. *tit. de rerum diviſ.* βαρὸ τέλος. Eodem modo & Cicero *Epiſt. 8. lib. 3. Famil. Niſi quod principes civitatum me poſtulaſſent, ne indictionem tributorum & illam acerbiſſimum exactionem, quam tu non ignoras, capitum atque oſtiorum.* Hoc eſt, quod dicitur *tributum capitis*, in *l. ultim. D. de cenſib.* & apud eundem Cicer. *lib. 5. ad Attic. Epiſt. 16. Audivimus nihil aliud niſi imperata* ἐπικεφάλια (id eſt, tributa per capita) *ſolvere non poſſe.* Leo, in quadam conſtitutione, tributum in ſingula capita κεφαλίτιον appellari, ait. *Stipendium* etiam a *tributo* differt, quod particulatim colligitur, & ut ait Theoph. κατὰ μικρόν. Livius *lib. 33. cap. 46. Quin & pecunia, quae in ſtipendium Romanis ſuo quoque anno penderetur, deerat, tributumque grave privatis imminere videbatur.* Quod autem dicitur *tributum* idem eſſe, quod *ſtipendium*, in *l. ager 27. D. de verbor. ſignif.* hoc verum eſt, quando abutimur voce *tributi*, quod facere cogimur, ſi alendus eſt exercitus, quia tum tributum eſt ſtipendii cauſa. Tacit *lib. 4. Hiſtor. cap. 74. pr. Nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi poſſunt.* Liv. *lib. 23. cap. 31. Senatus, quo die primum eſt in Capitolio conſultus, decrevit ut, quo eo anno duplex tributum imperaretur, ſimplex confeſtim exigeretur, ex quo ſtipendium praeſens omnibus militibus daretur.* Quo ſenſu *tributum* accepit JCtus in *d. l.* 27. ut illa verba ſatis oſtendunt, ex eo quod militibus tribuatur. *Stipendium* pacis tempore a *tributo* maxime differt, belli tempore vix poſſis unum ab altero ſeparare. Haec quanquam ita ſint, animadvertere tamen eſt, *tributum* pro *vectigali* accipi, ut in *l. 1. §. 1. D. de public.* publicani conſequi tributum dicuntur, quod indicitur vectigal, in *l. inter publica 17. D. de verbor. ſignif.* ut in veteri quodam decreto: *Tributis cujuſlibet vectigalis fixi mobiliſque pondere per omnia ſecula liberavit.* ut & in *l. generali 32. §. ultim. D. de uſu & uſufr. legat. Tributa praeter ea, quae vel pro praediis aut moventibus deberi & reddi neceſſe eſt.* Recte itaque Juſtin. *in princ. lib. 13.* differentiae cauſa *annuum vectigale tributum* dixit.

F I N I S.

GEOR

GEORGII CONRADI CRUSII
EX
VARIIS OBSERVATIONIBUS,
Quae ad Jus Civile pertinent,
D I A T R I B E,
EX JULIANI LIBRO XXX. DIGESTORUM:
DE SCRIPTURA ET SENTENTIA
Cap. Si Paterfamilias 40. D. de Heredibus Inſtituendis.

Quod Caput ingeniorum omnium adhuc veluti quaedam crux fuit.

Accedit
D I S S E R T A T I O
Ex Ulpiani libro IV. ad Edictum
De Pactis & Conventionibus.

Digitized by Google

nis politici eſſent, eum hanc reddidiſſet Ulpianus, quod in ejuſdem, id eſt, dimidiae partis praeſtatio ne imago ſocietatis eſſet, Tribunianus nobis ex *dimidia* fecit *certam*, *tertiam* intelligens: id inſuper habens, quod tamen ignotum eſſe nulli poterat, cum ſocietatem ſimpliciter audimus, intelligere non aliter nos poſſe, quam ſocietatem aequis partibus, §. 1. *& quidem Inſt. de ſociet.* Atque iſti facto Tribuniani non diſſimile eſſe hoc Alciati facinus videtur; cujus auctoritatem arbitror jam ſatis amoliti ſumus. Verum ſuccedit Cujacius, ille Cujacius, amicus & familiaris mihi, & doctor, & omnia. Is *in not. ad §. ult. Inſt. de vulg. ſubſt, & ad h. cap. & Obſ. 17. cap.* 21. acuta ſuſpicione, quam Antonius Contius (nam ceteros minorum gentium interpretes commemorare nihil attinet) licet Cujacio ſubinimicus probavit *in not. ad §. ult. Inſt. de vulg. ſubſt.* tamen, & laudavit, & admiratus eſt: is igitur, ut veram ſententiam Juliani ſuſtinere ac tueri verba ejus poſſent, ſcripſiſſe Julianum conjecit; *ita ut* AS *inter eum* &c. Tribunianum vero explanaſſe perperam, quod pro notis inſubtiliter acceperat, verbum AS. ut ex A. efficeret *alter.* ex S. *ſemis.* Qua quidem in re ſemper ego dubitavi, utrum ſui ſimiliorem exiſtimarem, Cujacium an Tribunianum, id eſt, ſubtiliorne ea Cujacii conjectura videri deberet, an ſtolidior ſubtilitas Tribuniani; atque adeo adſentire Hotomanno *in §. ult. Inſt. de vulg. ſubſt.* hac parte coepi, cui iſta conjectura ob eam cauſam diſplicuit; maxime etiam ideo, quod ejuſmodi notae A. pro ALTER uſurpatae exemplum nullum reperiatur.

CAPUT VIII.

Noſtra conjectura de reſtitutione verborum Juliani; & de emendatione c. 3. D. de adim. vel transſ. legat.

Dicam igitur, quid ipſe ſim ſuſpicatus de vitio & medicina hujus loci; ſed dicam tentaturus verecunde exemplo Juliani: cum praeſertim id & aetas mea poſtulet, & ipſe locus difficilis multum ac ſcopuloſus, qui tot tam praeclara praeſtantiſſimorum hominum ingenia exercuit. Exiſtimo, veram Juliani ſcripturam fuiſſe iſtam: *Igitur in hoc caſu ſemiſſes fient, ita ut alter* [ſit] SEM. *id eſt.* SEMPRONII. AS *inter eum, qui dominus inſtituti heredis fuerit, & ſubſtitutum aequis portionibus dividatur*; depravatam vero vel ipſius oſcitantia Tribuniani, vel, ne tanto capiti videamur vel inſultare, imperitia librariorum; qui cum legerent: *ita ut alter* ſit SEM. AS *inter eum.* &c. corrumpere, quod minus adſequebantur, ſtatim inſtituerunt, deſcripſeruntque: *ita ut alter* SEMIS &c. ejecta etiam particula *ſit*: aut ſi qua alia ſimilis poteſtatis Juliano uſurpata fuit; quod eam crederent ſupereſſe. Hanc conjecturam noſtram facile ſpero agnituros probaturosque viros eruditos, qui de his rebus & recte poſſunt, & ex animi ſui ſententia volunt judicare: nam in ceterorum ſpem gratiae hoc ſpecimen non ſpecitur, nec certamen cernitur. Argumenta reſtituendae ad hunc modum ſcripturae Julianeae fortiſſima ſuperius deſignavi illa: quod facti ſpecies propoſita ſit in nominibus *Titii* & SEMPRONII: quod ratio ambigendi & definiendi concepta in perſonis *Stichi* & SEMPRONII: quod prima etiam definitio, &, ut Theophili verbis utar, ἡ μεθ᾽ ἰνδιαμερισμοῦ θεωρίαν facta in perſona SEMPRONII. Nulla igitur eadem macula haeret depravati nominis SEMPRONII, a nullo dum abſterſa. Verba ſunt in *princ. c. Si quis 3. D. de adim. vel transſ. legat.* ex Ulpiani libro 24. ad Sabinum: *Si quis ita legaverit*: Titio fundum do lego. Si Titius deceſſerit, Sejo heres meus dare damnas eſto: *recte translatum legatum videtur.* Ea verba Sabini, ut opinor, ſic amplificat Ulpianus: *ſed etſi jam mortuo eo, cui legatum erat, easdem res transtulerit*, SEMPRONIO *debetur.* Non difficile cuiquam erit animadvertere, aut in priore ſententia pro SEJO ſcriptum fuiſſe SEM. hoc eſt, SEMPRONIO, aut in poſteriore pro SEMPRONIO legendum eſſe SEJO. At prius iſtud veriſſimum eſſe ſequentes paragraphi demonſtrant, quibus ſub iiſdem nominibus *Titii* & SEMPRONII ſimiles aliae ſpecies proponuntur.

CAPUT IX.

Alia menda animadverſa in c. 1. §. 1 D. de bon. poſſ. ſec. tab.

Detegam aliud quoque mendum, quod cauſam & originem ſuperiori non diſſimilem habuit depravandae ſcripturae in *c. 1. § 1. D. de bon poſſ. ſec. tab.* Ait Ulpianus, verba edicti praetorii enarrans: *Non autem omnes tabulas praetor ſequitur hac parte edicti, ſed* ſupremas; *hoc eſt, eas, quae* NOVISSIMAE ITA *factae ſunt, poſt quas nullae factae ſunt.* Non opinor fore quenquam, qui idoneam de his verbis ſententiam animo ſuo vere poſſit concipere; quae tamen erit facillima & aperta, ſi verba Ulpiani reſtituantur ad hunc modum: ſupremas, *hoc eſt, eas, quae* NOVISSIME A. I. TA. (id eſt, *noviſſime a primis tabulis*) *factae ſunt.* Neque enim aliud ſenſit Ulpianus, quam tabulas dici *ſupremas*; non ideo quod noviſſime ante mortem ſuam eas tabulas teſtator fecerit, ſed adſpectu ſolummodo tabularum, quae priores factae ſint: denique *noviſſimas* ſic intelligi, factas noviſſime a primis tabulis, tametſi veteres ſint; non ita, quas noviſſime antequam decederet, fecerit paterfamilias. Ipſe Ulpianus ſe declarat verbis ſequentibus: *ſupremae enim*, inquit, *hae ſunt, non quae ſub ipſo mortis tempore factae ſunt, ſed poſt quas nullae factae ſunt; licet hae veteres ſint*: ſcilicet illae notae & literae I. TA ad eum modum coaluerunt in ITA, ut in noſtro capite iſtae SEM. AS. in SEMIS. Geminum germanum huic peccatum in *c. In ratione 11. §. ſi filio 6. D. ad leg. Falcid.* feliciſſime deprehendit Jacobus Gothofredus, *in notis ad 12. tabb. p.* 184. tanto optimus hujus ſeculi juris Rom. interpres, quanto ſui peſſimus Dionyſius. Nec dubito ſane, quin ejuſmodi errores quamplurima alia Pandectarum loca occuparint, quos animadverſurus facilius, & felicius emendaturus ſit, cui diligenter inſpiciendi Florentini illius codicis poteſtatem Deus dederit: quod ut nobis aliquando contingat, tametſi ſperare vix poſſum, tamen opto vehementer.

CAPUT X

Quae adverſus conjecturam noſtram objici poſſint.

Finem facere in hoc voto conſtitueram: nam perbrevis licet haec exercitatio ſit, attamen eis, quibus placitura eſt, ſatis videbitur longa; illis, queis diſplicitura, etiam nimium. Dabo tamen vobis, qui admittere conjecturam noſtram verecundabimini,

ri aliquam videri, & connexionem. Ergo vero arbitrabar, facile vos animo veſtro repetituros ὥστε καὶ τὸ, *ita ut*; animo inquam veſtro: vel, ſi ita mavultis, aliam quamvis copulam ſubintellecturos. Deinde cogitaveritis: tamen ſic idem bis dixiſſe Julianum. At iidem vos ſimile exemplum vel ex hoc eodem libro Juliani reperietis in *c.* 15. *h. t.* &, ne extra hunc titulum alias, quae innumerae ſunt, ſpecies conquiram, ex Africano, qui auditor Juliani fuit, aliud in *c. Si ita ſcriptum* 47. §. *quidam* 1. deprehenſuri eo loco idem bis ter ratione non diſſimili repetitum. At rurſus, de altero ſemiſſe definiendum reſtabat, dixeritis, non quid de aſſe fieret. Reſpondeo, idcirco de uno tantum ſemiſſe definiri, quia de eo quaeſitum erat & dubitatum in perſona SEMPRONII ſubſtituti; viderine is poſſet in partem hereditatis, in ſemiſſem, admittendus eſſe: quod quoniam placuerat, conſequens erat porro, ut generaliter etiam definiretur, aſſem inter eum, qui dominus inſtituti heredis eſſet, & ſubſtitutum aequis portionibus dividi, id eſt, ut quod in hypotheſi in perſonis Titii, dominique ejus, & Sempronii deciſum erat, revocaretur ad theſin; quo magis etiam *c.* 41. huic connecteretur; ſic enim ſubjicitur: *Et hoc Tiberius Caeſar conſtituit in perſona Parthenii: qui tanquam ingenuus heres ſcriptus adierat hereditatem, cum eſſet Caeſaris ſervus: nam diviſa hereditas eſt inter Tiberium & eum, qui Parthenio ſubſtitutus erat.* Quid *hoc* conſtituit Tiberius? hoc ſcilicet, quod *ſuperiore cap.* erat definitum, ut as inter eum, qui dominus inſtituti heredis fuerit, & ſubſtitutum aequis portionibus divideretur.

CAPUT XI.

Uſus prior hujus capitis in quaeſtionibus: an Princeps, an paterfam., an arbiter, an judex, an magiſtratus in ſua cauſa poſſit ſtatuere.

AD extremum ſatisfaciam etiam vobis, qui omnem hunc laborem noſtrum forte reprehendetis, aut elevabitis, quaſi inutiliter conſumptum in quaeſtione de ſcriptura & interpretatione ejuſmodi capitis, quod cum ad ſervos pertineat, nullum uſum hodie habere videatur. Satisfaciam vobis, ſi poſſum, ſed paucis. Ex eo igitur, quod Caeſar Tiberius in perſona Parthenii ſervi ſui id, de quo omnis diſputatio ſuſcepta eſt, dicitur conſtituiſſe, ſolet definiri: Principem in ſua cauſa poſſe judicem ſedere; propter eam rationem, quod ſuperiorem alium non agnoſcat. Unde juſta interpretatione idem de patrefamilias definiemus, qui familiae ſuae Princeps eſt, *c. Familiae* 196. *D. de verb. ſign.* & in domo dominium habet *c. Pronuntiatio* 195. §. 2. *eod. tit.* ſummum ſcilicet & omne. Quae tamen poteſtas cum ex jure quidem antiquiſſimo latiſſima patrifamilias tributa eſſet, ad quasvis controverſias & quamcumque animadverſionem, *c.* 11. *D. de liber. & poſt.* poſterioribus temporibus ad negotia & delicta domeſtica, levioriſque emendationis coarctata eſt, arg. *c. un. C. de emend. propinq. c. Inauditum* 2. *D. ad leg. Cornel. de ſicar.* veluti ut propter furtum domeſticum in filium ſtatuat. *c. Servi* 17. *D. de furt.* & quod eleganter Imperatores dixerunt in *c. ult. C. An ſervo. pro ſuo facto.* ut domi eum conveniat: nimirum ſicuti poteſtas dominorum, quae in ſervos ex jure gentium ſumma competebat, jure civili reſtricta eſt ad coërcitionem ex cauſis, quae legibus cognitae eſſent, *c.* 2. *D. de* ſte exaequaveritis, quod in utriusque perſona aequa ſpectetur pietas, *arg. c. Furioſae* 4. *D. de cur. furioſ.* nam matri quidem conceditur etiam terminatio domeſticarum controverſiarum, *c. Congruentius* 4. *C. de patr. pot.* verum non imperii quadam vi, ac ne quidem auctoritatis, ſed ex amicabili potius diſceptatione (ſicut diſceptatorem fere neceſſarii ſumere ſolebant) ut omittam alia exempla: Tarquinius apud Liv. *lib.* 1. *c.* 50. *diſceptatorem ait ſe ſumtum inter patrem & filium.* Videamus porro de arbitro, de judice, de magiſtratu, an in ſua re ſententiam dicere, an judicare; an jus dicere poſſint. Non quaeremus, an adverſus ſe poſſint (nam id generalis ratio impedit, prodita in *c. pen. D. de recept.* quia neque imperare ſibi, neque ſe prohibere quisquam poſſit) ſed an ſibi poſſint; diſtinctione ſumpta ex *c.* 14. *D. de juriſd.* Et in arbitro quidem ac judice id non procedit quaerere, quoniam ut ſibi arbiter quis aut judex detur, fiat, non facile accidit, cum tot aliorum copia ſit virorum. At in magiſtratu, provinciali potiſſimum, veluti proconſule, aut praeſide, qui ſolus in provincia majus imperium habet omnibus poſt Principem, *c. Et ideo* 8. *D. de offic. proconſ.* & *c.* 5. *Praeſes provincia de offic. praeſid.* atque adeo nullum ſuperiore imperio magiſtratum agnoſcit, qui jus ei dicat, in eo poteſt quaeri, an non ſibi jus dicere poſſit. De his magiſtratibus provincialibus puto ſenſiſſe Ulpianum in *c.* 10. *D. de juriſd.* id enim ſuadent in *eo cap.* verba extrema, quae de comitibus, qui cum magiſtratibus in provinciam ibant, loquuntur. Ait autem Ulpianus: *Qui juriſdictioni praeeſt, ſibi jus dicere non debet.* Hanc orationem ſic exaudio: magiſtratum provincialem poſſe ſibi jus dicere; verum non debere: poſſe; quoniam alius in provincia non eſt, qui poſſit: non debere; quia iniquum ſit, in re propria alicui licentiam tribui ſententiae, *conſt. un. C. ne quis in ſua cauſ. jud.* Verum objeceritis contra hanc diſtinctionem, etiam a Cujacio *Tractatu* 3. *ad Afric. in cap.* 77. *D. de judic.* uſurpatam; quod quae facere non debemus, ea nec videamur poſſe facere, *c.* 15. *D. de condit. inſt.* Reſpondeo: inter id, quod poſſumus, & id, quod debemus; ſeu inter id, quod licet, & quod honeſtius eſt & melius, frequentem eſſe JCtis ipſis diſtinctionem. Nec quaeram alia exempla, tametſi multa ſunt, extra magiſtratus provinciales. De proconſule idem Ulpian. *c. Obſervare* 4. §. 2. *D. de offic. proconſ.* Proficiſci proconſulem *melius eſt* ſine uxore, ſed & cum uxore *poteſt.* Et iterum *c. Solent* 6. §. *ſicut* 1. *eod. tit.* Adimere mandatam juriſdictionem *licet quidem* proconſuli, *non autem debet* inconſulto Principe hoc facere. Neque movet *c.* 15. *D. de cond. inſt.* quia eo loco id, quod poſſumus, opponitur τῷ ἀδυνάτῳ; hic autem decoro & honeſto.

CAPUT XII.

Uſus alius in rebus dubiis & obſcuris: ut mediam ſententiam eligat Princeps, Magiſtratus, Judex, Juriſconſultus. Definita quaeſtio celebris: An judex ſecundum conſcientiam, an ſecundum acta & probata judicare debeat.

SOlet etiam adduci argumentum ex *h. cap.* noſtro comprobandae definitioni, quia vulgo traditur: in re obſcura & ambigua tutius eſſe mediam viam ſequi. Exſtant ſane ejus rei permulta exempla, & in legum conditoribus, & in Magiſtratibus, & in Judicibus, & in Juriſperitis. In Imperatoribus: ut,

h. c.

Digitized by Google

...um, a, quod comprobabo etiam illa ratione generali: quod Judex & boni viri officio fungi debet, & boni judicis; neque unquam alterum ab altero ſejungere: nam ſi neglecto jure & judiciorum ordine ſolam praetexat aequitatem judex, illud futurum eſt. Quod an in haec quoque tempora conveniat, nec ſatis ſcio, nec ſi ſciam, dicere auſim; certe de ſuis temporibus conqueſtus eſt Juſtinianus *conſt.* 2. §. 17. *C. de veter. jur. enucl.* ut voluntate judicum magis, quam legitima auctoritate, lites dirimantur. Judicem fateor ſequi oportet officium viri boni; bonum & aequum; bonam fidem; aequitatem (haec enim omnia idem poſſunt) ſed eam aeſtimare non ad merum jus gentium, verum cum praeceptis civilibus & praetoriis; ut graviter praecepit ſanctiſſimus Tryphoninus, *c. Bona fides* 31. *D. depoſiti.* Rurſum ex diverſo ita ſuſtineat perſonam judicis neceſſe eſt, ut ſemper meminerit viri boni & innocentis officio fungi ſe debere, *c. Ceterae* 4. §. 1. *D. fam. erciſc.* & *c. Sed ſi unius* 17. §. 5. *D. de injur.* maxime in quaeſtionibus de boſi vero hanc ſequatur, facile viris bonis probaverit ſuam religionem, at ſatis ſolenni judiciorum ordini non fecerit: id, quod utrumque tamen in judice requiritur. In Juriſperitis multa quoque & varia exempla proferre queam; ut ex *c.* 3. *D. Si pars hered. petat.* quo loco: *Prudentiſſime*, ait Paulus, *juris auctores medietatem quandam ſecuti ſunt*; & aliis ſimilibus. Verum laudabile mihi inprimis videtur factum eorum, qui *Erciſcundi* a quibuſdam, ab aliis *Miſcelliones* idcirco appellati ſunt, quod ex diſſentientium auctorum opinionibus alteram in his ſpeciebus, alteram in illis quaſi veriorem ſic elegerunt. Exemplum memorabile prae ceteris in eam rem Pauli in *c. Illud quoque* 40. *D. de hered. petit.* Hoc juſtum eſſe in ſpecialibus petitionibus *Proculo* placet. *Caſſius* contra ſenſit. In praedonis perſona *Proculus* recte exiſtimat; in bonae fidei poſſeſſoribus *Caſſius*. Haec exempla, & veterum JCtorum omnem rationem in reſpondendo & interpretando jure qui recte imitabitur, is mihi verus Jurisconsultus videbitur.

EXPLICIT DIATRIBE EX JULIANO.

Emendantur in hoc opuſculo.

Ex Titulo Digestorum

De hered. inſt. c. Si paterſam. 40.	Pag. 672 a
De adim. vel. transf. leg. c. Si quis 3.	672 b
De bon. poſſ. ſec. tab. c. 1. §. *non autem* 1.	ibid.
De verb. oblig. c. Inter ſtipulantem 83. §. *ſacram.* 5.	671

Explicantur praeter ea, aut illuſtrantur.

Ex Titulo Digestorum.

De juriſdict. c. Qui juriſdictioni 10.	672 d
De offic. proc. c. Obſervare 4. §. 2.	ibid.
c. Solent. 6. §. 1.	ibid.
Depoſiti c. Bona fides 31.	Pag. 672 e
De contr. emt. c. Si in emtione 34. §. *liberum hominem* 2.	671
De curat. fur. c. Furioſae 4.	672 d
De condit. inſt. c. Filius 15.	ibid.
De legat. 2. *c. Debitor* 82. §. *ſervo alieno* 2.	670
De ſervit. leg. c. Etſi maxime 5.	ibid.
Ut leg. ſerv. cauſ. cav. c. Filio. 7.	672 e
De bon. poſſeſſ. c. Sed cum patrono 6.	672
De bon. libert. c 1. *fin.*	672 a
De verb. ſign. c. Triplici 142.	669

Et quaedam alia.

F I N I S.

Digitized by Google

De Pactis & Conventionibus.

I. IN edicto perpetuo poſt tit. *de edendo* ſecutus eſt titulus *de pactis*. poſt utrumque tit. *de in jus vocando*. nam Ulpianus priores quidem duos titulos interpretatus eſt libro 4. ad Edictum; Paulus libro 3 ultimum autem ille libro 5. hic lib. 4. Id, quod ſtatim apparebit inſpicienti in ſingulis his titulis vel primorum capitum epigraphen. Ratio ordinis perelegans iſta fuit, uti reus, edita actione editiſque inſtrumentis, quibus actor jus ſuum experturus eſſet, deliberaret, an potius deberet cedere, *c.* 1. *D. de edendo*. id eſt, ut Baſilica exponunt, *ὥστε χώραν αὐτὸν ἔχειν διαλύσασθαι*; an ratione ſcilicet & viam inire poſſet paciſcendi, & de lite cum adverſario tranſigendi. Sic enim reus id conſequi poterat, ut ne in jus vocaretur: nam imo vocatus etiam dimittendus erat, ſi dum in jus iretur, tranſactum de re fuiſſet, *c.* 22. *fin. D. de in jus vocando.*

II Hoc argumento intelligemus, Praetorem ſub titulo *de pactis*, non de conventionibus omnibus & contractibus edixiſſe (quod pleriſque omnibus video placere) ſed propoſuiſſe tantum *exceptionem pacti conventi & tranſacti negotii*: nimirum ut actiones, ut interdicta, ut ſtipulationes praetorias; ſic & exceptiones edicto ſuo Praetor propoſitas habuit & pollicitus eſt ſe daturum: exceptiones ordine quidem & loco proprio plurimas *lib.* 44. D. ſed quaſdam ex re nata paſſim etiam locis aliis; ut exceptionem jurisjurandi *lib.* 12 *tit.* 2 & hoc loco pacti conventi & tranſacti negotii; de quibus idcirco in *libro* 44. proprii etiam tituli dati non ſunt. Id quod & in actionibus & interdictis & ſtipulationibus praetoriis factum ſimiliter fuiſſe, multis exemplis probari poteſt.

III. Adferam ejus rei aliud quoque argumentum ab exemplo 12. tabb. quae Praetori rem ſive litem pacto & tranſactione compoſitam ratam habere praecipiebant, his verbis: *rem uti pacunto, rato*; ut omnium optime reſtituit Jac. Gothofredus. Id praeceptum ſecutus Praetor, quemadmodum debuit, pacta conventa, quae de re cauſaque controverſa facta eſſent, promiſit ſe ſervaturum, id eſt, rata habiturum, data exceptione ſcilicet, ſi ambigeretur; nam ſi certum eſſet de pacto convento, denegata actione, argumento fortiſſimo ex *cap.* 9. *D. de jurejur.* Idcirco autem dixi, de re controverſa: quia de pactis & de tranſactionibus unum eundemque titulum in edicto perpetuo fuiſſe conjicio ex codicibus Gregoriano, Hermogeniano & Theodoſiano; ex Pauli item ſententiis: nam is, qui vulgo inſcribitur in *lib.* 1. *tit.* 1. *de pactis & conventionibus* in conſultatione veteris auctoris, quam Cujacius protulit, ita adducitur: *De pactis & conventionibus vel tranſactionibus.* Atque ea cauſa factum eſt, ut ſub titulo, *de pactis*, eorum paſſim & praecipue pactorum mentio exſtet, quibus actor cum reo, creditor cum debitore ſuo paciſcitur, ne ab eo petat, ne agat, quae pacta liberatoria vulgo dicuntur. Et tametſi Tribunianus peculiarem titulum *de tranſactionibus* nobis dedit, non evitavit tamen, quin tranſactionum etiam exempla ſub titulo *de pactis* relinqueret. Exempla ſunt in *c.* 28. *fin.* & *c* 35. & *c.* 40. § 1.

IV Cognito conſilio Praetoris, quod in proponendo hoc edicto habuit; videamus ordinem, quem in interpretatione ejus edicti Ulpianus ſervavit. Eum ego animadverti eſſe ejuſmodi, ut, priusquam ad enarrationem ipſius edicti perveniret, ante commendaret aequitatem ejus, tum de ſignificatione tituli, quae neceſſaria videbantur, referret; deinde ſic aptaret ſingulis verbis edicti congruentem interpretationem. Quam ordinis rationem quemadmodum facile plurimis locis poteſt deprehendi, Ulpianum in commentariis ad edictum plerumque ſecutum fuiſſe, ita minus mihi eſſe laborandum cenſeo, ut oſtendam ſervaſſe etiam in hac parte edicti. Quod tamen ante omnia vel ideo conſtituendum arbitror, quia hujus obſervationis ſecuri interpretes a propoſito auctoris bene longe aberraverunt. Ne res exemplis egeat (tametſi egere non magnopere videtur) argumenti cauſa tria ſubjiciam Primum ex hoc eodem *lib.* 4. exemplum eſt in edicto *de edendo*: nam in *pr. c.* 1. *eo tit.* aequitatem commemorat edicti; in §. 1. notionem tituli exponit: *edendi* enim ſignificatio illa communiter ad utrumqueedictum pertinet, quibus edictis is titulus continetur, id eſt, non ad editionem actionis tantummodo & inſtrumentorum, verum & rationis. Nam quod generaliter hoc loco definitur: Edere *eſt etiam copiam deſcribendi facere, vel in libello complecti & dare, vel dictare*; id de ratione edenda nominatim repetitum eſt ab eodem Ulp. in *c.* 6. §. 7. his verbis: Edi *autem eſt vel dictare, vel tradere libellum, vel codicem proferre.* Illud vero, quod ſequitur in *d. c.* 1. §. 1. *eum quoque edere Labeo ait* &c. ad editionem actionis evidenter ſpectat. Alterum exemplum ex *lib.* 6. *tit. de poſtulando*: ejus enim edicti neceſſitatem primum & cauſam refert *c.* 1. *pr.* tum deinde quid ſit poſtulare, definit §. 2. Tertium ex *lib.* 26. *de rebus creditis*: nam ipſe Ulp. *E re eſt*, inquit, *prius quam ad verborum interpretationem perveniamus, pauca de ſignificatione ipſius tituli referre.* Ad quem locum circumſcribenda eſt nota, quae *verborum interpretationem* exponit verborum *mutui, certi*: omnino perperam! nam intelligere oportet interpretationem verborum ipſius edicti, quod edictum ſub eo titulo Praetor propoſuerat ſcilicet.

V. Quod ordinarium Ulpiano fuiſſe ſuperiora exempla oſtendunt, id in hac etiam parte ab eo obſervatum eſſe, quo minus exiſtimemus, cauſa nulla eſt. Ego equidem ita cenſeo: Ulpianum poſtquam aequitatem edicti, quo Praetor pacta conventa ſe ſervaturum eſſe pollicetur, laudaſſet, deinceps ſubjeciſſe enarrationem rubricae, poſt ea explanationem verborum edicti. Ad illam partem refero *cap.* 1. *pr.* ad iſtam *paragraphos ejuſdem cap.* & *cap.* 5. & *c.* 7. a *princ.* ad §. 7. ad hanc cetera, quae ex *lib.* 4. ad hunc tractatum *de pactis* reliqua exſtant. Rem fortaſſe non magnam videor dixiſſe, ſed in qua fundum & caput omnis rectae atque ordinatae diſputationis in hac materia poſitum eſſe auſim contendere. Inprimis autem id quaerendum nobis eſt, quis adeo titulus, & quemadmodum conceptus in edicto perpetuo fuiſſe videatur: deinde illud cognoſcendum, quo pacto ad tituli explicationem ea omnia, quae dixi, referri debeant. In edicto perpetuo ſuſpicor fuiſſe rubricam *De pactis & conventionibus.* Hujus rei praeterquam quod veſtigia non obſcura relicta ſunt in *c.* 1. *h. t.* argumentum ſane fortiſſimum praebent *Sententiae* Julii Pauli, ad exemplum & ordinem edicti perpetui compoſitae atque digeſtae: in earum enim

lib.

Digitized by Google

torſerint, in Juliani reſponſo. &c.

ANTONIUS CONTIUS

in not. ad §. ult. Inſt. de vulg. ſubſt.

A*Ccurſius* hic ait ſubſtitutum vocari in quartam tantum; vel in dodrantem, ſcilicet ut praeter illam quartam accipiat reliquum ſemiſſem. Ceteri potius dant dodrantem domino ſervi. Noſtri praeceptores, ut antimoniam velut ſcopulum fugiant, fingunt, in *l. Si paterfam.* interveniſſe coheredem. Quid in tanta varietate dicam? Probo, laudo, & admiror CUJACII NOSTRI conjecturam, exiſtimantis. &c.

Scripſerunt de hoc capite omnes Interpretes Inſtit. in §. ult. de vulg ſubſt. *Omnes Interpretes D. Omnes Interpretes Codicis in* c. cum proponas 3. De her inſt. *Omnes, qui de ſubſtitutionum difficillima materie tractaverunt. Alii ſuo arbitrio variis locis.* FRANCISCUS CONNANUS *lib.* 10. *comm. cap.* 7. ANTONIUS GOVEANUS *lib* 1. *var. lect. cap.* 6. HUGO DONELLUS *lib.* 6. *comm. cap.* 24. EMUNDUS MERILLIUS *lib.* 3. *var.* ex CUJACIO *cap.* 4. & ceteri.

HONORI

Eruditiſſimi Viri

G. C. CRUSII,

cum elegantem hanc Diatriben proferret.

Stemmata degeneres ſileant inſignia fuci,
Emathium tollant nec ſua facta ducem:
Nirea nec rarae pollentem munere formae
Vaniloquum vatum vulgus ad aſtra vocet:
Splendida patricio ſpernantur cingula cultu,
Diſſimulentque Deum Laomedontis opes.
Omnia Cruſiadae cedant conſpecta labori:
Unus is e cunctis cui placet, ille placet.
Maxima prudentum, velut umbrae, turba vagantur;
Hic auſus ſapere eſt, hic mihi Caeſar erit.
Hunc canerem, nobis ſi reſponderet Apollo,
Iratus noſtras deſpuit ille preces.

THOMAS MUNCKERUS.

EIDEM.

Hactenus abſtruſus, muſei totus, & in ſpem
Artis inexhauſto formoſae fine laborans
Cruſiades, ſeſe ſolo contentus & arcte
Tempora non reditura tenens, agitaverat annos.
Et veterum modo prata legens, modo florida noſtri
Inſpiciens aevi, bibulum ſibi fecerat arvum.
Dumque ea nunc repetit; dum ſane ſingula ſpectat,
Hic illic tenuere morae: Benedicta fuerunt
Quae priſcis, ea multa latent; admotaque nuper
Gnara licet totum non prendit dextera verum.
Queis animum advertens, praeclaro Cruſius auſu
Cum ſenſu lucem dederat, Muſiſque ſecundis
Ingenii melioris opem monſtraverat auream.
Sed premit, & populo veritus ſe credere caute
Continet, ac nimium lambendo quaeque reformat.
Quid, Cruſi, tibi mentis erat? quae cauſa tot actas
Inſomnes noctes, tabulas quid pumice levi
Saepe litas, tua quid famae jam ſponſa negabas
Nomina, ſperanti cur te ſic ſubtrahis orbi?
Perſtat in incepto, ſocium nec gaudia jungi
In ſua perpetitur, ſolitum duplicatque laborem.
Quum tandem Themidos (niſi tu quoque Phoebe fuiſti,
Namque duo ſemper vos numina ſola colebat)
Admonitu, ſtudiis ne ſtrangulet utile, qualem
Se decuit, tantis tandem hortatoribus egit.
Nec tamen effundit ſaturas, ſed cenſor acerbus
Ipſe ſui, docto quae poſſint digna videri
Seclo, Cruſiada quae poſſint digna videri,
Exigit, & totum ſpargit limata per orbem.

JACOBUS GRONOVIUS.

que in Burgundia adhuc obſervari quidam referunt. In civilibus etiam, quamvis alieno nomine ſine mandato agere non liceat, judicium tamen accipere licet, *l. ſolutione* 23. *D. de ſolut.* quo caſu fit quaſi novatio, *l.* 2. *§. ultim. D. ad SCtum Vellejan. l.* 2. *C. de pact.* Igitur non licet pro alio agere; pro alio excipere licet. Recte autem diximus, culpam eſſe ſe immiſcere ſine mandato cauſae, ad ſe non pertinenti, quia ſimpliciter ſe cauſae alienae immiſcere vitio non datur, *l.* 1. *§.* 5. *D. de poſtuland.* Cauſa autem non pertinere ad eum, qui agit, dicitur, ſi ejus non intereſt cauſam agi; alias enim culpa vacat, ſi immiſceat ſe etiam ſine mandato, *l. patri* 27. *in princ. D. de minor.* Certe quando quis cauſam agebat, an ejus intereſſet, quaeſitum fuiſſe, oſtendit *l. non tantam* 6. *D. de appell.* Porro quod extra hunc caſum, quo quis litem alienam agit & ſine mandato in judicium deducit, ab aliis ad hanc regulam aliud affertur exemplum de Medico indocto & imperito, quod ei vitio detur, morbi curationem polliceri ac recuperandae ſalutis ſpem, cum medicinae ſit plane imperitus ac rudis, non eſt omnino ab hoc loco alienum, mihique non improbatur. Qua de re viſum eſt, hic aſſcribere Perſii verſus, non ſolum huic uni ſpeciei de Medico accommodatos, ſed etiam ad intelligentiam noſtrae regulae pertinentes, *Sat.* 5. *vſ.* 96.

Stat contra ratio ac ſecretam gannit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiaret agendo.
Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inſcitia debilis actus.
Diluis elleborum, certo compeſcere puncto
Neſcius examen: vetat hoc natura medendi.

His etenim ſignificat Perſius, quamvis propter libertatem naturalem conceſſum ſit id facere, quod velis, etiamſi in eo non ſis exercitatus, id tamen civili ratione non permitti (ſic accipitur etiam *ratio* apud noſtros, pro jure ſcripto & pro eo, quod ſuis finibus & terminis, item regulis ac praeceptis determinatum eſt ac definitum, *l. jus ſingulare* 16. *D. de legib. l.* 1. *§. ſi ego* 3. *D. ſi pars heredit. l. qui quadraginta* 88. *D. ad leg. Falcid.*) & tum demum tibi licere libertate uti naturali, niſi jure ac lege prohibearis. Jure itaque civili in omnibus, qui extra culpae aleam eſſe volunt, requiritur, quod in medicis & fabris requirit Horatius *Epiſt.* 1. *lib.* 2. *vſ.* 115.

—— —— Quod medicorum eſt
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

Et illud veterum valet adagium: *Quam quisque novit artem, in hac ſe exerceat.* Juris civilis eſſe regulam noſtram demonſtrat, quod in ea dicitur, *culpam eſſe ſe immiſcere rei, ad ſe non pertinenti.* Culpa enim juri aſſcribitur, ut Donatus Terentium *Adelph. Act.* 3. *ſc.* 3. *vſ.* 64. in eo civiliter dixiſſe ait, quod dixerit *hoc vitio datur*, non *hoc malum eſt.* Ad hanc autem regulam nonnihil pertinere videtur, quod ſcribit Plutarchus, hanc eſſe potiſſimum inter amicos & adulatores differentiam, quod illi non anxie inquirant, quid pro amicis faciendum ſit, & expectantes amicorum mandata, non ultro ſe ingerant ad omnia eorum negotia, οὐκ ἐξακριβοῦντες, οὐδὲ πολυπραγμονοῦντες οὐδ', ἑαυτοὺς εἰς πᾶσαν ὑπουργίαν ἐμβάλλοντες; hi vero contra ſolliciti ſint plus aequo de negotiis eorum, quibus adulantur, iis ſe intempeſtive intrudant, & nolentibus officia praeſtent. [1. *Petr. c.* 4. *vſ.* 15.]

CAPUT XXV.

Sententia l. cum tabulis 16. §. quoniam 1. D. de his quae vi indig. auſ. *Concubinae & uxoris differentia.*

Ingenua, quae corpore quaeſtum facit, eave, quae obſcuro nata eſt loco, concubina eſſe poteſt, non [illegible] genua, non ſimpliciter eſt de omni ingenua intelligendum; ſed vel de ea, quae inhoneſte vivit, vel de ea, quae humili nata eſt loco; alias concubina prorſus eſſe non potuiſſet, ideoque cum ea ſtuprum commiſſum fuiſſet. Certe hoc in loco de ea accipiendum eſt, quae quaeſtum corpore fecit. Et hoc eſt, quod ad reſtrictionem ejus, quod ſimpliciter dixerat Papinianus, ingenuae concubinatum eſſe, poſtea idem addit, *filiam vulgo quaeſitam apparuiſſe.* Ex eo enim manifeſtum eſt, mulierem vulgo concepiſſe, quamvis in concubinatu peperiſſet. Inde igitur vult probare Papinianus, concubinatum conſtare, quod filiam Rufina in concubinatu ex vulgari conceptione pepererit, & per conſequens mater ipſa vulgo quaeſtum fecerit. Quapropter vera eſt & recta illa lectio, quae habet: *cujus filiam, quam alumnam teſtamento Caſſianus nepti coheredem datam appellaverat, vulgo quaeſitam apparuit.* Nam ex his vult inferre Papinianus, Caſſianum Rufinam recte in concubinatu habuiſſe, quod Rufina vulgo conceperit: propterea quod ingenua illa demum eſſe poteſt concubina, quae vulgo quaeſtum facit. Ex his facile evitabis, quod movit Cujacium *Obſ. lib.* 5. *cap.* 6. ut, hac in parte, hanc legem emendaret. Nam non recte ex eo, quod filia in concubinatu nata vulgo quaeſita apparuit, inferes generaliter, ex concubinatu ſuſceptos liberos ſpurios ac vulgo quaeſitos eſſe: cum aliud ſit *ex concubinatu*; longe aliud *in concubinatu* naſci: cum poſſit alia concubina eſſe, quam quae vulgo quaeſtum facit. Quamobrem ponit alienam ab hoc loco facti ſpeciem Cujacius, dum putat quaeri, an Rufinae filia recte concubina ſit: cum quaeratur potius, an Rufina concubina eſſe queat, & per conſequens, an capere ex teſtamento Caſſiani poſſit: & ex eo ſolum, quod filia vulgo quaeſita fuit, probatur, matrem recte concubinam fuiſſe, quae, cum ingenua eſſet, quaeſtum vulgo faciebat. Ponendum eſt igitur, Rufinam concubinam fuiſſe; idque ſatis oſtendit totius orationis ordo & contextus. Haec cum ita ſint, dicendum exiſtimo, in noſtra lege ſic legendum eſſe: *qui Rufinam ingenuam non honore pleno dilexerat:* quod idem eſt cum eo, quod dicitur in *l.* 3. *§.* 1. *verſ. Divus tamen. D. de donat. inter vir. & uxor. non affectione uxoris, ſed magis concubinae.* Honor enim maritalis ſignificatur, id eſt, affectio, qua maritus uxorem proſequitur, quaeque uxorem a concubina ſeparat, *l. cum hic ſtatus* 32. *§. ſi mulier* 13. *D. de donat. inter vir. & uxor. l. item legato* 49. *§. penult. D. de legat.* 3. *donationes* 31. *D. de donat.* Sic igitur illi male ſentiunt, qui ex hoc loco probant, quoad honorem utriusque, id eſt, tam uxoris, quam concubinae, eandem eſſe rationem, &, ut ajunt, dilectionem pleno honore in utraque locum habere. Nam qui plenus honor tribui poteſt concubinae, cui honor ſimpliciter denegatur? *d. l. donationes* 31. deinde ſi maritalis affectio honorem illum ſignificat, quo maritus afficit uxorem, *l. cum hic ſtatus* 32. *§. ſi mulier* 13. *D. de donat. inter vir. & uxor. d. l. donationes* 31. & maritalis affectio concubinae competere nequit, *d. l. donationes* 31. *l.* 3. *§.* 1. *verſ. Divus tamen. D. de donat. inter vir. & uxor.* apparet, ut maritalem affectionem, ita nec honorem tribui concubinae poſſe. Atque hoc eſt, quod dicimus, *concubinam ex ſola animi deſtinatione aeſtimari*, *l.* 4. *D. de concubin.* ubi *ſola* intellige ſine honore ac dignitate, qua uxor aeſtimatur, *l. item legato* 49. *§. penult. D. de legat.* 3. Inde refert quidam, ex vitarum Caeſarum ſcriptoribus, Imperatorem, neſcio quem, dixiſſe, *uxorem* nomen eſſe dignitatis, non voluptatis. Paulus quoque *lib.* 2. *Sent. tit.* 20. *§.* 1. ſcribens: *Eo tempore, quo quis uxorem habet, concubinam habere non poteſt. Concubina igitur ab uxore ſola di-*

Digitized by Google

dubio, non ut Anianus his verbis eum interpretatur: *Qui uxorem habet, eo tempore concubinam habere prohibetur, ne ab uxore eum dilectio ſeparet concubinae:* nimirum apud Paulum *ſeparare* accipit pro *disjungere*, cum potius pro *diſtinguere* capiendum ſit. Et totius loci Paulini haec eſt ſententia: *Qui uxorem habet, eo tempore concubinam habere nequit: nam hac in re concubina non differt ab uxore; duas autem uxores habere non licet: & in hoc tantum diſtinguitur concubina ab uxore, quod alia ſit mariti affectio in uxorem, alia in concubinam.*

CAPUT XXVI.

Explicatio quorundam, quae ſunt in l. Abeſſe 32. D. Ex quibus cauſ. major. *particula AUT ſublata ex* l. 1. C. de ſalg. hoſpit. non praebend.

HAe in lege verbum *deferre* tam pro *mittere*, quam pro *referre* ſeu *inſcribere* accipio, ut ſignificare velit JCtus, non minus eos Reip. cauſa abeſſe, qui relati in commentarium principis & aerario inſcripti ſalaria de publico accipiunt, quam qui mittuntur ad aerarium & commentaria principis, ſeu, ut eſt in *l. munerum* 18. §. *legati quoque* 12. *D. de muner. & honor. qui mittuntur ad ſacrarium principis.* Sane *deferre* etiam *mittere* & *ablegare* ſignificat. Liv. *libr.* 41. *cap.* 8. *Poſtero die legati Sardorum, qui ad novos magiſtratus delati erant*, &c. Atque hoc eſſe puto, cur JCtus ita diverſe locutus ſit: *qui ad aerarium, aut in commentarium principis delati ſunt*, ut *deferre ad aerarium* ſit *mittere*; *deferre in commentarium* ſit *referre & inſcribere*. Quod autem tribuni militum praefecti & comites legatorum in hac lege nominantur, ii intelliguntur, qui in provincias miſſi Reip. cauſa aberant, de quibus ideo ait JCtus *eos Reip. cauſa abeſſe quamprimum ab urbe Roma exceſſerint, quamvis nondum provinciam decretam attigerint*; item in redeundo *quamprimum provincia egreſſi ſint, quamvis nondum in urbem venerint.* Hi tres ſaepe conjunguntur, *tribuni, praefecti, legati* aut *comites* magiſtratuum. Cicer. *lib.* 5. *ad Attic. Ep.* 17. *Sic in provincia nos gerimus, quod ad abſtinentiam attinet, ut nullus teruncius inſumatur in quenquam: id fit etiam & legatorum & tribunorum & praefectorum diligentia.* Idem *pro C. Rabirio Poſtum. Qui nec tribunus, nec praefectus, nec ex Italia comes.* Conjunguntur & alii, ut *legati, oratores, comites*, *l. lege* 7. *D. ad leg. Jul. de vi public.* Tribuni, notarii, comites, *l. unic. C. de mand. princip.* Tribuni, praefecti, & equites Romani, Seneca *lib.* 9. *Controverſ. Fuere tribuni, fuere praefecti, fuere equites Romani, cum iis ergo Praetor.* Tribuni, praefecti, ſcribae, & comites magiſtratuum, Cicero *pro C. Rabirio Poſtumo cap.* 6. *Ut tribuni, ut praefecti, ut ſcribae, ut comites omnes magiſtratuum hac lege tenerentur.* Tribunus, praefectus, legatus, Praetor, Salluſt *in Catilin. cap* 62. *fin. Homo in literis quod amplius annos* 30. *tribunus aut praefectus, aut legatus, aut praetor cum magna gloria in exercitu fuerat.* Comites tribuni praepoſiti militum, *l.* 1. *C. de ſalga. hoſpit. non praebend. Ne quis comitum vel tribunorum aut praepoſitorum militum nomine:* ſic enim lego, deleta particula *aut*, ante *militum*, quod confirmat *l.* 1. *C. de commeat. praefecti, tribuni & contubernales*, Cicero *lib.* 5. *Famil. Epiſt.* 20. *Quod ſcribis de beneficiis, ſcito a me & tribunos militares, & praefectos, & contubernales meos delatos eſſe.* Tribuni & praefecti, *l.* ἐκ τῆς βουλῆς ἑπομένους, εἰς βοήθειαν. Sed ideo legati a comitibus ſeparantur, quia & ipſi ut proconſules comites habebant, *l.* 6. §. *penult. D. de poenis* & in *hac lege*, ibi *comites legatorum.* Quo in loco tribunis & praefectis JCus comites legatorum jungit, non comites magiſtratuum, ut Cicero duobus locis *in orat. pro Rabirio Poſtum.* quos ſupra adduximus, ideo quia ante dixerat de comitibus magiſtratuum, id eſt, proconſulum & praeſidum provinciarum. Procuratores enim principum accipio pro legatis praeſidum provinciarum, vel certe, niſi placet eos legatos vocare, pro comitibus praeſidum provinciarum, ἑπομένοις ταῖς ἡγεμόσι τῶν ἐθνῶν εἰς βοήθειαν. Nam quemadmodum legatus perſonam proconſulis refert & repraeſentat, & ideo dicitur ἐκ προσώπου a Theoph. *tit. de ſuſpect. tutor.* ita & procurator Caeſaris mittitur in provinciam, ut perſonam agat praeſidis & vicem ejus referat, *l.* 3. *C. ubi cauſ. fiſcal. vel divin. domin. l* 4. *C. ad leg. Fabiam. l.* 2. *C. de poenis.* quanquam poſſis inter procuratorem Caeſaris reſpectu praeſidis, & inter legatum reſpectu proconſulis ſtatuere differentiam. Ut ut ſit, procurator Caeſaris eſt ex iis, quos Juſtinianus τοποτηρητὰς vocat *Novell.* 8. & 13. Ergo *comites* ſunt, qui magiſtratus in provincias euntes comitantur, quibus libertini junguntur, *l. SCto* 16. *D de offic. praeſid. l. qui juriſdictioni* 10. *D. de juriſd.* quaerendum amplius cogito. Comitibus recte junguntur praefecti, qui & ipſi magiſtratus in provincias comitabantur. Aemilius Probus *In Attic. cap.* 6. *Multorum conſulum praetorumque praefecturas ſic delatas accepit, ut neminem in provincia ſit ſecutus, honore fuerit contentus, rei familiaris deſpexerit fructum.* *Praefecti* etiam antiquitus dicebantur, qui eam mittebantur in urbem, quae nullum civitatis corpus habebat, nullum publicum conſilium, ut eſt apud Livium *lib.* 26. *cap.* 16. *Tribuni* autem ſunt, qui cohortibus praetoriis praeſunt, *l.* 9. *D. de excuſat.* Haec ad hanc legem dicenda fuerunt, ex qua male faciunt, qui probant proconſulem ſtatim, quam ab urbe Roma profectus eſt, accipere imperium. Nam de imperio haec lex non eſt, ſed de abſentia Reip cauſa, quae duo multum inter ſe differunt. Praeſes provinciae, ex urbe egreſſus, ſtatim abeſt Reip. cauſa, imperium non accipit, niſi in metropolim venerit, & quamprimum excedit provincia ſua, privatus fit & omne deponit imperium, *l.* 1. *D. de offic. praefect. Auguſt. l.* 3. *D. de offic praeſid.* Dio *lib.* 53. Quis etiam dixerit legatum proconſulis imperium habere, quod non habet etiam in provincia, antequam in provinciam veniat? quod eodem modo probari poteſt ex hac lege, quo de proconſule probari volunt. Idem de tribunis, & praefectis, & comitibus dici poteſt.

CAPUT XXVII.

Quare furti & in factum actione teneatur; qui equis alienis equas ſuas ſubjecerit.

QUi me inſcio equum meum, aut aſinum in equas ſuas admiſit, furti tenetur, ſi furandi animum habuiſſe eum appareat; puta ſi celandi animo id fecerit, ne pro equis admiſſariis quid mercedis perſolveret. Quod ſi hunc animum non habuerit, quia eo ipſo, quod equis meis equas ſuas ſubjecit, furti ſe quodammodo obligaſſe videtur, in factum actione tenetur, quae proxima eſt actioni furti, *l. ſi quis uxori* 52 §. *ſi quis aſinum* 20. *D. de furt. arg. l. in furti* 50. §. *ultim.*

Quae cauſa & fuit cur dubitaretur, cujus fetus ejus equae eſſet, quam meus equus praegnantem feciſſet; utrum domini equae, an meus, *l. 5. §. idem ſcribit 2. D. de rei vindic.* De mercede, quam diximus dominos ex admiſſariis equis percepiſſe, teſtis eſt Varro Sexageſ. citante Nonio, *in equimentum. An ſi equam emiſſes quadrupedem*, inquit, *ut meo aſino Reatino admitteres, quantum popoſciſcem, dediſſes equimenti.*

CAPUT XXVIII.

Pecunia, quae dicitur peculium praeſidii cauſa, ad l. ſi chorus 79. D. de legat. 3.

Solebant patresf. nummos ſeponere, quos conferrent praeſidii gratia, ſi ita res ferret, *l. ſi chorus 79. D. de legat.* 3. Quem morem ab Athenienſibus habuiſſe Romanos, opinor. Scribit enim Diogenes Laërtius, *in Solone*, Athenienſes ſingulos decimam rerum ſuarum ſeu patrimonii ſui partem ad ſumptus bellicos ſepoſuiſſe. Hoc ſignificare voluiſſe Marculphum *in formul. praeſidii* nomine puto: ut tam de alode paterna, quam de comparato vel mancipiis vel praeſidio meo. De hac re tangit etiam Theoph. *Inſt. tit. de libert.* hoc modo: *Cenſus*, inquit, *ſignificat tabulam, in qua Romani ſuas profitebantur divitias & ſcribebant, ut unusquisque pro facultatibus belli tempore contribueret.* Atque haec, quae ſeponebantur praeſtationi vectigalium ſubjici vetabantur, *l. 9. §. earum rerum 6. D. de public.* quoniam tributa ſunt nervi Reip. *l. 1. §. in cauſa 20. D. de quaeſtion.* Hanc pecuniam *peculium* appellaſſe ait Proculus in *d.* l. 79. eodem fere modo, quo Seneca *lib. 1. de Tranquill. animi. Placeat argentum grave ruſtici patris ſine ullo opere & nomine artificis. Peculium* etiam *patrimonium* ſignificat, *l. cogi 16. in princ. D. ad SCtum Trebell.* & apud Plaut. *in Caſin. Act. 2. ſc. 3. v. 40. Cui homini hodie peculi eſt nummus, non eſt plumbeas*: quod & ipſe Plutarchus ſcribit *in Publicola. Peculii* nomine etiam ſignificantur quaecunque mulier ſibi recepit, cum res in dotem daret, quae Graeci παράφερνα vocant, *l. 9. §. dotis 2. D. de jure dot. l. donationes 31. §. 1. D. de donat.* & apud Plaut *in Caſin. Act. 2. ſc. 2. v. 26. Nam peculi probam nihil habere addecet clam viro.* & apud Symmach. *Epiſt. 2. lib. 6.* Ait Ulpian. in *d. l. 9. §. 3. quaeque Galli peculium appellant.* Hic nihil muto. Pertinet huc nonnihil Caſſiod. *lib. 7. Epiſt. 32. Pecunia a pecudum tergo nominata, Gallis autoribus, ſine aliquo adhuc ſigno ad metalla tranſlata eſt.*

CAPUT XXIX.

Interdictorum genera.

Interdicebatur nonnullis non ſolum urbe aut provincia aliqua, ſed etiam omni hominum commercio, conſuetudine & uſu. Atque hi ſaepenumero navigio impoſiti deportabantur. Paulus Diaconus *in Anaſtaſio lib. 17. Is non ſolum ſalubria eorum monita ſprevit, ſed etiam a ſuis aſpectibus eos non ſine contumelia expulit, navique fragili impoſitos mandat ne uſpiam per totam Graeciam ad aliquam civitatem accederent.* Et in *l. 1. C. Th. de ſtud. liberal. urb. Romae. Statim navigio ſuperpoſitus abjiciatur urbe.* Et hoc eſt, quod Dio *lib. 56. p. 587.* ait Auguſtum conſtituiſſe, μηδένα πυρὸς ἢ ὕδατος εἴργεσθαι ἐν ἠπείρῳ διαιτᾶσθαι. Tales autem non licebat domo tectove recipere, ut de interdicto aqua & igni eſt, apud Paulum *lib. 5. Sent. titul. 26. §. 3.* & *Praeſtitit afflicto jus vitae Caeſar & agri.*

Eſt & aliud quoddam interdictorum genus fere ſuperiori contrarium, quando interdicitur, ne quis domo aut patria excedat, *l. relegatorum 7. §. ſolet praeterea 19. D. de interd. & releg.* ne commeandi ad alia quaelibet loca aut evagandi ad urbes habeat poteſtatem, *l. vitiorum 12. C. Th. de haeredit.*

CAPUT XXX.

De vectigali, ſtipendio & tributo.

Differunt *vectigal, ſtipendium* & *tributum.* Publicum vectigal a tributo ſeparatur, *l. 2. §. ſi quid publici 16. D. de heredit. vel act. vendit. l. Julianus 13. §. idem Julianus 6. D. de action. emt. l. cum ſervus 39. §. ſi quis alicui 4. D. de legat. 1. Tributum* eſſe puto, quod extra ordinem ſolennium vectigalium ad exercitum alendum imperabatur civibus. *Cicero lib. 2. Offic cap. 21. Danda etiam opera eſt ne (quod apud majores noſtros ſaepe fiebat, propter aerarii tenuitatem aſſiduitatemque bellorum) tributum ſit conferendum.* Idem *pro L. Flacco c. 9. In aerario nihil habent civitates, nihil in vectigalibus, duae rationes conficiendae pecuniae aut verſura aut tributo* &c. Idem *Epiſt. 29. lib. 12. Famil. Conqueritur undique, ut optime meritis militibus promiſſa ſolvantur, quod quidem fieri ſine tributo poſſe non arbitror.* Tributum vocat Theoph. *tit. de rerum diviſ.* βαρὺ τέλος. Eodem modo & Cicero *Epiſt. 8. lib. 3. Famil. Niſi quod principes civitatum me poſtulaſſent, ne indictionem tributorum & illam acerbiſſimam exactionem, quam tu non ignoras, capitum atque oſtiorum.* Hoc eſt, quod dicitur *tributum capitis*, in *l. ultim. D. de cenſib.* & apud eundem Cicer. *lib. 5. ad Attic. Epiſt. 16. Audivimus nihil aliud niſi imperata* ἐπικεφάλια (id eſt, tributa per capita) *ſolvere non poſſe.* Leo, in quadam conſtitutione, tributum in ſingula capita κεφαλίτιον appellari, ait. *Stipendium* etiam a *tributo* differt, quod particulatim colligitur, & ut ait Theoph. τὸ μικρόν. Livius *lib. 33. cap. 46. Quia & pecunia, quae in ſtipendium Romanis ſuo quoque anno penderetur, deerat, tributumque grave privatis imminere videbatur.* Quod autem dicitur *tributum* idem eſſe, quod *ſtipendium*, in *l. ager 27. D. de verbor. ſignif.* hoc verum eſt, quando abutimur voce *tributi*, quod facere cogimur, ſi alendus eſt exercitus, quia tum tributum eſt ſtipendii cauſa. Tacit *lib. 4. Hiſtor. cap. 74. pr. Nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi poſſunt.* Liv. *lib. 23. cap. 31. Senatus, quo die primum eſt in Capitolio conſultus, decrevit ut, quo eo anno duplex tributum imperaretur, ſimplex confeſtim exigeretur, ex quo ſtipendium praeſens omnibus militibus daretur.* Quo ſenſu *tributum* accepit JCtus in *d. l.* 27. ut illa verba ſatis oſtendunt, ex eo quod militibus tribuatur. *Stipendium* pacis tempore a *tributo* maxime differt, belli tempore vix poſſis unum ab altero ſeparare. Haec quanquam ita ſint, animadvertere tamen eſt, *tributum* pro *vectigali* accipi, ut in *l. 1. §. 1. D. de public.* publicani conſequi tributum dicuntur, quod indicitur vectigal, in *l. inter publica 17. D. de verbor. ſignific.* ut in veteri quodam decreto: *Tributis cujuſlibet vectigalis fixi mobilisque pondere per omnia ſecula liberavit.* ut & in *l. generali 32. §. ultim. D. de uſu & uſufr. legat. Tributa praeter ea, quae vel pro praediis aut moventibus deberi & reddi neceſſe eſt.* Recte itaque Juſtin. *in princ. lib. 13.* differentiae cauſa *annuum vectigale tributum* dixit.

F I N I S.

GEOR;

Digitized by Google

GEORGII CONRADI CRUSII
EX
VARIIS OBSERVATIONIBUS,
Quae ad Jus Civile pertinent,

D I A T R I B E,

EX JULIANI LIBRO XXX. DIGESTORUM:

DE SCRIPTURA ET SENTENTIA

Cap. Si Paterfamilias 40. D. de Heredibus Inſtituendis.

Quod Caput ingeniorum omnium adhuc veluti quaedam crux fuit.

Accedit

D I S S E R T A T I O

Ex Ulpiani libro IV. ad Edictum

De Pactis & Conventionibus.

Digitized by Google

his polliciti eſſent, cum hanc reddidiſſet Ulpianus, quod in ejuſdem, id eſt, dimidiae partis praeſtatio ne imago ſocietatis eſſet, Tribunianus nobis ex *dimidia* fecit *certam*, *tertiam* intelligens: id inſuper habens, quod tamen ignotum eſſe nulli poterat, cum ſocietatem ſimpliciter audimus, intelligere non aliter nos poſſe, quam ſocietatem aequis partibus, *§. 1. & quidem Inſt. de ſociet.* Atque iſti facto Tribuniani non diſſimile eſſe hoc Alciati facinus videtur; cujus auctoritatem arbitror jam ſatis amoliti ſumus. Verum ſuccedit Cujacius, ille CUJACIUS, amicus & familiaris mihi, & doctor, & omnia. Is *in not. ad §. ult. Inſt. de vulg. ſubſt, & ad h. cap. & Obſ. 17. cap.* 21. acuta ſuſpicione, quam Antonius Contius (nam ceteros minorum gentium interpretes commemorare nihil attinet) licet Cujacio ſubinimicus probavit *in not. ad §. ult. Inſt. de vulg ſubſt.* tamen, & laudavit, & admiratus eſt: is igitur, ut veram ſententiam Juliani ſuſtinere ac tueri verba ejus poſſent, ſcripſiſſe Julianum conjecit: *ita ut* AS *inter eum* &c. Tribunianum vero explanaſſe perperam, quod pro notis inſubtiliter acceperat, verbum AS. ut ex A. efficeret *alter.* ex S. *ſemis.* Qua quidem in re ſemper ego dubitavi, utrum ſui ſimiliorem exiſtimarem, Cujacium an Tribunianum, id eſt, ſubtiliorne ea Cujacii conjectura videri deberet, an ſtolidior ſubtilitas Tribuniani; atque adeo adſentire Hotomanno *in §. ult. Inſt. de vulg. ſubſt.* hac parte coepi, cui iſta conjectura ob eam cauſam diſplicuit; maxime etiam ideo, quod ejuſmodi notae A. pro ALTER uſurpatae exemplum nullum reperiatur.

CAPUT VIII.

Noſtra conjectura de reſtitutione verborum Juliani; & de emendatione c. 3. D. de adim. vel transf. legat.

DIcam igitur, quid ipſe ſim ſuſpicatus de vitio & medicina hujus loci; ſed dicam tentaturus verecunde exemplo Juliani: cum praeſertim id & aetas mea poſtulet, & ipſe locus difficilis multum ac ſcopuloſus, qui tot tam praeclara praeſtantiſſimorum hominum ingenia exercuit. Exiſtimo, veram Juliani ſcripturam fuiſſe iſtam: *Igitur in hoc caſu ſemiſſes fient, ita ut alter* [ſit] SEM. *id eſt.* SEMPRONII. AS *inter eum, qui dominus inſtituti heredis fuerit, & ſubſtitutum aequis portionibus dividatur*; depravatam vero vel ipſius oſcitantia Tribuniani, vel, ne tanto capiti videamur vel inſultare, imperitia librariorum; qui cum legerent: *ita ut alter* ſit SEM. AS *inter eum.* &c. corrumpere, quod minus adſequebantur, ſtatim inſtituerunt, deſcripſeruntque: *ita ut alter* SEMIS &c. ejecta etiam particula *ſit*: aut ſi qua alia ſimilis poteſtatis Juliano uſurpata fuit; quod eam crederent ſupereſſe. Hanc conjecturam noſtram facile ſpero agnituros probaturosque viros eruditos, qui de his rebus & recte poſſunt, & ex animi ſui ſententia volunt judicare: nam in ceterorum ſpem gratiae hoc ſpecimen non ſpecitur, nec certamen cernitur. Argumenta reſtituendae ad hunc modum ſcripturae Julianeae fortiſſima ſuperius deſignavi illa: quod facti ſpecies propoſita ſit in nominibus *Titii* & SEMPRONII: quod ratio ambigendi & definiendi concepta in perſonis *Stichi* & SEMPRONII: quod prima etiam definitio, &c, ut Theophili verbis utar, [illegible] facta in perſona SEMPRONII. Nulla igitur eadem macula haeret depravati nominis SEMPRONII, a nullo dum abſterſa. Verba ſunt in *princ. c. Si quis 3. D. de adim. vel transf. legat.* ex Ulpiani libro 24. ad Sabinum: *Si quis ita legaverit:* Titio fundum do lego. Si Titius deceſſerit, SEJO heres meus dare damnas eſto: *recte tranſlatum legatum videtur.* Ea verba Sabini, ut opinor, ſic amplificat Ulpianus: *ſed etſi jam mortuo eo, cui legatum erat, eaſdem res tranſtulerit*, SEMPRONIO *debetur.* Non difficile cuiquam erit animadvertere, aut in priore ſententia pro SEJO ſcriptum fuiſſe SEM. hoc eſt, SEMPRONIO, aut in poſteriore pro SEMPRONIO legendum eſſe SEJO. At prius iſtud veriſſimum eſſe ſequentes paragraphi demonſtrant, quibus ſub iiſdem nominibus *Titii* & SEMPRONII ſimiles aliae ſpecies proponuntur.

CAPUT IX.

Alia menda animadverſa in c. 1. §. 1 D. de bon. poſſ. ſec. tab.

DEtegam aliud quoque mendum, quod cauſam & originem ſuperiori non diſſimilem habuit depravandae ſcripturae in *c. 1. § 1. D. de bon poſſ. ſec. tab.* Ait Ulpianus, verba edicti praetorii enarrans: *Non autem omnes tabulas praetor ſequitur hac parte edicti, ſed* ſupremas; *hoc eſt, eas, quae* NOVISSIMAE ITA *factae ſunt, poſt quas nullae factae ſunt.* Non opinor fore quenquam, qui idoneam de his verbis ſententiam animo ſuo vere poſſit concipere; quae tamen erit facillima & aperta, ſi verba Ulpiani reſtituantur ad hunc modum: ſupremas, *hoc eſt, eas, quae* NOVISSIME A. I. TA. (id eſt, *noviſſime a primis tabulis*) *factae ſunt.* Neque enim aliud ſenſit Ulpianus, quam tabulas dici *ſupremas*; non ideo quod noviſſime ante mortem ſuam eas tabulas teſtator fecerit, ſed adſpectu ſolummodo tabularum, quae priores factae ſint: denique *noviſſimas* ſic intelligi, factas noviſſime a primis tabulis, tametſi veteres ſint; non ita, quas noviſſime antequam decederet, fecerit paterfamilias. Ipſe Ulpianus ſe declarat verbis ſequentibus: *ſupremae enim*, inquit, *hae ſunt, non quae ſub ipſo mortis tempore factae ſunt, ſed poſt quas nullae factae ſunt; licet hae veteres ſint:* ſcilicet illae notae & literae I. TA ad eum modum coaluerunt in ITA, ut in noſtro capite iſtae SEM. AS. in SEMIS. Geminum germanum huic peccatum in *c. In ratione* 11. *§. ſi filio* 6. *D. ad leg. Falcid.* feliciſſime deprehendit Jacobus Gothofredus, *in notis ad* 12. *tabb. p.* 184. tanto optimus hujus ſeculi juris Rom. interpres, quanto ſui peſſimus Dionyſius. Nec dubito ſane, quin ejuſmodi errores quamplurima alia Pandectarum loca occuparint, quos animadverſurus facilius, & felicius emendaturus ſit, cui diligenter inſpiciendi Florentini illius codicis poteſtatem Deus dederit: quod ut nobis aliquando contingat, tametſi ſperare vix poſſum, tamen opto vehementer.

CAPUT X

Quae adverſus conjecturam noſtram objici poſſint.

FInem facere in hoc voto conſtitueram: nam perbrevis licet haec exercitatio ſit, attamen eis, quibus placitura eſt, ſatis videbitur longa; illis, queis diſplicitura, etiam nimium. Dabo tamen vobis, qui admittere conjecturam noſtram verecundabimini,

... apparere connexionem : ſeu copulam deſiderari aliquam videri, & connexionem. Ergo vero arbitrabar, facile vos animo veſtro repeturos διὰ κοινοῦ τὸ, *ita ut*; animo inquam veſtro : vel, ſi ita mavultis, aliam quamvis copulam ſubintellecturos. Deinde cogitaveritis : tamen ſic idem bis dixiſſe Julianum. At iidem vos ſimile exemplum vel ex hoc eodem libro Juliani reperietis in *c.* 15. *h. t.* &, ne extra hunc titulum alias, quae innumerae ſunt, ſpecies conquiram, ex Africano, qui auditor Juliani fuit, aliud in *c. Si ita ſcriptum* 47. §. *quidam* 1. deprehenſuri eo loco idem bis ter ratione non diſſimili repetitum. At rurſus, de altero ſemiſſe definiendum reſtabat, dixeritis, non quid de aſſe fieret. Reſpondeo, idcirco de uno tantum ſemiſſe definiri, quia de eo quaeſitum erat & dubitatum in perſona Sempronii ſubſtituti; viderine is poſſet in partem hereditatis, in ſemiſſem, admittendus eſſe : quod quoniam placuerat, conſequens erat porro, ut generaliter etiam definiretur, aſſem inter eum, qui dominus inſtituti heredis eſſet, & ſubſtitutum aequis portionibus dividi, id eſt, ut quod in hypotheſi in perſonis Titii, dominique ejus, & Sempronii deciſum erat, revocaretur ad theſin; quo magis etiam *c.* 41. huic connecteretur; ſic enim ſubjicitur: *Et hoc Tiberius Caeſar conſtituit in perſona Parthenii : qui tanquam ingenuus heres ſcriptus adierat hereditatem, cum eſſet Caeſaris ſervus : nam diviſa hereditas eſt inter Tiberium & eum, qui Parthenio ſubſtitutus erat.* Quid *hoc* conſtituit Tiberius? hoc ſcilicet, quod *ſuperiore cap.* erat definitum, ut as inter eum, qui dominus inſtituti heredis fuerit, & ſubſtitutum aequis portionibus divideretur.

CAPUT XI.

Uſus prior hujus capitis in quaeſtionibus: an Princeps, an paterfam., an arbiter, an judex, an magiſtratus in ſua cauſa poſſit ſtatuere.

AD extremum ſatisfaciam etiam vobis, qui omnem hunc laborem noſtrum forte reprehendetis, aut elevabitis, quaſi inutiliter conſumptum in quaeſtione de ſcriptura & interpretatione ejuſmodi capitis, quod cum ad ſervos pertineat, nullum uſum hodie habere videatur. Satisfaciam vobis, ſi poſſum, ſed paucis. Ex eo igitur, quod Caeſar Tiberius in perſona Parthenii ſervi ſui id, de quo omnis diſputatio ſuſcepta eſt, dicitur conſtituiſſe, ſolet definiri : Principem in ſua cauſa poſſe judicem ſedere; propter eam rationem, quod ſuperiorem alium non agnoſcat. Unde juſta interpretatione idem de patrefamilias definiemus, qui familiae ſuae Princeps eſt, *c. Familiae* 196. *D. de verb. ſign.* & in domo dominium habet *c. Pronuntiatio* 195. §. 2. *eod. tit.* ſummum ſcilicet & omne. Quae tamen poteſtas cum ex jure quidem antiquiſſimo latiſſima patrifamilias tributa eſſet, ad quasvis controverſias & quamcumque animadverſionem, *c.* 11. *D. de liber. & poſt.* poſterioribus temporibus ad negotia & delicta domeſtica, levioriſque emendationis coarctata eſt, arg. *c. un. C. de emend. propinq. c. Inauditum* 2. *D. ad leg. Cornel. de ſicar.* veluti ut propter furtum domeſticum in filium ſtatuat. *c. Servi* 17. *D. de furt.* & quod eleganter Imperatores dixerunt in *c. ult. C. An ſerv. pro ſuo facto.* ut domi eum conveniat : nimirum ſicuti poteſtas dominorum, quae in ſervos ex jure gentium ſumma competebat, jure civili reſtricta eſt ad coërcitionem ex cauſis, quae legibus cognitae eſſent, *c.* 2. *D. de* ...

... cte exaequaverit, quod in utriusque perſona aequa ſpectetur pietas, *arg. c. Furioſae* 4. *D. de cur. furioſ.* nam matri quidem conceditur etiam terminatio domeſticarum controverſiarum, *c. Congruentius* 4. *C. de patr. pot.* verum non imperii quadam vi, ac ne quidem auctoritatis, ſed ex amicabili potius diſceptatione (ſicut diſceptatorem fere neceſſarii ſumere ſolebant) ut omittam alia exempla : Tarquinius apud Liv. *lib.* 1. *c.* 50. *diſceptatorem ait ſe ſumtum inter patrem & filium.* Videamus porro de arbitro, de judice, de magiſtratu, an in ſua re ſententiam dicere, an judicare; an jus dicere poſſint. Non quaeremus, an adverſus ſe poſſint (nam id generalis ratio impedit, prodita in *c. pen. D. de recept.* quia neque imperare ſibi, neque ſe prohibere quisquam poſſit) ſed an ſibi poſſint; diſtinctione ſumpta ex *c.* 14. *D. de juriſd.* Et in arbitro quidem ac judice id non procedit quaerere, quoniam ut ſibi arbiter quis aut judex detur, fiat, non facile accidit, cum tot aliorum copia ſit virorum. At in magiſtratu, provinciali potiſſimum, veluti proconſule, aut praeſide, qui ſolus in provincia majus imperium habet omnibus poſt Principem, *c. Et ideo* 8. *D. de offic. proconſ.* & *c.* 5. *Praeſes provincia de offic. praeſid.* atque adeo nullum ſuperiore imperio magiſtratum agnoſcit, qui jus ei dicat, in eo poteſt quaeri, an non ſibi jus dicere poſſit. De his magiſtratibus provincialibus puto ſenſiſſe Ulpianum in *c.* 10. *D. de juriſd.* id enim ſuadent in *eo cap.* verba extrema, quae de comitibus, qui cum magiſtratibus in provinciam ibant, loquuntur. Ait autem Ulpianus : *Qui juriſdictioni praeeſt, ſibi jus dicere non debet.* Hanc orationem ſic exaudio : magiſtratum provincialem poſſe ſibi jus dicere; verum non debere : poſſe; quoniam alius in provincia non eſt, qui poſſit : non debere; quia iniquum ſit, in re propria alicui licentiam tribui ſententiae, *conſt. un. C. ne quis in ſua cauſ. jud.* Verum objeceritis contra hanc diſtinctionem, etiam a Cujacio *Tractatu* 3. *ad Afric. in cap.* 77. *D. de judic.* uſurpatam; quod quae facere non debemus, ea nec videamur poſſe facere, *c.* 15. *D. de condit. inſt.* Reſpondeo : inter id, quod poſſumus, & id, quod debemus; ſeu inter id, quod licet, & quod honeſtius eſt & melius, frequentem eſſe JCtis ipſis diſtinctionem. Nec quaeram alia exempla, tametſi multa ſunt, extra magiſtratus provinciales. De proconſule idem Ulpian. *c. Obſervare* 4. §. 2. *D. de offic. proconſ.* Proficiſci proconſulem *melius eſt* ſine uxore, ſed & cum uxore *poteſt*. Et iterum *c. Solent* 6. §. *ſicut* 1. *eod. tit.* Adimere mandatam juriſdictionem *licet quidem* proconſuli, *non autem debet* inconſulto Principe hoc facere. Neque movet *c.* 15. *D. de cond. inſt.* quia eo loco id, quod poſſumus, opponitur τῷ ἀδυνάτῳ; hic autem decoro & honeſto.

CAPUT XII.

Uſus alius in rebus dubiis & obſcuris : ut mediam ſententiam eligat Princeps, Magiſtratus, Judex, Juriſconſultus. Definita quaeſtio celebris : An judex ſecundum conſcientiam, an ſecundum acta & probata judicare debeat.

SOlet etiam adduci argumentum ex *h. cap.* noſtro comprobandae definitioni, qua vulgo traditur : in re obſcura & ambigua tutius eſſe mediam viam ſequi. Exſtant ſane ejus rei permulta exempla, & in legum conditoribus, & in Magiſtratibus, & in Judicibus, & in Juriſperitis. In Imperatoribus : ut,

h. c.

Digitized by Google

num, id, quod comprobabo etiam iſta ratione generali: quod Judex & boni viri officio fungi debet, & boni judicis; neque unquam alterum ab altero ſejungere: nam ſi neglecto jure & judiciorum ordine ſolam praetexat aequitatem judex, illud futurum eſt. Quod an in haec quoque tempora conveniat, nec ſatis ſcio, nec ſi ſciam, dicere auſim; certe de ſuis temporibus conqueſtus eſt Juſtinianus *conſt.* 2. §. 17. *C. de veter. jur. enucl.* ut voluntate judicum magis, quam legitima auctoritate, lites dirimantur. Judicem fateor ſequi oportet officium viri boni; bonum & aequum; bonam fidem; aequitatem (haec enim omnia idem poſſunt) ſed eam aeſtimare non ad merum jus gentium, verum cum praeceptis civilibus & praetoriis; ut graviter praecepit ſanctiſſimus Tryphoninus, *c. Bona fides* 31. *D. depoſiti.* Rurſum ex diverſo ita ſuſtineat perſonam judicis neceſſe eſt, ut ſemper meminerit viri boni & innocentis officio fungi ſe debere, *c. Ceterae* 4. §. 1. *D. fam. erciſc.* & *c. Sed ſi unius* 17. §. 5. *D. de injur.* maxime in quaeſtionibus de bo- ſi vero hanc ſequatur, facile viris bonis probaverit ſuam religionem, at ſatis ſolenni judiciorum ordini non fecerit: id, quod utrumque tamen in judice requiritur. In Juriſperitis multa quoque & varia exempla proferre queam; ut ex *c.* 3. *D. Si pars hered. petat.* quo loco: *Prudentiſſime*, ait Paulus, *juris auctores medietatem quandam ſecuti ſunt*; & aliis ſimilibus. Verum laudabile mihi inprimis videtur factum eorum, qui *Erciſcundi* a quibuſdam, ab aliis *Miſcelliones* idcirco appellati ſunt, quod ex diſſentientium auctorum opinionibus alteram in his ſpeciebus, alteram in illis quaſi veriorem ſic elegerunt. Exemplum memorabile prae ceteris in eam rem Pauli in *c. Illud quoque* 40. *D. de hered. petit.* Hoc juſtum eſſe in ſpecialibus petitionibus *Proculo* placet. *Caſſius* contra ſenſit. In praedonis perſona *Proculus* recte exiſtimat; in bonae fidei poſſeſſoribus *Caſſius*. Haec exempla, & veterum Jctorum omnem rationem in reſpondendo & interpretando jure qui recte imitabitur, is mihi verus Jurisconsultus videbitur.

Explicit Diatribe ex Juliano.

Emendantur in hoc opuſculo.

Ex Titulo Digestorum

De hered. inſt. c. Si paterfam. 40.	Pag. 672 *a*
De adim. vel. transf. leg. c. Si quis 3.	672 *b*
De bon. poſſ. ſec. tab. c. 1. §. *non autem* 1.	ibid.
De verb. oblig. c. Inter ſtipulantem 83. §. *ſacram.* 5.	671

Explicantur praeter ea, aut illuſtrantur.

Ex Titulo Digestorum.

De juriſdict. c. Qui juriſdictioni 10.	672 *d*
De offic. proc. c. Obſervare 4. §. 2.	ibid.
c. Solent. 6. §. 1.	ibid.
Depoſiti c. Bona fides 31.	Pag. 672 *e*
De contr. emt. c. Si in emtione 34. §. *liberum hominem* 2.	671
De curat. fur. c. Furioſae 4.	672 *d*
De condit. inſt. c. Filius 15.	ibid.
De legat. 2. *c. Debitor* 82. §. *ſervo alieno* 2.	670
De ſervit. leg. c. Etſi maxime 5.	ibid.
Ut leg. ſerv. cauſ. cav. c. Filio. 7.	672 *e*
De bon. poſſeſſ. c. Sed cum patrono 6.	672
De bon. libert. c. 1. *fin.*	672 *a*
De verb. ſign. c. Triplici 142.	669

Et quaedam alia.

F I N I S.

Digitized by Google

torſerint, in Juliani reſponſo. &c.

ANTONIUS CONTIUS

in not. ad §. ult. Inſt. de vulg. ſubſt.

A *Ccurſius* hic ait ſubſtitutum vocari in quartam tantum; vel in dodrantem, ſcilicet ut praeter illam quartam accipiat reliquum ſemiſſem. Ceteri potius dant dodrantem domino ſervi. Noſtri praeceptores, ut antimoniam velut ſcopulum fugiant, fingunt, in *l. Si paterfam.* interveniſſe coheredem. Quid in tanta varietate dicam? Probo, laudo, & admiror CUJACII NOSTRI conjecturam, exiſtimantis. &c.

Scripſerunt de hoc capite omnes Interpretes Inſtit. in §. ult. de vulg ſubſt. *Omnes Interpretes D. Omnes Interpretes Codicis in* c. cum proponas 3. De her inſt. *Omnes, qui de ſubſtitutionum difficillima materie tractaverunt. Alii ſuo arbitrio variis locis.* FRANCISCUS CONNANUS *lib.* 10. *comm. cap.* 7. ANTONIUS GOVEANUS *lib* 1. *var. lect. cap.* 6. HUGO DONELLUS *lib. 6. comm. cap.* 24. EMUNDUS MERILLIUS *lib.* 3. *var.* ex CUJACIO *cap* 4. & ceteri.

HONORI

Eruditiſſimi Viri

G. C. CRUSII,

cum elegantem hanc Diatriben proferret.

Stemmata degeneres ſileant inſignia fuci,
Emathium tollant nec ſua facta ducem:
Nirea nec rarae pollentem munere formae
Vaniloquum vatum vulgus ad aſtra vocet:
Splendida patricio ſpernantur cingula cultu,
Diſſimulentque Deum Laomedontis opes.
Omnia Cruſiadae cedant conſpecta labori:
Unus is e cunctis cui places, ille placet.
Maxima prudentum, velut umbrae, turba vagantur;
Hic auſus ſapere eſt, hic mihi Caeſar erit.
Hunc canerem, nobis ſi reſponderet Apollo,
Iratus noſtras deſpuit ille preces.

THOMAS MUNCKERUS.

EIDEM.

Hactenus abſtruſus, muſei totus, & in ſpem
Artis inexhauſto formoſae fine laborans
Cruſiades, ſeſe ſolo contentus & arcte
Tempora non reditura tenens, agitaverat annos.
Et veterum modo prata legens, modo florida noſtri
Inſpiciens aevi, bibulum ſibi fecerat arvum.
Dumque ea nunc repetis; dum ſane ſingula ſpectat,
Hic illic tenuere morae: Benedicta fuerunt
Quae priſcis, ea multa latent; admotaque nuper
Gnara licet totum non prendit dextera verum.
Queis animum advertens, praeclaro Cruſius auſu
Cum ſenſu lucem dederat, Muſiſque ſecundis
Ingenii melioris opem monſtraverat auream.
Sed premit, & populo veritus ſe credere caute
Continet, ac nimium lambendo quaeque reformat.
Quid, Cruſi, tibi mentis erat? quae cauſa tot actas
Inſomnes noctes, tabulas quid pumice levi
Saepe litas, tua quid famae jam ſponſa negabas
Nomina, ſperanti cur te ſic ſubtrahis orbi?
Perſtat in incepto, ſocium nec gaudia jungi
In ſua perpetitur, ſolitum duplicatque laborem.
Quum tandem Themidos (niſi tu quoque Phoebe fuiſti,
Namque duo ſemper vos numina ſola colebat)
Admonitu, ſtudiis ne ſtrangulet utile, qualem
Se decuit, tantis tandem hortatoribus egit.
Nec tamen effundit ſaturas, ſed cenſor acerbus
Ipſe ſui, docto quae poſſint digna videri
Seclo, Cruſiada quae poſſint digna videri,
Exigit, & totum ſpargit limata per orbem.

JACOBUS GRONOVIUS.

Digitized by Google

D I A T R I B E
DE
R E S T I T U T I O N E:

Cap. Si Paterſam. 40. D. de Hered. Inſtit.

Periocha Capituli.

Subſtitutus ſervo alieno, quem teſtator ingenuum eſſe credebat, etiam poſt aditam ab eo hereditatem, in partem hereditatis cum domino inſtituti quaſi coheres admittitur.

Verba Capituli.

Julianus Libro XXX. Digestorum.

Si Paterfamilias Titium, quem ingenuum esse credebat, heredem scripserit, eique si heres non esset, Sempronium [1] substituerit: deinde Titius quia servus fuerat, jussu domini adierit hereditatem: potest dici Sempronium in partem hereditatis admitti. Nam qui scit aliquem servum esse, et eum heredem scribit, et ita substituit, si Stichus heres non erit, Sempronius heres esto. Intellegitur tale quod [2] dicere, si Stichus neque ipse heres erit, neque alium fecerit: at qui [3] eum, quem liberum putat esse heredem scripserit, hoc sermone si heres non erit, nihil aliud intellegitur significare, quam si hereditatem vel sibi [4] adquisierit, vel mutata conditione alium heredem non fecerit. Quae adjectio ad eos pertinet, qui patresfamilias heredes scripti, postea in servitutem deducti fuerint: igitur in hoc casu semisses [5] fient; ita ut alter semis [6] inter eum, qui dominus instituti heredis fuerit, et substitutum aequis portionibus dividatur.

1 Sempronium coheredem substituerit. ita Alciat. *lib.* 1. *diſpunct. cap.* 2. perperam. 2 *Al.* tale quid. 3 *Al.* atqui si. 4 *Al.* vel sibi non adquisierit. rectius. 5 *Al.* duo semisses. 6 Cujac. Ita ut as inter eum. &c. Ego puto Julianum ſcripſiſſe: Ita ut alter sit sem. as inter eum & quae ſequuntur. ad quam ſcripturam ſtabiliendam omnis haec Diatribe pertinet.

EXEMPLUM DIATRIBES.

Dicam primum de ratione, qua videatur eſſe factum, ut ſub titulo De heredibus inſtituendis, *hoc capitulum poſitum ſit; cui ſua ſedes fuiſſet in titulo* De vulgari & pupillari ſubſtitutione. *Dicam deinde de epigraphe capituli. Tum in ipſo capite expendam facti ſpeciem, quaeſtionem, definitionem quaeſtionis; rationes ambigendi, & definiendi: ſic ad id perventurus, ut cognita mente Juliani, etiam quemadmodum locutus ſit, inveſtigem. Dicam autem de ſingulis breviter, &, ſi potero, dilucide.*

C A P U T I.

Fugitivum eſſe hoc cap. *videri a* tit. D. de vulg. & pupill. ſubſtit.

Non recte omnino, neque ordine ſub *tit. D. de hered. inſtit.* ex Juliano *hoc caput* collocatum eſſe videtur: nam quia quaeſtio omnis in interpretatione formulae vulgaris verſatur, ad titulum potius *De vulgari & pupill. ſubſtitutione* pertinebat; quam ob cauſam in *Inſtit. §. ultimo de vulg. ſubſt.* eo titulo veriorem locum accepit. Excuſabo tamen Tribunianum, ſi poſſum; nam defendere equidem non inſtituo. Opinor in ordinatione edicti perpetui, ſub generali titulo De Testamentis, e veteribus ea omnia tradita & concluſa fuiſſe, quae in diverſos & plures titulos Tribunianus ſcidit atque diſtraxit; id eſt, de his, qui teſtamenta facere poſſunt: de ſuis, de liberis & poſtumis, de neceſſariis, de extraneis heredibus inſtituendis & ſubſtituendis; de condicionibus inſtitutionum; de adquirenda & omittenda hereditate. Argumenta hujus rei duo praecipue habeo: Alterum ex teſtimonio ipſius Tribuniani in *conſtit. Tanta* 2. *C. de vet. jur. enucl. §. quintus* 6. quo loco ait: in quinta *D.* parte omne, *quidquid antiquis dictum* De Testamentis *ſit*, inveniri. Alterum a Julii Pauli exemplo, qui in *libris Sententiarum* (in quibus ordinem atque imitationem edicti perpetui & agnoverunt docti omnes, & non difficili negotio quilibet deprehenderit) in earum *libro* 3. ea omnia, quae dixi, complexus eſt titulo *De Teſtamentis.* Quod ſi tamen improbabilior cui, & forte deformis, videbitur tot materiarum, tam late patentium, ſub uno titulo collectio; dicam id, quod erit credibilius: ſub titulo, *De heredibus inſtituendis*, videri veteres etiam ſcripſiſſe *De ſubſtituendis*; argumentumque rei ſumam ex Ulpiani *lib. reg. tit.* 22. Utrum horum fuerit, factum inde ſuſpicor: neque enim feſtinantibus inprimis juris noſtri architectis aliter potuit accidere, ut multa, quae alio atque alio potius ſpectabant, ea in locum non ſuum conjecta ſint. Exempla ejus facinoris non requiret, quiſquis lectione D. defunctus erit non defunctorie.

C A P U T II.

De epigraphe cap. *& collecta plerorumque omnium capp. quae in* D. *reliqua ſunt* ex Juliani *lib.* 30. *Dig.*

Deſcriptum eſſe notatur hoc capitulum ex Juliani libro 30. Digeſtorum; ex quo libro, quae cetera relata ſunt in D. legum capita, pleraque *hujus cap.* ſententiam illuſtrant: quapropter faciendum eſt, ut ea colligamus quaſi per ſaturam. Sunt vero eorum quaedam, quae de ſervis heredibus inſtituendis varias ſpecies & definitiones complectuntur; quaedam de partibus, quas jure inſtitutionis vel ſubſtitutionis heredes habeant. Priorum exempla ſunt, veluti in *h. tit. c. Si ſervus* 7. *c. Et expleta* 22. *c. Qui filio* 38. & in *tit. D de vulg. & pup. ſubſt. c. Idem eſt* 19. & *de adquir. hered. c. Heres per ſervum* 43. Poſteriorum, ut in *h. t. c. Nam tertium* 16. & quod ex Juliano retulit Ulpianus *c.* 15. Item in *tit. D. de vulg. & pup. ſubſt. c. Si Titius* 27. Atque iſtae inſpectiones ambae in hoc capite ita occurrunt, ut in eis pene omnis quaeſtio verſatura ſit.

C A

Digitized by Google

iit hereditatem. Non eſt praetermittendus ſingularis quidam uſus verbi *Patrisfamilias*, qui frequens eſt, & pene perpetuus auctoribus noſtris, in quaeſtionibus ultimae voluntatis: vim habens & rationem duplicem; alteram communem, quod in conſuetudine *Patremfamilias* dicebant hominem quendam liberum; ut apud Petron. *Satyr. cap.* 8. *Acceſſit ad me* Paterfamilias, *& ducem ſe itineris humaniſſime promiſit.* & Suet. *Domit. cap.* 10. Patremfamilias *quod Thracem mirmillonem* &c. *canibus objecit.* alteram peculiarem cauſae teſtamenti, quia id niſi a patrefam. ex lege 12. Tabul. fieri non poſſit; quod tralatitium eſt. Itaque idem Suet. *Oct. cap.* 59. *Nonnulli* Patrumfamiliarum *teſtamento caverunt, ut ab heredibus ſuis, praelato victimae titulo, in Capitolium ducerentur.* & Jcti locis adeo multis, ut exempla proferre ſit otioſum. Nihil autem vetat, utramque ſignificationem in hoc argumento conjungere. Proponit ergo Julianus, teſtatorem quendam heredem inſtituiſſe Titium ſolum, atque adeo ex aſſe; eidemque Titio ſubſtituiſſe Sempronium in caſum primum ſeu vulgarem. Finge hoc modo: *Si Titius heres non erit*, Sempronius *heres eſto.* hoc eſt, ut in ſpecie non diſſimili eleganter explanat Imperator Alexander *c. cum proponas* 3. *C. h. tit. quod ſi ex aliqua cauſa primus heres* Titius *hereditatem meam adire noluerit, vel non potuerit: tunc in locum ejus ſecundum heredem ſubſtituo* Sempronium. Verum de Titio illud Julianus adjicit: credidiſſe teſtatorem liberum eum & ingenuum eſſe, cum tamen ſervus eſſet alienus; & idcirco adiiſſe eum hereditatem, ſed juſſu domini, neque ſibi, ſed domino eam hereditatem adquiſiiſſe. In perſona Sempronii nihil erat, quod adnotaret Julianus: at nobis de nomine id etiam atque etiam memoria tenendum erit, Sempronium; Sempronium, inquam, ſubſtitutum Titio proponi. In *Inſtit.* ſubſtitutus *Maevius* ponitur. Neque ſane intereſt quidquam, quod ad ſummam rei attinet, *Maevii* appellatione ſubſtitutum deſignes, an *Sempronii*: cum ſit apertiſſimum etiam in propoſito, id, quod veteri proverbio vulgo dici ſolitum de rebus nihil inter ſe diſtantibus Gellius *lib.* 3. *cap.* 16. interpretatur: *idem Attii quod Titii.* & idem igitur *Maevii* eſſe, quod *Sempronii.* Sed vero ſubſtitutum proponi Titio Sempronium idcirco obſervari convenit, quod in ea re primus fundus erit conſtituendae ſcripturae in fine hujus capitis, quam ea parte in nomine Sempronii eſſe depravatam, poſterius oſtendetur. Sic autem idem Julianus & alias facti ſpecies hoc eodem libro ſub nominibus *Titii* & *Sempronii* propoſuit: veluti in *c.* 28. *D. de vulg. ſubſt.* & in *c.* 15. *h. t.* nominibus *Titii*, *Seji*, & *Sempronii.* cui loco omnino adplicanda eſt eadem ſpecies, ex Juliano relata in *c. Triplici* 142. *ad fin. D. de verb. ſign.*

CAPUT IV.

De quaeſtione, & cauſis quaerendi.

Ex propoſita ſpecie illa quaeſtio exoritur. An per aditionem Titii heredis inſtituti omnino excluſus ſit ſubſtitutus Sempronius, an contra remoto Titio, ad hereditatem Sempronius admitti debeat? quaeſtio omnis in eo eſt: an conditio ſubſtitutionis adſcripta Sempronio defeciſſe, an exſtitiſſe videatur. Nam ſi defecit, id eſt, ſi Titius heres Patrisfamilias fuit, locus Sempronio eſſe non poteſt; ſin exſtitit conditio, id eſt, ſi Titius heres quamdiu inſtitutus admitti poteſt, ſubſtituto locum non eſſe; & *c.* 3. quamdiu prior heres inſtitutus adire hereditatem poteſt, ſubſtitutum non poſſe. Multo magis verum eſt, Sempronium hereditate excludi a Titio jam adita juſſu domini, *c. Si quis* 7. *D. de adq. her.* eſt enim certiſſimi juris, vulgarem ſubſtitutionem exſpirare poſt aditam hereditatem, *c. Poſt aditam* 5. *C. de imp. & aliis ſubſt.* Haec ratio efficit in propoſito, ut conditio ſubſtitutionis videatur defeciſſe. At ex contrario fortius defendi poterat, exſtitiſſe conditionem videri: nam ſi pro voluntate patrisfam. hujus conditionis verba conſideramus, quemadmodum oportet, *c. Pater Severianam* 101. §. *conditionum* 2. *D. de cond. & dem.* cum voluntas defuncti regat conditiones; ut eſt in *eod. tit c. In conditionibus* 19. Titius heres non fuit: neque enim de eo caſu, qui eveniſſe proponitur, poteſt videri paterfam. cogitaſſe: id quod manifeſtius fiet quaerentibus, quam interpretationem accipiat conditio vulgaris ſubſtitutionis in perſona heredis extranei; quae inſpectio propria eſt hujus loci.

CAPUT V.

Interpretatio formulae vulgaris ſubſtitutionis in perſona extranei, ſervi alieni, aut liberi. Cur ſervo alieno id demum legari poſſit, quod ipſe liber factus poſſet capere? De ſtipulatione & venditione liberi hominis, cum ſervus erit.

De ea autem ſic diſputat Julianus, ut ſignificet, interpretationem formulae vulgaris ad propoſitam ſpeciem nullo modo convenire: nam ſubſtitutio extraneo facta, facta eſt aut ſervo alieno, aut libero homini & ingenuo. De ſervo ita Julianus loquitur: *Qui ſcit aliquem ſervum eſſe, & eum heredem ſcribit, & ita ſubſtituit:* Si Stichus heres non erit, Sempronius heres eſto: *intellegitur tale quid dicere, ſi Stichus neque ipſe heres erit, neque alium fecerit.* In hac interpretatione illud adnotabo, eum, qui ſervum alienum heredem inſtituit, affectione & in honorem ſervi ipſius praecipue id facere videri, licet domino emolumentum quaeratur, *c. Sed etſi* 3. §. *hoc autem* 2. *D. de leg. praeſt.* creditur enim ita malle, ut ſervus heres fiat, id eſt, ſibi hereditatem adquirat manumiſſo; quod ſi id nec poteſt, deinceps domino, quem nunc habeat, quemve habiturus ſit alium. Id quod in filiofam. cui aliquid teſtamento relictum eſt, ſimiliter ſignificat Papinianus *c. Qui tutelam* 28. *D. de teſt. tut.* Atque inde puto, reddi potiſſimum debere rationem ejus praecepti, quod traditum eſt ex Juliano noſtro in *c. Debitor* 82. §. *ſervo alieno* 2. *D. de legat.* 2. *Id demum ſervo alieno legari poſſe, quod ipſe liber factus capere poſſet.* quae eadem eſt Papiniani definitio in *c. Etſi maxime* 5. *De de ſervit. leg.* nimirum (ut ne a propoſita ſpecie dilabar) is, qui ſervum alienum heredem inſtituit, eique dat ſubſtitutum, magis ſervum adquirere ſibi hereditatem vult, quam domino, magis tamen domino, quam ut ad ſubſtitutum pertineat. Verum iſta interpretatio aptare caſui propoſito non poteſt: ejus enim tantum patrisfam. voluntatem in hanc ſententiam accipimus, qui ſcivit ſervum alienum eſſe, quem heredem ſcripſit; atqui paterfam. Titium credebat eſſe ingenuum: neque adeo poterat contemplationem ullam habere ejus do-

tatem vel ſibi [non] *adquiſierit, vel mutata conditione alium heredem non fecerit. Quae adjectio ad eos pertinet, qui patresfamilias heredes ſcripti poſtea in ſervitutem deducti fuerint* Ex quibus verbis apertum eſt id, quod diximus, eum, qui liberum hominem ſeu patremfam. heredem ſcribit, eique in caſum primum ſubſtituit, inprimis ipſi delatam hereditatem velle, cogitare tamen etiam de eo, in cujus ſervitutem paterfam. mutata forte conditione, deductus poſtea fuerit; atque hunc etiam in adquirenda hereditate ſubſtituto praeferre. Haec interpretatio, ſi vera eſt & juſta, omnino efficit, ut ad propoſitum conditio ſubſtitutionis vulgaris adcommodari nequaquam poſſit. Verum videamus, an non adverſarium ſit huic interpretationi, quod definitum eſt, *c. Inter ſtipulantem* 83. §. *ſacram* 5. *D. de verb. oblig.* caſum adverſamque fortunam ſpectari hominis liberi neque civile, neque naturale eſſe, id eſt, non modo incivile, ſed etiam nefas, *c. Si in emtione* 34. §. *liberum hominem* 2. *D. de contrah. emt.* videbiturne igitur injuſta eſſe ea interpretatio? nequaquam! etenim nihil aliud illa definitione continetur, quam ratio, propter quam ſtipulari aut emere hominem liberum, *cum ſervus erit*, non poſſimus: ſcilicet quod ejuſmodi caſum exſpectari ab eo, qui ſibi liberum hominem velit adquirere, non conveniat neque civi, neque viro bono; *exſpectari* inquam: ſic enim verius vulgo editum eſt in *d. c.* 83. quam ut Flor. *ſpectari*; neque aliter in *d. c.* 34. *D. de contr. emt. Nec enim fas eſt, ejuſmodi caſus exſpectare.* Frequens eſt horum verborum commutatio: ſic enim ex contrario in *Inſt.* §. 2. *Vi bonor. rapt. Exſpectatur* ſcriptum eſt, pro quo rectius in *D. eod. tit. c.* 2. §. 22. *ſpectamus.* Hoc autem loco fortiorem habet ſignificationem verbum *exſpectari*: nam non poteſt non improbe facere emptor aut ſtipulator liberi hominis, qui caſum potius abominandum ſui compendii cauſa *exſpectat*, quin imo optat ſperatque, ut quamprimum eveniat; at teſtator prudenter poteſt *ſpectare* caſum, quem evenire poſſe praeſumit, ſcilicet ut paterfamilias, quem heredem ſcripſit, in ſervitutem alterius deducatur; tametſi ipſe magis eum caſum abominetur: ut, in pupillari ſubſtitutione, hoc amplius paterf. verbis etiam exprimit caſum, quem tamen abominatur, ſi filius ejus intra pubertatis annos deceſſerit *c. Coheredi* 41. §. *ult. D. de vulg. & pupil. ſubſt.* quin etiam in vulgari ſubſtitutione, quam filiae puberi facit, aut nepoti, *c. Lucius* 88. §. *filiam* 9. *D. de legat.* 2. aut fratri, *c.* 85. *h. t.* aut uxori, *c. Quamvis* 4. *C. de impub. & al. ſubſt.*

CAPUT VI.

Definitio prior, & ratio definiendi. Vis formulae: Poteſt dici. ALCIATI *emendatio, & interpretatio rejicitur. Frequens quaeſtio de ſubſtituto admittendo ut coherede.*

JUlianus igitur cum neutra via exitum definiendae quaeſtioni inveniret (id eſt, neque ſecundum eam interpretationem formulae vulgaris ſubſtitutionis, quam ex perſona ſervi hominis recipit, quia teſtator ſervum eſſe neſciebat; neque ex perſona liberi, quoniam liber non erat Titius) mediam viam ſecare inſtituit; ſed definitionem primum dat verecundam & ὑπεσταλμένην, his verbis: *Poteſt, dici* SEMPRONIUM *in partem hereditatis admitti.* Deinde certiorem & ἀποτομήν, illo loco: *Igitur in hoc ſemiſſes fient.* &c. Expendamus ſingula verba. Ait Julianus ita, ut verecunde, & quaſi [illegible], quod ſtatuendum eſt, ut *c. Si uſusfructus* 14. §. *inde quaerit Julianus* 1. *D. Quand. dies leg. ced.* & hoc loco, & infinitis aliis. Ait Julianus: *poteſt dici*, SEMPRONIUM *in partem hereditatis admitti.* id certe eſt, Sempronium videri admittendum ut coheredem: nam hoc demum loco verum eſt, Sempronium conſiderari quaſi coheredem non, illo, quo Alciatus *lib.* 1. *diſpunct. cap.* 2. temere, & ut Connano *lib.* 10. *comm. cap.* 7. viſum fuit, per ſomnium fingebat Sempronium coheredem Titio ſubſtitutum eſſe: repugnat enim cum conſecutio, atque contextus orationis, tum loquendi conſuetudo. Quippe dubium eſt nemini, *partem* cum dicimus, intelligere nos *dimidiam*, & cum *diviſam* hereditatem audimus, ex *c ſeq.* 41. *h. t.* ſubaudire nos diviſam aequis partibus: quod utrumque manifeſtum eſt, ex *c. Nomen filiarum* 164. §. 1. *D. de verb. ſign.* prius etiam notiſſimum ex *c. Etiam partis* 43. *D. de uſufr.* Sic vero in aliis quoque ſpeciebus multis dubitatum fuit; in quibuſdam etiam definitum de ſubſtituto admittendo non in aſſem quaſi ſubſtituto, ſed pro adjecto ſimul cum inſtituto in partem. Dubitatum: ut a Papiniano *lib.* 6 Reſponſ. in *c. Verbis civilibus* 7. *D. de vulg. & pup. ſubſt.* & ab eodem auctore eodem libro in *c. Qui non militabat* 78. *fin.* & *capp. ſeqq. D. h. t.* & a Marcello *c. Lucius Titius* 53. *h. eod. tit.* Definitum: ut ab Ulpiano *regul. tit.* 22 *fin.*

CAPUT VII.

Altera definitio Juliani; Alterum *non dici, niſi de duobus.* TRIBUNIANI *in ea re facinora.* ALCIATI *ſententia rurſum reprehenſa. &* CUJACII *emendatio improbata.*

SEquitur iterata, & definitiva, ut ſic loquar, definitio: *Igitur in hoc caſu ſemiſſes fient, ita ut alter* SEMIS *inter eum, qui dominus inſtituti heredis fuerit, & ſubſtitutum aequis portionibus dividatur.* Ait Julianus: *Igitur.* Nimirum, quia applicata ſpeciei propoſitae interpretatio vulgaris formulae, proxime tradita, ei non conveniebat, nihil relinqui aliud Juliano videbatur, quam ut mediam viam ſequeretur. Ait: *In hoc caſu.* Id vero eſt, in hac ſpecie, quam propoſuerat Julianus & tractaverat: propoſuerat ſub nominibus *Titii* & SEMPRONII; tractaverat in perſona SEMPRONII, an eum in partem hereditatis admitti placeret. Ait: *Semiſſes fient.* In vulgaris editum eſt: *duo ſemiſſes*: quod etiam non adjectum, tamen intelligetur neceſſario: & ſive additum, ſive intellectum, eam vim habet, ut conjecturam atque interpretationem Alciati omnino reprehendat. Quorſum enim DUO? & quid illud, quod ſequitur: *ita ut* ALTER? niſi ut intelligamus, inter dominum inſtituti, & ſubſtitutum hereditatem aequis portionibus debere dividi? Neque me movet Tribuniani auctoritas, qui *alterius* partis verbo dodrantem ſignificavit in *c. Sed cum patrono* 6. *D. de bon. poſſeſſ.* nam cum intelligi vellet, patrono contra tabulas dari *tertiae* patris bonorum poſſeſſionem; tamen ſubjecit impudenter, vel, ut leniore verbo utamur, imprudenter, *alterius* partis bonorum poſſeſſionem ſcripto heredi ſecundum tabulas dari; parum animadvertens, eo verbo *alterius* relinqui ſignificationem manifeſtam juris antiqui, ſecundum quod patrono contra tabulas partis dimidiae ſeu ſemiſſis bonorum poſſeſſio dabatur: nam id fuiſſe jus vetus, notum eſt ex §. *qua de cauſa* 1. *Inſt. de ſucceſſ.*

Digitized by Google

babile mihi fit in edicto perpetuo *de pactis & conventionibus* conceptam rubricam fuiſſe videri. Hac ratione pateſcet id, quod a nullo eſt animadverſum, Ulp. in *c.* 1. § 1. & 2. exponere priorem partem ejus rubricae illam *de pactis* §. 3. & 4. item *c.* 5. & parte *c.* 7. alteram partem hanc *de conventionibus*. De pactis; unde dictum ſit pactum, & quid pactio ſit. De conventionibus; quam lata ejus verbi ſignificatio, tum quam multiplex ſit conventio; ſcilicet ea fini, ut recte atque ordine intelligi poſſet, quibus de conventionibus verba Praetoris loquerentur. Haec ſumma, is ordo eſt enarrationis, quem Ulp. in hoc edicto ſecutus eſt: de cujus veritate ſi quis ultra ambigere volet, aut, quam utilitatem ea obſervatio habitura ſit, quaerere, contextum orationis & verba ipſa Ulpiani ſubſequatur; ad quorum interpretationem ingredior.

VI. In principio igitur *cap.* 1. commendat Ulp. edictum Praetoris a naturali aequitate, cui conveniat pacta conventa ſervare propter fidem datam. Quae ratio aequitatis tametſi latiſſime patet, accommodanda tamen eſt & reſtringenda propoſito Praetoris; quod in hac parte edicti quale fuerit, ſuperius diximus. Nunc illud expendendum eſt, ad quem modum & qua fini tenus haec aequitas naturalis Praetorem perpellat, ut pacta conventa rata habeat: quaeri enim potuit & quaeſitum eſſe video, quamobrem accommodata tantum exceptione ea tueatur, non etiam actione data. Movet, quod propter eandem aequitatem naturalem Praetor conſtituta ad eum modum ſervat, ut ex ea cauſa actionem polliceatur: ſic enim idem Ulp. *lib.* 27. ad edictum in *cap.* 1. *D. de pec. conſt.* eo nomine Praetorem laudans: *Hoc edicto*, inquit, *Praetor favet naturali aequitati, qui conſtituta ex conſenſu facta cuſtodit, quoniam grave eſt fidem fallere.* Proinde ſi ea aequitas Praetorem commovit, ut ex conſtitutis actionem proponeret, quae cauſa eſt, cur non eadem effecerit, ut ex pactis conventis ſimiliter daret actionem? Reſpondebo, eandem quidem in utriſque cuſtodiendis, verum non parem fuiſſe aequitatem, majorem nimirum in conſtitutis, quam in pactis conventis, atque idcirco etiam ſimilem eſſe obſervationem pactorum & conſtitutorum, at non tantam. Cauſam varietatis ex uſu eſſe dicam, & communi utilitate: nam cum ea mater ſit aequitatis, conſequens eſt, quanto major ſit utilitas, tanto majorem quoque aequitatem eſſe cuſtodiendorum conſtitutorum, quam pactorum. Etenim non modica utrorumque in quibusvis negotiis contrahendis utilitas eſt, ſed ſummum & ſingularem quendam uſum in pecuniis creditis conſtituta praebent, quippe quarum cauſa inducta ſunt; id, quod ejus tractatus de pecunia conſtituta cum eo de rebus creditis vicinitas oſtendit, tum etiam hi loci probant *c.* 1 §. 1. *c.* 3 extr. *c.* 18. §. 1. *de pec. conſt.* & *c.* 14. *D de jurejur* at nullis in rebus gravius eſſe fidem fallere, quam in creditis ipſa credendi & crediti, & creditorum appellatio ſignificat. Eſt &, ad eam rem quod valde pertineat, celebre Sexti Caecilii Jcti & grave teſtimonium apud A. Gell. *lib.* 20. *c.* 1. Is populum Romanum ait ex omnibus virtutibus fidem praecipue coluiſſe, ſanctamque habuiſſe tam privatim, quam publice, non modo in officiorum vicibus, ſed in negotiorum quoque contractibus; omnium tamen maxime eam ſanxiſſe in pecuniae mutuaticae uſu atque commercio Rationem ſubjicit ex utilitate communi: *Adimi enim putaſſe ſubſidium hoc inopiae temporariae, quo commu-* quia res conſtituta res credita eſt. His conſequenter, ſicuti gravius punitur perfidus debitor pecuniae creditae, quam ex ceteris cauſis & obligationibus; ita juſtum eſſe viſum adverſus pecuniae conſtitutae reum etiam actionem dari, cum pacta conventa per exceptionem tantum cuſtodiantur. Exemplo non diſſimili res fiet probabilior. Codicilli propter communem civium utilitatem ita recepti ſunt, ut valeant jure optimo *pr. Inſt. de codicil.* at qui ad teſtamentum facti ſunt codicilli, efficacius cuſtodiuntur, quam relicti ab inteſtato: hi enim precario tantum valent, *c.* 3. *c.* 8. §. 1. *c.* 16 *D. de jure codicill.* illi etiam recto jure *c.* 2. §. 2. *eod.* Cur tam varie? nempe quia in uſum inducti ſunt codicilli ſupplendi teſtamenti cauſa, quo ſine dubio adſpiciens Theoph. codicillos definivit ἰαυτῆς ἐν διαθήκῃ γνώμης τελευτῶντος ἀναπλήρωσιν.

VII. Sequitur apud Ulp. interpretatio rubricae, quae *de pactis, & conventionibus* concepta erat. Ad priorem partem hic §. ſpectat, quo verbi appellatio declaratur. Ait Ulp. a pactione dici pactum, quam ob cauſam etiam volunt quid pactio eſſet, proxime definire §. ſeq. Poſtulat hic locus, ut quaeramus, an a pactione; & quo modo pactum differat: qua de re vehemens & varia interpretum concertatio eſſe ſolet, nunc fere probari ſententia eorum, qui de hac materie accuratius ſcripſiſſe dicuntur, nihil inter ea verba eſſe exiſtimantium; a quibus diſcedenti veniam mihi & pacem vel ipſa Pax faciet. Etenim alterutrum ſtatui neceſſe eſt, aut inter pacem quoque & pactionem intereſſe nihil, aut aliquid eſſe inter pactionem & pactum. Argumentum rei eſt, quod a pactione utrumque & pacti & pacis nomen adpellatum eſſe hoc loco Ulp. ſcribit; at prius illud qui arbitretur, puto futurum eſſe neminem: ego vero didici, duplicem poſſe horum verborum differentiam conſtitui, alteram magis ex proprietate eorum verborum; alteram magis ex uſu juris. Prior differentia ut certius & facilius accipiatur, non praetermittam, *pactum* praeciſa locutione dici, quod plena oratione foret *negotium pactum*, id eſt, res pacta: nam ut, exemplo Labeonis *cap.* 19. *D. de V. S.* generaliter definiam, quaedam negotia panguntur, quaedam tranſiguntur, quaedam aguntur, quaedam contrahuntur, quaedam geruntur; inde negocia pacta, tranſacta, acta, contracta, geſta. *Negotium tranſactum* terquater dixit Ulp. *cap* 2. *D ſi quis caut. in jud.* &c. idem *h. c.* §. 3. *negotii contrahendi tranſigendique*, & *cap.* 2. *D. de cond. indeb. negotium contractum eſt inter eos.* Pomp. *cap.* 5 *de V. O.* quarum totidem genera ſunt, quot pene dixerim *rerum contrahendarum:* nam & ob ipſam verborum obligationem fiunt, & pendent ex *negotio contracto*; & alii auctores, atque ipſe Cicero, qui *negotia rerum contrahendarum* dicere ſolet, quos noſtri contractus adpellant, ita ſaepe, ut pudeat vel unum exemplum protuliſſe rei, quae in medio poſita eſt, probandae. Pactum ergo cum audimus, negotium intelligimus, quod verbum ſimiliter ſubauditur, cum dicimus creditum, debitum, mutuum, commodatum, depoſitum, emtum, venditum, locatum, conductum; &, quae propius ad pactum accedunt, compactum, conventum, conſenſum, compromiſſum, condictum, receptum, conſtitutum: nam uſu & conſuetudine loquentium factum eſt, ut in ceteris fere verbis negotii nomen reticeretur, cum *contracto* ſaepius, plerumque vero cum *geſto* jungeretur; unde negotiorum geſtorum actio, & titulus *de negotiis geſtis:* quo exemplo de negotiis pactis ſimili-

ctum, & rem pactam, conventam, transactam; negotium conſtitutum & rem vel pecuniam conſtitutam; negotia emta, vendita, locata, conducta, & res emtas, venditas, locatas, conductas: quo fere modo loqui Cicero conſuevit. Hac via adhuc perveniemus, ut recte poſſimus invenire primam differentiam inter pactionem & pactum; qua de re ita cenſeo, quemadmodum a contractu negotii, negotium contractum; ab actu negotii, negotium actum; a geſtione, vel (ut noſtri loquuntur) a geritione negotii, negotium geſtum: ad eum modum a pactione negotii ſeparandum eſſe negotium pactum. Similiter ut ab emtione emtum; a venditione venditum; a locatione conductione locatum conductum diſcerni poteſt. Etenim in illis ἔργον eſt & effectio, in his effectum & ἀποτέλεσμα; illa negotiis tribuuntur etiam futuris & dum fiunt; haec factis potiſſimum. v. g. emtio venditio non contracta tantum, ſed & contrahenda & contrahi dicitur; emtum venditum, cum contracta emtio venditio eſt. Inde actiones emti venditi, & ex emto vendito appellantur idcirco, quia cum emtum venditum dicimus, ita contractum negotium ſignificamus, ut obligationem inde natam adſignificemus, quae actionem pariat, quod in aliis compluribus ſimiliter accidit. Sane quidem id in animo habuiſſe Labeo videtur, cum contractum definivit eſſe ultro citroque obligationem, *c.* 19. *D. de verb. ſignif.* quae definitio, tametſi maxime nota vulgo eſt, dubito tamen, an intelligatur recte: quis enim concoquere potuit, an ſatis defendere, ut contractus diceretur obligatio. Ego animadverti, non de contractu negotii ſenſiſſe, nec locutum eſſe Labeonem, ſed de contracto negotio: nam verba praetoria enarrabat (quae in edictis frequentia ſunt) *quod actum, contractum, geſtum eſſe dicetur:* igitur contractum eſſe negotium tum dici Labeo interpretatur, cum ultro citroque obligatio eſt. Denique, ut priorem differentiam concludam, quantum a paciſcente diſtat pactus, itidem, ut a ſtipulante ſtipulatus, ut a ſpondente ſponſus, id a pactione differt pactum. In illis iter eſt; in his meta. Atque haec quidem prima diſtinctio ex verborum proprietate.

VIII. Sequens differentia (quam magis ex uſu obſervari ſupra dixi) inter pactionem & pactum ea eſt, quae inter genus & ſpeciem. Pactio genus eſt, ejus ſpecies pactum & contractus. Pacti verbum ſemper ſpeciale eſt, non generale; pactionis generale. Verum (quod valde notari velim) ita generale eſt, ut ea ipſa ratione, quia generale eſt, ſpecialiter plerumque uſurpari videatur; ut ecce: conventionum ſeu pactionum pleraeque in proprium & aliud nomen transeunt; quaedam in generali nomine manent. Illae ſpeciali quidem nomine contractus dicuntur, attamen ſub verbo generali pactionum etiam continentur; hae ſpeciali nomine pacta dicuntur: ſed, quoniam in aliud & ἰδικὸν nomen non transeunt, generali illo verbo pactiones & conventiones appellantur, idcirco, quia nihil ſunt aliud, quam pactiones & conventiones. Haec noſtra definitio eſt. Vulgaris non pactionem modo, ſed & pactum nomen generis ſtatuit, cui etiam contractus velut ſpecies ſubſit; denique utrumque vocabulum pactionis & pacti aeque late patere. Utrum horum verius ſit, experiamur. Primum ajo, pactum ſpeciem eſſe pactionis: deinde nego, pacti ſpeciem eſſe contractum. Prius iſtud ex eo oſtendam, quod a pactione pactum appellatum eſt: nam ea ratione dicam, pactionem eſſe genus pacti. Id autem quo modo? eodem modo, quo teſtamenti genus dixerunt: idem enim haec tria ſignificant: *mens, voluntas, judicium*, & illa *teſtatio, ſententia, conteſtatio.* Rurſus damnum ab ademtione & quaſi deminutione patrimonii dictum eſſe, Paulus ſcripſit *c.* 3. *D. de damn. inf.* Atqui ademtio ſeu deminutio genus eſt damni: nam deminutio juſta eſſe poteſt patrimonii; veluti, cum dotis, quod patrimonium mulieris eſt, ipſo jure fit deminutio, *c.* 5. *D. de imp. in res dot. fact.* at damnum deminutio eſt patrimonii, quae injuria fit *c.* 151. *D. de reg. jur.* a quo non abludit, quod Aſcon. notat in *Div. Modo deductio diſpendium ſignificat, alias deductio imminutio eſt etiam juſta.* Ipſe Cic. *in ea Orat. Hic tu, ſi laeſum te a Verre eſſe dices, patiar & concedam: ſi injuriam tibi factam quereris: defendam & negabo.* Ad quem locum iterum Aſcon. *injuria ſemper injuſta eſt; laedi etiam aliquis juſte poteſt: nam & qui jure damnantur laeduntur, ſed non injuria.* Accedat huic argumento etiam aliud ex hypotheſi eorum, qui pacti genus faciunt conventionem: iſtos enim apparet nihil re ipſa aliud conſtituere, quam conventi genus eſſe conventionem; quoniam idem eſt conventum, quod pactum. At ea re omnino efficitur etiam pactionem genus eſſe pacti. Sed in contrarium ſolet objici *cap.* 3. *D. de pollicit.* quo loco Ulp. iiſdem verbis pactum definivit, quibus *h. c.* pactionem: idem igitur utrumque eſſe & aeque latum. Ego vero reſpondeo, ita definitionem pactionis convenire pacto, ut definitio animalis homini, id eſt, generis ſpeciei. Deinde ajunt, in *c.* 7. §. 4. & *ſeq.* Ulp. pactionis & pacti verbis promiſcue uti. At quomodo promiſcue? non ita ſane, ut pacti verbum tam pateat late, quam pactionis; ſed ut pactionis ſignificatio reſtringatur ad ſignificationem pacti, id eſt, ut pactum ſignificet nudum, quia nihil eſt aliud, quam pactio. Quo eodem modo conventio pro pacto uſurpari ſolet, & exceptio conventionis non minus frequenter dici, quam pacti. Res eſt facilis & plana. Nunc illud videamus, an pacti ſpecies ſit contractus; quod qui affirmant, ſic argutantur mirabiliter: Pactum eſt duorum in idem placitum conſenſus; etiam contractus eſt duorum in idem placitum conſenſus. At contractus neque idem eſt quod pactum, neque genus pacti; relinquitur adeo neceſſarie, ſpeciem eſſe pacti. Valde belle! ut ſi quis dicat: pecus eſt corpus animatum ſentiens; etiam homo eſt corpus animatum ſentiens: at pecus neque idem eſt, quod homo, neque genus hominis; neceſſe igitur eſt, pecudem hominis eſſe ſpeciem. Quaſi definitio generis non conveniat ſpeciebus, ei generi ſubjectis. Pactio genus eſt; ejus ſpecies pactum & contractus: pactum eſt duorum pluriumve in idem placitum conſenſus. Haec definitio pacto etiam tribuitur ab Ulp. *c.* 3. *D. de pollicit.* & contractui a Marciano *c.* 31. *D. de oblig. & action.* quo loco contractum definit rem, quae ex duorum pluriumve conſenſu agitur. Et Theoph. *tit. de Obligat.* Animal genus eſt; ſpecies ejus homo, pecus: homo eſt corpus animatum ſentiens; pecus eſt corpus animatum ſentiens. An cavillamur? an vero, quemadmodum haec collectio demonſtrat, & hominem & pecudem eſſe animal, non ſimiliter illa oſtendit, & pactum & contractum eſſe pactionem? Quo jam ipſo argumento non mediocriter noſtra definitio confirmatur. Quae in contrarium objiciuntur multa legum capita, quibus pacti verbum etiam de contractibus uſurpari videatur, diſputandi ſimul & temporis cauſa nunc quidem non attingam: daturus etiam cetera alias, cum res feret.

F I N I S.

LUDO-

Digitized by Google

LUDOVICI CHARONDAE JCti

Et in Supremo Francorum Senatu Advocati;

ΠΕΙΘΑΝΩΝ;

SEU

VERISIMILIUM

LIBRI TRES:

In quibus multa Juris Civilis loca docte explicantur: atque nonnullorum, quae invicem diffidere videbantur, erudita traditur Conciliatio.

EJUSDEM

Ad Titulum *D. de Verborum obligatione* Scholia,

ET

De Jurisdictione & Imperio Libellus.

Digitized by Google

LUDOV. CHARONDAS

S. D.

SI poſſem agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt, imitari (Clariſſime Senator) infinita tua in me beneficia majore menſura reddere conarer. Sed tanta eſt tuarum facultatum magnitudo, tui ingenii excellentia, tuae dignitatis ſplendor, ut mea inopia, imbecillitas, meique nominis obſcuritas, largiri, excogitare, publicare quidquam nequeat, quod parem illis tuis beneficiis gratiam referat. Quamvis enim eruditione, judicio, authoritate, virtute, & perfecta ſolidaque gloria inter excellentiſſimos Ordinis Senatorii praeſides reluceas: mihi tamen indigno certe, tanta beneficentia tamque familiari benignitate gratificatus es atque profuiſti, ut me tibi obnoxium, ſemperque addictum profitear. Primum enim virtutis, quae me tibi ſola obſtrinxerat, vinculum firmum adeo & arctum erat, ut nihil mihi antiquius, nihilque optabilius eſſet, quam te unum colere, ſuſpicere, & admirari. Nihil eſt ſiquidem (ut praeclare ſcribit Cicero *de Nat. Deor. lib.* 1. *cap.* 44) amabilius virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum: quippe cum propter virtutem & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, vel quibus cum loquuti non ſumus, quodam modo diligamus. Hoc autem arctius vinculum, quod me tibi officiorum provocatione ligat, tantum eſſe judico, ut ſi tua ſplendidior clariorque dignitas reddi ſibi beneficium vellet: tibi nullo unquam modo ſatisfacere poſſem, ingratusque perpetuo haberer. Illius vero firma ſempiternaque memoria menti meae ſemper inhaerebit, certam meae erga te obſervantiae ſignificationem edens: cujus erit pignus hoc leve munuſculum, quod tibi dicatum aequo ac libenti animo accipies. Vale. Ex aedibus paternis Lutetiae Pariſiorum. 1553.

Ad eundem Illuſtriſſimum Prudentiſſimumque Praeſidem,

JACOBUM LIGNERIUM.

Ejusdem

CHARONDAE

De reſtituenda & in artem redigenda Jurisprudentia,

PRAEFATIO.

MIrari ſatis non poſſum (Illuſtriſſime Praeſes) qui factum ſit, ut juris ſcientia, quae legitima dicitur, nulla artis lege & ratione tradi potuerit: cum ejus finis ſit humanam ſocietatem continere, & tranquillam vitae communitatem ſervare: aliae vero artes in naturae obſcuritate, in diſſerendi ſubtilitate, vel in dicendi facultate verſentur; in quibus infinitae ſunt hominum otioſorum indagationes, quae nihil aut parum humanis neceſſitatibus adjumenti adferunt: ut non ineleganter divinus ille Plato, eam veram eſſe philoſophiam dixerit, quae in hominum vita & moribus tota eſt. Mihi autem, cogitanti & aliarum artium originem

ac

Digitized by Google

inſcitiam imbecillitatemque potius, quam certam atque ſibi perpetuo conſentientem legis rationem accuſabit. Multi namque errores, opinionumque perverſitates, mentis (ut ita dicam) perſtringunt oculos. Omnis autem juris atque legis fons ipſa eſt natura. Et cum multa ſint in aliis artibus & gravia & utilia accurate copioſeque a Doctiſſimis Viris diſputata; latius patere videntur ea, quae de legibus tradita a Jureconſultis & praecepta ſunt. Nulla enim vitae pars neque publicis, neque privatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, lege vacare poteſt: in eaque colenda ſita vitae eſt honeſtas omnis, & in negligenda turpitudo. Nam (ut magnus ille philoſophus & orator M. Tullius Cicero Lib. 1. de Legib. cap. 12. *ſcribit*) ſi quomodo natura, ſic judicio homines, humani, ut ait poëta, nihil a ſe alienum putarent, coleretur jus aeque ab omnibus. Quibus enim ratio a natura data eſt, iisdem & recta ratio data eſt, ergo & lex, quae eſt recta ratio in jubendo & vetando. Si lex, jus quoque; at omnibus ratio: jus igitur datum eſt omnibus. *Et certe ſi quis hujus ſcientiae ortum ac progreſſum ab omni antiquitate repetere voluerit: eam non inventam neque excogitatam, ſed cum ipſa natura natam, & omnium hominum mentibus inſitam exiſtimabit. Nam ſilveſtres & inculti homines, inventis ſtatim verbis, quibus voces mentisque ſenſa notarent ac exprimerent, ut tandem propter glandem atque ſedes ferarum more pugnare deſinerent, leges quasdam inter ſe tulerunt, quibus ad politiorem civilioremque vitam ſeſe converterunt, oppida munire coeperunt, publica a privatis diſtinguere, negotiari & permutare. Unde per omnes populos peragravit juſtitia, & ſuos igniculos cujusque animo ingeneravit: ut nulla ſit tam barbara gens, nulla tam fera natio, quae non habeat inſtituta ſua aliqua, ad quorum obſervationem non mediocriter inflammetur. Quin etiam leges latronum eſſe dicuntur, quibus pareant, quas obſervent. Quod quidem facere nequirent, ſi nullus juris ſtimulus eos excitaret. Haec igitur ſcientia originem habet a natura: deinde doctrina confirmata eſt. Inventi enim ſunt Prudentes, qui infirmam adhuc & imbecillem juris peritiam, utilibus ſuis ſanctionibus, legibus, placitis, edictis, opinionibus, ſententiis, reſponſis auxerunt. Sic autem quisque eam tractabat, ut hanc illius tantum partem explicaret, quam ad ejus civitatis, cujus gubernacula ſuſceperat, adminiſtrationem pertinere exiſtimabat, aut de qua conſulebatur, aut ingenio ſuo adſequi, vel memoria comprehendere poterat. Nullus autem erat, qui certam artificioſe doctrinam ſcriberet, vel totum jus complecteretur: niſi quis Ciceronem & C. Julium Caeſarem idipſum tentaſſe dicat, aut veterum Juriſconſultorum inſtitutiones, digeſta, pandectas, & maxime edicti praetorii factam a Juliano compoſitionem, caeterosque illius generis libros totum jus comprehendiſſe ſentiat: eosque magis exoptet, quam haec abſciſſa & mutila veteris jurisprudentiae fragmenta, quae ſic a Triboniano diſpoſita ſunt, ut nullus ſit, qui non ea legens, integrorum voluminum jacturam graviter moleſteque ferat. Non eſt tamen privandus ſua laude Tribonianus. Nam cum infiniti eſſent & verboſi commentarii, in quibus eaedem ſaepius juris ſententiae repeterentur, & contariae multae legerentur; non temere ac inutiliter omnia Prudentum ſcripta in unam reducere conſonantiam tentavit: ſed ea quoque nobis relinquere debuit, ut, ſi tanquam leges obtinere non poſſent, ad interpretationem certe valerent. Nec enim tot tantosque labores in ſuis oſtentandis lectionibus, quas apparatus appellant, interpretes ſuſcepiſſent: faciliusque ex integris JCtorum libris hanc artem colligere fuiſſet. Nec enim ullus illorum eam diſerte tractavit, ut nec etiam recentiores noſtri juris Profeſſores: quorum ſententias hoc loco referre non ſtatui, ſed meam duntaxat breviter explicare. Itaque ex praeceptionum obſervationibus ſic conſtari & componi artem poſſe arbitror, ut doctrina, qua de agitur, primum definiatur; tum in ſuas formas aut partes diſtribuatur. Sed in dividendo tota difficultas verſatur: eas enim ſpecies conſtituere oportet, quae propriam ipſius doctrinae naturam explicent. Ita ego cum jurisprudentiam artem eſſe de jure reſpondendi dixiſſem; reſponſorumque appellatione, Prudentum ſententias, opiniones, interpretationes, conſulta, cautiones, omnia denique placita cum Cicerone, Pomponio, Juſtiniano, aliisque probatis Authoribus interpretatus eſſem: tum duas in partes hanc doctrinam diſtribui, in juris vim, & reſponſum. His enim tota jurisprudentiae natura exprimitur: nec quidquam de jurisprudentia dici poteſt, quod ad haec duo capita referri non poſſit. Vis autem juris (ut Hermogeniano placuit) in acquirendo, in conſervando, aut in minuendo verſatur. Sed & dominia & obligationes aut acquiruntur, aut conſervantur, aut amittuntur. Atque haec ad perſonas, res & actiones pertinent. Ad eas enim omnis acquiſitio, conſervatio, aut amiſſio reſpicit. Eſt namque jus aliquod perſonarum; cum earum ſint dominia & obliga-*

Digitized by Google

ſumus. Et ita hanc artem tractare volumus, ut nihil a novis diceretur, quod non in juris authorum libris inveniretur: eandemque noſtra lingua ſcribere inſtituimus. Sed hanc ornatiorem edemus: atque tuae clariſſimae, honeſtiſſimae, pudiciſſimae, omniumque diſciplinarum ingenuis beneque natis feminis dignarum peritia excellentiſſimae filiae (ſi tibi placeat) dicabimus. Nam praeter Latinorum Graecorumque Juriſconſultorum ſententias, noſtrorum Regum atque Senatus conſtitutiones, placita & conſulta adjiciemus. Et illa quidem ratione totam jurisprudentiae artem tractari poſſe conſtat, quam ſcholaſticis interpretibus in mentem veniſſe optarem. Illi enim, non veram, ſed ſimulatam philoſophiam affectantes, ſuis potius commentis inſervire, & incognita pro cognitis habere, ipſisque temere aſſentiri voluerunt, quam id, quod ab ipſis Jureconſultis naturalem aequitatem ut optimam ducem ſequentibus ſcriptum erat, approbare. Ex quo homines imperiti novam (proh dolor) juris, vel potius iniquitatis artem confinxerunt. Quos etiam ex recentioribus interpretibus plerique imitantur, & tamen impudenter ſibi Juriſconſulti nomen tribuunt & arrogant. Sed hos modeſtius ferendos eſſe arbitror. Nam cum hoc tempore ſoli aeſtimentur, ſoli prudentes habeantur, ſoli ſapere videantur illi, qui multis opibus fortunisque ſuperbi, omnes in ſui admirationem trahere conantur, qui ad ſummos honores pervenerunt, qui ſuam oſtentare, ſplendidisque & arrogantibus verbis jactare ſcientiam, ut multitudini placeant, poſſunt: excuſandi quidem ſunt illi, qui tempori & loco ſerviunt: id enim ſapientis (ut inquit Cicero) ſemper eſt habitum. De iis autem non loquor, qui vere Jureconſulti ſunt, & qui ſepultam ac pene extinctam jurisprudentiam erigere, ac ſuae integritati reſtituere & poſſunt & volunt: quales multos Biturigum Academia alere ſolet, & veſter quoque Senatus. Multos enim ſcio veteribus Romanis Senatoribus comparandos, vel etiam praeferendos, & inter caeteros Andream Tiraquellum, Michaëlem Hoſpitalium, Joannem Odoardum, & Antonium Sennetonium, praeclara veſtri ordinis ornamenta: quibus cum ſi caeteri eruditione, judicio, & morum gravitate contenderent, perfectior, nobilior, excellentiorque Senatus ab orbe condito nullus inveniretur. Praetermiſeram doctiſſimum illum, omnibusque gratiſſimum Ludovicum Mommirellium: cui tanquam alteri patri ſtrictiſſime addictus ſum. Sed (ut ad me revertar) in jurisprudentia ea arte componenda elaborans, in multas incidi quaeſtiones, quas continuum noſtri tractatus progreſſum interrumpere poſſe cognovi. Ideoque earum pleraſque ſic collegi, ut quae in interpretatione magis verſarentur, ſcholiis illuſtrarem; quae vero longiorem diſputationem conſultationemque requirerent, ſub quaeſtionum titulo emitterem. Illius autem generis adnotationum libros octo ſcripſi, quos, Labeonem jureconſultum ſequutus, Πιθανῶν ſeu veriſimilium titulo inſcripſi. In tanta enim opinionum confuſione, & quadam velut perturbatione, ſi quid dicatur, quod veritatis ſpeciem prae ſe ferat, probandum eſt. Neque ego ita meis ſcriptis blandior, ut iis tantum authoritatis tribuendum exiſtimem, atque veſtris placitis conſultisque, quae tanquam firma certaque oracula ὡς ἐκ τρίποδος eduntur. Has vero noſtras exercitationes rejicient forte Doctores ſcholaſtici, quod meas inventiones ſplendidis & apparentibus titulis eorum more non oſtentem nec extollam. Futiles enim iſti indoctique homines, ſi nunc hallucinari Bartolum, nunc ſe novas opiniones tradere dicant: nihil ſibi deeſſe putant ad magnum JCti nomen adſequendum, ut Caecilius, ſi ex vetere aliqua oratione Jovem Optimum Maximum, aut quid ſimile didiciſſet, perfectus ſibi orator videbatur. Fateor equidem nullas contra juris authorum ſententiam opiniones, ideoque nec novas, nec ipſis inauditas effinxiſſe, ſed veras & antiquas, noſtris quidem interpretibus non ſatis cognitas reſtituiſſe: quas ſi quis ideo novas appellare velit, quod ipſius Labeonis exemplo, in iis, quae mihi tradita fuerunt, perſeverare nequeam: ei facile concedam, me plurima innovaſſe, nec ex gloſſis, ſed ex noſtris Jureconſultis, quicquid id eſt, quod ſtudioſe collegi, didiciſſe. Quamobrem cum te unum Rex noſter elegerit, ut nobiliſſimo Senatorum coetui praeeſſes; & te gravibus multis quaeſtionibus extra ordinem decretis praefecerit: cui potius, quam tibi, prudentiſſimo Cenſori, haec mea ſcripta offeram, nullum invenire nec poſſum, nec cupio. Verum meis laboribus & vigiliis majus reportaſſe praemium me exiſtimabo, ſi tibi magnis, publicisque occupationibus per otium relaxato, ea legere placuerit.

LUDO.

VERISIMILIUM
LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De jure naturali, gentium & civili, ad Titulum primum Pandectarum.

Ad leg. primam.

JUri operam daturum prius noſſe oportet, unde juris nomen deſcendat.* Ut enim primum philoſophi, qui in naturae obſcuritate verſantur, ex quibus principiis unaquaeque res proficiſcatur, indagant: ita neceſſe eſt, eum, qui ad juris peritiam omne ſuum ſtudium, omnem operam & induſtriam conferre velit, principio juris fontes ſcrutari. Eſt autem jus a juſtitia appellatum; atque ex juſtitiae fontibus manat: ut falſum eſſe apud Ciceronem Scipio contendat, refert Aur. Auguſt. *lib.* 19. *de civitate dei cap.* 21. quod a quibuſdam non recte ſentientibus dici ſolet, id jus eſſe, quod ei, qui plus poteſt, utile eſt. Et haec quidem Ulpiani verba ad regulas Grammaticorum exigenda non ſunt: nec enim is notationem & verbi etymologiam explicat, ut otioſa videatur diſputatio, an jure prior ſit juſtitia; nec utilior ea, quae de ovo & gallina apud Cenſorinum tractatur. Et certe neminem philoſophorum, qui recte de moribus ſcripſerit, eſſe ſcio, qui non jus a juſtitia manare, eamque in omnibus juris partibus obſervari debere ſenſerit. Haec enim continet & amplectitur quicquid ad humanam ſocietatem, & vitae quaſi communitatem pertinet, Ariſtot. *lib.* 5. *Ethic.* Ea ſuum cuique tribui docet; atque, ut patriae & parentibus pareamus, ut fidem in pactis, transactionibus, ſtipulationibus, commodato, depoſito, & in omnibus omnino contractibus ſervemus, jubet.

Ad verſ. Jus eſt ars. 1.

Artem pro praeceptorum collectione Philoſophi accipiunt; quorum rationem ſequutos eſſe Prudentes non exiſtimo: cum de jure conſulti nulla traderent praecepta, ex quibus artificioſe ars componeretur; bonum tamen & aequum profiterentur. Quamvis non ignorem, ex libris Juriſconſultorum artem ipſam colligi poſſe, non minus quam bene dicendi artem ex oratorum libris collegerunt veteres, & nos ex geometricis elementis aliiſque Mathematicorum libris eam ſcientiam, quae in magnitudinum dimenſione conſiſtit, in artem redigere ſtudemus. Et ipſum quidem jus illud eſt, circa quod ars verſatur; ut jurisprudentia, doctrina vel ars dici potius videatur. Quae licet cum philoſophia commune id habeat, ut ipſa divinarum & humanarum rerum notitiam profiteatur & ſuſcipiat, definiri tamen poteſt doctrina bene & ad factum appoſite, de jure reſpondendi. In qua artificioſe colligenda elaborant omnes; nullus promoviſſe aliquid videtur. Hic igitur artem pro notitia & cognitione accipiemus: ut etiam ipſe interpretatur Ulpianus. Bonum autem & aequum ſemper uſurpatum eſſe non apud Juriſconſultos ſolum, ſed apud Philoſophos & Oratores etiam pro juſto ac honeſto legimus; nunquam vero pro eo, quod ad vitae commoditatem jucunditatemque, ad facultates rerum atque copias pertinet. Atque ita haec verba explicat Juriſconſultus, cum ait: *Juſtitiam namque colimus, boni & aequi notitiam profitemur.*

Ad verſ. hujus ſtudii. 2.

Hoc ſtudium, quod juri operam daturus ſuſcipit, in duabus theſibus totum eſt: aut enim in jure publico, aut privato ponitur. Publicum autem jus ex civilibus praeceptis collectum eſt: illud enim ipſum unaquaeque civitas ad continendam publicam utilitatem, ſuumque ſtatum conſervandum conſtituit.

Ad verſ. Privatum jus.

Cum de juris ſtudio agimus, ipſum jus, de quo Conſulti reſpondent prudentes, intelligimus, quod populi Romani jus appellatur: nam, ſecundum Salvii Juliani ſcripturam, debent omnes civitates (ut ſcribit Imperator *in prima conſtitut.*) conſuetudinem Romae ſequi, quae caput eſt orbis terrarum. Hoc autem jus collectum eſt & compoſitum ex praeceptis naturalibus, gentium & civilibus, id eſt, iis, quae vel natura, vel gentium conſenſus, vel civitatis mores conſtituerunt. Non eſt igitur curioſe inquirendum, quomodo jus naturale ars boni & aequi dicatur, cum ea diſtinctio tria haec capita, non ut formas ejus juris, cui operam daturus eſt aliquis, contineat, ſed ut ex quibus ipſum jus conflatum eſt: nam & ex jure naturali quaedam honeſtatis ſpecies colligitur. Omni enim animantium generi innatus eſt conjunctionis, & eorum, quae procreata ſunt educationis appetitus: qui cum hominibus etiam inſit, non immoderatus, ſed naturalis intelligendus eſt. Hoc autem naturae praeceptum *jus* quoque *naturale* dicimus; quod non ſolum humani generis proprium eſt, ſed omnium etiam animalium, quae in terra, quae in coelo, marique naſcuntur. Neque iis aſſentimur, qui jus naturale definiri ſentiunt, quod hominem facere vel non facere jubet natura: quamvis enim ex ſenſu & naturali voluptate quicquid proficiſcitur, hujus non ſit juris; ea tamen vis animantibus principio innata, qua ſubſiſtunt, & ſe, vitam corpuſque tuentur, atque ſuum genus conſervant, naturae jus dicitur: quod id ipſum omnia animalia natura docuerit. Neque exemplum maris & feminae conjunctionis (quam matrimonium appellant) ab Ulpiano propoſitum adeo definitionem reſtringit, ut de eo tantum jure intelligatur, quod ex communi ſenſu profectum humana probavit ratio. Satis enim conſtat hujusmodi interpretationem a Juriſconſulti mente alienam eſſe. Sed ut ingenue, quod ſentio, fatear; minus proprie belluis (quae tantum quantum ſenſu moventur, ad id, quod adeſt, quodque praeſens eſt, ſeſe accommodant, rationis omnino expertes) juris nomen convenire videtur. Generalius autem ab Ulpiano aliiſque Juriſconſultis ipſum uſurpari exiſtimo, ut etiam dicatur juſſus atque inſtinctus naturae, quo omnia animantia ad ſui corporis, & ex ſe procreatorum tutelam aliaque hujus juris praecepta excitantur: *Jus* enim a *jubendo* ductum videtur. Illud autem eſt jus gentium, quo

Digitized by Google

ipſum natura omnia animalia docuerit, aut quia omnium ſit gentium, cum reliquis animantibus commune: ſed quia (meo judicio) humanae gentes naturali ratione, & melioris diviniorisque naturae quodam praecepto atque uno conſenſu & eadem ſententia, ad ſui conſervationem, ipſum inter ſe conſtituerunt; quod non opinio genuit, ſed certa quaedam ſcientia: ideoque ex utilitatis ratione aut perſpicua aut obſcura nobis in conſuetudinem venit, ab ipſisque hominibus authoritatem accepit. Licet enim ſervitus, contra naturam (quae liberos omnes procreat) introducta ſit; non tamen ſine ulla naturali ratione: cum alios dominari, alios parere conveniat: ſitque imperantis, & ejus, qui paret, naturalis conjunctio ſalutis cauſa conſtituta. Nam & corpus animi imperio regi, & eos, quibus natura vim ad proſpiciendum conſulendumque aliis tribuit, praeeſſe ac imperare; eos vero, qui corporis viribus ad exequenda conſilii mandata valent, parere & ſervire oportet, quod certe vel ipſa nos jubet natura. Ariſtotel. *lib. 1. politic.* Non eſt igitur mirum, ſi non ſolum juris Authores, ſed etiam alii magni nominis viri nunc jus gentium, nunc jus naturale dicant, ut Martianus lib. 3. Inſtitut. *l. 2. & 4. D. de rer. diviſ.* & Paulus *l. penult. infra hoc titul. §. Sed naturalia. 11. Inſt. de jur. nat. gent. & civil.* qui ipſum ſemper aequum & bonum appellat, atque caeteri cum de obligandis natura ſervis & pupillis agunt. Quem enim natura obnoxium dicimus, qui juris gentium vinculo ad dandum faciendumve obſtringitur, *l. Cum amplius. 84. §. Is natura. 1. D. de reg. jur.* ſive ea obligatio naturali tantum aequitate nitatur, vel ex nuda veniat pactione, ſive ex iis conventionibus, quas juris gentium appellamus. Quae enim ex illa vi, quam natura omnibus animantibus tribuit, naſci obligatio poteſt? Sed quid multis? Theophilus, Graecus paraphraſtes, nunc jus gentium per abuſionem vocari jus naturale dicit; nunc hos jus, quod civili antiquius eſſe conſtat, una cum humano genere in lucem a natura productum eſſe ſcribit, *tit. de jur. nat. gent. & civil. & tit. de rer. diviſ.* Atque Pomponius, *l. 2. hoc titul.* erga Deum religionem, utque parentibus & patriae pareamus (ad quorum obſervationem ipſa nos procreaſſe natura videtur) juris gentium eſſe dicit.

Ad leg. 3.

Vitae corporisque defenſionem, omnibus animantibus conceſſam, juris eſſe naturalis conſtat. Tuendae autem hominum ſocietatis gratia, receptam quodam uſu injuriae propulſionem vindicationemque, juris gentium dicimus. Et certe nullo rationis vinculo conjunguntur belluae, ſed ſolo naturali inſtinctu declinant ea, quae nocitura ſunt, deſiderio naturali (quod etiam iis rebus, quae terra eduntur, ineſt) ſibi ſimile procreant, illudque ſua quadam opera & induſtria conſervant. Homines vero, ſocietatis & communionis gratia nati, ad coetus & congregationes apti, Ariſt. *Pol. lib.* 1. ut alterum alteri inſidiari nefas eſſe judicant; ita juſtum eſſe injuriam propulſare, atque illatam ulciſci ducunt, Cic. *lib.* 1. *Offic. cap.* 7. ideoque Cajus lib 7. ad edictum provinciale, *l. Itaque 4. D. ad Leg. Aquil.* & Cic. *pro Mil. cap.* 2. ſcribit *adverſus periculum naturalem rationem permittere ſe defendere.* Hanc vero, gentium conſenſu in mores perductam, ſui defenſionem ſi cum moderatione, legibus praeſcripta, ſpectes, ea non juris gentium ſed civilis erit, quoniam certa forma a lege comprobata ſit, *l. 2. C. unde vi.* Et quidem Paulus, *l. ſcientiam 45. §. 4. D. ad legem Aquil.* cum dixiſſet, *vim vi defendere* ferre probabile non eſt, ſed ad jus gentium, quod hominibus poſitum eſt: quamvis permultos ita ſenſiſſe non ignoro. Verum noſtra ſententia ex iis verbis praeclare (ni fallor) confirmatur: & cum inter nos cognationem quandam natura conſtituerit, conſequens eſt, hominem homini inſidiari nefas eſſe. Nec eos naturae nomen movere debebat, cum haec ipſa ſocietas, & vitae quaſi communitas, naturali ratione ac quodam jure conſtet, atque naturae nomen non una ſignificatione uſurpetur, nec ſemper jus illud, quod ex vi & inſtinctu omnibus animalibus innato venit, ſignificet.

Ad leg. 4.

Ex eo jus gentium a naturali recedere conſtat, quia omnibus alterum animalibus; alterum ſolis hominibus commune ſit. Et gentium quidem jus unum eſt, optima ratione conſtitutum, naturae in quibuſdam contrarium; ut in ſervitutum conſtitutione: eam enim, natura incognitam, hominum conſenſus ex utilitate induxit, cum vis facultaſque ipſis innata conſervari aliter non potuiſſet, ut ſupra diximus. Quamobrem ea naturae juris diſtinctio mihi non placet, qua tranſire aliud in jus gentium, aliud in ſuo nomine ſtare, ſine ulla Juriſconſultorum authoritate, traditur. Jus enim naturae unum idemque eſt, commune nihil cum jure gentium habens; ſed diſtincta omnino ſeparataque praecepta, quae tota ex inſtinctu naturali pendent. Jus autem gentium recta ratione & meliori naturae conſentiente, atque coeleſti (ut eſt apud Ciceronem) lege, ſive *divina quadam* (uti Imperator ſcribit *§. Sed naturalia, 11. Inſt. de jur. nat. gent. & civil.*) *providentia conſtitutum eſt.* Ideoque naturale etiam (ut ſaepius a nobis repetitum eſt) dicitur.

Ad leg. 5.

Quae ex hoc jure gentium (quo de agimus) introducta ſint, explicat Hermogenianus. Et haec quidem exempla ejuſdem ſunt cum religione, pietate, & vindicta generis, atque naturali ratione, cui hominum acceſſit authoritas, conſtituta. Aliud autem de communi omnium libertate dicendum quis ignorat? cum omnes omnino aequales, ejuſdemque conditionis natura homines procrearit, interque ipſos ut inter caetera nihil differentiae animalia conſtituerit. Quaeſtionis eſt, cum apud innumeras gentes (ut ex Hiſpanorum navigationibus relatum eſt) ſolus ſit permutationis uſus: atque pretium in emendo vendendoque neceſſarium ſit, ut, eo non interveniente, contractus emptionis celebrari nequeat, *§. Pretium. 1. Inſt. de empt. & l. 2. D. de contrah. empt.* inventionem vero nummorum Aeginetis plerique tribuant; qui ex jure gentium introductas hujuſmodi conventiones Hermogenianus ſcripſerit. Non ignoro, quoſdam emptionem pro permutatione hic accipere. Sed verius eſt, ut dicamus cum Paulo *l. 1. D. de contrah. empt.* emendi vendendique originem a permutatione coepiſſe. Quamvis autem omnes gentes emptionis contractum celebrare non conſueverint, a quibuſdamque populis primum ille introductus ſit; non minus tamen juris gentium videtur: nam ab ipſis tantum hominibus, non autem a caeteris animantibus celebratur; nec unius ſolum ejuſdemque eſt civitatis aut populi (licet apud omnes pleraeque gentes non cuſtodiatur) ut a majori parte totum nomen accipiat. Primam igitur inſtitutionem adeoque ipſam originem non inſpiciamus, a quibus ſcilicet populis contractuum quisque in mores venerit, ſed ipſarum praeterea gen-

tium

Digitized by Google

exceptis quibuſdam, quae a jure civili introductae ſunt, reſpondit Harmogenianus: cujus adeo mihi placet ſententia, ut ex eo jure naturali, quod vetuſtius plerique appellant, nullam omnino naſci obligationem crediderim; quod jam a nobis probatum eſt. Cujuscunque ergo generis obligatio ſit, quae vel ex legitimis non deſcendat cauſis, vel certo jure civili confirmata non ſit, vel ex Praetorum juriſdictione non proficiſcatur, eam juris gentium eſſe arbitror, ſive ad faciendum duntaxat officium obliget, ſolaque naturali aequitate ſuſtineatur, & ex aequo ac bono veniat; ſive ex hominum authoritate, & quadam gentium conſuetudine proficiſcatur; ſive ex nuda pactione, quae ſolo nititur conſenſu; ſive ex ea conventione, quam proprie contractum appellant, oriatur. Naturalis tamen ſaepius hujuſmodi dicitur obligatio, *l. Naturalis* 10. *D. de oblig. & act. aliisque ſim* quia, ut ipſum jus gentium, naturali ratione & quadam lege introducta eſt: nam eum, qui fidem alteri dat, ſeſe aliquid daturum vel facturum, natura obligari reſponſum eſt, *l. Cum amplius* 84. *D. de reg. jur.* Obſervandum vero naturali ratione fidem homines didicerunt, ne jus humanae ſocietatis violaretur. Sed ea belluis (quas omnes natura rationis expertes procreavit) nullo modo convenit. Memini tamen, Tryphoninum videri naturalis obligationis originem ad jus naturale, non gentium, referre: nam ſcribit *l. Si quod.* 64. *D. de condict. indeb. Ut enim libertas naturali jure continetur, & dominatio ex jure gentium introducta eſt: ita debiti vel non debiti ratio in condictione naturaliter intelligenda eſt.* Verum haec verba eam recipiunt interpretationem, ut in omnibus his obligationibus ad naturalem libertatem reſpiciamus. Et certe non ex communi omnium gentium jure ſervis interdicta ſunt commercia, ſed ipſi, quod attinet ad jus civile, pro nullis habentur, *l. quod attinet.* 32. *D. de reg. jur.* Sed & ipſe Tryphoninus de bona fide, quae in contractibus exigitur, diſputans, indifferenter *juris naturalis* & *gentium* verbis utitur, *l. Bona fides* 31. *D. depoſit.* Atque quod caeteri Juriſconſulti indebitum natura, naturali jure vel naturaliter dixerunt, Celſus in eandem ſententiam *jure gentium* ſcripſit, *l. indebitam.* 47. *D. de cond. indeb.* ut non ſine ratione dicere quis poſſit, vel Juriſconſultos horum verborum differentiam curioſe non obſervaſſe, vel alios aliter juris diſtinctionem tradidiſſe: nam & videtur Cajus *l. Omnes populi.* 9. *hoc tit. l.* 1. *D. de acquir. rer. domin.* in duo tantum genera jus diducere; in gentium jus, & civile.

Ad leg. 6.

Principio vim inſtinctumque natura omni animantium generi tribuit, ut conjunctionis appetitum procreandi cauſa, qui omnibus communis eſt animalibus. Deinde gentium conſtitutiones ſequutae ſunt, quae ex utilitatis ratione aut perſpicua aut obſcura nobis, in conſuetudinem venerunt; atque ex iis jus gentium introductum eſt, ſolis hominibus commune: quod, in totum a naturali minime recedens, nonnulla, quae ab illo antiquo jure profecta ſunt, aluit, & uſu comprobavit, ut maris & feminae conjunctionem (quam matrimonium appellamus) generis conſervandi, & ſocietatis continendae gratia homines approbarunt. Poſtremo ad fundandum reipublicae ſtatum quisque ſibi populus jura conſtituit: nam qui, optime in repub. verſati, caeteris uſu & prudentia praeſtant, jus ſuum cuique... enim omnia, quae vel natura inſeruit, vel gentium approbavit conſenſus, leges ita ſanciunt, ut ſi contra fiat, judicium inſtituatur; ſed multa juris civilis auxilio deſtituta remanſere. Quare naturalem ſemper aequitatem rationemque leges imitantur; ſed etiam bono publico maxime inſerviunt. Eſt ergo *jus civile* cujusque civitatis proprium, *quod ex legibus, plebiſcitis, ſenatusconſultis, decretis principum, authoritate prudentium venit*: qua Papinianus definitione jus praetorium (quod minime praetermiſit Juſtinianus §. 3. *verſ. Scriptum. Inſt de jur. nat. gent. & civil.*) complexus non eſt. Ipſum enim juris civilis adjuvandi, vel ſupplendi, vel interpretatione, quae ex bono & aequo fit, corrigendi gratia introductum eſt: ideoque illud jus abſolute dicitur; quamvis ſaepius ad praetorium, juris civilis nomen pertineat. Nec enim minus (ut a Paulo *l. penult. hoc. tit.* ſcriptum eſt) *recte jus dicitur in civitate noſtra jus honorarium.* Ex his intelligitur non ſatis cognita, ex interpretum commentariis, privati juris diſtinctio.

CAPUT II.

DE LEGE REGIA.

Ad leg. 1. D. de conſtitut. principum.

Lege antiqua, quae regia nuncupatur, omne jus omnemque poteſtatem populi Romani in Imperatoriam translatam eſſe poteſtatem, reſcribit Juſtinianus *in prima conſtit.* idemque ipſe in ſuis Inſtitutionibus *tit. de jur. natur. gent. & civil.* refert, nec aliis quam hic noſter Ulpianus, utitur verbis. Et veriſimile quidem eſt, latam ſub Octavio Caeſare legem fuiſſe, qua populus in eum caeterosque Imperatores omnem ſuam poteſtatem (quae majeſtas dicebatur) transtulit. Cum is enim primum a populo princeps diceretur, omniaque ad publicam utilitatem referre videretur, poſtea publica authoritate placuit, ut ipſe ſolus reipublicae conſuleret, atque Imperator & Auguſtus appellaretur; odioſum enim erat regis nomen. Tranquillus *in Auguſt.* Cornel. Tacitus. *Ann. lib.* 1. *cap.* 9. Non igitur haec lex ſic lata eſt, ut ſua cuique principi certis conditionibus poteſtas tribueretur: nam praeclare ſcribit Arcadius, libro ſingulari de officio praefecti praetorio, *l.* 1. *D de offic. praefect. praetor regimenta reipublicae ad Imperatores perpetuo translata fuiſſe.* Et eam ipſam legem imperii appellat Alexander Severus Imperator, *l.* 3. *C. de teſtam.* qua *ſolemnibus juris Imperatorem eſſe ſolutum* ait. Sed quid multis? generaliter Ulpianus noſter latam hanc legem fuiſſe de imperio principis, ſcribit. Ex quorum verbis conſtat populum ſuo imperio deſtitutum fuiſſe, ut illud perpetuo apud principem eſſet, licet tantum dicat Pomponius, id principi tributum eſſe, *ut quod ipſe conſtituiſſet, pro lege ſervaretur*, *l* 2. §. 12. *D. de orig. jur.* id eſt, atque ſi lege rogatum eſſet, ſive publica authoritate placuiſſet: haec enim verba eadem apud Pomponium ſignificatione uſurpantur. Et certe quod populi ſuffragio conſtituebatur, lex a veteribus dicebatur. Neque vero dicit Julianus ſuo tempore, quo Adrianus imperabat, populo tributum fuiſſe ſuffragium, ſed ita de conſuetudine diſputat, *l. de quibus.* 32. *D. de legib.* Cum leges, quae apud populum rogatae ſunt, nulla ex alia cauſa nos teneant, quam quod ejus judicio receptae ſint; merito & ea, quae ipſe ſine ullo ſcripto probavit, tenebunt omnes. Non ignoro, quosdam ex Caeſaribus aliquam populo, ut

ei

Digitized by Google

rerum illi permiſſum eſſe. Dicitur autem haec lex Regia, quia regum exactorum poteſtas, quam ſibi ſumpſerat populus, ad principem tranſlata ſit; quaſi de regio dominatu concedendo conſerendove lata (ut Annariam, Agrariam, Frumentariam, aliasque hujus generis leges nomen ab eo accepiſſe legimus, quod rogatum erat) ut curioſe perquirendum non exiſtimem cujus regis fuerit, nec Papyrii librum expectandum. Eſt & alia lex Regia, cujus meminit Marcellus, *l. Negat.* 2. *D. de mort. infer.* eaque a nonnullis Rhemnia dicitur. Verum quidquid ſit; ipſam, ut a noſtra diverſam, hic explicare non poſſumus.

CAPUT III.

PRAETOREM ALIUMVE MAGISTRATUM DICI QUOQUE JUDICEM.

Ad Titulos de Juriſdictione & Officiis Magiſtratuum.

EA, quae de Jurisdictione & Imperii a nobis ſcripta & edita ſunt, non repetimus: venit tamen in mentem Praetoris, datorumque ab eo judicum officii diſtinctio; quam & nunc quoque probamus. Sed tamen in Juriſconſultorum libris obſervavimus, jurisdictionem judicantis dici. Scribit Cajus, *l. Si idem.* 11. *D. de juriſd. Si idem cum eodem pluribus actionibus agat, quarum ſingularum quantitas intra jurisdictionem judicantis ſit.* Quem locum non recte interpretantur, qui de dato judice juriſconſultum loqui exiſtimant: is enim notionem tantum, non jurisdictionem habebat, *l. Ait Praetor.* 5. *D. de re judicat.* Quod ſi quis Praetorem dici judicem arbitretur, atque ita Cajum ſenſiſſe, ſi idem cum eodem plures de diverſis ſummis (quarum ſingularum quantitas ſit intra ipſius jurisdictionem) actiones habere velit, putet; videat ne non praetoriae jurisdictionis vim & magnitudinem intelligat. Equidem in ea ſum opinione, ut is locus intelligi de eo, cui mandata eſt jurisdictio, poſſit: is enim & dare judices poterat, & ſpeciem tantum unam jurisdictionis habere, *l Cum praetor* 12. *D. de judic. l. Solet* 16. *D. de juriſd.* Liv. *lib.* 3. *cap.* 55. Verum alios obſervavi locos, in quibus Praetor judex appellatur. Paulus lib. 1. ad edictum *l. Ex quacunque* 2. §. 1. *D. Si quis in jus voc.* cum dixiſſet ad Praetorem vel alios praeſides, qui jurisdictioni praeſunt, in jus vocatum venire debere, ſubjecit: *Si quis in jus vocatus non ierit, ex cauſa a competente judice multa pro jurisdictione judicis damnabitur.* Tum addit: *item ſi nihil interſit actoris eo tempore in jus adverſarium non veniſſe, remittit praetor poenam.* Ulpianus lib. 2. ad edictum *l.* 1. *D. de judic. Si ſe ſubjiciant aliqui jurisdictioni, & conſentiant; inter conſentientes cujusvis judicis, qui tribunali praeeſt, vel aliam jurisdictionem habet, eſt jurisdictio.* Africanus libro 8. quaeſtionum, *l. Titia* 34. *D. Solut. matrim. Quaeſitum eſt, quae partes judicis ſint? reſpondi, patri, niſi probet filiam non ſolum in ſua poteſtate eſſe, ſed etiam conſentire ſibi, denegandam actionem.* Quibus in locis judicem pro Praetore, atque in Caji reſponſo pro proconſule (ſi quis nonnullorum ſententiam a nobis notatam probet: ſcribit enim ad *edictum provinciale*) accipi conſtat, in jus namque vocare eſt ad eum, qui jus dicturus ſit, §. *Omnium* 3. *Inſtit. de poena temere litigant*; id eſt, ad Praetorem, ut etiam in veteribus fabulis rem aut ad populum, aut in jure, aut ad judicem eſſe dicatur. *Plautus in*

ee qui jus dandorum judicum habet, datus eſt, nec ex compromiſſo ſumptus, vel nec ex aliqua lege confirmatus eſt, judex eſſe non potuit.

Ad leg. 3. D. de officio proconſulis & legati.

Quod a Martiano lib. 1. inſtitut. *l.* 2. *hoc tit.* & hic ab Ulpiano ſcribitur, *apud legatum proconſulis neminem manumittere poſſe nec adoptare, quia non habet jurisdictionem talem*, interpretatur Paulus, *l. Apud proconſulem* 17. *D. de manum. vind.* ut apud proconſulem, poſtquam urbem egreſſus eſt, vindicta manumittere poſſumus, ſed apud legatum ejus non prius, quam provinciam ingreſſus eſt. Atque ita ſenſiſſe Martianum, praecedentia ejus verba oſtendunt. Sed majorem habet dubitationem, quod ſcribit noſter Ulpianus, *omnino non eſſe apud eum legis actionem*: nec enim ea verba ſic reſtringere poſſumus, ut intelligatur, cum provinciam ingreſſus eſt legatus: nam & apud ſolum populi Romani magiſtratum legis actionem eſſe, non ſolum Modeſtinus ſcribit, *l.* 4. *D. de adopt.* ſed etiam hiſtoriae teſtantur: quae ratio movebat Ulpianum, ut adoptari apud proconſulis legatum non exiſtimaret. Eadem illa ratione adoptari apud juridicum, qui Alexandriae agit, poſſe dicit, *l.* 1. *D. de offic. jurid. Alex. quia datu eſt ei legis actio.* Sed cum Paulus ſcribat, *legatum, mandata ſibi juriſdictione, judicis dandi jus habere*, *l Legatus.* 12. *hoc tit.* videndum eſt, quid ſenſerit Ulpianus: ſcribit enim Pomponius, *l.* 2. §. 6. *D. de origin. jur. ex legibus* 12. *tab. compoſitas fuiſſe actiones, quibus inter ſe homines diſceptarent. Quas actiones ne populus, prout vellet, inſtitueret, & certas & ſolennes eſſe voluerunt; & appellabatur haec pars juris, legis actiones:* quae cum prius apud collegium pontificum eſſent, venerunt poſtea ad magiſtratus populi Romani, ut ad Praetorem, Cicer. *lib.* 2. *cap.* 19. *de Leg. lib.* 2. *cap.* 7. *Rhetor. & pro Cecin. cap.* 3. Nam ſcripſimus aliquando ex Fabii Victorini ſententia (quae doctis quibuſque viris placuit) Praetorem, qui jus dicebat, judices cauſae dediſſe, & agendi formulam judicibus a ſe datis praeſcripſiſſe, Vict. *in Ciceron. de invent. lib.* 2. cujus antiqui moris extant pleraque in Oratorum, Hiſtoriographorum & noſtrorum Juriſconſultorum libris exempla. Sed & idem Pomponius has legis actiones formam agendi continere ſcribit: atque adoptiones & emancipationes olim habuiſſe ſuas ejus generis formulas, non dubito. Itaque verius eſt, ut dicamus apud proconſulem, ut apud caeteros populi Romani magiſtratus (quos majores appellant) legis actionem fuiſſe, cumque ſolum formulam ac ſolennitatem agendi praeſcripſiſſe. Verum legato ex jurisdictione ſibi mandata licuiſſe judices dare, & controverſiae formam ex proconſulis authoritate dictare: *Qui enim mandatam jurisdictionem ſuſcepit, proprium nihil habet, ſed ejus qui mandavit jurisdictione utitur*, *l.* 1. §. 1. *D. de offic. ejus cui.* quamvis proprium id habeat, quod particulare aliquid, nec ipſi cum caeteris privatis commune, mandatam ſcilicet juriſdictionem exerceat, *l. Legati.* 13. *D. de offic. proconſ.*

Ad verſic. Veritas. 1. leg. 6. tit. D. de offic. praeſidis.

NObilis eſt quaeſtio, an judex ea ſequi debeat, quae allegantur & probantur; an vero ſuam (ut ajunt) conſcientiam. In eaque explicanda multi laborant: ſed ego ipſam eſſe facti quaeſtionem, ideoque ex diverſis circumſtantiis pro boni & aequi ratione decidendam, ſemper exiſtimavi: nec enim ita

ſuo

Digitized by Google

l. Illud in cauſis probandis 16. D. de manum. vind. & illud ſequetur judex, *quod optimum putarit*, *l. appellari 2. D. Quod a quo appelletur. & alii ſim.* Caeterum hujus verſiculi ea mihi non videtur eſſe ſententia, quae vel his, vel illis placuit: ſed ejus interpretatio ex proximis Juriſconſulti verbis pendet. Dixerat enim extortas metu venditiones & cautiones, vel ſine pretii numeratione, prohibere praeſidem provinciae. Nunc, tanquam ſuperiorum rationem, regulam ſubjicit, qua monet, ſequendum non eſſe illud, quod per errorem geſtum eſt (ut ſi quis in venditione deceptus pretium non acceperit) ſed veritatem rerum, quae cognoſcitur fide eorum, quae probantur.

Ad leg. 4. D. de offic. aſſeſſ.

Hujus capitis hîc mihi videtur eſſe ſenſus: Si legatus Caeſaris ante tempus, quo ei manere in provincia conceſſum erat (certum enim ipſis tempus a principe praeſtituebatur, Caſſiod. *de for. praeſid.* adeo ut Severus Imperator, referente Aelio Spartiano, primus ſtatuerit, ut nulli ante quinquennium ſuccederetur) deceſſerit, datur comitibus reſidui temporis ſalarium, quod ipſis a legato praeſtitutum eſt ac praefinitum (legendum enim eſt *a legato praeſtitutum*, ut Florentinus Codex habet, non *praeſtitum*, utcunque interpretentur nonnulli) niſi eo tempore cum aliis legatis fuerint. Diverſum in eo legato ſervatur, qui ſucceſſorem ante tempus accepit. Succeſſor enim vel alios ſubſtituit; atque ita illi amplius non aſſident, nec ſuis partibus funguntur: vel hos ipſos retinet, qui, cum ſalarium accipiant, aliud reſidui ejuſdem temporis non habent.

Ad leg. 9. D. de juriſdictione.

Utiliſſimum id edictum praetorem propoſuiſſe, quo dominis proſpiceret adverſus maleficia ſervorum, ſcribit Ulpianus *l. 1. D. Si familia furtum feciſſe dicatur. Videlicet, ne cum plures furtum admittant, evertant domini patrimonium, ſi omnes dedere, aut pro ſingulis aeſtimationem offerre cogatur.* Poteſt igitur ex hoc edicto *tantum offerre* (ſi velit) *quantum ſi unus liber furtum feciſſet, & retinere familiam ſuam.* Poſtea ſubjicit §. 2. *d. l. 1. ſi plures ſervi damnum culpa dederint, aequiſſimum eſſe*, eandem facultatem domino dari. Refert etiam Cajus, *l. Illud 32. D. ad leg. Aquil. Illud quaeſitum eſſe, an quod proconſul in furto obſervat, quod a familia factum ſit (id eſt, ut non in ſingulos detur poenae perſecutio: ſed ſufficiat id praeſtari, quod praeſtandum foret, ſi id furtum unus liber feciſſet) debeat & in actione damni injuriae obſervari. Sed magis viſum eſſe idem obſervandum: & merito! Cum enim circa furti actionem haec ratio ſit, ne ex uno delicto tota familia dominus careat: eaque ratio ſimiliter in hac actione damni injuriae interveniat: ſequitur, ut idem debeat exiſtimari: praeſertim cum interdum levior ſit haec cauſa delicti: veluti ſi culpa & non dolo damnum detur.* De injuria vero idem ipſe Cajus ſcribit, *l. Si plures. 34. D. de injur. Si plures ſervi aliquem ſimul ceciderint, aut convicium alicui fecerint; ſingulorum proprium eſt maleficium: & tanto major injuria, quanto a pluribus admiſſa eſt. Imo etiam tot injuriae ſunt, quot & perſonae injuriam facientium.* Conſtat igitur in eadem cauſa furtum & damnum eſſe; aliam vero eſſe injuriae cauſam. Quid eſt igitur, quod hic noſter Paulus res eaſdem album a familia corruptum, injuriam & damnum faciat, in eiſque plura facta; in furto autem unum intelligi dicat? Quae diverſitatis ratio inter damnum & furtum intelligerentur, magis ad album corruptum & injuriam accedere videbatur. Sed ex prudentum conſilio & interpretatione (quibus id aequiſſimum viſum eſt, ut ſi damnum familia dederit, idem atque in furto obſervetur) receptum eſt, quamvis plura facta intelligantur. Nec eſt, quod hanc ſententiam infirmet; cum ſatis conſtet, praetorem proconſulemve nullum hujuſmodi de damno, a familia dato, edictum propoſuiſſe: ſed cum dubitaretur, an ejus atque furti eadem eſſet cauſa, prudentes aequitatem ſequuti viderunt rationem, quae circa furti actionem erat, in hac quoque damni, a familia dati, intervenire. Sed quid multis? Si recte Pauli noſtri verba intelligamus, eum cum caeteris idem ſentire cognoſcemus. Ait enim: *Quemadmodum & cum plures ſervi injuriam fecerunt, vel damnum dederunt, plura facta ſunt, non (ut in furto) unum (Octavenus hic quoque domino ſuccurrendum ait) Sed hoc poteſt dici, niſi dolo malo curaverit, ut ab alio album corrumperetur: quoniam tunc unum conſilium ſit, nec plura facta. Idem Pomponius libro decimo notat.* Sic ego legendum arbitror, atque ita in vetuſtiſſimis codicibus, non ſolum manu ſcriptis, ſed etiam Venetiis excuſis, ſcriptum inveni; non ut in vulgaribus libris: *ſed hoc poteſt dici, ſi dolo malo, &c.* Et certe haec verba ad proxima, quae ex Octaveno refert Paulus, reſpicere non poſſunt. Sic enim ea interpretari oporteret, ſuccurri domino, ſi dolo malo ipſe curaverit. Ea igitur ad ſuperiora referimus, ut de familia, quae conſilium corrumpendi albi dedit, intelligantur: ut edictum quidem locum habeat, *niſi familia dolo malo curaverit, &c.* haec autem verba, *Octavenus hic quoque domino ſuccurrendum ait*, parentheſi claudentes ſic interpretabimur, ut ſenſerit Octavenus *hic* (id eſt, in hac poſteriori ſpecie) ſcilicet ſi plures ſervi damnum dederunt, domino ſuccurrendum eſſe. Satis enim conſtat, *hic* particulam ad proximiora referri, ſi duo vel plura ſint, quae proponantur.

CAPUT IV.
DE PACTIS.

(1) *Pacti definitio & diviſio, ad leg. 1. D. de pactis.*

Pactum eſt *duorum pluriumve placitum & in idem conſenſus, hac l. & l. 3. D. de pollic.* Theoph. *§. fin. de oblig. Inſt. lib. 3.* Quicquid autem inter aliquos convenerit, pactum dicendum non eſt: ſed conſenſus, ad dandum faciendumve adſtringens, pactionem parit, ut alter alteri ſaltem natura obnoxius fiat; atque ad ea, quae inter eos placuerunt, ſervanda obligetur. Latiſſima eſt igitur pacti ſeu pactionis (pro eodem enim uſurpantur) appellatio: *Nam ſi quid inter ſe pepigerunt homines, ſi quid inter eos convenerit ex pacto* (inquit Cicero in veteribus *Rhetoricis lib. 2. cap. 13.*) *jus eſt.* Et quidem Ulpianus pactionem atque pactum (quae conjugata ſunt) pro eodem accipi diſerte oſtendit, *l. Juris gentium 7. l. ſi unus 27. l. ſi cum fundum 36. l. Contra juris civilis 28. D. de pactis.* In quibus nunc *pactum aut pactum conventum nudumve*, nunc *pactio vel pactio nuda* dicitur. Hîc enim *pactionem* eſſe dicit *duorum pluriumve in idem placitum & conſenſum*: alibi vero pactum appellat *duorum conſenſum atque conventionem, l. 3. de pollic.* Nec movet, quod a nonnullis ſcribitur, plenam abſolutamque pacti definitionem eam non eſſe, ſed generi unam tantum differentiam addi, qua oſtendatur, quid inter pactum & pactionem in-

Tom. I. Xx

Digitized by Google

re leges. 17. *D. de legib.* intelligendum videtur, ne verba captemus; ſed eorum ſenſum inquiramus. Quis eſt enim grammaticorum (quorum muneris pars maxima in etymologiis tota eſt) qui pactum & pacem a pactione derivari (ſic enim loquuntur) exiſtimet? Vult igitur Juriſconſultus, pactum ex eo nomen accepiſſe, quod pactio fiat inter aliquos; unde & pacis nomen appellatum eſt, quia paciſcentes conciliantur. Saepe tamen pactum, ut etiam conventio, eam ſignificat pactionem, cui & cauſa & nomen deeſt, *tit. de pact. D. g. & C. L. lecta.* 40. *D. Si cert. pet. & alibi.* Pactum in duo genera cum Cicerone *lib. 2. ad Herenn. cap. 13. & libr. 2. de inven. cap.* 22. & Juriſconſultis diducimus. Illud enim eſt vel *conventum*, vel *juſtum* ſeu *legitimum*. Haec Ciceronis verba: *Pacta ſunt, quae legibus obſervanda ſunt, hoc modo: Rem ubi pagunt, oratione pagunt.* Sunt item pacta, quae ſine legibus obſervantur ex conventu, quae juri praeſtare dicuntur. Pactum igitur conventum eſt, quod ſine legibus ex ſolo conventu obſervatur: ipſumque ideo nudum vocant, quia legis auxilio deſtitutum, nudae innititur conventioni, atque in ſulis placiti finibus conſiſtit, nihil habens negotii, *l. Solent* 15. *D. de praeſcr. verb. l. Si tibi* 27. *C. Locati.* Ita enim pactum conventum accepiſſe Juriſconſultos, multis ex Pandectarum locis colligere eſt. Ita Ulpianus lib. 4. ad edictum accepit, *l. Juris gentium. 7. h. t.* Cum enim dixiſſet, nudam pactionem formare actionem, ſubjecit, ſolere nos dicere pacta conventa ineſſe bonae fidei judiciis. Atque ita & caeteri, *l. Et haeredi.* 21. *& alibi. D. de pact. l. Pacta conventa* 72. *D. de cont. empt.* Quod enim Ulpianus *nuda conventione pignus contrahi* dixerat, *l.* 1. *D. de pignor. act. contrahi hypothecam per pactum conventum* ſcripſit Cajus, *l. Contrahitur* 4. *D. de pignor. & hypot.* Sed & Cicero, *lib. 2. de Orat. cap.* 24. ait: *At vero in foro tabulae, teſtimonia, pacta conventa, ſtipulationes, cognationes, affinitates, &c.* Aliud autem pactum *juſtum* appello, quaſi ſuis numeris abſolutum, adeoque firmum, ut ipſo jure valeat. Eadem namque a Juriſconſultis ſignificatione *legitimum* atque *juſtum* dici pactum ſentio. Scribit enim Paulus, *l. Stichum aut Pamphilum* 95. §. *Naturalis* 4. *D. de ſolut. Naturalem obligationem juſto pacto ipſo jure tolli.* Cujus ego reſponſum de *legitima* intelligo *conventione*, quae etiam *juſta* appellatur, quaſi legibus conſentanea, omninoque ſervanda, *l. Tale pactum* 40. *l. Epiſtola* 52. *hoc tit.* Is enim ipſe Paulus libr. 3. ad edictum, *l. Legitima* 6. *eod. ex pacto naſci vel tolli obligationem* ſcripſit, *quoties lege vel SCto adjuvatur.* Hujusmodi autem pactum *legitimum* appellat, quia lege aliqua confirmatur. Et nulla quidem ipſo jure diſſolvitur obligatio, niſi pactione legitima: licet naturalis obligatio, quae aequitatis ſuſtinetur vinculo, exceptione tollatur. Ideoque Paulus eodem ad edictum libro, *l. Si unus.* 27. §. *Pactus ne pet.* 2. *D. eod.* prius pactum per poſterius elidi ipſo jure negat; ſicut ſtipulatio per ſtipulationem tollitur. Huc pertinet, quod Paulus *juſtam* haereditatem *legitimam* interpretatur, *l.* 3. §. *De illo* 2. *D. pro ſocio* & Julianus, *l. Si quis cum debitore* 39. *D. de jurejur. juſtam conventionem eſſe* ſcribit, *ſi quaelibet cauſa in conditione jurisjurandi deducta fuerit*; cujus vim eam eſſe reſpondit, ut non ſolum jurisjurandi exceptio dari debeat, ſed etiam ſolutum repeti poſſit. Eſt etiam illud obſervandum, quod is ipſe Julianus lib. 15. Digeſtorum, *l. cum emptor.* 5. *D. de reſcinden. vendit.* ſcribit: In emptionis contractu ſi res ſecuta fuerit, *niſi juſta conventio intervenerit, actiones ex empto & vendito manere*; cum prius dixiſſet, *emptionem nuda conventione diſſolvi, ſi res ſecuta non fuerit.*

petatur, nihilominus obligatus manet, atque efficax adverſus eum competit actio, juſtumque eſt obligatum dare facere. Quia vero contra pactionem condemnari eum iniquum eſt; pacti conventi exceptione, conſiſtens ipſo jure obligatio diſſolvetur, §. *Praeterea* 11. *Inſtit. de except.* Poſtea vero, ſi cum debitore pactus ſit creditor, ut peteret; prius pactum per poſterius non quidem ipſo jure (ſicut ſtipulatio per ſtipulationem tollitur) ſed replicatione eliditur exceptio: quia in ſtipulationibus jus continetur; in pactis factum verſatur. Ex ipſo quidem jure elidi obligatio dicitur, quae ex juris forma, & ſine ulla exceptionis ope tollitur, *Arg. l. ſi tibi* 17. *D de pact. & l. ſi noxali* 27. *D. de nox. act.* ut a Praetore actio, ſi petatur, deneganda ſit. Nam, jure civili, ac populi Romani legibus, certi obligationum tollendarum modi comparati ſunt; ut ſolutio, ſtipulatio, acceptilatio, novatio, *tit. Inſt. Quib. mod. tolli. oblig. l. Obligationum* 44. *D. de oblig. & act.* Itaque in ſtipulationibus ineſt juris vinculum: quod ut neceſſitate adſtringit, ſuumque effectum ſine adventitio aliquo auxilio ſortitur; ita per ſe obligationem ex priori contractu proditam diſſolvit. In pactis vero nulla hujusmodi continetur obligatio, ſed ſola conventio; ipſumque adeo contrahentium factum verſatur. Illa enim neque approbantur, neque reprobantur jure civili. Praetor autem, qui ſeſe pactum ex bono & aequo ſervaturum edicit, non quidem ejus nomine actionem pollicetur, verum exceptionem ex vi naturalis obligationis, quae pacto ineſt, productam non ſinit extingui; cujus ope diſſolvitur obligatio: *Nam & praetoriis exceptionibus* (inquit Cicero *Lib. 2. de inven. cap.* 19.) *multae excluduntur actiones.* Cum igitur ad praetorem actor juris experiundi cauſa reum vocaret, isque actoris poſtulatione (quam vulgo intentionem appellant) rei vero exceptione audita controverſiae vel cauſae (ea enim apud praetorem agebatur, *l. 2. de in jus vocan.*) genus formaret, & quodammodo agendi poteſtatem daret: non quidem pure, ſed ſub exceptione (extra quam ſi pactus ſit ne peteret) judicium concipiebat. Nec enim actionem denegare audebat praetor, ne aperte legis authoritatem convellere videretur.

(3) *De pacto nudo & ſponſione.*

Ex nudo pacto non naſci actionem ſcribit Ulpianus; & nudi quidem appellatio ſic intelligitur, quaſi ſolum atque ſimplex ſit pactum: ideoque & nudum dici poteſt, quod ſine ſtipulatione eſt, ut conſtitutum §. *De conſtituta* 9. *Inſt. de act.* Memini enim Pauli Juriſconſulti *receptar. ſentent. Libr. 2. tit.* 13. interpretem nudum pactum ſic aliquando explicaſſe, ut verius ſit, non nudum appellari, quod vel ſtipulatione, vel traditione ſumit effectum: quodcumque enim ſit in rerum traditionibus pactum, id valere manifeſtum eſt, *l. Diviſionis placitum.* 45. *l. in traditionibus* 48. *D. de pact.* Et Paulus *lib. 2. recept. ſentent. tit.* 23. *Omnibus pactis* (inquit) *ſtipulatio ſubjici debet, ut ex ſtipulatu actio naſci poſſit.* Quod autem de conſtituto diximus, ſic intelligi nolumus, ut ex conſtituto tanquam pacto geminato actio detur. Non eſt enim conſtitutum pactum hujusmodi nudum (ut ſupra declaravimus) ſed ex praetoris jurisdictione ſubſtantiam capit; ut Ulpianus lib. 55. ad edictum explicat: ex cujus, ut nec ex aliorum Juriſconſultorum ſcriptis, nullum de hujusmodi geminatione verbum colligi poteſt, *Tit. de conſtituta pecunia.* Neque vero probabilius eſt ex pacto nudo actionem naſci propter ſenatus conſultum & legem Titiam & Corneliam de aleatoribus, & iis, qui in iis rebus ſponſionem faciunt,

quae

Digitized by Google

l. Sponſio 7. *D. de verb. ſignific.* Atque ita Cicero *in oratione pro Quintio cap.* 9. ſcribit: *Sponſionem facere maluit, fecit: Te judicem C. Aquili, ſumpſit: ex ſponſo egit.* Aſconius Ped. *in* 3. *contra Ver. orat. cap.* 45. *Rurſus ſponſione* (loquitur de vindiciarum lite) *ipſe provocatur ab adverſario certae pecuniae, aut aeſtimationis, quam amittat, ni ſua ſit haereditas, de qua contendit.* Impp. Theodoſ. Arcad. & Honor. de aulicorum ſuffragio reſcribentes, *tit.* 3. *lib.* 4. *in pr. Cod.* ajunt: *ſi qui deſideria ſua explicare cupientes, ferri ſibi a quoquam ſuffragium poſtulaverint, & ob referendam vicem ſe ſponſione conſtrinxerint*, id eſt, ſtipulatione obligaverint: neque enim hoc reſcriptum de advocatorum poſtulatione, neque de nudo pacto intelligendum eſſe, cum Alciato, exiſtimo.

CAPUT V.

DE SERVITUTIBUS.

(1) *Ad leg. 9. D. de ſervitut.*

SCribit Celſus, *ſi cui ſimpliciter via per fundum cujuſpiam cedatur vel relinquatur, in infinito videlicet per quamlibet ejus partem ire agere licebit; modo civiliter.* Ait vero Paulus, *l. ſi via.* 26. *D. de ſerv. ruſt. praedior. ſi via, iter, actus, aquaeductus legetur ſimpliciter per fundum, facultas eſt haeredi, per quam partem fundi velit, conſtituere ſervitutem, ſi modo nulla captio legatario in ſervitute ſit.* Quare videtur Celſus legatario; Paulum autem haeredi eligendi facultatem dare, ſi non ſit definita & determinata ſervitus. Sunt qui exiſtiment, *legata ſimpliciter ſervitute viae, itineris, &c.* electionem haeredi eſſe, per quam partem fundi velit eam conſtituere. Quod ſi haeres eligere aut nolit aut negligat, legatario per quamlibet fundi partem ire agere licebit. Sed cum JCti nullum de hujuſmodi recuſatione vel negligentia verbum fecerint, verius videtur nihil referre, utrius ſit electio ſervitutis in fundo definiendae, dummodo ſi haeres eligat, id ſine captione legatarii fiat; ſin vero legatarius, civiliter id faciat, & ſine ſervientis fundi detrimento.

Differentia itineris, actus & viae.
(2) *Ad leg. 13. D. de Servitut.*

Ulpiani verba referens Juſtinianus, ait: *in pr. Inſt. de Serv. praed. Iter eſt jus eundi, ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi, vel vehiculum. Actus eſt jus agendi vel jumentum vel vehiculum. Ita qui habet iter, actum non habet; & qui actum habet, & iter habet, eoque uti poteſt, etiam ſine jumento Via eſt jus eundi, & agendi, & ambulandi.* Cum multae ſint inter hujuſmodi ſervitutes differentiae, ea videtur maxima, quae ex definitionibus colligitur. *Iter enim eſt, quo quis pedes vel eques commeare poteſt. Actus vero, ubi & armenta trajicere, & vehiculum ducere licet, l. Inter actum* 12. *D. de ſerv. ruſt.* Via & iter & actum in ſe continet; atque utriuſque definitionem recipit ac complectitur: ut quod dicimus eum, qui actum habet, & iter habere, non ex vi & proprietate verbi, ſed ex veriſimili paciſcentium voluntate, vel potius interpretatione intelligendum ſit. Quis enim agere vel jumentum vel vehiculum poteſt, niſi ipſe *ſit; iter magis quam via aut actus acquiſitus videbitur. Sed ſi jumentum per eam duci poterit, non etiam vehiculum, actus videbitur acquiſitus.* Sed haec ita intelligenda ſunt, ut etiamſi vehiculum agi non poſſit; actus tamen conſtitutus videatur, ſufficiatque ut duci ſolum jumentum queat. Ideoque & in definitione uſi ſunt & Juriſconſulti, & Juſtinianus disjunctionis particulis. Sunt & aliae inter illas ſervitutes differentiae: nam lege duodecim tabularum certus viae modus praeſcriptus ac definitus eſt, ut ejus *latitudo in porrectum octo pedes habeat; in anfractum, id eſt, ubi flexum eſt, ſedecim, l. Viae* 8. *D. de ſervit. ruſt. praed. Poteſt tamen* (ut inquit Paulus *l. Via* 23. *D. illo tit.*) *conſtitui vel latior octo pedibus, vel anguſtior conſtitui: ut tamen eam latitudinem habeat, qua vehiculum ire poterit.* Verum *latitudo actus itinerisque ea eſt, quae demonſtrata eſt. Quod ſi nihil dictum eſt, hoc ab arbitro ſtatuendum eſſe*, inquit Jabolenus, *l. Certe generi* 13. §. 2. *D. ill. tit.* qui licet dicat, legitimam deberi viae latitudinem, ſi ea dicta non ſit; dicendum tamen non eſt, praeſcriptum non eſſe jure civili modum, cum ita ſit certus & definitus, ut, ſi alius pactione conſtitutus non ſit, is ipſo jure, ac ex lege debeatur, ſine ulla arbitri determinatione Aliam Paulus differentiam explicat, *lib.* 39. *ad edictum. l. Qui ſella* 7. *D. illo tit.*

(3) *Ad leg. 14. D de Servitutibus.*

Praediorum gratia ſervitutes conſtitui, nec ultra concedi poſſe, quam quatenus ad fundum opus ſit, conſtat, *l. Ergo* 5. *de ſerv. ruſtic. praed.* Ideoque ipſis praediis inhaerere & deberi, non perſonis, dicuntur, eo quod *ſine praediis conſtitui nequeant, Inſt. tit. de ſervit.* §. 3. *l.* 31. §. *fin. de neg. geſt. l. Unus ex ſociis* 34. *verſ. quamvis. D de ſerv. ruſt. pr.* Servitus enim jus eſt, atque qualitas, praedio accedens, *Arg. l. Quid aliud.* 86 *D. de verb. ſign. l. penul D. de evict.* Ea autem res eſt incorporalis, qua nullus tam continenter tamque perpetuo uti poteſt (uſus enim poſſeſſionis loco habetur *l quoties via* 20. *D. de ſervit.*) ut nullo momento ejus interpellari videatur poſſeſſio. Non eſt igitur mirum, ſi longo tempore non acquirantur, cum *ſine poſſeſſione uſucapio contingere non poſſit, l. Sine poſſeſ.* 25. *D. de uſucap.* reſque incorporalis nec poſſeſſionem nec uſucapionem recipiat, *l. Quod Servus* 24. *D. de acq. poſſeſſ.* Ejus tamen poſſeſſionem habet, qui corpus, cui accedit, poſſidet, *l. Si aedes.* 32. §. *Libertas.* 1. *D de ſerv. urban. praed.* Itaque Ulpianus *nunquam per ſe ſervitutes, ſed cum aedificiis uſucapi poſſe ſcribit, l. Si aliena.* 10. §. *hoc jure.* 1. *D. de uſuc.* Et Scribonia quidem lege ſervitutum uſucapio ſublata eſt. Quare Paulus nec poſſideri jura incorporalia, nec quem a via mero jure expulſum videri reſpondit, *l. Sequitur* 4. §. 27. *D. de uſucap.* Verum ſervitutis libertatem ipſo jure uſucapi poſſe ſanctum eſt: nam ita fundus ſuo juri reſtituetur, quem liberum a ſervitute poſſidemus. Utilitatis autem gratia receptum eſt, ut qui ſervitute diuturno & legitimo, hoc eſt, decem inter praeſentes, vel viginti inter abſentes annorum tempore, nec vi, nec clam, nec precario ab alio uſus ſit; eam ipſe quaſi jure impoſitam uſucepiſſe videatur, *l. Si quis diuturno* 10. *D. Si ſerv. vind. l.* 1. §. *ult. D. de aq. pluv. arc. l. apparet* 5. §. 3. *D. de itin. actuque priv. l.* 2. *C. de ſervit. & aqua.* Ex hoc qui-

Digitized by Google

ne correctam fuiſſe. Sed quicquid ſit, tota haec controverſia Juſtiniani conſtitutione deciditur. Is enim cenſuit, *ut omnes ſervitutes non utendo amittantur, non biennio* (quod uſum & authoritatem fundi eſſe lex juſſerat Cicer *pro Cecinna* & *in Topic.*) *ſed decennio contra praeſentes, vel viginti annorum ſpatio contra abſentes: ut in omnibus rebus hujusmodi cauſa ſimilis ſit, explosis differentiis*, *l. Sicut* 13. *C. de ſervit. & aqua.* Quamvis autem Juriſconſulti ſimpliciter *tempus lege definitum*, *ſtatutum*, *conſtitutum*, *longum*, *diuturnum*, *legitimum* dicant; haec tamen verba ex Juſtiniani conſtitutionibus interpretationem capiunt, quod & ipſe Triboniano reſcripſit, *Conſt.* 1. *ad Trib.* Quamobrem ea nobis non placet diſtinctio, qua ſervitutes quaſdam *continuas*, quaſdam vero *diſcontinuas* eſſe traditur. Nam (ut eleganter a Longovallio ſcriptum eſt) omnes omnino ſervitutes perpetuam cauſam, hoc eſt (mea ſententia) naturalem conditionem ac materiam, quae ad ſervitutis uſum ſemper idonea ſit, habent; adeo ut, licet aſſidue continenterque iis non utamur, ſic tamen ſubſiſtant, ut natura perpetuo duraturae ſint, *l. foramen.* 28. *D. de ſervit. urb. praed.*

(4) *Ad L. Si priusquam* 15. *D. de oper. nov nuntiatione.*

Si quis vicino aedificanti jus non eſſe altius aedes tollere intendat, nec res ab eo defendatur; hunc prius ultro agere jus ſibi eſſe, invito adverſario, altius tollere, quam aedificet, neceſſe eſt. Contra, ſi quis aedificans forte prohibeatur a vicino, ideoque jus ſibi eſſe agat, adverſarius vero contumax non defendat, hic non prius aedificantem, ne novum faciat opus, prohib bit, quam de jure ſuo probaverit Duo igitur Africanus ſervitutum genera attingit. Ad quorum unius perſequutionem confeſſoria competit actio, qua aedificans jus ſibi eſſe altius aedes tollere intendit. Altera vero ſervitus negativam parit actionem, qua jus aedificanti non eſſe altius aedes tollere adverſarius agit. Et haec duo ſervitutum genera cum Juſtiniano §. *Aeque* 2. *Inſt. de action.* & jureconſulto recipimus; caetera, quae effinxere nonnulli, omnino rejicientes: nec enim Jureconſultus dixerit, negativam eſſe altius tollendi ſervitutem, affirmativis conceptam verbis; & altius non tollendi confeſſoriam, negativis expreſſam verbis Si enim cujusque ſervitutis non verba tantum, ſed vim quoque inſpexeris, conſtat, unam eo pertinere, ut jus tollendi altius invito vicino competere nobis, eumque pati debere, quod alioqui pati non tenetur, intendamus: alteram vero ut jus vicino tollendi altius nullum deberi, eumque, ne id faciat, quod alioqui facere poſſet, contendamus. Eſt igitur actio illa confeſſoria; haec autem negativa. Ea enim eſt ſervitutum natura (inquit Pomponius *l. Quoties.* 15. §. 1. *D. de ſervit.*) *ut patiatur quis, aut non faciat aliquid.* Et Ulpianus, *l.* 2. *D. Si ſervit. vindic. De ſervitutibus, in rem* (ait) *actiones competunt nobis* (*ad exemplum earum, quae ad uſumfructum pertinent*) *tam confeſſoria, quam negatoria Confeſſoria ei, qui ſervitutes ſibi competere contendit; negatoria domino, qui negat.* Sed & idem Ulpianus confeſſoriam fructuario competere ſcribit, qua uti frui jus ſibi eſſe intendat: proprietatis autem domino dari negativam, qua neget invito ſe jus eſſe utendi fruendi fructuario, *l uti frui.* 5. *D. Si uſusfr. petat.* Quare de ſervitutibus diſputat Africanus noſter: & ea verba, *ut de jure ſuo probare neceſſe haberet*, de ſervitute, non autem de libertate intelligenda eſſe arbitror Sunt enim jura ſervitutes, *tit. Inſt. de reb. corp. l.* 1. *D. de ſerv. urb. praed. l. Quid aliud.* 86. *D. de verb.* *conſiſtit, ut ſervitutem noſtram faciat, ſed ut alium nobis ad eam praeſtandam obſtringat*, *l. Obligationum ſubſtantia* 3. *D. de oblig. & action.* Alia igitur eſt natura actionis in perſonam, quae illius nomine prodita eſt; alia in rem actionis, quae propter eam competit. Hac enim jus nobis acquiſitum vindicamus; illa vero dare adverſarium oportere ſervitutem intendimus. Altius tollendi ſervitutem eſſe a Juriſconſulto ſcriptum eſt, qua quis vicini luminibus aedes ſuas tollendo officere jus habet, *l.* 1. *D. de ſervitut. urb. praed.* Theop. *Inſt. tit. de ſervit.* Si quis enim dirutum aedificium velit reficere, prioris aedificii formam ac ſtatum mutare, vel altitudinem excedere, ut vicini luminibus officiat, non poteſt. Sed nec aedificans, altius non tollendi ſervitutem debet: ſi tamen extollendo vicini luminibus officere, aliudve contra ejus commodum facere velit, ſciat ſe formam ac ſtatum antiquorum aedificiorum cuſtodire debere, ne altitudinis, conſuetae vel ſtatuto praefinitae, modum excedat. Sic enim Ulpianum, *l. Cum eo* 9. *l. Qui luminibus* 11. *D. de ſerv. urb.* ſenſiſſe exiſtimamus. Nam licet & natura, & jure aedificium extollendi cuique ſit libertas, *l. fin. D. de ſerv. l. fin. §. pen. Quod. vi aut clam. l. Altius* 1. *C. de ſervit. & aqua.* ea tamen cohibita eſt licentia, ut extruere aedes ſuas ultra veterem formam ac ſtatum, invito adverſario, nullus poſſit, *l.* 1. *C. de ſervit. & aqu. l.* 1. *C. de aedif. privat.* Ideoque ipſi vicino, officiente eo, qui aedificat, negativa competit actio; qua jus illi nullum eſſe altius tollere intendit. Verum & multis aliis modis haec altius non tollendi ſervitus conſtitui poteſt, & futuro etiam praedio imponi, ne id praeſcriptam ac definitam excedat altitudinem, *l. Si ſervitus* 23. § *futuro* 1. *D. de ſerv. urb. praed.* Itaque ut ad illud ſervitutis genus, quod in controverſia poſitum eſt, noſtra revertatur oratio: poteſt ſervitus praedio acquiri, cujus domino altius aedes tollendi atque vicini vel inviti luminibus graviore ſervitute officiendi jus erit; ad quam perſequendam confeſſoria in rem competit actio, qua actor confitetur, id eſt, aſſerit ſibi jus eſſe, invito adverſario, aedes ſuas altius tollere: quod Juſtinianum ſcripſiſſe; quamvis haec ipſa altius tollendi ſervitus latiſſime pateat: ſi enim tuis aedes meae ſervitutem non tollendi, ne luminibus tuis officiam, debeant, atque ea pactionibus aliove modo perempta ſit, aut certe (exempli cauſa) ad decem pedes remiſſa. Nunc ſi aedificantem me illius (peremptae tamen aut ex parte remiſſae) ſervitutis jure prohibeas, competit in rem actio confeſſoria, qua in libertatem aedes meas aſſerens, jus mihi eſſe altius tollendi agam. Huc pertinet in non diſſimili ſpecie Ulpiani reſponſum, *l. loci corpus* 4. § *Competit autem.* 7. *D. Si ſerv. vindicet.* Cum ego, cujus aedes non in totum liberae ſunt, Sempronianis non tollendi ſervitutem deberem, meoque praedio Sejanae vicinae eſſent, quarum dominus, ſuis quoque ſervitutem deberi ratus, altius me tollentem prohibuerit: in rem actione experiar, qua jus mihi aedes altius (quantum ad Sejum pertinet) tollendi, easque eſſe liberas intendam. Et tum quidem haec actio licet aſſerendae libertatis cauſa inſtitui videatur; eſt tamen pro ſervitute, confeſſoria. Quamvis autem apud Juſtinianum eruditi & ingenioſi quidam viri, inter quos eſt noſter Hotomanus (quem honoris cauſa nomino) ex hac poſteriori interpretatione, illam ipſam altius tollendi ſervitutem explicent; eorum tamen authoritas a mea ſententia, JCtorum reſponſis confirmata, me nullo modo avocat.

(5) Di

Digitized by Google

Javolenus, *l. Aedificia* 12. *D. eod. Aedificia, quae ſervitutem patiuntur, ne quid altius tollatur, viridaria ſupra eam altitudinem habere poſſunt. At ſi de proſpectu eſt, eaque obſtatura ſunt, non poſſunt.* Sed videamus, quae ſit hujus ſervitutis vis: exploſa enim eſt eorum ſententia, qui hanc eſſe jus aſpiciendi in alienas aedes exiſtimant. Scribit enim Harmenopulus *lib.* 2. *Epitom. jur. civil. tit.* 4. curioſos quoſdam ac invidos eſſe, qui conentur aedificantes prohibere, ne ex ſuo aedificio aſpectum (ſic enim interpretamur, non proſpectum) in vicinos faciant: cum de ea re nulla fiat in legibus mentio, neque ex vetuſtis aedificiis deprehendamus, majores noſtros hanc reputaſſe injuriam. Videmus enim omnes, fere dixerim, domos in ſe mutuo aſpicere. Pertinet autem haec ſervitus, ut ita nobis in patentia & exporrecta loca libere proſpicere liceat, ne quis facere quicquam poſſit, quo proſpectus ille offendatur (hinc enim dicta eſt, tanquam procul aſpiciendi) de qua tres fuiſſe leges maris, hortorum, & ſcripturae publicae: atque indefinite hactenus aedificantibus propoſitas ſcribit idem Harmenop. eaſque copioſe explicat.

(6) *De operis novi nuntiatione, ad L. Qui viam.* 14. *de oper. nov. nuntiatione.*

Scribit Ulpianus, *eum jus habere novum opus nuntiandi, qui aut dominium aut ſervitutem habet, l.* 1. §. 3. *D. de remiſſion.* nec diſtinguit, an ea ſit praedii urbani, an vero ruſtici; cum nec certa & firma diverſitatis ratio effingi ulla poſſit. Quocirca is ipſe, *l. inter* 15. *D. de ſerv. urban. praed. Si ſervitus* (inquit) *debeatur, opus quoque ei novum nuntiari poteſt, ſi modo ſic faciat, ut lumini noceat.* Idem, *l. Et ſi forte* 6. *in fin. D. Si ſervit. vindic.* de ſervitute oneris ferendi: *Deteriorem ſi faciat; aut per hanc actionem, aut per novi operis nuntiationem prohibetur.* Pomponius *l. in judicio* 47. *D. famil. erciſc. Si dum res in arbitrio eſt, de jure praedii controverſia ſit: placet omnes eos, inter quos arbiter ſumptus fuit, & agere, & opus novum nuntiare pro ſua quemque parte poſſe.* Neque Paulus noſter diſſentit: nam ei, qui debet ſervitutem, vel in ſerviente loco aedificare licet, modo aedificium illud ſervitutis uſum minime impediat, *l. ſervitutes* 20. §. *fin. D. de ſervit. urb. praedior.* Cum igitur in re aliena aedificatur, nuntiari nunquam poſſe exiſtimo, niſi opus nuntianti obeſſe appareat, *l.* 5. §. *Meminiſſe.* 10. *verſ. Aut ſi in ſuo. D. de oper. nov. nunt.* Et ideo ſervitutum nomine (quia illae in rebus tantum alienis conſtituuntur, *l. in re communi* 26. *D. de ſervit. urb. praed.*) tum nuntiari poteſt, ubi probatum erit opus nuntianti nocere: quod fiet, cum de ſervitute conſtituta docebitur. Alioqui ſi ante ſervitutis vindicationem nuntiaverit quis, nihil aget, nec valebit (ut Paulum noſtrum ſenſiſſe arbitror) nuntiatio, tanquam in re aliena facta. Is enim ipſe alio loco, *l. Si eo loco* 9. *D. Si ſervit. vindic.* ſcribit: *Si eo loco, per quem mihi iter debetur, tu aedificaveris, poſſum intendere jus mihi eſſe ire, agere. Quod ſi probavero; inhibebo opus novum. Idem Julianum ſcripſiſſe, ſi vicinus aedificando in ſuo effecerit, ut ne ſtillicidium meum reciperetur, poſſe me agere de jure meo, id eſt, jus eſſe mihi immittendi ſtillicidium, ſicut in via dixerat*; hoc eſt, ut ſi probavero, poſſim inhibere novum opus. Probata igitur (ex Juliani ſententia, *l.* 1. §. *Item Juliano* 4. *D. de remiſſ.*) ſervitute, domino ita aedificanti, ut ſervituti noceat, aut illam prorſus tollat, novum opus nuntiari poteſt. Ante vero ſervitutis probationem, praedii domino nuntia- aedificabit, quam ultro egerit, jus ſibi eſſe invito adverſario altius tollere. Nam in contumaciae poenam hactenus punitur, ut actoris partes ſuſtineat, nec prius aedificet, quam de jure ſuo probaverit. Itaque ſi rem defendiſſet, eas judicis partes futuras eſſe non dixiſſet apud Africanum Caſſius, ut eum, cum quo agitur, cavere jubeat, non prius aedificaturum ſe, quam jus ſibi eſſe aedes ſuas extollendi ultro intendiſſet. Quare explodenda eſt eorum ſententia, qui, ne videantur aliquid non inveniſſe, *viam aedificare* legendum ſentiunt, ut Juriſconſultus de adornatione & apparatu aedificii, in via poſiti, agere videatur.

(7) *An pignori ſervitutes dari poſſint.*

Servitutes conſtituuntur aut per *traditionem*, aut per *patientiam*, *l. Si ego emi* 11. *D. de Publician.* ut ſi quis forte vicinum aliquo jure in ſuo vel urbano vel ruſtico praedio uti paſſus ſit. Itaque Ulpianus ſcribit, *l.* 1. §. 1. *D. de ſerv. ruſtic. traditionem & patientiam ſervitutum inducere officium Praetoris*, id eſt, efficere, ut Praetor adeatur, qui officium ſuum interponat, hoc eſt, actionem det. Pignus autem vel *traditione*, vel *nuda pactione* contrahitur, *l.* 1. *D. de pignor. action.* Verum ſervitutes, cum res ſint (ut diximus) incorporales, nec tradi nec poſſideri ſine praediis, ideoque nec pignori dari poſſunt. Sed neque *ex tempore, neque ad tempus, neque ſub conditione, neque ad certam conditionem*, veluti quamdiu pecunia ſoluta non ſit, ipſo jure conſtituuntur, *l.* 4. *D. de ſervit.* Quae ratio Martianum movit, ut *jura praediorum* (nam in vetuſtiſſimis Codd. manuſcriptis & aliis ante Haloandri editionem excuſis *urbanorum* deeſt) *pignori dari non poſſe, ideoque nec convenire poſſe, ut hypothecae ſint*, diceret, *l. Si is qui* 12. §. *ult. D. de pignor.* Ait tamen ex Pomponii ſententia Paulus in via, itinere, actu, aquaeductu, admittendam eſſe *propter utilitatem contrahentium*, pignoris conventionem, *l. Sed an viae.* 12. *D. de pignor.* quod etiam in praediis urbanis obſervandum eſt, cum eadem ratio interveniat. Nam & Papinianus illius generis ſervitutem conſtitutionem, quae ipſo jure non valet, ita recipit, *ut per pacti vel doli exceptionem occurri contra placita ſervitutem vindicanti*, reſponderit, *d. l.* 4. *D. de ſervitut.* Quare ſervientis praedii dominum ſervitutem & in ſuo fundo conſtituere, & pignori dare poſſe conſtat: quamvis is, cujus praedio debetur, eandem nequeat pignori dare.

(8) *De uſufructu difficilis antinomia.*

Scribit Ulpianus, *l. Si cujus* 13. §. 6. *in fin. D. de uſufr. Uſufructuarium non poſiturum in fundo aedificium, niſi quod ad fructum percipiendum neceſſarium ſit.* Ait autem Neratius, *l. uſufructuar.* 61. *D. eod. Aedificium inchoatum fructuarium conſummare non poſſe, etiam ſi eo loco aliter uti non poſſit.* Permittit quidem ille ad fructus percipiendos conſervandoſque aedificari; hic vero nec inchoatum perfici aedificium vult: cum tamen ipſe *libro tertio Membranarum* facilius tueri, quod accepit, quam aliud novum facere permittat, *l.* 44. *eod.* Verum de his ſententiis ita judico, ut poſſit quidem (ex Ulpiani opinione) fructuarius, ſi aliter fructus percipere non poſſit, aedificium vel in fundo ponere, vel inchoatum conſummare. Quod ſi jam coeptum aedificium hujuſmodi ſit, ut ad fructuum perceptionem minime pertineat; illud (ut Neratio placuit) perficere non poterit: quamvis eo ipſo uti aliter non poſſit, cum alio in loco commode fructus conſervet.

Digitized by Google

[illegible] quo dominia primum distincta ſunt. Principio enim res omnes communes omnibus erant; & qui pedem aliquo in loco primus poſuiſſet, eum ſibi vindicabat: adeo ut inde expelli nullo modo nec poſſet, nec deberet, Cicer. *lib.* 1. *offic.* Nam ſi quis rem ab alio captam invaſiſſet, is jus commune omnium gentium, ipſamque adeo humanam ſocietatem violaſſe dicebatur, ideoque armis verus dominus reſtituebatur. Ariſt. & Hiſtoriog. Si quando igitur poſſeſſorem abeſſe contingeret, is ſuam animo retinebat poſſeſſionem. Et certe veriſimile eſt, eo tempore ſic cum poſſeſſione annexum fuiſſe dominium, ut non aliter quis dominus eſſe cognoſceretur, quam ſi ipſe poſſideret, atque rei corpore inſiſteret. Ideo a juris noſtri authoribus corporalis haec poſſeſſio dicitur, quam ii quoque habent, quibus nulla eſt domini opinio; ut ſunt fructuarii, coloni, depoſitarii, & alii plures, *l. Communi* 7. §. *Neque colonis.* 11. *D. Comm. divid. l.* 2. §. *Quod vulgo* 1. *D. Pro haer.* & *l. Naturaliter.* 12. *D. de acq. poſſ.* Et cum haec quidem poſſidendi ratio confuſa illo jure eſſet, ſeſe jus civile interpoſuit, vimque & confirmationem ei poſſeſſioni addidit: quae & juſta, id eſt, non violenta, non clandeſtina, non precaria eſſet, & abſolutum (ut inquit Harmenopulus *Lib.* 2. *Epitom. jur. civil. tit.* 1.) dominium ſibi annexum haberet. Itaque Theophilus inquilino, depoſitario, commodatario, naturaliter poſſidentibus, dominum civiliter poſſidere ſcripſit, *Inſtit. tit. de interd.* Illi enim dominantis animum non habent, ſed aliorum, qui dominii opinionem habent, nomine poſſident. Quare poſſumus generaliter *poſſeſſionem* definire cum Aelio Gallo apud Feſt. Pomp. *fundi vel aedificii uſum.* Cui ſi addideris ea, quae ex Jaboleno *lib.* 4. *epiſtolarum* colliguntur, *l. quaeſtion.* 115. *D. de verb. ſignif.* definitionem perficies: ut ſit *poſſeſſio, uſus fundi vel aedificii*, aut ut brevius dicam, *rei corporalis, a jure vel proprietate ſeparatus.* Et hac quidem definitione poſſeſſionis etiam naturalis ſubſtantia breviter & dilucide (meo judicio) explicatur. Nam & quid uſus verbo ineſſe videtur, quod ſatis detentionis nomen non exprimit; & res incorporales, quas non poſſideri diximus, ea excluduntur.

(2) Supereſt ut videamus, quomodo poſſeſſionis diviſio a Jureconſulto tradita intelligi debeat. Diximus *in tit. de jur. natur. gent. & civ.* introductas eſſe omnes ex jure gentium obligationes, easque etiam naturales dici. Sed animadvertendum eſt (quod tum obiter attigimus) ex iis obligationibus quasdam jus civile approbaſſe & confirmaſſe: quae ideo *civiles* appellantur, ut Imperator noſter Juſtinianus diſerte oſtendit, *tit. Inſtit. de obligat.* Aliae vero, quibus vim nullam dedit, & quas in ſua natura omnino reliquit, *naturales* dicuntur, & in ſuo nomine remanent. Idem de *naturali* & *civili poſſeſſione* dicendum exiſtimo. Illa enim jure naturali, haec vero jure civili (ut ex Pauli & Ulpiani ad Sabinum libris, *l. ſi eum qui.* 26. *D. de donat. inter vir. & uxor. l. Stipulatio iſta* 38. §. *haec quoque* 7. *D. de verb. obligat.* colligitur) prodita eſt. Itaque civilis ea erit poſſeſſio, quae certo jure civili comprobata eſt, id eſt, certam a jure civili formam accepit, legisque interpretatione valet. Naturalis autem, quae neque approbata, neque reprobata eſt a jure civili, ut ea, quae ſolo corpore conſiſtit. Sicque a juris authoribus accipitur: qui, cum ſimpliciter poſſeſſionis meminerunt, eam saepius intelligunt, quae civiles producit effectus; niſi res, de qua agitur, aliam exigat interpretationem. Ideoque Cajus *l. Adquiruntur* 10. *in fin. D. de acquir. rer. domin.* non poſſidere fructuarium abſolute dixit,

(3) *An ſequeſter poſſideat.*

Sequeſter dicitur (inquit Modeſtinus, *l. Sequeſter* 110. *D. de verb. ſign.*) *apud quem plures eandem rem, de qua controverſia eſt, depoſuerunt: dictus ab eo, quod occurrenti, aut quaſi ſequenti eos, qui contendunt, committitur.* Quam etymologiam noſtro quoque Alciato ob id diſplicuiſſe miror, quod *occurrere* & *ſequi* pro ſimilibus accipiat Juriſconſultus; quae tamen omnino diverſa ſunt. Nec enim is horum verborum vim ſatis intellexiſſe videtur, cum non diverſa conjungat Modeſtinus, ſed *ſequeſtrum* ex eo dici ſcribat, quod *ipſe contendentibus occurrat, & quaſi eos ſequatur.* Et *proprie* quidem *in ſequeſtro eſt depoſitum, quod a pluribus in ſolidum certa conditione cuſtodiendum reddendumque traditur, l. proprie* 6. *D. depoſ.* Quare apud Papinianum noſtrum (ſic enim clariſſimum illum Juriſconſultum & Praeceptorem noſtrum, Franciſcum Duarenum, appellare ſoleo) quaeritur, *Lib.* 3. *de ſacr. eccleſ. mini. cap.* 10. an & quomodo ſequeſter poſſideat. Exiſtimat autem ipſe, ſi ea mente ſequeſtratio fiat, ut ipſa poſſeſſio, de qua exiſtit controverſia, dimittatur, ſequeſtrem poſſidere; alias cuſtodiam rei tantum ei commiſſam videri. Sed, ſi incertum ſit, qua mente id factum fuerit, poſſeſſionem in eum tranſlatam minime interpretaturum ſe dicit: id quod ex Juliani verbis apertiſſime colligitur, *l. Intereſſe.* 39. *D. de acquir. poſſeſſ.* Quod autem ſcribit Florentinus, *l. Licet* 17. §. 1. *D. depoſ. rei depoſitae proprietatem apud deponentem manere, ſed & poſſeſſionem, niſi apud ſequeſtrum depoſita eſt*, non recte ab interpretibus vulgo accipi ait, ſed eum ſibi videri ſenſum eſſe, rei depoſitae poſſeſſionem apud deponentem manere, niſi ipſa poſſeſſio depoſita eſt, id eſt, niſi res animo dimittendae poſſeſſionis tradita eſt, ut Julianus ait. Notavi apud eum, quamvis *deponere* verbum *dimittere* aliquando ſignificet, non ſic tamen apud Florentinum interpretari nos poſſe: eum & titulus, ſub quo reſponſum ejus legitur, & ipſius verba exigant, ut vulgarem retineat ſignificationem. Notavi quoque etiam, ſi Florentinum ſic interpretemur, illum etiam hujus reſponſo ſuam confirmare poſſe ſententiam, ut depoſita dicatur poſſeſſio, id eſt, ut ipſi contendentes ſpecialiter & nominatim poſſeſſionem depoſuerint, nedum rem ipſam, ita ut illam apud ſe remanere noluerint. Ego vero aliter de Jureconſultorum reſponſis judico. Sentio enim, ſi res, qua de controverſia eſt, ſive apud judicem, ſive extra judicium (nam & ex ſola interpellatione, antequam lis inchoetur, controverſia eſt, *l. divus Pius* 5. & *l. ſed & ſi lege* 25. *D. de petit. haer.*) apud ſequeſtrum depoſita ſit: niſi expreſſum fuerit cuſtodiae tantum cauſa deponi, poſſeſſionem apud eum intelligi depoſitam. Nam ſequeſter ita demum poſſidet, ut neuter interim rem, qua de contendunt deponentes, uſucapiat. Id enim agitur ea depoſitione (quae poſteriora verba Florentini reſponſo inſerta parentheſi claudenda ſunt) id eſt, cum res apud ſequeſtrum deponitur, is eorum eſt animus, ut ſequeſter poſſideat, nec interim ex litigantibus aliquis uſucapiat. Et veriſimile quidem eſt, formulam aliquam & ſolennitatem veteribus fuiſſe in hujusmodi depoſito obſervari ſolitam.

(4) *Ad leg.* 12. *in* §. *nihil commune.* 1. *D. de acquir. poſſeſſ.*

Separata eſt (inquit Ulpianus *l.* 1. §. 2. *D. uti poſſid.*) *poſſeſſio a proprietate. Fieri enim poſſe conſtat, ut alter poſſeſſor ſit, dominus non ſit: alter dominus quidem ſit, poſſeſſor vero non ſit.* Et vindicatio quidem ei competit, qui rem ſuam eſſe affirmat, adverſus poſ-

poſ-

deatur, qui rem vindicavit. Daturus eſt igitur praetor interdictum, ne is poſſeſſionem amittat, qui prius in rem egerat. *Commodum enim in eo poſſidendi eſt quod etiam ſi ejus res non ſit, qui poſſidet, ſi modo actor non potuerit ſuam eſſe probare; remanet in ſuo loco poſſeſſio. Propter quam cauſam cum obſcura ſint utriusque jura, contra petitorem judicari ſolet*, §. 4. *verſ. Commodum. Inſtit. de interd.* Et certe plures eandem rem in ſolidum poſſidere non poſſunt: nec enim (ut eleganter ſcribit Paulus *l. 3. § Ex contrario. 5. D. de acquir. poſſeſſ.*) id tenere poſſum, quod tu quoque tenere videaris; ſive utriusque noſtrum juſta, ſive injuſta, ſive mea quidem juſta, tua vero injuſta ſit poſſeſſio. Nam in ſumma poſſeſſionis ſatis eſt poſſidere aliquem; nec inquirimus an juſte, an vero injuſte poſſideat: cum etiam ii, qui tenent, & reſtituendi facultatem habent, pro poſſeſſoribus habeantur, *l. Officium. 9. D. de rei vind.* Ideoque, cum de poſſeſſione inter aliquos controverſia eſt, & uterque ſe poſſidere dicit, ut in hac noſtra ſpecie, ad interdictum, *Uti poſſidetis*, veniunt contendentes, in quacunque cauſa & ſtatu ſit proprietatis quaeſtio.

CAPUT VII.

(1) *Quos bonae fidei poſſeſſor fructus ſuos faciat.*

B*Onae fidei poſſeſſor* inquit Julianus *l. Qui ſcit. 25 D. de uſur.*) *in percipiendis fructibus id juris habet, quod dominis praediorum tributum eſt.* Et Paulus *l. Bonae fidei 48. D. de acquir. rer. domin. Bonae fidei emptor* (ait) *non dubie percipiendo fructus etiam ex aliena re, ſuos interim facit, non tantum eos, qui diligentia & opera ejus provenerunt, ſed omnes; quia quod ad fructus attinet, loco domini pene eſt:* adeo ut antequam evictionis nomine egerit verus dominus, quod ad percipiendos eos fructus, quos ipſe ſevit, bonae fidei emptor intelligi debeat, etiam ſi prius cognoverit, rem alienam eſſe, idque propter culturam & operam; ut Julianus ſenſiſſe videtur. Cum enim prius bonae fidei emptorem ſeviſſe dixiſſet, rationem ſuae opinionis ſubjecit, ex qua apparet ita, ut retulimus, ipſum exiſtimaſſe. Inquit enim: *nam & ſervus alienus, quem bona fide emero, tandiu mihi ex re mea, vel ex operis ſuis acquirit, quandiu a me evictus non fuerit.* Hoc autem ea ratione dico, quia Ulpian. *l. Sed & ſi 2. §. ſi ante 7. D. de petit. haered.* omnes poſſeſſores pares fieri, & quaſi praedones teneri, cum coeperint ſcire rem ad ſe non pertinentem poſſideri. Et veretur apud Paulum Pomponius, ne non ſit ille bonae fidei poſſeſſor. Non eſt autem exiſtimandum, contraria eſſe Juriſconſultorum reſponſa; ſed ipſa ſic conjungenda ſunt, ut ſeſe mutuo interpretentur. Ob id autem quod Julianus ait, *cum evictus fuerit*, de litis conteſtatione interpretatus ſum; quia certum eſt, bonae fidei poſſeſſores poſt litis conteſtationem univerſos fructus reſtituere, *l. certum. 22. C. de rei vind. §. 2. verſ. Si vero. Inſt. de offic. judic.* Poſſet etiam de ſola interpellatione & controverſia intelligere, idque propter Ulpiani authoritatem, ut ad ſolum effectum reſpexiſſe Julianus videatur. Sed ad id, quod noſtrae quaeſtionis proprium eſt, revertamur. Omnes igitur omnino fructus bonae fidei poſſeſſor ſuos facit, nec Juriſconſultus animadverti differentiam inter eos conſtituere, qui natura proveniunt, & eos, qui noſtra opera & cura quaeruntur. Nam & in iis, qui ſua ſponte naſcuntur, quaedam adhiberi ſolet induſtria; & Julianus, & Juſtinianus emptionis, donationis, caeteraſque juſtas cauſas conjungat.

(2) *Ad l. fructus. 45. D. de uſuris.*

Diximus bonae fidei poſſeſſorem omnes fructus ſuos facere. Pomponius autem noſter ſcribit, *fructus percipiendo uxorem vel virum ex re, ſibi donata, ſuos facere: ſuos tantum, quos ſuis operis acquiſierit (veluti ſerendo) nam, ſi pomum decerpſerit, vel ex ſylva ceciderit, non ſit ejus; ſicuti nec cujuſlibet bonae fidei poſſeſſoris, quia non ex facto ejus is fructus naſcitur.* Et, ut Pomponium intelligamus, ſciendum eſt, *ſi vir uxori cedat poſſeſſionem cauſa donationis, ipſam natura poſſidere: quoniam res facti infirmari jure civili non poteſt*, *l. 1. §. 4. verſ. 4. D. de acq. poſſeſſ.* ideoque fructus (ut ab Ulpiano *l. De fructibus 17. D. de donat. int. vir. & uxor.* ſcriptum eſt) lucratur uxor, quamvis improbata ſit a jure hujuſmodi donatio, *l. Si eum qui 26. & ſim. D. de donation. int.* Hic igitur Pomponius noſter interpretatur, quos ex re, ſibi donata, vir vel uxor vel alius quilibet bonae fidei poſſeſſor (qui eam ipſam, licet contra jus civile donatam, bona fide poſſidet) fructus ſuos faciat. Et certe naturalis ratio poſtulat, ut quamvis infirmata ſit eis poſſeſſio jure civili, fructus tamen, in quibus percipiendis operam illi & curam poſuerunt, lucrentur, cum nihil mala fide faciant. Non igitur de omni bonae fidei poſſeſſore loquitur Pomponius, ſed de eo, qui rem uxori a viro vel contra donatam bona fide poſſidet, cui plus juris, quam ipſis conjugibus, tribuendum non eſt.

CAPUT VIII.

(1) *De eo quod intereſt, ad novam Juſtiniani conſtitutionem C. de ſent. quae pro eo quod intereſt proferuntur.*

QUam late pateat ejus quod intereſt appellatio, non ignoramus: verum, cum ſatis confuſa ſit, quae de propria ejus ſignificatione ſuſcipitur quaeſtio, nobis viſum eſt, ab ea noſtrae interpretationis exordium ducere. Quamobrem id quod intereſt, ut a Juſtiniano noſtro caeteriſque juris authoribus ſaepius accipitur, eſt omnino extra rem, & veram ipſius aeſtimationem, ſive verum pretium, *l. in furti 50. D. de furt.* id eſt, mea ſententia, non continetur re ipſa, ejuſve cauſa, aut aeſtimatione: nec ex iis pendet, ſed extrinſecus venit. Nam id quod intereſt non eſt ita extra rem, ut omnino ſine re conſiſtat, tanquam ſeparatum aliquid & diſtinctum: cum ſatis conſtet ſimplum illud, quod in duplo ineſt, *l. Cum forte. 44. D. de act. empt.* eſſe vel rem principaliter debitam, vel ejus aeſtimationem (ut pleriſque viſum eſt) ipſumque ſimplum venire in computationem ejus quod intereſt; ut praeclare Cajus *l. Liberum. 9. D. de religios. & ſumpt.* (in cujus reſponſo inepte quidem pro re ipſa id quod intereſt accipiunt) oſtendit: *Liberum eſt* (inquit) *ei, qui prohibetur mortuum inferre, aut ſtatim interdicto uti, quo prohibetur ei vis fieri, aut alio inferre, & poſtea in factum agere: per quam conſequetur actor, quanti interfuit, prohibitum non eſſe: in quam computationem cadit loci pretium; aut, ſi conduxerit, conducti merces.* Quod diſerte Ulpianus, *l. 1. D. de act. empt.* probat: *Si res vendita non tradatur*, ait, *in id quod intereſt agitur; hoc eſt, quanti rem habere emptoris intereſt: hoc autem interdum pretium egreditur ſi pluris intereſt, quam res valet, vel empta eſt.* Hoc autem

ideo

Digitized by Google

hil amplius interſit, utilitatem meam referendam eſſe ſcribit, *l. ſi vendidero.* 80. *D. de furt.* hic vero, de eo loquens, qui tabulas vel cautiones amovit, cum non tantum pretii earum tabularum, verum & ejus quod interfuit teneri dicit: quod ad aeſtimationem refertur ejus ſummae, quae in his tabulis continetur; ſcilicet ſi tanti interfuit, *l. Qui tabulas* 27. *D. de furt.* Quibus in duobus reſponſis, ut in pleriſque aliis (quae ſubjicerem, niſi res breviorem tractatum exigeret) conſtat, voluiſſe Juriſconſultos, ut in ejus quod intereſt computationem veniret aeſtimatio, ſi tantum interfuerit, *l. Ex hoc edicto.* 3. *D. de eo per quem.* non autem eos dixiſſe vel aeſtimationem eſſe id quod intereſt, vel in ipſa re illud ineſſe. His ita explicatis videndum eſt, quid ſit id quod intereſt. Equidem miror, noſtros interpretes voluiſſe Juriſconſultorum prudentiam vincere, &, ad exactam dialecticorum rationem, ejus quod intereſt definitionem referre: cum omnis in jure periculoſa ſit definitio, eaque facile ſubverti poſſit. Itaque nobis ſatisfaciet Pauli *l. Si commiſſa* 13. *D. Rem rat. habe.* ſive definitio ſive deſcriptio: atque id quod intereſt, eſſe dicemus id quod alicui abeſt, quodque lucrari potuit. A qua explicatione non diſcedit Ulpianus, *l. Apud Julianum* 11. *D. ad S. C. Trebell. Sed ſi quid aliud*, inquit, *ſua intereſſe dicet: non cogetur adire, niſi ei damnum vel lucrum fideicommiſſi ſarciatur.* Non igitur tantum in damno dato, ſed etiam in lucro amiſſo ejus quod intereſt habetur ratio, *l. Argentarius* 10. §. *Cum autem* 3. *D. de edend. l. Si ſervum.* 33. *D. ad leg. Aquil.* Aliquando tamen (ut ſcribit Sabinus) ſolum damnum non etiam lucrum ſpectatur, *l. Si is.* 71. *in fin. D. de furt.* Quod ſi id quod intereſt, in ſua genera diducere placeat: ejus non videntur eſſe aliae ſpecies, quam damnum datum, & lucrum amiſſum. In his enim tota ejus vis poſita eſt, hae totam ejus naturam explicant, atque ab eo ipſo manant. Nam reliquae, ab interpretibus excogitatae, jamjam exploſae ſunt, praeter eam, quae a quibuſdam magni nominis viris, exiſtimantibus intereſſe (utar enim illorum verbis) aliud propinquum, aliud remotum eſſe, probata eſt. Quorum mihi placere non poteſt ſententia: cum nec hoc noſtro reſcripto probetur, imo potius refellatur; nec Pauli reſponſo, *l. Si ſterilis.* 21 §. *Cum per venditorem* 3. *D. de act. empt.* Statuit enim Juſtinianus, ut quod revera judicatur damnum, hoc reddatur, & non ex quibuſdam machinationibus & immodicis perverſionibus in circuitus inextricabiles redigatur. Quid autem aliud eſt remotum illud intereſſe, quam quod non ex propinquis cauſis, ſed ex perverſionibus quibuſdam venit? Quod autem dicit Paulus, multos ſefellit: haec enim verba; *omnis utilitas emptoris in aeſtimationem venit, quae modo circa rem ipſam conſiſtit*: non de eo quod intereſt, ſed de quanti plurimi acceſſione (quae non niſi mora commiſſa debetur) intelligenda ſunt: eam vero a juris authoribus appellari intereſſe quanti plurimi, nunquam obſervavi. Et haec quidem acceſſio eſt circa rem, id eſt, non reſpicit ea, quae extrinſecus damnum adferunt, ſed ipſam omnino rei utilitatem: quod ſatis Ulpiani verba atque Pomponii indicant. In hac enim tantum quaeritur de aeſtimatione vini vel alterius rei, quae temporis lapſu creſcit vel minuitur, *l.* 3. §. *fin. D. de act. empt.* Sed quia in hoc Pauli reſponſum incidimus, videndum eſt, quid ſit quod ait, non omne id praeſtari emptori, quod habiturus erat, ſi vinum tempore ſuo fuiſſet traditum: cum dicatur in eum, qui pecuniam promiſit, agi incerti, quia venit in ſtipulationem id quod mea intereſt, *l. Si poenam.* 68. *l. Liber homo.* 118. §. *fin. D. de verb. oblig.* Equidem illus ageret, ejus tantum exempla ſubjecit. Nunc ad Juſtinianum noſtrum veniamus.

Conſtitutionis enarratio.

Reſcribit Imperator noſter, dubitaſſe veteres, quis modus atque finis ejus quod intereſt ſtatuendus eſſet. Et harum quidem dubitationum extant adhuc quaedam veſtigia in Digeſtis, *l.* 1 *l. Titius* 43. *& ll. ſeqq. l. Si ſterilis* 21. *l. Julianus* 13. *D. de act. empt.* de quibus poſt hanc conſtitutionem diſputare ocioſi eſt hominis. Itaque ſancit Juſtinianus, ut in omnibus caſibus, qui certam habent quantitatem vel naturam, hoc quod intereſt duplum minime excedat; in aliis vero, qui incerti eſſe videntur, judicis religioni & ſapientiae relinquit, ut quod revera cujuſque intereſt, damnum hoc reddatur. Caſus autem eſſe ſpecies ſive facta exiſtimo, in quibus verſatur id quod intereſt; quemadmodum in contractibus, in quibus quidam caſus certi, quidam incerti repetiuntur. Nec enim contractus, nec res in eum deducta, caſus eſt, quo de agimus. Certos eſſe caſus Imperator noſter dicit, qui certam habent quantitatem vel naturam. Certum vero illud eſt, quod definitum eſt ac determinatum. At enim Ulpianus, *l. Cum ii.* 8 §. *Si in annos ſingulos.* 23. *D. de transact. Si in annos ſingulos certa quantitas alicui fuerit relicta, veluti homini honeſtioris loci, ſalarium annuum vel uſusfructus.* Quantitas eſt apud juris authores cujuſque rei aeſtimatio, & (ut vulgo loquimur) valor. Atque ita Papinianus noſter Duarenus in *diſputat. anniverſ. lib.* 1. *cap.* 6. *l. A divo Pio* 65. *D. de re jud. l. quae extrinſecus.* 15. *D. de verb. oblig.* interpretatus eſt; & nos ſic ſenſiſſe Juſtinianum arbitramur. Hujus generis ſunt omnes res, quae pondere, numero vel menſura conſtant. Scribit enim Papinianus, *l. Si is cui.* 94. *D. de ſolut.* has res in quantitate eſſe. Sed & Ulpianus, *l. Stipulatio* 21. *in fin. D. de oper nov. nunt.* corporis aeſtimationem, operiſque quantitatem dixit: ut verius ſit, conſtitutionem noſtram generaliter intelligi de omni re, cujus certa ſit & definita quantitas ac aeſtimatio. Natura non id ſignificat, quod certos limites habet, ſed vim & conditionem, cuique rei inſitam & innatam. Sic enim ſtipulationum naturam dici, *l.* 2. *D. de verb. obl. l.* 1. *D. de praed. ſtip.* in noſtris *ad titulum de verborum obligationibus* notis indicavimus, & in commentariis probavimus; & ita cavillationis naturam appellari obſervavimus, *l. Ea eſt natura.* 65. *D. de reg. jur.* Sed cum intelligamus, qui ſint caſus certi, difficile non eſt eos cognoſcere, qui incerti eſſe videntur. Illi enim neque quantitatem, neque naturam certam habere videntur, ſed eorum dubia eſt, nec ſatis definita aeſtimatio vel conditio. Et in caſibus quidem certis id quod intereſt non excedit duplum; id eſt, quod damni vel lucri ratione extrinſecus accedit praeter ſimplum, illud ipſum non egreditur. Nam in duplo ſimplum ineſt. Quod quidem aliud nihil eſſe, quam certam quantitatem vel naturam conſtat. Hoc enim ipſum eſt, quod his in caſibus ſpectari Juſtinianus dicit. Conſequens eſt igitur, ut pro ſimplo habeatur, quod in hoc duplo ineſt. Et certe quod ait Imperator in omnibus contractibus, etiam de ſtrictis intelligitur, ut praeclare Ulpianus, *l. Si fundum certa die.* 114. *D. de verb. oblig.* oſtendit. Sed an & ii, qui dationem continent, ejus quod intereſt aeſtimatione recipiant, quaeritur: cum is, qui dare promiſit, dominii transferendi neceſſitate adſtringatur. Dixi breviter & dilucide in notis ad *titulum de verb. oblig. l. Ubi autem* 75. *in fin. D. de verb. oblig.* §. *Sic itaque. Inſt.* 14. *de act.* quid ſentirem. In commentariis vero meam confirmavi opinionem: diverſas autem

alio-

Digitized by Google

in juraret in litem propter *nummos ſibi ſua die non redditos*. Nec me movet exceptio, quae regulam contrariam facere videtur. Nam ea neque de eo quod intereſt, abſolute intelligitur, neque ad hoc reſcriptum pertinet. Ex quo ſatis conſtat, etiam id quod intereſt ſpectari, ubi certa eſt quantitas & aeſtimatio, quam nummi habent. Hanc vero conſtitutionem ad maleficia referre non auſim, tum, quod veteres Juriſconſultorum de eo quod intereſt in illis definiendo ambiguitates non obſervaverim; tum, quod de his nullum verbum fecerit Imperator noſter: imo potius, quod ſubjicit de poenis cum competenti moderamine a prudente & circumſpecto judice infligendis, ſatis oſtendit, praeſcriptam ab eo ejus quod intereſt taxationem, in delictis locum non habere: cum poenae nomen de noxae vindicta (ut ait Ulpianus *l. Aliud eſt fraus*. 131. *D. de verb. ſignific.*) intelligi debeat: nec poenam, quae loco ejus quod intereſt in obligationem deducitur, certo a legibus fine & modo (ſic enim finis apud juris authores uſurpatur, *l.* 1. *D. de pignor. l.* 5. *D. de coll. dot. l. Si cum* 66. §. *fin. D. de evict.*) concluſam eſſe videamus. Caſus certi ſpeciem Celſus, *l. Si jactum*. 12. *D. de act. empt.* in eo proponit, qui cum jactum retis vendidiſſet, & quod extraxerat piſcium reddere noluiſſet, in id condemnandus erat quod emptoris intereſſet; in aeſtimationem ſcilicet ejus quod extraxerat. Sed & illo eodem in loco caſum incertum tractat. Verum de eo pluribus dicendum eſt. Statuit Juſtinianus, ut in his caſibus, qui incerti eſſe videntur, judex per ſuam ſubtilitatem requirat, ut quod revera damnum inducitur, hoc reddatur; nec in infinitum produci permittat. Ex quibus verbis conſtat, ita judicem in caſuum incertorum diſcuſſione verſari debere, ut requirat quid in iis certi inveniatur, & ex certorum taxatione ſtatuat quod revera intereſt alicujus. Quid enim haec verba aliud ſignificant, ne, dum in infinitum computatio reducitur pro ſua impoſſibilitate cadat? Infinitum enim, immenſum & incertum interpretamur. Atque ita a Paulo, Ulpiano, caeteriſque Juriſconſultis, *l. Arbitrio*. 18. *D. de dolo malo. l. Qui reſtituere*. 68. *D. de rei vindict. l. videamus*. 4. *D. de in lit. jur.* in tractatu de in litem jurando accipi obſervavimus. Supereſt, ut caſuum incertorum ſpecies, quae celebriores ſunt in Digeſtis videamus. Et extant Pomponii & Ulpiani reſponſa, *l. Tenetur*. 6. §. *Sed ſi vas*. 4. *D. de act. empt.* & *l. ſed addes*. 19. §. 1. *D. locat. cond. l. Julianus*. 13. *D. de act. empt.* quae contraria videntur: de quibus, priuſquam quid nobis videatur dicamus, animadvertendum eſt, hujus conſtitutionis vim non ſatis obſervaſſe noſtros interpretes in explicandis veterum Juriſconſultorum reſponſis & ambiguitatibus. Si enim omnino eorum praeceptiones traditioneſque ſequamur, vix intelligemus, quid novi conſtituerit Imperator, & in quo dubiationes antiquas deciderit. Verum ipſis in mentem venire debebat vulgare illud: *Non eſt novum ut priores leges ad poſteriores trahantur*, *l. non eſt*. 26. *D. de ll. ſed* & *poſteriores ad priores reſpiciunt. l. ſed* & 28. *D. eod.* Itaque licet Juriſconſulti in caſibus incertis praeſtandum omnino eſſe id, quod deperiit, dicant; debemus tamen velut quadam exceptione & moderatione illud interpretari, ut non in infinitum producatur ejus quod intereſt taxatio. Nunc ad propoſita Juriſconſultorum reſponſa revertamur. Scribit Pomponius: *Si vas mihi vendideris; ita ut affirmares integrum: ſi id integrum non ſit, etiam id quod eo nomine perdiderim, praeſtabis mihi. Si vero* aut tignum vitioſum vendidit, & eum, qui ignorans, dicit. Et certe conſtat eos non diſtinxiſſe, an quis eam artem vel negociationem profiteatur, nec ne (ipſi enim aeque venditoris meminerunt) ſed diſerte in vaſis & doliis ſpeciale aliquid conſtituiſſe; nec immerito! quia in his facilius a negociatore vitia cognoſcuntur. Poſtremo notandum eſt, id quod intereſt peti actione, quae ex ipſo negotio vel contractu ſive nominato ſive innominato nacitur, *l. fin. D. Si quis in jus vocat. l Liberum eſt*. 9. *D. de relig.* & *ſum. l.* 1. & *al. D. de act. empt l. Naturalis* 5. *D. de praeſcr. verb. l. liber homo*. 118. *D. de verb. oblig.* §. *fin. Inſtit. de empt.*

CAPUT IX.

Enarratio l. frater a fratre. 38. *D. de cond. indeb.*

JUre gentium vel naturali, (quo proditae ſunt illae conventiones, quas primum in commerciis inter homines ineundis & utiles & neceſſarias omnes gentes uno conſenſu judicarunt) nihil intereſt, quis contrahat, an liber, an ſervus; an paterfamilias, an vero filiusfamilias. Naturalis enim eſt aequitas & ratio, cujus vinculo ſuſtinetur obligatio, *l. Stichum, aut* 95. §. *Naturalis*. 4. *D. de ſolut.* quae ex ejuſmodi contractu naſci poteſt: quae cum ea ſervari jubeat, quae homines ratione & conſilio utentes promiſerunt, conſtat ipſam aequales omnino facere illos, qui recte & intelligenter contrahunt. Civitatis autem Romanae moribus jus introductum eſt, quo obligatio illa non reprobata eſt, ſed omne ejus commodum, omnis effectus & vis denique omnis, ut caeterarum rerum, ab his, qui in poteſtate ſunt, ad eos, qui ipſos in poteſtate habent, tranſlata eſt, *l. Placet* 79. *D. de acq. haered. tit. Inſtit. Per quas perſon. nob. acq. oblig. l. fin. C. de bon. quae lib. l. Sed* & *ſi damnum* 9. *D. de pecul.* ut & agere contra debitores, & excipere poſſint, aliamve utilitatem ſentiant, ea ne momento quidem ullo apud filios aut ſervos remanente. Sed & videtur pejor ſervorum conditio: de qua dicemus alias. Cum igitur naturalem illam obligationem ita perferat jus civile, ut ei tantum vim ſuam deneget, aut (quod verius eſt) alio transferat, conſtat eam omnes ſuos retinere effectus; ut & Africanus noſter & alii probant. Quare ſi forte paterfamilias ſuis liberis puſillum patrimonium det, ipſos jure naturali ejus dominos eſſe conſtat, ut de eo contrahendo & negotiando ſibi naturaliter acquirant, non patri: poſſint mutuo obligari; & ſi quid ipſis ex eo debito naturali ſolutum ſit, retinere. Quia vero hujuſmodi peculii conſtitutio, juris civilis imaginatione introducta eſt (cum certe jure naturali proprium filiorumfamilias diceretur patrimonium, *l. Depoſiti*. 5. & *l. ſeq. D. de pecul.*) eo quoque jure ipſius dominus cenſetur pater. Si quam igitur ſui fratris obligationem, unus ex filiis ex hoc ipſo peculio quaeſierit; eam ſibi ſuo jure pater tribuit: quae, eo mortuo, ut res alia, inter haeredes cum ſuo effectu dividunda tranſit. Atque ſi duo illi fratres ſoli haeredes ſint: qui pecuniam acceperat, pro ea parte, qua eſt haeres, liberatur; pro alia remanet nihilominus fratri obligatus, non ita quidem, ut exigi debitum ab eo poſſit: ſed ſi ſolverit, ut retineatur: contracta enim inter illos obligatio, propter patriam poteſtatem & legis authoritatem in ſuo naturali ſtatu remanet. Sed fingamus, debitorem filium, ſive ante familiam erciſcun-

fratri perſolviſſe: quaeritur quid tanquam indebitum repetere poſſit? Et Africanus reſpondit, eum *pro ea parte, qua patri haeres extitiſſet, repetiturum; pro ea vero, qua frater haeres extitiſſet, ita repetiturum, ſi non minus ex peculio ſuo ad fratrem perveniſſet*: id eſt, ſi propter illud debitum non fuiſſet diminutum fratris debitoris peculium, atque ita ejus debiti ratione minus frater creditor ex alterius peculio accepiſſet. Naturalis enim obligatio, quae fuerat, hoc ipſo ſublata videtur, quia partem peculii fraterni integram, id eſt, debiti ratione non diminutam, conſecutus eſt creditor. Erat autem peculiare hoc debitum, ipſumque ideo peculium ſequebatur. His ita explicatis, & extraneorum argumento comprobatis, de naturali, quae inter patrem & filium contrahitur, obligatione, non obſcure diſputat Africanus.

CAPUT X.

De Diviſione fructuum inter conjuges ſoluto matrimonio.

Variis modis antiquitus ſolvebantur matrimonia, ideoque etiam inter virum & uxorem divortio facto, innumerae de diviſione fructuum oriebantur controverſiae, quas Ulpianus noſter, lib. 35. ad Sabinum eleganter decidit, *l. fructus* 7. §. 1. *D. Solut. matr.* Difficillimum autem videtur quod ille ſcribit: *Papinianum lib. undecimo Quaeſtionum, divortio facto fructus dividi dixiſſe non ex die locationis, ſed habita ratione praecedentis temporis, quo mulier in matrimonio fuit. Neque enim ſi vindemiae tempore fundus in dotem datus ſit, cumque vir ex calendis Novembribus primis fruendum locaverit, menſis Januarii ſuprema die facto divortio, retinere virum & vindemiae fructus, & ejus anni quo divortium factum eſt, quartam partem mercedis aequum eſt. Alioquin ſi coactis vindemiis altera die divortium intercedat, fructus integros retinebit. Itaque ſi in fine menſis Januarii divortium fiat, & quatuor menſibus matrimonium ſteterit: vindemiae fructus & quarta portio mercedis inſtantis anni confundi debebunt, ut ex ea pecunia tertia portio viro relinquatur.* Ad hujus aequiſſimae Papiniani ſententiae interpretationem duo obſervanda ſunt. Unum eſt, fructus vindemiae a meſſium mercede, quae colonum ex forma locationibus ſequebantur, ſeparatos fuiſſe; quod Ulpianus noſter diſerte hoc loco indicat: *Item ſi meſſes ejus anni* (inquit §. 3.) *quo divortium factum eſt, colonum ex forma locationis ſequantur; ante vindemiam ſoluto matrimonio, nihilominus pecunia meſſium in computationem cum ſpe futurae vindemiae veniet.* Alterum eſt, quod maxime notandum diximus, fructus vindemiarum pro modo temporis, quo ſtetit matrimonium, retinere & lucrari maritum: quod ſi ii obſervaſſent, qui eos ſolos vindemiae fructus in computationem venire voluerunt, quos ante locationem lucratus erat vir; aequiorem forte proportionem nobis reliquiſſent. Quamdiu enim matrimonii onera ſuſtinet, eum rei dotalis fructus ſuos facere aequum eſt: *l. Si is qui Stichum* 56. *D. de jur. dot. l. Pro oneribus.* 20. *C. eod. tit.* Et certe cum in propoſita ſpecie quatuor menſibus ſtetiſſe matrimonium dixerit Papinianus, conſequens videtur, ut, pro ejus temporis modo, fructus vindemiae retineat. Nam & uxor futuram poſt divortium factum totam lucratur vindemiam: ſed quia fundum colono fruendum locaverit matrimonio ſtante vir, & trium menſium debet mercedem colonus; viſum eſt eos vindemiae fructus cum hac mercedis portione confundi debere, ut ex ea pecunia tertia reditus annui portio relinquatur. Exemplo rem oculis ſubjicere placet. vindemiae tantum ratione movemus, octo retinebit: illi enim tertiam fructuum partem conſtituunt. Sed & ex inſtantis anni mercede quarta pars, quae tribus aureis aeſtimatur, cum illis confundi debet; ut ex ea pecunia fiat & conficiatur tertia totius annui reditus portio, quam undecim aureorum eſſe conſtat. Confundere enim eſt, in contributionem venire, computare, in computationem venire: his enim locutionibus indifferenter hoc in loco utitur noſter Ulpianus. Equidem ſcio, ſi integri fructus vindemiae cum tota mercede addantur, eos triginta ſex conſtituere, ut duodecim potius tertiam eorum partem faciant. Sed juris noſtri authores non adeo & ad ſingulas, ut ajunt, fractiones, ſuas computationes exegerunt, maxime cum nec aequum videretur, ut tertiam illam partem praeciſe haberet: quod & ex vindemiae fructibus, & ex quarta mercedis parte, quantum juſtum videbatur retineret.

CAPUT XI.

Ad l. Centurio. 15. D. de vulg. & pupill. ſubſtitut.

Subſtitutio (quae eſt inſtitutio haeredis ſecundo gradu vel deinceps facta, *l. 1. D. hoc tit.* Cajus *in Inſtit.*) vel fit ab eo, qui communi jure teſtatur, vel a milite, qui in expeditionem neceſſitate de rebus ſuis diſponit: & utraque quidem vulgaris eſt, aut pupillaris. Vulgarem dici communem, & vulgo ac promiſcue fieri ſolitam, ex Cicerone *Lib. de orat. & alibi.* aliiſque magni nominis viris, nedum ex noſtris Juriſconſultis conſtat. Pupillaris a parentibus liberis impuberibus, quos habent in poteſtate, fit ſub conditione, ſi intra pubertatem deceſſerint. Ad hujus exemplum introducta eſt alia, quae fit a parentibus filiis furioſis, dementibus, aut mente captis, *l. humanitates* 9. *C. de impub. & al. ſubſtit.* Quas tres ſpecies *lib.* 2. latiſſime perſequemur. Reliquae enim ab his diſtinguendae ſunt formae, cum qualitates & accidentia reſpiciant. Et militibus quidem permulta conceſſa ſunt ab Imperatoribus privilegia; ut Trajanus (Ulpiano referente, *l. 1. D. de milit. teſt.*) voluerit conficere teſtamenta, quo modo vellent ac poſſent; ſufficeretque, ad bonorum ſuorum diviſionem faciendam, nudam voluntatem teſtatoris. Militaris teſtamenti ſpeciem Papinianus refert: *Centurio* (inquit) *filio, ſi intra viceſimum & quintum aetatis annum ſine liberis vita deceſſerit, directa* (id eſt, verbis civilibus, quibus lex jubet haeredem inſtitui, quae etiam legitima appellantur, *l. verbis civil.* 7. *D. eod. l. ult. C. de teſt. tut.*) *ſubſtituit. Intra quatuordecim annos etiam propria bona filii ſubſtitutus jure communi capiet: poſt eam autem aetatem ex privilegio militum patris duntaxat cum fructibus inventis in haereditate.* Et haec quidem ſubſtitutio etiam in ſecundum caſum compendio ſermonis) ut Imperatorum verbis utar *l. Precibus* 8. *C. de impub. & al.*) facta eſt: id eſt, ſic teſtatus eſt miles, ut non ſolum in eum caſum, quo filius intra decimumquartum ſuae aetatis annum deceſſerit, ſed etiam ſi poſtea, ſubſtituerit; idque non expreſſe nec verbis ſolennibus, ſed ſermonis compendio, & (ut ita loquar) breviloquio. Caeterum conſtat, non poſſe paganum ſic filio ſuo impuberi ſubſtituere, ut etiam directo poſt decimumquartum aetatis annum alius ei ſubrogetur. Et is, qui ut ſubſtitutus non admittitur, quandoque non erit ut adjectus primo gradu inſtituto filio cohaeres: ne ſi totum integrum filius interim non haberet, contra teſtatoris voluntatem fieret, *l. Verbis civilibus* 7. *D. eod.* Receptum eſt tamen, ut in fideicommiſſi cauſam etiam ultra illud

tem-

Digitized by Google

autem, cum jure communi ſuccedit, ipſum directo adire haereditatem: praeterea in fideicommiſſariam haereditatis reſtitutionem fructus non venire, *l. In fideicom.* 18. *D. Ad SCtum Treb.* Itaque cum & eodem modo ſuccedere videatur ex privilegio, atque ſi jure communi haeres fieret, & fructus in haereditate inventos capiat; directo ad patris haereditatem venire dicendus eſt. Sed Imperatores in non diverſa ſpecie a matre militis ſucceſſionem obtinente, veluti ex cauſa fideicommiſſi, bona, quae ipſius fuerunt, peti poſſe reſcripſerunt. Unde conſtat vim ſubſtitutionis non directam, ſed precariam eſſe. Haec ſunt Diocletian. & Max. verba *d.l. Precibus.* 8. *C. de Impub. Sin vero poſt pubertatem: tunc ejus* (loquitur de filio, qui inſtitutus erat in primo gradu) *te ſucceſſionem obtinente veluti ex cauſa fideicommiſſi bona, quae cum moreretur patris ejus fuerunt, a te peti poſſunt.* Nec intelligo, cur potius in Papiniani reſponſo, quam in Imperatoris conſtitutione ſuo uſus videatur privilegio miles; ſed nec, quid aetatis praefinitio differentiae conſtituat: cum & de ea, quae expreſſa eſt, & quae tacite intellecta generaliter definitur, idem dicendum nemo ignoret. Miſere laborant omnes in obſcuranda re perquam facili. Papinianus quidem ſcribit, militem directo ſubſtituiſſe, atque iis verbis, quae ex jure civili deſcendunt, non autem fideicommiſſariis: ait, ſubſtitutum intra pubertatem jure communi, quo & reliqui cives utuntur, bona etiam filii capere; ſed quo jure poſt pubertatem ſuccedat, an Praetorio, vel eo, quod ex Conſulum authoritate deſcendit, *tit. de fideicomm. haered. Inſt. lib.* 2. an vero ipſe jure civili, non exprimit; ſed tantum dicit, ipſum ex privilegio militum bona patris cum fructibus in haereditate inventis accipere: ut, quod diximus, de fideicommiſſaria haereditatis reſtitutione, in quam fructus non veniunt, militum privilegia non mutet. Sed nec Imperatores cauſam eſſe omnino fideicommiſſariam ajunt; ſed cum mater filii ſucceſſionem (quae etiam immiſta patris teſtatoris bona habebat) obtineret, peti ab ea voluerunt, ac ſi rogata eſſet ipſa reſtituere illa patris bona, ſive atque ſi miles tanquam alius paganus, non verbis directis, ſed precariis, poſt filii pubertatem ſubſtituiſſet. Quare ſive directo ſive ex fideicommiſſaria cauſa ſubſtitutus a milite, poſt filii in pubertate mortui obitum velit teſtatoris bona capere, audiendus eſt, & ex militum privilegio una cum haereditate fructus in ea inventos conſequetur.

CAPUT XII.

De rei Aeſtimatione, & aliis acceſſionibus, quae ex mora pendent.

Diximus de mora (quae eſt injuſta dandi faciendive, quod dari fieri oportet, dilatio, *l. Mora* 32. *l. Sciendum.* 21. *l. ſi quis ſolut.* 24. *D. de uſur.*) multis in locis, & maxime in noſtris notis & commentariis *de verb. oblig.* Sed mihi in hac quaeſtione nunquam ſatisfacio: tum quod & utilis ſit, & a juris authoribus confuſe tractata. Primum igitur conſtat, in omnibus omnino judiciis ſive ſtrictis, ſive arbitrariis, ſive bonae fidei, ſemper ſpectari tempus vel locum, de quo inter contrahentes convenit, *l. Vinum* 22. *D. Si cert. petat l. Quoties in diem* 59. *D. de verb. oblig. l. ult. D. de condict. trit. l.* 3. §. 4. *verſ. Item. D. de act. empt.* Illi *pus ſpectetur.* Quae verba ſic intelligo: in bonae fidei judiciis actori deferet juramentum judex, ex ejus arbitrio aeſtimatio rei ſtatuatur, atque ita obſervabitur tempus rei judicandae, id eſt, tempus illud, quo judicaturus arbitraturusve judex aeſtimationem ab eo, qui juravit, factam ſequitur. Nam regulare eſt, ut in bonae fidei judiciis in litem juretur; in ſtrictis vero tum demum juratur, cum judex aeſtimare ſine delatione jurisjurandi non poteſt rem, quae non extat; *l. In actionib.* 5. §. 4. *D. de in lit. jur.* nec ſolum dolus vel contumacia ſpectatur, idque propter naturam judiciorum, quae a nobis *tertio libro* explicabitur. Et tum quidem in his judiciis idem atque in illis dicendum arbitror. Cum vero in iis de tempore litis conteſtatae loquimur, ſic intelligere oportet, ut omne tempus, quod a lite conteſtata ad rem judicandam currit, comprehendatur. Non enim Juriſconſulti ita loquuntur, ut ſolum illud momentum, quo lis conteſtatur, inſpici debeat, ſed ut praecedens omne tempus, excludant. Et illud tempus eſt, quod condemnationis Servium appellare ſcribit Ulpianus, *l. in hac* 3. *D. de cond. tritic.* Loquitur autem de condictione triticaria, quae non minus eſt ſtricti juris, quam mutuum, ad cujus naturam quam proxime accedit. Sic autem condemnationis tempus accipi debere probat, quod Pomponius, *l.* 3. §. *Si per* 3. *l. Si ſterilis* 21. §. *Cum per* 3. *D. de act. empt.* ait, ſi per venditorem vini mora fuerit, quo minus traderet: condemnari eum oportere, utro tempore pluris vinum fuerit vel quo venit, vel quo lis in condemnationem deducitur. Conſtat vero ipſam quanti plurimi aeſtimationem (de qua ipſe Pomponius loquitur) creſcere, ſi vinum etiam eo tempore, quo res judicanda eſt, pluris ſit. Sed quid multis? Conſtituit generalem regulam Papinianus, *l. In fideicommiſſ.* 3. §. *in his quoque.* 1. *D. de uſur. ut in his judiciis, quae non ſunt arbitraria, nec bonae fidei, poſt litem conteſtatam actori cauſa omnis praeſtanda ſit in eum diem, quo ſententia dicitur,* Cauſa vero quid aliud eſt, quam id omne, quod habiturus eſſet actor, ſi res ei litis conteſtatae tempore ſoluta fuiſſet, *l. Praeterea* 20. *D. de rei. vind. l. cum fundus* 31. *D. ſi cert. pet.* Obſervandum quoque illud eſt, ut ſemper ſpectetur tempus, quo noviſſime res ſolvi potuit, *l. Si calendis.* 11. *D. de re judicat. l. Si in Aſia.* 12. *D. Depoſ. & ſim.* ideoque ſi res interierit, mortis tempus cum quodam temperamento, & (ut ait Celſus) ἐν πλάτει ſpectandum eſt, id eſt, inſpicere oportet, quanto pluris fuerit eo tempore, quo forte mortifero vulnere deceſſit. Sed in utroque caſu, ſive res ſit in rebus humanis, ſive eſſe deſierit, ſi poſt moram ea deterior facta ſit, ad tempus morae in his erit reducenda aeſtimatio: idque merito; quia omne detrimentum promiſſoris eſt. Illudque noviſſimum eſt tempus, quo res commodiſſime ſolvi potuit: ideo litis conteſtatae tempus expectandum non videtur. Non diverſae rationes Africanum, *l. Hominem* 37. *D. Mandat.* moverunt, ut in ea ſpecie, qua qui hominem certum alterius nomine dari fidejuſſerat, cum ipſum ſolvit: aeſtimationem ad id potius tempus, quo ſolutum eſt, non quo agitur, referendam eſſe reſponderet. Quamvis autem de mandati judicio, quod eſt bonae fidei, agat diſerte; tamen oſtendit idem in ſtipulatione dicendum eſſe, ſi forte per promiſſorem ſteterit. Ex his (meo judicio) ſatis intelligitur, quid de aeſtimatione ſenſerint juris authores. De interitu autem vel periculo rei, poſt moram extinctae, vel de-

Digitized by Google

[illegible] quaeſtionibus definiri poteſt: ut, ſi quid credi-tor re ſibi reſtituta conſequi potuiſſet, quod propter ipſius interitum, qui poſt moram a debitore factam evenit, non poteſt, utique aeſtimatio debeatur, *l. 14. §. Sed & ſi 9. D. quod met. cauſ. l. 15 in fin D. de rei vind. l. 12. § ſi poſt. 4. D. Ad exhibend.* Contra vero, ſi interitura eſſet ea res, & ſi eam actori reſtituiſſet, debitor poſt moram interitu naturali vel alio liberetur, *l. 14. D Depoſ. l. fin. §. Si ea cond. 1. D. Ad leg. Rhod. de jact. l. 6 D. de jur. dot. l. 36. §. ſi praedo. 3. D. de pet. haer.* Et hunc inevitabilem (ut ita loquar) interitum, recte fatum cum Pholoſophis appellat Paulus lib. 21. ad edictum, *l. 16. D. de rei vind.* Qui enim fieri poteſt, ut eam debitor mortem praeſtet, cui humano conſilio providere non poſſit? Alios effectus morae latius aliquando explicabimus.

CAPUT XIII.

Ad leg. 115. D. de verb. obligationibus.

IN hujus legis enarratione multum elaborant Interpretes, quorum commenta ſi referrem, non minus, quam illi, ridendus viderer. Dicam igitur, quam breviſſime potero, quid ſentiam. Sed prius admoneo, obſervandum eſſe diligenter, quod ſcribit Paulus, *l. Triticum. 94. D. de verb obligat.* in hac ſtipulatione, *Triticum dare ſpondes?* facti quaeſtionem, non juris verſari: nam, ſi ex conjecturis appareat, quid actum ſit; etiam, ſi nulla certa quantitas huic ſtipulationi adjecta ſit, ipſa tamen valet. Eandem rationem in non diverſis ſpeciebus ſequuti ſunt Juriſconſulti, *l. 30. D. de legat. 2. l. 12. D. de legat. 3. l. 7. D. de trit. vin. vel ole. leg. l. 62. §. Gener. 4. D. de jur. dot.* illamque obſervandam arbitror, etiam cum de diei adjectione agitur. Papinianus enim noſter utramque comparat: ut verius ſit in dubio utramque eſſe imperfectam. Itaque ſi dies per errorem omiſſa ſit, non minus imperfecta eſt ſtipulatio, quam ea, quae, cum de certo genere & certa quantitate concipienda erat, ponderis tamen, menſurae, aut numeri mentionem non continet. Cujus rei hanc eſſe rationem arbitror: quia nihil actum dici poſſit, cum id, quod agebant contrahentes, ut ſtipulationem adſtringerent, actum non ſit: in ſtipulationibus autem ſemper id ſequamur, quod actum ſit, *l. 34. D. de regul. jur.* Et ſpectandum in hac ſpecie non eſſe exiſtimo, an prius de die exprimenda contrahentes egerint; ſed nec, an deficiat probatio. Id enim neceſſe non eſt: ſed ea mente contrahentes ad ſtipulationem deveniſſe ſufficit, ut diem certam exprimerent. Praeterea probationis defectus ſtipulationem non vitiat, cum ea jam ſubſiſtat, nec obligationis naturam reſpiciat probatio, verum ſit extraneum aliquid, rei naturam non immutans, *l. 14. C. de probat.* Itaque ea mens contrahentium fuerat, ut certa dies diceretur, non ut certa die ſe ſiſteret promiſſor; ut in ſpecie *legis* 94. agebatur non de certa menſura praeſtanda, ſed de ea adjicienda, quae tamen per errorem omiſſa eſt. Vulgare enim eſt, *in contrahendo quod agitur pro cauto habendum eſſe, l. 3. D ſi cert. petat.* Videndum eſt igitur, quid actum ſit. Nam ſi praeter opinionem omiſerint diem contrahentes, atque in concipienda ſtipulatione erraverint, ea imperfecta eſt: quia non tenetur ea die, quae omiſſa eſt, ſe ſiſtere promiſſor; alia vero non prodeſt, quia non intereſt ſtipulantis. Quod ſi vel ſcientes prudentes diem omiſerint contrahentes, vel de ipſa adjicienda nihil

quam ſi conſtiterit, [illegible] non poſſe. Idem in dandi obligatione Pegaſum ſcripſiſſe refert: Sabinum autem exiſtimaſſe poſtquam res dari potuiſſet, confeſtim agendum, idque ex ſententia contrahentium; quorum eam fuiſſe mentem veriſimile eſt. Id autem defendebat Sabinus, exemplo penus legatae. Haeredem etenim ſi dare potuiſſet penum, nec dediſſet confeſtim, in pecuniam legatam teneri ſcripſit, idque utilitatis cauſa receptum eſt ob defuncti voluntatem, & ipſius rei naturam. Tum neque omnino approbans, neque refellens Sabini ſententiam Papinianus ſubjicit, eam poſſe recipi, ſi poenalis ſtipulatio non a conditione, ſed ab ipſa conventione coeperit. Quod ipſe ſine dubio verum eſſe ait, cum id actum probatur. Itaque ſi ea contrahentium ſententia non fuerit, recipi Sabini opinio non poteſt. Quod verius eſt: cum ipſe Papinianus ex ſua ſententia prius ſcripſerit, poenalem ſtipulationem (ita conceptam, ut ab initio ageretur, ut quocunque die promiſſor ſiſteret, & ſi non ſtetiſſet, pecuniam daret) quaſi quamlibet ſtipulationem, ſub conditione conceptam, vires habere, nec ante committi, quam fuerit declaratum reum promittendi ſiſti non poſſe. Sed nec Sabini rationes ipſius ſententiam maxime confirmant: quia ſtipulationum & legatorum eadem non eſt ratio. Nam in legatis inſpiciendum eſt, ut defunctorum voluntates quam primum licet impleantur: quod & teſtatoris ſententia & utilitas, ac rei natura ſuadet. Penus enim legatum alimentorum ſimile eſt, nec dilationem magnam expectare poteſt. Verum ſtipulationes in ambiguo contra ſtipulatorem omnes interpretamur: cum in ejus poteſtate fuerit ipſas clarius concipere. Quare ex his, quae Papinianus in hac quaeſtione ſcripſit, conſtare illud opinor, ut ex quacunque poenali ſtipulatione, ſub negativa conditione concepta, ſive ea dandi, ſive faciendi ſit, ſive ab ea, ſive a conventione ſtipulatio incipiat, non prius ex ipſa agi poſſit, quam ſi deſierit poſſe adimpleri conditio; niſi aliud inter contrahentes actum eſſe appareat. Quod & in aliis negotiis, ut legatis, locum habet, ſi quid aliud favore quodam vel utilitatis cauſa receptum non ſit ob defuncti voluntatem, & ipſius rei naturam, *l. 1. §. item ſi ita 8. D. ad l. Falcid. l. 1. D. de penu legat. l. 20. D. de ſtatulib. l. 24. D. Quand. dies leg. &c.* Et certe hujuſmodi ſtipulationes in quaeſtione facti, non juris (ut ſupra diximus) verſantur. At in dubio id ſequendum, quod veriſimilius eſt ſenſiſſe contrahentes. Illud autem eſſe conſtat, quod ex Papiniano retuli. Ex hac noſtra interpretatione commentitias eſſe, quae ex hoc reſponſo colliguntur, regulas intelligere quiſque poterit; ut eas longiori diſputatione refellere non oporteat.

CAPUT XIV.

De Militiis.

MIlites ex eo appellatos eſſe Marcus Varro ſcribit, quod primum ex tribus hominum millibus legio conſtaret, atque ſingulae Tatienſium, Rhamnenſium & Lucerum tribus millia ſingula militum mitterent. Unde qui unus de illis mille eſſet, miles dicebatur. Et principio quidem illos a veteribus milites dictos fuiſſe ſolos, qui belli periculis corpus ſuum, vitamque objiciebant, ex antiquis monumentis conſtat. Inde militiam pro bello non hiſtoriographi tantum, ſed etiam juris noſtri authores, & alii de lingua Romana bene meriti uſurpant. Quodam ve-

Digitized by Google

peis, & thoracibus nitantur, ſed etiam advocatos. Nam militant cauſarum patroni, qui glorioſae vocis confiſi munimine, laborantium ſpem, vitam, ac poſteros defendunt. Ex M. Tullius Cicero urbanam militiam reſpondendi, ſcribendi, & cavendi dixit: *Servius hic* (*pro Murena cap.* 9. inquit) *nobiſcum hanc urbanam militiam reſpondendi, ſcribendi, cavendi, plenam ſolicitudinis & ſtomachi ſequutus eſt; jus civile didicit, multum laboravit, praeſto multis fuit.* Juris autem noſtri authores cum de iis, qui militare poſſunt, loquuntur, armatam (ut ajunt) militiam intelligunt, & ad propriam militiae appellationem propius reſpiciunt: quamvis aliam, quae vera (ut ita dicam) & germana non eſt, ſed ipſa inermis dicitur, ab illa diſtinguant: quos in hac diſputatione ſequendos mihi propoſui. Itaque militiarum duo eſſe genera exiſtimo, quae Juſtinianus *Tit. Negotiatores ne militent*, 35. *lib.* 12. C. diſerte explicat: *Eos, qui vel in hac alma urbe, vel in provinciis cuidam ergaſterio praeſunt, militare de caetero prohibemus* (inquit) *exceptis argenti diſtractoribus, qui in hac alma urbe negotiantur. Hos enim, utpote utiles omnibus contractibus, armata quidem militia penitus abſtinere ſancimus; aliam vero quamcunque ſine metu praeſentis ſanctionis poſſe ſibi acquirere.* Ex his conſtat, militiam quandam eſſe armatam, quandam vero inermem. Illa quidem (de qua prius dicendum eſt) recte, mea ſententia, in officialem & non officialem dividitur. Extat enim *Titulus in Codice Juſtinianeo, de filiis officialium militiarum, qui in bello moriuntur:* 48. *lib.* 12. ejuſque una conſtitutio, quae eſt Imperatoris Conſtantini, officia milites habuiſſe oſtendit; cujus haec ſunt verba: *Hi, qui ex officialibus quorumcunque officiorum geniti ſunt, ſive eorundem parentes adhuc ſacramento tenentur, ſive jam dimiſſi ſunt in parentum militium vocentur.* Nam eorum mihi non placet opinio, qui eandem eſſe officii & militiae ſignificationem exiſtimant. Quoſdam enim milites nullo officii genere ornatos fuiſſe ex eo conſtat, quod Imperatores eorum, qui aliqua dignitate praediti ſunt, officia, aliorum vero militias ſimpliciter dicant: ad eos ſaepius officia referant, qui in urbana verſantur militia, ut ſunt proximi ſacrorum ſcriniorum. Ideoque Juſtinianus de ordinandis Quaeſtoris ſacri palatii adjutoribus ſtatuens, *idem in aliis quoque pene officiis omnibus obſervari* reſcribit. Quibus verbis non oſtendit militias & officia indifferenter uſurpari, ſed in omnibus pene officiis obſervari, ut pro ratione temporum, quibus libelli porrecti ſunt, ordinentur. Et autem conſtitutio eſt ſub titulo de proximis ſacrorum ſcriniorum, *l.* 13. *C. de prox. ſacr. ſcrin. lib.* 12. quorum militam, exercitationem ſeu officium in ſcriniis palatii, id eſt, memoriae, epiſtolarum libellorumque ac diſpoſitionum fuiſſe Theodoſ. Arcad. & Honor. ſcribunt, *l.* 3. *& ſeq. C. de proxim. ſac. ſcr.* Et annonas quidem, quae hujuſmodi officiis adſolent delegari, ad ſimilitudinem militum, quibus aerariae praebentur annonae, adaerari praecipit Leo, *l.* 15. *C. de erog milit. ann.* ut veriſimile ſit, ad militum ſimilitudinem inſtituta fuiſſe hujuſmodi officia. De iis vero militibus loquimur, qui bellorum periculis expoſiti, gladiis, clypeis, & thoracibus nituntur: quorum alios cum ſine officio, alios vero officiales fuiſſe diximus, ejuſdem omnino militia cum officio ſignificationis eſſe non poteſt. Militia vero non officialis a Valent. Theod. & Arcad. *l.* 5. *C. de numerar. lib.* 12. cohortalis dici mihi videtur: *Exceptores* (inquiunt)

bant: ſed eos, qui ex cohortis numero nulla dignitate ornati erant. Et quod Valentinianus *l.* 10. *C. de cohortal.* ſcribit, eos, *qui chartas vel tabulas, vel quodcunque aliud miniſterium cohortis optaverint, non ante accedere permitti, quam eorum nomen matricalis receptum primitus fuerit*; aliam cohortalis militiae ſignificationem eſſe non oſtendit. Scio tamen cohortales aliquando dici eos, qui cohortalibus (ut ait Anaſtaſius *l. ult. C. de cohort.*) obſequiis obligati ſunt: quibus non fuere tot tantaque privilegia, quanta militibus ipſis. Sed de iis poſtea: nec enim recte armatis militibus connumerantur. Inermis militia quaedam eſt, quae negotiationis ſeu profeſſionis propria eſt; quaedam, quae praeter negotiationem ſeu profeſſionem competit. Hanc diſtinctionem ex duabus Juſtiniani conſtitutionibus collegi: quarum Una eſt ſub titulo *C. Negotiatores ne militent*; Altera, quam Anaſtaſio nonnulli tribuunt, exſtat ſub titulo *C. de Juriſdictione omnium judicum.* In illa ſic reſcribit Imperator: *Illis, qui ad armorum extructionem ſuam profeſſionem contulerint, minime prohibendis ad competentem ſuae profeſſionis venire militiam, & hujusmodi negotiationem nihilominus retinere.* Quibus verbis oſtendit, quandam eſſe militiam, quae ipſi cohaeret profeſſioni, eamque comitatur; ut qui negotiationem hujusmodi exercet, a militia non excludatur. Hujus generis ſunt omnes negotiationes, quae majorum (ut ita dicam) militiarum quaedam eſſe appendices videntur. Eas adminicula caeterarum dignitatum Leo, *l.* 15. *C. de erog milit. ann.* appellat: *Annonas omnes* (inquit) *quae univerſis officiis atque ſacri palatii miniſteriis, & ſacris ſcriniis, caeteriſque cunctarum adminiculis dignitatum adſolent delegari &c.* unde Barbagiorum, Fabricenſium, & apparitorum militia dicitur, *l.* 8. *de murilegulis. l.* 6. *de Fabricen. lib.* 11. *C. l.* 3. *de diverſ. offic. lib* 12. *C.* Ita recte collegium fabrorum, centonariorumque militiae Ravennatis & Mediolanenſis in antiquis lapidum inſcriptionibus militiam vocari exiſtimo. Erant enim iſti armatae militiae adjutores, & ex eorum numero, quos militibus miniſtrare diximus. Alia eſt militia, quae praeter negotiationem ſeu profeſſionem competit, id eſt, quae nulli cohaeret negotiationi, ſeu profeſſioni. Ejus meminit Juſtinianus in ultima (ut a nobis dictum eſt) conſtitutione, *tit. C. de juriſdict. omn. judicum. Quapropter jubemus* (inquit) *hujusmodi hominibus nec cujuslibet militiae ſeu cinguli vel dignitatis praerogativam in hac parte ſuppetere: ſed eos, qui ſtatutis in qualibet militia annumerati ſunt, vel qui dignitatem aliquam praetendunt, iis judicibus, tam in publicis, quam in privatis cauſis obedire, ad quorum ſolicitudinem profeſſionis ſeu negotiationis, quam praeter militiam exercent, gubernatio videtur reſpicere*; id eſt, non propter certam militiam exercent. Neque enim cum Haloandro *propter militiam* legendum eſt. Et certe non omnes negotiatores ab omnibus removentur militiis, ſed ii tantum, qui diverſarum rerum negotiationibus detinentur; quos ergaſterio praeeſſe dicunt Imperatores. Zeno *l.* 12. §. 3 *C. de cohortal. lib.* 12. *Sed etiam cunctos* (inquit) *qui diverſarum rerum negotiationibus detinentur, trapezitas ſcilicet, vel gemmarum, argentique veſtiumve venditores: apothecarios etiam, caeteroſque inſtitores aliarum mercium quibuscunque ergaſteriis adhaerentes, jubemus a provincialibus officiis removeri: ut omnis honor atque militia a contagione hujusmodi ſegregetur.* Qua conſtitutione indicat negotiatores, qui ergaſteriis praeſunt, a militiis provincialibus removeri,

Digitized by Google

vel in hac alma urbe, vel in provinciis cuidam ergaſterio praeſunt, militare de caetero prohibemus: exceptis argenti diſtractoribus, qui in hac alma urbe negotiantur. Hos enim, &c. Quo reſcripto Zenonis conſtitutioni addit, ut nullam, qui ergaſterio praeſunt, militiam, ne inermem quidem, exerceant: cum ille de armata tantum & officiali ſtatuiſſet. Interpretari autem Juſtinianum ex alio ipſius reſcripto oportet, ut non modo argenti diſtractores, militias, quae armatae non ſunt, habere permittantur; ſed omnes alii negotiatores, profeſſoresve, qui ergaſteriis non praeſunt. Ideo enim illos excipit Imperator, quia officinae, quae a Graecis *ἐργαστήριον* dicitur, adhaerere videntur. Quamobrem is ipſe Juſtinianus, *l. ult. C. de pignor.* argenti diſtractores, metaxarios, & alios quarumcunque ſpecierum negotiatores acquirere militias poſſe reſcribit. Specierum autem negotiatores intelligi, non qui diverſarum rerum negotiationibus occupati aliquid operae mechanicae exhibent, & venale proponunt, ſed qui in ergaſterio minime operantur, mercesque venales quaeſtus quotidiani cauſa non oſtentant, verum quascunque alias honeſtae negotiationis ſpecies exercent: *Opifices enim omnes* (ut eleganter M. T. Cicero *de offic. lib. 1. cap.* 42. ſcribit) *in ſordida arte verſantur; nec quicquam ingenuum poteſt habere officina.*

Eſt alia militiae diviſio, quam in hac ipſa conſtitutione attingit Juſtinianus: ait enim, *Quamcunque liberis ſuis vel alio modo cognatis militiam negotiatores acquiſierint, eam tamen quae vendi, & ad haeredes ſub certa definitione transmitti poteſt, creditoribus jure hypothecae teneri.* Quibus verbis oſtendit, quandam eſſe militiam, quae nec alienari, nec ad haeredes transmitti ullo modo poteſt; aliam quae vendi, ad haeredesque transferri poteſt, verum non libere & abſolute, ſed ſub certa definitione.

Tertium militiae genus ex *Novella* ejusdem *conſtitutione* 53. colligitur. Ipſe enim ſancit, ut militiae, quae ex caſu vocantur, non cuivis temere hypothecae nomine opponantur. Ut haec militiarum genera explicemus, intelligendum eſt, non otioſe Imperatorem noſtrum hanc ſive exceptionem, ſive interpretationem, *eam tamen, quae vendi, & ad haeredes ſub certa definitione transmitti poteſt*, adjeciſſe. Cum enim latiſſima ſit militiae appellatio, nec ad omnem adſpirare negotiatoribus liceat: quam ipſi acquirere poſſint, oſtendit, ut id ſenſiſſe videatur: quamcunque negotiatores militiam acquiſierint, eam tamen, cujus ſunt capaces, id eſt, eam, quae vendi, & ad heredes transmitti poteſt. Ex his conſtat eam alienari, & ad haeredes transmitti poſſe militiam, quae ab argenti diſtractoribus & aliis negotiatoribus, ergaſterio non adhaerentibus, etiam acquiri poteſt: quam a nonnullis privatam militiam ſeu collegium; ab aliis officium, quod ad haeredes & quoſlibet alios ſucceſſores tranſit, appellari ſcio; ut eſt eorum munus, qui regiis diplomatibus ceram imprimunt, quos calefactores cerae dicimus. Sed neque illorum abſurda non videtur interpretatio, neque horum ſententia ad juris authorum opinionem accedit. Si enim militias, corpora & ſodalitia lege, ſenatusconſulto, vel principis placito conſtituta interpretemur, omnes negotiatores, etiam ii, qui ergaſteriis adhaerent, militias habere permittentur, eritque inanis Juſtiniani conſtitutio, qui (ut diximus) ne ad inermem quidem militiam eos aſpirare vult. Sed & ſervi in collegia tenuiorum volentibus dominis recipi poſſunt; cum tamen ab omni militia excludantur, *l. 3. D. de colleg. & corp. l. 6. C. qui milit.* Quod vero de officiis dicitur, ad noſtros quidem mores propius, quam ad Quiritum [illegible] aliud tamen ſignificare militia videtur; & maxime in hoc argumento. Itaque, ut ingenue quod ſentio dicam, ipſa haec militia, quae vendi, pignori obligari, & ad haeredes transmitti poteſt, eſſe mihi videtur exercitatio quaedam publica, populi Romani vel principis authoritate, ad ſimilitudinem ejus militiae, quae armatis militibus adſignatur, conſtituta: cui annua ſalaria, certaque emolumenta aut ex annonis publicis, aut aliunde adſignata erant. Et veriſimile quidem eſt, eum, qui ipſam inſtituerat, certa definitione ejus alienationem, ad haeredesque transmiſſionem circumſcripſiſſe: quod Juſtinianum obiter notaſſe diximus. Haec autem eſt militia, de qua ſaepius noſtri Juriſconſulti loquuntur. Celſus, *l. 22. D. de legat. 2. Lucius Titius* (inquit) *in teſtamento ſuo Publio Maevio militiam ſuam reliquit, ſive pecuniam, quaecunque redigi ex venditione ejus potuerit, cum ſuis commodis*, id eſt, ſalariis. Nam commodorum appellatio latiſſime patet, atque ex argumento & re ſubjecta interpretationem accipit. Ulpianus, *l. 11. §. 16. D. de legat. 3. Si ſervo alieno militia relinquatur, an domino quaeratur legatum, dubitatur. Et aut ſcit ſervum eſſe, & dico aeſtimationem deberi; aut ignoravit, & denegari fideicomiſſi perſequutionem: quia ſi ſciſſet ſervum, non reliquiſſet.* Scaevola, *l. penult. §. 2. D. de legat. 3. Alumno praecepit militiam his verbis: Sempronio alumno meo illud & illud: & cum per aetatem licebit, militiam illam cum introitu comparari volo: haecque omnia integra.* Ex quibus verbis alienandae hujus militiae ratio colligitur. Nam cum ipſa ſit pecunia comparanda (ut etiam ex Juſtiniano, *l. ult. C. de pignor.* conſtat) aequum eſt, ut vendi, pignori dari, & ad haeredes transmitti poſſit, ut caetera, quae in commercium hominum veniunt. Sed & pro introitu certum aliquid dandum erat, quod militiis cum collegiis & corporibus commune erat. Idem ipſe Scaevola lib. 7. Digeſtor. *l. 52. §. 2. D de act. empt. Inter venditorem & emptorem militiae ita convenit, ut ſalarium, quod debebatur ab illa perſona, emptori cederet. Quaeſitum eſt, emptor militiae quam quantitatem a quo exigere, & quid ex hujusmodi pacto venditor emptori praeſtare debeat. Reſpondit, venditorem actiones extraordinarias eo nomine quas haberet praeſtare debere.* Quod autem de ſalario ab alia perſona praeſtando ſcribit, novellae Juſtiniani conſtitutioni, *Nov.* 53 convenire non videtur. Hic enim omnem militiam publicam eſſe, neque aliunde omnino reditum habere, quam ex principali liberalitate dicit. Verum obſervandum eſt, Haloandri interpretationem cum graeca ſcriptura omnino non conſentire; ſic enim eſt Graece: *καὶ τοι πάσης στρατείας δημοσίας οὔσης*, id eſt, quanquam tota militia eſſet publica. Loquitur autem de iis militiis, quae pignori obligari non poterant, ſed quas Imperatores, ſpeciali quodam jure ac humanitate & clementia moti, creditoribus hypothecae habere concedebant, quamvis totae publicae eſſent, neque aliunde, quam ex principis liberalitate reditum haberent. Unde a contrario colligi poteſt, quasdam fuiſſe militias, quae omnino publicae non erant & aliunde, quam ex principalibus annonis ſalarium habebant, quae ipſo jure alienari, ad haeredeque transmitti poterant, id eſt, ſine ulla principum indulgentia, & humana permiſſione. Mihi vero non placet, quod quidam Scaevolae reſponſum enarrantes ſcripſerunt, milites aut a principe, aut aliunde ex publico ſalarium vel annonas vel quidvis aliud certum accepiſſe: nihil tamen vetitum fuiſſe, cur non alia etiam emolumenta perciperent ab iis, qui eorum opera uterentur: ut hodie judices ſportulas a litigantibus recipiunt, & noſtri actuarii & graphiarii ab iis,

qui.

Digitized by Google

veriſimilius, & ad Scaevolae ſententiam propius accedens videtur, ſalarium, militiae debitum, ex principis vel Reipublicae authoritate, a certa perſona ſolvi oportuiſſe. Nam (ut facile conjicio) non abſurde quis dicat, principem vel Rempublicam ſalaria hujuſmodi militiae a certis quibusdam perſonis praeſtanda adſignaſſe, quae extraordinaria actione petebantur, id eſt, non datis a Praetore judicibus, ſed ipſo cognoſcente extra ordinem magiſtratu. Generaliter a nobis definitum eſt, quae militiae vendi, pignori obligari, & ad haeredes transmitti poſſunt; de quibus multae initio controverſiae fuerunt: ſed ex diverſis juris authorum libris quaenam illae ſint, tandem conſtitit. Et, ut finem huic diſputationi faciam, expreſſe Juſtinianus, *l. 30. C. de inoffic. teſt. l. 5. C. Qui milit. poſſ. lib.* 12. oſtendit, eas diſtrahi, & in alios conferri militias poſſe, quae certa pecunia acquiri poſſunt, quaeque ut caetera in commercium hominum veniunt.

De iis autem militiis, quae alienari non poſſunt (quod ſecundum eſt noſtrae quaeſtionis caput) non eſt adeo dubitatum. Nam cum omnes perſonis eorum, a quibus exercentur, quodam modo haereant, non facile diſtingui poterant illae, quas alienare licebat, ſed diſtrahi nullas poſſe videbatur. Quae tamen illae ſint, ex ſuperioribus intelligi poteſt. Quare ad tertium genus veniamus, in quo major difficultas verſatur. Et diſerte quidem Juſtinianus tria militiarum genera, aut certe duo, quorum alterum ſubdiſtribuit, facere videtur. Primum enim quaſdam eſſe militias ſcribit, quas vendi aut pignori obligari poſſe conſtat. Tum ſubjicit, alias priſcis temporibus fuiſſe, quae non hypothecae ferebantur, ſed obſoleta quaedam & prorſus ex uſu ſublata nomina, quas poſtea Imperatores, inopia creditorum perſpecta, ipſis ſpeciali jure, & humanitatis (ut ita dicam) gratia praebebant, *Novell.* 53. *c.* 5. Poſtremo eam ob cauſam ſancit (id eſt, quia Imperatores interpellantium creditorum miſerati, earum militiarum jus praebebant) ut militiae, quae ex caſu vocantur, non cuivis temere hypothecae nomine opponantur. Quorum verborum hic mihi ſenſus eſſe videtur: Ut quemadmodum Imperatores in illis militiis, quae pignori non obligabantur, ſed earum loco obſoleta quaedam nomina ferebantur, quae imaginariam quandam hypothecam concipiebant, jus pignoris, cognita, ut ſic loquar, creditorum paupertate, dabant, atque ſi vere pignori tenerentur: ita ſancit Juſtinianus, ut hae militiae, quae ex caſu vocantur (quas eum a caeteris ſeparare veriſimile eſt, aut certe ut quibuſdam placuit, tanquam ſub ſecundo genere comprehenſas diſtinguere, ac ſi vellet moderari interpretarive principum liberalitatem) non cuivis temere creditori hypothecae nomine opponantur, id eſt, non niſi cognita cauſa, perſpectaque ejus paupertate, praeterquam ſi is ſit, qui in hoc mutuam pecuniam dedit, ut ille militia potiretur. Fieri autem non poteſt, ut hanc conſtitutionem intelligamus, niſi quae ſint ex caſu militiae, cognoverimus. Equidem clariſſimum Juriſconſultum Laelium Taurellum eas ex caſu militias appellare ſcio, quae in alios transferri ex neceſſaria tantum cauſa per fortuitum caſum imminente poterant. Sed ea conſtitutio, *l. ult. C. de prox. sac. ſcr.* quam refert, ipſius ſententiam nullo modo juvat. Nam ſi nulla ſit alia ratio, ob quam illae ex caſu dicantur militiae, eandem ob cauſam reliquae omnes, quas diſtrahi & ad haeredes transmitti ſub certa decunque ſubrogari poſſe Juſtinianus reſcribit, ſed eos tantum, quos ipſe enumerat: nec fortuitum omnem caſum amplectitur, verum ſolius mortis meminit. Melius igitur alii, qui ex caſu militias fuiſſe putant, quae non deferebantur haeredibus; verum mortuo milite ad ipſum principem aut alium magiſtratum jus earum concedendarum redibat. Sed vereor, ne longius a Juſtiniani ſententia diſcedant. Nam & illae militiae, quarum jus creditores ab Imperatoribus obtinebant, non erant haereditariae: a quibus tamen eas, quae ex caſu vocantur, diſtinguit Imperator. Praeterea ſic illi novam hanc conſtitutionem interpretantur, ut filios & uxorem in militia patris & mariti, ſi ſolvendo ſit, ſuccedere; verum ſi inops, eam habere non tanquam ex ſucceſſione, ſed ex principis beneficio Juſtinianus velit. Quibus verbis ſignificant, hanc militiam, ſi ſolvendo ſit, non cadere; verum, ſi inops, ad principem redire, ex cujus liberalitate ipſi filii & uxor eam accipiant. Quod quam recte, & ad hanc conſtitutionem appoſite dicatur, aliorum ſit judicium. Ego vero ex caſu militias dici arbitror, quae ex caſu pendebant; adeo ut ipſae, ſi forte milites ſine ulla ſubrogatione (quam vulgo reſignationem appellant) decedere contingeret, ad principem venirent, de quibus ipſi ſuo arbitratu ante Juſtiniani conſtitutionem diſponendi poteſtas erat. Sed ab earum commerciis non excludebantur milites, niſi caſu facto (ſic enim Imperator noſter loquitur *Nov.* 97.) id eſt, niſi hujuſmodi caſus accideret, quo militia tanquam caduca ad principem veniret.

Non difficile autem eſt intelligere, quid inter hoc militiae genus, & reliqua duo, de quibus jam diximus, interſit. Nam ante caſum factum libere alienari diſtrahique poterat; poſt ipſum vero idem pene obſervabatur atque in militia, quam ipſo jure vendi, pignori obligari, & ad haeredes tranſire non poſſe diximus: ut in ea ſcilicet creditor temere jus hypothecae non haberet, niſi pecuniam ad eam emendam credidiſſet. Eſt & alia, quae ex hoc loco colligitur differentia, ut ex caſu militiae acquiri pecunia potuerint, quemadmodum illae, quas ſub primo genere complexi ſumus: cum tamen reliquae ex mera principum liberalitate proficiſcantur, quas ſecundo generi adſcripſimus. Verum illae, quas alienari oſtendimus, etiam ſine ſubrogatione ad haeredes transeunt, ut caetera, quae in defuncti haereditate inveniuntur. Aliae vero nec diſtrahi, nec ad ſucceſſores transmitti, intercedente etiam ſubrogatione poſſunt, niſi principi placuerit. Eſt igitur hoc medium quoddam genus utriusque particeps, vel potius expers, ut de temperato dicendi genere Cicero noſter in *Oratore cap.* 6. ſcribit. Itaque, ut finem faciam, ex caſu militiae ſunt, quae tanquam fortunae caſibus expoſitae, ita ex eorum, qui ipſas habent, arbitrio pendere videntur, ut, ſi quid tamen infortunii accidat, quod ipſis liberam diſponendi facultatem auferat, ad principis nutum veniant.

CAPUT XV.

Ad l. Gallus. 29. D. de liberis & poſthumis.

JUreconſultorum munus in interpretando, cavendo, & reſpondendo fuiſſe accepimus. Qui vero rempublicam illis officiis juvabant, gratiſſimi populo Romano erant, ut hic noſter Gallus Aquilius Q. Mutii P. filii Pontificis Maximi auditor: de quo M. Tul-

borem, fidem ſuam populo Romano promptam expoſitamque praebuit: qui ita juſtus & bonus vir eſt, ut natura, non diſciplina conſultus eſſe videatur: ita peritus ac prudens, ut ex jure civili non ſcientia ſolum quaedam, verumetiam bonitas nata illi videatur: cujus tantum eſt ingenium, tam prompta fides, ut quicquid inde haurias, purum, liquidumque te haurire ſentias. Itaque Gallus, cum ſaepe poſthumorum nepotum praeteritione, qui filio morte ſubtracto agnaſcebantur, teſtamenta rumpi videret, ipſeque iterum atque iterum ſemel ea de re conſultus formulam teſtatoribus praeſcriberet, qua ſuorum teſtamentorum conſervationi proſpicerent, hanc in populi uſum cautionem ac formulam utilem & neceſſariam induxit, quam interpretatus eſt Serbidius Scaevola: ad quem veniemus, cum hujus cautionis originem indagaverimus. Eleganter Juſtinianus in *Novella conſtitut.* 22. *c.* 2. reſcribit, *ut omnia, quaecunque ab hodierno die teſtator diſponat, ſive vir exiſtat ſive mulier, ea firmitatem habeant. Sanciat enim quiſque* (ait) *in rebus ſuis ut dignum eſt, & pro lege voluntas ejus eſto; quemadmodum nobis leu etiam omnium vetuſtiſſima, & quae prima fere Romanis conſtituit Rempublicam, nempe* XII. *tabb. vetere & patria lingua his pene verbis inquit:* Is uti legassit suae rei, ita jus esto. Nam verbis legis XII. tabul. latiſſima poteſtas tributa videtur & haeredes inſtituendi, & legata & libertates dandi, tutelas quoque conſtituendi, *l. Verbis legis.* 120. *D de verb. ſignific.* Hanc quidem legem antiquiſſimam, & cum humano genere natam, omniumque gentium mentibus inſcriptam eſſe, M. Tull. Cicero *lib.* 3. *de finibus* oſtendit, & Iſocrates in *Aeginetico.* Ipſa enim nos docuit natura, ut de iis ſaltem, quae noſtro labore & induſtria paravimus, libere diſponamus: ideoque non mirum eſt, ſi, cum Graeci de aliis juris partibus parum inter ſeſe convenirent, in hanc tamen unam de jure teſtandi, tanquam naturalem legem, omnes conſentirent. Cum igitur lege XII. tabul. lata adeo poteſtas teſtatoribus data ſit, illa poſthumorum quorumcunque inſtitutionem conceſſam fuiſſe arbitror, ut quod Juſtinianus §. *Poſthumus* 28. *Inſtit. de legat.* ſcribit, alienos poſthumos & antea inſtitui potuiſſe, & nunc poſſe, ex ipſius conſtitutione interpretationem accipiat: ut lege XII. tabul. (quae alienos poſthumos ante ea tempora, quibus ipſo jure inſtitui non poterant, permiſerat haeredes fieri) recte inſtitui haeredes potuerint; & nunc ex noſtra conſtitutione, quae liberam teſtandi facultatem quadam Prudentum ſubtilitate ſopitam reſtituit, poſſint. Verum eam poteſtatem interpretatione Prudentum coanguſtatam fuiſſe, Pomponius *d. l verbis* 120. ſcribit: cujus opinionem ſequutus ita apud Juſtinianum *titul. Inſtit. de bon. poſſeſſ.* alio loco interpretor, quod alieni poſthumi inſtitutionem jure civili non valuiſſe dicit. Jus enim civile Pomponius noſter, *l.* 2. *D de orig. jur.* appellat Prudentum interpretationem; ſic enim ait §. 5. *His legibus latis* (loquitur de legibus XII. tabb.) *coepit, ut naturaliter evenire ſolet, ut interpretatio deſideraret Prudentium authoritatem, neceſſariamque eſſe diſputationem fori: haec diſputatio, & hoc jus, quod ſine ſcripto venit compoſitum, a Parentibus propria parte aliqua non appellatur, ut caeterae partes juris ſuis nominibus deſignantur* (*datis propriis nominibus caeteris partibus*) *ſed communi nomine jus civile appellatur.* Quare haec alieni poſthumi inſtituendi prohibitio, non lege ipſa XII. tabul, ſed quodam uſu, qui ex Prudentum interpretatione manavit, introducta eſt. Quod & alii doctiſſimi juris interpretes ante me ſenſerunt: verum propius, quam ſcholaſtici doctores ad Imperatoris ſententiam non acceſſerunt. Nullum certe eſt XII. tabb. caput, ea ſententia a Pomponio diſerte refellatur, & Juſtinianus noſter *tit. Inſt. de exhaer. lib.* dicat, vetuſtatem mediamque juriſprudentiam omnes eas ſubtilitates, quas ipſe ſua conſtitutione ſuſtulit, introduxiſſe; legem vero XII. tabb. illas ignoraſſe: ideoque Praetores, qui ſimplex jus, &, ut a Decemviris conſtitutum erat, ſequebantur, horum poſthumorum inſtitutiones probaverunt, eiſque bonorum poſſeſſionem dederunt. Qua autem ratione moti Prudentes alienos poſthumos inſtituendos non eſſe reſponderint, quaeritur. Equidem Juriſconſultis placuiſſe exiſtimo, incertas perſonas inſtitui non poſſe: quia (ut in Ulpiani epitome *tit.* 22. legitur) certum conſilium debet eſſe teſtantis. Nulla autem is certa & deliberata animi ſententia ac voluntate in eum opes facultateſque ſuas conferre poteſt, quem dubia opinione teſtator animo ſuo ſubjicit. Nec enim commodum atque tutum eſt, eum ſcribere haeredem, qui licet teſtamenti tempore in rerum natura eſſe videatur; incertum eſt tamen, an ipſe naſciturus ſit, haereſque eſſe poſſit. Et haec quidem de alienis poſthumis. Suos enim haeredes ſcribere nullo jure prohibitus eſt teſtator: cum ſimul atque concepti ſunt, quodammodo rerum paternarum domini exiſtimentur, *l. in ſuis* 11 *D. de lib. & poſthum.* ut teſtamentum valere non poſſit, in quo praeteritus eſt is, qui poſt mortem naſci poteſt filius, ſuuſque haeres. Unde Africanus, *l. Si filius.* 16. *D. eod. ſi filius haeres inſtitutus ſit omiſſo poſthumo, filioque ſubſtitutus nepos ex eo ſit; ſi interim moriatur filius poſthumo non nato: nepotem tam patri, quam avo ſuum haeredem futurum* reſpondit: quia cum praeteritione poſthumi ſui, qui revera teſtamenti tempore conceptus erat, nullum ſit teſtamentum, ex eoque alter filius jam natus adire haereditatem non poſſit, avo nepos ſuccedit. Ex his conſtat, poſthumos quoſdam ſuos eſſe; quoſdam vero alienos. Illi ſui dicuntur, quos nemo in jure ſui praecedit; ut ſunt omnes primi gradus. Et ii quidem *vel haeredes inſtitui, vel exhaeredari debent*, §. 1. *verſ. Poſthumi. Inſtitut. de exh. lib.* author Ulpiani *tit.* 22. §. 15. epitomes: *Poſthumi quoque liberi*, inquit, *id eſt, qui in utero ſunt; ſi tales ſint, ut nati in poteſtate noſtra futuri ſint, ſuorum haeredum numero ſunt.* Alieni poſthumi appellantur, qui quandocunque naſcentur, inter ſuos haeredes teſtatori futuri non ſunt, §. *Poſthumo.* 26. *Inſt. de legat.* Extraneum enim vel alienum dicimus eum, qui teſtatoris juri ſubjectus non eſt, §. *Caeteri.* 3. *Inſt. de haered qual. & differ.* Sunt vero quidam poſthumi, qui, ſi tempore teſtamenti naſcerentur, ſui non forent; verum ſperantur ſui haeredes futuri, filio ſcilicet ante teſtatorem mortuo. Sed cum induxiſſent Prudentes, poſthumos alienos recte ſcribi haeredes non poſſe, hi etiam inſtituendi non videbantur: quia ſi teſtamenti tempus ſpectetur, ii ſui poſthumi ſoli dicuntur, qui tum nati, eum de rebus ſuis diſponit teſtator, ſui haeredes futuri eſſent: nepotes autem poſthumi ſi eo tempore naſcerentur, ſuis haeredibus annumerari non poſſent. Saepe autem contingebat, ut, mortuo ante teſtatorem filio, qui ſolus inſtitutus erat, ex eo nepos poſt avi obitum naſceretur: & is ipſe, qui ſe praeteritum videbat, cum tamen ſuus haeres haberetur, & in filiorum gradum & conditionem redactus eſſet, teſtamentum rumperet. Quibus periculis cum facile teſtatores occurrere non poſſent, Gallus noſter cautionem quandam & formulam induxit, qua poſthumi illi nepotes rite inſtituerentur. Et ad novum quidem jus inducendum, vetuſque abrogandum, non magis Aquiliana cautio pertinet, quam illa, quae a Pomponio *l. Commodiſſime* 10 *D. de lib. & poſthum.* traditur ad eum haeredem inſtituendum

Digitized by Google

intellex:rimus. Et certe Paulus *l. penul. de legat.* 1. *Ab haerede poſthumo* (ſic enim in manuſcriptis codicibus legi) *fideicommiſſum dari poſſe* ſcribit: *Sola enim voluntas*, inquit, *ſervatur in fideicommiſſis. Et obtinuit ſententia Galli, alienos quoque poſthumos legitimos nobis haeredes fieri.* Quibus verbis ſignificat a poſthumo haerede inſtituto fideicommiſſum relinqui poſſe; ut etiam *lib.* 4. *ſent. tit. de fideicomm.* ſcribit. Controverſia autem in eo erat, quia hic poſthumus alienus videbatur; & Galli cautio ad inſtitutiones tantum, non autem ad legata & fideicommiſſa pertinere dicebatur: cum ipſe ſua formula proſpexerit, ne teſtamenta rumperentur. Praeterea relictum erat in codicillis fideicommiſſum (ut ex inſcriptione hujus legis ex Pauli libro ſingulari *de jure codicillorum l.* 8. *in Pandect.* relatae conſtat) in quibus neque dari, neque adimi haereditas poteſt, *tit. Inſt. de Codicil.* cum tamen Aquiliana conceptio ad haereditatis dationem reſpiciat. His autem argumentis tacite reſpondet Paulus. Cum enim Galli ſententia obtinuerit, alienos quoque poſthumos, id eſt, qui teſtatori, cum ipſe ſuprema ordinaret, ſui poſthumi non erant, ſed eos alii gradu & jure praecedebant, legitimos haeredes fieri poſſe, hoc eſt, ex lege XII. tabul. quae latiſſimam haeredes inſtituendi poteſtatem tribuit: nam & lege obvenire dicitur haereditas, quam quis ex teſtamento accipit, *l. Lege obvenire* 130. *D. de verb. ſign.* conſequens eſt, ut ab iis etiam relinqui fideicommiſſa poſſint, quamvis ipſi jam inſtituti ſint: cum ſola voluntas ſervetur in fideicommiſſis. Itaque mihi non placet alia lectio, *A fratris poſthumo*: cum is nequeat teſtatori poſthumus ne quidem alienus dici, ſed omnino ſit extra virilem ipſius poteſtatem. Nam nepotis inſtituendi formulam edidit Gallus, nec unquam de illo cavit, cui etiam inutiliter ante Juſtiniani conſtitutionem legabatur, *§. poſthumo* 26. *Inſtitut. de legat.* Quamobrem oſtendit Gallus, qua cautione teſtatores poſthumos nepotes inſtituerent, quos tempore teſtamenti conceptos pater in jure ſui praecedebat. Verum mox ille: Deinde avus teſtator obiit; tum ipſi nati ſunt. Nam quod ad eos nepotes attinet, qui, vivo teſtatore avo, ex filio, poſt teſtamentum mortuo, non tantum concepti, ſed etiam nati eſſent ſui: non exiſtimavit Gallus ſuam adeo neceſſariam eſſe cautionem; quia ſuperſtes avus teſtator, qui jam natum nepotem filii locum tenere videt, novum facile teſtamentum ſcribere poſſit, in quo cum ipſum primo gradu inſtituat aut exhaeredet. Sed cum ſemper integrum non ſit teſtamentum mutare, Julio Velleo placuit idem in iis, qui vivo quidem teſtatore, ſed poſt teſtamentum nati eſſent, ſtatuere, quod in poſthumis induxerat Gallus: ideoque lex ab eo lata eſt, qua plenius proſpectum eſt conſervationi teſtamentorum. Ejus autem duo ſunt capita: quorum Uno cautum eſt, ut nondum nati nepotes inſtituantur, qui cum naſcerentur, ſui haeredes eſſent, locumque filii obtinerent, ne praeteriti teſtamentum rumpant: itaque latiſſimam teſtatori omnes virilis ſexus, qui eo vivo naſcituri ſunt ſui, inſtituendi poteſtatem tribuit. Alterum caput eo pertinet, ut ſi qui deſierint eſſe ſui, ſequentes in eorum locum ſuccedant; ideoque ipſi ab initio haeredes inſtituantur vel exhaeredentur; ne ſi omiſſi fuerint, rumpant teſtamentum. Et illi quidem licet proprie dici poſthumi non poſſint, ſic tamen poſthumorum loco habentur, ut poſt eos quaſi humatos, qui priorem hanc cautionem compoſuiſſe, ac edidiſſe intelligamus, qua teſtamentorum conſervationi proſpiceret, quae poſthumi nepotes praeteriti naſcendo rumpebant. Cum tamen facile & expeditum non eſſet ipſos haeredes ſcribere, formulae verba refert Juriſconſultus, quae ſic accipienda ſunt, ut filii inſtitutionem praecedere oporteat: quod is ipſe admonet, *§. In omnibus* 10. *infra.* & Africanus, *l. Si mater* 33. *§. ſi filius* 1. *D. de vulg.* diſerte teſtatur, cum Gallo Aquilio placuiſſe ſcribit, filium & ex eo nepotem poſthumum haeredes inſtitui. Duo ſunt igitur (ut Juliano *l. cum in teſtamento* 37. *in princ. D. de haered. inſt.* viſum eſt) haeredum gradus: filius quidem inſtitutus; nepos vero ipſi quodammodo ſubſtitutus. Nec enim hujusmodi nepotis inſtitutio dici proprie ſubſtitutio poteſt. Decem autem menſium Gallus ideo meminit; quia poſt decem menſes ab obitu mariti partus legitimus naſcitur, *l. Inteſtato* 3. *§. Poſt decem* 11. *D. de ſuis & legit.*

Ad §. 1.

Hanc cautionem non ita fuiſſe a Gallo conceptam exiſtimo, ut, ſi teſtator vel minima ejus ſyllaba caderet, teſtamentum rumperetur: ſed ipſam fuiſſe formulam, qua teſtans in haeredibus ſcribendis cautior fieret. Ideoque illius interpretes eam multis modis ad conſequentias produxerunt, ut hic noſter Scaevola, qui ſpectandum eſſe docet, non quid formulae verbis contineatur, ſed quis ejus fuerit finis atque ſcopus. Sic enim ait: *Quidam recte admittendum credunt, etiamſi non exprimat de morte filii, ſed ſimpliciter inſtituat: ut eo caſu valeat, qui ex verbis concipi poſſit.* Significat autem, Juriſconſultos quosdam exiſtimaſſe, recte admittendum quod ſcribit Gallus, ut eo caſu valeat cautio, qui ex ipſius verbis concipi induci que poſſit, etiamſi nullam formula mortis filii mentionem contineat, ſed ſimpliciter nepos poſthumus inſtituatur. Quamvis igitur mortem filii non exprimat teſtator, ſed ſimpliciter dicat, *Si ex filio meo nepos me mortuo naſcatur*: ipſius nepotis inſtitutio ad Aquilianam formulam accommodata & concepta intelligetur.

Ad §. Idem credendum 2.

Aquilianam cautionem, quae tantum de nepote ſcripta erat, ad pronepotem extendit Scaevola, eamque Galli mentem fuiſſe ſcribit. Tres autem hujus productionis caſus explicat: quorum Unus eſt, cum filius tempore teſtamenti mortuus eſt, atque primum in jure ſui locum nepos obtinet, ut pronepos, ex eo poſt teſtatoris mortem naſciturus ſuus, recte ex Galli formula inſtituatur. Alter caſus eſt in ſpecie diverſa, cum, vivo adhuc tempore teſtamenti filio ex jam mortuo nepote, qui praegnantem reliquit uxorem, conceptus eſt pronepos, ut is poſt filium & avum naſciturus inſtituatur. Tertius caſus eſt, ſi filius & nepos vivant, atque filium teſtator inſtituat, nepotem praetereat, ſed ex eo naſciturum pronepotem ſecundo loco haeredem ſcribat. Tum enim valebit inſtitutio, totumque teſtamentum ratum erit, ſi prius nepos, deinde filius, vivo adhuc teſtatore, decedat, ne ſucceſſione teſtamentum rumpatur. Diximus, formulam Aquilianam filii inſtitutionem rite factam praeſupponere, ut eam cautionis verba non ſignificent, ſed prius filium haeredem ſcribere oporteat, tum formulam concipere. Ideoque nepos his verbis inſti-

humum, quod ad praeteritionem attinet, nihilum intereſſe, *l. 3. D. de injuſt. rupt. &c.* natus enim praeteritus injuſtum facit teſtamentum. Nam, cum inter caetera, quae ad teſtamenta ordinanda deſiderantur, principale jus ſit de filiis, jam natis, haeredibus inſtituendis vel exhaeredandis; non poteſt valere teſtamentum quod contra ipſius juris regulas factum eſt: ut ne illud quidem filio, ante teſtatorem mortuo, convaleſcere & redintegrari poſſit, *l. ſi filius 7. D. de lib. & poſthum. §. 1. Inſt. de exhaer. liber.* Verum poſthumus praeteritus non reddit teſtamentum nullum, ſed quaſi ſuſpendit interim, dum naſcatur; & natus rumpit, ſi ſe exhaeredatum non inveniat. Itaque etiam, ſi vivo teſtatore natus decedat, nullus ex eo teſtamento haeres exiſtet. Id enim juris civilis ſubtilitas exigit. Sed ea ſcrupuloſitate relicta, Alexander Imperator & divus Adrianus (ut ab Ulpiano *l. Poſthumus 12. D. de injuſt. rupt. &c.* ſcriptum eſt) humanitate quadam & benigna juris interpretatione reſcripſerunt, ut, *ſi teſtamentum ſignatum fuerit, bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas accipere haeres ſcriptus poſſit, remque obtineat: idcirco legatarii & fideicommiſſarii habeant ea, quae ſibi relicta ſunt. Idem & circa injuſtum & irritum teſtamentum dicendum eſſe* Ulpianus ſcribit, *ſi bonorum poſſeſſio data fuerit ei, qui rem ab inteſtato auferre poſſit.* Quibus verbis eandem rupti, injuſti, & irriti rationem habere videtur: cum tamen ſuperſtitem filium eodem jure cum poſthumo non cenſeri diximus. Eſt igitur diligenter notandum, quod ille venientes ab inteſtato haeredes nominatim dixerit. Nam ſi poſthumus praeteritus ſit, omnes ſive extranei ſive legitimi ex Adriani & Alexandri Impp. beneficio bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas accipient; modo juris praetorii ſolennia in teſtamento non defuerint. Quod ſi filius natus praeteritus ſit? quamvis ab initio non valeat teſtamentum, nec ejus morte confirmari poſſit, ex benigna tamen interpretatione receptum eſt, ut, ipſo ante teſtatorem mortuo, bonorum poſſeſſio ei detur, qui rem ab inteſtato auferre poſſit; ideoque legata, fideicommiſſa & libertates ab eo praeſtentur. Quod & Papinianus, *l. Filio praeterito 17 D. de injuſt. rupt.* in ea ſpecie oſtendit, in qua ex pluribus filiis, in patris poteſtate conſtitutis, unus praeteritus eſt. Si is enim bonis ſe patris abſtinuerit, licet juris ſubtilitas refragari videatur, attamen teſtatoris voluntatem ex bono & aequo ſervandam eſſe ſcribit. Diverſitatis inter extraneos & legitimos ratio aperta eſt: quia cum filio praeterito teſtamentum inutile reddatur, ex eoque haeres ſcriptus adire haereditatem nequeat, veniunt ab inteſtato legitimi haeredes: qui ſi a teſtatore inſtituti fuerint, nec filius eo tempore inveniatur, quo jus & vim ſuam teſtamentum habet (id eſt, cum moritur teſtator) quamvis ſubtilitate juris ex teſtamento ſuccedere non poſſint, aequum tamen viſum eſt, ut ipſis bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas detur. Sed *poſthumorum loco ſunt* (inquit Cajus *l. Poſthumorum 13. D. de injuſt. rupt.*) *qui in ſui haeredis locum ſuccedendo quaſi agnaſcendo fiunt parentibus ſui haeredes*; ut in hac ſpecie, in qua verſamur: Teſtator habebat filium, & ex eo nepotem: quia filius gradu praecedit, is ſolus jura ſui haeredis habet: ideoque ſi ante eum nepos decedat, non eſt quod teſtamentum rumpere poſſit. Verum, ſi prior decederet ipſe filius, hic nepos ſucceſſione teſtamentum rumperet, juris quidem ſubtilitate, ad quam reſpexit Scaevola, ſed pronepoti, ut cuivis alteri ſcripto haeredi, bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas (ut Impp. placuit) daretur. Subjicit Juriſconſultus, *§. & quid ſi tantum 5.* hunc tertium caſum ad eam ſpeciem produci, in qua moreperat; verum Scaevola poſthumi nepotis inſtitutionem eo etiam caſu, qui ex verbis concipi poſſit, admittendam eſſe reſpondit, quamvis nullum in teſtamento de filii morte verbum eſſet. Quod nunc confirmat: *Quid ſi aquae & ignis interdictione peteretur?* inquit. Nam eo caſu filius ab haereditate rejicitur, & e rerum natura quodammodo ſublatus videtur: ideoque poſthumus nepos ſuus haeres naſciturus eſt. Tum ſubjicit: *Quid ſi nepos, ex quo pronepos inſtitueretur, ut oſtendimus, emancipatus eſſet?* Quae verba ut ſuperioribus cohaereant, ſic intelligi poſſe exiſtimo: Teſtator haeredem filium ſcripſit, nepotem emancipavit, & ex eo pronepotem inſtituit. Quid ſi filius decederet deportareturve, an pronepos recte inſtitutus diceretur? Et teſtamentum quidem rumpendum videbatur, cum nepos praeteritus eſſet. Hunc tamen caſum & ſimiles, ex quibus ſuus haeres, poſt mortem ſcilicet avi, naſceretur, ad ſimilitudinem mortis admittendos eſſe ſcribit Scaevola; idque ex ſententia legis Velleae. Nam & Ulpianus, *l. Verum eſt 8. §. 1. D. de injuſt. rupt. filium cum emancipatur, vel nepotem (quia una cum emancipatione exeunt de poteſtate) teſtamentum non rumpere* reſpondit: & lex Vellea generalem & infinitam cautionem edidit, qua omnes caſus complectitur, quibus quis jus ſui amittere, & de teſtatoris poteſtate exire poteſt. At ipſa de jam natis nepotibus, non de naſcituris proſpexit. Ideo non ex ejus verbis, ſed ex ſententia haec interpretatio admittitur. Itaque conſtat, huc non pertinere quaeſtionem, quae de caſu omiſſo agitatur; quam, alio loco commodius a nobis explicatam *Libr. 2. Variar. quaeſtion.* non repetimus.

Ad §. Quid ſi is 6.

Equidem ut hic locus intelligatur, cum ſuperiori, in quo de nepote emancipato dixit Juriſconſultus, conjungendum eſſe arbitror: quod & totius interpretationis ſeries indicat. Hoc enim ordine formulam Aquilianam producit Scaevola, ut ſequens exemplum, proximi atque conjuncti acceſſio quaedam & appendix videatur. Hujuſmodi eſt igitur ſpecies, de qua diſputat Juriſconſultus: Qui filium apud hoſtes habebat, teſtatus eſt, ipſumque haeredem ſcripſit: ex eo nepotem emancipavit, cujus uxor praegnans erat. Quare non induxit Gallus, ut ſi qui naſceretur pronepos antea, quam filius ab hoſtibus rediret, quamvis poſt mortem patris decederet tunc (cum ſcilicet pronepos naſceretur) deinde nepos (intellige decederet) vel etiam filio in hoſtium poteſtate conſtituto, & nepote emancipato adhuc viventibus, poſt mortem ſcilicet teſtatoris (quem patrem filii ratione, ex quo caeteri deſcendunt, appellavit) is teſtamentum non rumperet? id eſt, quare formulam non edidit Gallus, qua teſtator, qui filium apud hoſtes habebat, & nepotem emancipaverat, proſpicere poſſet, ut poſthumus pronepos haeres ſcriberetur, ne omiſſus teſtamentum rumperet? Nam ſive naſcatur filio & nepote poſt teſtatoris obitum mortuis; ſive illis adhuc vivis: eum nemo in jure ſui praecedit. Nam filii, apud hoſtes viventis, jus pendet, *l. Si quis 9. §. 2. D. de lib. & poſthum.* nec ullum gradum habere videtur. Nepos autem emancipatus non rumpit (ut diximus) teſtamentum, in quo praeteritus eſt. Quod ſi jam uterque deceſſerit, hic ipſe pronepos ſuus naſciturus eſt: ideoque agnaſcendo teſtamentum rumpet. Verum, quia lex Vellea, ad regulam & rationem Galli ſeſe accommodans, multos rumpendi caſus abſtulit; ejus argumento receptum eſſe ait Scaevola, ut ad hunc etiam caſum Aquiliana cautio produci poſſit, adeo ut generaliter cautum intelligatur

Digitized by Google

aliis codicibus ita ſcribitur, & haec lectio ad Scaevolae ſententiam propius accedit.

Ad verſic. Et melius eſt.

Ex hoc loco conſtat, legem interpretatione produci poſſe: cumque ea unum caſum expreſſit, ad alios, in quibus eadem ratio eademque utilitas verſatur, extendi: non autem teſtatoris proviſionem, quae unum caſum complectitur, ad caeteros omiſſos produci. Cur enim tot exemplis Scaevola Aquilianam formulam ex legis Velleae ſententia illuſtraret, ex eaque Gallum non de morte tantum, ſed de caeteris etiam omnibus caſibus ſenſiſſe oſtenderet, ſi teſtatorum voluntas facile extenderetur? Et ipſa quidem teſtamentorum interpretatio non niſi ex conjecturis admittitur, ſi quidem ipſum teſtatorem de caſu omiſſo cogitaſſe, cumque ſub expreſſo intellexiſſe conſtet: vel ſi alterum duntaxat caſum expreſſerit; quia is ſolus ejus animo obverſabatur, neque aliud eventurum exiſtimabat, idem tamen alioqui de altero dicturus, ſi de eo cogitaſſet, *l. ult. C. de poſth. haered. l. Titius 25. §. Lucius 1. D. ſupra eod. l. Mulier quae duobus 22. D. ad S. C. Trebellian.*

Ad §. Si ejus qui filium 7.

Cum Aquilianae formulae, quae lege Vellea antiquior eſt, ipſiusque legis cautio eo pertineat, ne teſtamenta rumpantur; nihil refert, quo jure poſthumi inſtitutio valeat, modo ea teſtamentum conſervet. Ideoque ſi ejus, qui filium habeat, & nepotem poſthumum ex eo inſtituat, nurus praegnans ab hoſtibus capta ſit, ibique vivo avo pariat, mox ille poſt patris & avi obitum redeat, nihil refert, an ex jure antiquo, ex quo formula Aquiliana concepta eſt, an ex lege Vellea teſtamentum non rumpat. Quod etiam obſervatur, ſi jam mortuo filio pronepos ex uxore praegnante, quae capta erat ab hoſtibus, inſtituatur; iſque mortuo teſtatore redeat. Verum Scaevola in hac poſteriori ſpecie nepotis ideo non meminit; quia, cum tempore teſtamenti mortuus eſſe filius dicatur, atque ita ejus locum tenere nepotem conſtat, idem jus, quod ad filium pertinet, ad nepotem refertur. Hujus autem dubitationis cauſa ex ſuperioribus facile colligitur.

Ad §. forſitan addubitet quis. 8.

Equidem Haloandri lectionem ſequutus, eum hujus loci ſenſum eſſe arbitror. Cum ſuam formulam in caſum mortis Gallus conceperit, & de poſthumo poſt teſtatoris mortem naſcituro egerit, forſitan addubitare quis poterit, ſi iſtis caſibus, quos Scaevola Aquilianae formulae interpres explicat, nepos poſt teſtamentum naſcatur vivo patre ſuo, deinde ex eo concipiatur is, qui ſcilicet mortuo patre ſuo, qui ipſe eſt nepos, deinde avo, naſcatur: an non potuerit haeres inſtitui, quia pater ipſius non recte inſtitutus eſſet ex Galli conſilio. Quod minime eſt expaveſcendum: hic enim pronepos ſuus haeres naſcitur, & poſt mortem naſcitur, atque ita ipſe recte poſthumus dicitur; ejusque inſtitutio ad Aquilianam formulam pertinet. Sed, quia difficilis eſt hic locus, eum exemplo illuſtrare ſtatui: Quidam filium habens, & ex eo nondum natum nepotem, generalibus verbis quemcunque ſibi poſt mortem naſciturum ſuum haeredem inſtituit. Mox eo vivo nepos naſcitur, qui recte non videtur inſtitutus, quia

poteſt, an hoc caſu haeres inſtitutus videatur pronepos: & reſpondet Scaevola, eum rite haeredem ſcriptum eſſe; quia ſuus haeres naſcitur, & poſt mortem naſcitur. Quae duo neceſſaria ſunt, ut poſthumus ex Galli conſilio inſtitutus haeres teſtatori ſuccedat. Scripſit autem Juriſconſultus, nepotem prius, deinde filium decedere oportere, ne ſucceſſione teſtamentum rumperetur. Hanc interpretationem ſuadet, quod ipſe ſubjicit, quia pater ipſius non recte inſtitutus eſſet: ex eo enim colligitur, hic patrem nepotem dici; ut, cum de ipſo nepote loquitur, patrem nepotem intelligit.

Ad §. Ergo & ſic. 9.

Ergo & ſic pronepos, qui natus erat ex nepote, poſtea vivo filio, admittetur, atque ſi ex eo natus eſſet, aut adoptatus (ſic enim manuſcripti codices habent) *admittetur*. Quibus verbis indicat Scaevola, ex ſuperioribus id colligi poſſe, ut ſi pronepos natus erit ex nepote & filio praemortuis, ſed prius defuncto nepote, poſt quem filius adhuc vivit, eum ita admitti, atque ſi ex ipſo filio natus eſſet, aut adoptatus in locum nepotis.

Ad §. in omnibus. 10.

Subjicit Scaevola, quod in hac quaeſtione praecipuum eſt, quodque in ordinandis teſtamentis maxime requiritur, nempe, ut filius, qui eſt in poteſtate, primo gradu & loco ex aliqua ſaltem parte inſtituatur, ſive pure, ſive ea ſub conditione, quae in ejus ſit poteſtate. Alioqui enim, eo praeterito, nullum eſſet teſtamentum: neque hic ſatis eſſet, eum nominatim exhaeredare. Nam ejus exhaeredatio hoc caſu non poſſet in vita confirmari: nemo enim eo vivo eſt haeres, qui adeat haereditatem; quod eſſet ad confirmandam exhaeredationem neceſſe, *l. Filium 20. verſ. Sed cum. D. de bon poſſ. contra tabul.* Sic etiam dictum eſt non valere teſtamentum, in quo ita ſcriptum ſit: *Titius poſt mortem filii haeres eſto, filius vero exhaeres eſto*; quia hic filius non niſi poſt mortem ſuam exhaeredatus intelligi poſſet, *l. Si ita ſcriptum 13. §. ult. D. hoc tit.* Admonet autem Juriſconſultus, hoc caſu eum duntaxat filium inſtituendum eſſe, qui eſt in poteſtate, quique caeteros in jure ſui praecedit: non etiam eum, qui apud hoſtes eſt, ſaltem ſi apud eos moriatur. Tum enim non obeſſe ejus praeteritionem conſtat, *l. penul. hoc tit. l. Si quis filio 6. §. ſed ſi pater 1. D. de injuſt. rupt.* Tametſi nocere poſſet, ſi ab hoſtibus reverteretur, nepotem quoque ac pronepotem inſtituere adeo neceſſarium non videtur: quia praeteriri poſſunt, ſi, ut dictum eſt, praemoriantur: ne ſucceſſione teſtamentum rumpant: ſufficitque liberos eorum haeredes ſcribere.

§. Nunc de lege Vellea. 11.

Nunc quae propria ſint legis Velleae capita, tractat Juriſconſultus: illorumque uno cautum eſſe ſcribit, ut ejus etiam agnatione non rumpatur teſtamentum, qui ante teſtatoris mortem naſcitur: ideoque ipſum, teſtamenti tempore conceptum, vel haeredem inſtituere vel exhaeredare neceſſe ſit. Quod ad eum non tantum pertinet, qui, ex praemortuo filio conceptus, a teſtatore inſtituitur, verum etiam ad eum, qui an ſuus haeres naſciturus ſit dubitatur: cum filium, qui teſtamenti tempore vivit, cum in jure ſui praecedat. Si igitur nepos eo modo inſtitutus ſit, quo Gallus inſtitui poſthumum induxit, teſtamen-

Digitized by Google

hoc caput generaliter conſtituit, ut ſi quis ſuus hae-res eſſe deſierit, in ejus locum ſequentes ſuccedant, qua ſucceſſione ſui agnaſcantur. Ideoque inſtitui vel exhaeredari debeant, ne praeteriti rumpant teſtamentum. Hujus capitis verba ad omnes caſus pertinent, quorum in Aquilianae formulae tractatu mentio facta eſt: ut locum illud habeat ſive morte, ſive deportatione, ſive emancipatione, ſive quo alio modo quis ſuus eſſe deſierit. Adjecit autem Scaevola, locum quoque habere poſſe ſive prior decedat nepos, deinde filius; ſive contra poſt filium teſtatoris mortuum nepos vel haeres inſtitutus, vel nominatim exhaeredatus ſuus eſſe deſierit, ut tum ſucceſſione pronepos ſui jura nanciſcatur. Addit deinde Scaevola, quod ex iis, quae ſupra dicta ſunt, intelligi poteſt, ut ſi quis ex filio, ab hoſtibus capto, nepotem inſtituat, ibique filius poſt teſtatoris mortem decedat, ex captivitatis tempore, a quo mortuus fingitur, is ſuus eſſe deſierit, propterеaque nepos in ejus locum ſucceſſerit.

Ad §. Ille caſus in difficili eſt. 15.

Cum priori capite de eo haerede ſcribendo, qui poſt teſtamentum naſcitur ſuus, caverit lex Vellea; poſteriori autem non de inſtituendo ſuccedente in locum ſui haeredis egerit, ſed per eum ſucceſſione teſtamentum rumpi vetuerit, qui teſtamenti quidem tempore ſuus non naſceretur, verum poſtea in ejus locum, qui ſuus eſſe deſiiſſet, ſuccederet: quid de iis dicendum videretur, qui teſtamenti tempore concepti a teſtatore inſtituuntur, iique non naſcuntur ſui filio adhuc vivo, ſed poſtea filio ante teſtatorem mortuo ſui haeredes fiunt; dubitatum eſt, an utiliter ſint inſtituti, ne rumpant teſtamentum: quod neutrius capitis jure praecedere poterat. Juliano tamen placuit, duobus quaſi capitibus legis commixtis, in hoc quoque inducere legem, ne omiſſi teſtamentum rumperent per legem Velleam, per quam non inſtituti, aut nominatim non exhaeredati rumpere poſſent. Sed cum ex Juliani ſententia receptum ſit, nepotem recte ita inſtitutum eſſe, ipſumque teſtamentum non rumpere, exiſtimat Scaevola, cum emancipatum ſponte adire poſſe haereditatem; cum emancipatio efficiat, ut non ſit ſuum & neceſſarius haeres, ſed voluntarius. Nepotem vero emancipatum intelligere oportet poſt filii mortem, ſic ut aliquo tempore ſuus fuerit, & in filii locum ſucceſſerit.

CAPUT XVI.

Explicatio cujusdam capitis XII. Tabul. de ritu nuptiarum.

Varios fuiſſe in antiqua Roma contrahendarum nuptiarum ritus non ignorant, qui vetera monumenta ſtudioſe perquirunt. At ego illos omnes, quia alio loco enarravi, nunc explicare non ſtatui, ſed aliquod legis XII. Tab. caput, in cujus reſtitutione elaborarunt plerique. Hoc autem ipſum eſt, ut ex Gellio *Lib.* 3. *cap.* 2. collegi: *Si per trinoctium uxor a viro abſuerit, eam vir uſurpato.* Et intelligendum quidem eſt, ut quid eo cautum ſit cognoſcatur, obſervatum a veteribus Romanis fuiſſe, ut viris darentur uſui uxores: quia qui filias in poteſtate habebant, nolebant eo jure privari. Quod cum maritis grave eſſet, legis XII. tabul. ſubtilitas introduxit, ut ſi uxor, quae integro fere anno apud virum fuerat, per trinoctium abſuiſſet, eam maritus uſurparet, id eſt, ſuam faceret, & re ipſa atque (ut ita loquar) de facto caperet. Sic enim veteres hoc *nis uſurpato, ac ſemper retento.* Veriſimile eſt certe, hac lege & conditione ſuas filias ſpoſpondiſſe veteres, ut ex ſua familia & poteſtate non exirent, ſed viris uſui eſſent. Magna vero legis XII. tabb. ſubtilitas fuit, quae ne ſolum in iis perpetuo uſum haberent mariti, ipſis permiſit illas apprehendere, ſuaſque facere, ſi trinoctio, quo abeſſe ſine nota poterant, virorum ſocietatem quaſi ipſorum uſum interrumpentes relinquerent. Et haec quidem interpretatio, Gellii verbis, quae ſubjeci, optime convenit; quid Q. Mutius ſcripſerit ſuper ea, quam maritus non jure uſurpaviſſet, quod rationem civilis anni non habuerit. *Q. quoque Mutium Juriſconſultum dicere ſolitum legi, non eſſe uſurpatam mulierem, quae cum Calendis Januariis apud virum cauſa matrimonii eſſe coepiſſet, ante diem quartum Calendas Januarias ſequentes uſurpatum iſſet: non enim poſſe impleri trinoctium, quod abeſſe a viro uſurpandi cauſa ex* 12. *tabulis deberet: quoniam tertiae noctis poſteriores ſeu horae alterius anni eſſent, qui inciperet ex Calendis.* Haec eſt Gellii diſputatio, quae ſatis indicat, ſcriptum a Decemviris caput fuiſſe, & in 12. tabulas relatum; idem verbis aut certe ſententia cum eo, quod ipſe propoſui.

CAPUT XVII.

Conciliatio l. 1. *C. de promiſſ. dat. & l. Cum poſt* 69. *§. Gener* 4. *D. de jur. dot.*

Dos multis modis conſtituitur: conventione, acceptilatione, ſtipulatione. Conventionem intelligo nudam, quae nulla ſtipulatione confirmatur. Eſt autem in dote ſpeciale, ut ipſa nudo pacto conſtituatur, cum ex eo dari actio non ſoleat, *l. ad exactionem* 6. *C. de dot. promiſſ.* Hoc illud eſt, quod dixere veteres dotem dicere aut promittere; author Ulpiani *epitome Tit. de dot. & Tit. de tut. Dos aut datur, aut dicitur, aut promittitur.* Dicere dotem eſt (judicio meo) ſine ulla ſtipulatione dare; promittere, id eſt, per ſtipulationem. Cajus *in Inſtitutionibus, de Obligat. Licet ex nuda pactione non naſcatur obligatio*, inquit, *ſi tamen mulier dicat dotem, obligatur.* Idem in *Cod. Theod. tit. de inceſt. nupt.* Magna vero & difficilis eſt controverſia, ſi promiſſio certam quantitatem non contineat, ſed ſimpliciter concepta ſit, an valeat. Sic enim Alexander Severus reſcripſit, *l.* 1. *C. de dot. prom. Fruſtra exiſtimas, actionem tibi competere, quaſi promiſſa dos tibi, nec praeſtita ſit: cum neque ſpecies ulla, neque quantitas promiſſa ſit; ſed hactenus nuptiali inſtrumento adſcriptum ſit, quod ea quae nubebat, dotem dare promiſerit.* Papinianus autem *l.* 69. §. 4. *D. de jure dot. Gener a ſocero* (inquit) *dotem arbitratu ſoceri certo die dari, non demonſtrata re vel quantitate, ſtipulatus fuerat. Arbitrio quoque detracto ſtipulationem valere placuit: nec videri ſimile quod fundo non demonſtrato nullum eſſe legatum vel ſtipulationem fundi conſtaret: cum inter modum conſtituendae dotis & corpus ignotum differentia magna ſit. Dotis enim quantitas pro modo facultatum conſtitui poteſt.* In his conciliandis legibus inſudant Doctores, atque tandem ad commentitias quaſdam regulas confugiunt: verum eleganter Franciſc. Duarenus *Lib.* 1. *Diſp. anniver. cap.* 56. eorum opinionem refellit, diſerte oſtendens, promiſſionem in Alexandri conſtitutione pro nudo pacto non accipi. Itaque, diſſolvendi hujus nodi cauſa, notandum eſſe ſcribit, ſi dos ſimpliciter promiſſa fuerit, multum intereſſe, an ipſa mulier promiſerit, an pater ejus nomine. Priore ſiquidem caſu nulla eſt promiſſio, propter incertitudinem;

Digitized by Google

conſonantiam ita reduci poſſe arbitror, ut non interſit ſive pactum, ſive ſtipulatio intercedat, ſive pater, ſive extraneus, ſive uxor ipſa promittat. Sed Papinianum interpretor in ea ſpecie, in qua ſocer quantitatem vel ſpeciem aliquam promiſerat, ſed eam non definitam, verum ſuo arbitratu definiendam, ſive ipſe ſit in ſtipulando arbitratus, ſive arbitrium ſuum non expreſſerit. Qua in ſpecie cum hujusmodi arbitrium boni & diligentis patrisfamilias intelligatur, definita dos pro modo facultatum videtur. Quod ſi ſimpliciter dotem promiſiſſet quis, non ſpecie aut quantitate adjecta, non dico expreſſa, inutilis eſt, quae ex hac promiſſione intenditur actio, quod tantum dos ſit promiſſa, non autem definita. Ideoque vel minimum dotis nomine ſocer genero ſolvet, vel alius quis dotis promiſſor; ut Alexander reſcripſit.

CAPUT XVIII.

Ad §. ſi in judicio 2. l. Ex diverſo 17. D. Soluto matrimonio.

Scribit Paulus: *Si in judicio dotis judex ignorantia juris lapſus condemnaverit maritum in ſolidum: Neratius & Sabinus doli exceptione uti oportere ajunt, eaque tutum fore.* Sed videtur inutilis haec exceptio, cum hujusmodi ſententia ipſo jure nulla ſit, ut Alexander reſcripſit, *l. 2. C. Quand. provoc. non eſt neceſſe.* Et certe non multum diverſa eſt utriusque ſpeciei ratio; hinc enim ait: *Si cum inter te & aviam defuncti quaeſtio de ſucceſſione eſſet, judex datus a praeſide pronunciavit potuiſſe defunctum & minorem quatuordecim annis teſtamentum facere, ac per hoc aviam potiorem eſſe: ſententiam ejus, contra tam manifeſti juris formam datam, nullas habere vires palam eſt: & ideo in hac ſpecie nec provocationis auxilium neceſſarium fuit.* Vulgus interpretum exiſtimat diſtinguendum eſſe inter expreſſum juris errorem, & non manifeſtum. Quod an verum ſit, dubito: nec enim veriſimile eſt adeo ſtupidum judicem inveniri, qui expreſſe contra jus ipſum pronunciet.

Ejus tamen ignorantiam ex eo, quod in judicium deductum eſt, conſtare, manifeſtamque fieri ſentio. Et haec quidem nulla eſt ipſo jure ſententia, ideoque reſcinditur omnino, etiamſi non interjiciatur appellatio. Quod ſi ex cauſa judicati velit agere is, qui obtinuit, doli exceptione utetur condemnatus. Ideo enim dolo malo facit ille, quia ex nulla & inutili ſententia agit. Et ea quidem exceptio virum in hac ſpecie tuebitur, ne executioni mandetur ſententia, effectumque aliquem ſortiatur.

CAPUT XIX.

An ex pacto nudo naſcatur naturalis obligatio.

PActum nudum Jurisconſulti appellant, quod conventionem pactionemque ſolam habet; nullam vero cauſam, ex qua naſci obligatio poſſit. Et omnes quidem conventiones, ex quibus non contrahitur συνάλλαγμα, oudae videntur. Primis enim hominibus, qui contractus inſtituerunt, eas tantum pactiones ad commercia pertinere, in quibus quaedam quaſi commutatio & ultro citroque obligatio verſaretur, placuit: caeteras autem ſolas, & omnibus quodammodo viribus deſtitutas, relinquere viſum eſt. edictum praetoris interpretatione conſtat (*l. Juris gentium 7. l. Diviſionis placitum 45. l. in traditionibus 48. & fin. D. de pact. l. pacta conventa 72. D. de contrab. empt. l. in bis 5. §. Imperator 2. D. de ſolut.* Paul. *lib. 2. recept. ſentent. tit. 23.*) non omnes leviter & temere fortaſſis effutitas pactiones tueri praetorem; ſed eas, quae vel a contractu, cui inſunt, vel a ſtipulatione, quae ipſis ſubjicitur, vel a traditione ſumunt effectum, quem magiſtratus extingui non permittit. Quod non ſolum de actione, verum etiam de exceptione intelligendum ſentio. Nam & pactum, quod ad exceptionem prodeſt, quamvis extra contractus naturam ex intervallo adjiciatur, illud tamen ad contractum pertinet, eumque, licet non ipſo jure, ope tamen exceptionis mutat, & quodammodo format. Ex his utcunque intelligi poteſt, quid de pacti viribus judicem. Quamvis enim inter doctos juris interpretes quaeratur, an ex pacto nudo naſcitur naturalis obligatio, atque eorum quisque ſuam ſententiam probabili ratione confirmet; ut audax forte videar, ſi hanc controverſiam dirimere velim: dicam tamen, quod ſentio: liberum enim eſt cuique, ſuam opinionem in re praeſertim dubia exponere. Franciſcus Duarenus, primus aetatis noſtrae Jurisconſultus, ex omni pactione, quamlibet nuda & ſimplici, naturalem naſci obligationem exiſtimat: quod pleroſque alios ſenſiſſe ſcribit. Alii vero, de jurisprudentia bene etiam meriti, contrariam omnino ſententiam ſequuntur ac probant. Ego vero primum in hac quaeſtione obſervandum arbitror, quo jure naturalis obligatio introducta ſit. Qua de re cum alio loco dixerim, atque non ex vetuſtiori naturali jure, ſed ex eo ipſo, quod naturalis ratio inter omnes gentes conſtituit, deſcendere probaverim (quamvis diſſentiat Duarenus noſter) non eſt ea diſputatio pluribus tractanda. Itaque an jure gentium introducta ſit naturalis obligatio, videndum eſt, quid eo jure vinculi proditum ſit. Equidem ut ex Cajo aliisque Jurisconſultis oſtendi, naturali ratione, cui hominum acceſſit conſenſus, quicquid ipſum eſt, quod juri gentium tribuitur, conſtitutum eſſe opinor. Naturalis autem ratio omnem omnino conventionem temere & leviter factam non probat, ſed ad aequitatem ipſam exigit, ut promiſſorem, ſi aequum juſtumque videatur, obliget: ideoque eleganter Paulus, *l. Stichum aut Pamphilum 95. §. Naturalis 4. D. de ſolution.* ſcribit, naturalem obligationem ſolo aequitatis vinculo ſuſtineri. Et haec ſane pactio, quae nuda eſt, nullam omnino obligationem parit: ob id enim nuda dicitur, quod eo effectu careat, quem caeterae juris gentium conventiones habent; ut diſerte Ulpianus *d. l. juris gentium 7. D. de pactis* explicat. Itaque non ex ipſo pacto naturalis naſcitur obligatio, ſed ex aequitate, quae ſola vincit & obligat paciſcentes. Ita vero obligat, ut ii, non ſolum honeſtate & pudore naturali, ſed etiam jure ipſo, id eſt, ea vi, quam aliae juris gentium conventiones (qui contractus appellantur) habent, teneantur. Itaque Duareni ſententia mihi non placet, qui ex qualibet ſimplici pactione naturalem naſci obligationem exiſtimat. Sed nec vera eorum videtur opinio, qui horum conventionum aliquam duntaxat fuiſſe jure naturali non obligationem quidem, ſed honeſtatem, quae iis de rebus eſſent, quas praeſtandas eſſe aequitas jubet, ſentiunt: conſtat enim, quod Ulpianus nullam naſci obligationem dicit, de naturali quoque intelligendum eſſe. Nam de juris gentium conven-

ducit, naturalem appellari obligationem ex Paulo retulimus. Quare Ulpianus hujus edicti aequitatem naturalem eſſe ſcribit, id eſt, Praetorem in hoc edicto proponendo aequitatem naturalem ſequutum fuiſſe. Nihil enim tam congruum eſt humanae fidei, quam ea, quae inter eos placuerunt, ſervare. Hanc vero fidem ipſa moderatur aequitas, naturaliſque ratio: cum promiſſa minime ſervanda ſint ea, quae nihil aut parum utilitatis adferre poſſint iis, quibus promiſeris; *nec ſi tibi plus noceant, quam illi proſint, cui promiſeris*, ut docet M. Tullius Cicero, *lib.* 1. *officior. cap.* 10. & Paulus, *l. Cum amplius* 84. *D. de regul. jur. Eum* dicit *natura debere, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem ſequuti ſumus*, id eſt, cui ita credidimus, ut ipſum conſtanter & vere ea dare facere oporteat, quibus ſolvendis jure gentium adſtrictus eſt. Non autem temere nunc naturam, nunc jus gentium ait Paulus: his enim verbis ſignificat, obligationem, ex gentium conſenſu introductam, non tantum eo jure, ſed etiam naturali ratione, quae ejus inſtituendi cauſa fuit, valere; ut ille ipſe Juriſconſultus non ſolum contractus, ſed alias quoque pactiones, ex quibus natura debitorem conſtituit, intelligat. Et certe, ut uno verbo dicam, in naturali obligatione non modo quid in conſuetudinem venerit, ab ipſiſque gentibus obſervari ſoleat, ſed quid ipſa aequitas jubeat, ſpectandum eſt: quemadmodum in pupilli obligatione dicimus. Nam cum contrahendi incapacem mutuam pecuniam ſine tutoris authoritate accipiendi ne jure quidem naturali obligari Calliſtratus, *l. Pupill.* 59. *D. de oblig. & act.* reſpondit. Pomponius vero, *l. Creditore* 42. *D. de jurejur.* ex mutua pecunia ipſum naturaliter obligari dixit: & a Paulo Neratius diſſentire videtur, *l. Naturaliter* 13. § 1. *l. Quod pupillus* 41. *D. de condict. indeb.* Eorum autem aliorumque Juriſconſultorum, qui ea de re ſcripſerunt, ſententias aequitatis regula facile conciliabimus. Siquidem locupletior ſit factus alterius jactura pupillus, ipſum alterius incommodo ſuum augere commodum, contra aequitatem naturalem eſſe nemo dubitat, *l. Natura* 13. *D. de cond. indeb.* & Cic. *lib.* 3. *offic.* aut certe ſi nullum ex hujuſmodi obligationes detrimentum ſentire poſſit, non eſſe iniquum nullus ignorat, aliquem ipſi obligationi effectum tribuere, *l. fidejudeſſor* 16. *de fidejuſſor. l.* 1. *D. de novat.* maxime cum id juris humana ſocietas exigat. Si vero ſimpliciter promittat pupillus, aut ita contrahat, ut ſibi nocere poſſit, ſi ad ſolvendum cogatur; iniquum minuſque naturae congruum eſſe conſtat, ipſum judicii expertem obligari, damnumque ex ſua infirmitate pati. Eadem ratione obligatio illa, qua ad remunerationem tenemur, naturalis appellatur, *l. Sed & ſi.* 25. § 11. *D. de pet. haered.* aequum enim & honeſtum eſt, acceptum beneficium reddere.

CAPUT XX.

Conciliatio l. Rem alienam 41. D. de pign. actione, & l. Si Titio 22. D. de pignoribus.

NUllas eſſe in Pandectis antinomias reſcribit Juſtinianus Imperator: cujus ſanctio multorum ingenia in conciliandis legibus, quae pugnare videntur, exercuit. Sed quantum illi ſtudioſis adjumenti attulerint, aliorum ſit judicium. Mihi quidem, in harum legum explicatione, inutilis eorum labor videtur. Sed ut de iis, quid ſentiam, quiſque intelligat, Juriſconſulti verba ſubjecei. Paulus: *Rem alienam* (inquit *l.* 41. *D. de pign. act.*) *pignori dediſti: deinde rei ejus dominus eſſe coepiſti. Datur utilis actio pignoratitia ... pecuniam debet. Sed ſi convenıſſet de pignore, ut ex ſuo mendacio arguatur, improbe reſiſtit, quo minus utilis actio moveatur.* Hic diſerte Paulus noſter diſtinguit inter eum debitorem, cujus factum intervenit, id eſt, qui ipſe rem alienam pignori dedit, & poſtea ejus dominium nactus eſt: & eum, qui nullam iniit obligationem, nihilque pollicitus eſt: nec enim ſatis eſt, ut convaleſcat pignus, eundem eſſe dominum & debitorem, ſed praeterea requiritur, eundem eſſe qui pignus contraxit. Videtur autem in hoc poſteriori caſu aliud ſenſiſſe Modeſtinus: ait enim, *l.* 22 *D. de pignor. Si Titio, qui rem meam ignorante me pignori creditori ſuo obligaverit, haeres extitero: ex poſt facto pignus directo quidem non convaleſcit, ſed utilis pignoratitia dabitur creditori.* Vulgus interpretum pignoratitiam actionem apud Modeſtinum explicat contrariam, non ut rem jure pignoris creditor vindicet, ſed ut id quod ſua intereſt conſequatur; quae ſententia abſurda, & a Jureconſulti mente aliena videtur. Ipſe enim dicit, directo pignus non convaleſcere, ſed utilem pignoratitiam dari. Quibus verbis oſtendit, non directam jure pignoris competere actionem, ſed utilem, quae ex aequitate datur. Quis autem ignarus parumque adeo in Juriſconſultorum libris verſatus eſt, qui contrariam dici utilem actionem exiſtimet? Superfluum eſt igitur & alienum, quod ad juvandam ſcholaſticorum Doctorum opinionem a nonnullis adjicitur, qui vim contrariae actionis ad pignoris vindicationem extendunt. Equidem exiſtimo, ita Paulum Modeſtino conciliari poſſe, ſi eorum ſcripta ſubtiliter conferantur. Ait enim ille, debitoris haeredem pignoratitia ex defuncti contractu actione non teneri, quamvis ipſe ſit rei obligatae dominus. Quod ſi haeres ipſe de pignore conveniſſet, id eſt, pactus cum creditore aliquo modo fuiſſet, adeo ut, ſi pignus deneget, ex ſuo mendacio arguatur; improbe reſiſtit, quo minus utilis in eum detur actio: atque *ex hoc poſtfacto*, ut ait Modeſtinus, *pignus directo quidem non convaleſcit, ſed utilis pignoratitia dabitur creditori.* Nec enim ipſe fuit haeres, qui pignus contraxit; ſed defunctus, qui nullum jus in re obligata habebat.

CAPUT XXI.

Variarum Juris antinomiarum diſſolutiones.

MOvit me praecedens diſputatio, ut alias jure antinomias inquirerem, eaſque breviter explicarem. Et in ſecunda quidem Digeſtorum parte difficilem quandam legum contrarietatem, a Budaeo noſtro notatam, inveni. Ea autem eſt duorum Ulpiani reſponſorum:

(1) *Conciliatio l. Per ſervum 14. D. de uſu & habitat. & l. Hac ſtipulatione 5. D. uſufr. quemad. caveat.*

Scribit enim ipſe lib. 18. ad Sabinum, *fructum ſine uſu eſſe non poſſe*; libro autem 79. ad edictum, *doli mali ſtipulationem locum habere, etiam ſi fructus ſine uſu obtigerit.* Sunt, qui, rejectis aliorum commentis, fructum hic certum fructum annuum interpretentur: ſed illi (mea ſententia) falluntur. Nihil enim intereſt (ut ipſe Ulpianus ait) an uſusfructus, an vero fructus relinquatur. Ego, ut Juriſconſultum ſibi ipſi conciliem, haec verba, *Et ſi fructus ſine uſu obtigerit*, ſic intelligenda eſſe exiſtimo, id eſt, etiam ſi fructus ſine uſu relictus ſit, hoc eſt, ſimpliciter fructus legatus ſit, non autem uſumfructum teſtator dixerit, ſtipulatio locum habebit. Non dicit Ulpianus, ſine uſu fructum eſſe poſſe, ſed ita fingit obtigiſſe.

(2) Com-

Digitized by Google

conſummare non poſſe ſciat, etiam ſi eo loco aliter uti non poſſit. Sed facilis eſt diſſolutio; quia licet fructuario ipſos fructus colligere, atque ideo aedificare, ſi aliter fructus percipere non poſſit. Verum ei non conceditur, ut, ſi in alio loco colligere fructus poſſit, aedificet, aut inchoatum aedificium perficiat: quamvis eo loco aliter uti non poſſit.

(3) *Conciliatio l. Praeſcriptio 45. D. de uſucap. & l. Si quiſquam 7. D. de diverſ. temporal. praeſcript.*

Difficilior eſt antinomia *l. 45. D. de uſucap. & uſurpat.* quod ex libris Papiniani in Pandect. relatum eſt, & *l. 7. D. de diverſ. temp. praeſcript.* &c. quod Marciano tribuitur. Ait ille, *praeſcriptionem longae poſſeſſionis ad loca juris gentium publica obtinenda concedi non ſolere; velut ſi quis quod in fluminis publici diverticulo ſolus pluribus annis piſcatus ſit, alterum eodem jure prohibeat.* Marcianus vero ſcribit: *ſi quiſquam in fluminis publici diverticulo ſolus pluribus annis piſcatus ſit, alterum eodem jure uti prohibet.* Haec reſponſa cum adeo contraria viderent interpretes, confugerunt ad conjecturas alii; ad textus correctiones alii: ſed omnes (mea ſententia) delirant. Equidem ne longior videar, ita breviter hanc contrarietatem diſſolvo; atque quod dicit Papinianus, ſic interpretor, ut longae poſſeſſionis praeſcriptio non poſſit dominium ejus loci tribuere alicui, qui jure gentium publicus eſt. Quod ita procedit, ſi quis quod in fluminis publici diverticulo ſolus pluribus annis piſcatus ſit, alterum eodem jure prohibeat, id eſt, ſi quis ideo alterum in eo fluminis publici diverticulo, quod ipſe longo tempore occupavit, piſcari prohibeat, quia ipſe locum uſucepit. In ea enim ſpecie locum diverticuli ſuum non facit, ſed poteſt prohibere eodem jure, id eſt, jure gentium, alterum piſcari. Quod ſenſit Marcianus, ut quae juris gentium remanent, modis a jure gentium introductis acquiri & conſervari poſſint. Res igitur, jure gentium publica, modo, a jure civili prodito, acquiri non poteſt; ſed eodem jure ejus poſſeſſio, quo apprehenſa eſt, retinetur.

(4) *Conciliatio l. Qui duos 9. §. Cum bello 1. D. de reb. dub. & l. Ex facto 17. §. Si quis autem 7. D. ad SC. Trebell.*

Difficilem *l. 9. D. de rebus dubiis*, & *17. ad SC. Trebellian.* antinomiam praetermittere non poſſum. In illa enim ſcribit Tryphoninus: *Cum in bello pater cum filio periiſſet, materque filii quaſi poſtea mortui bona vendicaret, agnati vero patris, quaſi filius ante periſſet: Divus Adrianus credidit patrem prius mortuum.* In alia autem lege ait Ulpianus: *Si quis ſuſceperit quidem filium, verum vivus amiſerit, videbitur ſine liberis deceſſiſſe. Sed ſi naufragio, vel ruina, vel aggreſſu, vel quo alio modo ſimul cum patre perierit, an conditio defecerit, videamus. Et magis non defeciſſe arbitror: quia non eſt verum, ejus filium ſupervixiſſe.* Equidem has leges ſic conciliare ſoleo, ut rei, qua de agitur, cauſa inſpiciatur: nam in bello, in quo plurimum audacia & robur poteſt, prodeſtque, & ad ſuſtinenda belli pericula aptiores ſunt juvenes, quam ſenes, *l. 2. §. 7. verſ. Corporis. D. de vacat. & excuſat.* facile creditur, magis imbellem primum fuiſſe interfectum; in ruina autem & naufragio prius deceſſiſſe magis temerarium, minusque circumſpectum & prudentem, veriſimilius eſt.

ro legata ſint alicui, & idem ſcriptum ſit in codicillis; atque duas ſcripturas petitor oſtendat; haeres vero poſteriorem inanem eſſe contendat, ipſum haeredem id approbare judici debere. Ulpianus autem inquit: *Si non corpus ſit legatum, ſed eadem quantitas in eodem teſtamento ſaepius, divum Pium reſcripſiſſe, tunc ſaepius praeſtandam ſummam, ſi evidentiſſimis probationibus oſtendatur, teſtatorem multiplicare legatum voluiſſe.* Verum Ulpianus non de probando praecipue agit; ſed an idem ſit in pecunia, quod in re, nulla facta mentione legatarii aut haeredis: ipſeque propoſitam quaeſtionem proſequitur. Totus in eo eſt Celſus, utrum probare oporteat haeredem, an legatarium. Praeterea hic in ea ſpecie reſpondit, in qua duae erant ſcripturae: ille vero in ea, in qua teſtator rem eandem ſaepius in eadem ſcriptura reliquit; ut potius repetere, quam duplicare legatum voluiſſe videatur.

(6) *Conciliatio l. Si unus 27. in princ. D. de pact. & l. Si duo 34. D. de recept. arb.*

Ita etiam poterimus ſibiipſi conciliare Paulum. Hic enim lib. 3. ad edictum ex Neratii, Atilicini, & Proculi ſententia exiſtimat, pactum, cum uno ex reis factum, alteri non nocere; lib. autem 13. ad edictum ſcribit, altero ex ſociis contra compromiſſum petente, poenam adverſus alterum committi. Sed hic praeſertim non agitur, an unius reorum factum alteri noceat; verum praecipua eſt quaeſtio, an poena ſit commiſſa: & videri commiſſam Paulus reſpondet, quaſi ipſi ſint fidejuſſores. Ideoque, cum alter petit, alter etiam petere videtur, propter ſocietatem: quemadmodum non refert, an a reo, an a fidejuſſore petatur: ob idque poena adverſus eum committitur, qui compromiſit; ſed committitur ſive ipſe petat, ſive ejus ſocius.

(7) *Conciliatio §. ſed ſciendum 1. Inſtit. Qui teſtam. tutor. dari poſſ. & l. Etſi non adſcripta 9. C. de fideic. libert.*

Poteſt quoque Juſtiniani, Valer. & Gal. Imperatorum contentio in hanc concordiam reduci. Ait Juſtinianus: *Sed ſciendum eſt eum* (ſervum ſcilicet proprium) *& ſine libertate tutorem datum, tacite libertatem directam accepiſſe videri; & per hoc recte tutorem eſſe.* Val & Gal. *Et ſi non adſcripta libertate teſtator ſervum ſuum tutorem ſuis filiis dederit, receptum eſt, & libertatis & pupillorum favore, ut per fideicommiſſum manumiſiſſe eum videatur.* Verum obſervandum eſt, Juſtinianum praeſertim non agere, an directa, an vero fideicommiſſaria libertas competat, ſed docere eum voluiſſe, ſine libertate datum tutorem nihilominus libertatem conſequi. Alii autem Impp. de ipſa libertate, quae data ſervo non videbatur, praecipue non diſputant: ſed, libertatis ac pupillorum favore, eam tanquam ex cauſa fideicommiſſi ſervo competere reſcribunt. Nulla certe relicta exiſtimatur libertas, cum ea ſervum ſuum teſtator non donaverit. Sed, quia utilius eſt pupillo libertum ſuum tutorem habere, & tutoria adminiſtratio ſine libertate exerceri non poteſt; ideo ſervus liber eſſe cenſetur, non quidem directo, niſi qua directis verbis tutor a teſtatore datus eſt. Nec enim abſurde quis dixerit, libertatem, quae tutelae (quam ſemper directo dari conſtat) ineſſe ſubintelligitur, directam non ideo dici, cum tamen effectu & re ipſa ſit fideicommiſſaria.

(8) *Con-*

Digitized by Google

ſententiam aliorum Juriſconſultorum opinioni poſſumus Scribit Cato, ut Paulus refert: *Si de eo facto tantum ſit, quod diviſionem recipiat, veluti amplius non agi; tum eum haeredem, qui adverſus ea fecerit, pro portione ſua ſolum poenam committere.* Alii vero Juriſconſulti totam committi poenam, etiam ſi unus ex haeredibus portionem ſuam ex ſorte ſolverit, donec portio cohaeredis ſolvatur, exiſtimant. Atque is ipſe Paulus alio loco Catonis approbare ſententiam non videtur. Sed intelligendum eſt, Paulum, referentem Catonis diſtinctionem, de faciendi ſtipulationum differentia praeſertim agere; lib. autem 23. ad edictum, praecipue diſputare, quo modo cohaeredibus proſpiciatur, cum tota poena ab uno commiſſa ſolvitur. Eſt etiam obſervandum, Pomponium atque illum ipſum Paulum dicere quidem, niſi tota ſors aut totus fundus detur, poenam nihilominus committi, nec prodeſſe ad evitandam poenam, pro parte dari rem poſſe. Quod ab iis recte dicitur; ſed non ſatis diſtincte. Quamvis enim ea ſit poenae vis, ut ab ipſa haeres non liberetur, niſi tota ſoluta ſit obligatio; diſerte tamen, ex Catonis authoritate, Paulus oſtendit, principalis obligationis cauſam ſpectandam eſſe. Quod is igitur tradit, ſequendum eſt: quae vero caeteri ſcripſere, ex ipſius ſententia interpretationem accipere debent; ut haec regula colligi poſſit: Poena certae pecuniae, adjecta dividuae ſtipulationi, tota unius facto committitur: ſed, propter rei in ſtipulationem deductae naturam, is ſolus pro portione ſua tenetur, qui, contra quam conventum eſt, aliquid fecit.

(9) *Conciliatio §. theſauros* 39. *Inſt de rer. diviſ.* & *l.* 3. *§. ſi in locis* 10. *D. de jur. fiſc.*

Locus *Inſtitutionum*, quem ante attigi, alterius cum Calliſtrati reſponſo pugnam mihi in memoriam revocat. Scribit enim Juſtinianus, *Divum Adrianum, naturalem aequitatem ſequutum, ei conceſſiſſe theſaurum, qui eum in ſacro aut religioſo loco invenerit*; & Spartianus idem narrat: *Adrianus* (inquit *in ejus vita cap.* 18.) *de theſauris ita cavit, ut ſi quis in ſuo reperiſſet, ipſe potiretur; ſi quis in alieno, dimidium domino daret: ſi quis in publico, cum fiſco aequaliter potiretur*: ut veriſimile ſit, Adrianum de eo religioſo aut ſacro loco intellexiſſe, qui quodammodo ejus eſſe videtur, in cujus fundo eſt, & cujus majores in eo aut ſacra familiae propria conſtituerunt, aut ſepulchra ſibi elegerunt. Calliſtratus autem refert, *Divos fratres conſtituiſſe, ut ſi in locis fiſcalibus vel publicis religioſisve, aut in monumentis theſauri reperti fuerint, media pars ex his fiſco vindicaretur.* Sed divorum fratrum reſcriptum de iis religioſis locis aut monumentis intelligendum eſſe conſtat, in quibus eſt aliquod jus fiſci, & quae publica authoritate conſtituta ſunt, aut alio modo ex familia privatorum exempta. Quod ſi quis divorum fratrum conſtitutionem generalem eſſe contendat, & divi etiam Adriani reſcriptum ad hanc interpretationem non eſſe reſtringendum; is meminerit, Juſtinianum narrare tantum Adriani conſtitutionem, non autem ipſum ex ſua authoritate ſtatuere: ideoque Veri & Antonini divorum fratrum, qui poſteriores fuerunt, ſequendum eſſe reſcriptum, *l ult. D. de conſtit. princ.* ut etiam feudorum author approbavit, *De feud tit. quae ſunt regal.*

(10) *Conciliatio l* 1. *D. de verb oblig.* & *l. ea quae* 57. *D. de donat. inter vir. & uxor.*

Venit in mentem *l.* 1. *D. verbor. obligat.* & *l.* 57 *D. Qui praeſens* 1. qui ſic intelligi debet, *de verb obligat.* Quod, ſi ſervus vel procurator ejus nomine ac juſſu pecuniam aliudve dederit, ipſique ſtipulanti is, cui datur, congrue reſponderit; tum hic literas ad illum mittat, quibus ſeſe daturum facturumve ſpondeat quicquid inter ſe & ſervum convenit, aut certe procuratorem, qui contrahere poterat: ea quidem valet ſtipulatio, petique ex ea poſſe reſpondit Paulus; quem ita conſultum fuiſſe verba reſponſi indicant. Sic enim ſcripſerat uxor: *Quae ſumma mihi numerata eſt ſub ea conditione, &c.* Quae verba de eo intelligenda ſunt, qui potuit numerare. Nec eſt comminiſcendum, epiſtolam interveniſſe, eamque cautionem & chirographum ſignificare, ideoque praeſentem praeſenti dediſſe epiſtolam: cum diſerte Jureconſultus dicat uxorem literas miſiſſe.

(11) *Conciliatio l.* 1. *D. de legat.* 2. & *l. Senatus* 43. *D. de legat.* 1. & *l. nonnunquam* 52. *D. de condit. & demonſtrat.*

Difficillima eſt *l.* 1. *D. de legat.* 2. antinomia, & *l.* 43. *D. de legat.* 1. a quibus diſſentit *l.* 52. *D. de condit. & demonſtrat.* In illis Paulus & Ulpianus in alterius arbitrium conferri legatum, veluti conditionem, poſſe ſcribunt: in hoc autem Modeſtinus, a caeteris quodammodo diſſidens, in alienam voluntatem conferri legatum non poſſe dicit. Haec Juriſconſultorum reſponſa ſibi contraria videntur, ut affirmantia & negantia. Verum ea ſic poſſe conciliari exiſtimo, ut, ſi legatum in alterius arbitrium ut quaevis conditio conferatur, ipſum valeat, tanquam ſi teſtator boni viri arbitrium intellexiſſet. Verum, ſi hujuſmodi ſit legatum, ut teſtatorem alterius voluntatem ita elegiſſe conſtet, ut ex ea legati dationem omnino pendere, non tanquam ex boni viri arbitrio ſenſiſſe videatur; legatum eſt inutile. Sic enim de bonis ſuis diſponere teſtatorem oportet, ut ultima ejus ſententia ex alterius nutu & voluntate non pendeat, ſed ipſa declaret, quid poſt mortem faciendum ſit.

(12) *Conciliatio l. ſi quis* 57. & *l. qui Romae* 122. *§. Augerius* 4. *D. de verb. oblig. & §.* 4. *verſ. ex condit. Inſtit. eod. tit.*

Supereſt, ut diſſolvamus *l.* 57. & 122. *D. de verb. oblig. §.* 4. *verſ. ex conditionali Inſtitut. eod. tit.* Scribit Julianus, implendae conditionis facultatem ad haeredes tranſire, adeo ut decedens promiſſor ipſos relinquat obligatos; & Juſtinianus, *Ex conditionali ſtipulatione tantum ſpem eſſe debitum iri* dicit, *eamque ipſam ſpem in haeredem tranſmitti, ſi prius, quam conditio extet, mors nobis contigerit.* Verum Scaevola in ea ſpecie, in qua *Augerius filiusfamil. ſervo Publii Maevii ſtipulanti ſpopondit, ſe daturum quicquid patrem ſuum Publio Maevio debere conſtitiſſet, & patre defuncto adverſus haeredem ejus actum fuit, aliumve ſucceſſorem, & de debito conſtitit, reſpondit, ſi conditio non extitiſſet, ſtipulationem non eſſe commiſſam*: quaſi dixiſſet, ſi ita ſit, quod vivo patre de debito non conſtitiſſet, Augerium non teneri. Solent enim Juriſconſulti ſecundum id, quod proponitur, reſpondere; ſed in hujus facti ſpecie dicebatur adimpletam fuiſſe cum haerede conditionem. Scaevola tamen negative reſpondet. Equidem de hac quaeſtione aliter ſentio. Hanc enim filii ſponſionem non eſſe fidejuſſionem arbitror, ſed Publii Maevii ſervum, firmandae obligationis cum patre Augerii contractae cauſa, ſtipulatum fuiſſe

con

Digitized by Google

intelligit, ſi cum patre vel ſecum de debito conſti-tuiſſet. Agitur de incerto patris debito; ad cujus ſo-

mus: hoc enim caput ad ejus compoſitionem [illegible] nobis fecit.

FINIS LIBRI PRIMI.

LUDOVICI CHARONDAE, JCti, ΠΕΙΘΑΝΩΝ, SEU VERISIMILIUM LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Diſſolvendarum antinomiarum, quae in juris authorum libris inveniuntur, ratio.

Multa in juris authorum libris eſſe non ignoro, quae ſtudioſum interpretationem requirant. Sed difficilius nihil eſt, & in quo magis elaborandum ſit, quam legum, quae inter ſe pugnare videntur, nodos diſſolvere. Quamvis enim lex ipſa, quae eſt decretum prudentum hominum, & inventum quoddam ac munus Dei, ſibi ipſi contraria dici nequeat; diverſae tamen eorum opiniones, qui in juris explicatione verſati ſunt, effecerunt, ut jam omnes exclament, plenas eſſe antinomiis Pandectas. Nam, ut Athenis Philoſophorum, ita Romae Juriſconſultorum ſectae variae fuerunt. Attejus enim Capito & Antiſtius Labeo maximae authoritatis viri, inter ſe diſſentiebant: quorum etiam auditores minus ſibi conveniebant. Attejus quidem Capito in iis, quae ei tradita fuerant, perſeverabat; Labeo vero, ingenii ſubtilitate, & doctrinae fiducia fretus, quod & prae caeteris ſapientiae operam dederat, plurima innovare inſtituit. *Et ita Attejo Capitoni* (ut ſcribit Pomponius *l. 2. §. 47. D. de orig. jur.*) *Maſurius Sabinus ſucceſſit; Labeoni Nerva, qui adhuc eas diſſenſiones auxerunt.* Sed & Caſſianorum ac Proculianorum ſectae, quarum origo a Capitone & Labeone coeperat, pleraſque controverſias excitarunt. Cum autem ex hoc immenſo aliarum ſuper alias opinionum acervatarum cumulo compoſitae ſint Pandectae, fieri non poteſt, ut pleraque earum diſſenſionum veſtigia non inveniantur. Nec minor in principum reſcriptis antinomiarum ſuſpicio eſt. Hi enim ex eorum Juriſconſultorum, quos in conſilium adhibebant, opinione ſtatuentes, non minus contraria reſcripta ediderunt, quam Juriſconſulti varie reſponderunt. Quam legum confuſionem non ignorans Juſtinianus, tum Caeſarum placita, tum prudentum ſententias in unam reducere concordiam conatus eſt: voluitque adeo diligenter totam juris ſcientiam componi, ut ne ulla legum pugnantia offenderetur. Ideoque juſſit, ut, ſi quid in veterum juris authorum libris ſupervacuum, vel imperfectum, aut minus idoneum viſum eſſet, vel adjectionem, vel diminutionem acciperet, & rectiſſimis regulis traderetur. Sed certe tanta non fuit Triboniani diligentia, tantum ſtudium, tanta eruditio, tantum denique ingenium: ut omnia veterum altercationum veſtigia tolleret, ut nullum contrarium relinqueret, ut quicquid a ſuo principe mandatum ſibi fuerat, omnino exequeretur. Infinitae enim opiniones in Pandectis diſperſae inveniuntur, quae adeo contrariae videntur, ut quis, non inepte, Digeſta appellare poſſit antiquae diſſenſionis epitomen. Sed cum incivile ſit, minimeque deceat Imperatoriam majeſtatem laedere, ſtatui omnibus modis, ſi quid eſt in me ingenii, quod perexiguum eſſe ſentio, experiri, ut antinomiarum nodos diſſolvere poſſim. Paulus Juriſconſultus, lib. 5. ad l. Juliam & Papiam, *l. 28 D. de legib.* ſcribit, *poſteriores leges ad priores pertinere, niſi contrariae ſint: idque multis argumentis probetur.* Quibus verbis legum contrarietatem ita componere videtur, ut major ſit poſterioris legis authoritas. Nam *poſtrema quaeque* (ut ſcribit Cicero) *graviſſima eſt.* Ea ratione novas Juſtiniani conſtitutiones, atque deciſiones, quae plerumque Pandectis derogant, nec juri in Codice relato parent, cum caeteris ita conciliabimus, ut ex earum diſpoſitione reliquas interpretemur, aut, ſi ex diametro opponantur, has ut poſteriores gravioreſque aliis abrogatis ſequamur. Poſſemus eodem modo, contrarias prudentum & Caeſarum, ſi quae inveniuntur, ſententias conciliare, niſi eas omnes leges, quae in Pandectis & Codice referuntur, tanquam ſi eodem tempore perlatae eſſent, & ex ſua voluntate compoſitae, novam quandam formam accepiſſent, eandem omnino vim habere ſanxiſſet Juſtinianus: adeo ut illis ſuo, vel potius Triboniani arbitrio correctis, & in melius reſtauratis, primam nunc authoritatem tribuere videatur, ut Theodoſius de prudentum reſponſis, ſuum judicium edidit. Sed ideo non inutilem hanc eſſe temporum obſervationem dicere quis poſſit; quoniam ipſa oſtendit, quid prioribus temporibus obtinuerit,

re conſumeremus, viam ipſe rectam & ſecuram patefecit, Sic enim in tertia conſtitut. ad ſenatum & omnes populos reſcribit §. 15. *Contrarium autem aliquod in hoc Codice poſitum nullum ſibi locum vendicabit, nec invenietur, ſi quis ſubtili animo diverſitatis rationes excutiat: ſed eſt aliquod novum inventum, vel occulte poſitum, quod diſſonantiae querelam diſſolvit, & aliam naturam inducit, diſcordiae fines effugientem.* Itaque Imperatoris authoritate freti, videamus diligenter, ſi quid ſit in legibus, quarum diſſenſiones componere vulumus, quod diverſitatis rationem explicet.

CAPUT II.

Conciliatio l. 18. D. Si cert. pet. & l. 36. D. de acquir. rer. domin.

Difficile eſt, eum caeteris conciliare, qui ſibi ipſi non conſentit. Equidem obſervavi, Julianum aliud ſcribere, & aliud ſcribentem ab Ulpiano referri. Sic enim *l. cum in corpus.* 36. *D. de acquir. rer. domin.* ait: *Si pecuniam numeratam tibi tradam donandi gratia, tu eam quaſi creditam accipias: conſtat proprietatem ad te tranſire: nec impedimento eſſe, quod circa cauſam dandi atque accipiendi diſſenſerimus: ſatis enim eſt in corpus quod traditur conſentire.* Eam vero Juliani ſententiam fuiſſe refert Ulpianus, *l. ſi ego* 18. *D. ſi cert. pet. Si ego,* inquit, *pecuniam tibi quaſi donaturus, dedero; tu quaſi mutuam accipias, Julianus ſcribit donationem non eſſe. Sed an mutua ſit, videndum eſt. Et puto nec mutuam eſſe: magisque nummos accipientis non fieri; cum alia opinione acceperit. Quare ſi eos conſumpſerit, licet condictione teneatur, tamen doli exceptione uti poterit: quia ſecundum dantis voluntatem nummi ſunt conſumpti.* Multos torſit hic nodus: nec ſcholaſticorum DD. ullus notandum aliquid comminiſcitur: niſi Franciſci cujuſdam Aretini, veterum juris profeſſorum puriſſimi, ſententiam, quam ſibi ex recentioribus plerique arrogant, probabilem eſſe dicamus. Is enim, cum videret commentitias aliorum ſolutiones, abſurdas eſſe: *creditam* apud Julianum interpretatur, non ex perſona debitoris, mutuam pecuniam accipientis, ſed creditoris, rem a ſe creditam recipientis. Sed haec explicatio Juriſconſulti ſententiae non omnino convenit. Ejus enim verba ſatis indicant, ipſum de mutui datione, non ſolutione loqui. Atque ita ejus opinionem refert Ulpianus. Fateor tamen, veriorem eſſe caeteris, quas hactenus effinxerunt interpretes, Aretini ſolutionem. Sed ego Juliani reſponſum, quod prius eſt, ad Ulpiani diſputationem, quam poſteriorem gravioremque eſſe conſtat, ita referendum arbitror: ut quod Julianus ſcribit, quia *ſub titulo de acquirendo rerum dominio* exſtat, de transſlatione dominii, & pecuniae proprietatis intelligatur. Nemo enim dubitat, pecuniam in ea ſpecie ejus fieri, cui tradita eſt, quia & donationis & mutui dationis cauſae transferendi dominii idoneae ſunt. Et cum in alienando corpore, quod traditur, conſenſus intervenerit: cauſae diſſenſus, licet contractui, qui utriusque conſenſum requirit, impedimento eſſe videatur, non obſtat tamen, quo minus dominium accipienti quaeratur. Praecipua autem Ulpiani diſputatio in eo verſatur: an, in propoſita ſpecie, accipiens condictione teneatur. Quod ut recte decidi poſſit, prius videndum eſt: quod genus ſit contractus. Ipſe Julianum refert, quem veriſ- cum alia opinione acceperit. Sed tanquam ſi mutuum conſumptione fuiſſet reconciliatum, tenebitur is, qui accepit, condictione: verum doli exceptione uti poterit; quia ſecundum voluntatem dantis nummi conſumpti ſunt. Remanebit igitur apud accipientem pecuniae dominium, ejusque fient nummi: quod dicit Julianus; nec negat Ulpianus, ſed non ex donationis cauſa magis, quam mutui, dominium transferri ſcribit: ideoque condictionem competere.

CAPUT III.

Conciliatio l. 24. D. ad leg. Falcid. & l. 22. D. ad SCtum Trebellian.

Vetus fuit quaeſtio (inquit Ulpianus *l. 68. D. de uſufr.*) *an partus ad fructuarium pertineret. Sed Bruti ſententia obtinuit, fructuarium in eo locum non habere. Neque enim in fructu hominis homo eſſe poteſt: abſurdumque videbatur* (ut Cajus ſcribit *l. In pecudum* 28. §. 1. *D. de uſur.*) *hominem in fructu eſſe, cum omnes fructus, rerum natura, hominum gratia comparavit.* Itaque audiendi non ſunt illi, qui poſteriores Juriſconſultos ea de re diſſenſiſſe, eorumque alios Brutum, alios P. Scaevolam & M. Manilium ſequutos fuiſſe exiſtimant. Nec ulla hujus diſſenſionis indicia in Pandectis notabunt. Quod, ut clarius intelligatur, excutiendum eſt, quod ab eis ſaepius jactatur contrarium. Dicunt enim, Paulum *l. Falcidiae* 24. §. 1. *D. ad leg. Falcid.* (*Qui partus ancillarum ante diem fideicommiſſi editos, ad haeredes ejus qui rogatus eſt, pertinere, eosque in quartam & quartae fructus computandos: ſi de lege Falcidia quaeſtio incidat, reſpondit*) cum Ulpiano pugnare. Hic vero de fideicommiſſaria haereditatis reſtitutione diſputans, *l. Mulier* 22. §. *ſed enim* 3. *D. ad SCtum Trebell. Haeredem detrahere partus etiam ſi extant, & partuum partus,* ſcripſit. Ex qua interpretatione, quae ſit in his reſponſis antinomia, non intelligo: nec enim, ſi recte contextus diſtinguatur, partuum rationem reddere haeredem debere dicemus, ſed ut ſumptus, ſi quos in res haereditarias fecit, ita illos ipſos partus detrahere poſſe. Quod ſi quis noſtram refellere explicationem ideo velit, quod Ulpianus dixerit ad fideicommiſſarium, cum univerſa haereditate, extantes partus pertinere, quia in fructibus hi non habentur: is ſe codicis errore deceptum ſciat. Non enim, *quia*, ſed *quamvis*, in antiquis codicibus, tum excuſis, tum manuſcriptis legitur. Et haec quidem lectio Ulpiani ſententiae optime convenit. Nam ipſe vult, haeredem ex haereditatis reſtitutione partus detrahere, *l. in fideicom.* 18. *D. ad SCtum Trebell.* eosque in quartam (ut ait Paulus) computare: quamvis non ſint in fructu, & in fideicommiſſariam haereditatis reſtitutionem (cum venire non dicantur fructus) caetera, quae ex haereditate capiuntur, reſtituenda eſſe videantur. Et partus quidem, poſt teſtatoris obitum editi, ſunt quodam modo praeter haereditatem, id eſt, praeter id, quod teſtator eum rogavit reſtituere; quia tum nati & in lucem emiſſi non erant: nec de iis cogitare teſtator potuerat.

CA-

Google

SI Tribonianus principum conſtitutiones ita diſpoſuiſſet, ut facti libello comprehenſi ſpecies, de qua conſulti Impp. reſcripſerunt, intelligi facile poſſet: ipſorum adeo obſcura non viderentur reſcripta, ut hac ex conſtitutione apparet. Nam inter juris interpretes ſatis non convenit, quo jure ſundum haberet filius. Alii enim datum ipſi in peculium, alii praelegatum, alii donatum ſuiſſe exiſtimant. Ego vero (ut quid ſentiam ingenue & breviter dicam) filium ex parte inſtitutum ſuiſſe, eique adſcriptum fundum arbitror: atque in eo teſtamento, vel in codicillis teſtatorem rogaſſe filium, ut portionem haereditatis, ex qua ipſum inſtituerat (hunc ſcilicet fundum) fratribus & quibusdam aliis, ſub conditione dandorum (exempli gratia) decem reſtitueret. Et haec quidem explicatio, quaeſtioni propoſitae quam proxime accedit. Conſtat enim de fideicommiſſo Impp. ſcribere, quod relinqui non poteſt, niſi ab eo praeſtandum, qui id habet, quod rogatus eſt reſtituere. Nam *ſciendum eſt* (ut ſcribit Ulpianus noſter *l. 1. §. ſciendum 6. D. de legat. 3.*) *eorum fidei committi poſſe, ad quos aliquid perventurum eſt, morte ejus, vel dum eis datur, vel dum eis non adimitur. Nec recipiendum eſt*, quemadmodum Paulus eleganter reſpondit, *l. Sed & ſi. 6 §. 1. D. de legat. 3. ut cui nihil dederis, eum rogando obliges.* Nec mutat, quod filium habentem ſundum dixerint Impp. quaſi vero teſtamenti tempore poſſederit. Nam ſtatim atque haeres inſtitutus eſt aliquis, rem ſibi a teſtatore relictam habere videtur, unde ab hero dici haeres antiquis videtur. Et maxime filius, qui etiam vivo patre quodammodo dominus exiſtimatur, *l. In ſuis 11. D. de liber. & poſthum.* Sed & non inepte, is habere dicitur, qui reſtituere rogatur. Quod ſi fratres conditionem impleverint (quam probabile eſt filii, qui oneratur, reſpexiſſe utilitatem, ne damnum ſine commodo ſentiat) & ipſe ſundum ita reſtituat, ut primum ex praedio tantam portionem retineat, quantam, ſi omnes in illo tantum a teſtatore inſtituti ſuiſſent, accipere potuiſſent: eamque partem in quartam computet, una cum eo, quod a cohaeredibus vice mutua percepit, id eſt, eo ipſo, ſub cujus dandi conditione reſtituere rogatus eſt. Et ſi quid deeſt quartae, in ſupplementum deducat, quod a caeteris ad implendam conditionem fundumque obtinendum ſolvetur. Quod ſi ex ea retentione & compenſatione, ſupra quartam habuerit, familiae erciſcundae judicio reddere compellatur. Haec eſt ſuccincta hujus reſcripti enarratio; quae ut fiat clarior, ſciendum eſt, eum, qui haereditatem univerſam vel aliquam ejus portionem reſtituere rogatus eſt, perinde quartam partem retinere poſſe, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere conceditur: ut praeclare & breviter explicat Juſtinianus *tit. de fideicomm. haered.* Cum is igitur filius, ex certa parte haeres ſcriptus, fundum, qui ſolus ei adſcriptus fuerat, reſtituere rogatus ſit; quartam Trebellianam retinere poteſt. Sed, quia ſub conditione aliquid a cohaeredibus accipiendi, reſtituere debet, id quod accepit, in quartam ei imputabitur; ut divus Pius conſtituit, *l. in quartam 91. D. Ad leg. Falc.* Quod etiam noſtri Impp. reſcripſerunt, *compenſatum quod a cohaeredibus vice mutua percepit*, ſcribentes. Sed tota hujus conſtitutionis quaeſtio in eo verſatur: An filius familiae erciſcundae judicio reddere compellatur, quod ſupra quartam accepit: ea enim, ſub titulo familiae erciſcundae poſita, ad alium

diſſentit Maetianus a noſtrorum Impp. ... Ipſe *Pro ea parte, quam is, qui reſtituit, accipit a cohaerede extra quartam, id eſſe, quod a cohaerede accipitur*, ſcribit. Dicunt autem Impp. *compenſatum; quod a cohaeredibus vice mutua percepit:* non compenſandum ſtatuunt, ſed etiam, ſi ita ſanxiſſent; conciliare tamen ipſos JCtos poſſemus. Loquuntur enim illi de eo, quod vice mutua praeſtandum erat, quodque teſtatoris judicio compenſari debebat. Sed Maetianus id eſſe, quod a cohaerede accipitur, dicit, quod ſcilicet pro ea parte, quam extra quartam a cohaerede accipit, habet. Sic enim Maetianum interpretor (quamvis alii aliter) quaſi ipſe diceret, id tantum a cohaerede eum, qui haereditatem reſtituit, accipere, quod extra quartam haereditatis partem a cohaerede pro ſua parte accipit. Quarta enim non haeredis liberalitate, ſed legis potius beneficio tribuitur. Tum ſubjicit JCtus: ſed, ſi pecuniam a cohaerede acceperit, atque ita haereditatem reſtituerit, id, quod accepit, in quartam ei imputabitur; idque divum Pium conſtituiſſe ſcribit, cujus ſententia cum Impp. noſtrorum reſcripto conſentit. Et videtur quidem poſterior hic verſiculus praecedentis eſſe interpretatio. Si enim is, qui reſtituere rogatus eſt, quartam haereditatis partem retineat, & extra eam accipiat a cohaerede pecuniam, ſub qua reſtituere rogatus eſt; reſpondit Juriſconſultus, id, quod extra quartam datur, illud eſſe, quod a cohaerede non teſtatoris voluntate, neque legis beneficio accipitur, ſed hoc tamen ipſum in quartam imputari: ideoque compenſandum eſſe cum ea haereditatis portione, quam retinere vult. Et haec quidem conciliatio nova & noſtris interpretibus inaudita, verior eſt, quam infinita ipſorum commenta: quae ſi ſequeremur, & propius Maetiani verba inſpiceremus, ipſum ſibi contrarium eſſe diceremus.

Conciliatio hujus l. & l. Titia 86. D. Ad leg. Falcid.

Magis obſtat, quod Julianus lib. 40. Digeſtorum ſcribit; in eo obſcuro reſponſo, cujus haec eſt epitome: *Titia teſtamento ſuo Titium fratrem ſuum, ex parte tertia haeredem inſtituit, fideique ejus commiſit: ut haereditatem, retenta quarta parte, Secundae & Proculae reſtitueret. Eadem quaedam praedia praelegavit.* Quaeritur, an ſolam quartam retinere, in eamque praelegata imputare debeat Titius. Et reſpondet JCtus: *Titium legata integra retinere debere, ſed in partem quartam imputari oportere duodecimam partem praediorum. Sed ſi non eſſet adjectum, ut pars quarta deduceretur; totum trientem praediorum legi Falcidiae imputari oportere: quoniam contra ſententiam matrisfamilias lex Falcidia induceretur.* Conſtat igitur, ultra quartam retinere praelegatorum partem eum, qui reſtituere rogatus eſt, poſſe: cum tamen Impp. noſtri eum, *quod ſupra quartam habet, reddere compelli* ſanxerint. Sed obſervandum eſt Impp. de Trebelliana quarta; Julianum vero de Falcidia loqui.

Differentia inter quartam Trebellian. & eam, quae ex lege Falcidia debetur.

Haec enim inter caeteras, magna eſt inter has duas quartas differentia, *quod ea tantum legi Falcidiae imputentur, quae jure haereditario haeres accipit: non quae jure legati, vel fideicommiſſi, vel implendae conditionis cauſa. Sed in fideicommiſſaria haereditate*

rio jure apud eos remanere intelligantur, & *ideo* (ut Cajus noſter ſcribit, *l. id autem 76. §. 1. D. ad leg. Falcid.*) *quadranti imputanda ſint, nec quicquam interſit, utrum ſtatim ab initio legatum ſit, an quod legatum eſt, remanſerit:* recte haereditarium dicitur, quicquid legi Falcidiae imputatur. Unde fideicommiſſum vel legatum, quod ſemel fideicommiſſarii vel legatarii fuit, ad haeredem revertens, nomen non amittit, nec in Falcidiam imputatur, *l. ſi a me 29. D. ad leg. Falcid.* At Senatusconſultum id tantum inſpexit, ne haeres gravatus ſua aditione, onus ſine commodo ſentiret. Ideoque ipſi viſum eſt ſatis eſſe, quartam quoquo modo haeredi ſervari. Sed ex hac noſtra interpretatione abſurdum ſequi videtur. Cum enim Julianum de Falcidia interpretamur, nobis ipſis contrarii videmur; quia in Falcidiam legata non imputari diximus. JCtus vero ea imputat: vult enim, ſi teſtator de quarta expreſſe ſanxierit, in eam praediorum duodecimam partem imputari oportere; ſi vero illius non meminerit, totum trientem. Verum ſi quis propius inſpiciat, hanc contrarietatem facile tollet. Neſennio enim Apollinari reſpondit Julius Paulus, *l. Neſennius 22. ad leg. Falc. eum, qui legatum* vel fideicommiſſum (idem enim de utroque dicendum arbitror, cum legata fideicommiſſis exaequata ſint) *praeſtaturus eſt, ab eodem aliquid ex teſtamento petit, non eſſe audiendum, uti adverſus eum Falcidiae beneficio cupientem, ſi id, quod percepturus eſt ex voluntate teſtatoris, ſuppleat, quod deducere deſiderat.* Unde conſtat praelegata in Falcidiam imputari, ſi mutua vice praeſtanda ſint, ut in ſpecie, Juliano propoſita: qui ideo dubitabat, an integra praelegata imputanda eſſent. Id enim dicendum videbatur, propter Pauli rationem; ſed aliter ille reſpondit, rationem ſubjiciens, ex qua ſatis indicat, hanc eſſe voluntatis quaeſtionem, quae ex mentis conjectura pendet. Ait enim tota ideo praelegata, in quartam non imputari, ne contra ſententiam matrisfamilias lex Falcidia induceretur. Sed alias de hoc Juliani reſponſo plura dicemus.

Conciliatio d. l. Titia 86. & l. Marcellus 3. l. in fideicommiſſaria 38. D. ad S. C. Trebellian. l. Cum virum 16. C. de fideicomm.

Non eſt tamen omittendum, quod ad eorum, quae diximus, explicationem pertinet, Ulpianum duobus locis, Carum, Carinum & Numerian. Impp. ex viri prudentiſſimi Papiniani ſententia ſcripſiſſe, non integra legata, ab eo, qui reſtituere rogatus eſt, retineri, ſed eam tantum partem, quae a cohaerede accipitur: cum tamen aliud hic reſpondeat Julianus. Sed jam monui, intereſſe inter Falcidiam legem & Trebellianam quartam. Et, ex ea quidem differentia, harum opinionum diverſitatis ratio intelligi poteſt: illi enim loquuntur de fideicommiſſaria haereditatis reſtitutione; hic vero de lege Falcidia, in quam mutua tantum praelegata imputantur: & ea quidem integra; niſi teſtatoris voluntas repugnet, *l. Si Titius 96. D. de legat 3. d. l. Marcellus 3. §. Quidam liberis 4.* Et haec adeo vera ſunt, ut recte Cumanus & Fulgoſius vulgarem atque ab interpretibus excogitatam ordinis ſcripturae diſtinctionem refellerint. Nihil enim refert, an praeceſſerit fideicommiſſum, an vero legata; ut eleganter ex Caji & Ulpiani authoritate probarunt.

in illo ea tantum breviter ſcripſi, quae ad intelligendam poſſeſſionis naturam pertinere exiſtimabam; hanc vero non omittendam antinomiam non attigi. Eſt tamen difficilis: nam ſibi ipſis minime conſtituere videtur Paulus. Ait enim uno loco: *In amittenda poſſeſſione affectionem ejus, qui poſſidet, intuendam eſſe: itaque ſi in fundo ſis, & tamen nolis eum poſſidere, protinus amittes poſſeſſionem. Igitur amitti & animo ſolo poteſt, quamvis acquiri non poteſt.* Scribit autem alio loco: *Quemadmodum nulla poſſeſſio acquiri, niſi animo & corpore poteſt, ita nullam amitti, niſi in qua utrumque in contrarium actum eſt.* Eamque Pauli ſententiam, repetitam ſub titulo de regulis juris legimus, *l. Fere 153. D. de reg. jur. Quibus modis acquirimus,* inquit, *iisdem in contrarium actis amittimus.* Ut igitur nulla poſſeſſio acquiri, niſi animo & corpore poteſt; ita nulla amittitur, niſi in qua utrumque in contrarium actum eſt. Clariſſimus Juriſconſultus Aemylius Ferretus, in ſuis elegantiſſimis commentariis (quos ſaepius efflagitatos hodie accepimus) hoc contrarium, rejectis aliorum interpretum commentis, ita ſolvit: primum totam Pauli ſententiam, *d. l. 3. §. Neratius. 3.* conjungit, ut quemadmodum is eſt adipiſcendae poſſeſſionis ordo, ut corpore incipiamus acquirere, & animus ſubſequatur; ita, in amittenda quoque poſſeſſione, intuenda ſit affectio, tanquam principium (non quod ea ſola ſufficiat) tum ſubſequatur corpus: atque ita utrumque in contrarium agatur, & alio ordine, quam in acquirenda. Equidem (pace tanti viri dixerim) non poſſum hanc ſolutionem probare. Ipſa enim anguſtior eſt, quam ut ad omnes amittendae poſſeſſionis modos referri poſſit. Quid enim ſi jam corpore rei poſſeſſionem deſeruerit? Praeterea recte mihi interpretari Paulum ſuum non videtur; cum *protinus amittes*, explicat, *initium amittendae feceris:* particula enim *protinus*, totam rei ſubſtantiam tangit. Itaque (ut dicam, quod ſentio) animadvertendum eſſe arbitror, poſſeſſionem non aliter acquiri, quam ſi corpore rem apprehendas, & dominantis animum habeas. Cum igitur rem poſſides ſive corpore & animo, ſive ſolo animo, ſtatim atque nolueris eam domini voluntate habere, poſſeſſionem amittis. Sed tamen aliquid etiam in corpus tuum agitur, contra quam in acquirenda poſſeſſione requiratur: ſi enim rei inſiſtas, ex ea corpus tuum dejicitur; ſi vero abſis, rediens ad ſuam detentionem non accedit. Et certe Paulus non dicit in amittenda poſſeſſione animum & corpus, ut in acquirenda requiri; ſed ut utrunque in contrarium actum ſit. Quae verba eam, quam diximus, recipiunt interpretationem, nempe ut in animum & corpus poſſidentis, aliquid actum ſit contrarium poſſeſſionis acquiſitioni. Praeterea Paulus eo in loco, quem ex regulis juris retulimus, particulam *fere* adjecit; quam recte in hoc caſu appoſitam fuiſſe, notat juris epitomae ſcholiaſtes Harmenop. *jur. epitom. lib. 2. tit. 1.* Quo enim modo poſſeſſionem alicujus rei acquirere poſſumus, non prorſus eodem modo eam amittimus: ut non inepte quis dixerit. Quod ſcribit animo & corpore amitti poſſeſſionem, eo caſu intelligi debere, quo animo & corpore poſſidet quis, aut certe abeſt, ſed, cum velit ingredi fundum, ejicitur: ob eamque vim & poſſidendi animum deſerat, & ſeipſum ejici ferat.

Digitized by Google

Difficilior ſub eodem titulo legitur antinomia. Scribit enim Paulus: *Offilium & Nervam filium, etiam ſine tutoris auctoritate poſſidere incipere poſſe pupillum, dixiſſe: eam enim rem facti, non juris eſſe. Quam ſententiam recipi poſſe* ait, *ſi ejus aetatis ſit, ut intellectum capiat.* Sed contrarium reſcripſiſſe Decius Imp. videtur. Nam ipſe ſic ait: *Donatarum rerum a quacunque perſona infanti vacua poſſeſſio tradita corpore quaeritur. Quamvis enim ſint authorum ſententiae diſſentientes: tamen conſultius videtur, interim (licet animi plenus non fuiſſet affectus) poſſeſſionem per traditionem eſſe quaeſitam: alioquin, ſicuti conſultiſſimi viri Papiniani reſponſo, continetur, nec quidem per tutorem poſſeſſio infanti poterit acquiri. Nam judicium infantis* ut ſcribit Paulus, *l. Quamvis* 32. §. 2. *D. de acquir. poſſeſſ.*) *ſuppletur authoritate tutoris: utilitatis enim cauſſa hoc receptum eſt.* Equidem multa inveniri poſſe, quae hanc contrarietatem diſſolvant, non ignoro. Nam Paulus eum pupillum dicit, qui intellectum capit, de eo etiam infante intelligi poteſt, qui amplius non lactat; ſed infantiae proximus eſt: dici enim cum infantem conſtat, ut eleganter Theophilus §. *Pupillus* 9. *Inſtit de inut. ſtipul* ſcribit. Sed hic ipſe quamvis verba proferre poſſit, non tamen plenum animi affectum habet, id eſt, utcunque intelligit, quod facit: is tamen dijudicare non poteſt, quid ſibi velint ea, quae dicuntur, & quem ad finem res ipſi tradatur. Et ex hac quidem interpretatione non intelligo, quod inter ipſos juris authores interſit: maxime cum vacua poſſeſſio infanti de manu (ut dicitur) in manum tradi dicatur. Nam de rebus tantum donatis ſancit Imp. in quibus tradendis non tanta juris obſervatio requiritur; quam ſi ex alio quovis contractu, ut emptione, permutatione, & ſimili, transferenda eſſet poſſeſſio. Rem enim accipiens, donationem ſola acceptione infans, quodammodo ratam habere, ideoque poſſidere cenſetur; cum, ſi tantum animi non habeat, quantum ad acquirendam poſſeſſionem ſufficit, rei corpore inſiſtat. Haec certe ad eam antinomiam explicandam, ita a me dicuntur, ut tamen ſententias JCtorum diſſentientes non fuiſſe, non exiſtimem. Sed cum a Paulo Papinianum diſſidere non videam, Pandectarum & Codicis compoſitores (quibus multum debemus) negligentiae accuſare non poſſum.

CAPUT VII.

Conciliatio leg. 7. §. 2. D. de pact. & l. 5. in §. Quod ſi faciam 3. D. de praeſcript. verb.

IN diſſolvendo harum legum nodo, elaborant omnes interpretes: ſed ſibi adeo parum conſentiunt, ut eorum nullus doctum ſe exiſtimet, niſi novi aliquid attulerit. Equidem prius vicinam huic antinomiam explicare ſtatui, quam vel meam ſententiam confirmem, vel diverſas aliorum opiniones referam. Ulpianus *l. 7. §. 2. D. de pact.* in hac ſpecie: *Dedi tibi Stichum, ut Pamphilum manumittas: manumiſiſti, evictus eſt Stichus: Julianus ſcribit, in factum actionem a praetore dandam.* Martianus autem: *Ait ille*, a quo Julianus recte reprehenſus eſt, *civilem incerti actionem, id eſt, praeſcriptis verbis ſufficere* dicit. Aliter Paulus *d. l. 5. §. 2. verſ. Sed ſi dedi D. de praeſc. verb.* Juliani ſententiam refert: *Si dedi tibi ſervum, ut ſervum tuum manumitteres, & manumiſiſti, & is, quem dedi, evictus eſt: ſi ſciens dedi, de dolo in me dandam actionem Julianus ſcribit; ſi ignorans, in factum civilem.* Sed certe ipſi Juriſconſulti … in quo ſibi non recte ſenſiſſe Julianus videbatur. Major autem in eo dubitatio eſt, quod Ulpianus cum Martiano Julianum reprehenderit, quia dandam a Praetore actionem dixerat: cum civilis praeſcriptis verbis competat. Paulus vero Juliani ſententiam approbans, ipſum civilem ſcripſiſſe reſponderit. Sed certe ipſi Juriſconſulti non adeo de re ipſa diſſentiunt; verum in eo tantum non conveniunt, quod non eodem modo ejus ſententiam referant. Doctiſſimus Juriſconſultus & praeceptor meus, Franciſcus Duarenus, ſuſpicatur, Tribonianum, cum a Paulo, Juliani ſententiam recitante, actionis in factum mentio tantum facta eſſet, ne ab Ulpiani reſponſo diſcrepare videretur, verbum *Civilem* adjeciſſe, id ſatis eſſe ratum ad antinomiam vitandam, ſi in ſumma propoſitae quaeſtionis nulla reperiretur controverſia. Huic ſuae ſententiae fucum, ex Juſtiniani conſtitutione quaerit: ita ingenioſus eſt, ut facile, quod excogitavit, probet. Verum (pace tanti viri dixerim) ſi diutius in ea opinione haerere velit: neſcio qua ratione, quae ſit cujusque Juriſconſulti vera ſententia, definiri poſſit. Equidem ex Cajo lib. 10. ad edictum provinciale, *l. Si tibi* 22. *D. de praeſcr. verb.* notavi, actionem praeſcriptis verbis, in factum etiam dici: ut quamvis verbum, *civilem*, omiſſum fuiſſet, de praeſcriptis verbis actione intelligendum, quod ſcribit Paulus, eſſet. Praeterea hic ipſe Juriſconſultus alterius ſententiam refert, in eo tractatu, qui de praeſcriptis verbis actione totus eſt. Sed otioſum adeo Tribonianum non fuiſſe arbitror, ut relatas ab aliis opiniones corrigere voluerit: maxime cum jam collegiſſet, quicquid ad ejus loci emendationem facere poterat, ſi modo corrigendus erat. Noſtri quoque Duareni opinionem non probavit Eguinarius Baro, vir de Juriſprudentia meritus: ſed, quam recte aliorum ſit judicium, mihi ſane non placet ejus ſolutio. Nec enim probabile eſt, Ulpianum abſque notis adduxiſſe Julianum, Paulum una cum notis ad ipſam ſcriptis. Nunquam enim legi, Martianum, aut (ut in aliis libris ſcribitur) Mauritianum, notans ad Julianum ſcripſiſſe. Denique ex his veterum Juriſconſultorum libris collecta fragmenta ipſos non ita confuſe notas cum authore retuliſſe, oſtendunt. Itaque (ut dicam, quod ſentio) mihi jam videor hujus contrarii ſolutionem attigiſſe. Nam accepi, Julianum plures libros in jure civili ſcripſiſſe, inter quos ſunt Digeſtorum libri nonaginta novem. In quorum variis locis hanc eum quaeſtionem tractaſſe probabile eſt. Sed cum, uno forte in loco, dandam eſſe in factum actionem dixiſſet Julianus; atque (ut a Pomponio libri 28. ad Q. Mutium ſcribitur. *l. Quia* 11. *D. de praeſcript. verb.*) in factum actiones appellentur, quae, a Praetore legem ſupplente, dantur: exiſtimavit Martianus, ipſum de actione in factum praetoria loqui, eumque ideo reprehendit. Et ea certe ratione ſuam reprehenſionem tueri poterat: quia, cum de praeſcriptis verbis actione loquimur, raro civilis appellationem omittimus. Et in factum actio ſimpliciter & abſque ulla adjectione cum profertur, in dubio magis ad praetoriam, quam ad civilem pertineat: praeſertim cum actioni de dolo confertur. Hanc Martiani ſententiam ſequutus eſt Ulpianus, eademque ratione Julianum reprehendit. Verum Paulus, qui omnes diligentius forte Juliani libros perlegerat (in eos enim ipſum notas ſcripſiſſe teſtatur index prudentum, qui Pandectis praefixus eſt) quique etiam Martiani reprehenſionem notaverat, intellexit

in ſpecie non omnino diverſa, quae hic ab Ulpiano tractatur, civilem incerti actionem, id eſt, praeſcriptis verbis competere dicitur. Et lib. 42. ad Sabinum idem ipſe Ulpianus, *l. Solent 15. D. de praeſcr. verb.* ſcribit, ſi pactio intercelſerit hujusmodi, ſi indicaveris apprehenderisque ſervum fugitivum, dabo tibi alium ſervum; & ipſum apprehenderis: tibi competere praeſcriptis verbis actionem, niſi dolus aliquis arguatur. Andreas Alciatus, recentiorum JCtor. facile princeps, *l. Labeo 19. numer. 7. de verb. ſign.* in hoc contractu facio ut des, ab aliis innominatis diverſam ſtatuendi rationem hanc eſſe arbitratur: quod in illo non ſit *συνάλλαγμα*, id eſt, (ut ipſe interpretatur) mutuum factum obligatorium: potuit enim factum tuum explicari abſque meo, & ideo praeſcriptis verbis non agitur, quod non eſt in contractu: Do ut facias, vel do ut des. Sed & in contractu, facio ut facias, ultra promiſſionem videri utrinque interpoſitum mandatum ſcribit. Verum quae commutatio, actuumque viciſſitudo (quam *συνάλλαγμα* ſignificat) ex hac Alciati interpretatione inter dantem & accipientem fore intelligetur? Praeterea, quid ad producendam de dolo vel praeſcriptis verbis actionem, quod de mandato dicit, pertinet? Poteſt ne illud commentum impedire, quo minus regula, ab eo tradita, in facio ut facias, innominato contractu, locum non habeat? Defendi igitur non poteſt Alciati opinio, quae nec placuit Duareno noſtro. Is enim generaliter colligit ex omni conventione, cujus propria appellatio jure civili prodita non eſt, ſi cauſa ſubſit, id eſt, datio vel factum, actionem praeſcriptis verbis competere: ſed, ſi dolus intervenerit, de dolo agi poſſe. Atque eas ipſas actiones ita concurrere, ut ſit electio actoris, utra experiri maluerit, exiſtimat. Unde apud Paulum, cum ait nullam fore civilem actionem, de ea, quae certum nomen certamque formulam jure civili proditam habet, interpretatur. Sed haec ſententia, quam ex Fulgoſio accepit, multis rationibus confutatur: ut verendum ſit, ne non recipi queat. Primum enim praeſcriptis verbis actionem, civilem dici conſtat: maxime in eo tractatu, qui a Paulo explicatur. Tum imbecilli adeo & ingenio & memoria hunc prudentum JCtum fuiſſe credi non poteſt, ut quam modo vocem de incerta actione intellexerit, ſtatim eodemque contextu pro certa uſurpet. Deinde Pomponius *l. Permiſiſti 16. §. 1. D. de praeſc. verb.* in ſimili ſpecie, dandam de dolo actionem ſignificat, rejecta Ariſtonis dubitatione, an in factum dari poſſet, a quo nec Ulpianus, *l. Si cum 34. D. de dolo*, longe abeſt. Denique conſtat, actionem praeſcriptis verbis, cum ea, quae de dolo eſt, non dari. Diſtinguit enim ex Pomponii ſententia Ulpianus, *l. Si quis affirmav. 9. §. 3. D. de dolo.* ut cum ſequeſtro praeſcriptis verbis actione agi poſſit: vel, ſi is non ſit ſolvendo, cum eo, qui, cum rem tanquam ſuam defenderet, eam deponi fecit, de dolo. Huc pertinet, quod, cum reprehenſus fuerit Julianus, quia praetoriam in factum actionem eo caſu competere exiſtimabat, quo civilis ſufficiebat, multo minus de dolo dabitur, ubi haec praeſcriptis verbis competit. Sed quid multis? cum & praetoris edictum, & JCtorum ad illud commentari *l. 1. D. de dolo* diſerte oſtendant, tum de dolo actionem dari, cum nulla alia neque civilis neque honoraria prodita eſt. Sunt, qui Paulum interpretentur, cum dolus aliquis arguitur ſecundum Ulpiani a nobis relatam diſtinctionem, *d. l. Solent. 15.* Sed cum generaliter nullam omnino civilem, id eſt, ne incertam quidem, ſed tantum de dolo actionem dari dixerit: vix eſt, ut haec interpretatio ad JCti mentem accedat. Fictitia autem video, qua ratione defendi poſſit, cum a nullo JCto tradita ſit, & generaliter negantem illius opinionem nimis reſtringat. Praeterea apud Ulpianum Labeo *συνάλλαγμα ſeu contractum ultro citroque obligationem eſ*ſe ſcribit, *l. Labeo 19. D. de verb. ſignific.* mutuumque, ſolum conſenſum & vinculum, non autem mutuam utilitatem requirit. Equidem doctis viris tantum otii fuiſſe miror, ut his nugis ingenium ſuum explerent. Sed (ut dicam, quod ſentio) prius quaedam horum de contractuum natura dicenda mihi eſſe arbitror: his enim cognitis tota facilius quaeſtio explicari poterit. Atque primum intelligendum eſt quosdam eſſe contractus, qui proprium nomen habent; alios, qui in generali contractus appellatione remanent, qui omnes actionem pariunt, propter *συνάλλαγμα*, quod ipſis ineſt. De nominatis dicam alio loco: nunc de innominatis dicere ſtatui. Ulpianus noſter hanc, quam ex eo didicimus ſententiam, Ariſtonis authoritate confirmat: is enim contractum eſſe, ex ea conventione, cui cauſa ſubeſt (quamvis innominata ſit) *συνάλλαγμα*, unde haec praeſcriptis verbis naſcatur actio, ſcribit. Sciendum eſt igitur, quid ſit *συνάλλαγμα*. Et certe graecis (a quibus hoc nomen accepimus) *συναλλάττω* idem ſignificat, quod nobis commuto: unde *συνάλλαγμα* dici recte poteſt mutuum commercium, &, ut ait Labeo, ultro citroque obligatio. Haec enim obligationis viciſſitudo, mutua quadam tractatione civilem reciproci negotii commutationem oſtendit: unde mutuum vinculum naſcitur, quod contrahentes invicem ligat. Et certe (ut ait Ariſtoteles *lib. 5. de morib.*) omnia, quae in commercium veniunt, debent quodammodo mutua commutatione ſungi. Sed haec ita intelligenda ſunt, ut tamen ex omni contractu ſibi invicem obligari contrahentes non ſemper dicamus. Nam in his innominatis contractibus, qui aliter iniri non poſſunt, quam ſi cauſa ſequuta ſit, negotiumve (ut ait Ulpianus *d. l. Solent 15.*) intervenerit, id eſt, datum vel factum aliquid fuerit: is ſolus obligatur, qui viciſſim dare vel facere tenetur. Verum hanc ultro citroque obligationem ex conſenſus viciſſitudine ita interpretemur, ut inter ipſos quidem contrahentes invicem aliquid factum fuerit, atque ita mutuae fidei mutuique conſenſus vinculo adſtricti videantur, ſed & reciprocae rerum tractationis nexu (ut in emptione venditione & ſimilibus) obligentur. Atque ita Labeonem, obſcure & ſuccincte loquentem, *d. l. Labeo 19.* explicare ſoleo. Mutuum quidem negotium, cujus quaedam quaſi commutatio inter contrahentes ſit, omnibus in contractibus, etiam in iis, qui nomen proprium non habent, verſatur. Aliquid enim datur vel ſit, ut viciſſim fiat vel detur, unde ex innominatis haec praeſcriptis verbis actio naſcitur; quae ita appellatur, quia conceptis praeſcriptisque in factum verbis ex jure civili datur, ad formam & ſimilitudinem legitimarum actionum, quae certae ſunt. Mirum eſt igitur, quid ſit, quod Paulus ex contractu Facio ut des, nullam dari civilem actionem, ſed de dolo dixerit, cum ex caeteris eam competere, niſi dolus arguatur, & ipſe & caeteri JCti ſcripſerint: *toto fere tit. D. de praeſcript. verb.* & hujus contractus, Facio ut des, explicatio, in eo, qui eſt Do ut facias continetur, quia ex ſolo (ut ita dicam) conventionis implemento, id eſt, ex negotio & cauſa praecedente, an dandum vel faciendum ſit, judicatur. Sed & multo magis, qui fecit ad dandum actionem habere, debet, cum dari quod promiſſum eſt ſemper poſſe omnibus placuerit. Praeterea multis in locis hanc praeſcriptis verbis dari actionem legimus: ut non temere ſuſpicentur quidam corruptum eſſe Pauli locum. Mihi

certe

Digitized by Google

dabitur actio, quia ipſa ceſſatio moram tuam dolumque arguit. Et ideo, cum dolus intervenerit, non eſt civilis danda actio. Eſt igitur maxime notandum, quod dicit *ceſſas*, non autem *non potes dare*: aſtutum enim obligati conſilium, qui fruſtratione & injuſta dilatione rem, quam poteſt dare, denegat, cum dolo non carere oſtendit: nec minus quidem, quam ſi ſciens rem alienam dederit. Quare generalem regulam non tradit Paulus; ſed ſpeciem praecedenti conjunctam atque cohaerentem tractat, ut diverſum in hoc contractu, quam in caeteris innominatis ſtatuendum non ſit, perpetuoque locum habeat Ulpiani regula, *d. l. Solent* 15. ut ſi conventio negotium habeat, ex ea civilis actio poſſit oriri, id eſt, praeſcriptis verbis: ubi vero dolus aliquis arguatur, de dolo competat. Haec eſt mea opinio; quam pluribus verbis nunc illuſtrare non ſtatui: cum *libro tertio* de actionibus & judiciis dicturum me pollicitus ſim. Sed, ne innovandi curioſus videar, ſi quis Pauli Caſtrenſis, puri, docti & ſubtilis interpretis, ſcripta legere voluerit, intelliget, ipſum eodem fere modo JCtum enarrare, ſed adeo frigide & jejune, ut ejus interpretatio ab omnibus merito exploſa videatur. Sed illi non intelligebant, Paulum uno orationis progreſſu connexas horum contractuum quaeſtiones tractaſſe.

CAPUT VIII.

De Pactis in rem, & in perſonam, diſſolutae quaedam antinomiae.

PActorum quaedam in rem eſſe; quaedam in perſonam ſcribit Ulpianus, *l. jurisgentium* 7. §. *pactorum* 8 *D. de pact.* Et in rem ea ſunt, quae generaliter concipiuntur; in perſonam vero, quae certae perſonae nomen continent. Quae differentia ut intelligatur, non ſolum verba paciſcentium, ſed mens quoque & ſententia ipſorum ſpectanda eſt. Et ideo non tam ex verbis, quam ex mente convenientium aeſtimandum eſt, an ad rem, an vero ad certam perſonam, pacta dirigantur, *l. Tale* 40. *l. Epiſtola* 52. *D. de pact.* Horum pactorum eam eſſe ex JCti libris differentiam collegi, quod in rem concepta ad haeredes tranſeant, proſintque omnibus, quorum obligationem diſſolutam eſſe, ejus, qui paciſcebatur, intereſſuit, *l. Tale* 40. *l. & haeredi* 21. *D. de pact.* Quae vero in perſonam ſunt, *ad alium non pertinere, quemadmodum nec ad haeredem*, Labeo ait, *l. idem* 25. *D. de pact.* Has duas regulas variis exemplis illuſtrari in noſtris juris Romani libris legimus. Sed de quibusdam inter ipſos authores non plane convenit: ſcribit enim Paulus, *l. Si tibi* 17. §. *cum poſſeſſor* 6. *D. de pact.* *Cum poſſeſſor alienae haereditatis pactus eſt, haeredi (ſi evicerit) neque nocere, neque prodeſſe*, pleroſque exiſtimaſſe: quorum ſententia non eſt ſine ratione. Nam ut alteri paciſci non licet, ita nec alienae rei: non enim utile eſt, pactum ad alias res aut perſonas, quam quae eo comprehenduntur, extendere, *l. Si unus* 27. §. 4. *D. de pact.* Verum idem ipſe Paulus lib. 7. brevis edicti, *l. Si poſt.* 22. *D. de conſtit. pecun.* magis eſſe dicit, ut fideicommiſſario, cui reſtituta eſt haereditas, vel ei, qui evicit, decernenda pecuniae conſtitutae actio ſit. Equidem ſibi ipſi Paulum ita conciliare poſſem, ut uno loco aliorum ſententiam retulerit; altero vero ex ſua perſona reſponderit. Sed quiritur. Nec tantum quod ſummo jure venit, ſed etiam, quod ex naturali aequitate potius eſt, obſervatur. Ideoque non temere dixit JCtus, *magis eſt*; quaſi ſignificare voluerit, hoc propius ad actionis naturam accedere. Huic ſpeciei affinis eſt illa, quam Dioclet. & Maxim. in difficili reſcripto ad Dominam *l. Si actionem* 24. *C. de pact.* tractant: *Si actionem*, inquiunt, *legati vel fideicommiſſi, quam adverſus haeredes quondam mariti tui habuiſti, te affectione haeredum aliis remiſiſſe probetur: exceptionem pacti, contra debitores inſtituenti actiones nocere tibi minime poſſe intelligis.* Ex hoc placito communior interpretum ſententia colligit, pactum, cum quibusdam haeredibus de non petendo factum, ad alios non pertinere. Quod recte quidem, ſed ad ejus conſtitutionis interpretationem non appoſite dici poteſt. Alios, qui *remiſiſſe* explicant, *commiſiſſe litem, qui eam perſequerentur*, praetereo: nam remittere in ea ſignificatione nemo dixerit, qui Latine loqui voluerit. Sunt, qui comminiſcantur reſcripſiſſe Impp. in ea ſpecie, in qua, cum maritus aliquid legaſſet uxori, & haeredes ejus vendidiſſent haereditatem, ipſa haeredibus actionem, quam habebat contra eos, remiſit: tum adverſus emptores agere velit: nec enim prohibetur. Sed multa ſunt in hac opinione abſurda. Primum, quod de vendita haereditate nullum ſit in toto reſcripto verbum: deinde quod aliis dixerint Impp. quibus affectione haeredum uxor fideicommiſſi actionem remiſerat, nec aliter legi ipſa orationis diſpoſitio ferat. Equidem (ut quod ſentio explicem) ejus conſtitutionis ſpeciem eſſe hujusmodi arbitror. Maritus aliquid uxori legati aut fideicommiſſi nomine reliquit, ad quod illa perſequendum adverſus quoscunque debitores actionem habet. Sed ſi hanc ipſa actionem aliis, quam haeredibus, & veris debitoribus (qui tamen debitores exiſtimabantur) haeredum affectione, id eſt, cum haeredibus, quos illi forte convenerant, favere vellet, remiſerit, non excludetur pacti, quod in perſonam conceptum eſt (nam convenit a certis perſonis ſe non petituram) exceptione, ſi contra veros debitores experiri velit. Atque ita *alios* extraneos interpretor, qui neque haeredes, neque debitores ſunt, & pactum, cum eis factum, ad alios non pertinere exiſtimo; quia haeredum favor in eo verſatur, qui ad eos extendi non debet, de quibus nullo modo cogitatum in paciſcendo fuerat. Eſt etiam non levis inter Paulum & Florentinum in hac quaeſtione controverſia. Scribit enim ille, *l. Si unus* 27. §. *Eadem* 3. *D. de pact.* prius pactum fidejuſſoribus de non petendo factum, per poſterius elidi. Hic vero *l. fin. D. de pact.* *Semel acquiſitam fidejuſſori pacti exceptionem, ulterius invito extorqueri non poſſe* ait: adeo ut per pactum poſterius, eo prioris utilitas tolli non poſſit. Communis interpretum error eſt, poſteriori pacto aſſenſiſſe fidejuſſorem. Sed recipi non poteſt clarum adeo commentum: neque enim apud Paulum dicitur, ipſum conſenſiſſe, neque apud Florentinum eo invito factum poſterius pactum fuiſſe. Generaliter ſpecies proponitur, & ratio, quam ipſe reddit, hoc tantum ſignificat, non tolli prioris pacti utilitatem fidejuſſori, niſi iterum ipſe convenerit: non autem oportere, eum contradicere paciſcenti reo probat. Ideoque alii ſubtiliores non requiri fidejuſſoris inviti diſſenſum, ut non teneatur, ſed ipſum non aliter ex poſteriori pacto fidejuſſiſſe, quam ſi ei conſen-

Digitized by Google

li ſententiam nullo modo accedit. Cum enim prius dixiſſet pacti, a reo facti, exceptionem fidejuſſori prodeſſe, & uno eodemque contextu prius pactum per poſterius tolli exceptione probaſſet: ſubjecit, eadem ratione contingere ne & fidejuſſoribus prius pactum proſit. Quibus verbis ſatis intelligitur JConſultum de reorum fidejuſſoribus loqui. Praeterea ſi ita paciſceretur fidejuſſor, pro reo accipiendus eſſet: & pactum, cum eo factum, cum reo factum eſſe videretur. Noviſſime quidam abſurdam, & JConſulti inauditam opinionem prodiderunt, exiſtimantes, ſi ante quam ſciat fidejuſſor pactum, quod reo factum eſt, paciſcatur debitor, ut a ſe petatur, prius pactum revocari, & tum ab eo, tum a fidejuſſore peti poſſe; quia nondum conſenſit, neque ratum habuit prius pactum. Equidem hoc commentum Doctiſſimis adeo Viris in mentem venire poſſe nunquam exiſtimaſſem, cum ſtatim atque pactus eſt de non petendo reus, conventionis exceptionem quaeri fidejuſſori ſcripſerint JConſulti, de ſcientia vel ignorantia illius tacentes. Poſtremo, Paulum ita ex Florentini ſententia interpretor, ut ille quidem non ſimpliciter fidejuſſoribus, prioris pacti exceptionem non prodeſſe dixerit, ſed eadem ratione, qua poſterius pactum, a reo factum, replicatione, prioris exceptionem tollit, contingere ne prioris utilitas fidejuſſoribus proſit. Quibus verbis ſignificat regulam, quod tradit non eſſe, verum id contingere in fidejuſſoribus eadem ratione, qua in reis, cum ea generalis ſit, & poſterioris pacti replicatio primam obligationem, cui illi acceſſerat, reſtituat. Voluit igitur Paulus oſtendere, hanc eſſe poſterioris pacti vim, ut prius tollat, eamque rationem ad fidejuſſores etiam pertinere, ſi quando contingat ipſis poſterius pactum nocere. Florentinus autem generaliter ſcripſit, prioris pacti exceptionem tolli fidejuſſoribus non poſſe; quia quaeſita eis ſemel utilitas ipſis invitis extorqueri non poteſt. Quare generalem & pro regula quodammodo traditam Florentini deciſionem in primis ſequi debemus. Quod ſi exceptio aliqua inveniatur, eam Pauli ratione tueri oportet.

CAPUT IX.

Conciliatio l. 7. §. 5. D. de pact. & l. 40. D. Si cert. pet.

PActa nuda, quae ſola & pura ſunt, nullam, quae ad contractum producendum valeat cauſam, ſed merani & ſimplicem conventionem habentia, non actionem, ſed exceptionem pariunt. *Interdum tamen formant ipſam actionem, ut in bonae fidei judiciis. Solemus enim dicere, pacta conventa ineſſe bonae fidei judiciis. Ea vero inſunt, quae legem contractui dant, id eſt, quae in ingreſſu contractus facta ſunt.* Quae Ulpiani verba, quia difficultatem non levem habent, praeterire non poſſum. Ea Duarenus noſter explicans, ingreſſum contractus initium interpretatur. Sed quam recte, oſtendit ſubtilis & acuta ejus ratio, qua evadere nititur, ne non vere ſenſiſſe videatur. Hanc enim particulam, *id eſt*, non definire in hoc loco, ſed paradigmaticam eſſe, dicit. Verum quo fuco ſuam palliat opinionem, defendi ea non poteſt: nam pactum, quod ineſſe dicitur, nunc ab initio factum, nunc in continenti adjectum, nunc ſubſequutum eſſe legitur. Ex quo ſatis conſtat, non tantum in initio contractus, ſed in alia etiam parte, adeoque in etiam greſſum ſignificare arbitror, ut egreſſui opponi quodammodo videatur. Atque ita uſurpari a Cicerone *Lib. 3. Off. cap. 2.* legimus: *Quod omnibus eſt ſciendum, qui vitam honeſtam ingredi cogitant*, id eſt, vitae honeſtae inceſſu progredi. Et alio loco, *lib. 1. de Orator. cap. 35. Tantus enim curſus verborum fuit, & ſic evolavit oratio, ut ejus vim & incitationem aſpexerim, veſtigia ingreſſumque non viderim.* Ingreſſum, orationis progreſſum intellexit, non (ut exiſtimat Alciatus) ingreſſionem, cui contraria eſt digreſſio. Itaque ingreſſum contractus dici conſtat, cum graditur, ambulat, incedit, & (ut uno verbo dicam) fit contractus, nec adhuc omnino abſolutus & perfectus eſt. Quod autem diximus, *pacta bonae fidei judiciis ineſſe*, ſic eſt accipiendum, ut ſi quidem ex continenti ſubſequuta ſint, etiam ex parte actoris inſint, actionemque informent; ſi ex intervallo, diſtinguatur, an ſint ex natura contractus, an vero extra ipſius ſubſtantiam, tantumque circa ejus adminicula verſentur. Illo enim caſu inerunt; hoc vero minime: ut eleganter Papinianus & Ulpianus diſtinxerunt, *l. Juris gentium 7. D. de pact.: l. Pacta 72. D. de contr. empt.* Ex parte vero rei ſemper inſunt, & actionem quidem, quam ex contractu ipſo jure habet actor, ope exceptionis tollunt. Quod ſi pacta contractui legem & formam dent, multo magis ipſum reformant atque renovant. Sed quae ſit illa forma, quam ex pacto accipit contractus, dubitant interpretes. Duarenus (quem iterum honoris, ut ipſius eruditio authoritasque poſtulat, non contumeliae cauſa nomino) ex pactione, quae contractui ineſt, actionem praeſcriptis verbis dari exiſtimat. Sed quam recte, aliorum ſit judicium: nec enim de doctis tanti Viri meique praeceptoris opinionibus, meum eſt definire aliquidque ſtatuere. Verius autem eſt, ex pacto ipſo non dari actionem. Pactum enim, quod ineſſe contractui dicitur, eſt quaedam ipſius pars, & quaſi conditio, quae legem ac formam contractui dat. Et quod Maxim. Imp. *l. in bonae fidei 13. C. de pact.* reſcribit, *in bonae fidei contractibus ex pacto actionem competere ſi in continenti fiat*, eam interpretationem habet, ut ex pacto regulariter nulla detur actio: quod ſi contractui inſit, naſcatur quidem, non qua pactum eſt (ſua enim vi inefficax habetur) ſed qua vires habet a contractu, cui accedit, cujusque legem format; adeo ut, ſi quando danda ſit ex eo actio, pacti conditiones praetoriae formulae adjiciantur. Quod enim ad actionis informationem, qua de hic agitur, pertinet; id ſemper referendum mihi viſum eſt ad veterem judiciorum morem. Dans enim Praetor actionem, judicemque, certa verborum conceptione totum agendi genus continebat; ut aliquando diximus, & alias etiam dicemus.

Sed & diſerte Pomponius *l. Tenetur 6. D. de act. emp.* priori ex contractu, natam actionem remanere oſtendit, ut praeſcriptis verbis actione (quae tum demum competit cum certum actionis nomen non invenitur, aut ita de ipſo dubitatur, ut commodius ſit conceptis in factum verbis actionem habere, *l. 1. D. de praeſcr. verb. l. Qui ſervandarum 14. §. ult. eod. tit.*) opus non ſit: maxime cum certum ſit ex contractu (cujus συνάλλαγμα totam ſuam vim pacto tribuit) actionis nomen. Verum facile Duareno concederem, praeſcriptis verbis actionem competere poſſe, ſi certum adeo actionis nomen non inveniatur.

His ita explicatis videamus, an idem in ſtrictis contractibus, quod in bonae fidei, dicendum ſit: cum

neque

Google

Ulpianum hic de bonae fidei tantum judiciis, ſuam protuliſſe opinionem, de caeteris aperte nihil definiiſſe, ideoque Paulo minime adverſari ſcribit. Quamvis enim ſuſpicari aliquis poſſit, Ulpianum fuiſſe, qui Paulo contradixerit, cum ſimul ambo Papiniani aſſeſſores extiterint; vix tamen credendum eſt, Tribonianum in Pandect. diſſentientes adeo ſententias retuliſſe, cum non timide ac diffidenter (ut quidam nugatur) Paulus ſuam opinionem defenderit. Sed non deſunt, quibus placeat pactum, ſtipulationi adjectum, ei aliter non ineſſe, quam ſi de iis interponatur, quae naturam & ſubſtantiam contractus reſpiciunt. Verum illi falluntur. Nam in ſpecie, de qua Paulus diſputat, de uſurarum obligatione agitur, quas ex mutui (quod eſt ſtricti juris) natura deberi negat Africanus, *l. Titius* 24. *D. de praeſcr. verb.* Et licet in ſtipulationem deductae eſſent, quia tamen ſortis obligatio ſola renovata erat, nec late adeo ſtipulationis vim extendi poſſe videbatur, qui Paulo contradicebant, renovatam non eſſe uſurarum obligationem exiſtimabant: ea ſola ratione (ut opinor) quia creditae pecuniae natura, uſurarum praeſtationes, niſi ſpecialiter promiſſas, non recipit atque ſtipulationis conditio ſtricta eſt. Sed nec verius eſſe arbitror, quod nonnulli, inter informare & reformare contractum diſtinguentes, Paulum de reformatione loqui exiſtimant. Commentitia enim eſt illa diſtinctio, & Ulpianus eandem vim eſſe pacti in renovando, atque ex parte mutando contractu, ac in ipſo informando ſcribit, docte & ſubtiliter ex Pomponii ſententia diſputans. Imo ſi propius Pauli mentem perpenderimus, cum de informanda ſtipulatione potius, quam de reformanda, agere intelligemus. Subjectum enim ſtipulationi erat pactum, quod ei ineſſe dicit JConſultus: factum namque erat ante ejus perfectionem conſummationemve, atque in ipſo ſtipulationis inceſſu ingreſſuve; ut Ulpianus noſter loquitur. Praeterea tota ſtipulationis forma mutatur, dies quoque (quem ſicuti ſummam partem eſſe ſtipulationis dicit Ulpianus *l. 1. §. 2. D. de edendo*) ſortis uſurarumque praeſtandarum obligatio renovatur, ita ut legem ſtipulationis formatam recte quis dixerit. Denique JConſulti indifferenter nunc informare, nunc mutare, renovare, reformareve dicunt. Nam cum pacto informatur contractus, prior ejus lex & forma mutari, renovari atque reformari quodammodo videtur. Itaque ex Pauli & aliorum JConſultorum ſententia pactum, ſtipulationi ex continenti adjectum, ipſam informare reformareque arbitror. Quod ſi ex intervallo ſubſequatur, etiam ſi res ſit integra, illudque de his, quae ſunt ſecundum naturam contractus, id eſt, quae, etiamſi non exprimantur, inſunt tamen, interponatur; ſtipulationem actionemque ex ea non informat. Ita enim diſerte inter bonae fidei, & alium, id eſt, ſtricti juris contractum ex Juliani ſententia diſtinguit Ulpianus *d. l. Juris gent. 7. §. adeo 6. in fin. Sed & cum duo* (inquit) *haeredes emptori extiterint, ſi venditor cum altero pactus ſit, ut ab emptione recederetur* (re ſcilicet integra: loquitur enim de reformando pro parte contractu) *ait Julianus valere pactionem, & diſſolvi pro parte emptionem: quoniam ex alio*, id eſt, ſtricti juris, *contractu paciſcendo, alter ex haeredibus acquirere ſibi potuiſſet exceptionem.* Ita ſubtiliter argumentatur Ulpianus, ſi ex ſtricti juris contractu detur exceptio; quae ſi ex contractu agatur, ipſum pro parte elidet, alterumque ex haeredibus

M[illegible] tractatu quaeſtiones, quarum [illegible] care ſtatui. Sed prius, quid ſit teſtamentum, intelligendum eſt. Modeſtinus noſter, *l. 1. D. Qui teſt. fac. poſſ. &c.* illud *voluntatis noſtrae juſtam ſententiam de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit*, definit. Juſtam vero ſententiam interpretor, jure factam. Nam qui domi teſtantur, juris ſolennia debent obſervare. Qui vero in exercitu, ex militum privilegio, de rebus ſuis ſine aliqua ſolennitate diſponunt, etiam jure teſtantur, juſtaque eorum ſententia, tanquam ex legis praecepto conſtituta dici poteſt. Sed & juſtum ſeu legitimum appellare ob id teſtamentum poſſumus, quod in codicillis, in quibus etiam de rebus ſuis ſententiam ac voluntatem ſuam ſcribit teſtator, juris ſolennia minime requirantur: quae tamen ſi in teſtamento defuerint, illud non jure factum relinquunt, *l. 1. D. de injuſt. rupt. &c.* Verum ſententiam, teſtatoris quoddam decretum, placitum, &, ut in Ulpiani epitome, *In fragm. & l. Qui teſtamento* 20. §. *& veteres* 8. *D. Qui teſtam. fac. &c.* legitur, conteſtationem interpretari ſoleo. Dicitur enim ex eo teſtamentum, quod teſtatio voluntatis, mentis animique noſtri ſit, *tit. Inſtit. de teſt.*

Prima, quae mihi occurrit in ſolennitate teſtamenti difficultas, eſt de anulo ſignatorio. Quibuſdam enim placuit, non modo anulo, ſed quolibet alio ſigno & impreſſo ſignari poſſe teſtamentum: cum tamen Ulpianus, *l. Ad teſtium* 22. §. 5. *D. eod. Magis eſſe, ut tantum anulo quis poſſit ſignare, dum tamen habeat characteres*, ſcripſerit, & Juſtinianus anuli tantum meminerit. Equidem mihi perſuadere non poſſum, quid eos moverit, ut a JCti & Imp. opinione diſſiderent. Rationes enim, quibus ſuum probare commentum nituntur, contra ipſos faciunt. Si enim teſtibus alieno anulo, vel etiam eo, qui teſtatoris eſt, teſtamentum ſignare liceat, non eſt eis permittendum, ut alio ſigno utantur: cum ipſis omnibus unus anulus ſufficiat. Voluerunt certe juris authores, veterem ſignandi morem obſervari, neque alio impreſſo ſignari teſtamenta, quam eo, cujus antiquiſſimus erat uſus. Nam cum ſignandi cauſa reperti ſint anuli, ſculptaque in eis cujusque ſigna, his tantum uſos fuiſſe veteres, Plinius aliique magni nominis viri teſtantur.

Sunt etiam multae de adhibendis in teſtamento teſtibus controverſiae. Nam quod a Juſtiniano definitum eſt in ſuis *Inſtitutionibus*, §. 6. *de teſtam. ordin.* facilem non habet interpretationem: *Teſtes* (inquit) *adhiberi poſſunt ii, cum quibus teſtamenti factio eſt. Sed neque mulier, neque impubes, neque ſervus, neque furioſus, neque mutus, neque ſurdus, neque is, cui bonis interdictum eſt, neque ii, quos leges jubent improbos inteſtabilesque eſſe, poſſunt in numerum teſtium adhiberi.* Non videtur haec commoda Juſtiniani exceptio. Non enim omnes, qui a regula, quam ipſe tradit, excipiuntur, aequo jure cenſeri conſtat: ut quid ſit teſtamenti factio, definire apte quidem & ad hanc quaeſtionem appoſite vix poſſis. Nam ſi cum Cajo *l. Qui in poteſtate* 6. *l. Ejus* 8. *D. qui teſt. fac. poſſ.* teſtamenti factionem, teſtamenti faciendi jus interpretemur: aut mulier, quae teſtandi facultatem habet, aut impubes & alii, quibus teſtamenti factione interdictum eſt, non recte excepti dicentur. Nam oportet exceptionem hanc interpretari, vel de iis, qui, licet teſtamenti factionem habeant, teſtes tamen adhiberi nequeunt, vel qui teſtamenti factionem non

beri non poſſunt, ſibi vel aliis acquirant. Haec autem interpretatio ad Juſtiniani ſententiam propius accedit, ut teſtamenti factionem habere dicantur illi, qui vel teſtamenti faciendi facultatem habent, vel ſibi aut aliis acquirere ex teſtamento poſſunt. Nec enim vera eſt illa interpretum opinio. Et cum inteſtabilem eum, qui ob carmen famoſum damnatus eſt, dicit Ulpianus, *l. Is cui* 8. §. 1. *D. Qui teſtam. fac. poſſ.* interpretationem ſubjicit: *Ergo nec teſtamentum facere poterit, nec ad teſtamentum adhiberi teſtis:* non addit, *nec ex teſtamento capere.* Praeterea in numerum teſtium adhiberi mulierem non poſſe, omnes juris authores ſcripſerunt, quamvis alias teſtis eſſe poſſit, §. 6. *Inſt. de teſt.* Ulpian. *l. Qui teſtamento* 20. §. *Mulier* 6. *D. Qui teſt. fac.* Hujus autem prohibitionis ratio, quam interpretes anxie quaerunt, ea mihi eſſe videtur, quia, cum *non privati, ſed publici juris ſit teſtamento factio*, *l.* 3. *D. Qui teſt. fac. poſſ* publicis autem & ſolennitatem requirentibus mulieres adhiberi actibus nequeant; eas Praetor teſtes noluit eſſe in teſtamento: & certe antiquum Romanae civitatis morem ipſum obſervaſſe exiſtimo. Nam nec ſolitum nec honeſtum fuit, in his coetibus mulieres intervenire, in quibus teſtamentum vel in procinctu vel calatis comitiis fiebat.

Servus etiam teſtis eſſe non poteſt, quia juris civilis communionem non habet in totum, ſed ne praetorii quidem edicti, *l.* 20. §. 7. *d. t.* Quod ſi eo tempore, quo teſtamentum ſignabatur, omnium conſenſu liberi loco habitus ſit, recte teſtis eſſe poterit, *l.* 1. *C. de Teſtam.* quamvis ſervus inveniatur, cum ſigna recognoſcuntur. Nam teſtium conditionem tunc inſpici debere, quum ſignarent, non mortis tempore, ſcribit Ulpianus, *d. l. ad teſtium* 22. §. 1. Et quod Adrianus ſcribit (*in fin.* §. 7. *Inſt. de Teſtam. nec quiſquam eis usque adhuc ſtatus controverſiam moverit*, communem errorem non tuetur. De ea enim ſpecie conſultus, in qua etiam, poſt ſignatum teſtamentum, nulla ſtatus ſervo mota erat controverſia, hanc clauſulam, ut minor dubitatio eſſet, adjecit, idem alioqui reſcripturus, ſi poſt teſtamentum in ſervitutem peterentur teſtes; ut eleganter doctiſſimus JCtus Viglius probat.

Caeterum filiusfamilias & alii, qui ſunt in teſtatoris poteſtate, teſtamento adhiberi teſtes non poſſunt; reprobatur enim (ut ſcribit Juſtinianus) in ea re domeſticum teſtimonium: ideoque teſtatoris frater non recipietur. Quamvis enim ipſius poteſtati non ſit obnoxius, eſt tamen ex eadem domo & familia; ut docte & ſubtiliter oſtendit Duarenus noſter. Nam mihi nunquam Theophili interpretatio placuit, qui domeſticum teſtimonium accipi, οὐκ ἐκ τῆς συγγενείας, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς ἑνώσεως τῆς ὑπεξουσιότητος, id eſt, *non ex conſanguinitate, ſed ex unitate ſubjectionis*, ſcribit. Verius enim eſt, domeſticos dici teſtes, qui ex eadem domo & familia producuntur. Noſtram ſententiam confirmat Ulpianus, *d. l. Qui teſtamento* 20. §. 2. *D. eod.* cum enim ex Marcelli authoritate dixiſſet: *patrem ejus, qui de caſtrenſi peculio poteſt teſtari, adhiberi ab eo ad teſtamentum teſtem poſſe*; ſubjecit: *& frater ergo poterit*, oſtendens fratrem aequo jure cum eo cenſeri, qui teſtis alioqui non admitteretur. Unde a contrario colligi facile poteſt, fratrem, qui ei teſtamento accedit teſtis, in quo juris ſolennia non requiruntur, aliis regulariter non adhiberi.

Scriptus quoque haeres in eo teſtamento, in quo a teſtatore inſtituitur, teſtis eſſe non poteſt; quod & in legatario, & in eo, qui tutor ſcriptus eſt, contra habetur. Hujus diverſitatis rationem tradit Juſtinianus; ſit ſucceſſor, teſtis eſſe non poteſt: ad teſtamentum vero legatarius teſtis adhibetur, ut valeat haeredis inſtitutio; quae ſi nulla eſſet, teſtamentum rumperetur, ſed, firmo manente teſtamento, jam non teſtis loco habetur legatarius, nec ex ſuo teſtimonio, ſed ex teſtatoris ſententia, quod ei relictum eſt, accipit. Haec ſi perpendiſſent interpretes, non ad varias & inutiles, novas & JCtis inauditas rationes animum convertiſſent ſuum. Favor enim & ſingulare jus teſtamentorum aliud requireret, cum mulier, quae alias teſtis eſſe poteſt, illis faciendis non adhibeatur, plus etiam aliquando legatarii ex teſtamento accipiunt, quam haeredes. Poſſunt quoque legatarii omnes teſtes eſſe. Sed nec ſcripturae probatio magis eſt pro ipſis legatariis, cum ſi nulla eſſet alia ratio, viderentur ea in ſuam utilitatem ſcriptura, quam ſuo teſtimonio approbaverant, uti. Praeterea, quamvis ſcriptum non ſit teſtamentum; verius tamen eſt, quod quibusdam contra vulgarem DD. errorem placuit, legatarios etiam ad teſtimonium admitti. Nec enim Juſtinianus, nec ullus JCtus inter ſcriptum & nuncupativum teſtamentum diſtinguit. Sed eos ſtatuere idem in utroque voluiſſe, probabilius eſt. Nam generalis eſt illa ratio, quae eos a teſtimonio dicendo rejici non permittit; quia ſcilicet non ſunt juris ſucceſſores, nec ſibi teſtimonium dicunt.

Supereſt in teſtamento formando non levis controverſia. Nam cum uno contextu actionis teſtari oporteat, *l. Haeredes* 21. §. *uno contextu* 3. *D. qui teſtament. fac.* ſitque uno contextu, nullum alienum actum teſtamento intermiſcere; vitiari teſtamentum poſſe videtur, ſi ei contractus intervenerit: cum tamen Ulpianus, *l. Non eſt mirum* 26. *D. de pign. act. teſtamento quoque pignus conſtitui poſſe*, ſcripſerit, atque omnes fere interpretes intermiſtum teſtamentum contractum valere exiſtiment. Equidem tanti hanc opinionem non feci, ut aliam explodendam eſſe arbitrer: diſerte enim juris authores alienum actum eſſe ſignificant, cum quid extra ſubſtantiam teſtamenti intervenit; adeo ut ejus contextus interrumpatur. Ita etiam unicum ſtipulationis contextum illos interpretari oſtendimus. Sed quid a teſtamento magis alienum eſt, quam contractus? hic mutuum duorum pluriumve conſenſum; illud vero unius ſententiam requirit. Multum refert, an quis ſe ipſum obliget, an vero ſuam voluntatem de eo, quod poſt mortem ſuam fieri velit, declaret. Nam ſtatim ligat contractus, nec ullum reſipiſcendi locum relinquit: verum ad mortem uſque teſtatoris voluntas ambulat, *l. Si pecuniam* 5. *D. de cond. ob cauſ. l.* 4. *de adimend. leg.* Quod autem Ulpianus ſcribit de pignore, noſtram non infirmat ſententiam: alteram vero minime juvat. Nec enim pignus conſtituens teſtator, vel rem pignoris nomine tradens, ut ſecurior is ſit, cui aliquid relinquit, extraneum actum immiſcet.

CAPUT XI.

An ad alium caſum producatur interpretatione teſtatoris voluntas.

COmmodiſſime (inquit Pomponius *l. Commodiſſ.* 10. *D. de liber. & poſthum.*) *is, qui nondum natus eſt, ita haeres inſtituitur, ſive vivo me, ſive mortuo natus fuerit, haeres eſto: aut etiam pure neutrius temporis habita mentione. Si alteruter caſus omiſſus fuerit; eo caſu, quo omiſſus, natus rumpit teſtamentum, quia ne ſub conditione*

Digitized by Google

Unde videtur, hanc Pomponii ſententiam, de qua forte alii JCti dubitabant, ſua deciſione emendare. Quod facilius reciperem, quam ridicula ſcholaſticorum ſomnia, qui faciunt nae intelligendo, ut nihil intelligant. Sed penitius hanc quaeſtionem perpendamus. Sunt, qui exiſtiment in Juſtiniani conſtitutione tempus adjectum diverſum jus inducere. Videtur enim voluiſſe teſtator, omnes, quicunque poſtea ſibi naſcerentur, eſſe haeredes; modo intra ſpatium duodecim menſium nati poſt mortem eſſent. Verum haec interpretatio recipi non poteſt. Nam Juſtinianum hanc emiſiſſe conſtitutionem, ut de facto propoſito reſcriberet, atque de decem menſium adjectione jus novum ſtatueret, probabile non eſt: cum ſit una de quinquaginta deciſionibus, quas poſt primam Codicis editionem ſcripſit, Lampadio & Oreſte Coſſ. vel poſt eorum conſulatum ad decidendas JCtorum ſententias. Quis autem eſt, qui antiquam prudentum altercationem iu eo tantum poſitam fuiſſe exiſtimet; an tempus duodecim menſium novum aliquod jus inducat? cum ipſi non ignorarent adjici hanc clauſulam: *ſi intra decem menſium ſpacium poſt mortem meam editus fuerit, haeres eſto*, ex more a teſtatoribus ſolitam fuiſſe; ut etiam Gallus in ſua formula illam expreſſerit. Itaque, exploſis aliorum opinionibus, quas docte & ſubtiliter confutavit Carolus Ruinus; equidem ex Juſtiniani conſtitutione Pomponium interpretor, trahens quodammodo legem poſteriorem ad priorem. Dixit generaliter Pomponius, inſtitutum in caſum vitae aut mortis haeredem, in alterutro videri omiſſum. Sed hanc ſententiam reſtringit Juſtinianus, ut mortis caſus alium comprehendat. Cum enim quis teſtatur, de morte ſua potius, quam de vita cogitat, isque ſolus caſus ejus animo obverſatur ſed ipſum de alio idem diſpoſiturum fuiſſe conſtat, ſi is in mentem ejus veniſſet. Sed & qui tempus mortis exprimit, includere totum ſpacium videtur, quod eſt a teſtamenti tempore usque ad mortem ſuam. Qui autem in vitae tantum ſuae caſum teſtatur, de morte non cogitat: ut facile non ſit, illum caſum expreſſum ad hunc omiſſum extendere. Et certe tota haec quaeſtio ex interpretatione & conjectura mentis teſtatoris maxime pendet. Et hac quidem ratione ſi in aliis, de quibus controverſia eſt, locis utamur, facile, ſine magna diſtinctione limitata noſtrorum DD. verbis, legum diſcordias componemus. Nam, quod Papinianus ſcribit, *l. Pater Severinam* 101. *D. de cond. & demonſtr.* ſi pater Severinam Proculam Aelio Philippo nuptiis teſtamento deſignaverit, eique ſi nupſerit, praedium reliquerit, aut, ſi nubere noluerit, ipſi Philippo (nondum autem viripotens puella diem ſuum obierit) conditionem extitiſſe non videri, ex teſtatoris mente interpretationem habet. Nam (ut ipſe inquit) *in conditionibus teſtatorum voluntatem potius, quam verba conſiderari oportet.*

CAPUT XII.

Enarratio leg. 3. *D. Qui teſtamenta facere poſſunt. &c.*

T*Eſtamenti factio non privati* (inquit Ulpianus) *ſed publici juris eſt: ideoque forma ejus privatorum pactis non laeditur.* Certam jus civile faciendi teſtamenti formam praeſcripſit, certis perſonis teſtandi vam quisque formam excogitaret, eamque tueretur, tragoediae excitarentur. Quod autem dixerim, jus Romanum ſolennitatem praeſcripſiſſe, non eo pertinet, ut, cui perſuadere velim, faciendi teſtamenti originem ex Quiritum jure proficiſci. Nam memini, alias probaſſe me, teſtamenta jure gentium introducta fuiſſe. Cum ergo illa teſtamenti faciendi facultas non privatam alicujus, ſed publicam omnium civium cauſam reſpiciat, non poteſt pacto ejus forma mutari; nec qui teſtari prohibentur, ex conventione admitti poſſunt. Unde filiusfamilias, quamvis ex conſenſu patris, in cujus eſt poteſtate, mortis cauſa donare poſſit, *l. Tam is* 25. §. 1. *D. de donat. cauſa mortis* teſtari tamen prohibetur. Nec enim patris voluntas id filio permittere poteſt, quod ipſum jus denegat, atque expreſſe prohibet. Et patri quidem, filio donanti, conſentire licet; ſolennium vero incapacem ſua poteſtate, contra juris publici formam, filium ſolenni adeo actui aptum reddere non permittitur.

CAPUT XIII.

DE SUBSTITUTIONIBUS.

SUbſtitutionis latiſſime patet appellatio: nam res omnes, quae in aliarum locum ſubrogantur, ſubſtitui dicuntur, ut non inepte fideicommiſſaria ſubſtitutio appelletur. Sed cum de haeredis ſubſtitutione loquimur, alias omnes excludimus. Vis autem verbi hujus eſt ſubtus ſtatuere. Nam qui ſubſtituitur, ſecundo loco & gradu, atque *in ima* (ut ait Suetonius *in Caeſare cap.* 83.) *cera* ſtatuitur. Verum inſtituere ſignificat ponere & collocare. Cicero *ad Att. lib.* 2. *Ep.* 24. *Vettium judicem in roſtra produxit, eumque in temple illo inaugurato inſtituit, quo Bibulo aſpirare non liceret. Sic ille omnia, quae voluit, de Repub. dixit, ut qui illuc factus inſtitutusque veniſſet.* Eſt igitur ſubſtitutio haeredis poſt priorem inſtitutum collocatio, atque, ut eleganter Cajus *in Inſtit. lib.* 2. *tit.* 4. ſcribit, Subſtitutio eſt haeredis ſecundo gradu, vel deinceps inſtitutio. Utraque definitio convenit: nam ſubſtituti etiam inſtituti dicuntur, non a JCtis tantum, ſed ab aliis, qui de lingua Romana benemeriti ſunt. Sueton. *in Auguſto cap.* 101. *Haeredis inſtituit Primos* (ait) *Tiberium ex parte dimidia & ſextante, Liviam ex parte tertia, quos & ferre nomen ſuum juſſit: Secundos Druſum, Tiberii filium, ex triente, & ex partibus reliquis Germanicum: liberosque ejus tres ſexus virilis. Tertio gradu propinquos amicosque complures.* Itaque non ſatis doctos eſſe illos conſtat, qui novas & ineptas ſubſtitutionis definitiones excogitant; hanc vero, quae ipſorum eſt, JCti rejiciunt.

Dividitur autem in duo ſumma genera ſubſtitutio: nam quaedam eſt vulgaris; quaedam pupillaris. De militari non meminit Digeſtorum titulus; quia multa ſunt in ea privilegia, quae ex jure faciendi teſtamenti militibus conceſſo pendent. Eſt & alia ſpecies, quam humanitatis intuitu Juſtinianus ad exemplum pupillaris induxit: vulgus interpretum barbare exemplarem; eleganter quaſi pupillarem Duarenus appellare ſolet. Haec eſt ſumma & ſimplex diviſio. Multae ſunt aliae, quarum formae cum illis, tanquam oppoſitae, non contendunt, ſed ſeparatae ſunt. Eſt enim quaedam ſubſtitutio ſimplex; quaedam duplex: item alia expreſſa; alia tacita. Deinde quaedam com-

Digitized by Google

quit Modeſtinus *Simplex eſt, veluti, Lucius Titius haeres eſto; ſi mihi Lucius Titius haeres non erit, tunc Cajus Sejus haeres eſto.* Cajus Sejus, qui eſt ſecundus haeres, vulgariter ſubſtitutus dicitur. Omnium enim, qui teſtari poſſunt, communis eſt haec ſubſtituendi forma, ut finiri haec ſubſtitutio recte poſſit, ſecundi haeredis vulgariter facta inſtitutio. Non eſt autem cum interpretibus errandum, qui ſimplicem ſubſtitutionem eſſe exiſtimant vulgarem: nam & pupillaris, quae ſua tantum forma concipitur, ſimplex dici poteſt. Et cum duplicem eſſe ſignificet, eam Modeſtinus, in qua vulgaris pupillari jungitur, dicendum eſt (ni fallor) ſimplicem eſſe unam ab altera ſeparatam, & ſuis tantum finibus contentam. Nec me movet, quod pótius vulgaris exemplum attulerit JConſultus: nam ipſum regulam (ut vulgo dicitur) non reſtringit. Melius autem ex hoc Modeſtini reſponſo colligunt, primi haeredis debere inſtitutionem praecedere, ſi non ordine ſcripturae, ex ſententia ſane teſtatoris. Quomodo enim ſubſtituere poſſumus, niſi quis praecedat, in cujus locum illum ſubrogemus? Ideoque Suetonius ſubſtitutos *ſecundos haeredes in Julio cap.* 83. appellat. Et ſub hac quidem conditione, ſi is, qui inſtitutus eſt, haeres non erit, fieri & debet & ſolet vulgaris ſubſtitutio. Cujus conditionis eſt interpretatio, ſi ſibi, vel alii, ſuo nomine haereditatem ex teſtamento non adierit, *l. Cum proponas 3. C. de haered. inſt.* nam & ſervus domino, & filius patri illam quaerit; ideoque non prius ad ſubſtitutum pervenit haereditas, quam ſi is, qui primo gradu ſcriptus erat, eam non adierit. *Poſt aditam enim haereditatem directae ſubſtitutiones non impuberibus filiis factae expirare ſolent, l. Poſt aditam 5. C. de impub. & al. ſubſtit.* Quod adeo verum eſt, ut, quamvis filius, qui ſuus & neceſſarius eſt haeres, inſtitutus ſit, cum eoque videatur antea continuata haereditas, tamen, ſi non agnoverit eam, ſubſtitutus admittatur: quoniam conditio ipſi neceſſitatem quodammodo tollit, eumque voluntarium reddit, *l. Si filius haeres* 16. *D. de liber. & poſthum.* Quamobrem haec eſt hujus ſubſtitutionis conditio, ut exiſtat ſtatim atque non invenitur primo gradu inſtitutus, qui ex teſtamento acquirere haereditatem velit, aut poſſit. Quoquo enim modo primus haeres non adiit; ſubſtituti ſuo loco & ordine veniunt: adeo ut ſi is, qui adierat, reſtitutus ſit, abſtinendique beneficium conſequutus ſit. Utilitatis gratia & propter teſtatoris voluntatem admittantur, ſi neceſſarii fuerint, *l. ait Praetor 7. Sed quod Papinianus* 10. *D. de minorib.* Nec enim idem de omnibus ſentio.

De pupillari ſubſtitutione, ad leg. 2.

Qui liberos impuberes habet in poteſtate, ipſis non tantum communi modo ſubſtituere, ſed etiam ſub ea conditione, ſi adhuc impuberes mortui fuerint, ſubſtituere poteſt. Et hoc quidem ſubſtitutionis genus pupillare dicitur, quod non lege aliqua inſtitutum eſt ſed more quodam introductum: *Moribus* (inquit Ulpianus) *introductum eſt, ut quis liberis impuberibus teſtamentum facere poſſit, donec maſculi ad quatuordecim annos perveniant, feminae ad duodecim. Quod ſic accipiendum eſt, ſi ſint in poteſtate. Caeterum emancipatis non poſſumus, plane poſthumis poſſumus. Nepotibus etiam poſſumus, & deinceps, ſi qui non recaſuri ſunt in patris poteſtatem.* Ex his intelligitur quis pupillariter, & cui ſubſtituere poſſit. Is enim ſolus, qui liberos in poteſtate habet, hoc modo ſubſtituit: ſtituatur intra pubertatis tempus, nec ſub ea conditione, ſi impubes deceſſerit? Varie hunc locum explicant interpretes, inter quos eſt quidam Politus, qui eum temere voluit emendare, legens, *ſi pater.* Intelligendum autem arbiror, hanc ſubſtitutionem pupillarem non eſſe, tum ex matris mente, tum ex ejus forma. Nam mater noluit, filium ad haereditatem venire, niſi cum quatuordecim annorum eſſet: ultra quam aetatem nec etiam pater ita ei ſubſtituiſſet. Praeterea ſi filius intra quatuordecim annos deceſſerit, quia ipſa non ante ex teſtamento haereditatem adire poteſt, exiſtit ſubſtitutionis conditio, filioque impuberi ſubſtitutus quodammodo ſuccedere videtur: unde hoc genus teſtamenti pupillares tabulas Juriſconſultus appellat. Nam pupillum haeredem inſtituit mater, & ei, ſi ſibi haeres non erit, id eſt, ſi intra pubertatem deceſſerit (nec enim prius haeres eſſe poteſt) alium ſubſtituit, quae forma non multum a pupillaris ſubſtitutionis conceptione abeſt.

Diximus, quis ſubſtituere poſſit: cui autem, videamus. Et conſtat patrem filio impuberi, poſthumo, nepoti, caeteriſque, qui ſic ſunt in ejus poteſtate, ut, cum moritur, nulli ſint, qui eos in poteſtate retineant, ſubſtituere poſſe. Sed ſi inveniantur, qui eos praecedant, ipſos inſtituere vel exhaeredare oportet. Ii enim per legem Velleam ſuccedendo non rumpunt teſtamentum. Nam, ſi principale ruptum ſit teſtamentum, & pupillare evanuit (pupillare enim teſtamentum pars & ſequela eſt paterni teſtamenti, ex eoque vim omnem & robur accipit) itaque, ſi nepoti praeterito vel in patris poteſtatem recaſuro facta ſit ſubſtitutio; ea non valet: nam principale teſtamentum, in quo nepos omiſſus eſt, ſucceſſione atque agnatione infirmatur, vel ſubſtitutio evaneſcit; quia eſt filii, qui in poteſtate nepotem retinet, ipſi teſtamentum facere. Extraneo autem ita ſubſtituere non poteſt teſtator, niſi eum in locum nepotis adoptaverit, vel arrogaverit, & filius praedecedat. Pupillaris ſubſtitutionis haec eſt forma, ut prius ſibi quis debeat haeredem ſcribere, deinde filio ſubſtituere. Igitur duo quodammodo facit teſtamenta; unum ſibi, alterum filio: nec enim ſoli filio poteſt, niſi quis dixerit, unum eſſe teſtamentum, ſed duarum cauſarum, id eſt, duarum haereditatum. Verum in hac quaeſtione contrarius ſibi videtur JConſultus: ſcribit enim convertere ordinem ſcripturae teſtatorem non debere: poſtea ſubjicit, valere ſubſtitutionem, hoc modo conceptam: ſi filius meus intra decimum quartum annum deceſſerit, Sejus haeres eſto, & deinde filius haeres eſto. Atque ita converſum eſſe ſcripturae ordinem conſtat. Mihi aliquando Petri Aurelianenſis D. diſtinctio placuit, ut ſcilicet converſus ex intervallo ſcripturae ordo ſubſtitutionem vitiet; ſi vero uno contextu, & ſine temporis intermiſſione ea ſcripturae converſio fiat, ſubſtitutio valeat. Haec enim ſententia caeteris verior eſt, nec ulla ab interpretibus, varie ſentientibus, excogitari probabilior potuit. Sed propius inſpiciens, Ulpianum hanc non attigiſſe diſtinctionem, intellexi. Ideoque exiſtimavi, ipſum Juliani ſententiam, quia reſcripto Imperatoris comprobata erat, retuliſſe, eamque leviter probaſſe, ne contra ſui Imp. placitum ſcribere videretur. Sed quod poſtea adverſative ſubjicit, ſatis indicat, eum aliter ſenſiſſe. Particula enim *Sed* corrigit praecedentia: & ratio, quam ille adfert, contrariam hanc ſuam opinionem

y Google

turam ex Modeſtini reſponſo cognoſcemus. Sic enim ſcribit: *Jam hoc jure utimur ex divi Marci & Veri conſtitutione, ut, cum pater impuberi filio in alterum caſum ſubſtituiſſet, in utrumque caſum ſubſtituiſſe intelligatur, ſive filius haeres non extiterit, ſive extiterit, & impubes deceſſerit. Quod jus ad tertium quoque genus ſubſtitutionis tractum eſſe videtur. Nam ſi pater duos filios impuberes inſtituat, eosque invicem ſubſtituat, in utrumque caſum reciprocam ſubſtitutionem factam videri divus Pius conſtituit.* Controverſiam aliquando in Centumvirali judicio, an ſubſtitutus poſthumo, ſub ea conditione, ſi intra pubertatis annos deceſſerit, admittatur, ſi poſthumum non naſci contigerit, eleganter tractat Cicero *lib. 1. de Orat. & in orat. pro Cecin.* Qua in cauſa obtinuit Craſſi, teſtatoris voluntatem defendentis, ſententia. Divus etiam Marcus & Verus in non diſſimili omnino ſpecie idem ſanxerunt. Nam ſi teſtator filio impuberi ſub ea conditione ſubſtituat, ſi intra pubertatem haeres deceſſerit, vel ſi haereditatem non quaeſierit, Titius haeres eſto; eorum tantum caſuum unum exprimens, utrumque ex Impp. reſcripto intellexiſſe dicetur: ut ſi filius decedat impubes, patri & filio pupillariter ſubſtitutus ſuccedat. Quod ſi haeres non ſit, atque poſt pubertatem moriatur, vulgariter ſubſtitutus ad teſtatoris haereditatem veniat. Et haec quidem quaeſtio voluntatis eſt. Verum facile conjicimus, patrem, qui filio teſtamentum ut ſibi ipſi fecit, omnes caſus tacite comprehendiſſe, ne quis eorum aut certe uterque inteſtatus decedat; niſi aperte defuncti voluntas refragetur: cave ſubſtitutionis natura ſit, ut uterque caſus contineri nequeat, quemadmodum ſcribit Alexander Imperator, *l. Quamvis* 4. *C. de impub. & aliis ſubſtit.* Sed etſi quis datus ſit alicui cohaeres, eique ſubſtituatur ſub ea conditione alius, ſi ipſe natus ſit; hic, qui vulgaris videtur caſus, ad pupillarem non extendetur, maxime ſi cohaeres, qui ſuccedere debet, aliqua teſtatori cognatione junctus, legitimusve haeres ſit. Cum enim teſtator eum poſthumo ſuo cohaeredem fecerit, videtur noluiſſe legitima filii ſucceſſione ipſum excludere: ut nova ſua conſtitutione decidit Juſtinianus, *l. fin. C. de inſtit & ſubſtit.* Quae licet matrem tantum reſpexiſſe videatur; generalem tamen deciſionem habet, ut in ſpecie propoſita (quam ad ſimiles extendi poſſe juris ratio permittit) ſubſtitutus excludatur. Itaque duo tacitae ſubſtitutionis genera ex Marci & Veri conſtitutione profecta ſunt: Unum, cum vulgaris caſus pupillarem tacite continet; Alterum, cum pupillaris vulgarem. Et jus, quod in his duobus verſatur, ad tertium quoque ſubſtitutionis genus traxit Divus Pius. Unde conſtat, tria ſubſtitutionis genera hic tradi: & diſtinctam eſſe a vulgari & pupillari, ſpeciem reciprocam. Quod Communi DD. turbae facile perſuaſum eſt. Sed alii ſubtiliores interpretes, tria hic tradi a Modeſtino ſubſtitutionis tacitae genera, quorum tertium eſt, cum reciproca ſubſtitutio utramque & vulgarem & pupillarem continet, exiſtimant: qui, ſi perpendere vellent, quod JCtus dicit, ad tertium quoque genus tractum eſſe videri hoc jus, quod in aliis duobus conſtitutum eſt, intelligent, illum voluiſſe reciprocam ſubſtitutionem ab aliis duabus diſtinguere, & ad illam trahi ex Divi Pii conſtitutione jus, quod in his duabus jam definitum erat, tanquam ad aliam ſeparatamque formam dicere. Sed nec eorum probatur mulu ſententia, qui notam improprietatis verbo *videtutum* fuiſſe. Nemo enim ignorat reciprocam ſubſtitutionem eſſe qualitatem quandam, quae nec vulgaris nec pupillaris naturam reſpicit; illamque ab his ſeparatam eſſe, non ut ſpeciem oppoſitam, ſed ut aliam & tertiam quandam formam ſubſtitutionis, ſub eis minime contentam arbitror. Ejus exemplum eſt apud Suetonium *in Tiber. cap.* 76. in teſtamento Tiberii Caeſaris: *Eo teſtamento*, inquit, *haeredes aequis partibus reliquit, Cajum ex Germanico, & Tiberium ex Druſo nepotes; ſubſtituitque invicem.* Et Ulpianus, Papinianus, aliique JCti *l. Qui plures* 23. *l. Si plures* 24. *l. Cohaeredi* 41. *l. Lucius Titius* 45 *eod.* ejus naturam praeclare explicant. Sed non omittendum eſt, quod JCtus dixit, verbum commune eſſe, *ſubſtituo.* Id enim, licet facile intelligi poſſit, a quibusdam tamen contra JCti opinionem explicatur. Ideo autem commune (mea ſententia) dicitur; quia tum vulgarem, tum pupillarem ſubſtitutionem communiter continet: ut, ſi ſimpliciter proferatur, facile non ſit ad unum potius, quam ad alterum referre caſum.

Quando pupillaris ſubſtitutio expiret, & quid ſit illa, quae compendioſa dicitur. Ad l. 7.

Poſtquam decimumquartum annum attigit filius haeres ſcriptus, ſperare amplius non poteſt ſubſtitutus. Jam enim ejus eſt ille aetatis, ut de rebus ſuis ſuo arbitrio diſponere poſſit. Sed ſi prius, quam ad eam pervenerit aetatem, decedat, admittetur ſubſtitutus: adeo ut, ſi, cum haereditatem agnoviſſet impubes, reſtitutus ſit, veniat ille ex teſtamento, etiamſi ſit extraneus, *l. Ex contractu* 44. *D. de re judic.* In quo nonnihil inter pupillarem & vulgarem ſubſtitutionem intereſſe videtur. Solis enim neceſſariis perſonis haec reſtitutio prodeſſe poteſt (ut diximus) quae vulgariter ſubſtitutae ſunt, *l. Ait Praetor* 7. §. *Sed quod Papinianus* 10. *D. de minor.* ipſasque ex teſtatoris ſententia, propter majus juris vinculum, non alias reſpicit. Verum, quia usque ad decimumquartum annum pupillaris ſubſtitutio durat, nec aditione extinguitur, quisquis ſit ille, qui ſubſtitutus eſt, admittitur. Expleta pubertate, verbis civilibus facta ſubſtitutio expirat, nec jure quidem fideicommiſſi valet; ut hic diſerte Papinianus ſcribit. Verba autem civilia (quae & legitima & directa appellantur, *l. ult. C. de teſtam. tutel.*) ea ſunt, quae jure quodam, lege vel more civitatis Romanae a teſtatoribus, haeredes inſtituentibus, tanquam praeſcripta atque concepta proferri ſolebant, directoque haeredem ſignificabant: ut ipſe non ex alterius manu ac precario, ſed ex legis teſtatorisque authoritate haereditatem caperet. Et his verbis fruſtra poſt decimumquartum annum pupillaris ſubſtitutio fieret. Ejus enim natura eſt, ut poſt pubertatem conſiſtere non poſſit, *l. In pupillari* 14. *D. eodem.* Poteſt tamen precariis verbis teſtator ab initio ita ſubſtituere, ut intra pubertatem directo; ea autem expleta, in vim fideicommiſſi valeat ſubſtitutio: quae dici fideicommiſſaria poteſt, *l. Cohaeredi* 41. §. 3. *D. hoc tit. l. Scaevola* 76. *ad SCtum Trebell.* Haec autem in vulgarem caſum fieri nequit: qui enim, ſi haeres non ſis, haereditatem reſtituas? Eam ob cauſam Imperator in *Inſtitutionibus* uno capite pupillarem & fideicommiſſariam conjunxit. Verum ſpeciale militi jus tributum eſt, ut etiam ultra pubertatem ſubſtituere poſſit: idque vel expreſſa poſt pubertatem certa aetate, vel compendio, id eſt, non

Digitized by Google

codices, qui manuſcripti reperiuntur, non *compendioſe*, ſed *compendia* habent: idque latini ſermonis lepos requirit. Praeterea, ſi quis adeo temere veterem lectionem corrumpere velit: is certe invitus concedere cogetur, compendioſam ſubſtitutionem non diſtinctum genus eſſe, verum expreſſae opponi: ut non inepte quis dixerit, illam ſub tacita contineri; ut duae ſint tacitae ſubſtitutionis formae: Una, quae ex mente teſtatoris colligitur, aut legis interpretatione inducitur; Altera, quae militaris teſtamenti propria eſt, ſermoniſque compendio pupillariter concepta, incertum tempus comprehendit.

De quaſi pupillari ſubſtitutione. Ad l. 43.

Diximus, parentes filiis impuberibus teſtamentum facere poſſe; quia illi propter ingenii imbecillitatem de rebus ſuis diſponere nequeunt. Ita enim, ſi quis puberem filium in poteſtate habeat, qui vitio aliquo naturae aut morbo teſtari non poterat, a principe, ut ei facere teſtamentum haeredemque ſubſtituere ſibi liceret, impetrabat. Et hoc quidem ſingulari quodam jure ac beneficio principali concedebatur. Poſtea novam Juſtinianus conſtitutionem emiſit, *l. humanitatis* 9. *C. de impub. & al. ſubſtit.* qua eam ſubſtituendi facultatem parentibus conceſſit: ut ipſos a principe beneficium illud impetrare non oporteat. Quamvis autem hoc ſubſtitutionis genus ad exemplum pupillaris introductum ſit; ei tamen non omnino convenit. Nam & mulier ita ſubſtituere poteſt: licet pupillariter nequeat. Dicit enim Juſtinianus humanitatis intuitu hoc jus parenti, qui vel quae teſtatur, conceſſum eſſe. Conditio autem hujus ſubſtitutionis eſt, ſi is, cui ſubſtituitur, eo vitio aut morbo liberatus ſit.

CAPUT XIV.

Quis Conjunctorum in jure accreſcendi praeferatur.

QUam parum ſim innovandi cupidus, intelliget quiſque, qui me veritatis, quam gloriae amantiorem eſſe cognoverit. Nec enim a receptis opinionibus, niſi JCtorum authoritate coactus, recedo. Si quis igitur aliud ſcribere me, quam caeteri interpretes exiſtiment, miratus antea fuerit; nunc mirari deſinat, & non opinionum authoritatem, ſed rationis gravitatem ponderet. Nam &, in hac etiam quaeſtione, veram JCtorum ſententiam ab interpretibus ſuo more exploſam reſtituere cogor. Itaque, rejectis ipſorum commentis, ad rem venio. Conjuncti dicuntur illi, qui mutuo quodam jure ita junguntur, ut unius loco habeantur, *l. Plane* 34. *D. de legat* 1 Et conjunctio rerum aut perſonarum connexio & unitas appellatur. Conjunctio autem in tria genera diducitur: quorum unum eſt, quod re tantum; alterum, quod verbis; tertium, quod re & verbis conſtat. Eorum exempla ſunt. Titius & Sempronius haeredes ſunto. Sejus haeres eſto. Cajus & Maevius ex aequis partibus haeredes ſunto. Hi quidem omnes conjuncti ſunt, ſed propius illi, qui in eadem re verbis junguntur, *l. hujuſmodi* 84. (quae ſic intelligi debet *in §. Quibus ita* 12.) *D. de legat.* 1. quique in jure accreſcendi caeteris praeferuntur: ut Titius & Sempronius. Eos enim non rei tantum; ſed etiam orationis complexus colligat, quibus Sejum res ipſa, Cajum vero & Maevium inter ſe verba (quia in diſtin- Quod ſi ita dixerit: Sejus haeres eſto; Cajus & Maevius haeredes ſunto ex aequis partibus: atque ex his unus moriatur, non alteri ſoli partem accreſcere, ſed omnibus haeredibus pro haereditariis portionibus, cum Pomponio, *l. Si ita* 66. *D. de haered. inſtit.* exiſtimo. Diverſitatis ratio eſt, quia in hac poſteriori ſpecie non tam conjunxiſſe, quam celerius dixiſſe videtur, id eſt, quia teſtatoris ea mens & voluntas non fuit, ut Cajum & Maevium ſolos conjungeret: ſed eo verborum compendio uſus eſt, ut celerius diceret. Ideoque Jabolenus dixit *haeredes ſine partibus*, diſerte oſtendens, aliud ſtatuendum, ſi ex partibus haeredes inſtituantur. Denique, ſi tres illas conjunctorum ſpecies teſtator (ut propoſuimus) ſcripſerit; mihi placet Pauli reſponſum, *l. Re conjuncti* 89. *D. de legat.* 3. ut re ac verbis conjunctis caeteris praeferatur, ipſiſque ſoli pars ejus, cum quo junctus eſt, deficiens accreſcat. Sed ſi teſtatorem ita inſtituiſſe dicamus: Titius & Sempronius haeredes ſunto; Sejus haeres eſto; Tullius haeres eſto; Cajus & Maevius ex aequis partibus haeredes ſunto: ut Sejus & Tullius re tantum conjuncti ſint, atque ex his decedat Sejus. Ego Paulum ſenſiſſe arbitror, ut re tantum conjunctus, re & verbis conjuncto potior non ſit: verbis autem conjuncto praeferatur. Sic enim ait: *Quod ſi re tantum conjunctus ſit, conſtat non eſſe potiorem* (nempe re & verbis conjuncto) *Si vero verbis quidem conjunctus ſit, re autem non, quaeſtionis eſt, an conjunctus potior ſit* (re ſcilicet) nam de eo qui re & verbis conjunctus eſt, non dubitabatur; cum id prius definiiſſet JCtus. Sed nec contextus ipſe permittit, ut verbis duntaxat conjunctus intelligatur. Ineptum enim & ridiculum eſſet, quaerere, an quis ſibi ipſi praeferatur. *Et magis eſt*, inquit Paulus, *ut ipſe praeferatur.* Hujus autem ſententiae ratio eſt, quia, cum teſtator certas, nominatimque expreſſas, verbo conjunctis partes dederit, ad alias, ipſos admittendos non eſſe, ejus mens & voluntas, quae in teſtamentis maxime dominatur, oſtendit. Neque obſtat quod ex Pomponio retulimus in hac ſpecie Sejus haeres eſto, Cajus & Maevius ex aequis partibus haeredes ſunto: ſiquis ex his decedat, ipſius partem non alteri ſoli, ſed utroque accreſcere. Nam id eo pertinet, ut cum oratione tantum conjunctis, re conjunctum concurrere intelligamus. Sed an ſi plures rei conjunctione inſtituantur, ex iiſque unus decedat, verbis conjuncti una cum caeteris ad partem deficientem admittantur, non eſt a Pomponio definitum: ſed hic a Paulo noſtro eleganter explicatur. Ideoque ſi quem ex verbis conjunctis decedere contingat, omnes in ejus partem concurrent. Et hoc eſt, quod Juſtinianus deciſione ſua, quae eſt de caducis tollendis, reſcribit, *l. unic.* §. 10. *verſ. Sin autem ex his. C. de caduc. toll.* Quos enim disjunctos appellat: eos verbis conjunctos dici arbitror. Sic namque ait: *Haec ita tam varie, quia conjuncti quidem propter unitatem ſermonis* (id eſt, orationis complexum, qui ſic ipſos conjungit, ut in eadem re inſtituti ſint) *quaſi in unum corpus rediguntur, & partem conjunctorum ſibi haeredum, quaſi ſuam praeoccupant. Disjuncti vero ab ipſo teſtatoris ſermone, apertiſſime ſunt diſcreti*, id eſt, teſtatoris verbis, qui certas ipſos partes habere voluit, ab aliis, atque invicem diſtincti ſeparatique: ut id tantum eos conjungat, quod ipſos eodem verbo complexus ſit teſtator.

Non ignoro tamen, a Juſtiniano §. *Si eadem.* 8

Inſtit.

diam, Sejo partem dimidiam lego. Eundem fundum Titio lego. Si Sejus deceſſerit, pars ejus (inquit) *utrique adcreſcit: quia, cum ſeparatim & partes fundi & totus legatus ſit, neceſſe eſt, ut ea pars, quae ceſſat de portione legati, cuique eorum, quibus fundus ſeparatim legatus eſt, adcreſcat.* Maevium autem & Sejum verbis conjunctos eſſe, quamvis particula *&* a teſtatore omiſſa ſit, conſtat. Nam *hos* (ut ſcribit Paulus *l. Triplici* 142. *D. de verb ſig.*) *&, que, cum, articulos etiamſi detrahas; interdum tamen conjunctos accipi oportet.* Sed Modeſtinus eis ſeparatim legatum eſſe dicit, ut intelligamus verbo factam conjunctionem, non tam conjungere, quam verborum compendio duos pluresve legatarios aut haeredes complecti, qui ipſi aliorum ratione disjuncti ſunt. Sciendum autem eſt, eos ſaepius dici ab interpretibus conjunctos: ut in illa ſpecie, quam Julianus, *l. hujusmodi legatum* 84. §. *Quibus* 12. *D. de legat.* 1. proponit: *Quibus ita legatum fuerit, Titio & Maevio ſingulos ſervos do lego, conſtat non concurſuros in eundem ſervum; ſicuti non concurrunt cum ita legatur: Titio ſervum do lego, Maevio alterum ſervum do lego.* Quibus verbis oſtendit JCtus nullam hac conceptione factam a teſtatore conjunctionem. Verbis enim conjuncti non dicuntur illi, quibus res diverſae legatae ſunt, etiamſi ipſos eodem verbo complexus ſit teſtator: non magis, quam ſi ſingulas res diverſa oratione legaverit. Non tamen in re illos conjunctos eſſe arbitror: cum partes diſtinctas ab initio habeant: & ſi re aliquo modo jungerentur, aequales re & verbo conjunctis dicerentur. Quod ſi fateamur, tertium conjunctorum genus, ut ſuperfluum rejiciamus, atque ita temere a JCtorum ſententiis recedamus oportet. Poſtremo, ſi quis eorum, qui conjunctim inſtituti non ſunt, haeres non eſt; pars ejus omnibus pro portionibus haereditariis adcreſcit, ut a Celſo & Juſtiniano ſcribitur, *l. Si liber homo* 59. §. *Cum quis* 3. *D. de haered. inſt. d. l. unic. C. de cad. toll.*

CAPUT XV.

Conciliatio duarum Legum 44. & 19. *D. de condict. indeb.*

Doctiſſimorum juris interpretum ingenia Pomponii & Pauli JCtorum ſententiae, quae pugnare ex diametro videntur, excoluerunt. Sed meum non eſt, inter eos tantas dirimere lites. Itaque, nullius authoritati addictus, quid ſentiam, breviter exponam. Generaliter definit Paulus, *l. Repetitio* 44. *nullam eſſe ab eo repetitionem, qui ſuum recepit: tametſi ab alio, quum a vero debitore, ſolutum eſt.* Pomponius autem, *l. Si poenae* 19. §. 1. *Quamvis debitum* (inquit) *ſibi quis recipiat; tamen ſi is, qui dat, non debitum dat, repetitio competit; veluti ſi is, qui haeredem ſe, vel bonorum poſſeſſorem falſo exiſtimans, creditori haereditario ſolverit. Hic enim neque verus haeres liberatus erit: & is quod dedit, repetere poterit.* Mihi duo illa reſponſa de debito intelligenda eſſe videntur. Et ſuum recepiſſe eum, qui ſibi debitum accepit, apud Paulum dici placet: quamvis P. Stella, contrariam interpretationem ſequutus, ſic eas leges conciliet. Debitoris enim nomen ſatis oſtendit, id ſuum appellari, quod ſibi debetur. Sed nec verior eſt illa diſtinctio, an ſuo, an vero alieno nomine ſolvat, ut ab interpretibus traditur. In utroque enim loco, ſibi debitum tur, & debitum ſolverit, neque ei, neque vero debitori dabitur a creditore repetitio, qui ſuum recepit. Atque ita *alium* interpretor, quemcunque alium debitorem, quam cum, qui principaliter obligatus eſt. Sic enim recte ſuum creditor recepiſſe dicitur; tanquam ſi a debitore ſuo per obligatam ei perſonam, quae ipſius quodammodo negotium gerit, accepiſſet.

CAPUT XVI.

Conciliatio leg. 7. D. Solut. matr. cum nova Juſtiniani conſtitutione C. de rei uxoriae actione, &c.

O*B donationes* (iuquit Ulpianus *l. Fructus* 7. §. 5. *D. ſolut. matrim.*) *item ob res amotas ex his fructibus, qui poſt divortium percepti ſunt, compenſationes fieri poſſunt.* Et Paulus *l. rei judicatae* 15. §. 1. *D. eod. tit. Haeredi mariti* (ait) *licet in ſolidum condemnetur, compenſationes tamen, quae ad pecuniariam cauſam reſpiciunt, proderunt, ut hoc minus ſit obligatus: veluti ob res donatas, & amotas, & impenſas. Morum vero coercitionem non habet.* Sed Ulpiano & Paulu, aliisque veteribus Jureconſultis minus conſentire videtur Juſtinianus, *tit. C. Juſtinian. de rei uxoriae actione in ex ſtipulatu actionem transfuſa, & de natura dotibus praeſtita.* Sic enim ipſe in quadam conſtitutione ad populum urbis Conſtantinopolitanae, & ad univerſos provinciales reſcribit, §. 5. *Taceat in ea retentionum verboſitas: quod enim opus eſt inducere ob mores retentionem, alio auxilio ex conſtitutionibus introducto?* Sed nec retentionem ob res donatas, ob amotas, ob liberos, ob impenſas neceſſariam eſſe ſtatuit, &, ut uno verbo dicam (nec enim totam ejus conſtitutionem referre oportet) retentionem dotis tollit. Sunt, qui inter compenſationem & retentionem intereſſe exiſtiment: verum illi, meo judicio, quid ſit compenſare non intelligunt. Nam, cum dos a viro petitur, ſi eam velit is retinere, aut ex ea aliquid minuere, ut compenſet, quod ſibi a muliere debetur, utrum potius compenſare, quam retinere dicatur? Compenſat quidem, quia debitum & creditum contribuit: retinet etiam. Praeterea, quae ratio diverſitatis inter compenſationem & retentionem reddi poteſt? *JCti retentionis & compenſationis nominibus indifferenter utuntur, l. 4. & l. ob negotium 20. D. de compenſat. l. 1. C. rer. amot. l. dote 5. D. de dote praeleg.* & Ulpian. *in fragmentis, retentionem* dixit. Equidem Juſtiniani reſcriptum juri, in Pandectis relato, derogare aliquando exiſtimavi. Renovatus enim, atque ſecundo editus eſt Codex, & in eo multa adjecta, multaque detracta ac emendata, aliter quam in illo ſcripta erant, qui ante Pandectas emiſſus fuerat: jusque antiquum ſaepe correctum fuiſſe ſuis deciſionibus, ſcribit Juſtinianus. Sed cum non facile has legum emendationes admittendas eſſe conſtet, ſaepiusque Juſtinianus cum antiquas altercationes decidit, aut jus novum conſtituit, ipſe quid innovaverit, mutaveritque, non taceat: verius eſt, ut priores leges ad hanc poſteriorem trahantur; non ea ratione, quam vulgus ſequitur, ut ſcilicet Ulpianum de fructibus, Juſtinianum vero de re dotali interpretemur. Haec enim ſententia, ut ab eis jejune explicatur, defendi non poteſt, quia fructus dotem augent, atque dotis pars habentur, & mulier, qua actione dotem, eadem & fructus petit, *l. Si marito.* 31. §. *ſi fundum.* 4. *D. Solut.*

Digitized by Google

penderit, cum tota illa lege de fructuum reſtitutione tantum diſputare) poterit maritus ex illis deducere, quod ſibi ex cauſa pecuniaria debetur. Sed & ſi dos ipſa reddenda ſit, & totae viri facultates, dotis quantitatem non egrediantur, ne is ſuis rebus omnino deſtituatur, cum in ſolidum damnandus ſit, ei dotem minuere licebit, quam uxor ipſi debet: atque eodem jure uti illius haeredes poterunt. Ob impenſas quoque neceſſarias, licet proprie compenſare non dicatur, ipſo tamen jure dotem minuet. Unde haec quaſi retentio a Juſtiniano dicitur. Noſtra ſententia diſerte ab eo Imperatore confirmatur, §. *Item ſi de dote* 37. *Inſtit. de action. d. l. rei judicatae* 15. Inquit enim, *propter retentionem quoque dotis repetitionem minui.* Quae clauſula ex ſuperiori verſiculo interpretationem accipit: nam dixerat, *eatenus maritum* compenſat) dotis repetitionem minui, ut ipſa quidem ex mariti rerum ratione, tota non reddatur, ſed minuere, quod uxor debet, oportere. Et quod de fructibus diximus, apertiſſimam habet rationem: nam cum jam reſtituta eſt uxori dos, fructus dici pars illius non poſſunt; ſed, quia diſtincti ſeparatique alia actione petuntur, ideoque maritus dotem retinere non conatur, aliter quam ſi una cum re fructus peterentur; quia, cum ipſam augeant, ejusque partem faciant, de iis retineri aliquid non poteſt, quin compenſari doti, quod viro ſolvendum eſt, videatur. Quamobrem non retentionis, ſed actionis via, quod ſibi debetur, petere maritus poterit. Atque ita cum ei ſolutum eſt, compenſaſſe quodammodo dici poteſt.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LUDOVICI CHARONDAE JCti
ΠΕΙΘΑΝΩΝ,
SEU
VERISIMILIUM
LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Actionis Definitio & Diviſio.

UT recte intelligatur, quid ſit id, de quo diſputatur, ab actionis definitione proficiſci noſtra inſtitutio debet. Latiſſima autem eſt actionis ſignificatio. Quicquid enim eſt, quod vel ad officiorum & utilitatum communicationem pertinet, vel in dando ſuum cuique verſatur, vel, ut alicui vis injuriave fiat, patratur, actio dici poteſt. Verum nos actionem ad judicia cauſasque convertimus, & civili perſequutioni propriam facimus, quamvis eam pro accuſatione etiam uſurpari non ignoremus. Nam & M. Tul. Cicero *in Orat. pro Milone cap.* 14. perduellionis actionem dixit; & in Verrem actiones, quibus eam accuſat, ſcripſit. Nihil autem aliud eſt actio, quam jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur, ut praeclare poſt Cajum Jureconſultum definit Juſtinianus. Sed videndum eſt, qua ſignificatione jus actio dicatur: nam jus multa ſignificat. Communis eſt eorum, qui ſe purius juris authores interpretari gloriantur, ſententia, ut jus pro vi & facultate agendi accipiatur. Ego vero, illius definitionis verba perpendens, idem jus cum vi omnino non ſignificare arbitror: nec enim magiſtratus, qui actionis formulam praeſcribebat, actionem ita dabat, quaſi tum nata ex ejusque officio profecta eſſet. Obligatio enim aut certe ſimile aliquod juris vinculum actionem parit, *l. Juris gentium* 7. *D. de pact. l. licet* 42. *D. de procur. & alibi*, ut verius ſit, jam natum fuiſſe jus, cujus vi ad magiſtratum, qui juri dicundo praeerat, vocabatur reus. Hocque ipſum jus actionem eſſe: nam Praetor ex lege tantum agendi genus formabat ac concipiebat; jus vero litigantibus nullum tribuebat, ſed ipſis, ſi quod haberent, reddebat. Et jus quidem in hac definitione ita uſurpari exiſtimo, ut jus cognationis, affinitatis, praedii, & caetera dici a Jureconſultis obſervavi, & apud Ciceronem, *Lib. 1. de Orator. cap.* 39. *jus applicationis* legi: quod quale fuerit, non difficile eſt, ex ejus verbis intelligere; quamvis obſcurum nec in vulgi cognitione poſitum fuiſſe dixerit, & plerique inveniantur, qui ſuam ignorantiam, Ciceronis (ut exiſtimant) inſcitia tegere volunt. Equidem jus applicationis (ut id obiter explicem) hujusmodi fuiſſe opinor: quemadmodum in antiqua Roma clientes fuiſſe, qui potentiorem aliquem virum, ut a caeteris defenderentur, eligebant, ſcribit Dionyſius Halicarnaſſeus, *Lib. 2. antiquit. Roman.* ipſosque mutuis officiis patronos provocaſſe; ita qui Romam in exilium veniſſet, cui Romae exulare jus eſſet, ſi ſe ad aliquem quaſi patronum applicuiſſet, inteſtatoque eſſet mortuus, patrono jus applicationis competebat: quod diverſum ab eo non fuit, quod in clientum bonis habebant patroni, ut alias ex antiquis monumentis oſtendam. Nec enim plura hic locus permittit. Perſequendi verbo generalius in ea definitione uſi ſunt Cajus & Juſtinianus: nam perſequutio a Jureconſultis dicitur extraordinaria cognitio; in qua judices a Praetore non dabantur: vulgarisque formula, quae in aliis actionibus obſervabatur, praeſcribi nunquam ſolebat; ut de fideicommiſſis ſcribit Ulpianus, *l. Pecuniae* 178. §. 2. *D. de verb. ſignif. & tit. de fideicom. in epit. Inſtit.* Perſequi autem is dicitur, qui intendit ſibi adverſarium ali-

Digitized by Google

actionis verbo continetur in rem, in perſonam, directa, utilis, praejudicium; ſicut ait *Pomponius, l. Actionis* 37. *D. de obligat. & action. l. Arbor* 19 *D. Comm. divid. l. Si domus* 21. *D. de ſervit. urbanor. praedior. l. ſi communi* 27. *D. de ſerv. ruſt. l. non amplius* 26. *D. de legat.* 1. *l. Maevius* 66. *D. de legat.* 2. in ſtipulationes etiam, quae praetoriae ſunt; quia inſtar actionum obtinent: ut damni infecti, legatorum, & ſi quae ſunt ſimiles. Mirum eſt igitur, qui fieri poſſit, ut eruditi quidam viri ab hac definitione actionem in rem excludant. Ei enim verbum defendi etiam competit, quia ſervitutes quoque deberi dicuntur, & res etiam ſoli: ideoque Ulpianus, *l. Pecuniae* 178. §. 3. *D. de verb. ſignific.* eleganter verbum *Debuit*, *omnem omnino actionem comprehendere intelligi* reſpondit: *ſive civilis, ſive honoraria, ſive fideicommiſſaria fuit perſequutio.*

Verum & jus civile & Praetor, tum in rem, tum in perſonam, actiones prodiderunt. Sed dubitari a pleriſque video, an hac definitione id contineatur, quod in diem, aut ſub conditione debetur. Atque ex interpretibus quidam inter certam incertamque conditionem diſtingnunt; alii aliter ſentiunt. Equidem video, omnes illos Juſtiniani verba levius inſpexiſſe. Cum enim de eo debito loquatur, quod quis perſequi poteſt, ſi quid ſit, quod ſpes eſt debitum iri, vel cujus perſequutio in diem confertur, non poteſt dici hac definitione comprehendi: nam dies vel conditio pro reo, non pro ſtipulatore adjicitur, *l. Eum qui* 41. §. 1. *D. de verb oblig.* ſed debitor is proprie dicitur, a quo invito res exigi poteſt, *l. Debitor* 108. *D. de verb. ſignific.* Omnium autem actionum ſumma diviſio in duo genera diducitur: nam agit unusquisque aut cum ſibi obligato, aut cum eo, qui propter rem ſibi quodam modo tenetur. Qui vero in perſonam intendit, ea formula, ſibi a Praetore praeſcripta, *Dare, facere, oportere*, aut alio quodam modo, qui cauſae figuram propius exprimit, utitur. Quamvis enim eſſent formae quaedam ſolennes, quae curioſe obſervabantur, *l. 1. D. de obligat. & action.* ex hoc tamen loco & ex Caji *Inſtitutionibus* conſtat, diverſas fuiſſe concipiendarum actionum figuras, & Praetorem aliquando communem conceptionem non obſervaſſe, ſed ad controverſiae cauſam & naturam propius reſpexiſſe; praeſertim, cum certum actionis nomen deerat, ipſaque ideo in factum concipiebatur. Sic enim & quod Juſtinianus, *& aliis quibusdam modis*, & quod Cajus, *aut proprio quodam jure ex variis cauſarum figuris* ſcribit, interpretor. Verum in perſonam actio eum perſequitur, qui obligatus eſt nobis ad faciendum aliquid, vel dandum; & ſemper adverſus eundem locum habet. Actio autem in rem cum eo movetur, qui nobis nullo jure obligatus eſt, ſed rem noſtram poſſidet, & ſemper adverſus poſſeſſorem eſt, *l. Actionum* 25. *D. de oblig. & action.* Quamvis enim is, qui rem, quam intendimus noſtram eſſe, poſſidet, aliquo nobis jure teneri videatur (cum nullum jus ſit, cui non ſit aut a natura aut a lege data quaedam obligatio, tanquam comes & adjutrix, ſi non expreſſa, ſaltem tacita) tamen non recte dici poteſt obligatus ille, qui non contraxit, nec ita deliquit, ut inde ejus, quod nobis abeſt, perſequutio competat. Et haec in rem actio, vindicatio appellatur. Vindicare autem eſt aliquid ex alterius poſſeſſione auferre: & *vindiciae* (ut Pompejus Feſtus ſcribit) *olim dicebantur, quae ex fundo ſumptae in jus allatae erant.* Servius

de conſtat, quare haec actio vindicatio appelletur; cum ea, quae in perſonam eſt, condictio dicatur. Nam dici generaliter condictio poteſt omnis actio, quae ex omni cauſa, & ex omni obligatione competit. Certi enim condictionem omni ex obligatione dari, ex qua certum petitur: ſive ex certo contractu petatur, ſive ex incerto, *l. Certi condictio* 9. *D. Si cert. pet.*

CAP. II.

Ad Verſ. Nam in his §. aeque 2. Inſtit. de action.

De ſervitutibus in rem actiones competere, tam confeſſoriam, quam negatoriam oſtendimus. Sed in rebus corporalibus negativam locum non habere, probat Juſtinianus, ſed obſcuriora quibusdam videntur ejus verba. Nam ſic ipſe ait: *Quod genus actionis in controverſiis rerum corporalium proditum non eſt. Nam in his is agit, qui non poſſidet: ei vero, qui poſſidet, non eſt actio prodita, per quam neget rem actoris eſſe.* Obſervandum autem eſt ei, qui rem corporalem poſſidet, negativam ideo non dari actionem; quia ipſe ſua poſſeſſione contentus eſſe debet, & ſuum non alienum jus curare, *l. uti frui* 5. *D. ſi uſusfr. pet.* Quod eleganter disjunctione quadam preſſa & Jureconſulto digna explicat Juſtinianus. Nam is rem ſuam corporalem eſſe intendit, qui eam non poſſidet; quia ex actoris parte, dominium; ex rei autem, poſſeſſio requiritur. Sed qui poſſidet, cum eo de rei poſſeſſione agere non poteſt, qui eam nullo modo detinet. Atque ille ridiculus videtur, qui rem alterius non eſſe intenderet. Nonnullis abſurdum videtur, quod vulgatis in codicibus legitur: quid enim illud eſt, quod dicitur, reum poſſeſſorem non eſſe actorem; aut actionem contra actorem non eſſe proditam? Ideoque locum illum depravatum eſſe, & ita legendum exiſtimant: *Ei vero, qui non poſſidet, non eſt actio prodita, per quam neget rem eſſe poſſeſſoris.* Verum illi exiſtimare debebant, antiquas & receptas lectiones non eſſe temere corrigendas. Praeterea haec correctio, vel potius corruptio, a Juſtiniani ſententia longe abeſt. Vult enim Juſtinianus oſtendere, poſſidenti actionem non eſſe proditam, per quam neget, rem non poſſidentis eſſe: & ideo in controverſiis rerum corporalium negativam actionem non competere, cum ea ſit, per quam quis intendit jus non eſſe adverſario, qui praedium quidem vicinum poſſidet. Sed (ut ingenue, quod obſervavi, dicam) cum de vulgata ſcriptura dubitarem, omnes, quos invenire potui, *Inſtitutionum* codices conſului, & in eorum pleriſque expunctum *Actoris* nomen obſervavi: quorum fides Theophili graeci interpretis authoritate confirmatur: is enim in *ſua paraphraſi Actoris* nomen omiſit. In uno autem, eoque (mea ſententia) vetuſtiſſimo ita ſcriptum inveni: *Ei vero, qui poſſidet, non eſt actio prodita, per quam neget, rem alterius eſſe.* Et ejus margini adſcriptum erat: *Alterius deeſt in aliis.* Sed utcunque legatur, expuncto *Actoris* nomine, clara ſunt Juſtiniani verba.

Ad verſ. Sane uno caſu d. §. 2.

Hic verſiculus ex ſuperiori pendet, atque ejus tanquam

Digitized by Google

intelligi: qui ſi ad titulum & ad Juſtiniani verba propius reſpexiſſent, eam nunquam ſententiam edidiſſent. Non deſunt, qui duplicia judicia hoc ſolo caſu contineri exiſtiment: ſed, cum hic de mera in rem actione, non mixta agatur, exploſa eſt eorum ſententia. Qui de eo interpretantur, qui ſe uſucepiſſe intendit, nihil caeteris probabilius retulerunt. Tantum enim excipiendo, actoris partibus fungitur, probandique onus in ſe rejicit. Quod ſi de exceptionibus caſus ille intelligatur, non unus ſolus eſt: veriorque communis interpretum opinio eſſet, qui eum caſum eſſe arbitrantur, cum is, qui convenitur, actorem ſe excipiendo conſtituit. Pudet me doctiſſimi cujuſdam viri ſententiam referre: is enim non ſatis docte hunc caſum de ſervitutibus explicat; cum tamen conſtet, hunc verſiculum a ſuperioribus aliis, in quibus de duobus actionum generibus, quae pro ſervitutibus competunt, agitur, diſtinctum eſſe, atque ex ſibi proximo pendere. Deinde ea clauſula inepte adjiceretur, nec praecedentibus recte cohaereret. Aemylius Ferrettus, noſtri temporis ornamentum, ex duobus pervetuſtis codicibus hunc textum emendat, & negativam particulam *Non* adjiciendam eſſe exiſtimat; ut ſic legatur: *ſane non uno caſu*. Juſtinianum autem de duplicibus mixtiſque judiciis ſenſiſſe arbitratur. Sed ego jam oſtendi, hanc interpretationem recipi non poſſe: quod etiam ille intellexit. Nam, in ſuae notae principio, eam explicationem, ut vulgo ab interpretibus traditur, eadem ratione reprehendit, & in ſuis ad *tit. de acquirend. poſſeſſ.* commentariis iterum refellit, ſuamque ſententiam mutat. Verum quod de utroque poſſidente, & actore & reo, quando quis in rem agit, ſcribit, non eſt hic unus caſus, nec ad Juſtiniani mentem accedit: non enim rei & actoris partes miſceri Imperator noſter dicit, nec de interdicto agit. Itaque mutanda prior Ferretti ſententia mihi non videtur, quamvis interpretatio diſpliceat: nam in veteribus etiam codicibus manuſcriptis inſertam eſſe textui, aut certe margini adſcriptam negativam particulam *non* obſervavi. Verum quidem eſt, quod in uno ſic ſcriptum legerim, *ſane eo caſu*; hujus vero loci eum eſſe ſenſum opinor. Quamvis poſſidenti nulla ſit in rem prodita actio, qua rem alterius eſſe neget; tamen eo caſu, quo ſcilicet poſſeſſori non datur actio, ſane actoris partes obtinet, id eſt, actoris partibus fungitur. Quod ſi negative legatur, id ſenſiſſe Juſtinianum conſtat. Licet poſſeſſori nulla competat actio, qua rem alterius eſſe neget: ſane non uno caſu is, qui poſſidet, nihilominus actoris partes obtinet; ut ex latioribus Digeſtorum libris apparebit, ex quibus reum poſſeſſoremve multis caſibus actoris partes ſuſtinere conſtat, ut cum rei, ab adverſario petitae, dominum ſe eſſe affirmat, probandique onus in ſe rejicit. Nam & Ulpianus *l. In exceptionib.* 19. *D. de probat. In exceptionibus reum actoris partibus fungi oportere, ipſumque exceptionem velut intentionem implere* ſcribit. Et Africanus *l. Si prius* 15. *D. de oper. nov. nuntiat. de jure ſuo probare* (inquit) *id eſt, petitoris partes ſuſtinere*. Conſtat igitur longe aliud eſſe partibus actoris fungi, aut actoris partes ſuſtinere; & actorem eſſe. Quod etiam ex Ulpiani *l.* 6. *D. Si lib. ing. eſſe dicat.* verbis in non diverſa omnino ſpecie colligi poteſt. Si quis autem contendat, receptam & a Theophilo approbatam lectionem emendari non debere: equidem ei ſatisfacere cupio, & hunc unum caſum, quem in Digeſtis obſervavi, explicare. Poſteriora ergo prioribus verba ſiſſe conſtat, *l. Licet.* 17. §. *ult. D. depoſ. l.* [illegible] 8. *D. commodat. l. Non ſolum* 33 §. 1. *D. de uſucap.* At illi, qui rei corporaliter inſiſtunt, ideoque ad inſtar poſſeſſorum ſe habent, hactenus pro poſſeſſoribus habentur, ut res ab iis vindicari poſſit; *d. l. Officium* 9. facit in *argum. l. is qui deſtinavit* 24. *D. de rei vindicat.* Itaque Ulpianus contra Pegaſum ab omnibus, qui tenent & habent reſtituendi facultatem, peti poſſe reſpondit. Verum, cum hic caſus expreſſior in Pandect. non ſit, quam caeteri, an ille ſit, de quo Juſtinianus ſenſerit, dubito.

CAPUT III.

De bonae fidei & ſtrictis actionibus.

Solebant Praetores edicta proponere de iis omnibus, de quibus jus eſſet dicendum, ſive ea lege XII. tabular. vel Senatusconſultis conſtituta erant, ſive ex ſua jurisdictione deſcendebant. Verum generalia edicta intelligo, quae perpetuae jurisdictionis cauſa (ut loquitur Ulpianus *l. Si quis id quod* 7. *D. de jurisdict.*) edebantur: quae ad genus univerſum, & ad omnes, non autem ad ſingulas perſonas, & ad unam tantum aliquam certae cauſae ſpeciem pertinebant. Nam in albo proponebantur illa, ut admoniti cives praemunirent ſe, *l.* 2. *D. de orig. jur.* ſi aut agere vellent; aut adverſus eos alius ageret. Ita enim Praetor generaliter edicebat, quas actiones daret, quibusve de rebus & quomodo in omnibus cauſis jus diceret. Actiones autem, quas ſe daturum profitebatur, vel jure civili introductae erant, vel eas ipſe propter publicam utilitatem inſtituerat. Si quis igitur agere vellet, in jus adverſarium vocabat, & apud eum, qui juri dicundo praeerat, cauſa agebatur, negotiumve exponebatur. Is vero ſaepius non cognoſcebat, ſed judicem, qui controverſiam definiret, dabat; ut diſerte explicat Ulpianus noſter. *Praeterea* (inquit *l.* 2. *D. de in jus vocan.*) *in jus vocari non debet, qui uxorem ducit; aut ea, quae nubit: nec judicem oportet, dum de re cognoſcit: nec dum quis apud praetorem cauſam agit.* Nam & actor intentionem ſuam, & reus exceptionem declarabat. Iſque poſtulare dicebatur, qui deſiderium ſuum vel amici ſui in jure apud eum, qui jurisdictioni praeerat, exponebat; vel alterius deſiderio contradicebat. Sed Praetor ex formula, ſuo generali edicto contenta, certum actionis ſpeciem concipiebat, eamque dato a ſe judici praeſcribebat. Sic enim ipſum dabat litigantibus, ut is non ex ſua ſententia, ſed ex Praetoris jurisdictione ſtatuere videretur. Non autem uno eodemque ſemper modo judicia formabat: nam aliquando pure, aliquando ſub conditione (ut eleganter tractat Duarenus noſtri temporis Jureconſultorum primus) actionem concipiebat. Verum quia anguſtius ſtrictiſque finibus judicem praetoria formula concludebant: plures autem contractus ad humanam ſocietatem & publicam utilitatem neceſſarii, in commerciiſque rerum frequentes ita fiebant, ut non omnia, de quibus ſenſerant contrahentes, exprimerentur, ſed mutuae fidei pleraque remitterentur. Saepius contrahentes decipiebantur. Quare ut ei malo Praetores, qui ante oculos naturalem aequitatem habebant, occurrerent, omnemque fraudandi cauſam ex bonis ſanctiſque legibus, fundata civitate, ejicerent, actionibus, quae ex iis contractibus petebantur, clauſulam *Ex bona fide* adjiciebant: cujus ſummam vim eſſe Q. Scaevola pontifex maximus (ut refert

conſtat, hoc praeſertim magni (id eſt, ingenii, doctrinae, & judicii praeſtantia quadam excellentis) judicis officium eſſe, ut, cum in plerisque litigantes a ſeipſis invicem aliquid ex bona fide petant, contrariaque ſint judicia, ſtatuat, quid, quemque, cuique praeſtare oporteat. Caeterum ex his Ciceronis verbis rudem bonae fidei judiciorum ſormam habemus, verum expreſſam effigiem quaerimus. Sed principio quid ſit bona fides videndum. Et ea certe (meo judicio) aliud ſignificat nihil, quam aequitatem & ſimplicitatem quandam naturalem, nulla ſubtilitate, fallacia, verſutia, aſtutia fucatam: quae conſtantem dictorum, factorum, & promiſſorum veritatem obſervandam eſſe jubet. Nam *bona fides* (ut inquit Tryphoninus *l. Bona fides* 31. *D. depoſit.*) *quae in contractibus exigitur, ſummam aequitatem deſiderat, atque fraudi & dolo contraria eſt*, *l.* 3. *D. Pro ſocio.* Et certe unam tantum bonae fidei ſignificationem eſſe, eamque non aliter in judiciis, quam in contractibus uſurpari, ex Jureconſultorum libris obſervavi. Nam licet clauſula *Ex bona fide*, liberam ex bono & aequo ſtatuendi poteſtatem judici tribuat; non tamen licentiam illam ſignificat: nam, cum haec judicia eam formulam ideo acceperint, ut ſi quid conventionis veritas, quae ſcripta non erat, exigeret, judex litiganti daret, ne ſeſe contrahentes fraudarent; conſtat etiam, in judiciis bonam fidem dici poſſe, quae dolo & fraudi contraria eſt, & aequitate nititur. Ideoque Pomponius, *l. tenetur* 6. §. 9. *D. de act. empt. Si cum venditor* (inquit) *ſciens obligatum, aut alienum vendidiſſet, adjectum ſit, neve eo nomine quid praeſtaret, aeſtimari oportet dolum malum ejus, quem ſemper abeſſe oportet in judicio empti, eo quod bonae fidei ſit.* Hinc frequentes & in eadem ſignificatione uſurpatae locutiones: Ex bona fide praeſtare, negotium bona fide contractum, bona fide ſtatuere, ex bono & aequo ſtatuere judicareve, *l. Ex maleficio* 4. *D. de obligat. & act. l. ſi cum fundum* 68. *D. de contrah. empt. l. Quaero* 54. *D. locat. l. ſi fidejuſſor* 29. §. *quaedam* 4. *D. mand. l. ſi ſervum* 91. §. *ſequitur* 4. *D. de verb. oblig. & alib.* Sunt igitur bonae fidei judicia, in quibus judicii ex bono & aequo ſtatuendi, quid, cuique, quemque praeſtare oporteat, libera poteſtas conceſſa eſt. Unde eleganter Proculus, boni viri arbitrium bonae fidei judiciis magnopere convenire, in iisque ſequendum eſſe, ſcribit, *l. In propoſita* 78. *D. pro ſocio.* Tantum enim valet, in hoc actionum genere, judicis officium, quantum in ſtipulatione ejus rei facta interrogatio, *l. item ſi* 5. *in fin. cum ll. ſeqq. D. de negot. geſt. l. Lucius* 24. *in fin. D. Depoſit.* Atque ideo Cicero *in Topicis*, plurimum in omnibus iſtis judiciis ait eſſe cauſarum uſum: quoniam (ut Boëtius ſcribit) judices ita dantur, non ut ſtrictas inter litigantes ſtipulationes, atque exactam & anguſtam verborum vim, ſed bonam fidem, & quis contrahentium fuerit animus, quaerant, qui niſi ex praecedentibus cauſis deprehendi vix poteſt, *d. l. fidejuſſor* 29. Hic igitur non de apicibus juris, ſed de bona fide diſputatur. Quocirca aſtutiae tollendae ſunt, eaque malitia, quae vult illa quidem videri ſe eſſe prudentiam; ſed abeſt ab ea, diſtatque plurimum. Ex his judiciis quaedam non uno in loco refert M. Cicero, *de natur. Deor.* eaque *de fide mala* appellat, *quod ad vindicandam fidem malam & dolum dentur:* &, *lib.* 3. *Officior. cap.* 14. & 15. formulas de dolo malo Aquilium protuliſſe, & interpretatione legum induxiſſe, ex quibus dolus malus gavit: ad quam ex bono & aequo ſervandam illum perſequimur. Caetera vero judicia, quae ſine illa clauſula *ex bona fide* concipiebantur, ſtricta appellari ſolebant, quod in his datus judex ſtrictam, &, ut ſibi praeſcripta erat, formulam ſequi deberet; nec alia de re, alioque modo ſtatuere aliquid poſſet, quam ut ipſi injunctum erat, etiam ſi bonum & aequum aeſtimaret. Ideoque ſub formula judicare dicebatur; ut Seneca *lib.* 2. *de Clement. cap.* 7. ſcribit: *Clementia* (inquit) *liberum arbitrium habet: nec ſub formula, ſed ex bono & aequo judicat.* Hujus generis eſt mutuum, ſtipulatio, & caetera judicia, quae bonae fidei non connumerantur. Sed dubitant plerique, quam ob rationem ea ſola, quae Juſtinianus numerat, bonae fidei dicantur judicia: cum alia in hominum commerciis non rarius verſentur, & maxime mutuum, quod frequentari adeo ſolet, ut omnibus quodammodo contractibus adeſſe videatur. Verum praecipuam hujus diverſitatis cauſam eſſe aequitatem humanamque ſocietatem, ex Cicerone & Jureconſultis oſtendi. Ac conſociationis, rerumque (ut ita dicam) commutabilium communitatis aequitas (quam Graeci Philoſophi κοινωνίας δίκαιον appellant) in mutui contractum id venire non permittit, quod in caeteris bonum & aequum deſiderat. Haec enim illius eſt natura, ut rerum creditarum ſit in omnem partem aequalitas, nec ultra quicquam aut citra liceat contrahentibus efficere, quam rerum parilitas requirat. Nam dicitur mutuum, quod res, quae accepta eſt, ita reddatur, ut, licet ex debitore proficiſcatur, ſic tamen creditoris fiat, ut eadem omnino videatur, atque cum primum data eſt. Sed & ſtipulatio verborum conceptione concluditur: ut ſi quid, quod ad eam adſtringendam pertinere poſſit, non exprimatur, pro omiſſo habendum ſit, *l. Quicquid* 99. *D. de verb. oblig.* Quod ſi cui noſtrae rationes non ſint ſatis; ei ut ſatisfaciam, Aquilii, de facto conſulti, ad Ciceronem *in Topicis*, ratione utar. Si cui ratio noſtra non placeat, illud ſatis ſit, ita legem ſcriptam eſſe, *l. Proſpexit* 12. §. 1. *D. Qui & a quibus.* & in iis, quae certa ſunt, non magnopere quaerendam rationem, cur ita conſtituta ſunt, ſed a proceribus principi ſuggeri voluit Plato *De legibus:* ſi quae conſtituta eſſent duriora, viderentur & parum e republica. Quod & conſulti, qui in manibus ſunt, ſignificant; atque maxime Neratius, eorum, quae conſtituta ſunt, rationes inquiri non oportere exiſtimans: quoniam alioqui multa ex his, quae certa ſunt, ſubverterentur, *l. Non omnium* 20. *l. Et ideo* 21. *D de leg.* Verum Juſtiniani verba non ita ſtricte accipienda eſſe arbitror, ut recte tantum, quae ab eo referuntur judicia, bonae fidei ſint: nam docte quidam contraria eſſe bonae fidei etiam oſtenderunt. In actionibus enim negotiorum geſtorum ac mandati tam directo, quam contrario ex bona fide agi, Cicero *in topic.* & Cajus *in l. Si quis* 5. §. 1. *D. de obligat. & action.* probant. Sed in actione pigneratitia, quae creditori competit, & contraria dicitur, & commodati quoque contraria, bonae fidei judicium eſſe, Ulpianus, Cajus, Aphricanus & Paulus oſtendunt, *l. Si ſervos* 25. *D. de pign. act. l. in rebus* 18. §. 4. *l. in commodato* 17. §. *ſicut* 3. *l. pen. D. Commodat.*

Digitized by Google

leve damnum ſentirent litigantes, ex eoque humana ſocietas perturbaretur: prudentibus viſum eſt arctis adeo finibus judicis a Praetore in his actionibus dati poteſtatem non includere, ſed ei permittere, ut ex bono & aequo ſecundum cujusque rei, de qua actum eſt, naturam aeſtimet, quomodo cuique ſatisfieri oporteat, ne damno aliquo afficiatur: ut in actione *De eo quod certo loco dari oportet* (quae ſimpliciter arbitraria dicitur, *l. Si duo* 16. §. 1. *D. de conſt. pecun. l.* 1. *&* 2. *D. de eo quod cert. loc.* non, quod magis ſit arbitraria, quam quaedam alia; ſed quia nomen aliud non habet) magna publicae utilitatis ratio verſatur: quia cum alio loco, quam in quem ſibi dari ſtipulatus eſſet, non videbatur ſummo jure, agendi facultatem competere, iniquum erat, ſi promiſſor ad eum locum, in quem daturum ſe promiſiſſet, nunquam accederet (quod vel data opera faceret, vel quia aliis locis neceſſario diſtringeretur) non poſſe ſtipulatorem ad ſuum pervenire: ideo viſum eſt utilem actionem in eam rem comparare, quae utriusque utilitatem continet, tam actoris, quam rei. Eſt igitur arbitraria haec actio, utilis non directa, in quo ab ea, quae bonae fidei eſt, diſtinguitur: ea enim mero jure competit, & directo a Praetore datur, ſed illa ex interpretatione, & ad ſimilitudinem atque exemplum (meo judicio) bonae fidei, utilitatis gratia prodita eſt. Non enim bonae fidei eſſe dicitur, ſed tamen multa habet, quae ex bono & aequo ſunt. Dicitur autem arbitraria, quia ex judicis a Praetore dati arbitrio pendet, id eſt (ut interpretor) quia liberam ex clauſula *ex bona fide* poteſtatem non continet, verum judicis, tanquam boni viri arbitrio, ex aequo & bono tractatur. Eſt vero arbitrium, non (ut poſt Theophilum Placentinus, Duarenus & alii ſcripſerunt) interlocutio quaedam, judicis ſententiam definitivam antecedens, ſed exiſtimatio & ſententia quaedam non definitiva, qua ipſe arbitratur, quomodo actori ſatisfiat. Et ita quidem poteſt ſtatuere non ſemel tantum, verum etiam usque ad litis deciſionem. Quod igitur Juſtinianus dicit arbitrio judicis, idem eſt ac ſi dixiſſet, arbitratu. Sic enim apud Cajum *l. ideo* 3. *D. de eo quod cert. loc.* accipitur: *Ideo* (inquit) *in arbitrium judicis refertur haec actio, quia ſcimus, quam varia ſint precia rerum per ſingulas civitates regionesque, maxime vini, olei, frumenti.* Et judicium quidem ac arbitrium indifferenter accipi conſtat: nam quod Paulus *l. Quia tantundem* 7. *D. de negot. geſt.* officium judicis appellavit, Papinianus *l. Lucius* 24. *D. depoſit.* ad arbitrium retulit. Et Ciceronem *in topicis* judicium, *in Officiis* arbitrium dicere oſtendimus, atque *in oratione pro Roſcio Comoedo* nunc arbitrium pro ſocio, nunc judicium ſcribere obſervavimus. Arbitrariae actionis formam praeclare Ulpianus *l. Item ſi cum* 14. *D. de eo quod met.* exprimit: *Haec actio* (inquit §. 4. loquitur autem de actione quod metus cauſa) *cum arbitraria ſit, habet reus licentiam ab arbitrio dato usque ad ſententiam, reſtitutionem, ſecundum quod ſupra dixerat, rei facere: quod ſi non fecerit, jure meritoque quadrupli condemnationem patietur.* Et §. 5. *Aliquando tamen & ſi metus adhibitus proponatur, arbitrium abſolutionem adfert.* Et poſtea: *eod.* §. *Paedius quoque lib.* 8. *ſcribit, arbitrium judicis in reſtituenda re tale eſſe debere, ut eum quidem, qui vim admiſit, jubeat reſtituere, etiam ſi ad alium vis pervenerit: eum autem, ad quem pervenit, etiam ſi alius metum fecerit.* Sed dubitatur, quomodo noxalis actio arbitraria dici queat: cum ſententia condemnationem noxae deditionis contineat. Quidam Juſtinianum

aut noxae dedere condemnatus, judicati in decem tenetur: facultatem enim noxae dedendae ex lege accipit. Et poſtea: *Judicium ſolius noxae deditionis nullum eſt, ſed pecuniariam condemnationem ſequitur. Et ideo judicati in decem agitur: his enim ſolis condemnatur. Noxae autem deditio in ſolutione eſt, quae a lege tribuitur.* Cum igitur ex utilitatis ratione debeat judex aeſtimare, & ad ſolutionem rerum ſua ſententia condemnet, arbitrari, antequam judicet, poteſt, quomodo actori commode ſatisfieri oporteat.

CAPUT V.

De Actione oneris averſi, & quid ſit averſione vendere aut locare.

UT recte intelligatur, quid ſit oneris averſi actio, videndum eſt, quomodo averſione celebrari contractus dicatur. Sunt enim, qui exiſtiment illam ex hujusmodi contractu dari. Alciatus *lib.* 6. *Parerg. cap.* 28. adverſionem dicit, & rem adverſione vendi locarive ſcribit, quae hac lege & conditione venditur locaturve, ut ab aliquo approbetur, & ſecundum ejus judicium aeſtimetur. Sed quamvis ſuam opinionem Florentini reſponſo confirmare poſſit, *l. Opus* 36. *D. locat.* tamen Paulus in notis ad Labeonem *l. ult. in fin. D. de leg. Rhod.* & Ulpianus *l.* 1. §. *exercitorem* 15. *D. de exercit. action.* diſerte oſtendunt, eam defendi non poſſe interpretationem. Ideoque Antoninus Auguſtinus *libr.* 3. *Emendat. cap.* 6. ex doctiſſimi Jureconſulti Laelii Taurelli ſententia codicis Florentini ſcripturam ſequutus, *averſione* ſcribit, & rem averſione vendi aut locari putat, cum numerus, menſura aut pondus dictum non eſt, aut quid aliud, quod his ſimile ſit. Averſionem vero inde appellari exiſtimat, quod periculum avertat emptor aut conductor a venditore aut domino, idque in ſe recipiat, etiam ſi verbis expreſſum non ſit: in quo Accurſius decipitur. Verum ego vereor, ne non recte ſenſerint. Nam, licet quos pro ſe juris locos adferunt, expreſſos eſſe appareat, & maxime quod ait Paulus, *d. l. ult.* aliud dicendum, *cum averſione navis conducta eſt*; aliud, cum *pro numero impoſitarum amphorarum merces conſtituta eſt*: tamen, ſi quis eum Pauli locum propius inſpexerit, non ita indefinite conductam eſſe navem intelliget, quin duorum milium mercedem deberi conſtet. Sed expreſſius oſtendit Africanus *l. Et haec* 35. *D. locat.* in iis etiam rebus, quae pondere, numero & menſura non conſtant, averſione quoque locationem fieri. Sic enim inquit: *Et haec diſtinctio convenit illi, quae a Servio introducta, & ab omnibus fere approbata eſt: ut ſi averſione inſulam locatam dominus reficiendo, ne ea conductor frui poſſit, effecerit: animadvertatur, neceſſario necne id opus demolitus ſit.* Et hic etiam locus eorum opinionem refellit, qui averſione (ſic enim ſcribunt) factam eſſe alicujus operis locationem exiſtimant, quando univerſitas conſummationis ad conductorem pertinet, quod lingua noſtra dicimus *in blocco*, id eſt, in globo. Jam enim perfectum & abſolutum opus erat, nec ullam ejus tuendi curam ad conductorem pertinuiſſe ait Jureconſultus, ſed dominum ſuam refeciſſe inſulam, atque ita opus, quod locaverat, demolitum fuiſſe, adeo ut illo frui non potuerit conductor. Praeterea conſtat, ſuperioribus juris locis hanc accommodari non poſſe interpretationem. Denique ridiculam docti cujusdam viri ſententiam transeo, qui averſione

Digitized by Google

certe contrahendi quidam ritus in uſu erat: ita opinor, ſolennem quendam averſione vendendi aut locandi modum fuiſſe; quem ita celebrari ſolitum conjicio: Cum res aut vendebatur aut locabatur, emptor vel conductor eam, aliquidve aliud, ipſam repraeſentans, a venditore aut locatore avertebat, & ad ſe advertebat; ita ut omnem tum ejus cauſam in ſe transferret: unde a quibuſdam *averſione*, ab aliis *adverſione* factus ille contractus dicebatur. Et haec quidem interpretatio optime Jureconſultorum ſententiis convenit. Illi enim non de forma contractus ita celebrandi agunt, ſed de vi & natura ipſius, quam ex diverſis ſpeciebus, de quibus conſulebantur, explicant. Sic igitur (meo judicio) rectius de prudentum ſententiis judicatur, quam generales quaſdam definitiones ex uno aut altero loco colligere, & eas ineptis exceptionibus, quae incautos fallunt, limitare.

Supereſt, ut de oneris averſi actione dicamus, quam nonnulli ex contractu adverſione facto naſci exiſtimant; a quibus diſſentio. Nam non alia ex venditione locationeve per adverſionem contracta datur actio, quam quae contractus propria eſt; ut ex locis, ſupra a nobis relatis, conſtat. Deinde hic non opus, ſed onus averſum dicimus. Sed Alphenus *l. in nave 31. D. locat.* diſerte oſtendit, hanc actionem propter averſum & ſubtractum onus competere: *In nave Saupbei*, inquit, *complures frumentum confuderant. Saupbeus uni ex his frumentum reddiderat de communi: eaque navis perierat. Quaeſitum eſt, an caeteri pro ſua parte frumenti cum nauta agere poſſent oneris averſi actione.* Et poſtea: *Et ideo ſe improbare actiones oneris averſi: quia, ſive ejus generis eſſent merces, ut ſi nautae traderentur, continuo ejus fierent, & mercator in creditum iret: non videretur onus eſſe averſum; quippe quod nauta fuiſſet: ſive eadem res, quae tradita eſſet, reddi deberet, furti eſſe actionem locatori: & ideo ſupervacuum eſſe oneris averſi judicium.* Ex his conſtat, furti judicio ſimilem oneris averſi actionem fuiſſe. Nam cum res locata erat, & in navi poſita, ſi eam nauta conductorve averteret, non proprie furtum dici poterat (quia non animo furandi illam contrectabat) ſed ex ſuo tantum loco ſubtrahebat atque auferebat. Ideoque, cum furti dari non poſſet actio, haec oneris averſi prodita eſt. Sed eam ut ſupervacuam rejicit Jureconſultus. Nam, ſi ipſa res ita data eſt, ut nautae continuo fiat, ejusdemque generis alia reddatur, mutuum contrahitur, poteſtque locator rem ſibi debitam condicere. Ideoque onus averſum dici non poteſt, quia rem tantum ſuam, non alienam ex navi abſtulit nauta. Verum ſi reddi eadem debet, & eam conductor ſubtraxit, furti tenetur: ob idque oneris averſi ſupervacua eſt actio, quod fruſtra daretur, cum alia & ea quidem legitima competat, nec illa, niſi ad ſupplendam furti actionis vicem, inducta ſit.

CAPUT VI.

An ſola in jus vocatione interrumpitur uſucapio.

PErmoltos libelli oblationis effectus noſtri interpretes tradiderunt, ſed quos ex Jureconſultorum libris non ſumpſiſſe video: nam quod de uſucapionis interruptione ſcripſerunt, mihi omnino non placet. Sed ut res tota faciliorem progreſſum accipiat, intelligendum eſt, ipſos duo interruptionis genera tra-

pitur poſſeſſio, cum quis de poſſeſſione vi dejicitur, vel alicui res mobilis eripitur, quo caſu non adverſus eum tantum, qui eripuit, interrumpitur poſſeſſio, ſed adverſus omnes, nec eo caſu quicquam intereſt, is, qui uſurpaverit, dominus ſit, necne: ac ne illud quidem intereſt, pro ſuo quisque poſſideat, an ex lucrativa cauſa. Eſt igitur naturalis interruptio, quae rem ipſam, facto, ejusque poſſeſſionem interpellat & intervertit. Civilis autem dici poſſet, quae juris ſubtilitate poſſeſſionem interrumpit, ſed ea veteribus Jureconſultis incognita erat, quia cum poſſeſſionis continuatio uſucapionem perficiat, non poteſt ea interverti, niſi factum aliquod interveniat. Itaque per litis conteſtationem, & multo minus per ſolam in jus vocationem, libellive oblationem, non interrumpitur poſſeſſio, nec acceptum judicium obeſt, quo minus res uſucapiatur. Cajus *lib.* 7. ad edictum provinciale: *Si poſt acceptum judicium* (inquit *l. Si poſt 18. D. de rei vindicat.*) *poſſeſſor uſu hominem ceperit, debet eum tradere, eoque nomine de dolo cavere: periculum eſt enim, ne vel eum pignoraverit, vel manumiſerit.* Et Paulus: *Si rem alienam* (ait *l.* 2. § 21. *D. pro emptore*) *emerim, & cum uſucaperem, eandem rem dominus a me petierit, non interpellari uſucapionem meam litis conteſtatione: ſed ſi litis aeſtimationem ſufferre maluerim, ait Julianus, cauſam poſſeſſionis mutari ei, qui litis aeſtimationem ſuſtulerit. Idemque eſſe, ſi dominus ei, qui rem emiſſet a non domino, donaſſet. Et ea ſententia vera eſt: Litis enim aeſtimatio* (ut inquit Ulpianus *l.* 3. *D. pro emtor.*) *ſimilis eſt emptioni.* Quamvis igitur lis coteſtata ſit, poteſt nihilominus is, qui poſſidet, uſucapere, ſed judicis ſententia illam reſtituere cogetur; ut rectius uſucepiſſe dicatur, quia poſſeſſionem continuavit, atque ita rei dominium acquiſivit, non quia adverſus quemcunque ſecurus eſt. Sed tamen dominus adeo habetur, ut, ſi rem pignori dederit, jus illud hypothecae etiam contra verum dominum, cui reſtituere damnatus eſt, valeat. Satis eſt enim, ut pignoris obligatio utilis ſit, rem eo tempore debitoris fuiſſe, quo ipſam dedit. Ideoque huic incommodo dominus occurrere ſolebat per cautionem de dolo malo, quam a reo poſſeſſore exigebat. Sed etiam talem eſſe actionem oportet, ut ex ea rem ſuam conſequi poſſit dominus: nam ſi ad exhibendum egerit, & res poſt acceptum judicium uſucapta ſit, petitor (ut ſcribit Ulpianus *l. Julianus* 9. §. *proinde* 6. *D. ad exhibend.*) intentionem ſuam perdet. Ab antiquorum igitur Jureconſultorum opinione alienum eſt, quod ſcripſere quidam, nullam omnioo etiam jure veteri poſſeſſionis continuationem fuiſſe, lite ſemel conteſtata: & quod alii tradidere nullo modo interruptam eo jure poſſeſſionem, niſi praeſtita domino agenti cautio fuiſſet: atque Juſtinianum hujus interruptionis primum authorem fuiſſe. Nam primum ex Pauli verbis, jam a nobis relatis, conſtat, impeditam litis conteſtatione non fuiſſe uſucapionem, ſed non ejus interrumpendae, verum, ut jus rei interim non mutaretur, ſolitam praeſtari cautionem. Deinde etiam Conſtantini tempore, qui ante Juſtinianum imperavit, interruptam litis conteſtatione uſucapionem accepi: nam ſic ille, *l. Nemo* 10. *C. de acquir. & retin. poſſeſſ.* ad Maternum reſcribit: *Nemo ambigit poſſeſſionis duplicem eſſe rationem, aliam, quae jure* (id eſt, ut interpretor, ſolo titulo & ut ajunt philoſophi, habitu, non, ut quidam intelligunt, jure civili aut animo) *conſiſtit; aliam, quae corpore* (id eſt, corporali detentione)

Digitized by Google

bitet: id eſt, qui incertus ſit, an jus facultatem & titulum poſſidendi habeat. Quare accepto judicio, ejus, qui uſucapere coepit, poſſeſſionem minus legitimam effici, atque ita uſucapionem interrumpi conſtat. Fatetur vulgus interpretum, litis conteſtatione rerum mobilium uſucapionem interrumpi non poſſe, ſed immobilium; eaque diſtinctione Jureconſultis Juſtinianum conciliat. Satis autem apparet ex his, quae diximus, inter res mobiles & immobiles nullam prudentes conſtituiſſe differentiam. Quod autem noſtrum Juſtinianum antiquas Juris authorum ſententias correxiſſe plerique exiſtimant, mihi omnino placere nunquam potuit. Nam conſtitutiones, quas ad confirmandam ſuam opinionem adferunt, poſt ſecundam Codicis editionem, Lampadio ſcilicet & Oreſte Conſſ. aut eorum poſt conſulatum emiſſae non ſunt, ut ex ſubſcriptionibus conſtat, ſed ante Pandectarum compoſitionem, ideoque his non derogant. Praeterea una conſtitutio *l. 2. & ult. C. de annal. except. Ital. cont. tol.* eo tantum reſpicit: *Ut nemini abſentia, vel potentia, vel infantia penitus adverſarii ſui noceat, ſed ſi is adfuerit, qui res alienas vel creditori obnoxias detinet, & deſiderat dominus rei vel creditor ſuam intentionem proponere, & non licentia ſit abſente ſuo adverſario, qui rem detinet, vel infantia, vel furore laborante, & neminem tutorem vel curatorem habente, vel in magna poteſtate conſtituto, ſua authoritate eas res uſurpare: licentia ei detur adire Praeſidem provinciae, vel libellum ei porrigere, & hoc in querimoniam deducere intra ſtatuta tempora, & interruptionem temporis facere, & ſufficere hoc ad pleniſſimam interruptionem:* id eſt, eam, quae naturali apprehenſione fit, ita ut facto ipſo quis e poſſeſſione ejiciatur. Sic enim pleniſſimam interruptionem interpretor: & illam, quae ad ejus exemplum fieri a Juſtiniano dicitur, non proprie interruptionem vocari poſſe arbitror, ſed tanquam ſi eundem effectum haberet, ſufficere, ut interpellari & interverti uſucapio poſſit. Et certe veteres Jurisperiti rationem excogitaverant, qua ei ſubveniretur, qui rem ſuam (quam interim poſſeſſor reipublicae cauſa abſens retinuerat animo usque ad ſtatutum tempus, & ideo uſuceperat) vindicare non poterat. Nam illi permiſerant, ut intra annum reſciſſa uſucapione rem ſuam peteret, *l. Item 4. l. ergo 22. l. ab hoſtibus 15. D. ex quib. cauſ. maj.* id eſt, ita peteret (ſicuti a Juſtiniano ſcribitur *§. rurſus 5. Inſtit. de act.*) ut diceret, poſſeſſorem uſu non cepiſſe, & ob id ſuam rem eſſe. Non video igitur, in quo jus antiquum ea conſtitutione corrigatur. Altera (quae eſt *ultima tit. C. de annali exceptione Italici contractus tollenda, & de diverſis temporibus & exceptionibus, & praeſcriptionibus, & interruptionibus earum*) id praeſertim ſtatuit, ut, quamvis generaliter nullius cauſae mentionem habeat libellus, vel unius quidem ſpecialiter tantummodo, aut perſonales actiones, vel hypothecarias contineat, nihilominus videatur is, qui agit, jus ſuum omne in judicium deduxiſſe, & eſſe interrupta temporum curricula: cum contra deſides homines, & ſui juris contemptores odioſe exceptiones oppoſitae ſint: ſed de rei vendicatione, qua rem ab alio poſſeſſam actor petit, nullam in ea conſtitutione verbum legitur, nec quicquam eſt, quod antiquum jus emendet. Nam dicitur quidem temporis curſum interrumpi, ſed non ita tamen, ut ſi actor non obtinuerit, continuata poſſeſſoris non dicatur uſucapio, quae ad ſtatutum usque tempus progreſſa eſt. Itaque ſic interpretari haec Juſtiniani reſcripta oportet, ut ad ea, tanquam poſteriora gravioraque Jureconſultorum reſponſa,

De actionum concurſu.

Magnos de actionum (ut ajunt) cumulatione commentarios ſcripſerunt ſcholaſtici Doctores, atque pro regula tradiderunt, diverſas quemque actiones eodem ac uno libello complecti poſſe. Verum illi, Jureconſultos enarraturi, veterem Romanae civitatis morem ignorare non debebant. Turpe enim eſt, aliquem velle eum interpretari, quem non intelligit. Et quidem magiſtratum, qui actionem dabat, plures una formula concepiſſe actiones, nullus unquam legit. Nam cuique actioni ſua (ut diximus) ſolennis formandi judicii figura erat. Ideoque plures Jurisperiti de actionum formulis libros (uti a Pomponio *l. 2. D. de orig. jur.* & Cicerone *de leg.* refertur) ſcripſerunt. Sed (ut rationes, quibus ad firmandam ſuam ſententiam abutuntur interpretes, contra ipſos retorqueam) quare Jurisconſulti, eum, cui ex diverſis obligationibus aliquid debetur, poſſe nunc unam, nunc alteram actionem intendere, non autem eas ſimul, dicunt? nam ab initio ipſas conſiſtere obligationes ajunt, ut, altera in judicium deducta, altera nihilominus remaneat: & ſi ex una obtinuerit actor, ad alteram venire non poſſit, *l. Si pluribus 33. l. hujusmodi 84. §. qui ſervum 5. D. de legat. 1. l. Si is qui 18. D. de obligat. & action cum aliis ſim.* Verum quidem eſt, eum, qui ex pluribus cauſis aliquem obligatum habebat, cum eo pluribus actionibus experiri potuiſſe, ſed illas dari ſingulatim ſolitas fuiſſe, teſtatur Cajus, *l. ſi idem 11. D. de jurisd.* Conſtat enim, omnes omnino actiones, ex contractu deſcendentes, Praetorem vel ſecundum jus civile, vel ex ſuo edicto dediſſe. Certa vero actionum erant nomina, ipſorum contractuum appellationem retinentia. Quod ſi quae obligationes ex facto tantum contracto penderent, nec proprium & a caeteris diſtinctum contractus nomen referrent, praeſcriptis in factum verbis judicium formabat Praetor. Unde conſtat, hanc praeſcriptis verbis actionem non magis cum reliquis concurrere, quam ipſas inter ſe. Sunt tamen, qui exiſtiment, eam non ſolum cum aliis, quae ex conventione veniunt, coire, ſed etiam cum ea, quae de dolo eſt. Verum ego alias hanc defendi non poſſe ſententiam probavi; ſed ut clarius, quam ea falſa ſit, intelligatur, videndum eſt, quae ſit illius actionis natura. Papinianus *libr. 8. quaeſtionum: Nonnunquam evenit* (inquit *l. 1. D. de praeſcript. verb.*) *ut ceſſantibus judiciis proditis, & vulgaribus actionibus, cum proprium nomen invenire non poſſumus, facile deſcendamus ad eas, quae in factum appellantur. Nam cum deficiunt* (ut ait Celſus *l. 2. D. eod. tit.*) *vulgaria atque uſitata actionum nomina, praeſcriptis verbis agendum eſt.* Ad quam actionem (ſubjicit Julianus *l. 3. D. eod.*) *neceſſe eſt confugere, quoties contractus exiſtunt, quorum appellationes nullae jure civili proditae ſunt*, id eſt, cum certae ac ſolennes actionum formulae (quas more civitatis Romanae obſervari ſolitas ſcribunt Jureconſulti, & teſtatur Cicero, *In oration. pro Quintio & pro Roſcio Com.*) deficiunt, quia plura ſunt negotia, quam quae certis conceptionibus comprehendi poſſint omnia: praeſcriptis in id, quod factum eſt, verbis actiones dantur, quas inde ſubſidiarias eſſe conſequitur; non eo, quod alio jure, quam civili proditae ſint (hoc enim falſum oſtendit Papinianus, cum eas civiles appellat, & Ulpianus etiam noſter, *l. Juris gentium 7. D. de pact.* ut alio loco dixi) ſed quod in ſolennium & vulgarium actionum ſubſidium ex jure civili dentur: ut non inepte agentium refugia dici

pos-

gis doli actio cum hac præſcriptis verbis concurrit (ut etiam probavi) quia JConſultis odioſa viſa eſt adeo, ut ſi alia ex actione ſuum quis conſequi poſſit, hæc dari nequeat, *L. 1. D. de dol.* Verum objiciet quis, nunquam actioni de dolo locum fore, ſi edicti Praetoris verba generaliter intelligantur, & ad innominatas quoque actiones referantur. Equidem ex ipſo edicto & ejus interpretatione collegi, non ſolvum civiles, tam directas quam utiles, verum etiam praetorias & directas & utiles actiones (quamvis diſſentiant plerique) de dolo actionem excludere, niſi ex alia vindicari dolus non poſſit; ut in duabus a Paulo & Ulpiano explicatis ſpeciebus, *l. naturalis 5. §. 2. verſ. Sed ſi dedi. & l. Solent. 15. D. de praeſcript. verb.* in quibus dolus arguebatur, conſtat.

CAPUT VIII.

De in litem jurando.

IN litem, id eſt, in rem, de qua controverſia eſt, juramentum adverſus eum defertur, qui judicis praecepto non paret, aut dolo malo bonam fidem rumpit; eo videlicet, ut domini arbitrio, rei pretium ex locorum & temporis diverſitate mutationi obnoxium ſtatuatur, *l. Tutor. 8. D. de in lit. jur.* Is igitur, cui juramentum defertur, rem ex ſuo affectu & arbitrio aeſtimat: quamvis, nulla affectione utilitatem rei excedente, quantum vere ſibi ſua re carere interſit, nonnunquam juret. Et illud quidem jusjurandum propter non reſtituentis, vel non exhibentis dolum aut contumaciam defertur. Unde conſtat etiam, ſi dolus ante acceptum judicium in reſtituendo vel exhibendo admiſſus fuerit, propter eum in litem non jurari, ſed ita demum, ſi poſt ſuſceptam cauſam fecerit dolo malo poſſeſſor, ut reſtituere vel exhibere nequeat, aut ſi judicis arbitrio contumaciter reluctatus fuerit, eum reſtituere poſſit; ut multis ex juris locis apparet, *l. Item ſi cum 14. D. de eo quod met. l. Arbitrio 18. D. de dol.* Quamobrem in omnibus judiciis, tum bonae fidei, tum ſtrictis arbitrariisve, quae ejusmodi juramentum admittunt, tanti res habebuntur, quanti eas aeſtimaverit actor, jurejurando ei in hoc per judicem delato. Verum ſi nulla taxatione circumſcriptum ſit actoris juramentum, in infinitum jurare poteſt: ideoque judex, qui vel non deferendi jurisjurandi poteſtatem habet, certam praefinire ſummam, ad quam usque juretur, atque (ut Paulus ait) taxatione jusjurandum refrenare valet: adeo ut ne ultra taxationem, a judice factam, actori jurare liceat, *l. Si quando 9. C. unde vi.* Ut autem juramentum deferatur, dolum atque contumaciam concurrere non eſt neceſſe: in arbitrariis enim judiciis, una puniendae contumaciae ratio ſufficit, *d. l. Arbitrio 18. D. de dol. l. penultim. D. de in lit. jur.* quae in bonae fidei judiciis locum non habet. In his enim ob ſolum dolum juratur (cum ſcilicet reus ante condemnationem dolo deſiit poſſidere, *l. Qui reſtituere 68. D. de rei vindicat.*) non autem ob contumaciam in non parendo arbitrio, quod in his non datur: alioqui bonae fidei actio arbitraria eſſet. Quare Paulus hic ſub alternatione ſcripſit, *l. 2.* & *l. in actionibus 5. D. de in lit. jur.* Praecipua vero, deferendi in litem jurisjurandi cauſa, aeſtimationis per judicem faciendae difficultas videtur, quae in pecunia locum non habet; quippe cujus certa ac ſtatuta ſit

CAPUT IX.

Ad l. quod Nerva 32. D. depoſiti.

CUlpae nomen latiſſime patet: quicquid enim doloſe & malitioſe peccatur, comprehendit. Verum qui diſtincte loqui volunt, dolum ſceleri; culpam vero imprudentiae tribuunt: ut ad illud Terentii in *Hecyra Act. 2. Sc. 1 verſ. 31. Non mea opera, neque pol culpa evenit*, explicat Donatus Ideoque culpa, quamlibet magna, non a doloſa peccandi voluntate, ſed a ſtulta ignorantia & negligentia proficiſcitur, *l. In lege 7. D. ad l. Corn. de Sicar.* ut in culpam incidiſſe dicatur is, qui imprudentia negligentiave id agit, quod facere eum minime oportet, vel omittit, quod fieri ab eo decet. Media eſt igitur inter dolum & caſum culpa, utriusque particeps, vel potius expers. Sicut autem ejus, qui imperitia errat, lapſus, nunc minus dolo malitiave caret, cum nullo excuſationis colore ſatis defendi poſſit, adeo foede, turpiter, ac ſupine fallitur, nunc aſtu, non tamen culpa vacat (ut cum omnem minime excuſationem meretur) ideoque ad caſum inclinat, vel certe a dolo longius abeſt. Ita & culpa varia eſt, multiplex, & tanquam diverſis gradibus diſtincta. Quo enim dolo & nequitiae proximior, eo eſt latior: habetur autem eo levior, quo remotior eſt, non modo a ſcelere, ſed a ſceleris ſuſpicione. Enimvero ea, quae ad dolum accedit, lata; quae fraude omnino caret, leviſſima; quae media eſt, levis dicitur. Eſt autem lata culpa, magna & diſſoluta negligentia, quae dolo proxima, dolum (ut inquit Ulpianus) repraeſentat, *l. 1. §. Non autem 14. D. Si quis teſtam. liber eſſe. l. Quaeſitum 8. §. Eum quoque 3. D. de precar.* Itaque & dolus & dolo comparari, *l. 1. §. fin. D. Si menſor falſum mod. dix. l. Magna negligentia 226. D. de verb. ſignific.* nunc in doli crimen cadere, *l. 1. §. Is quoque 5. D. de oblig. & act.* nunc prope fraudem accedere dicitur, *l. Impuberibus 7. §. 1. D. de ſuſpect. tut.* Eaque a Jureconſultis latior nonnunquam appellatur, cujus exemplum in hoc reſponſo proponit Celſus: *Quod Nerva diceret* (inquit) *latiorem culpam dolum eſſe, Proculo diſplicebat, mihi veriſſimum videtur. Nam & ſi quis non ad eum modum, quem hominum natura deſiderat, diligens eſt: niſi tamen ad ſuum modum curam in depoſito praeſtet, fraude non caret.* Quae Jureconſulti verba eo non pertinent, ut latiorem culpam dolum eſſe (inter utrunque enim multum intereſt) ſed in hac quaeſtione, doli appellatione latiorem culpam contineri intelligamus; ut ea non minus, quam dolus ipſe praeſtetur. Recte igitur Paulus latae culpae finem eſſe ſcribit, non intelligere id, quod omnes intelligunt, *l. Latae culpae 223. D. de verb. ſignific.* Eſt enim haec culpa, craſſa & ſuſpina ignavi hominis ſecuritas ac deſidia, adeo ut quaeſita videatur negligentia, & malitiae conjuncta, *l. 3. l. nec ſupina 6. l. regula 9. §. ſi filiusfam. 1. D. de jur. & fact. ignor.* Sic inexcuſabilem hanc culpam appellant Jureconſulti. Non ſunt ergo latae culpae gradus, ſed una tantum eademque ſpecies: quae ſcilicet dolo, fraudi, & nequitiae proxima eſt. In levem incidit culpam is, qui nulla fraude inſtructus, in rebus agendis minime ad eum modum, quem hominum natura deſiderat, diligens eſt, licet in rebus ſuis majorem non praeſtet curam. Itaque Ulpianus levem culpam & rebus ſuis conſuetam negligen-

Digitized by Google

excuſationem; caſus vero fortuiti, quibus reſiſti non poteſt, nullo ab homine praevideri conſilio queunt, *l. Quae fortaitis 6. C. de pign. act. l. 1. D. de oblig. & act.* Sciendum autem eſt, culpae gradus certis doctrinae praeceptis diſtingui, & tanquam cujusque culpae vim & magnitudinem metiri difficillimum eſſe; verum judicis ingenio & prudentiae relinquendum, ut ipſe, exemplis a prudentibus explicatis inſtructus, quandam ſimilium rationem animo concipiat ſuo, quam in aeſtimando ſequatur.

CAPUT X.

De Mora.

Mirari ſatis non poſſum, quid ſit, quod interpretes omnia, quae ad jurisprudentiam pertinent, exacta Dialecticorum ratione metiantur, atque barbaros Sophiſtas imitari, quam Jureconſultos, malint. Equidem multa eſſe a majoribus didici, quae neque conſtitutione ulla, neque juris authorum interpretatione dedici poſſint. Ideoque ea judicis religioni & ſapientiae relinquantur, qui, cognita cauſa, & perpenſo judicio, factum aeſtimabit. *Eſt enim facti quaeſtio* (inquit Papinianus) *in arbitrio judicantis*, *l. 1. D. ad SCtum Turpill.* Quare an quis in moram inciderit, neque ex prudentum reſponſis, neque ex principum placitis definiri poteſt, *l. Mora fieri 32. D. de uſur.* Verum ſi quid ſit mora, breviter explicari poſſit, ea mihi eſſe videtur injuſta dandi faciendive, quod dari fieri oportet, dilatio, *l. Mora 32. l. Sciendum 21. l. ſi quis ſolutioni 24. D. de uſur. l. Quod te 5. D. Si cert. petat.* Eſt autem injuſta dilatio, cum per creditorem debitoremve ſteterit, quo minus id, quod promiſſum eſt, praeſtaretur.

Nam utrinque mora naſci poteſt, *l. illud 17. D. de peric. & commod. rei vend. l. hominem certum 37. in fin. D. Mandat. l. ſi mora 9. D. ſol. mat. l. Qui decem 72. §. 1. D. de ſolut.* Debitor vero in moram incidit (ejus enim dilatio mora ſaepius dicitur) ſi id, quod dare facereve poterat debebatque interpellatus, aut alioqui ſciens ſe dare facere oportere (quod quibusdam de cauſis vel ſine denunciatione contingit, *l. Item veniunt 20. §. petitum. 11. D. de petit. haer.*) minus praeſtiterit, *d. l. Quod te 5. D. ſi cert. pet. l. ſi in Aſia 12. D. depoſit. aliisque vul.* vel certe dolo, *d. l. Quod teſt. 5.* culpave ei proxima, *l. Mulier 22. §. Sed enim 3. D. ad SCtum Trebell.* fecerit, quo minus praeſtaret. Par eſt enim habere, vel dolo deſiiſſe poſſidere, *l. parem 150. D. de reg. jur.* Non is igitur morari videtur, qui debitum praeſtare non poteſt, *l. 2. D. Si quis caut. l. 3. §. ſi per venditorem 3. & §. 4. verſ. mora autem a ſenſu contrario. D. de act. empt.*

Fit autem mora vel ex re, vel ex perſona. Ex re quidem, cum re ipſa ſine ulla denunciatione contrahitur, ut fur raptorve contrectando ac retinendo rem alienam non poteſt non eſſe in mora, & reſtituendi dilatione, *l. In re furtiva 8. l. ultim. D. de cond. furt.* Is etiam, qui debitum ſervum occiderit, vel dolo perdiderit, in moram ipſo facto incidit, *l. Si ex legati cauſa 23. l. Mora 88. in fin. D. de verb. obligat.* Jure quoque ſingulari propter libertatem fideicommiſſariam, *l. Cum vero 26. §. apparet 4. D. de fideicom. lib.* atque minorum cauſam, *l. 3. §. 1. D. de adimend. legat. l. in minorum 3. C. In quib. cauſ. in integr.* re ipſa moram fieri reſponſum eſt. Ex perſona dilatio fit, ſi quis interpellatus differat & producat Jureconſulti eum debere ſtatim ſolvere, cum aliquo temperamento temporis intelligendum eſſe reſpondent, *l. ratam. 13. l. Quod dicimus 105. D. de ſolut.* Quamobrem creditor opportuno loco & tempore (quod apud judicem examinabitur) debitorem interpellet neceſſe eſt. Quod ſi ſemel, cum illi denunciaverit, repetendi debiti inſtantiam omittat, id eſt, non perſequatur, ſed ſtatim ab interpellatione deſiſtat: is velle debitorem in mora conſtituere non videtur, verum potius dilationem illi producere. Itaque reſponſum eſt, non aliter interpellati moram argui, quam ſi ſemel atque iterum, hoc eſt, ſaepius ei denunciatum ſit; quod aliud nihil eſt, quam repetendo debito inſtare, *l. Mora 32. D. de uſur. l. ſi convenerit 18. D. de pignorat. act. l. Aemylius Largianus 38. D. de minorib. l. ſi ex mandato Titii 59. §. ille illi 5. D. mandat. l. qui Romae 122. §. Cohaeredes 3. D. de verb. obligat.* Unde moram eleganter Jureconſulti fruſtrationem appellant, *l. hominem certum 37. in fin. D. Mandat. l. 3. in fin. D. de uſur.* quae non ex ſola denunciatione, ſed ejus, a quo petitur, contumacia & dilatione oritur. Haec ſi intellexiſſent illi, qui duplicem interpellationem ad aliquem in mora conſtituendum requirunt, ſuos novos & ineptos intellectus mutaſſent. Unam enim tantum interpellationem deſiderant prudentes, modo ei inſiſtatur. Sed permultos dubitaſſe non ignoro, an is, qui ad diem certam obligatus eſt, ſolo diei lapſu in moram incidat. Equidem non memini, hanc a juris authoribus expreſſe quaeſtionem tractari. Tantum enim ſolo diei lapſu committi poenae ſtipulationem, eamque peti poſſe, etiam ſi debitor omnino interpellatus non fuerit, ſcripſerunt, *l. Ad diem 77. D. de verbor. obligat. l. Magnam 12. C. de contr. & comm. ſtipul.* Nam poenae obligatio ex conventione potius, quam ex mora pendet: contrahentes enim eo reſpexiſſe videntur, ut, ſine ulla interpellatione, ſi intra praeſtitutum tempus res promiſſa non praeſtaretur, poena committeretur. Hinc dicitur diem pro homine interpellare.

Neque Africanus neceſſariam eſſe interpellationem probat, *l. Trajectitiae 23. D. de obligat. & act.* nam *de illo dubitari poſſe* ait, *ſi interpellatus moram fecerit, an quamvis pecuniam poſtea offerat, poena nihilominus committatur.* Sed, cum in reſponſi capite egerit de vi poenalis ſtipulationis, ad diem conceptae, eamque ſine ulla interpellatione committi dixerit; ejus aliam vim ſubjicit, quae ex mora interpellatione facta naſcitur, poenam ſcilicet nihilominus committi, quamvis pecunia poſt moram oblata ſit, atque ita moram ipſam oblatione non purgari. Ex eo igitur reſponſo colligi non poteſt, moram non niſi interpellatione fieri, etiam ſi obligatio diem habeat. Quare ita diſtinguendum arbitror, ut ad diem certam obligatus, ſolo ejus lapſu in mora conſtituatur, qua ſtipulationem reſpicit, id eſt, ratione conventionis, non qua aſſumptam & ex ſolius interpellationis effectu venientem cauſam tangit. Non poteſt enim debitor non eſſe in mora, qui, elapſo tempore, quod daturum facturum ſe promiſit, conventis minime ſtat. Ut autem mora interpellationis aliquem effectum conſequatur, debitorem interpellandum ſentio. Ex conſenſu enim magis, quam ex mora deberi poenam diximus. Sed dies promiſſoris favore adjicitur, *l. Quod in diem 70. D. de ſolut. §. Omnis 2. Inſt. de verb. obligat. l. Cum tempus 17. D. de regul. jur.* quam alioqui in ejus odium converti oporteret contra juris rationem, *l. Quod favore. 6. C. de legib.*

CA-

Digitized by Google

Atque ita ipſe artificioſa ac prope divina ratione jus noſtrum enarrare ſolet; ut ex perdocto ejus ad *titulum de pactis commentario* conſtat. Quem in aliis imitari conatus ſum; ſed nullus certe eſt, qui ad eruditionem promptamque ejus docendi facultatem accedere poſſit: ut excuſandus ſim, ſi ipſum quam proxime ſequi nequeam. Itaque (ut eo, unde egreſſa eſt, noſtra revertatur oratio) hunc *de contrahenda emptione & venditione* titulum brevi epitome complecti ſtudeo. Is autem praecipuos quatuor locos habet: quorum Unus his capitibus explicatur: quam antiqua hujus contractus origo; quid differat a permutatione; quo jure introductus ſit. Alter locus in his totus eſt: inter quas perſonas ineatur; quibus modis; utrum pure, ſub conditione in diem, utrum in contrahentis vel alterius arbitrium conferri poſſit; quae ſunt de ſubſtantia hujus contractus; an precium, res, quae vaenit, & conſenſus. Tertius locus generalis eſt de pactis conventis inter emptorem & venditorem. Quartus locus eſt, quae res vaenire nequeant; quae perſonae emere aut vendere non poſſint; & utrum ſpes emi poſſit.

Atque (ut a primo loco incipiam) emptionis origo antiquiſſima eſt, ſed tamen conſuetudine quadam ab omnibus peraeque gentibus obſervari coepit, cum antiquior propiorque juri naturae eſſet permutatio. Nam veteres, nummi uſum ignorantes, ut mutuas neceſſitates juvarent, dandis accipiendisque viciſſim iis, quae ad ipſorum utilitatem pertinebant, mutuo negotiari & rerum permutatione commercari ſolebant. Ideoque Joſippus in prima mundi aetate, poſt juris gentium contractus, nummi uſum memorat: ut probabile ſit de permutatione, depoſito, commodato & aliis contractibus, qui nummo antiquiores fuerunt, eum loqui. Contractuum igitur omnium initia a permutatione profecta ſunt, nec ullus eſt contractus, qui non permutationis nomine contineatur: ſed cuique poſtea ſua nomina data ſunt. Et emptio ſolum dicta eſt, cui nummus accederet. Verum inter omnes contractus, ad permutationem propius venit emptio: ita ut utriusque promiſcua ſit ſignificatio, quemadmodum apud Graecos, uti ex verſibus Homericis, quos noſter Paulus refert, conſtat. Nunc autem diſtincta eſt a permutatione emptio: nam in emptione pro re pretium datur; in permutatione res pro re, vel pretium pro pretio; ut eleganter Paulus ſcribit, *l.* 1. *D. de contr. empt. l.* 1. *D. de permut.* Pridem enim placuit emptionem rebus fieri non poſſe. Quamvis vero introductus ſit jure gentium hic contractus: poſtea tamen legibus, plebiſcitis, Senatusconſultis, edictis & prudentum interpretatione confirmatus eſt. Nam primum Romanis, aut iis certe, ex quibus eos deſcendiſſe quidam ſcripſerunt, ſub Saturno emptionis uſus cognitus eſt, qui primus nummum aereum percuſſit: quod teſtatur Ovidius *Lib.* 1. *Faſtor. vſ.* 239.

At bona poſteritas (inquit) *puppim formavit in aere,*
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Sed multis poſt annis aedilitium edictum propoſitum eſt, & formulam de dolo malo in emptione Aquilius Gallus prodidit; ut praeclare Cicero noſter tractat *Lib.* 3. *Officior. cap.* 15.

Alter locus e ſuperiori pendet. Cum enim jure gentium introducta ſit, ea conſenſu perficitur, nec verba nec ſcriptura ulla requiritur. Ideoque & inter

perfecta eſt. Et poſtea: *Nam cum in corpore diſſentiamus, apparet, nullam eſſe emptionem. Plane ſi in nomine diſſentiamus, verum de corpore conſtet: nulla dubitatio eſt, quin valeat emptio & venditio. Nihil enim facit error nominis, cum de corpore conſtat. Inde quaeritur, ſi in corpore non erretur, ſed in ſubſtantia error ſit: ut puta, ſi acetum pro vino vaeneat, aut aes pro auro, vel plumbum pro argento, vel quid argento ſimile: an emptio & venditio ſit. Marcellus ſcripſit lib.* 7. *Digeſtorum, emptionem eſſe & venditionem: quia in corpus conſenſum eſt, etſi in materia ſit erratum. Ego in vino quidem conſentio, quia eadem prope οὐσία eſt, ſi modo vinum acuit. Caeterum ſi vinum non acuit, ſed ab initio acetum fuit, ut embamma, aliud pro alio vaeniſſe videtur: in caeteris autem nullam eſſe venditionem puto, quoties in materia erratur.* Haec Ulpianus. Verum ſi hujusmodi ſit materia, ut ipſa quidem pure talis non ſit, qualem emptor putabat, ſed alterius materiae admixtum aliquid habeat, ut ſi inauratum pro auro vaeneat: idem Ulpianus *l.* 14. venditionem valere ſcribit. Quod ita intelligendum eſt, niſi materia, diverſa re tantum cooperta pro ſolida vaeneat. Cum enim mens contrahentium ea fuerit, non ut talis, qualis erat, ſed qualis exiſtimabatur, res venderetur, non poteſt contra eorum voluntatem & conſenſum valere emptio, *l.* 41. §. *fin.* Sed etiam, cum valet erronea emptio, ex ea nihilominus ad praeſtandum, quod vere venditum eſt, emptori agere licet, *l.* 45. In venditionis quoque ſubſtantia pretium conſiſtit, ut ſine eo non poſſit illa perfici, *l.* 2. ſatis autem eſt, ut *quacunque ratione venditori de pretio ſatisfactum ſit (veluti expromiſſore, aut pignore dato) id enim perinde habetur, ac ſi pretium ſolutum eſſet, l.* 53. Debet vero certum eſſe pretium, ut res certa: ſiquidem *nec emptio, nec venditio, ſine re, quae vaeneat, poteſt intelligi, l.* 8. Nam in incertis nullus eſſe conſenſus videtur. Aliquando tamen & ſine re venditio intelligitur; veluti cum quaſi alea emitur: quod fit, cum captus piſcium, vel avium, vel miſſilium emitur. Quamvis autem & res & pretium ſint ex venditionis natura; ipſe tamen contractus ſola conventione perficitur. *Non enim pretii numeratio, ſed conventio perficit ſine ſcriptis habitam emptionem, l.* 2. in iis vero, quae pondere, numero, menſura conſtant, etiam ſi de pretio convenerit, non tamen aliter videtur perfecta venditio, quam admenſa, appenſa, adnumerata ſint: idque quod ad periculum attinet, *l.* 35. & *l.* 1. *D. de peric. & commodo rei vind.* Sed haec quamvis ſervata ſint omnia, cavendum eſt nihilominus, ne in contrahentis arbitrium conferatur emptio. Imperfectum enim illud eſſe negotium conſtat, quod eſt in alicujus voluntate, an ſcilicet obſtringi velit, *l.* 7. & 35. Immo ſi contractus ſub conditione factus ſit, ejus vis ſuſpenditur: adeo ut, ſi conditio defecerit, nullus reddatur. Verum adjectum boni viri arbitrium pro conditione habetur. Et, ea exiſtente, utilis fit contractus, *l.* 37. *l.* 7. Caeterum hoc modo & lege iniri debet contractus, ut nulla ſit obſcuritas vel ambiguitas.

Sed haec quaeſtio ad tertium locum magis pertinet: is autem eſt de pactis conventis, quae certae leges & conditiones a Jurecconſultis appellantur. Verum, quia de iis alio loco diximus, ſatis erit, nunc explicare quoddam Papiniani reſponſum: *Pacta conventa* (inquit, *l.* 72.) *quae poſtea* (id eſt, ex intervallo &

ejus vim augendam) *veluti ne cautio duplae praeſtetur, aut, ut cum fidejuſſore cautio duplae praeſtetur. Sed quo caſu agente emptore non valet pactum: idem vires habebit jure exceptionis agente venditore.* Non quidem omnino idem, quaſi unum ſit, & eadem de re factum, ſed ejuſdem naturae; quia etiam nudum eſt. Quod ſi pactum de iis interponatur, ex quibus emptionis ſubſtantia conſiſtit, ut de augendo vel minuendo pretio, an idem dici poſſit, quaerit Papinianus. Et *Paulus notat: Si omnibus integris manentibus, de augendo vel diminuendo pretio rurſum convenit, receſſum a priore contractu, & nova emptio interceſſiſſe videtur.* His explicatis ad eam veniamus quaeſtionem, quam attigimus. *Labeo ſcribit* (ut refert Paulus *l.* 21.) *obſcuritatem pacti nocere potius debere venditori, qui id dixerit, quam emtore, quia potuit re integra apertius dicere.* Quod etiam Papinianus lib. 5. Quaeſtionum confirmat: *Veteribus* (inquit *l.* 39. *D. de pact.*) *placet pactionem obſcuram vel ambiguam venditori, & ei, qui locavit, nocere, in quorum fuit poteſtate legem apertius dicere.* Sed idem Paulus contrarium ſibi Labeonem alio loco *l.* 34. refert: ait enim exiſtimaſſe eum, *ſi in emptione fundi dictum ſit, accedere Stichum ſervum, neque intelligatur quis ex pluribus accedere debeat: cum de alio emptor, de alio venditor ſenſerit, Stichum illum deberi, quem venditor intellexerit.* Verum ita ipſos conciliare JConſultos poſſumus, ut, ſi nulla conjectura appareat, quid actum ſit, lexque ipſa contractus obſcura vel ambigua ſit, adeo ut vix intelligi poſſit, quid inter contrahentes convenerit, ſecundum emptorem aut conductorem interpretari pactum debeamus; quia venditor & locator legem apertius dicere poterant, ipſique magis lucrum facere videntur, quod plerunque, quae ſibi ſuperflua ſunt, vendant locentve; contra vero, quae neceſſaria ſunt, emantur vel conducantur. Quod ſi lex contractus clara ſit & aperta, & de mentis contrahentium interpretatione agatur, favendum eſt venditori locatorique, tanquam reis potius, quam emptori & conductori, qui majorem ex contractu utilitatem quaerunt. Sunt etiam pacta, quae venditioni inſeruntur, ut certam ei legem dent, veluti lex commiſſoria, & in diem addictio. Nihil enim aliud eſt lex commiſſoria, quam pactio, quae in venditionibus adjicitur hujuſmodi, ſi dicta pretium die non ſolvatur, res ſit inempta, *l.* 2. *& al. D. de lege commiſſ.* Dicitur autem commiſſoria, quod ipſo jure & ex contractus natura committatur conditio, & res ſit inempta, *l.* 4. *D. eod. tit.* Et ipſa quidem emptio pura & perfecta eſt, verum ſub conditione reſolvitur, *l.* 1. *D. eod. tit.* Unde ſcholaſtici Doctores inepte *pactum legis commiſſoriae* dicunt, cum lex idem ſignificet atque pactum ſeu conditio. Caeterum in diem addictio ita ſit: *ille fundus centum eſto tibi emptus, niſi quis intra calendas Januarias proximas meliorem conditionem fecerit, quo res a domino abeat: ſed emptio ita contracta, pura eſt, ſi hoc actum ſit, ut meliore allata conditione, diſcedatur ab emptione, verum ſub conditione reſolvetur, l.* 1. *&* 2. *D. de in diem addict.* Sin autem hoc actum ſit, ut perficiatur emptio, niſi melior conditio afferatur, erit emptio conditionalis. Addictio autem dicitur ad auctionis, quae fit haſta, in foro poſita, ſimilitudinem. Res enim emptori addicitur, cum nullus acceſſerit, qui meliorem attulerit conditionem. Unde Cicero *Philippica* 2. in Antonium *cap.* 21. *Cum te neque principes civitatis rogando, neque majores natu monendo, neque frequens ſenatus agendo, de vendita atque addicta ſententia movere potuit.*

nus & Maximianus reſcripſerunt, *l.* 5. 6. *cod. tit.* Si enim illi rem eorum, qui ſibi ipſis crediti ſunt, viliori pretio diſtrahi videant, majori comparare non prohibentur; modo nullus ſit dolus. Non poteſt etiam quis ex officio, quod gerit, aliquid emere, ut is, *qui officii cauſa in provincia agit aut militat* (*l.* 62.) Nam *praedia comparare in eadem provincia non poteſt: praeterquam ſi paterna ejus a fiſco diſtrahantur*; ut ſcribit Modeſtinus & praeclare Cicero *in Verrem* oſtendit. Pupillus quoque ſine tutoris authoritate rem ſuam vendere non poteſt. Sed nec inter patrem & filium emptio contrahitur, niſi de rebus caſtrenſibus, *l.* 2. Quaedam autem res ſunt, quae in hominum commerciis habentur, in quibus ſcilicet illi negotiari poſſunt. Quaedam commercio ſunt exemptae, vel natura; ut homo mortuus: vel jure gentium; ut mare, ut littus: vel moribus & jure civili; ut res ſacrae, religioſae, populi Romani, & ſimiles. *Omnium* vero *rerum* (ut inquit Paulus *l.* 34. §. 1.) *quas quis habere, vel poſſidere, vel perſequi poteſt, venditio recte fit: quas autem natura, vel gentium jus, vel mores civitatis commercio exemerunt, earum nulla venditio eſt.* Contractus quidem omnino non valet, ſi uterque ſit fraudis particeps: ſed, ſi emptor rem non eſſe in hominum commercio ignoraverit, emptio eſſe intelligitur; uti a Pomponio lib. 5. ad Sabinum *l.* 4. ſcribitur: *Et liberi* (inquit) *hominis, & loci ſacri, & religioſi, qui haberi non poteſt, emptio intelligitur, ſi ab ignorante emitur.* Eam vero habet vim hic contractus, ut ex empto adverſus venditorem experiatur emptor, ut id quod interfuit ejus, ne deciperetur, conſequatur: ad alium enim effectum emptio non tenet, ſicuti Modeſtinus reſpondit, *l.* 62. Nullo igitur modo emi res poteſt, cujus ſcit emptor alienationem eſſe prohibitam, cujusque non ſit commercium, *l.* 6. Unde quidam exiſtimaverunt, *veneni mali emptionem non contrahi; quia nec ſocietas aut mandatum flagitioſae rei vires habeat. Quae ſententia* (ut ait Cajus *l.* 35. §. 2.) *poteſt ſane vera videri, de iis, quae nullo modo adjectione alterius materiae uſui nobis eſſe poſſunt. De iis vero, quae miſta aliis materiis, adeo nocendi naturam deponunt, ut ex his antidota, & alia quaedam ſalubria medicamenta conficiantur, aliud dici poteſt.* Praeterea in Codice Juſtinianeo extat titulus, *Quae res vendi non poſſint, & qui vendere vel mercari vetantur*, in quo ſunt duo Gratian. Valentinian. & Theodoſ. AAA. reſcripta: quorum uno prohibetur, ne quis fucandae atque diſtrahendae purpurae, vel in ſerico, vel in lana, quae blatta vel Oxyblatta, atque Hyacinthina dicitur, facultatem privatus habeat. Altero autem juſſum eſt comparandi ſerici a barbaris facultatem omnibus, ſicut jam erat praeceptum, praeter comitem commerciorum auferri. Quorum rationem eſſe opinor, rerum caritatem, vanum faſtum, & immenſum pretium. Poena vero fortunarum atque capitis eſt. Sunt & aliae duae conſtitutiones ſub eo titulo, quae prohibent, ne publici canonis frumentum, vel quod exercitui mittitur, in praedam lucrumque vertatur. Sed & *rei ſuae emptio non valet, ſive ſciens, ſive ignorans emit*, *l.* 16. niſi conditionalis ſit emptio, quia forte ſperatur rem emptoris eſſe deſinere, *l.* 61. *Sed ſi ignorans emit, quod ſolverit, repetere poterit: quia nulla obligatio fuit.* Nec tamen emptioni obſtat, ſi in ea re uſusfructus duntaxat ementis ſit: *officio tamen judicis pretium minuetur*, *l.* 17. Rem vero alienam diſtrahere quem poſſe, nulla dubitatio eſt: nam in rei corpore concurrit utriusque conſenſus, ut de ejus tantum

tum

vel act. vendit.) vendit, eſſe debet haereditas, ut ſit emptio. Nec enim alea emitur, ut in venatione, & ſimilibus, ſed res, quae ſi non eſt, non contrahitur emptio, & ideo pretium condicetur. Plura dicere potuiſſem, ſed ſatis eſſe putavi, certam ſtudioſis viam ad jura facilius concipienda indicare.

CAPUT XII.

Synopſis Tituli D. de Actionibus empti & venditi.

PRaecedenti epitome hanc brevem tituli *de Actionibus empti & venditi*, veluti ſynopſim ſubjicere convenit, ſed non eodem modo, eademque omnino ratione. Prius enim de actione empti, tum de venditi ſecundum diverſas cujusque vires dicturus ſum. Actio igitur ex empto datur emptori, in quam primum res ipſa deducitur. Eam enim *praeſtare venditorem*, id eſt, tradere oportet, *l. ex empto* 11. §. 2. *Digeſt. eod. tit.* Verum is neceſſe non habet, illam emptoris facere, *l. Si ita, diſtrabatur* 25. *D. de contrah. empt.* Cum autem hujusmodi contractus ſolum factum, non dominii translationem contineat, ſi traditio rei venditae juxta emptionis contractum procacia venditoris non fiat, quanti intereſt compleri emptionem, tantum in condemnationis taxationem deducetur; non autem res ipſa praeciſe, *l. ſi traditio* 4. *C. de act. empt.* juncta *l. ſi quis ab alio* 13. *D. de re jud. Itaque ſi res vendita non tradatur, in id quod intereſt agitur, hoc eſt, quanti rem habere emptoris intereſt. Hoc autem interdum pretium egreditur, ſi pluris intereſt quam res valet, vel empta eſt*, *l.* 1. *D. de action. empt.* In hac vero ejus, quod intereſt diſputatione, obſervanda eſt nova Juſtiniani conſtitutio, quae tanquam regula, quicquid a veteribus Jureconſultis hac de re traditum eſt, moderatur, *l. unic. C. de ſentent. quae pro eo quod intereſt proferuntur.*

Nec enim novum eſt, priores leges ad poſteriores trahi, *l. Non eſt novum* 26. *& ſeq. D. de legib.* Quaeritur, quomodo rem tradere venditor debeat. Et certum eſt, id non dici traditum, quod avocari poteſt, *l. Qui concubinam* 29. §. *ſi haeres* 3. *D. de legat.* 3. Ideoque poſſeſſio, a venditore tradita, non intelligitur, quae jure avocata eſt, *l.* 3. *D. de act. empt.* Precaria tamen poſſeſſio, quae quandoque avocari poteſt, *l. Et habet* 15. §. *eum qui* 4. *D. de precar.* emptorem ad pendendas pretii uſuras obligat. *Hoc enim ſolum ſpectare debemus, an habeat facultatem fructus percipiendi*, *l. Julianus* 13. §. 21. *D. de act. empt.* quamvis venditorem, quo minus in id, quod emptoris intereſt, conveniatur, non liberet, *l. emptorem.* §. 1. quae in Pandect. Flor. conjungitur *l. ex empto* 11. *eod. tit.* Nam is vacuam tradere poſſeſſionem debet, *l. Cum res* 12. *C. de probat.* At vacua dicitur poſſeſſio, quae neque a domino, *l. fin. C. unde vi.* neque ab alio aliqua de cauſa detinetur, *l.* 2. §. 1. *D. de act. empt.* ſed rem omnino ſequitur. Proculus autem actione ex empto non agi, ut venditor vacuam tradat poſſeſſionem, ſcripſiſſe videtur, *l. Si cum fundum* 68. §. 2. *D. de contrah. empt.* Verum ſpectare oportet, illum loqui, cum mercedem conductionis ad emptorem pertinere convenerat, ut ex principio ejus epiſtolae conſtat. Et tum quidem locationi ſtare compellitur, *l. emptorem* 9. *C. locat.* atque ita a vacuae poſſeſſionis jure receſſiſſe exiſtimatur, ut etiam Scaevola de lege commiſſoria reſpondit, *l. de lege* 6. in ſtipulatione, cum ſtricti juris ſit, acceſſiones non niſi a lite conteſtata veniunt, *l. videamus* 38. §. *ſi actionem* 7 *D. de uſur.* etiamſi ſtipulatus eſſem vacuam poſſeſſionem tradi, *l.* 3. §. 1. *D. de act empt.* quia traditionis ſtipulatio nullam proprietatis translationem continet, *l. ſi rem tradi* 28. *D. de verb. obligat.* Verum eum diſerte Papinianus vacuae poſſeſſionis ſtipulationem continere fructuum praeſtationem reſponderit, *l. ſi ſtipulatus ſis* 4. *D. de uſur.* diverſum in ſtipulatione, quam in emptione conſtitui non debet. Itaque probabilius eſt intereſſe, an emptor ipſe ſtipuletur, an vero alius. Si enim rem tradi alius ſtipuletur, fructus non veniunt, *d. l. Si filiusfam.* 78. contra ſi vacuam poſſeſſionem, *d. l. ſi ſtipulatus* 4. haec enim verba cauſam bonorum continent. Si vero ipſe emptor fundum tradi ſtipuletur, vacua poſſeſſio omnino comprehenditur, cum res tradi aliter non dicatur. Verum fructus, ante ſtipulationem perceptos, non ex ſtipulatu actione, ſed ex empto conſequetur, *d. l.* 3. Quaeritur, quid praeſtare venditor debeat; & an ignorantia eum excuſet. Et Paulus quidem, *l. Si ſterilis* 21. § 1. *D. de act. empt.* ſcribit, venditorem, qui de tributo nihil dixerit, ſcientem teneri ex empto: quod ſi ignorans non praedixerit, non teneri. Julianum etiam ſenſiſſe de eo, qui pecus morboſum, aut tignum vitioſum vendidit, refert Ulpianus, *l. Julianus* 13. *D. eod. tit.* ut ſciens omnia praeſtet emptori detrimenta. Ignorans vero ad id tantum teneatur, quanti minoris eſſet empturus. Sed in doliis aut vaſis vitioſis nihil differentiae inter eum, qui ſciens, & eum, qui ignorans vendidit locavitve, Pomponius & Ulpianus conſtituerunt, *l. Tenetur* 6. §. *Si vas* 4. *D. eod. tit. l. ſed addes* 19. *D. locat.* Sed diſtinguendum eſt, ut venditor, qui facile vitium ſcire poterat, in id quod intereſt teneatur, etiamſi de rei integritate nihil affirmaverit: ſin autem hujusmodi ſit vitium, ut cognoſci facile non potuerit; is ignorantia excuſetur. Praeterea tenetur venditor ea praeſtare, quae venditioni acceſſura dixit, *l. penultima* §. *fin. D. de action. empt.* non integra, ſed qualia erunt, ſi ſe ad ſpecies, certo loco incluſas, obligavit, modo expreſſus ſpecierum numerus integer praeſtetur, *l. Si venditor.* 38. *in prin. D. eod. tit.* Sed non ille ad id tenetur, quod ipſe ignorabat, cum emptor ſciret, *l. Si minor* 9. *C. eod.* Imo quamvis non ignoraverit, ſi tamen emptor ſcierit; non videtur eſſe caelatus, nec certiorari debuit, *l.* 1. *in fin. eod. d. l. Julianus* 13. Quod ſi uterque neſcierit, quanto minoris empturus erat, actione ex empto a venditore conſequetur emptor. Videtur autem Cajus aeſtimatorium judicium, id eſt, quanto minoris emptori dare contra venditorem, qui de mancipio affirmaverit, *Si quid venditor* 18. *D. de aedilit. edict.* At loquitur de quanto minoris aeſtimatoria actione appellata, *l. Bovem* 43. §. *aliquando* 6. *D. de aedilit. edict.* Quam aediles in duobus caſibus invenerunt, vel eum alicujus animalis venditor, illius non animi, *l.* 1. *circa fin. D. de aedil. edict.* ſed corporis vitium caelavit, *l. Aediles ajunt* 38. *D. de aedilit edict.* vel de ipſo animali falſa quaedam affirmavit, *d. l. ſi quid. vend.* 18. Quibus etiam caſibus redhibitoria prodita eſt actio, *d. l.* 1. §. 1. *in fin. D. de aedil. edict.* Sed eum civilis empti actio plenior ſit, ad id, quod a venditore caelatum eſt, conſequendum, *l.* 1. §. 1. *D. de act. empt.* ad idque, quod falſo affirmatum eſt, eum in eam, id omne quod intereſt veniat, *d. l. Si minor* 9. *C. eod.* ſuper-

l. unic. C. de ſent. quae pro eo &c. Oſtendit tamen Ulpianus, illud interdum non egredi ſimplum, *l. 1. D. de act. empt.* At quanto minoris actionem introductam eſſe arbitror propter animalis venditi damnum, quod cum quotidie committi poſſit, in obſcuro eſſe dicitur, *l. Evicta re 16. §. fin. D. de evict.* cujus nomine totiens agitur, quotiens committitur, *l. Si procurator 18. D. rem rat. hab.* Sed & inſpiciendum eſſe reor, quod vulgo dicitur, difficilem eſſe ejus quod intereſt probationem, *l. fin. D. de praet. ſtipul.* Nam inde conſtare videtur, commodius fore in omnibus rebus venditis vel redhibitoriam, vel quanto minoris actionem intendere, *l. Sciendum 19. § 2. D. de aedilit. edict.* Deinde haec actio empti datur ad quanti plurimi acceſſionem, quae dicitur utilitas circa rem, *l. Si ſterilis 21. §. Cum per venditor. 3. D. de act. empt.* Verum ea non debetur, niſi mora commiſſa. Mora vero committi videtur, cum nulla difficultas venditorem impedierit, quo minus traderet, *l. 3. §. Si per 3. D. eod. tit.* Cum igitur venditor, qui pretio accepto, vel cui alio modo ſatisfactum eſt, rem non tradit, non poſſit non eſſe in mora: condemnari debet, utro tempore pluris res fuerit, vel quo vaenit, vel quo lis in condemnationem deducitur, id eſt, vel tempore contractus, vel eo, quod a lite conteſtata ad rem uſque judicandam currit. Competit quoque haec actio ad fructuum reſtitutionem, etiam eorum, quibus jam maturis ager diſtractus eſt, niſi aliud convenerit, *l. Julianus 13. §. Si fructibus 10. D. eod.* In omnibus enim bonae fidei judiciis fructus omni modo praeſtantur, & quidem ex mora, *l. videamus 38. §. ſi actionem 7. D. de uſur.* Datur etiam haec actio, evicta re vendita, ad id quod intereſt, *l. Evicta re 70. D. de evict.* quamvis de evictione nihil convenerit, *d. l. Ex empto 11. §. Caſſius ait 14. D. de Act. empt.* Sunt autem aliae duae actiones, quae evictionis nomine competunt. Alia ex ſtipulatu, in ſimplum, duplum, triplum, vel quadruplum concepta, *l. Si dictum 56. l. Lucius 11. §. fin. D. de evict.* quae tunc committitur, cum emptor propter evictionem rem habere non poteſt, *l Si ſervus vendit. 21. D. de evict.* Alia evictionis dicitur actio, *l. Cum plures 72. D. de evict.* quae emptioni ex ipſius natura ineſt, etiam ſine ulla cautione.

Et haec quidem ſimplae actio a Pomponio appellatur, *l. Hoc jure 27. D. de evict.* qua praeter ſimplam nihil a venditore evictionis nomine petitur: alioquin erit actio ex empto, ſi hoc quod intereſt petatur, *l. Si in venditione 60. D. de evict.* aut duplo, ſi ob id ipſum, quod evictum eſt, in duplum agatur, *d. §. Caſſius 14. & l. 2. D. de evict.*

Nunc de venditi actione dicamus. Actio venditi datur venditori ad ea conſequenda, quae ipſi ab emptore praeſtanda ſunt, *l. Julianus 13 §. ex vendito 19. D. de act. empt.* Et primum quidem ad nummos competit, quod illius facere emptor cogitur, *l. ex empto 11. §. 2. D. eod.* Quia nummi, qui certi ſunt, *l. 3. D. de in lit. jur.* in obligationem ejus quod intereſt, quae omnino eſt incerta, *l. fin. D. Si quis in jus vocat.* converti non poſſunt, *l. Fin. a contrar. ſenſu. D. de praet. ſtip.* Haec igitur actio ad pretium exigendum, *l. Venditi 2. C. eod.* pertinet: nec prius ex empto agitur, quam pretium ab emptore ſolutum ſit, aut certe oblatum, *l. Julianus 13. §. Offerri 8. D. eod.* vel etiam depoſitum, *l. Si ſoluturus 39. in fin. D. de ſolut.* Datur quoque haec actio ad uſuras pretii poſt diem traditionis. Nam cum re emptor fruatur; aequiſſimum eſt, eum pretii uſuras dependere, *d. §. Ex vendita 19. l. 13.* quamvis nulla mora interceſſerit, *l. Curabit. 5.* tur etiam ad ſumptuum repetitionem, qui in re diſtracta facti ſunt, *l. Julianus 13. §. Praeterea 22. D. eod.* Et ad conſequendum quanto pluris res valeret, ſi quod ex ea tempore contractus ablatum erat, venditorem non latuiſſet, *d. l. Julianus 23. §. Si venditor 30.* Veriſimile eſt enim, id venditum ab illo non fuiſſe, *l. Tenetur 6.* Deinde competit haec actio ad id omne, quod ab emptore praeſtari convenit; ad idque implendum, quod pepigerunt, *l. Qui fundum 75. D. de cont. empt.* maxime ſi vilius ideo fundum vendiderint, *l. Fundi partem 79. D. de contrah. empt.* Tum ſi minus id, de quo conventum eſt, fiat, ad id quod intereſt ex vendito agetur, *l. Praedia 22. D. de act. empt.* Datur etiam venditori, ſi emptoris dolo res minoris diſtracta ſit, *d. §. Si venditor 30. l. 13.* Eſt enim a bona fide (quae in hujuſmodi contractibus exigitur, *l. Si dolo 5. C. de reſcind. vendit.*) alienum alicui ſuam prodeſſe machinationem. Poſtremo actiones illae ad reſolvendum contractum dantur, *l. Ex empto 11. & al. D. de act. empt.*

CAPUT XIII.

Ad l. 2. §. mutui datio 1. D. Si cert. petat.

Mutui datione contrahitur obligatio. *In his autem rebus mutui datio conſiſtit, quae pondere, numero, menſurave conſtant.* Earum enim rerum datione mutuum contrahitur, quia tam in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem, quam ſpecie. Res autem funguntur, quae ad eum uſum conferuntur, cujus gratia comparatae ſunt, hoc eſt (ut eleganter Duarenus explicat) cum dantur, ſolvuntur, aut conſumuntur. Sic in epitome, ex Ulpiani libris collecta, legimus, dotem, quae ſemel functa eſt, amplius fungi non poſſe; id eſt, dotem, quae in prius matrimonium data eſt, in eum ſtatum reverti, ac in poſterius matrimonium aliter converti non poſſe, quam cum (inquit Paulus, *l. Dotem quae 30. D. de jur. dot.*) hoc agitur. Et apud eundem Ulpianum, *l. 3. D. de collat. dot.* dotis collatione fungi notavimus. Verendum autem eſt, ne non recipi haec interpretatio poſſit. Nam quamvis (ut quidam ex ea colligunt) videatur Paulus alias res diſtinguere, quarum ſolutio recte fit in ſpecie, ab iis, quae in ſuo genere ſolvuntur, non in ſpecie: quis eſt tamen, qui non abſurdum eſſe videat, dicere res ſolvi in ſuo genere per ſolutionem? Equidem obſervandum arbitror, haec verba, *fungi*, & *functionem recipere*, multiplicis & variae ſignificationis eſſe; ut recte explicari nequeant, niſi accommodentur ad rem, de qua agitur. Nam & *rerum pretia non ex affectu, nec utilitate ſingulorum, ſed communiter fungi* dicuntur, cum aeſtimantur, *l. Pretia rerum 63. D. ad leg. falcid. & l. Si ſervum 33. D. ad leg. Aquil.* Nummorum enim, qui rerum pretia conſtituunt, vera ſubſtantia in aeſtimatione & valore conſiſtit: & eum fungi Valla oſtendit, qui officium ac munus aliquod obit. Unde Plautus *Amphitr. Act. 2. Sc. 2. vſ. 197. Te abſente his munus fungitur tuum*, id eſt, tuas partes agit. Et poena fungi dicitur is, qui poenam patitur, *l. in metallum 22. D. de poenis.* fungi pignoribus, qui dat pignora, *l. Praetoriae 7. D. de praet. ſtipul.* fungi depoſitione auri, qui aurum deponit, *d. l. praetoriae 7.* fungi tributione, qui tributum ſolvit penſitatque Reipublicae, *l. Filio 22. §. fin. D. ad municip.* & functiones appellantur praeſtationes, *l. 3. D. de mun. & hon. l. 1. & fin. C. de priv. dom. lib. 11.* Eſt autem mutui natura in eo tota, ut res, quae data

Digitized by Google

dam; ut recte Papinianus, *l. Sed ſi certos 51. D. de legat. & fideic.* 1. dixerit. Si certos nummos, veluti quos in arca habeo, aut certam lancem quis legaverit; non numeratam pecuniam, ſed ipſa corpora nummorum vel rei legatae contineri: neque permutationem recipere, & exemplo cujuslibet corporis aeſtimanda eſſe. Verum ipſe (mea ſententia) eodem fere ſenſu permutationem recipere, quo Paulus functionem ſcripſit. Mutuus enim uſus & viciſſitudo pecuniae numeratae, aliarumque rerum, quae pondere, numero, menſura conſtant, permutatio quaedam eſt. Atque illae ſic fungi dicuntur, ut non ſpecies ipſae, ſed eadem genera mutua vice quodammodo permutentur. Vis autem ſola in ſolutione conſiſtit, quia res redduntur, quae tantundem praeſtant. Haec interpretatio clare & ad Pauli ſententiam appoſite hunc locum explicat.

CAPUT XIV.

Conciliatio Ulpiani & Africani reſponſorum.

ULpianus lib. 31. ad edictum *l. Singularia* 15. *D. Si cert. petat.* ex ea cauſa creditam fieri pecuniam, ſi tibi debitorem meum juſſero dare pecuniam, ſcribit: idque benigne receptum eſt. Videtur enim pecunia, a me ad te profecta, cum convenerit, ut crediti nomine eam retineas: ideoque mutuum contrahitur, mihique obligaris. Nec enim rei praeſentiam, nec rem paratam mutui contractus exigit, ſed ſatis eſt, rei dominium creditoris eſſe, quod in debitorem re vera transferat. Quamvis autem re ipſa, nummi, qui a debitore proficiſcuntur, creditoris non ſint; quia tamen eos creditori ſolviſſe videtur debitor, eosdemque per eum creditor alteri dediſſe, in creditum itur, & is, qui accepit, ex mutuo obligatur. Nec diſſentit Africanus, *l. Qui negotia* 34. *D. Mandat.* ſi, tota lege perſpecta, quid ipſe ſentiat perpendamus: *Cum Lucii Titii procurator*, inquit, *a debitoribus ejus pecuniam exegiſſet, epiſtolam ad eum miſit, qua ſignificaret, certam ſummam ex adminiſtratione apud ſe eſſe, eamque creditam ſibi ſe debiturum cum uſuris ſemiſſibus.* In ea ſpecie Jureconſultus creditam eſſe pecuniam, atque mutui actione procuratorem teneri negat; alioqui dicendum eſſet, ex omni contractu, nuda pactione pecuniam creditam fieri poſſe: nam haec ſpecies illi, quam tractat Ulpianus, ſimilis non eſt. Alium enim pecunia, ex mutuo debita, non obligat, niſi cui tradita & acquiſita ſit, quia ſine traditione mutuum non contrahitur. Ut autem rei dominium ad alium tranſiiſſe videatur; eam certe a domino profectam eſſe oportet. Itaque, cum debitorem meum pecuniam tibi dare jubeo, videor, quod meum eſt in te transferre. Qui vero, mea procurans negotia, pecuniam a debitoribus meis exigit, licet mandati nomine teneatur, pecuniam tamen a me creditam non accepit, nec ideo mutui obligatur. Nulla enim a me facta traditio intelligitur, cum debitores mei pecuniam procuratori non tanquam ejus futuram dederint, ſed tanquam ad me venturam. Non autem ex omni contractu nuda pactione (cui ſcilicet nulla acceſſit traditio) pecunia credita fieri poteſt. At ego procuratori meo nec juſſeram, nec permiſeram, crediti nomine pecuniam illam habere; ſed is ſimpliciter tantum promiſerat mihi, eam ſe debiturum cum uſuris ſemiſſibus. Unde conſtat, intio, converterat procurator. Nam ſi quis Africani reſponſum propius inſpexerit, ipſum de eo facto conſultum fuiſſe intelliget, in quo dicebatur, pecuniam apud procuratorem fuiſſe, cum epiſtolam ad dominum mitteret: ut verius ſit, ſive adhuc extet, ſive conſumpta fuerit a procuratore pecunia, ipſam in ſpecie, Africano propoſita, creditam non fieri. Ratio autem eſt in promptu, quia inter dominum & procuratorem nullus interceſſit contractus, ex quo in creditum iretur.

CAPUT XV.

Ad l. certi Juris 5. C. Locati.

E*O jure utimur* (inquit Neratius *l. Eo jure* 4. *D. ex quib. cauſ. pign.*) *ut quae in praedia urbana inducta illata ſunt, pignori eſſe credantur, quaſi id tacite convenerit. In ruſticis praediis contra obſervatur.* Cujus ſententia neque Paulo, neque Ulpiano diſplicuit, *l. Item quia* 4. *D. de pact. l. licet* 6. *D. Ex quib. cauſ. pign.* ſi enim cum de obligandis tacite invectis illatis agunt, diſerte ac ſpeciatim praedia urbana nominant, nec generali verbo utuntur. Neque vero diſſentit Juſtinianus, *l. ult C. in quib cauſ. pign. &c.* cum generaliter res conductoris illatas tacite obligari non ſentiat, ſed jus invectarum a conductore rerum, quae domino propenſionibus tacite obligantur, non ſolum in utraque Roma & territorio locum habere, verum etiam in provinciis. Ejus itaque conſtitutionem ad urbana praedia ſolosque inquilinos pertinere conſtat. Differentiae autem ratio inde apparet, quod praedium ruſticum non habitandi cauſa, ſed fructuum percipiendorum conducatur: ideoque fructus, qui in eo naſcuntur, tacite pignori eſſe domino fundi locati intelligantur, etiam ſi nihil convenerit, *l. in praediis* 7. *D. ex quib. cauſ.* Urbanum vero praedium ſine fructus accreſcentis ſpe, ob habitationem conducitur. Quare in illud ipſum inducta illata pignoris jure tacite obligantur; quamvis ſimpliciter invecta ſint, neque expreſſa hypothecae mentio facta ſit. Res autem, a colono in praedium inductas, non aliter obligari, traditum eſt, quam ſi nominatim atque ſpeciali conventione in pignoris cauſam in fundum inferantur, pactoque adjecto pro penſione domino fundi obligentur, Theoph. *in § Item Serviana 7. Inſtitut. de action.* Itaque tum demum obligatio locum habet, cum res coloni ut ſint, & quaſi inhabitent in praedio, invectae illatae ſunt, *l. In praediis 7. §. videndum 1. D. ex quib. cauſ.* nec eas in fundum inductas eſſe dominus ignorat. Ita reſpondit Cajus, *l. Potior* 11. §. *Si colonus* 2. *D. Qui potior in pignor.* atque Imperatores Dioclet. & Maximian. reſcripſerunt, *l. Si non inducta 6. C. quib. cauſ. tac.* Deſideratur enim domini voluntas (quae ex ſcientia venit) atque expreſſa conventio, quis ſpecialiter invectae res pignoris nomine obligentur. Hanc noſtram opinionem, vulgari doctrinae contrariam, probat Alexander in hac conſtitutione: nam dominorum ſcientia & voluntate (habet enim & voluntatem ſcientia, *l. 1. D. Si famil. furt. feciſ. dicat*) a colonis invecta illata pignoris jure dominus praediorum tenere ſtatuit. Huc quoque pertinent Pauli & Ulpiani reſponſa: ſcripſit enim ille, *l. Si in lege* 24. §. *Si colonus* 1. *D. Locat.* ſi cui praedium colonus locaverit, poſterioris conductoris res domino non obligari; hic vero, *l. Solutum* 11. §. *ſolutam* 5. *D.*

Digitized by Google

In hanc enim illatae res domino pignoris nexu obligantur, qui ad pauciſſimos fructus parem penſioni recurſum non haberet. Sed & ruſtica quaedam praedia ſine fructibus ſunt, quae in cauſa pignoris non multum ab urbanis differunt: cujusmodi ſunt ſtabula, ab aedificiis remota, *d. l. Eo jure 4. §. fin. D. ex quib. cauſ. pign.*

CAPUT XVI.

Ad l. Quinque pedum 5. C. finium regundorum.

UT certa perpetuaque confinium agrorum diſtinctio eſſet, & ne ulla de finibus controverſia inter vicinos moveretur: voluerunt Decemviri, ſpatium aliquod medium relinqui, quod liberum ſemper eſſet & commune: illudque nunquam uſucapi ſtatuerunt. Ipſum autem fuit quinque pedum, ut praeclare M. Tullius Cicero *lib. 1. c. 21. de Legibus* ſcribit: *In controverſia* (inquit) *de finibus uſucapionem* XII. *tabulae intra quinque pedes eſſe noluerunt.* Poſtea lex Manilia lata eſt, qua conſtitutum fuiſſe ex eodem Cicerone colligi, ut, quoties de his quinque pedibus controverſia eſſet, eligeretur arbiter ſive agrimenſor, qui eos regeret, arteque ſua terminaret. Si de majore ſpatio quaerebatur; de loco, non de fine, lis eſſe dicebatur, & ut loci controverſia, quod uſucapi poſſet, exemplo aliorum judiciorum apud magiſtratum peragebatur. Qua de re Julius Frontinus Conſtantini reſcriptum refert, quo arbitrum, finalem controverſiam, cum intra quinque pedes locum, de quo agitur apud Praeſidem, eſſe conſtiterit, dirimere poſſe, conſtitutum eſt. De majore autem ſpatio cauſam, quae non finalis, ſed proprietatis eſt, apud praeſidem debere terminari. Extat enim & apud eundem Frontinum, & in Codice Juſtinianeo Theodoſii conſtitutio, quam enarravit doctiſſimus JCtus Andreas Alciatus, & ea duobus modis ſublatam quinque pedum praeſcriptionem exiſtimat. Nam primum illam explicat de uſucapione quinque pedum, quam & olim ſuſtulerant leges XII. Tabularum. Tum de praefinitione, quam non debere obſervari, ſed ab ipſo termino, finium menſuram ordiri ſentit. Verum clariſſimus juris Romani veterumque legum interpres, Franciſcus Balduinus, priorem interpretationem ex Juſtiniani mente, qui reſcriptum illud in ſuum codicem retulit, magis probat. Ego vero Theodoſium eam ediſiſſe conſtitutionem, ut id tolleret, quod jam XII. Tabul. lege ſublatum erat, non opinor, ſed ipſum voluiſſe, ut nulla quinque pedum exceptio ſeu praeſcriptio objiceretur, verum libere de agrorum finibus, vel de locis apud magiſtratum ageretur. Is igitur diſtinctionem, quam fecerat Conſtantinus, corrigit; aut certe hujus conſtitutionem latius extendit: ut, ſive locus intra quinque pedes conſiſtat, ſive majus ſit ſpatium, mota de finibus controverſia libere, id eſt, (ut interpretor) ordinarie apud magiſtratum peragatur. Movet me, ut ita ſentiam, tituli hujus inſcriptio, quae eſt *Finium regundorum*, non *de uſucapionibus*, tum praeſcriptionis ſignificatio, quam pro exceptione accipi titulus Digeſtorum *de exceptionibus, praeſcriptionibus, & praejudiciis* oſtendit, & Quintilianus *lib. 7. cap. 6. Eſt enim duplex* (inquit) *ejus diſceptationis conditio, quod aut intentio, aut praeſcriptio habet controverſiam:* & Ulpianus atque Paulus exceptionis ac praeſcriptionis nominibus indifferenter utun-

An in Uſucapionibus a momento ad momentum, an vero totus noviſſimus dies numeretur.

EX continuata poſſeſſione uſucapio perficitur: ſed quomodo ea procedat, & quousque exigatur, non ſatis inter juris authores convenit. Ulpianus *in uſucapionibus* (inquit *l. In uſucapionibus 6. & ſeq. D. de uſucap.*) *non a momento ad momentum, ſed totum ad poſtremum diem computamus* (ſic enim hunc locum reſtituit & legit Haloander) *Ideoque qui hora ſexta diei Calendarum Januariarum poſſidere coeperit, hora ſexta noctis pridie Calendas Januarias implet uſucapionem.* Solebant enim Romani a media nocte diem incipere, eamque horam ſextam noctis, ſicut horam ſextam diei meridiem vocabant. Sed Venulejus: *In uſucapione* (ait *l. in uſucapione 15. D. de diverſ. temp. praeſcr.*) *ita ſervatur, ut etiamſi minimo momento noviſſimi diei poſſeſſa ſit res; nihilominus repleatur uſucapio: nec totus dies exigitur ad explendum conſtitutum tempus.* Equidem ipſos Jureconſultos non contraria, ſed diverſa potius ſcribere exiſtimo. Sentit Ulpianus, ut uſucapionis tempus non a momento ad momentum, ſed totum ad poſtremum diem computetur, id eſt, ut currat & progrediatur ad noviſſimum usque diem, in eoque perficiatur uſucapio; non autem ipſa poſſeſſionis momenta, primum ſcilicet ad ultimum, ſibi correſpondentia obſerventur. Ait autem Venulejus, *ſatis eſſe, ut minimo momento noviſſimi diei poſſeſſa ſit res, nec totum diem ad explendum conſtitutum tempus exigi*; id eſt, ut, cum tempus continuatae poſſeſſionis ad noviſſimum diem venerit, perfecta cenſeatur uſucapio, nec expectetur, donec totus ille dies elapſus ſit. Potius igitur interpretari, quod Ulpianus *ad diem poſtremum computari uſucapionis tempus* dixerat, videtur Venulejus, quam contrarium aliquid ſcribere. Eſt alia difficilior in hac diſputatione quaeſtio, an in dilationibus & temporalibus actionibus aliud ſtatutum ſit. Sed de ea *libro ſequenti* dicturus ſum, atque nullum diverſum jus a Romanis in perficiendis his praeſcriptionibus obſervatum fuiſſe contra omnium interpretum ſententiam probaturus. Nam quod Paulus *l. in omnibus 6. D. de obligat. & act.* totum noviſſimum diem impleri vult, non ſic accipiendum eſt, ut ſcholaſtici Doctores arbitrantur, ſed ut ipſe alio loco interpretatur.

CAPUT XVIII.

De Criminali & civili judicio.

O*mnia judicia* (inquit Cicero *in orat. pro Cecina cap. 2.*) *aut diſtrahendarum controverſiarum aut maleficiorum puniendorum cauſa reperta ſunt. Alterum quidem levius eſt, propterea quod & minus laedit, & perſaepe diſceptatore domeſtico dijudicatur: alterum vehementiſſimum, quod & ad graviores res pertinet, & non honorariam operam amici, ſed ſeveritatem judicis ac vim requirit.* Ad maleficia vero vindicanda vel laeſo rei familiaris damnum perſequi, vel cuivis e populo nocentem accuſare licet: ut is, cujus audacia reipublicae tranquillitatem perturbavit, legitima poena, vel alia extra ordinem, magiſtratus arbitrio infligenda, coërceatur. Hinc civiliter, aut criminaliter agere quis dicitur, *l. ult. C. & §. in ſumma* 10. *Inſtit. de injur. l. Ordo 8. D. de pub. judic. Et Dig. tit. de extraord. crim.*

Digitized by Google

agat: ut enim civile judicium dicatur, ſatis eſt ipſum ita tractari, ut magis ad reſarciendum detrimentum, quam ad poenam irrogandam inſtitutum videatur. Unde ſaepius pecuniaria lis, & criminale judicium opponuntur, *l. Properandum* 13. *C. de judic. l.* 1. *D. de teſtib.* Judiciorum autem criminalium duo ſunt genera: quaedam privata; quaedam publica. Privata dicuntur, quae licet criminis perſequutionem contineant, non tamen ex legibus publicorum judiciorum deſcendunt; judicia vero Publica dici conſtat, quae, ut vigor publicae diſciplinae poſtulat, exercentur, *l. locatio* 9. §. *Quod illicite* 5. *D. de publican.* ſive quae ad continendam & conſervandam reipublicae tranquillitatem conſtituta ſunt. Licet autem publica quoque dici judicia poſſint ea, quae privatam criminis perſequutionem continent: quod Reipublicae interſit, ut cujusque cohibeatur mala mens, malusque animus, qui humanam ſocietatem, & vitae quaſi communitatem violare voluerit: raro tamen ita appellari legimus. *Judicia publica eſſe ea,* Ulpianus ſcribit, *l.* 1. *D. de public. judic. quae ex legibus publicorum judiciorum veniunt*, id eſt, ex iis legibus, quae hujuſmodi quaeſtiones ad populum pertinere voluerunt. *Dicta ſunt autem publica, quod cuivis ex populo executio eorum plerumque datur*, §. 1. *Inſt. de public. judic.* vel (ut is ipſe Ulpianus *l. palam* 43. §. *Senatus cenſuit* 10. *D. de ritu nupt.* ſcribit) *quod iis cuilibet ex populo experiri licet, niſi ſi cui lege aliqua, accuſandi publico judicio non eſt poteſtas.* Unde conſtat eos falli, qui Juſtiniani ideo reprehendunt interpretationem; quia etiam popularibus actionibus ea convenit: nam populares actiones, publicas quoque Paulus vocat. *In popularibus* (inquit *l. Eam qui* 30. §. *in popularibus* 3. *D. de jurejur.*) *actionibus jusjurandum exactum, ita demum adverſus alios proderit, ſi bona fide exactum fuerit. Nam & ſi quis egerit, ita demum conſumit publicam actionem, ſi non per colluſionem actum ſit.* Et inter populares quidem actiones, & publica judicia hoc intereſſe videtur, quod illae pecuniariae ſint, ſuum jus populo tuentes, *l.* 1. *D. de popul. act.* haec vero accuſationem contineant, criminaliaque ſint. Equidem non temere veteres Romanae Reipublicae principes voluiſſe exiſtimo, ut, ſi quae de his maleficiis decernendae eſſent quaeſtiones, populus ipſe ſtatueret, qua ratione in eum animadverteretur, qui ſua temeritate jus publicum, civitatisque legem laeſerat. Ideoque certas leges ferre oportuit, ut majori cura & religione ea tractarentur & exercerentur judicia, quibus publica utilitas tam impenſe continetur. Cur autem Publica vocentur, duplex ratio adfertur; vel quod ex legibus publicorum judiciorum deſcendant; vel quod eorum plerumque cuilibet ex populo executio datur, §. 1. *Inſt. de public. jud.*

poteſt. Quamlibet enim publicum judicium a quocunque exerceri poſſit; ſunt tamen quaedam perſonae, quae aliis praeferuntur, *l. Si plures* 16. *D. de accuſ.* Verum probabilior mihi eorum non videtur opinio, qui dictionem *plerumque*, propter legis Juliae de annona, & legis Juliae de reſiduis judicia, adjectam eſſe putant; quia eorum non eſt criminalis, ſed pecuniaria executio. Nam haec eſt noſtri Juſtiniani mens, hic ſenſus & interpretatio, ut cuilibet ex populo hoc judicium exercere plerumque liceat: nec ipſe dubitat, an criminaliter omnia, an vero civiliter tractari judicia poſſint. Mihi placet Theophili explicatio, qui dixiſſe *plerumque* Imperatorem ideo ſcribit, quia quaedam perſonae ſunt, quibus publico aliquem judicio poſtulare permiſſum non eſt. Ejus enim ſententia Ulpiani authoritate confirmatur, qui ſic lib. 3. ad l. Juliam & Papiam *d.* §. *Senatus* 10. *l.* 43. *D. de rit. nupt.* ſcribit: *Senatus cenſuit, non conveniens eſſe ulli ſenatori, ducere uxorem aut retinere damnatam publico judicio: quo cuilibet ex populo experiri licet, niſi cui lege aliqua, accuſandi publico judicio non poteſtas.* Dividit autem Juſtinianus publica judicia in capitalia, & non capitalia. Capitalia ſunt, quae vitam vel aeſtimationem alicujus ita minuunt, ut is civis eſſe deſinat: veluti ſi ſummo ſupplicio afficiatur, ſi in metallum damnetur, ſi in inſulam deportetur, ſi aquae & ignis interdictione puniatur, *l. Rei capitalis* 2. & *l. Capitalium* 28. *D. de poenis. Nam caetera* (ut ſcribit Paulus *l.* 2. *D. de publ. judic.*) *non exilia, ſed relegationes proprie dicuntur: tunc enim & civitas retinetur.* Non capitalia ſunt judicia, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coërcitio poena eſt; veluti relegatio ad tempus, vel in perpetuum, vel in inſulam: vel cum in opus quis publicum datur ad tempus, vel cum fuſtium ictui ſubjicitur. Supereſt, ut dicamus de civilibus judiciis. Eorum autem alia ſunt, quae privatum agentis commodum reſpiciunt, ut furti actio, condictio furtiva, & aliae hujus generis actiones. Alia ſunt judicia, quae popularia vocantur, quia cuivis e populo dantur: quorum Nonnulla privatam potius injuriam continent; ut ſepulchri violati actio, quae in primis datur ei, ad quem res pertinet: quo ceſſante, cuique ejus conceſſa eſt perſequutio, *l. Sepulchri violati* 6. *D. de ſepul. viol.* Quaedam vero ad commodum publicum maxime pertinent, ut actio, quae adverſus album Praetoris corrumpentem datur, *l. Si quis id quod* 7. *D. de juriſd.*

FINIS LIBRI TERTII.

INDEX

Digitized by Google

CAP. I. *De jure Naturali, Gentium, & Civili ad tit. 1. Pandect.* Pag. 681

QUa Ratione jus a juſtitia appellatur 681
Quomodo Ars in juris definitione accipitur, quid eſt ars juris, quid etiam bonum & aequum *ibid.*
Unde collectum eſt jus publicum 682
Quid ſit jus illud, cui quis operam dat *ibid.*
Juris diſtinctio enarrata *ibid.*
Explicata Ulpiani ſententia de jure naturali *ibid.*
Quid ſit jus gentium, & quare jus naturale aliquando dicatur 683
Servitus, licet contra naturam eſſe dicatur, eſt tamen naturali ratione inſtituta *ibid.*
Prodita eſt jure gentium naturalis obligatio. *ibid.*
Enarratio *l.* 3. *ejusd. tit.* & ratio, qua intelligitur cujus juris ſit vitae corporiſque defenſio *ibid.*
Diſtinctio juris gentium a naturali, & eorum ſententiae confutatio, quid duplex jus naturale faciunt 684
Explicatio *l.* 5. *ejusd. tit.* *ibid*
Reſponſum ad quandam quaeſtionem de emptionis origine *ibid.*
Enarratio *l. Si quod* 64. *de condict. indeb.* 685
Quid ſit jus civile, & in quo a caeteris diſſentiat. 686

CAP. II. De lege Regia *ad l.* 1. *D. de Conſtit. Princip.* 686

Quando lex Regia lata ſit, quam Imperatoribus poteſtatem tribuerit; & unde dicatur. *ibid.*
Explicatio *l. De quibus* 32. *De legib.* *ibid.*

CAP. III. *Ad titulos de Juriſdictione & Officiis Magiſtratuum.* 687

Explicatio *l. Si idem* 11. *D. de jurisd.* *ibid.*
Explicatio *l.* 2 *&* 3. *de Offic. Proconſ. & legat.* 688
Quid ſit legis actio, & quomodo eam legatus proconſulis habere dicatur *ibid.*
L. 2. §. 1. *de Offic. ejus cui.* & *l. legati* 13. *D. de offic. proconſ.* conciliatio *ibid.*
Enarratio §. *veritas* 1. *l.* 6. *D. de offic. praeſid.* & Authoris ſententia de ea quaeſtione, an judex ſecundum conſcientiam, an vero ſecundum allegata & probata judicare debeat 688. 689
Explicatio *l.* 4. *D. de offic. aſſeſſor.* *ibid.*
Explicatio *l.* 9. *D. de jurisd.* ejusque conciliatio cum *l. illud* 32. *D. ad l. Aquil.* 690
Diverſitatis ratio inter damnum & furtum *ibid*

CAP. IV. *De Pactis.* 690

Pacti definitio & diviſio *ad l.* 1. *D. de pactis* *ibid.*
Unde dicatur pactum *ibid.*
Duplex pactum, conventum & juſtum: illud nudum, hoc legitimum etiam appellatur 691
De vi pacti ad *l.* 27. *D. de pact.* 692
Explicatio horum verborum, *in ſtipulationibus jus continetur: in pactis factum verſatur* *ibid.*
De pacto & ſponſione *ibid.*
Ex pacto nudo non naſcitur actio *ibid.*
Conſtitutum actionem, non ut pactum geminatum producit *ibid.*
Sponſionis verbo ſtipulatio intelligitur 693
Explicatio *l. unic. C. de ſuffragio* *ibid.*

CAP. V. *De Servitutibus.* 693

Explicatio *l.* 9. *D. de ſervitut.* ejusque conciliatio cum *l. Si via* 26. *D. de ſervit. ruſt. praed.* *ibid.*
Differentia itineris, actus, & viae ad *l.* 13. *D. de ſervitut.* *ibid*
Ad *l.* 14. *D. de ſervitut.* 694
An ſervitutes uſucapiantur *ibid.*
De lege Scribonia 695
Quomodo intelligatur cauſa ſervitutum *ibid.*
Ad *l. ſi priusquam* 15. *D. de oper. nov. nuntiat.* *ibid.*
Negativa & confeſſoria actio pro ſervitutibus 696
Vera explicatio actionum, quae ſervitutum nomine competunt *ibid.*
Declaratio ſervitutum altius tollendi, & altius non tollendi *ibid.*
De ſervitute proſpectus ad *l.* 15. *de ſerv. urb. praed.* 697
De operis novi nunciatione ad *l. Qui viam* 14. *ibid.*
Nihil intereſt, an ſit praedii urbani, an vero ruſtici ſervitus, ut ejus nomine opus novum nuntietur *ibid.*
Quomodo nuntietur opus novum propter ſervitutem; ubi conciliantur multae leges, quae videntur contrariae. Pag. 697. 698
Explicatio horum verborum *nihil agit.* in *d. l. Qui viam* 14. *ibid.*
An pignori ſervitutes dari poſſint *ibid.*
Explicatio *l.* 1. *D. de ſervit. ruſt.* *ibid.*
Conciliatio *l. ſi is qui* 11. §. *ult.* & *Sed an viae* 12. *D. de pignor.* *ibid.*
Explicata de uſufructu difficilis antinomia, *l. ſi cujus* 13. §. 6. & *l. uſufructuarius* 61. *D. de uſufruct.* *ibid.*

CAP. VI. *De Poſſeſſionibus.* 699

Origo poſſeſſionis *ibid.*
Ejus definitio & diviſio explicantur *ibid.*
An ſequeſter poſſideat 700
Explicatio ſequeſtri etymologiae *ibid.*
Vera conciliatio *l. intereſſe* 39. *D. de acquir. poſſeſ.* & *l. licet* 17. §. 1. *D. depoſit.* *ibid.*
Explicatio horum verborum: *Id enim agitur ea depoſitione in d.* §. *l. licet* 17. *ibid.*
Ad *l.* 12. *in* §. *Nihil commune* 1. *D. de acquir. poſſ.* *ibid.*
Enarratio 701
Non denegatur ei interdictum uti poſſidetis, qui prius actionem in rem a Praetore impetravit *ibid.*

CAP. VII. *Quae bonae fides poſſeſſor fructus ſuos faciat.* 701

Explicatio *l. Qui ſcit* 25. *D. de uſur.* & *l. bonae fidei* 48. *D. de acquir. rer. dom.* atque earum conciliatio *ibid.*
An bonae fidei poſſeſſor, ſi rem poſtea alienam eſſe ſcierit, in mala fide conſtituatur, fructuſque ſuos non faciat *ibid.*
Bonae fidei poſſeſſor omnes fructus, etiam naturales, ſuos facit: ubi explicatur §. *Si quis a non domino* 35. *Inſt. de rer. diviſ.* 702
Explicatio *l. fructus* 45. *D. de uſur.* *ibid.*

CAP. VIII. *De eo quod intereſt ad novam Juſtiniani conſtitutionem C. de ſent. quae pro eo quod intereſt, proferuntur.* 702

Id quod intereſt, eſt extra rem, & ejus aeſtimationem, & quomodo illud intelligatur *ibid.*
In ejus quod intereſt computationem venit ſimplum; ubi multae leges explicantur 703
Ejus quod intereſt definitio explicatur *ibid.*
Ejus quod intereſt diviſio *ibid.*
Refellitur eorum ſententia, qui intereſſe aliud propinquum. aliud remotum faciunt *ibid.*
Explicatio §. *Cum per venditorem* 3. *l. ſi ſterilis* 21. *D. de act. empt.* *ibid.*
De quanti plurimi acceſſione *ibid.*
Conciliatio *d.* §. *Cum per venditor.* 3. & *l. ſi poenam* 68. *l. liber homo* 118. §. *fin. D. de verb. oblig.* *ibid.* 704
Juſtiniani conſtitutionis enarratio *ibid.*
Quid ſit caſus certus vel incertus *ibid.*
Quid ſit certum *ibid.*
Quid ſit quantitas *ibid.*
Quid ſit natura *ibid.*
In caſibus certis, id quod intereſt non excedit duplum *ibid.*
Quid ſit ſimplum *ibid.*
De quibus contractibus intelligat Juſtinianus ſuam conſtitutionem *ibid.*
An in nummis veniat id quod intereſt; ubi explicatur *l. nummis* 3. *D. in lit. jurand.* 705
In delictis locum non habere Juſtiniani conſtitutionem 705
Probatur *ibid.*
Explicantur Imperatoris verba *de caſibus incertis*, & quid ſit *infinitum* traditur *ibid.*
Ex hac Juſtiniani conſtitutione prudentum reſponſa debent interpretationem accipere *ibid.*
Conciliatio *l. tenetur* 6. §. *ſed ſi vas* 4. *l. Julianus* 13. *D. de act. emt.* & *l. ſed addes* 19. §. 1. *D. locat.* *ibid.*
Quae actio ejus quod intereſt nomine competat 705

CAP.

Digitized by Google

Quid ſit *confundere* 708

CAP. XI. Ad *l. Centurio* 15. *D. de vulg. & pupill. ſubſtit.* 708

Quomodo teſtetur miles, & filius ſuis impuberibus ſubſtituat, & an ultra pubertatem directo, an autem precario *ibid.* 709
Conciliatio *d. l. Centurio* 15. & *l. precibus* 8. *C. de impuberibus & al.* 709
Interpretatio horum verborum: *Veluti ex cauſa fideicomm.* in *d. l. precibus* 8. *ibid.*

CAP. XII. *De rei aeſtimatione, & aliis acceſſionibus, quae ex mora pendent.* 709

In omnibus judiciis ſpectatur tempus, de quo convenerunt contrahentes *ibid.*
Interpretatio *l.* 3. *D. commodati*; ubi explicatur, quomodo in litem juretur in bonae fidei judiciis 710
De ſtrictis judiciis, an in iis juretur in litem, & qua ratione litis conteſtatae tempus intelligatur *ibid.*
Enarratio *l. in hac* 3 *D. de condict. tritic.* *ibid*
Quando in ſtrictis judiciis tempus morae ſpectetur: ubi explicatur *l. hominem* 37. *D. mandati* *ibid*
De periculo rei poſt moram extinctae *ibid.* 711
Detrimentum ſemper praeſtat debitor 711
Mortem vero interdum *ibid.*
Quid ſit fatum apud Jureconſultos *ibid.*

CAP. XIII. *Ad l.* 115. *D. de Verbor. obligat.* 711

Omiſſio dici vel quantitatis errore facta ſtipulationem vitiat: ratio vero ſubjicitur aliis confutatis *ibid*
Vera & ex Papiniani mente tradita enarratio §. *item ſi quis ita ſtipuletur* 2. in *d. l.* 115. *de verb. oblig.* 712
Hujus interpretationis concluſio brevi regula comprehenſa *ibid.*

CAP. XIV. *De Militiis.* 712. *ſeqq.*

Unde dicantur milites, quid ſit proprie militia, & quomodo ea latius accipiatur 713
Quomodo Jureconſulti militiam accipiant *ibid.*
Militia duplex eſt { armata / inermis } *ibid*
Armata { Officialis / non officialis } *ibid.*
Idem omnino non eſt officium & militia *ibid.*
Non officialis militia etiam cohortalis dicitur, & quid ea ſit, ubi quaedam Imperatorum reſcripta explicantur *ibid*
Inermis militia quaedam competit. { Propter aliquam negotiationem, vel profeſſionem. / Praeter negotiationem vel profeſſionem. } 714
Negotiatores a quibus militiis excludantur *ibid.*
Quae ſint provinciales militiae: ubi explicatur *l.* 12. *C. de cohortal.* *ibid.*
Conciliatio *l. un. C. Negotiat. ne milit.* & *l. ult. C. de pignorib.* 714
Militia quaedam { vendi, ad heredesque transmitti poteſt / alienari, & in haeredes tranſire nequit / eſt ex caſu } *ibid.*
Quae ſit militia, quae ad haeredes tranſit *ibid.* 716
Hujus militiae alienandae ratio 716
Conciliatio *l.* 52. §. 2. *D. de act. empt.* & *novell.* 53. *ibid*
Salarium an praeſtetur aliunde, quam ex publico 717
Quae militiae alienari non poſſunt *ibid.*
Enarratio *Novell.* 53. *cap.* 5. *ibid.*
Quae ſint militiae ex caſu *ibid.*
Explicatio horum verborum *caſu facto*, in *Novell.* 97. 718
Quid inter militias ex caſu & alias interſit *ibid.*

CAP. XV. Ad *l. Gallus* 29. *D. de Liber. & poſthum.* 718. *ſeqq.*

Laus Galli 719
Antiqua lex XII. Tabb. latiſſime patet *ibid.*
Ea quorumcumque poſthumorum etiam alienorum perDebet, in hac formula, filii inſtitutio praecedere *ibid.*
Enarratio §. 1. *ibid.*
Non eſt ſpectandum, quid formulae verbis contineatur; ſed quis ejus fuerit finis atque ſcopus *ibid.*
Interpretatio §. *Idem credendum* 2. *ibid.*
Brevis & clara diſtinctio, an praeteritione filii nati, vel poſthumi, teſtamentum omnino nullum ſit, rumpaturve nec ne: ubi multae leges explicantur, atque ſibi ipſis conciliantur *ibid.* 723
Interpretatio §. *Quid ſi aquae* 5. 724
Interpretatio §. *Quid ſi is* 6. *ibid.*
Ordo interpretationis Scaevolae *ibid.*
Explicatio *verſ. Et melius eſt* 725
Lex quidem interpretatione producitur; non autem teſtatoris proviſio, niſi ex conjecturis *ibid.*
Interpretatio §. *Si ejus qui filium* 7. *ibid.*
Enarratio §. *Forſitan addubitet quis* 8. *ibid.*
Diligens obſervatio, quomodo cujusque ratione nepos & avus dicantur *ibid.* 726
Explicatio §. *Ergo ſic* 9. 726
Interpretatio § *In omnibus* 10. *ibid.*
Explicatio duorum legis Velleae capitum *ibid.* 727
Enarratio §. *ille caſus in difficili eſt* 15. 727

CAP. XVI. *Explicatio cujusdam capitis* XII. *Tabb. de ritu Nuptiarum.* 727. 728

Vetus mos dandarum nuptui filiarumfam. 727
Quid ſit *Uſurpare* 728
Explicatus Gellii locus *ibid.*

CAP. XVII. *Conciliatio l.* 1. *C. de promiſſ. dot.* & *l. cum poſt* 69. §. *gener.* 4. *D. de jur. dot.* 728. 729

Exploſis aliorum ſententiis, vera traditur conciliatio 729

CAP. XVIII. *Ad.* §. *Si in judicio* 2. *l. Ex diverſo* 7. *D. ſolut. matr.* 729

Conciliatio *d.* §. *Si in judicio* 2. & *l.* 2. *C. quando provoc. non eſt neceſſe* *ibid.*

CAP. XIX. *An ex pacto nudo naſcatur naturalis obligatio.* 729. *ſeqq.*

Quomodo pacta nuda ſervet Praetor 730
Unde veniat naturalis obligatio *ibid.*
Non ex nudo pacto, ſed magis ex aequalitate naſcitur naturalis obligatio *ibid.*
Explicatio §. *Is natura* 1. *l. Cum amplius* 84. *D. de regul. jur.* 731
An pupillus naturaliter obligetur *ibid.*
Remuneratio naturalis eſt obligatio *ibid.*

CAP. XX. *l. Rem alienam* 41. *D. de pignor. act.* & *l. Si Titio* 22. *D. de pignorib.* 731, 732

Refelluntur traditae ab aliis diſſolutiones: tum vera ſubjicitur conciliatio 732

CAP. XXI. *Variarum juris antinomiarum diſſolutiones* 732 *ſeqq.*

Conciliatio *l. per ſervum* 14. *D. de uſu & habitat.* *l. Hac ſtipulatione* 5. *D. uſufruct. quemadm. caveat.* *ibid.*
Conciliatio *l. ſi cujus rei* 13. & *l. uſufructuarius* 61. *D. de uſufruct.* 733
Conciliatio *l. praeſcript.* 45 *D. de uſucap.* & *l. ſi quisquam* 7. *D. de div. tempor. praeſcr.* *ibid.*
Res jure gentium publica, eodem jure poſſidetur, retineturque, quo acquiritur occupaturve *ibid.*
Conciliatio *l. Qui duos* 9 §. *Cum bello* 1. *D. de reb. dub.* & *l. Ex facto* 17. §. *Si quis autem* 7. *D. ad SCtum Trebell.* *ibid.*
Conciliatio *l. Quinquaginta* 12. *D. de probat*, & *l. plane* 34 §. *ſed ſi non* 3. *D. de legat.* 1. 734
Conciliatio §. *ſed ſciendum* 1. *Inſt. qui teſtam. tutor.* & *l. etſi non ad ſcripta* 9. *C. de fideicom. libert.* *ibid.*
Conciliatio *l.* 4 §. *Cato* 1. *D. de verb. oblig.* & *l.* 5. §. *ult.* & *l. in executione* 85. §. *item ſi* 6. *eod.* & *l. heredes* 25.

CAP. I. *Diſſolvendarum antinomiarum, quae in juris Auctorum libris inveniuntur, ratio* Pag. 737

EXplicatio *l. 28 D. de legib.* 738
Praeceptum Juſtiniani, quo facile leges, quae videntur contrariae, conciliari poſſunt 739

CAP. II. *Conciliatio l. 18. D. ſi cert. petat. & l. 36. D. de acq. rer. domin.* 739

Confutatis Franc. Aretini aliorumque ſolutionibus, vera ſubjicitur *ibid.*

CAP. III. *Conciliatio l. 24. D. ad. l. Falcid. & l. 22. ad. SCtum Trebell.* 740

An partus ſit in fructu *ibid.*
Correcta lectio *d. l. 22.* *ibid.*
Antiquae diſſenſionis inter Brutum & Scaevolam nulla extant in Digeſtis veſtigia *ibid.*

CAP. IV. *Enarratio obſcuriſſimae Dioclet. & Maxim. Impp. conſtitutionis, l. Filius quem 24 C. Famil. erciſc. Ejusque cum aliis quibusdam juris Romani locis conciliatio.* 741

Verus *d. l.* ſenſus *ibid.* 742
Conciliatio *ejus l. & l. in Quartam 91. D. ad leg. Falcid.* 742
Interpretatio *d. l. in quartam 91.* *ibid.*
Conciliatio *hujus l. & l. Titia 86. D. ad l. Falcid.* *ibid.*
Species & interpretatio *d. l. Titia 86.* *ibid.*
Differentia inter quartam Trebel. & eam, quae ex l. Falcidia debetur: ejusque differentiae ratio 742. 743
Quae legata in Falcidiam imputentur 743
Conciliatio *d. l. Titio 86. & l. Marcellus 3. l. in fideicomm. 18. D. ad l. Falc. l. cum virum 16. C. de fideicomm.* *ibid.*

CAP. V. *Conciliatio l. 3. §. 6. & l. 8. D. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* 744

An in amittenda poſſeſſione ſolus animus ſufficiat *ibid.*
Relata Aemilii Ferretti ſolutione, vera traditur *ibid.*

CAP. VI. *Conciliatio Decii Imp. conſtitutionis, l. Donatarum 3. C. de acq. & retin. poſſeſſ. cum l. 1. §. 3. D. eod. tit.* 745

An infans pupillus acquirere poſſeſſionem poſſit *ibid.*

CAP. VII. *Conciliatio l. 7. §. 2. D. de pact. & l. 5. §. Quod ſi faciam 3. D. de praeſcr. verb.* 745

Conciliatio *d. l. 7. & l. 5. in §. 2. verſ. Sed ſi dedi. eod.* 745. 746
Referuntur Duareni & Baronis ſolutiones 746
An ex contractu, Facio ut des, praeſcriptis verbis actio detur 747
Refelluntur omnes omnium Interpretum diſſolutiones *ibid.*
Cum actione praeſcriptis verbis, actio de dolo non concurrit *ibid.*
De contractibus innominatis brevis diſputatio 748
Quid ſit συνάλλαγμα. *ibid.*
Interpretatio *l. Labeo 19. D. de verb. ſign.* *ibid.*
Explicatio *d. §. Quod ſi faciam 3.* 749
Interpretatio verbi *Ceſſas* *ibid.*

CAP. VIII. *De Pactis in rem & in perſonam diſſolutae antinomiae.* 749

Quae ſint pacta in rem; quae in perſonam *ibid.*
Conciliatio *l. ſi tibi 17. D. de pact. & l. Si poſt 22. D. de conſt. pecun.* *ibid.*
Differentia inter pactum & conſtitutam pecuniam 750
Enarratio *l. Si actionem 24. C. de pact.* *ibid.*
Conciliatio *l. Si unus 27. §. Eadem 3. D. de pact. & l. fin. eod.* *ibid.* 751

CAP.

CAP. IX. *Conciliatio l. 7. §. 5. D. de pact. & l. 40. D. Si cert. pet.* Pag. 751

Quae pacta contractibus inſint, & in ingreſſu contractus fieri dicantur *ibid.*
Quomodo bonae fidei judiciis inſint pacta 752
Quae ſit forma, quam illis judiciis dant pacta *ibid.*
An idem ſit in ſtrictis, quod in bonae fidei judiciis dicendum *ibid.* 753
Enarratio *l. Lecta 40. D. ſi cert. pet.* 753
Nihil intereſt inter formare & reformare contractum *ibid.*
Interpretatio §. *Adeo 6. in fin. l. Juris gentium 7. D. de pact.* *ibid.*

CAP. X. *De Teſtamentis.* 754

Quid ſit teſtamentum *ibid.*
An anulo tantum ſignatorio teſtamentum ſignari poſſit *ibid.*
Diſſolutae de adhibendis in teſtamento teſtibus controverſiae *ibid.*
Qui teſtamenti factionem habere dicantur *ibid.* 755
Quare mulier in teſtamento adhiberi teſtis nequeat 755
An oporteat ſervum mortis etiam tempore pro libero haberi *ibid.*
Qui ſint domeſtici teſtes *ibid.*
Diverſitatis inter legatarium & ſcriptum haeredem ratio *ibid.* 756
An in teſtamento poſſit intervenire contractus 756

CAP. XI. *An ad alium caſum producatur interpretatione teſtatoris voluntas.* 756

Conciliatio *l. Commodiſſime 10. D. de liber. & poſthum. & l. ult. C. de poſth. haered.* 756. 757

CAP. XII. *Enarratio l. 3. D. qui teſtam. facere poſſunt.* 757

Ratio, propter quam filiusfam. donare quidem ex conſenſu patris, non autem teſtari poteſt 758

CAP. XIII. *De Subſtitutionibus.* 758

Quid ſit ſubſtituere & ſubſtitutio *ibid.*
Subſtitutionis diviſio *ibid.*
De vulgari ſubſtitutione ad *l. 1. D. de vulg. & pupill. ſubſt.* 759
Quid ſimplex; quidque duplex ſubſtitutio *ibid.*
Quando expiret vulgaris ſubſtitutio *ibid.*
De pupillari ſubſtitutione ad *l. 2. eod.* *ibid.*
Explicatio *l. Si mater 33. D. eod.* 760
An ordo ſcripturae obſervari debeat *ibid.*
De ſubſtitutione tacita, expreſſa, reciproca & non reciproca ad *l. 4. D. eod.* 761
Quando tacita ſubſtitutio ſubintelligatur *ibid.*
Explicatio *l. fin. C. de Inſtit. & ſubſtit.* *ibid.*
Enarratio *d. l. 4. D. eod.* *ibid.* 762
An reciproca ſubſtitutio ſit diſtincta ab aliis ſpecie 761
Quare ſubſtitutio dicatur verbum commune 762
Quando pupillaris ſubſtitutio expirat, & quid ſit illa, quae compendioſa dicitur *ibid.*
Differentia inter ſubſtitutionem pupillarem & vulgarem in ea ſpecie, in qua quis cum adiiſſet, poſtea reſtitutus eſt *ibid.*
Quae ſint verba civilia *ibid.*
Quid ſit proprie compendioſa ſubſtitutio, ſi modo ea ita dici debeat 763
De quaſi pupillari ſubſtitutione *ibid.*

CAP. XIV. *Quis conjunctorum in jure accreſcendo praeferatur.* 763

Qui ſint conjuncti *ibid.*
Quotuplices *ibid.*
Re & verbis conjunctus, re tantum conjuncto praefertur; hic autem cum verbis conjuncto concurrit: & ratio diverſitatis ſubjicitur 764
Re & verbis conjunctus praefertur caeteris. Re autem conjunctus, verbis conjuncto potior eſt; ubi explicatur *l. Re conjuncti 89. D. de legat. 3.* *ibid.*

Con-

Digitized by Google

L I B R O   T E R T I O.

CAP. I. *Actionis definitio & diviſio.* Pag. 767

QUa ſignificatione Actio jus dicatur ibid.
Quid ſit jus applicationis 768
Quid ſit perſequi & perſecutio ibid. 769
Quid ſit judicium 769
Verbum debendi omnibus actionibus convenit ibid.
An, in definitione actionis, id, quod debetur in diem aut ſub conditione, comprehendatur ibid.
Actionum diviſio ibid.
Interpretatio horum verborum, & aliis quibusdam modis in *tit. Inſtit. de action.* ibid.
In rem actio, vindicatio appellatur 770

CAP. II. *Ad §. 2. verſ. Nam in his. Inſtit. de Action.* 770

Quare negativa actio pro re corporali non detur ibid.
Emendatio textus *d. verſ. §. 2.* ibid.
Ad *d. §. 2. verſ. Sane uno caſu* ibid. 771
Confutatis aliorum ſententiis, vera illius interpretatio ſubjicitur 771
Negativa lectio explicatur ibid.
Sed, etiamſi vulgaris probetur lectio, alia tamen explicatio traditur, eaque verior caeteris 772

CAP. III. *De bonae fidei & ſtrictis actionibus.* 772

Mos Praetorum ibid.
De clauſula ex bona fide ibid.
Quid ſit bona fides 773
Una eſt bonae fidei ſignificatio, eademque in judiciis atque in contractibus ibid.
Quae ſint bonae fidei judicia ibid. 774
Bonae fidei appellatio eſt qualitas quaedam, quae non novam Actionum formam & ſummis duobus generibus oppoſitam conſtituit 774
Quae ſint ſtricta judicia ibid.
Qua ratione illa tantum judicia bonae fidei ſint ibid.
Non directa tantum, ſed quaedam etiam contraria bonae fidei ſunt ibid.

CAP. IV. *De arbitrariis Actionibus.* 775

Actio de eo, quod certo loco &c. ibid.
Differentia Actionis arbitrariae & bonae fidei ibid.
Unde dicitur arbitraria Actio ibid.
Quid ſit arbitrium ibid.
An noxalis Actio ſit arbitraria ibid. 776

CAP. V. *De actione oneris averſi, & quid ſit averſione vendere aut locare.* 776

Refutatis Aleiati, Taurelli & aliorum ſententiis, quid ſit averſione vendere aut locare, eleganter traditur ibid.
Quid ſit actio oneris averſi 777

CAP. VI. *An ſola in jus vocatione interrumpitur uſucapio.* 777

De duobus interruptionis generibus, quae excogitarunt interpretes 778
Per litis conteſtationem, & multo minus per ſolam in jus vocationem, libellive oblationem, non interrumpitur uſucapio ibid.
Quare praeſtabatur a Reo poſſeſſore cautio ibid.
Refellitur vulgatis DD. ſententia 779
Enarratio *duarum Juſtiniani conſtitutionum C. de annal. except. Ital. contr. toll.* ibid.

CAP. VII. *De Actionum concurſu.* 780

Notata Interpretum ſententia de Actionum cumulatione ibid.
De actione praeſcriptis verbis ibid.
Cum Actione praeſcriptis verbis non concurrit Actio de dolo ibid.
Quando datur Actio de dolo 781

CAP. VIII. *De in litem jurando.* Pag. 781

Quando, quam ob cauſam, quibus in judiciis defertur juramentum in litem ibid.
Ut in litem juramentum deferatur, ſatis eſt, dolum vel contumaciam interveniſſe 781
Differentia inter ſtricta & bonae fidei judicia ibid.

CAP. IX. *Ad l. Quod Nerva 23. D. Depoſiti.* 782

Quid ſit culpa ibid.
Culpae diviſio ibid.
Quid ſit lata culpa ibid.
Explicatio *d. l. Quod Nerva* 32. ibid.
Quid ſit levis culpa ibid. 783
Quid ſit leviſſima 783

CAP. X. *De Mora.* 783

Explicatio *l. Mora fieri 32. D. de uſur.* ibid.
Morae definitio ibid.
Quomodo fiat mora ibid.
Ex interpellatione venit mora 784
An is, qui ad diem certam obligatus eſt, ſolo diei lapſu in moram incidat ibid.
Enarratio *l. Trajectitiae 23. de oblig. & act.* ibid.

CAP. XI. *Epitome tit. D. de contrah. empt. & vend.* 785

Quatuor ſunt praecipui hujus tituli loci; qui ordine explicantur ibid. & *ſeqq.*
Quam antiqua ſit emptionis origo 785
De permutatione ibid.
Differentia emptionis & permutationis ibid.
Emptio formam accepit a jure civili ibid.
Secundus locus de ſubſtantia & forma emptionis ibid. 786
Solus conſenſus perficit emptionem 786
Diſſolutae obiter quaedam antinomiae ibid.
De pretio & re ibid.
An poſſit in arbitrium conferri emptio ibid.
Tertius locus de pactis conventis ibid. 787
Cui noceat obſcuritas vel ambiguitas pacti, ubi quaedam diſſolvuntur antinomiae 787
De lege commiſſoria, & in diem addictione ibid.
Quartus & poſtremus locus de perſonis & rebus 788
An tutor rem pupilli emere poſſit ibid.
An rei hominum commercio exemptae valeat emptio ibid.
Rei alienae diſtractio valet ibid.
An ſpes emi poſſit 789

CAP. XII. *Synopſis tit. D. de Actionibus empti & venditi.* 789

Quid in actionem empti veniat ibid.
Quomodo res tradi debeat ibid.
De cauſa bonorum 790
An interſit inter emptionem & ſtipulationem ibid.
Conciliatio *l. 3. D. de act. empt.* & *l. ſi Stipulatus ſit* 4. *D. de uſur.* ibid.
Conciliatio *l. Sterilis* 21. *l. Julianus* 13. *D. de act. empt. l. Tenetur 6. eod.* & *l. Sed addes* 19. *D. Locati.* ibid.
Differentia aeſtimatorii judicii, & actionis ex empto ibid.
De quanti plurimi acceſſione 791
De evictione 791
Quid in actionem venditi veniat ibid. ibid. 792

CAP. XIII. *Ad l. 2. in §. Mutui datio 1. D. Si cert. petat.* 792

Relatis aliorum opinionibus, quid functio ſignificet explicatur ibid.
Natura Mutui ibid. 793

Digitized by Google

REferre nihil exiſtimo, an *de verborum obligationibus*, an vero *de ſtipulationibus*, hunc titulum a Triboniano caeteriſque prudentibus viris, quibus Pandectarum compoſitionem mandaverat Imperator, inſcriptum eſſe diximus. Sic enim in Juſtiniani *ad Senatus & omnes populos epiſtola vel conſtitutione* §. 8. legimus: *Septimus autem & noviſſimus articulus Digeſtorum ſex libris formatus eſt: in quo de ſtipulationibus, & de fidejuſſoribus & mandatoribus, nec non novationibus & ſolutionibus & acceptilationibus, & de praetoriis ſtipulationibus: omneque jus invenitur gemino volumine inſcriptum eſſe, quod in libris antiquis, nec numerari poſſibile fuit.* Sed & T. Cajum *de verborum obligationibus* libros tres; Venulejum vero Saturninum *ſtipulationum* libros decem & novem ſcripſiſſe, Angelus Politianus in epiſtola ad Jacobum Modeſtum refert. Obtinuit autem, ut de verborum obligationibus ſcriberetur. Nam ſtipulatio verborum obligationem parit, *l.* 1. §. 3. *D. de ſtipul. ſervor.* atque ex contracto negotio pendet, *l.* 5. *infra h. t.* Verum magis hunc titulum *de verborum obligationibus*, quam obligatione, ſcribere placuit. Ea enim inſcriptio plenior eſt: ut eos etiam tres libros, in quibus de vita & moribus diſputat Cicero, non de officio, ſed officiis inſcripſit, *Lib.* 16. *ad Att. epiſt.* 6. Sed (ut de ſtipulationis origine dicam) ſciendum eſt, eam obligationum firmandarum gratia inductam (ut Paulus *lib.* 5. *ſentent. recept. tit.* 8. ſcribit) atque jure Romano inventam, & ſolenni quodam ritu ex Romanae civitatis moribus concipi ſolitam fuiſſe. Nam & Paulus diſerte naturalem obligationem a ſtipulatione diſtinguit, *l.* 126. §. 2. *verſ. Supereſt. infra eod.* Et quod Ulpianus de acceptilatione lib. 48. ad Sabinum ſcribit, *Quia hoc jure utimur, ut juris gentium ſit acceptilatio*, ſignificat, proditam jure civili acceptilationem uſu quodam apud omnes peraeque gentes obſervari, *l.* 8. §. 4. *D. de accept.* Dicitur autem ſtipulatio ex eo, *quod ſtipulum apud veteres firmum appellabatur, forte a ſtipite deſcendens*, *Inſtit. tit. de verb. oblig.* Sic enim ſcribit Tribonianus, nec aliter Graecus interpres vertit: ut audiendi non ſint illi, qui eam lectionem immutare audent. Praeterea ſtipulationem contractum eſſe nominatum, ex obligationis diviſione, quam & Cajus JCtus *l.* 1. *D. de obligat. & action.* & Juſtinianus *Inſtit. tit. de oblig.* ſeu quis alius, qui Juris civilis inſtitutiones compoſuit ac edidit, tradiderunt, aliiſque pluribus Juris locis conſtat. Caeterum Paulus & Venulejus ſtipulationem ex utriusque conſenſu valere & perfici dixerunt, *l.* 83. §. *ſi Stichum* 1. & *l.* 137. *ſi hominem* 1. *infra eod.* ut in ea contrahenda requiratur conſenſus, *l.* 1. *D. de pact.* & praeter ipſum verba, ſine quibus fieri non poteſt. Et in aliis quidem contractibus, qui ſolo conſenſu perficiuntur, non tam ex verbis cognoſcitur, quod inter contrahentes *συνάλλαγμα* intervenerit, quam ex ipſorum mente & aſſenſione; in qua tota eſt earum conventionum ſubſtantia. At in ſtipulatione ſola verba ſtipulantium voluntatem & conſenſum oſtendunt; ut ſine iis nuda magis pactio, quam ſtipulatio videatur. Denique ſtipulationes omnibus omnino pactis & contractibus adhiberi poſſunt. Atque nunc principem in conventione locum obtinent, & conventio in earum nomen tranſit: nunc ſunt tanquam appendices & acceſſiones alicujus conventionis, eique tantum firmandae adjiciuntur. Ideoque Paulus libr. Quaeſtionum, *l* 45. *D. ſolut. matr.* pactum & ſtipulationem interveniſſe, & actionem ex pacto & ſtipulatione competere dixit, id eſt, ex pacto, ſubjecta ſtipulatione confirmato, vel ex ipſa ſtipulatione, quae pacto vim & robur adjecit. Imperatores quoque Dioclet. & Maximin. reſcripſerunt, ſi pacto permutationis ſtipulatio ſubjecta ſit, ex verborum obligatione quaeri partibus actionem, *l.* 3. *C. de rer. permut.* Eorum autem contractuum, quibus jungitur, ſtipulatio naturam ſequitur; adeo ut, quamvis ſtricto jure vallata ſit, & non ex bona fide deſcendat; ſi tamen bonae fidei contractui ſubjiciatur, quaecunque bona fides expoſcit, in ea deſiderentur, *l.* 13. *D. Com. praed. tam urban. quam ruſt.* Caetera in explicanda definitione dicemus.

Ad Legem 1.

Suam omnem vim a verbis accipit ſtipulatio: quae, cum ex interrogatione & reſponſione conſtet, confici non poteſt, niſi & is, qui interrogat, & is, qui reſpondet, loquatur. Ideoque infans ſtipulari nequit: propterea quod ne loqui quidem poſſit. Infantiae autem proximus, qui affari quodammodo valet, quamvis non intelligat, quid agat, benigniore tamen interpretatione propter utilitatem, ut recte ſtipuletur, receptum eſt, *l.* 6. *D. Rem pupill. ſal. fore.* Theophil. *in* §. *Pupillus* 9. *tit. Inſt. de inut. ſtip.*

Ad verb. Abſens.] Abſentem accipere debemus eum, qui non eſt in eo loco, in quo contrahitur, *l.* 199. *D. de verb. ſignific.* Illum autem ſtipulari non poſſe, ſcribit JCtus; adeo ut, ſi praeſens interrogarit, ei vero abſenti reſponſum ſit, inutilem eſſe ſtipulationem dicat, in §. *proximo*, qui ſic intelligi debet: Quod ſi ſervus, vel procurator ejus nomine ac juſſu, pecuniam aliudve dederit, ipſique ſtipulanti is, cui datur, congrue reſponderit; tum hic literas ad dominum mittat, quibus ſeſe daturum facturumve reſpondeat, quicquid inter ſe & ſervum procuratoremve convenit: ea quidem valet ſtipulatio, petique ex ea poſſe reſpondit Paulus, *l.* 57. *D. de don. inter vir. & uxor.*

§. 1 *Ad verb. Intervallum.*] Intervallum, quod inter interrogationem & reſponſionem intervenit, adeo breve & modicum, ut ſtipulatori ad alienos actus divertere non licuerit, ſtipulationem non vitiat, *l.* 137. *infra eod. l.* 6. *D. de duob. reis.*

§. 2. *Ad verb. Contra ſi ſine.*] Qui annuit, licet conſentire videatur, *l.* 21. *D. de legat.* 3. non tamen ſe obligat; cum ipſe, an dare facere velit, non exprimat: ideoque nec naturaliter quidem tenetur, *l.* 84. *D. de diverſ. regul. jur. antiq.* multo minus jure civili. Nam in hoc negotio, quod tantam requirit ſolennitatem, is, qui, interrogatus intelligensque eum concipiendae ſtipulationis ritum, nullum verbum profert, facile creditur conſentire noluiſſe.

§ 3. *Ad verſ. Cum adjicitur.*] Ex ſuperioribus regulam colligit Ulpianus, quam ſubjectis aliis exemplis, velut exceptionibus, interpretatur. In ſequentibus

tum erat, conceptis comparat, §. *Praeterea* 5. *Inſtit. de inutilib. ſtipulat.* ex hoc loco interpretationem recipit. Eſt enim haec quidem inutilis obligatio: verum, quia in certa ſumma conſenſerunt contrahentes, in hoc ipſo valet, nec omnino vitiatur, cum minor ſumma majore contineatur.

§. 6. *Ad verb. Omnis ſermo.*] Stipulatio non aliter conficitur, quam ſi verbis contrahentium voluntas declaretur: ideoque ſermone, non notis, opus eſt.

Ad Leg. 2.

Omnis omnino obligatio ad dandum vel faciendum adſtringit: atque his quidem verbis non dare & non facere, caeteraque, quae obiter illis opponuntur, *l.* 13. *C. de contrah. & com. ſtipul.* comprehendimus.

§. 1. *Ad verb. Partium praeſtationem.*] In hac ſtipulationum diſtinctione, praeſtationem dationemve rei, in obligationem deductae, intelligit JCtus: nam ex re ſtipulatione comprehenſa cognoſcitur, an ea dividua ſit; an vero individua, *l.* 72. *infra eod.* Partes autem eas dicimus, quae intellectu, non corpore continentur: nam ſic illae proprie a juris authoribus appellantur.

Ad verb. Veluti decem.] Dandi ſtipulatio dividua eſt, ſive ea quantitatem, ſive ſpeciem certam contineat, *l* 9. *D. de ſolut.* adeo ut invito creditori pars ſolvi poſſit, §. *Item per acceptil.* 1. *Inſtit. Quib. mod. toll. oblig. d. l.* 9. *D. de ſolut.*

Ad verb. Natura.] Cuique rei ſua vis & conditio inſita atque innata eſt, quam jus non contemnit. Et certe quaedam res ſunt, quarum natura omnem omnino refugit diviſionem; ut ſervitutes. Earum enim uſus (in quo tota ipſarum natura conſiſtit) ita connexus eſt, ut dividi nullo modo poſſit, *l.* 17. *D. de ſervitut.* Semper vero uſumfructum excipimus, cum frui pro parte liceat, *l.* 19. *D. de uſu & habit.* Videtur quoque excipienda habitatio propter novam Juſtiniani conſtitutionem, *l.* 13. *C. de uſuf. uſu & habit.*

Ad verſ. Nam & ſi Stichi pars.] *Hominis ſtipulatio, orationis compendio ſingulos homines continet*, *l.* 66. §. 3. *D. de legat.* 2. non diſtinctas certi hominis partes. Nam licet homo natura ſua partium diviſionem recipiat, earum quidem, quae intellectu conſtant: ſi tamen ejus ſolutio pro parte fieret, ut in diverſis hominibus ſtipulatori ſolveretur, contra quam promiſſum eſt contingeret, *l.* 85. *infra eod.*

Ad verb. Sed aut ſtatim.] Si ei, qui hominem in genere ſtipulatus eſt, pars Stichi data ſit, nihilominus homo deberi non deſinit, nec eſt pars obligationis perempta; ideoque hominem adhuc petere licet: qui ſi ſolvatur, pars prius data tanquam indebita condici poterit; ſin minus, in pendenti eſt obligatio. Atque ita hunc locum interpretari videtur Ulpianus *l.* 9. *D. de ſolut.*

Ad verſ. Ejuſdem conditionis.] In hac quaeſtione nihil intereſt inter generis & alternativam obligationem. Qui enim hominem in genere promiſit, ſimilis eſt ei, qui Stichum aut decem debet, *l.* 32. §. 3. *D. de condict. indeb.* Itaque ſi ſolverit quinque, non perimit partem dimidiam obligationis, ſed in pendenti eſt an liberetur, petique ab eo poſſunt reliqua quinque, aut Stichus, *l.* 26. §. *Si decem* 13. *D de condict. indebit.* Quod etiam in generis ſtipulatione dicendum eſt. Fateor autem non ſemper acquiparari, ut etiam Paulus lib. 3. ad edictum ſcribit, *l.* 27. *D. de pact.* His vero, quae diximus, obeſſe videtur illud, quod Julianus ſcribit: *qui hominem aut decem ſtipulatus eſt, ſi quinque accepto fecerit, partem ſtipulationis peri-*

gationem arbitror, cum verba ipſa Juriſconſulti ſignificare aliud videantur. Itaque cum loqui de obligatione certae ſpeciei & quantitatis (quas dividuas eſſe conſtat) exiſtimo.

Ad §. *Ex his igitur* 2.] Haec verba ad ſuperiora omnia, ex quibus partis praeſtatio, ſive propter rei naturam, ſive propter damnum minime recipitur, referenda eſſe, oſtendit ipſe contextus, qui primum ſervitutis, tum generis obligationem tractat.

Ad verſ. Non enim.] Non poſſunt haeredes naturam obligationis ejus, cui ſucceſſerunt, immutare: ideoque licet ex iis quidam partem ſuam ſolverint, ipſis tamen non prius ejus partis ſolutio prodeſt, quam cohaeredes reliquam perſolverint. Vis enim eadem eſt & natura obligationis, a defuncto contractae inter ipſius haeredes, atque principali obligatione continebatur, remanetque ipſa obligatio dividua vel individua: ut dandi obligationem, a qua pro parte liberari poteſt promiſſor, inter haeredes diviſit lex 12. Tabularum, *l.* 6. *C. Famil. erciſc. l.* 1. *D. Si cert. pet.* Servitutem vero, ut a debitore, ita ab ejus haeredibus ſolidam conſtitui oportet.

Ad verſ. Sed quo caſu.] Haec verba intelligenda ſunt ex natura rei, in ſtipulatum deductae. Conſtat autem conſtitui ſine praedio non poſſe ſervitutem: ideoque veriſimile eſt, hunc ipſum haeredem praeſtitiſſe in eo fundo ſervitutem, qui ſibi obtigerat, vel ex diviſione, mutuo conſenſu extra judicium facta, vel, ut eo interim uteretur, donec res, quae confuſae eſſent, in partes certas diſtinctasque diſtribuerentur. Itaque quod praeſtitit, a cohaeredibus familiae erciſcundae judicio repetet.

Ad verſ. Ex quo quidem.] Hic neque de conſtitutione ſervitutis, neque de loci deſignatione, ſed de ipſa ſervitutis praeſtatione agitur: quam ſtipulatori defuncto promiſſam petunt ſinguli haeredes in ſolidum. Et victoria quidem unius aliis prodeſt: ut ſcripſiſſe Pomponium refert Ulpianus, *l.* 4. §. 3. *D. Si ſervit. vindicet.* a quo nonnulli diſſentiebant, propter praeſtationis difficultatem. Nec enim per ſingulos acquiri poteſt ſervitus. Verum haec ratio non facit inutilem in perſona haeredum ſtipulationem: quod ipſius conditio ex ea non immutetur.

Ad §. *Si tamen hominem* 3.] Stipulator, qui contra unum ex promiſſoris haeredibus pro ſua parte agit, eam ſolam partem in judicium deduxiſſe videtur: atque ita obligationem ſolutione alioqui individuam diviſiſſe. Idem dicendum eſt, ſi accepto tulerit. Nam acceptilatio legitimus eſt actus, *l.* 77. *D. diverſ. reg. jur. antiq.* omnimoque debitorem liberat: quamvis ex ſimplici ſolutione, quae fit ſtipulatori ab uno ex haeredibus, ne partis quidem ſolutio contingat; ne id, quod ſtipulatus eſt, minus conſequatur, *l.* 85. §. *pro parte* 4. *D. inf. hoc tit.*

§. 5. *Ad verb. Neque per haeredem.*] Ex hac haeredis adjectione non conſequitur ad haeredes hujusmoni non tranſire factum, niſi eorum ſpecialis facta ſit mentio. Verum enim eſt, omne omnino factum, etiam in quo electa eſt perſonae induſtria, ad haeredes & contra haeredes transmitti, ſive ſpecialis eorum fiat mentio, ſive non, ipſumque ab haeredibus praeſtari debere, ſi fieri poſſit, ut adimpleant quod defuncto impoſitum erat. *Omnium enim hominum pene ſimilis eſt natura, & facta omnes vel plus, vel paulo minus adimplere poſſunt.* Atque ita Imperator Juſtinianus, veteres juris altercationes decidens, reſcripſit, *l.* 13. *C. de contr. & commit. ſtipul.*

Ad verb. Tenentur quidem.] Hunc locum ipſe Paulus

Digitized by Google

miliae erciſcundae judicio ſarciet damnum. Et haec quidem verba oſtendere videntur, factorum duo eſſe genera: alia, quae in facti conſummatione & effectu conſiſtunt, ut opus facere. Ea cum formam prius non habeant, quam ſi perfecta & abſoluta ſint, non magis dividua ſunt, quam ſervitutes: praeſtanturque a ſingulis haeredibus in ſolidum. Caetera vero facta, quae nullum effectum reſpiciunt, ab omnibus heredibus pro portione haereditaria praeſtantur, ut ire agere: quamvis enim in ſolidum committatur ſtipulatio; cuique tamen haeredum ſua portio injungitur.

Cum autem hujus generis factorum obligationi poena ſubjecta ſit, eaque pecuniam contineat, quae diviſionem non rejicit; hic vero ejus nulla facta ſit mentio, ſed de ſola & ſimplici obligationis natura & conditione agatur: verius eſt, ut ſequamur, quod ab Ulpiano ſcriptum eſt; atque generaliter & in opere & in ſervitute caeteriſque factis, quae diviſionem non recipiunt, ſtatuamus, unumquemque haeredem ex hujusmodi obligationibus, pure conceptis, in ſolidum teneri, *l. 11. §. Si in opere* 23. *D. de leg.* 3.

§. 6. *Ad verſ. Sed qui.*] Poena quidem efficit, ut etiam non prohibitis haeredibus, quorum nihil intereſt, actio competat; quia verum eſt, contra totam ſtipulationem factum eſſe. At doli exceptione repellentur, quaſi non vera, ſed callida & malitioſa ſtipulationis interpretatione utantur. Nam propter prohibitionem debetur poena; ipſi vero prohibiti non fuerunt.

Ad Leg. 3.

Haec ſtipulatio, *habere licere*, ſolum atque ſimplex factum aliquando continet; aliquando vero jus ipſum. Et tum quidem dividua, alia vero caſu individua eſt; ut diſputat Ulpianus, lib. 49. ad Sabinum *l.* 38. *inf. eod.*

Ad Leg. 4.

Ad verſ. Eadem dicemus.] Haec verba ſive Sabino, ſive Paulo, qui ad illum notas ſcripſit, tribueris, referre nihil exiſtimo. Verius enim videtur haec lex ex eodem libro, ſcilicet 12. ad Sabinum, deſumptam eſſe, atque illam, quam hujus tituli ſecundam fecit Tribonianus.

Ad §. Cato 1.] Cato, M. illius Catonis Porciae familiae principis filius, Imperator deſignatus, patre vivo diem ſuum obiit; permultis tamen de jure civili libris (uti a Pomponio & Gellio refertur *lib.* 13. *cap.* 18.) relictis. Ille praeclaram hanc factorum diſtinctionem tradidit: quam ut intelligamus, ſciendum eſt, duo eſſe factorum genera: quaedam dividua; quaedam vero individua. Dividua ſunt, quae partium praeſtationes admittunt, ut uti frui, amplius non agi, & caetera; quae juris dividui effectum continent, aut aliquid ex jure admixtum trahunt. Individua autem, quae natura diviſionem refugiunt, ideoque niſi in ſolidum praeſtari non poſſunt; velnti per te non fieri, neque per haeredem tuum, quo minus mihi ire agere liceat: quod, verborum compendio, iter fieri, Catonem dixiſſe, ut ejus oratione conſtat. In hac autem diſtinctione non inſpicimus id, quod ſubeſt facto, ſed ipſius facti, quod promiſſum eſt, naturam. Illud enim eſt, quod in ſtipulationem venit. Sed factorum obligationibus adjectam pecuniae certae poenam fuiſſe, ſcribit JCtus. Et licet ea dividua cenſeatur, ſuam tamen naturam ipſis factis ita accommodat, ut non minus dividuae, quam individuae eorum ſtipulationes videantur.

ſed tamen ita Catonis diſtinctionem retulerat, ut eam ſe probare ſatis oſtenderet. Ideoque quod ſubjicit, non dubitantem eum contrariam ſequi opinionem indicat, ſed ipſe, aliorum Juriſconſultorum more, qui ita ſaepius ſe dubitare fingunt, tanquam diffidens, Marcelli ſententiam obiter notat. Et haec mea interpretatio eſt, licet aliter explicent: ſed quam recte alio loco dicam. Et certe qui haec verba, *Et Paulus reſpondi non idem eſſe*, huic verſiculo adjecerunt, ſe non exiſtimaſſe Paulum idem in aliis ſtipulationibus, atque in illa rem ratam haberi, dicere voluiſſe ſignificant. Ego vero quoſdam manuſcriptos codices conſului, in quibus ita legitur: *Et reſpondi non idem eſſe.* In margine vero ſcribitur, *Paulus:* quaſi ea ſit Pauli ad Sabinum, de Catonis diſtinctione dubitantem, nota. Sed utcunque legatur, noſtra interpretatione nulla probabilior eſt, & quae ad JCti mentem propius accedat.

Ad verb. Quamvis ipſe dominus.] Hujus loci atque *l.* 3. *D. rem rat. hab.* apertiſſima eſt ex eo diverſitas, quod ex verbis Pauli conſtet, in ſtipulatione ratum haberi, poenam fuiſſe adjectam; in illa autem lege de poena nullum eſt verbum. Sed, etiamſi fateamur, poenam hic non fuiſſe adjectam (quod tamen defendi non poteſt) nihilominus in iſta lege non eſt ſtipulatio pro parte tantum commiſſa: cum ad quinquaginta teneantur fidejuſſores, quae tota eſt ſumma, de cujus ratihabitione agebatur.

Ad §. Si is qui duplam 2.] Quatuor enumerat ſtipulationes JCtus, quas hujus naturae & conditionis eſſe ſcribit, ut ipſae quidem individuae ſint: cum defenſio, cautio, & reſtitutio, quibus tota earum vis explicatur, individuae ſint, *l.* 139. *inf. eod. & l.* 17. *D. de judic. l.* 23. *D. de dam. infect. l.* 2. *D. de praetor. ſtipulat.* ideoque in ſolidum agi oportet, atque promiſſoris haeredes in ſolidum denunciandi ſunt. Verum partis ſolutio adfert liberationem, *l.* 85. *inf. eod.* Id enim connexum atque conjunctum eſt hujusmodi obligationum naturae, ut vel poena, vel id, quod intereſt, inſit, *l.* 16. *D. de evict. l* 13. *D. de re jud. l.* 2. *§.* 2. *verſ. hoc enim facere. D. de praetor. ſtip. l.* 5. *§. fin. D. de damn. infect. l.* 21. *§. Sive autem* 4. *D. de nov. oper. nunc.* Ideoque ſtipulatoris haeredes ſinguli pro portione ſua habent actionem: quod certe utilitatis cauſa receptum eſt contra aliorum factorum naturam, quae individua appellantur.

Ad. verſ. Reſtitui.] Is ipſe Paulus ſpeciale aliquid rei reſtitutioni tribuere videtur, cum eam a caeteris diſtinguat, *d. l.* 2. *D. de praet. ſtipulat.* Et certe reſtitutio videtur aliquid magis individuum continere; cum in ea opus inſit: ipſum autem & natura & intellectu omnino individuum ſit; ut diximus. Nam ex conſummatione formam accipit: ideoque totum reſtitui debet. In caeteris vero factis ratione haeredum portiones hereditarias ſpectari, oſtendimus *Supra.*

Ad verſ. Ipſi autem.] Ex his verbis ſentio ea, quae dicta ſunt, ad haeredes promiſſoris, quibus cum ſtipulatoris haeredibus agere pro portione haereditaria permiſſum eſt, referenda eſſe: idque orationis diſpoſitio indicat. Eſt enim totum hoc caput ex libro eodem Pauli collectum. Cum autem is in ſuperioribus haeredum mentionem fecerit, veriſimile eſt, eadem dicendi forma ipſum haec poſteriora tractaſſe. Sunt autem haec verba ad duplae ſtipulationem, & operis novi nunciationem referenda, in quibus defenſio vel reſtitutio ſpectatur.

Digitized by Google

cem interponi. Nam in iis, quae ante judicium acceptum contingunt, nullae ſunt judicis partes, ſed Praetoris tantum. Lite vero conteſtata, judici omnium rerum officium incumbit, *l.* 25. §. 8. *D. de aedil. edict.* Hinc diſtinctio illa proficiſcitur, quam docte & eleganter explicat Theophilus Graecus paraphraſtes.

Ad verb. A mero.] Merum hic ſignificat ſolum, ſimplex, & omnino disjunctum ac ſeparatum, ita ut Praetoris officium cum judicis officio commune nihil habeat.

Ad verb. Praetoris officio.] Quod hic dicit officio, & Juſtinian. *in Inſtitutionibus*, *tit. de diviſione ſtipulationum*, Theophilus interpretatur jurisdictione: ut utrumque eadem ſignificatione accipi debeat, in Praetore quidem aut aedile, non autem in judice dato, cui jurisdictionis appellatio non convenit.

Ad verſ. Nam & a jurisdictione.] Delendum in *Inſtitutionibus* atque in *Paraphraſi* Theoph. *Praetoris.* Suam enim habebant aediles jurisdictionem, ex qua hujus generis ſtipulationes venerunt.

Ad verſ. Et ipſae ob verborum obligationem fiunt.] Sic legitur in emendatis codicibus. Et certe ex ipſa ſtipulatione verborum obligatio naſcitur, *l.* 1. §. 3. *verſ. Item quod tuo ſervo. D. de ſtipul. ſervor.* Idque ſi appareat, id actum eſſe inter contrahentes, ut fiat obligatio: quod colligitur ex *l.* 7. §. *Quod fere* 12. *D. de pact.*

Ad verſ. Item duplae ſtipulatio.] Eadem ratione duplae ſtipulatio communis dicitur, qua rem ſalvam fore pupillo, & rem ratam haberi. Hujusmodi enim ſtipulationes & apud Praetorem & judicem interponuntur: neque ex mero unius magis, quam alterius officio proficiſcuntur. Nec video, quid interſit an mancipium vendatur, an res pretioſa. Et Ulpianus quidem aediles non tantum de ſervo cavere juſſiſſe ſcribit, verum eos etiam de ipſo, ut de aliis rebus edixiſſe, *l.* 37. §. 1. *D. de evict.* ut ſatis non intelligam, quid ſit, quod judicialem duplae ſtipulationem factam eſſe exiſtiment propter ejus aſſiduitatem: cum ideo judicialis dici non poſſit ſtipulatio.

Ad §. Stipulatio 1.] His verbis ſignificat Pomponius non pro interrogatione, ſed pro tota complexione accipi ſtipulationem: cum alioqui ſtipulari interrogare ſit, *l.* 1. *D. de duob. reis ſtip.* Hinc vero non ſequitur, ſimplicem & inanem verborum formulam promiſſorem obligare. Semper enim certum eſt (ut ſcribit Ulpianus *l.* 7. §. *Sed cum nulla* 4. *D. de pact.*) *cum nulla ſubeſt cauſa praeter conventionem, conſtitui non poſſe obligationem:* unde hic ipſe JCtus ſcribit, ei, qui ſine cauſa ſtipulatus eſt, ex ea ſtipulatione experienti, doli mali exceptionem nocere, *l.* 1. §. *Circa* 3. *D. de dol. & met. except.*

Ad §. Satis acceptio 2.] Satisacceptio eadem non eſt cum fidejuſſoria obligatione: idque tantum cum ea habet commune, quod verbis utraque concipiatur. Non enim ſatisdationem reſpicit ſatisacceptio, verum ſatisfactionem; cum illa ad fidejuſſoriam cauſam pertineat, *tot. tit. D. Qui ſatisd. cogant.*

Ad §. 3. verſ. Si fortem.] Videtur Pomponius a Catonis ſententia diſſentire. Verum, ut JCtorum reſponſa conciliarem, aliquando exiſtimavi, unius facto committi poenam, totamque ab eo ipſo, qui contra quam cautum eſt, fecit, praeſtari debere, etiam ſi alii partes ſortis, quas debebant, ſolverint: non tamen caeteros unius facto teneri, niſi per eos quoque ſteterit, factumve fuerit. Videntur autem iis, quae dixi, obſtare haec hujus legis verba, §. 4. *ſed a cohaerede ei* partem poenae ſolverit, pro caeque ſuum cohaeredem liberaverit, aequum eſt, ut ab eo ipſi ſatisfieri debeat; idque negotiorum geſtorum actione. Quamobrem rejicienda ſunt hominum ingenioſorum commenta, qui Catonis diſtinctionem a Paulo tantum referri, non autem approbari exiſtimant, ideoque eam pro lege habendam eſſe negant. Nam illis in mentem venire debebat, factorum diſtinctionem ita narrari a Paulo, ut ea, tacite approbata, ad priorem revertatur quaeſtionem. Is igitur ipſe veteris JCti ideo meminit, atque verba refert, ut authoritate ſuam opinionem confirmaret.

Ad Leg. 6.

In verb. Cui bonis interdictum.] Non quidem ipſo jure prodigo bonis interdicitur, verum judicis ſententia opus eſt, qui cauſa cognita interdicat ex legis authoritate, *l.* 10. *D. de curat. furioſ.* Atque Paulus *lib.* 3. *Sentent. tit.* 5. refert ſolennem verborum formulam, qua Praetor prodigo bonis interdicere ſolebat.

Ad verſ. Ideo nec fidejuſſor.] Neque igitur prodigus, neque furioſus natura obligatur: cum naturali obligationi fidejuſſor accedens etiam civiliter obligetur, *l.* 35. *D. de recept. arb.* Theoph. *in Inſtit. tit. de fidejuſſ.* Verum licet inutiliter, id eſt, ſine effectu exactionis adhibeatur fidejuſſor; tamen ex ſua promiſſione, ipſe natura obligatur, idque propter naturalem rationem, quae jubet ea ſervari, quae promiſſa ſunt, *l.* 1. *D. de pact. l.* 1. *D. de conſtit. pecun.* Naturalis autem cauſa repetitionem inhibet, *l.* 3. *in fin. D. Quod quiſ. jur.* Itaque ſi fidejuſſor ſolverit, quod promiſſum erat a prodigo furioſove, non repetet: eique cum nec mandati nec negotiorum geſtorum actio competat, ſubveniendum negat Marcellus, *l.* 25. *D. de fidejuſſor.* Quem ita ſenſiſſe arbitror: non autem, ubi actio ex re ipſa venit. Tum enim fidejuſſori ſubveniretur, cum illi ex negotio geſto obligentur. Non eſt igitur veriſimile, quod ſcribit Marcellus, hiſtoricam eſſe rationem; cum ejus verba ex mandato Juſtiniani in Pandectas retulerit Tribonianus.

Ad Leg. 7.

Impoſſibilem conditionem eſſe Juſtinianus ſcribit, *cui natura impedimento eſt, quo minus exiſtat*, §. *Si impoſſibilis* 11. *Inſt. de inut. ſtip.* Et certe non omnis conditio, quae impleri nequit, impoſſibilis a Juris authoribus dicitur, licet inutilem reddat ſtipulationem, *l.* 1. §. *Si id quod* 9. *D. de obligat. & action.* Caeterum impoſſibilis conditio teſtamentum non vitiat, ſed pro non ſcripta habetur. Nec enim haeredi ſcripto vel legatario hujusmodi conditio imputari debet, cum neuter eorum de ea diſpoſuerit, *l.* 1. *D. de condit inſtit.* & §. *impoſſibilis* 10. *Inſt. de haered. inſtit.*

Ad Leg. 8. & 10.

Inter has duas leges nihil diverſitatis eſſe ſentio: quid enim intereſt, an factum alienum in obligationem deducatur, an vero ex voluntate promiſſoris pendeat conditio? dicendum eſt igitur ex illa ſtipulatione, Si calendis Stichum non dederis, decem dare reſpondes? vel, Si Lucius Titius ante calendas Majas in Italiam non venerit, decem dare ſpondes? peti prius, quam dies venerit, non poſſe. Ideoque ut agatur, ſatis non eſſe, ſi conſtet hominem dari, vel ante diem Titium in Italiam venire non poſſe, ſed exſpectandum omnino diem, ut certum ſit, datum non veniſſe eo die, de quo contrahentibus inter ſe convenerat.

Ad

Digitized by Google

di alteri; id eſt, promiſſor ad fundum alteri dandum amplius non obſtringitur: & ideo ejus erit actio, qui prior promiſſorem in jus vocaverit. Atque ut in reis ſtipulandi, unius factum impediet, quo minus alteri detur, *l.* 16. *D. de duob. reis ſtipulant.*

Ad Leg. 14.

Qui opus facere promittit, ſeſe operis faciendi neceſſitate obſtringit: nec pecuniam offerendo liberatur, *l.* 11. §. *Si in opere* 23. *in fin. D. de legat.* 3. Secus ſi aliud *l.* 13. *D. de re judic.* ſit factum, quod ex conſummatione atque effectu non pendeat. Et nihil quidem intereſt, an ex conſenſu, an vero ex teſtatoris juſſu teneatur; ut hîc Pomponius ſcribit: *Nam inter artifices longa differentia eſt & ingenii, & doctrinae, & inſtitutionis*, *l.* 31. *D. de ſolut. & liber.* Fateor autem, quod ſi ſtipulatoris interſit rem factam eſſe, vel amplius fieri ea non poſſit, juſta aeſtimatione facti dandam eſſe petitionem, *l.* 72. *infra eod.* Quod etiam de dandi obligatione dicitur, *l.* 14. *D. de conſtit. pecun. l.* 6. *D. de uſufr. legat.* Itaque, ſi quis ſtipulatus ſit inſulam fieri, non ante ex ea cauſa poteſt agere, quam tempus praeterierit, quo inſula aedificari commode poſſit: licet ſi ſua interſit inſulam fieri, atque per promiſſorem ſtet, quo minus ea aedificari incipiat, agere poſſit ad id quod ſua intereſt, propter damnum, quod ei promiſſoris mora attulit, *d. l.* 72. *in fin.*

Ad verb. Nec fidejuſſores.] Sic fidejuſſores adſumpti erant, ut eos Hermogenianus & dandi & faciendi obligationibus accedere debere ſcribit. Non igitur factum alienum promiſerant, *l.* 65. *D. de fidejuſſ.*

Ad Leg 15.

Nullam in hoc reſponſo difficultatem notavi. Quod enim quaeritur, ad quem incendii vel alterius fortuiti caſus periculum pertineat, non hîc quidem a Pomponio, verum a Jaboleno, Labeone atque Paulo commodius alibi tractatur, *l.* 59. *& fin. D. locat.*

Ad Leg. 16.

In verb. Reliquum debetur.] Vel alterius aeſtimatio, ut ſcribit Ulpianus *l.* 47. *D. de legat.* 1.

Ad §. *Stipulatio hujuſmodi* 1.] Una eſt quidem ſtipulatio propter unam verborum conceptionem, quae in ſtipulationibus attenditur. Incerta vero, quia infinitum eſt hujus praeſtationis tempus. Denique perpetua dicitur, quia morte non finitur, ſed ad haeredes transit. Neque his obſtat, quod de ſervi fructuarii ſtipulatione ſcribit Pomponius, *l.* 18. §. *Cum ſervus* 3. *D. de ſtipulat. ſervor.* nec enim ad hanc quaeſtionem pertinet, cum ratio juris non permittat, aliquid a ſervo fieri in detrimentum & injuriam proprietarii.

Ad verb. Non autem] In legatis ſpectamus perceptiones, quae diverſae ſunt ac multiplices, *l.* 35. §. *fin. D. de mort. cauſ. donat.* Ideoque *Sabinus (cujus ſententia vera eſt) plura legata eſſe ait, & primi anni purum, ſequentium conditionale. Videri enim hanc ineſſe conditionem, ſi vivat: & ideo mortuo eo ad haeredem legatum non transire*, *l.* 4. *D. de annu. leg.*

Ad Leg. 17.

Conditio, quae ita ex promiſſoris voluntate pendet, ut in ejus ſit arbitrio an obligari velit, inutilem reddit ſtipulationem: *pro non dicto enim eſt, quod dare,*

ſtipulatoris intereſt, cum rem in ſtipulatum deductam ſemel acceperit. Et utraque quidem ſtipulatio conſiſtit, *l.* 21. *D. de fidejuſſ.* niſi prior, obſtante aliqua exceptione, quae ad eam elidendam promiſſori competebat, nulla ſit, *l.* 25. *infra hoc tit.*

Ad Leg. 20.

In verb. Cum debitor eſſe deſierit.] Neceſſe eſt igitur prius, quam committi ſtipulatio poſſit, debitorem omnino liberatum eſſe; ideoque non ſatis eſt eum non eſſe ſolvendo: cum is, qui inopia laborat, ſolvendo quidem non ſit; in eumque inutiliter agatur, non deſinat tamen eſſe debitor: cum etiam ſi quid poſt ceſſionem comparaverit, in quantum facere poteſt, conveniatur, *l.* 6. *D. de dol. l.* 4. *D. de ceſſ. bonor.*

Ad Leg. 21.

In verb. Dari ſtipulatur.] A ſciente & conſentiente promiſſore. Aliud enim dicendum eſſet, ſi ignorans atque errans promitteret, *l. pen.* §. *mulier* 4. *D. ſolut. matrim.*

Ad Leg. 22.

Si in corpore conſenſerint contrahentes, in materia vero & qualitate errarint, valet nihilominus ſtipulatio: ideoque ſi id, quod inauratum eſt, pro aureo vel ſtipulanti promittatur, vel vendatur, minime vitiatur contractus, quamvis inventum ſit magna ex parte aeneum, *l.* 14. *D. de contrab. empt.* ſed vires habet ad id petendum, in quo conſenſum eſt, & praeterea ad id quod intereſt, etiam ſi venditor neſcierit, *l.* 21. §. *Quamvis* 2. *D. de act. empt.* Nam ſi ipſe ſciens fefellerit, ex doli clauſula in eum agetur. Animadvertendum eſt autem, quod ſi diſerte atque expreſſe id, quod inauratum eſt, pro puro & ſolido auro vendatur promittaturve, inutilem omnino eſſe contractum; ut a Juliano atque Ulpiano ſcriptum eſt, *l.* 9. 14. *in fin. &* 41. *D. de contrab. empt.*

Ad Leg. 23.

Certae rei vel ſpeciei, ante moram peremptae, periculum ad debitorem non pertinet, *l.* 33. *D. infra. eod.* cum per eum non ſteterit, quo minus daret. Qua in re animadvertendum eſt, quod a Paulo & Celſo ſcribitur: in utriusque enim reſponſo nullum de mora vel interpellatione verbum eſt; & tamen diverſe hanc quaeſtionem tractaſſe videntur. Scribit enim Paulus: *Si ſcyphos tibi dedi ut Stichum mihi dares, periculo meo Stichum eſſe, ac te duntaxat culpam praeſtare debere*, *l.* 5. §. 1. *D. de praeſcript. verb.* Ait vero Celſus: *Si mortuus eſt Stichus, me repetere poſſe quod ideo tibi dedi, ut mihi Stichum dares, l. ultim. D. de condict. cauſ. dat.* Itaque videtur Paulus confirmare Pomponii ſententiam; Celſus autem minus probare. Equidem reſpiciendum eſſe ſentio ad titulos, ſub quibus reſponſa illa inveniuntur. Sic enim facile eorum diverſitatem intelligemus. Licet enim actio praeſcriptis verbis (de qua Paulus agit) in hac ſpecie minime competat; ideoque agere non poſſim, ut damneris mihi quanti intereſt mea Stichum accipere: potero tamen id repetere, quod dedi, ut Stichus mihi daretur, quaſi ob rem datum, re non ſequuta: idque Celſo viſum eſt.

Ad verb. Quam ſi per te ſteterit.] Omnino rei detrimentum poſt moram praeſtat debitor, *l.* 25. §. *Si poſt*

actori reſtituiſſet, debitor poſt moram interitu naturali vel alio liberatur, *l. 14. D. Depoſ. l. fin. §. Si ea conditione 1. D. Ad leg. Rhod. de jactu. l. 56. D. de jur. dot. l. 36. §. Si praedo 3. D. de pet. haeredit.* Quare diſtinctio illa Jureconſultis placuiſſe non videtur, an conſtet rem perituram eodem modo fuiſſe; an vero incertum ſit, aut omnino appareat, eam non interituram. Mihi enim ſtatuiſſe generaliter videntur, rem debitori perire, ſi res creditori reſtituta apud eum non interiiſſet. Si vero eo caſu perierit, cui etiam creditor reſiſtere non potuiſſet, debitorem liberari. Nec obſtat quod Ulpianus de eo, quod metus cauſa &c. ſcribens, etiam ſi ſine dolo malo & culpa debitoris ſervus ante ſententiam mortuus fuerit, eum ipſum nihilominus teneri dixit. Id enim propter edicti verba: *Neque ea res arbitrio judicis reſtituatur,* fieri diſerte oſtendit. Sed & quod metus cauſa geſtum eſt, ratum Praetor non habet: ideoque rem omnino reſtituendam, nec ſpectandum, an mora commiſſa ſit, apparet, *l. 14. §. 11. D. de eo quod met. cauſ.* Sed haec alias pluribus, *lib. 3. Variar. quaeſtion.*

Ad Leg. 24.

In verb. Niſi ſi tutore.] *Verum pupillo ſine tutoris authoritate denunciari (ſi tutor non appareat) ex duplae ſtipulatione benignius receptum eſſe,* Trebatius ait, *l. 56. §. 7. D. de evict.*

Ad Leg. 26. & 27.

Turpes ſtipulationes generaliter, ſive promittentis, ſive ſtipulantis duntaxat, ſive utriusque verſetur turpitudo, nullius ſunt momenti: & ex his ſi quis agere volebat, Praetor actionem omnino denegabat. Ejus enim officio continebatur actiones dare vel denegare; ut a doctiſſimis quibusdam viris ante nos obſervatum eſt. Et ita quidem nullas dici ipſo jure ſtipulationes ſentio, ut *nullum pignus* a Cajo dicitur, *cujus perſequutio negatur, l. 27. D. de noxal. action.* Et, licet Paulus agentem ex turpi cauſa, ob quam promiſſum ei fuerat, exceptione doli mali, vel in factum ſubmoveri dicat, atque ita ſtipulationem non ipſo jure tolli, ſed exceptione, affirmare videatur, *l. 8. D. de condict. ob turp. cauſ.* tamen non ideo minus turpis ſtipulatio nullius erit momenti, cum apud Praetorem negotium exponi oporteret, qui vel actionem ſub exceptione concipiebat, formulaque praeſcripta ad judicem Pedaneum litigantes remittebat, Theophili *Inſtit. tit. de interdict.* vel, ſi exceptio erat hujusmodi, ut deneganda omnino eſſet actio, agere non permittebat. Hinc illud eſt, quod ſcribit Paulus: *Nihil intereſt, ipſo jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur, l. 112. D. de diverſ. regul.*

Ad Leg. 28.

In hac ſtipulatione, *fundum tradi,* nondum factum verſatur, id eſt, jus nullum continetur; nec in ſtipulatorem, rei traditae proprietas tranſit: ideoque fructus in eam ſtipulationem non veniunt, etiam ii, qui ſtipulationis tempore pendebant, *l. 78. infra eod.* Quod ſi ita ſit concepta ſtipulatio, ut quis vacuam poſſeſſionem tradi ſtipuletur: cauſam bonorum in obligationem deduci reſponſum eſt, *l. 52. inf. eod.* ideoque fructus, poſtea captos, actione incerti ex ſtipulatu propter ſtipulationis verba conſequetur, *l. 4. D. de uſur.* Non ſufficit igitur, ita rem tradi, ut apprehendi a ſtipulatore poſſit, ſed etiam ut ei liceat fructus ſine controverſia percipere. Quod ſi alia ex

Ad Leg. 29.

Si plures ſummae vel ſpecies expreſſe ac nominatim in ſtipulatum deducantur, tot ſunt ſtipulationes, quot res ſeparatae & diſtinctae. Neque enim mixta additave una ſumma vel ſpecie, quae non fuit in priori ſtipulatione, novatio fit, niſi novandi animo id actum eſſe appareat, *l. 58. infra eod.* In venditione autem aliud a nobis obſervatum eſt. Nam ſi in ſingula corpora pretium conſtituatur, plures venditiones contractae intelliguntur; ſin minus, una tantum contrahitur, *l. 34. D. de aedil. edict.* Plura enim corpora, in contractum deducta, pro uno habentur, *l. 44. D. de contr. empt.* Non ignoro tamen *evictionum tot eſſe actiones, quot & ſpecies rerum emptione comprehenſae ſunt, l. 72. D. de evict.*

Ad verſ. At ſi quis.] Verum enumeratio plurium rerum, disjunctivo modo comprehenſa, plures ſtipulationes, ut nec etiam legata facit, *l. 27. D. de legat. 2. & l. 25. D. Quand. dies legat.* Fateor tamen, ſi ita legetur: *Sempronio decem; aut ſi noluerit, Stichum hominem lego:* hoc caſu duo eſſe legata, ſed uno contentum eſſe debere legatarium. Cujus diverſitatis non eſt obſcura ratio: quoniam teſtator duas ſpecies nominatim legat ita, ut legatario eligere utram voluerit liceat: quod in caeteris locum non habet. *Toties enim haeredi electio eſt committenda, quoties moram non eſt facturus legatario, l. 47. §. Sed ſi Stichus 3. D. de legat. 1.*

Ad §. Si a fure 1.] Qui rem furto ſubtraxit, non poteſt non eſſe in mora, & reſtituendi dilatione: ideoque ſemper rei extinctae detrimentum praeſtat, *l. 8. D. de condict. furtiv.* Et certe cum pro furto multae proditae ſint actiones, una quidem eſt, quae condictio furtiva appellatur, qua & res ipſa, & id quod intereſt agentis, petitur, *l. 3. & 7. D. de condict. furt.* Soli autem domino competit, *l. 1. ill. tit.* qui ſi a fure ſtipuletur, quod ex cauſa condictionis dare facere oportet, efficit, ut hujusmodi tollatur condictio, *l. 17. ill. tit.* & *deſinat periculum ad promiſſorem pertinere, quaſi mora purgata, l. 8. D. de nov.* Non poteſt autem ſtipulari dominus, rem, furto ſubtractam, ſibi dari; cum ſua eſſe non deſinat. Quia vero condicere poteſt, ei quoque ſtipulari licet, quod ex cauſa condictionis alioqui conſequeretur.

Ad verſic. Quamdiu enim vivit.] Quid eſt, quod ait, hominem quamdiu vivit condici poſſe: cum Papinianus tolli veluti quadam delegatione condictionem, vel, cum ſervus furtivus offertur, vel in aliud nomen, aliumque ſtatum obligationis transfertur, ſcripſerit? *d. l. 17. D. de cond. furt.* Equidem ſentio, condici & hominem, & id quod agentis intereſt, poſſe: non condictione furtiva, quae novatione quadam extincta eſt, ſed ea, quae ex verborum obligatione proficiſcitur. Nam Juſtinianus actiones, quae ex ipſa naſcuntur, condictiones appellat, *in tit. Inſt. de verb. obligat.* Praeterea quid de eo dicemus, quod ille ipſe Papinianus dixit, nihil intereſſe, praeſens homo fuerit, nec ne: cum Marcellus ſcripſerit, *ſi tamen cum in provincia forte ſervus eſſet, interceſſerit ſtipulatio: & priusquam facultatem ejus nanciſceretur fur vel promiſſor, deceſſerit ſervus,* furem condictione non liberari? *non enim obtuliſſe eum propter abſentiam intelligi poteſt, l. 72. § idem reſponſum 3. D. de ſolut. & liberat.* Ego vero dicendum arbitror, extingui quidem ſtipulatione condictionem; verum, ſi ſub offerendi conditione concepta ſit ſtipulatio, non prius liberari furem, quam ſi prae-

Digitized by Google

acta videri, videlicet eum ut fidejuſſorem interrogatum eſſe, & ipſum convenienter ſpopondiſſe, *tit. Inſtitut. de fidejuſſ. in fin.* & ibi Theoph. Sed & principalem obligationem juſtam eſſe ac ſolennem, cum ſine ea fidejuſſio non contrahatur, *l. 12. C. de fidejuſſ.* Et id quidem in hac locum habet: in caeteris vero conventionibus aeque non obſervatur. Nam *qui a pupillo emit, probare debet, ſe tutore authore & lege non prohibente emiſſe*, *l. 13. in fin. D. de public. in rem act.* Eadem vis verbi *promiſiſſe* traditur a Juſtiniano §. *Si ſcriptum* 17. *Inſt. de inutil. ſtipul.* & ibi Theoph. *Si quem enim promiſiſſe in inſtrumento ſcriptum ſit, perinde habetur, atque ſi praecedente interrogatione reſpondiſſet:* quoniam ex reſponſione, quae in inſtrumento conſcripta eſt, praeſumitur & interrogationem in re agenda praeceſſiſſe. Ideoque nihil intereſt, ſive ita concepta fuerint inſtrumenti verba, ſive appareat interrogationem praeceſſiſſe.

Ad Leg. 31.

Videtur magis in ſtipulationibus id tempus ſpectari, quo contrahimus, quam quo rem petere poſſumus, *l. 78. infra eod.* & *l. 26. D. de ſtip. ſerv.* Et conſtat quidem perſonarum ac rei in contractum deductae rationem a principio haberi, ût vires accipiat ſtipulatio. Verum, ſi ejus effectus ex praeſenti duntaxat vitio impediatur, ne inutilis reddatur obligatio, minusque conſequatur ſtipulator, quod ei jure permittente dari poteſt, futurum tempus, non praeſens, ſpectandum eſt.

Ad Leg. 33.

Haec lex ad diſputationem morae pertinet: ex eaque conſtat, ſpeciei promiſſorem ad diem obligatum ante ejus lapſum interitus periculum non praeſtare.

Ad Leg. 34.

Quid ſit commercium habere, oſtendit Paulus, cum Labeonem referre ſcribit: *agrum cujus commercium non habes, legari tibi poſſe Trebatium reſpondiſſe. Quod merito Priſcus Fulcinius falſum eſſe ajebat. Sed Proculus, ſi quis haeredem ſuum, cum fundum, cujus commercium is haeres non habeat, dare juſſerit ei, qui ejus commercium habeat, putat haeredem obligatum eſſe (quod verius eſt) vel in ipſam rem, ſi haec in bonis teſtatoris fuerit: vel ſi non eſt, in ejus aeſtimationem*, *l. 49. D. de legat. 2.* Is igitur rei commercium non habere dicitur, qui eam, propter corporis ſui vitium, vel propter qualitatem relicti, vel aliam quamcunque probabilem cauſam habere non poteſt, quamvis illius capaces ſint caeteri. Nec enim haec verba ad eas res referri poſſe ſentio, quae ab humano commercio & uſu omnino remotae ſunt, cum de iis ſtipulari non liceat. Quod hic de ſtipulatione dicitur, in legato etiam locum habet: niſi forte teſtator, legatarium incapacem eſſe certo ſciens, rem ei aliquam legaverit: nam is nihilominus *quanti ſolet comparari, tantam aeſtimationem accipiet*, *l. 114. §. Si quid. 5. D. de legat. 1.*

Ad Leg. 35.

§. 2. *In verb. Si tamen conſentiatur.*] Quamvis congrue ad interrogationem non ſit reſponſum, ideoque ſtipulatio non contrahatur: ſi tamen in id, quod reſponſum eſt, conſenſerint contrahentes, valet quod actum eſt: quoniam hi contractus conſenſu fiunt, non verbis confirmantur.

D. de pact. l. 7. D. de dol. l. 13. D. de minor. l. 3. D. pro ſocio. l. 13. D. de act. empt. l. 5. C. de reſcind. vendit. Tollitur etiam doli exceptione contractus, ſi ipſa tantum res dolum habeat.

Ad leg. 38.

Deſumpta eſt haec lex ex Ulpiani libro 49. ad Sabinum. In cujus enarratione diligenter obſervandum eſt, in quo Sabinum notet Ulpianus. Hoc enim neglecto, ipſum intelligere difficillimum eſt. Itaque prima hujus legis verba usque ad verſicul. *Sed ſe obligat. &c.* Sabini ſunt: cujus ſententiam notat atque interpretatur Ulpianus in hoc ipſo verſicul. Tum Sabini verba ſequuntur, §. 2. *At ſi quis velit, &c.* Ut vero hujus legis enarrationem aggrediar, tollenda eſt quaedam contrarietas, quae ex Pauli reſponſo oritur, *l. 83. infra.* Scribit enim ille, eum, *qui ſpondet dolum malum abeſſe, abſuturumve eſſe, non ſimplex abnutivum ſpondere, ſed curaturum ſe, ut dolus malus abſit. Idemque in illis ſtipulationibus habere licere. Item neque per te, neque per haeredem tuum fieri, quo minus fiat.* Conſtat autem, eum, qui effecturum ſe ut Titius daret ſpoponderit, obligari, §. *Si quis alium.* 3. *Inſt. de inutil. ſtipul.* Sed inſpiciendum eſt, quamvis hac ſtipulatione factum alienum promitti videatur, atque ita ſenſerit Sabinus, tamen Ulpianum exiſtimaſſe, promiſſorem ejusque haeredes & ſucceſſores tantum contineri; quod nec Paulo diſplicuit. Licet enim ſimplex abnutivum hanc non continere ſtipulationem dixerit; non tamen generaliter ſtatuit promiſſorem ſeſe obligare, ut curet per neminem fieri, quo minus habere liceat, ſed eam vim & naturam huic ineſſe obligationi. Eſt igitur, quod ſcribit, cum hac lege conjungendum; quod & ſatis indicat exemplum ſtipulationis: *Neque per te, neque per haeredem tuum fieri, quo minus fiat.* Fateor equidem ſpondere aliquem poſſe ſe effecturum, ne per quemquam omnino fiat, quo minus liceat habere: verum promittere non poteſt, per quemquam non fieri, quo minus liceat habere: quod ſenſit Ulpianus.

§. 2. *Ad verb. Hoc eſt neque ipſe reus.*] Haec verba ſive ſint Sabini, ſive Ulpiani, praeclare (meo judicio) explicant, quid contineat ſtipulatio habere licere, cui ſub poena factum alienum ineſt. Neque enim illa de promiſſore intelligenda ſunt, licet ita poſſe accipi non ignorem: ſed ad reum, id eſt, eum, de cujus re agitur, Cicero *lib. 2. de Orator.* ipſum ſcilicet, per quem promiſſum eſt non fieri, quo minus habere liceat, ejusque haeredes & ſucceſſores, referri debent. Sic enim contextum recte conjungemus.

§. 3. *Ad verb. Controverſiam fecerit.*] Mota igitur controverſia efficit, ut haec ſtipulatio habere licere committatur. Habere enim dicitur, qui ſine interpellatione obtinet, *l. 188. D. de verb. ſignific.* Verum *& ſi is, qui emptorem in evictione rei vicerit, ante ipſam ablatam vel abductam ſine ſucceſſore deceſſerit, rem nihilominus habere licere emptori videtur*, *l. 57. D. de evict.* Nam, licet propter controverſiam commiſſa erat ſtipulatio, quia tamen res apud emptorem remanet, eſtque finita lis atque extincta, per neminem factum eſſe videtur, quo minus ipſe rem habere potuerit; ideoque tum nulla competit emptori ex ſtipulatu actio; quia rem ei habere licet.

Ad §. Quaeſitum 4.] Obſervandum eſſe monuimus *in enarr. l. 31.* ut ex ſtipulatione, quamvis a principio inutili conſequatur ſtipulator, quod ei jure permittente dari poteſt, ſicque illa quaſi ex poſtfacto confirmetur

Digitized by Google

in hac ſtipulatione jus verti dicitur, *Infra* §. 6. *h. l.*

§. 6. *Ad verſicul. Sed ſi ſervus.*] Haec ſunt Ulpiani verba, quibus diſputat de generali ſententia Sabini, eamque interpretatur. Primum autem Juliani opinionem refert: quae an vera ſit, nec ne, omnino non definit, ſed ipſe dicis (ut ajunt) gratia hanc ſtipulationem habere licere juris verba, continere concedens, quomodo in ſpecie, qua de agitur, accipienda ſit, explicat. Caeterum alio loco diſerte oſtendit inter hanc & illam ſtipulationem, per te non fieri, neque per haeredem tuum, quo minus mihi ire agere liceat, non multum intereſſe, *l.* 3. *ſupra.* Sunt igitur duae illae leges conjungendae, & ex iis illud colligendum, hanc ſtipulationem habere licere, & jus & factum continere; ideoque illam ex facto propoſito accipiendam eſſe: quod & ſupra admonuimus.

§. 7. *Ad verſicul. Sed quamvis jure civili.*] Haec verba, ut ſuperiora de ſtipulatione habere licere, ad perſonam ſervi referenda ſunt, cui ipſi ſuo nomine ſtipulanti poſſidere licere permiſſum eſt. Si enim ejus nomine poſſideat, in cujus eſt poteſtate, civiliter, nedum naturaliter poſſidet. Nam uſucapere poteſt etiam, ſi furioſum vel infantem dominum habeat, *l.* 28. *D. de uſucap.* Verum *ſine poſſeſſione uſucapio contingere non poteſt*, *l.* 25. *D de uſucap.* Sed cum ipſa ſit legitimus & civilis modus acquirendi dominii, *tit. Inſt. de uſu & habit. in fin.* non poteſt currere, niſi civilis ſit poſſeſſio.

Ad §. *Si quis ita.* 10.] Juſtiniani deciſio, Lampadio & Oreſte Coſſ. lata, nihil in uſufructu immutavit: ea enim ad eas tantum altercationes pertinet, quae de haeredum adjectione inter Jureconſultos oriebantur, *l.* 13. *C. de contrab. & comm. ſtipulat.* Semper autem inter eos convenit, uſumfructum ad haeredes nunquam tranſire.

Ad §. *Sed & ſi non addiderit.* 11.] Aliud ſtatuit in conſtitutae pecuniae obligatione ſeu promiſſione Juſtinianus, *Nov. conſt.* 155. *cap.* 6. cujus conſtitutio cum ſpecialis ſit, ad alios contractus referri non debet: ideoque ſive quis ſtipuletur ſive promittat, absque determinatione certae perſonae cum neminem alteri poſſe ſtipulari conſtet, cumque reſponſionem interrogationi convenire (ut diximus) oporteat, perinde habendus eſt atque ſi perſonam ipſam expreſſiſſet.

§. 12. *Ad verſic. Licet diverſi ſint fructus.*] Hoc eſt, Licet fructus, qui ab haerede percipiuntur, ex vi ſtipulationis, diverſi ſint ab his, quos jure uſusfructus collegit ſtipulator. Eſt igitur unus atque idem uſusfructus, qui ſtipulatoris morte non finitur, ſed ad haeredes ex conventione tranſit: adeo ut nova conſtitutione opus non ſit, *l.* 4. *D. Quib. mod. uſufr. am. l.* 29. *D. de uſufr. leg.* non magis, quam ſi teſtator repetierit legatum uſusfructus: ut etiam poſt capitis diminutionem debeatur, *l.* 23. *D. de uſufruct. legat.*

Ad verſic. Nam & ſi ire.] Veriſimile eſt, Jureconſultos obſervaſſe aliquando haeredum adjectionem, aliquando eam neglexiſſe: cum ſatis illi ſermonis compendio ſtipulatione continerentur. Sed & eos de transferenda ad haeredes obligatione dubitaſſe. Quae ratio Juſtinianum movit, ut deciſionem illam, cujus meminimus, ederet, *l.* 13. *C. de contrab. & commit. ſtip.*

§. 13. *Ad verſic. Si vero de plurium.*] Haec enim ſtipulatio, Cui rei dolus malus non abſit, vel non abfuerit, quanti ea res erit, tantam pecuniam dare ſpondes? in rem concepta eſt, nec certam ullam perſonam exprimit: ideoque etiam ea comprehenduntur extranei, *l.* 19. *D. judic. ſolvi.* quorum factum in ta, an vero incerta dies adjecta ſit. Cum enim diei certae adjectio pro reo, non pro ſtipulatore ſit, *l.* 41. §. 1. *infra.* totum medium tempus ad ſolvendum liberum illi relinquitur: ideoque etiam ſtatim ſolvere vel invito ſtipulatori poteſt. Alioqui diſcrimen nullum inter certam & incertam diem eſſet. Quamvis enim incerta ſit dies, eaque ſtipulatoris utilitatem reſpiciat: ei tamen, non recuſanti, ſolvi ante diem poteſt. Ut autem obſignatione liberetur promiſſor, juxt. *l.* 9. *C. de ſolut.* opportuno tempore & loco offerre eum oportet, id eſt, eo, quo commode ſtipulator accipere poſſit: quod etiam in pura ſtipulatione obſervatur *l.* 39. *D. de ſolut.*

Ad §. *Alteri* 17.] Cum hanc ſtipulationem lex rejiciat, ejusque ratio non ex proprio jure, aut moribus populi Romani, ſed ex ipſa naturali aequitate, & communi quodam omnium gentium conſenſu ducta videatur: ex illa ne naturalem quidem obligationem naſci arbitror. Sed & eam non magis, quam pactum, quo convenit, ne a me, neve a Titio petatur, ex poſtfacto confirmari poſſe ſentio, *l.* 17. §. *Si pactus* 4. *D. de pact.*

Ad verſ. Caeterum.] Ergo ſi ipſius interſit, valet ſtipulatio, etiam ſi poena adjecta non ſit §. *Sed & ſi quis* 20. *Inſt. de inutil. ſtipulat.*

Ad verb. Sed quae ſit quantitas.] Cum quis poenam ſtipulatur, non illud ſpectamus, an interſit ſtipulatoris, ſed quae ſit poenae quantitas, quae in conditione ſtipulationis poſita eſt; id eſt, quantum poenae nomine promiſſum ſit, & quae ſit conditio atque qualitas ipſius ſtipulationis. Non igitur haec poena ejus quod intereſt loco adjicitur, nec ex hoc illam metimur, cum ipſius ſtipulatoris nihil interſit: ſed quantacunque ſit, velut in ſimplum ex ſtipulatione agentes, totam recte perſequimur, §. *Omnes* 21. *Inſtit. de action.* Itaque etiam, ſi nihil interſit, ad poenam agi poſſe ſentio: cum appareat contra ſtipulationem ipſamque adeo contrahentium voluntatem factum fuiſſe. Verum ſi poena non tam ex contrahentium voluntate, quam ex haeredum facto commiſſa ſit: is agens, cujus nihil intereſt, doli mali exceptione ſubmovebitur, *l.* 3. *ſupra eod.*

Ad §. *In ſtipulationibus* 18.] In ſtipulationibus ſemper reſpiciendum eſt, quid inter contrahentes actum ſit. Quod ſi *ambigua & obſcura ſit oratio, commodiſſimum eſt id accipi, quo res, de qua agitur, in tuto ſit atque valeat*, *l.* 80. *infra eod.* Et quidem, cum oporteat, congrue promiſſorem reſpondere, convenit, ut ſtipulator, cui liberum fuit verba latius concipere, *l.* 99. *infra eod.* ambigui ſermonis interpretationem contra ſe ſentiat. In emptione vero & locatione *pactionem obſcuram vel ambiguam venditori, & ei, qui locavit, nocere, veteribus placuit: cum in eorum fuerit poteſtate, legem apertius dicere*, *l.* 39. *D. de pact.* Quod ſi obſcuritas vel ambiguitas orationis non in lege contractus inſit, conſentiantque in corpore contrahentes, verum de acceſſione dubitent: emptor & conductor, qui vel facile ambiguitatem diſcutere poterant, imputare ſibi debent, quod in re propria cautius negotiari non didicerint: ideoque venditor, & is, qui locavit, juvabuntur *l.* 34. *D. de contrab empt.*

Ad §. *Eum qui* 19.] In quibusdam manuſcriptis codicibus ita legitur: *Eum, qui ita dicat, mihi decem, & Titio.* Expuncta poſteriori particula *decem.* Quam ego lectionem quibusdam viris eruditis placuiſſe animadverti, eamque probabiliorem eſſe ſentio: ut id ſcripſiſſe videatur Jureconſultus, *Eum, qui ita dicat, mihi decem, & Titio:* etiamſi perſonam Titii adjiciat,

Digitized by Google

nominum commercio non eſſe conſtet, dubitari poterat, an haec utilis eſſet ſtipulatio. Sed, cum res ipſa in ſtipulationem non veniat, ſed ejus tantum aedificatio, atque ita factum, quod publicam reſpicit utilitatem, valet ſtipulatio. Alioqui nec ex locato agi poteſt: cum non in ſtipulationibus tantum, ſed & in locationibus aliisque contractibus obſervandum ſit, ut alteri per alterum non quaeratur, niſi contrahentis interſit, §. *Si quis inſulam* 21. *ſupra eod. l.* 11. §. *Per liberam* 6. *D. de pign. act. l* 73. *D. de regul. jur.*

Ad Leg. 41.

In §. *Quoties* 1.] Omnis ſtipulatio aut pure, aut in diem, aut ſub conditione fit. Et ſi quidem pura ſit obligatio, praeſenti die pecunia debetur. Quod cum aliquo temperamento temporis intelligendum eſt: nec enim debitorem cum ſacco creditor adire debet, *l* 105. *D. de ſolut.* Illud non obſervatur, ſi locus adjectus ſpatium temporis inducat, quo illo poſſit pervenire. Id enim verum eſt, quod ex *Inſtitutionibus* Juſtiniani colligitur, agi prius non poſſe, quam tantum ſpatii praeterierit, quo dari fierive poſſit, §. *ult. de inutil. ſtipulat.* Dies autem adjectus efficit, ne praeſenti die pecunia debeatur; cum effectu ſcilicet, ut peti poſſit. Nam *ſtatim quidem debetur, ſed peti prius quam dies venerit, non poteſt. Inſtit. tit. de verb. oblig.* §. *Omnis* 2. Dies enim pro reo eſt, non pro ſtipulatore: non ut nondum debitor ſit, ſed ut medium tempus liberum ad ſolvendum habeat, nec ante compelli poſſit, *l.* 70. *D. de ſolut.* De conditione & die tacita dicam poſtea latius.

Ad Leg. 42.

Cum dies obligationis differendae gratia adjicitur, non niſi eo praeterito, omnibusque ejus partibus, recte agitur: nam peti non debet, quod intra tempus comprehenſum ſolvi poteſt. Quod ſi inſeratur, ut praeſens videatur obligatio, eo ipſo die pecunia peti poteſt: nec praematurius agitur, *l.* 118. *infra eod.* Quod ſi dies in favorem creditoris adjiciatur, ſcilicet multiplicandae, non differendae obligationis gratia, ab initio cujusque anni, quod promiſſum aut relictum eſt, exigi poterit, *l.* 1. *C. Quand. dies legat. vel fideic.* niſi ex natura rei vel contrahentium aut teſtatoris mente conſtet, expectandum omnino eſſe, donec totum tempus praeterierit, *l.* 26. *D. Quand. dies legat.* Neque obſtat quod ex Celſo male colligitur: *Si in annos decem haeres dare damnatus, aut quis liber eſſe, juſſus eſt, noviſſimo ejus temporis die legatum deberi, & libertatem obtingere.* Is enim locus, qui corrupte hactenus legebatur, clariſſimi viri Haloandri opera ſic eſt reſtitutus, ut non *in annos*, ſed *intra annos* legatur, *l.* 49. *D. de condit. & demonſt.*

Ad Leg. 43.

In verb. Quaſi moram fecerit.] Haec verba ſic intelligenda ſunt, ſi per ſtipulatorem factum fuerit, quominus arbitretur Titius, promiſſor non tenetur, quaſi ipſe in mora conſtitutus fuerit. Ergo etiam, ſi interpellatus fuerit, & in mora eſſe videatur (quia ineſt tacita ſtipulationi conditio) non prius tenebitur, quam arbitratus fuerit Titius.

Ad verſ. Magis probandum.] *In compromiſſis arbitrium perſonae inſertum, perſonam non transgreditur, l.* 45. *D. de recept. arb.* ideoque, ipſo non arbitrante, evaneſcit ſtipulatio, ut *ſi coita ſit ſocietas ex iis partibus, quas Titius arbitratus fuerit, & Titius antequam*

Ad Leg. 45.

In princ.] Sive ſibi, ſive patri, ſive imperſonaliter ſtipuletur, §. 1. *Inſtit. de ſtip. ſervor.*

Ad Leg. 46.

Centeſimas calendas ita dici conſtat, ut centeſimas uſuras, quae centum menſibus, quibus ſingulae penſiones ſolvuntur, ſortem adaequant.

Ad §. *Id autem quod in facto* 1.] Juſtinianus conſtituit, ut facti ſtipulatio, quae etiam adimpleri per haeredem poteſt, ad ipſum transeat, ac ſi in dando conſiſteret, *l.* 13. *C. de contr. & commit. ſtipulat.* Ejus autem deciſione hanc minime comprehendi ſtipulationem verius eſt, cum ea perſonae ita cohaereat, ut per ſe conſiderari non poſſit, & vix ab haerede ex contrahentium mente adimpleri. Praeterea ea nullis Jureconſultorum ſcriptis, quae in Pandectis extant, conſtat, fuiſſe inter eos controverſum, an haec ſtipulatio transmitti ad haeredes poſſet: cum tamen illa conſtitutio ad tollendas veterum altercationes lata ſit.

Ad §. *Si ita ſtipulatus fuero* 2.] Notanda eſt in hac hypotheſi differentia inter particulas, *Cum* & *Si*. Nam ſi quis ita ſtipuletur, cum volueris, valet etiam ab initio ſtipulatio, & pendet ab eventu; ſcilicet cum conſtituerit promiſſor ſe velle. Verum illa ſtipulatio ſi volueris, ab initio non valet; quia expreſſe, principaliter & directe in rei promittendi arbitrium contra obligationis naturam collata eſt conditio, ex qua tota vis ſtipulationis pendet, *l.* 17. *ſupra eod.*

Ad Legem 47.

Haec lex eo pertinet primum, ut intelligamus, poſſe nos ſtipulari, quod alia quavis ex cauſa dari nobis oportet. Omnibus enim conventionibus adjici ſtipulationem poſſe dictum eſt. Tum prioris debiti conditiones cenſeri repetitas, etiamſi eas non expreſſerint contrahentes. Non eſt igitur hoc loco neceſſaria novatio, ſed ex eo potius exemplum colligi poteſt regulae, jamjam a nobis explicatae; qua traditur, verba obſcura contra ſtipulatorem interpretanda eſſe, *l.* 38. §. *in ſtipulationibus* 18. *ſup. eod.*

Ad Leg. 48.

Ex hac lege alia differentia inter particulas *Cum*, & *Si*, colligitur. Stipulatio enim Si petiero, ad haeredem non tranſit; Cum petiero autem, maxime.

Ad verb. Admonitionem magis.] Haec verba, *Cum petiero*, quandam continere videntur conditionem: pendent enim a voluntate ſtipulatoris, ſed magis admonitionem quandam habent, ut iis admonere promiſſorem voluerit ſtipulator, ne moram faciat, ſed ſimul atque petierit, ad dandum quod promiſit paratum ſe praebeat. Moram vero faceret promiſſor, ſi interpellatus quam celerrime non ſolveret, *l.* 32. *D. de uſur.*

Ad verſ. Et ideo.] Hinc recte a contrario ſenſu colligi poſſe videtur, conditionem, in ſtipulatoris arbitrio poſitam, ad haeredes non tranſire. Quae quidem quaeſtio tractari commodius poſſet in enarratione nobilis Scaevolae reſponſi, *l.* 122. §. *Augerius* 4. *infr. eod.* Sed prius animadvertendum eſt, omnem omnino conditionem, ſive arbitrariam, ſive fortuitam, ad heredes tranſire, §. 4. *verſ. Ex conditionali. Inſt. de verb. oblig. l. fin. D. de condit. inſtitut. l.* 8. *D. de peric. & com. rei vind.* niſi a ſolius voluntatis declaratione

Digitized by Google

per quem non ſtetit, quo minus daret faceret, non tenetur, ut nec etiam fidejuſſoris mora reo nocet, *l. 32. in fin. D. de uſur.*

Ad verſic. Sed utilis actio in patrem.] Cum idem in patris atque fidejuſſoris perſona dicendum ſit, conjungendum eſt cum hac lege, quod ſcribit Papinianus *lib.* 37. Quaeſtionum *l.* 19. *D. de dolo.* non ut dicamus, ab eo tantum referri Neratii & Juliani opinionem; illam vero Paulo diſplicuiſſe, qui hic utilem dandam actionem reſpondit. Id enim ridiculum eſt & abſurdum, cum iidem ejuſdem legis authores non ſint, nec Paulus aliorum ſententiae meminerit: imo & ſatis conſtet, ex ratione Papiniani illorum opinionem ab eo approbari. Dicendum eſt igitur (meo judicio) actiones dari a Praetore nunc directas; nunc (cum eae deficerent) utiles. Sed cum ex narratione negotii dolum admiſſum eſſe intelligeret, nullamque directam eo caſu competere actionem videret, de dolo dediſſe, *l.* 1. §. *Si quis cum actionem.* 7. *D. de dol.* Qua in ſpecie conſultum Papinianum ex Neratii & Juliani authoritate reſpondiſſe ſentio.

Ad verſ. Quae omnia.] Differunt tamen pater & fidejuſſor: quod hic ſemper verbis obligetur; ille vero minime. Praeterea in ratione petendi non poteſt hodie appellari fidejuſſor, antequam reus fuerit interpellatus. Idem de patre dicendum non videtur; cum id mutatum non reperiatur. Fidejuſſor mandati, vel negotiorum geſtorum actione quod dedit repetit; pater vero contra filium nullam omnino habet actionem. Fidejuſſor in ſolidum; pater ex peculio tantum tenetur. Reſtitutio filii patri non prodeſt, ut ſolet interdum fidejuſſori ejus prodeſſe, *l.* 3. §. *ſed utrum* 4. *D. de minor.*

Ad §. *Si ſtipulatus* 1.] Ex hoc loco & principio hujus legis conſtat, intereſſe inter dandi & faciendi obligationem. Cum enim nihil referat, a quo pecunia detur; tum reus, tum fidejuſſor daturos ſe ſpondent. At multum intereſt, a quo fiat: ideo fidejuſſoris opera nec nocet, nec prodeſt reo, *l.* 31. *D. de ſolut.* Caeterum fidejuſſor ex ſuo facto injuriarum tenebitur, *l.* 25. *D. de act. em. l.* 13. §. *Si quis me probib.* 7. *D. de injur.*

Ad §. *In hac* 2.] Equidem ipſi haeredi nullo modo ſubveniendum eſſe ſentio, non tantum non ex clauſula generali, *Si qua mihi juſta cauſa eſſe videbitur*; ſed nec ex magna & juſta cauſa ignorantiae, *l.* 15. §. 4. *D. Quod vi aut clam.* Cum enim poena committatur etiam non adita haereditate, *l. 77. infr. eod.* multo magis per haeredem fieri videbitur, ſi non curaverit, ut ſtipulator nullo modo impediatur. Id enim ſtipulatione continetur. Ea vero ad haeredem omnino tranſit, ut eadem cum defuncto promiſſore perſona cenſeatur.

Ad verſ. Non videtur autem.] Ex Pauli ſententia conſtat intereſſe, an ex defuncti promiſſione dependeat, ex ejuſque conventione proficiſcatur, an vero a pupillo incipiat obligatio. Si enim contractum ſit cum defuncto, & ut haereditaria in pupillum tranſeat ſtipulatio, per eum mora committi poteſt, nec reſtituitur, *l. 2. C. ſi adverſ. vendit. pign.* quamvis Antoninus, quibuſdam rationibus & conjecturis motus, reſtituendam pupillam pronunciaverit, *l.* 38. *D. de minorib.* contra vero, ſi ex ejus perſona dependeat obligatio.

Ad Leg. 52.

§. 1. *In verb. Cauſam bonorum.*] Haec clauſula continet effectum & utilitatem poſſeſſionis bonorum: latione obſervanda: *Quicquid enim adſtringendae obligationis cauſa eſt, id niſi palam verbis exprimatur, omiſſum eſſe intelligendum eſt, l.* 99. *inf. eod.* Nec id abs re. Nam clauſula generalis facile poteſt eludi calumnia quadam.

Ad verb. In praeſenti occupari.] Id eſt, praeveniri tum, cum fit ſtipulatio. Nam *doli clauſula, quae in ſtipulationibus ſubjicitur, non pertinet ad eas partes ſtipulationis, de quibus nominatim cavetur, l.* 119. *inf. eod.* ſed ad incertos caſus, id eſt, non expreſſos, quibus dolus committi poteſt.

Ad Leg. 54.

In §. *Operarum* 1.] Opera neque promitti, neque ſolvi, nec deberi, nec peti pro parte poteſt; non magis, quam opus. *Horum enim diviſio corrumpit ſtipulationem, l.* 72. *inf. eod.* Quod *ſi non una, ſed plures operae ſint, & plures haeredes exiſtant patrono, qui operas ſtipulatus eſt* (qua in ſpecie Juliani ſententia intelligitur) *verum eſt, obligationem operarum numero dividi*, ut etiam generum, *l.* 15. *D. de oper. lib.* Sed & ſi communis libertus patronis duobus aut communi eorum ſervo aliquot operas daturum ſe promiſerit, juraveritve, ipſas ab utroque dominorum pro parte peti poſſe, Labeoni, *l.* 8. *D. de oper. lib.* Celſo *d. l.* 15. *D. eod.* & Juliano *hic in ſecunda ſpecie*, placuit. Quae quidem dinſtinctio, Ulpiani authoritate comprobata, ea mihi verior videtur, qua opera nunc pro facto, id eſt, diurno officio; nunc pro praeterita opera, id eſt, ejus aeſtimatione & pretio accipitur. Conſtat enim *judicium de operis tunc locum habere, cum operae praeterierint. Praeterire autem non poſſunt antequam incipiant cedere: & incipiunt, poſtea quam fuerint indictae, l.* 13. §. 2. *D. do oper. libert.*

Ad Leg. 56.

In §. *Te & Titium* 1.] Poteſt autem filio haeredi cavere, ut exceptione pacti conventi tutus ſit, *l.* 10. *D. de pact. dotal.*

§. 2. *Ad verb. vel emancipato.*] Haec ipſa eſt facti quaeſtio: tacite enim haec conventio ineſſe ſtipulationi videtur, ſi in eadem cauſa maneat. Obſervandum eſt igitur, quid inter contrahentes actum ſit, *l.* 38. *D. de ſolut.*

Ad §. *Si hominem* 8.] Non video hic transfuſionem prioris debiti in aliam obligationem factam, nec aliquid novandi animo inter contrahentes actum, ut novetur obligatio juxt. *l.* 1. & 2. *D. de novat.* Itaque duas eſſe ſtipulationes ſentio: unam puram; alteram vero ſub conditione conceptam. Idem enim debitum manet, nihilque ex prioris obligationis natura innovatur, ſed tantum alia perſona adjicitur, quae ſeſe novo vinculo adſtringens, alteram obligationem conſtituit, ita ut ſi res, exiſtente conditione, adhuc ſit integra, id eſt, neque poſt moram prioris debitoris perierit, neque is acceptilatione liberatus ſit, uterque remaneat obligatus. Secus enim illo caſu poſterior debitor; hoc autem prior liberaretur.

Ad Leg. 57

Facultas implendae conditionis ad haeredes tranſit, ut ii, ea exiſtente, vel obligentur, vel alios ſibi obſtrictos habeant, §. 4. *verſ. ex conditionali. Inſtit. de verb. obligat.* Nunquam vero a juris authoribus traditum eſt, poſſe cum iis impleri conditionem, ut extraneus aliquis (quem tertium appellant) teneatur: quemadmodum oſtendemus in enarratione reſponſi Scaevolae, *l.* 122. *infra eod.*

Ad

Digitized by Google

dicitur, *l. 4. D. de uſufr.* id enim (ut praeclare ad Curium ſcribit Cicero *Epiſt. lib. 7.*) cujusque eſt proprium, quo quisque fruitur atque utitur. Sed haec alias pluribus, *in enarr. tit. de verb. ſignific.*

Ad verb. Nihil agit niſi in omnibus.] Tum ex hoc loco, tum ex Ulpiani verbis colligitur veteribus Jureconſultis placuiſſe, novationem *ita demum fieri, ſi hoc agatur, ut novetur obligatio*, *l. 2. D. de novat.* Sed & neceſſe fuiſſe id ſpecialiter exprimi, ut Juſtiniani conſtitutio hac in re jus antiquum minime correxerit, *l. fin. C. de novat.* Ob id igitur novam ſuam conſtitutionem emiſit Juſtinianus, quod, cum ex ea prudentium opinione infinitas ambiguitates (quae multas producebant controverſias) naſci videret, intellexit, ſatis non eſſe, ſi in poſteriore ſtipulatione exprimerent contrahentes, ſeſe novandi animo id facere, cum variae de hoc praeſumptiones introducerentur: ſed praeterea requiri, ut ſpecialiter remitterent priorem obligationem, & hoc exprimerent, & poſteriorem pro priore eligerent. Hoc ipſum eſt, quod a Juſtiniano conſtitutum eſſe arbitror; niſi me fallunt reſcripti verba.

Ad Legem 59.

Idem in fidejuſſoria obligatione Africanum conſtituiſſe exiſtimo. Scribit enim: *Cum quis in diem mercem ſtipulatus fidejuſſorem acceperit: ejus temporis aeſtimatio ſpectanda eſt, quo ſatis accepit*, *l. 22. D. de oblig. & action.* id eſt, ipſo die, in quem ſatis acceptus fidejuſſor, & idem atque principalis reus promittens ſeſe obligavit. Haec eſt enim ſatis acceptionis natura: nec video, qua ratione ex diei lapſu augeatur fidejuſſoris obligatio; cum is in eandem ac promiſſor cauſam acceptus ſit. Sed de his poſtea.

Ad Leg. 61.

Haec ideo ſtipulatio contra bonos mores eſſe dicitur, quia viſum eſt improbum veteribus, quem eſſe ſolicitum de bonis viventis, *l. 2. §. 2. D. de vulg. l. fin. C. de pact.*

Ad Leg. 68.

In fin.] Idem omnino ſcribit Papinianus in ea ſpecie, qua mihi & Titio ſtipulatus ſum, ut ex eo, quod illi ſolvendum eſt, incerti agatur, *l. 118. infra eod.* Qui caſus non magis certus videtur, quam hic ipſe, de quo agit Paulus. Equidem animadverti, ſubtilem caſuum certorum & incertorum diſtinctionem, quae a Juſtiniano curioſe traditur, a veteribus Jureconſultis adeo obſervatam non fuiſſe.

Ad Leg. 72.

In verb. Veluti viae.] Servitutes omnes (excepto uſufructu) individuas eſſe conſtat: quoniam uſus earum, qui facto nudo & ſimplici explicatur, ita connexus eſt, ut omnino indiviſus ſit, *l. 17. D. de ſerv.* atque ejus ſi diſtinctio fingatur, ſervitutum naturam corrumpi oporteat. Uſusfructus vero jus dividuum continet: *nam frui pro parte, non autem uti poſſumus*, *l. 19. D. de uſu & habitat.* Itaque communi fundo ſociorum unus pro parte dominii ſervitutem nec acquirere, nec imponere poteſt, *l. 8. §. Si praedium 1. in fin. & 11. D. de ſervit. l. 32. verſ. Neque quod dici ſolet. D. de ſervit. ruſtic.* Nullus enim praedio ſervitutem acquirit, aut imponit, niſi qui ejusdem dominus ſit, *§. Ideo 3. Inſt. de ſervit. l. 1. D. Commun. praed. Juxt.* *ſerv. ruſt.* A quibus nec alii diſſident Jureconſulti. *Si enim totus ager itineri aut actui ſervit, ita diffuſam eſſe ſervitutem* Jabolenus reſpondit, *ut omnes glebae ſerviant*, *l. 13. §. ſi totus 1. D. de ſervit. ruſt.* Et Ulpianus: *una eſt via* (inquit) *& ſi per plures fundos imponatur, cum una ſit ſervitus*, *l. 18. D. ill. tit.* Quare is ipſe Paulus: *Si mihi conceſſeris*, *l. 21. D. ill. tit. Iter aquae per fundum tuum, non deſtinata parte, per quam aqua duceretur, totus* (ait) *fundus tuus ſerviet.* Et alibi: *quaecunque ſervitus fundo debetur, omnibus ejus partibus debetur*, *l. 23. §. Quaecunque 3. D. ill. tit.* Huc pertinet Marcelli reſponſum, qui duobus, communem fundum habentibus, legari viam poſſe ſcribit, *l. 2. D. de ſervit. leg.* Quamobrem receptum eſt, plures dominos ceſſione, non pariter eodemve tempore facta, fundo ſervitutem imponere vel acquirere poſſe. Verum non aliter vicini jus erit, quam ſic ex noviſſimo actu ſuperiores confirmentur, ideoque ſubtili ratione omnes eodem tempore ceſſiſſe videantur, *l. 11. D. de ſervit. ruſtic. praed. l. ult. D. Commun. praedior.* Si autem fundus certis regionibus, id eſt, diviſionibus ſeparatis, ſeu in partes diviſas ſeparatasque diſtinctus ſit, ad certam illius partem dominus & remittere fundo ſervitutem, & imponere poteſt, *l. 6. D. de ſervit.* Hujusmodi enim portio totum quiddam verius & rectius, quam pars appellatur, *l. 25. D. de verb. ſignificat.* Ideoque Ulpianus: *Si quis partem aedium tradat, vel partem fundi, non poteſt ſervitutem imponere: quia per partes ſervitus imponi non poteſt: ſed nec acquiri. Plane ſi diviſit fundum regionibus, & ſi partem tradidit pro diviſo, poteſt alterutri ſervitutem imponere, quia non eſt pars fundi, ſed fundus*, *l. 6. §. Si quis partem. 1. D. Comm. praed.* Etſi autem per indiviſas fundi partes, vel pro dominii parte ſervitus conſtitui nequeat; retineri tamen poteſt, *d. §. Si praedium 1. l. 8. D. de ſerv.* Eſt igitur aliud acquirere ſervitutem; aliud eam acquiſitam confirmare ſeu retinere, *l. 140. §. Et ſi placeat 3. D. infra. eodem.* Itaque communicatis, quae mutuo ſerviebant praediis, ab altero e dominis alteri ſervitus remitti non poteſt; propterea quod praedio non perſonae debeatur, *d. l. 34. D. de ſerv. ruſt.* Quod ex hac ſpecie intelligi facile poterit: Titii Sempronianum erat praedium; cujus vicini (quod Tuſculanum dicebatur) dominus erat Sejus; utrique ſervitutis nomine obnoxium poſſidet Cajus, quod deinde Sejo & Titio vicinis in commune ceſſit. Per partes nihilominus ſervitus retinetur, id eſt, communis ille fundus & Semproniano & Tuſculano ſervit, *l. 27. in verſic. At ſi proprio. D. de ſervit. ruſtic.* Verum ratione partis indiviſae, quae Titio intellectu tribuitur: is ipſe fundus Sejo ſervit. Alterius vero, quam animo & cogitatione, licet re minus diſtinctam & ſeparatam ſibi vindicat Sejus, per communem fundum, Titii praedio ſervitus debetur. Nec enim res ſua cuiquam ſervit, *l. 25. D. de ſervit. urban.* Idem dicendum eſſet, ſi Tuſculano Sempronianum ſervitutem deberet, dein Sejo Titius Sempronianum communicaret. Nam pro parte ſervitus retinetur, quam Titio remittere Sejus non poteſt: cum praedio magis, quam perſonae debeatur. Ideoque licet communis ſit fundus ille, eorumque pro partibus indiviſis; jus tamen ſervitutis, unum atque eodem modo (ut inquit JCtus *l. 6. §. 1. verſ. Si vero. D. Quemadmodum ſervit. amit.*) individuum manet, non minus, quam toti cum inhaerebat fundo. Nam pro ea parte, quae Titii fingitur,

falva

Digitized by Google

rit, confundi tollique ſervitutem neceſſe erit, *l.* 30. *D. de ſervit. urb.* Idem dicendum, ſi communi praedio ſundus ſerviens in commune redemptus ſit; quia par utriusque domini jus in utroque praedio ipſa redemptione factum eſt, *d. l.* 27. *D. de ſerv. ruſt.* Quamobrem individuas eſſe omnino ſervitutes conſtat; quia uſus earum indiviſus eſt. Ex eo enim quod per temporum intervalla diſtinguatur ſervitutis uſus, non fit, ut ad tempus, vel ex tempore ea conſtituta videatur. Servitutes namque perpetuam habent cauſam, id eſt, conditionem ac materiam, quae ſemper durat, ut ſua natura uſus earum continuari poſſit, *l.* 27. *D. de ſerv. urban.* Itaque utilitatis cauſa receptum eſt, ut ſervitutis uſui (ſalva manente ejus ſubſtantia) modus adjiciatur, isque ideo temporibus aut menſuris diſtinguatur, *l.* 4. *§. modum* 1. *& l.* 5. *D. de ſervit. l.* 4. *& ſeq.*] *D. de aqu. pluv. & aeſtiva.* jus tamen ſervitutis non immutari conſtat. Quare ſociis ac cohaeredibus & communi dividundo, & familiae erciſcundae judicium datur, quo ſervitutis uſus inter eos menſuris ac temporibus diſtinguatur, atque (ut hoc uno verbo dicam) modificetur, *l.* 19. *§.* 4. *D. Comm. divid.* non quidem ut in ſeparatas diviſasque partes diſtribuatur ſervitus, ſed ut illi commodius ſervitute utantur. Nec enim verum eſt, ea (ut ita loquar) modificatione ſervitutes in partes certas & ſeparatas diſtingui, cum nulla omnino fiat diviſio, atque earum uſus non ſolum non jure, ſed nec natura diviſionem recipiat; ut in enarratione *ſecundae legis* diximus: quo ut caetera, quae ad hanc de dividuis & individuis obligationibus quaeſtionem pertinent, intelligat, Lectorem remittimus.

Ad verſ. Celſus tamen.] Equidem neque in creditoris neque in debitoris favorem, ſed ex natura rei inductum eſſe ſentio, ut, ſi quis facere promittat, & per eum ſtet, quo minus faciat, ob idque ſtipulatoris interſit, pecuniam dare debeat. Cum enim, ut convenerat, non fecerit; eum ſtipulator ad ipſum factum, quod non extat, cogere non poteſt. Verum quia illius intereſt, factum non fuiſſe; juſta aeſtimatione facti petitionem habebit, id eſt, ad pecuniam aget, quatenus ſi factum fuiſſet, damnum non ſenſiſſet, lucrumve conſequutus fuiſſet. Hac enim verborum circumlocutione id quod intereſt intelligit Celſus: quod juſta facti aeſtimatio dicitur, non quia ipſum eſt pretium aut aeſtimatio, ſed quia in ejus computationem venit facti aeſtimatio, illudque in locum facti ſuccedit; ut oſtendimus in explicatione novae conſtitutionis Juſtiniani. Sed obligatione factum vel poſt moram continetur, *in princ. tit. de verb. oblig.* maxime illud, quod ex conſummatione formam accipit; ut ſupra diximus, *l.* 14. Quod ſi mora effecerit, ut praeſtari nequeat, in petitione verſatur pecunia, ut ex hoc loco conſtat per verba *ſi non fuerit factum*, id eſt, ſi propter promiſſoris moram opus effectum conſequi non potuerit. Licet in aliis factis pecunia & obligatione contineatur, & in petitione, condemnatione ac praeſtatione ſit, *l.* 81. *infra eod. l. fin. D. Si quis in jus voc. l.* 13. *D. de re judic.* ita ut in his utrumque ſit in obligatione ſub alternativa quadam conditione, & quaedam unius obligationis in aliam fiat transfuſio, non tamen ſit vera novatio, *l.* 43. *D. de obligat. & action.*

Ad Leg. 73.

In §. Si Stichi 2.] Non pertinet praecipue hic locus ad interitus periculum, quod moroſo imminet, ab eoque vitatur poſt moram offerendo: ſed, ut intelli-

Ad Leg. 75.

§. 2. *In verb. Vini Campani boni.*] Certum quidem eſt quid & quantum; ſed eſt quaedam qualitatis incertitudo.

Ad §. Fundi certi 3.] Quia incertum eſt, quamdiu victurus ſit fructuarius, ideo quantitas ob uſumfructum praeſtanda incerta eſt. Idem de ſtipulatione in ſingulos annos diximus, *l.* 16. *ſupra eod.*

Ad §. Illud ſed qui 5. *In verb. Quod in horreo eſt.*] Quamvis ex ipſa pronunciatione non ſatis conſtet de rei certitudine, tamen ratione loci, qui demonſtratur, poteſt apparere, quid, quale, quantumque ſit in ſtipulationem deductum.

Ad §. Qui id quod. 7.] In inquirenda ſtipulationum certitudine illud inſpiciendum eſt, quod pro regula tradit Juriſconſultus, an ex pronunciatione conſtet, quid, quale, quantumque ſit in ſtipulatione. Praeterea in incertis ſtipulationibus obſervandum eſt, quo modo ea regula locum habeat, ut in factorum ſtipulationibus non apparet, quid, quale, quantumque ſit, quia facta ante conſummationem non ſunt in rerum natura, *l.* 9. *D. de oper. libert.* ideoque illas incertas appellamus.

Ad §. haec ſtipulatio 10. *In verb. Quoquo modo.*] Haec verba ſic intelliguntur, ut dominium efficiatur ſtipulatoris vel per traditionem, vel ſine ipſa. Non tam igitur traditionem inſpicimus, quam ipſum transferendi dominii effectum. Quae ratio eſt, ut *haec* ſtipulatio ab illa vacuam poſſeſſionem tradi, differat. In hac enim, quamvis *fundus* certus contineatur ut in dandi *obligatione*, ea tamen incerta eſt; quia non rem ipſam, ſed poſſeſſionem factumque reſpicit. Caeterum, quod hic dicitur de dandi obligatione, ad ejus vim pertinet: conſtat enim hanc eſſe obligationis naturam, ut quis omnino cogatur ad id praeſtandum, quod promiſit; atque (ut Juſtiniani verbis utar) neceſſitate adſtringatur alicujus rei ſolvendae, *Inſtit. de obligat. in princ.* Quod non ſolum de dandi obligationibus, ſed etiam faciendi intelligitur. Quemadmodum enim is, qui fundum ſtipulanti ſpopondit, cogitur ſtipulatoris eum omnimodo facere, *l.* 25. *§.* 1. *D. de cont. empt.* ita etiam venditorem ipſam rem praeſtare, id eſt, tradere (quod eſt facti) oportet, *l.* 11. *D. de act. empt.* Sed ut ſi is, qui rem vendidit, eam juxta emptionis contractum procacia quadam tradere nolit, quanti intereſt compleri emptionem, tantum in condemnationis taxationem deducendum eſt, *l.* 4. *C. de act. empt.* Sic verius eſſe ſentio, in obligatione dandi ſatis eſſe aeſtimationem ſolvi, & pecuniam ſuccedere, etiam ſi ſit probabilis aliqua creditoris affectio, ut in ſpecie certa, *l.* 22. *D. Si cert. pet. l. ult. D. de tritic. l.* 6. *§.* 2. *verſ. Dabitur. D. de confeſſ. l.* 21. *D. de obligat. & act. l.* 59. *ſupra eod. l.* 21. *D. de evict. l.* 21. *§. ult. D. de haered. vel act. vend.* cum illa minime conſideretur, *l.* 64. *D. ad leg. Falc.* resque omnes pecunia penſentur, *l.* 42. *D. de fidejuſſ.* non quod juſtum pretium rei debitorem liberet. Nam habebitur etiam ratio contumaciae iſtius tam protervi debitoris.

Ad Leg. 77.

In verb. committetur poena.] Non quod diei lapſu mora committatur: ſemper enim interpellationem requirit, *l.* 32. *D. de uſur.* ita ut, cum quis ideo vel interitum vel uſuras praeſtat, quia aut ſervum occidit, aut pecuniam invaſit, ab eo diſtinguatur, qui interpellatus non dedit, vel aliquid fecit: dicantque hoc

Digitized by Google

Cum nulla ſit diverſitatis ratio, quae efficiat, ut in dandi potius, quam faciendi obligatione mora interpellatione committatur; equidem & in hac quoque ſpecie interpellationem requiri, ut promiſſor in mora conſtituatur, ſentio, *l. 32. D. de uſur. l. 5. §. Stipulatio 1. D. de collat. bonor.* Nec enim, quod dicitur de temporis lapſu, interpellationis neceſſitatem tollit.

Ad verſ. Quamdiu litem conteſtatus non ſim] Dixi in hujusmodi obligatione factum omnino verſari, ideoque ipſum peti; ſed ita quidem, ut ea clauſula adjiciatur: ſi non fuerit factum, condemneris quanti mea intereſt. Quo jure nunc utimur.

Ad verb. Aedifices.] Cum hoc loco conjungendum eſt *l. 137. §. item qui inſulam 3. infr. eod.* Caeterum hinc colligitur, moram purgari usque ad litis conteſtationem. Quod intelligitur, niſi diem & poenam ſtipulatio contineat, vel jus actoris jam diminutum ſit, *l. 6. D. de opt. legat. l. fin. C. de repud. haered.* aut ejus quoque modo interſit. Quod eam in faciendi obligatione habet interpretationem, ſi interſit ſupra totius facti aeſtimationem. Alioqui fruſtra diceremus, in ea reo morae purgationem permitti, *l. 21. D. de recept. arbit.* Praeterea, ſi deſierit res eſſe integra, moram purgare non licet, *l. 35. D. de condict. indeb. l. 14. D. de publ.* ſed & cum factum ipſum amplius praeſtari non poteſt, *l. 8. D. de oper. libert.* Denique in omnibus factis, negative conceptis, quae tractum temporis non habent, mora non purgatur: quod ſi tractum habeant, *nihil ex obligatione paucorum dierum mora minuet*, *l. 24. §. colonus 4. D. locat.* Poſtremo, ſi quis huic juris beneficio renunciaverit, non eſt eo juvandus, *l. 26. C. de fidejuſſ.*

Ad Leg. 88.

Mora rei fidejuſſori nocet: ut, ſi per reum ſteterit, quo minus res detur, eaque interierit, teneatur fidejuſſor. Hinc vero ipſius obligationem non augeri conſtat. Nam ſi res extaret, ejus dandae neceſſitate ut reus teneretur. Ergo ſaltem illius periculum praeſtabit. Quod ſi in omnem cauſam ſeſe obligaverit, ad omnes omnino acceſſiones tenebitur, *l. 54. D. locat.*

Ad Leg. 94.

Obſervandum eſt diligenter, quod in hac ſtipulatione facti quaeſtionem, non juris, verſari dicit. Nam ſi ex conjecturis appareat, quid actum ſit, etiamſi nulla certa quantitas huic ſtipulationi adjecta ſit, ipſa tamen valet. Eandem rationem in non diverſis ſpeciebus ſequuti ſunt JCti, *l. 30. D. de legat. 2. l. 12. D. de legat. 3. l. 7. D. de trit. vin. vel oleo leg. l. 69. §. Gener. 4. D. de jur. dot.* illamque obſervandam arbitror, vel eum de diei adjectione agitur. Papinianus enim utramque comparat: ut verius ſit in dubio, utramque eſſe imperfectam, *l. 115. infr. eod.*

Ad Leg. 115.

Diximus imperfectam eſſe ſtipulationem, quae cum de certo genere, & certa quantitate concipienda eſſet, in ea tamen ponderis menſurae aut numeri facta non ſit per errorem mentio. Idem tradit Papinianus, ſi dies per errorem omiſſa ſit. Cujus rei hanc eſſe rationem arbitror, quod nihil actum dici poſſit, cum id, quod agebant contrahentes, ut ſtipulationem adſtringerent, actum non ſit. *In ſtipulationibus* autem *id ſequimur quod actum eſt*, *l. 34. D. de regul. jur.* Et obſervandum in hac ſpecie non eſſe exiſtimo, trahentium fuerat, ut certa dies diceretur, non ut certa die ſe ſiſteret promiſſor; ut in ſpecie *l. 94.* agebatur, non de certa menſura praeſtanda, ſed de ea adjicienda, quae tamen per errorem omiſſa eſt. Vulgare enim eſt, in contrahendo quod agitur, pro cauto habendum eſſe, *l. 3. D. ſi cert. petat.* Videndum eſt igitur, quid actum ſit. Nam ſi praeter opinionem omiſerint diem contrahentes, atque in concipienda ſtipulatione erraverint, ea imperfecta eſt. Sin vero vel ſcientes prudentes diem omiſerint, vel de ipſa adjicienda nihil cogitaverint, aliisve conjecturis de eorum voluntate appareat, non eſt nulla haec ſtipulatio, *l. 15. D. de damn. infect. l. 8. D. Qui ſatisdar. cog.*

Ad verſ. Quocunque die ſiſteres.] Non quocunque die promiſſori placuerit, ſed quocunque promiſſorem ſiſtere oportuerit.

Ad §. Item ſi quis ita 2.] Equidem Papinianum ſenſiſſe arbitror, poenalem ſtipulationem, quae a faciendi conditione negative concepta incipit, non prius committi, quam ſi conſtiterit, eam adimpleri non poſſe. Idem in dandi obligatione Pegaſum ſenſiſſe refert; Sabinum autem exiſtimaſſe, poſtquam res dari potuiſſet, confeſtim agendum: idque ex ſententia contrahentium, quorum veriſimile eſt eam mentem fuiſſe. Id autem defendebat Sabinus exemplo penus legatae. Haeredem etenim, ſi dare potuiſſet penum, nec dediſſet, confeſtim in pecuniam legatam teneri ſcripſit. Idque utilitatis cauſa receptum eſt ob defuncti voluntatem, & ipſius rei naturam. Tum neque omnino approbans, neque refellens Sabini ſententiam, ſubjicit, eam poſſe recipi, ſi poenalis ſtipulatio non a conditione, ſed ab ipſa conventione coeperit. Quod ipſe ſine dubio verum eſſe ait, cum id actum probatur. Itaque ſi ea contrahentium ſententia non fuerit, recipi Sabini ſententia non poteſt. Quod verius eſt, cum ipſe Papinianus ex ſua ſententia prius ſcripſerit, poenalem ſtipulationem ita conceptam, ut ab initio ageretur, ut quocunque die promiſſor ſiſteret, & ſi non ſtetiſſet, pecuniam daret: quaſi quamlibet ſtipulationem ſub conditione conceptam vires habere, nec ante committi, quam fuerit declaratum ſiſti non poſſe. Itaque ex his, quae Papinianus in hac quaeſtione ſcripſit, conſtare illud opinor, ut ex quacunque poenali ſtipulatione, ſub negativa conditione concepta (ſive ea dandi, ſive faciendi ſit, ſive ab ea, ſive a conventione ſtipulatio incipiat) non prius ex ipſa agi poſſit, quam ſi deſierit poſſe adimpleri conditio, niſi aliud inter contrahentes actum eſſe appareat. Quod & in aliis negotiis, ut legatis, locum habet, ſi quid aliud favore quodam, vel utilitatis cauſa receptum non ſit ob defuncti voluntatem, & ipſius rei naturam, *l. 1. §. Item ſi ita* 8. *D. ad leg. Falc. l. 1. D. de pecun. leg. l. 20. D. de ſtatu liber. l. 24. D. Quand. dies legat. &c.* Et certe hujusmodi quaeſtiones facti ſunt, non juris; ut ſupra diximus. At in dubio id ſequendum eſt, quod veriſimilius eſt ſenſiſſe contrahentes. Illud autem eſſe conſtat, quod ex Papiniano retuli.

Ad verſ. Idque utilitatis.] In quibusdam manuſcriptis codicibus legitur, *Id autem*; quae lectio ad Papiniani ſententiam propius accedere videtur. Verum quicquid ſit, haec verba, *idque* ſic intelligenda eſſe ſentio, ut apud Cic. *lib. 1. Officior. cap. 7.* cum ait: *Non nobis ſolum nati ſumus, ortusque noſtri partem patria ſibi vindicat.*

Digitized by Google

adjiciatur, ne ſtipulator quanti ſua intereſt probare cogatur, *l. fin. D. de praet. ſtipulat.* conſtat nullam fieri novationem. Quod ſi actum ſit, ut, priori novata obligatione, ſola poenalis vires habeat, neminem dubitare exiſtimo, tum novationem fieri; ut in caeteris obligationibus obſervatur, *l. 2. D. de novat.* Eſt autem regulare, poenalem ſtipulationem priorem obligationem non novare: cum ſi principalis novaretur, ſola poena peti poſſet. Licere autem creditori aut rem, aut poenam petere, verius eſt, *l. 71. Pro ſoc. l. 28. D. de act. empt. l. 4. §. Labeo 7. D. de dol. except. l. 10. §. Si pacto 1. D. de pact. l. 122. §. Flavius 2. D. infr. eod.* niſi vel aliter cautum ſit (*ut hic*) vel alia ſit defuncti ſententia, reive natura non ferat, *l. 1. D. de penu. leg. l. 1. §. ſi ita 8. D. ad leg. Falcid. & al.* ut in poenali faciendi obligatione. Quamvis enim duae videantur eſſe ſtipulationes; magis eſt tamen, cum ex hujusmodi obligatione, ſi fieri non poſſit, ad id quod intereſt agatur (cujus loco poena promiſſa eſt) ut commiſſa ſtipulatione, ſola petatur poena, & quaedam quaſi novatio fiat. Nec enim novatio eſt propric, cum usque ad litem conteſtatam faciendo liberetur promiſſor, *l. 44. in fin. D. de oblig. & act. l. 84. ſup.* Quod certe non contingeret, ſi vera fieret novatio.

Ad Leg. 120.

Ea mihi videtur Papiniani ſententia ſtipulatio iſta: *Hanc ſummam centum aureorum dare ſpondes?* pura eſt & ſimplex, nec quicquam conditionis habet, ut ſive centum aureorum, ſive major, ſive minor ſumma ſit, debeantur centum aurei, aut ſi quid minus ea continet: idque ex eo probat, quod, etſi maxime ita exaudiatur ille ſermo, *Si modo centum aureorum ſit*, non tamen haec adjectio conditionem faciat: cum ſtatim vera ſit, aut falſa. Nam ſi ne unum quidem aureum ſumma contineat, falſa eſt; ideoque ab initio inutilis eſt ſtipulatio: quod in omnibus praeteritis aut praeſentibus conditionibus generaliter Modeſtinus ſcribit, *l. 100. ſupra eod.* Et certe, quamvis tota centum aureorum ſumma non inveniatur, non ideo tamen inutilis eſt ſtipulatio, ſed in minori valet: nam in majori ſumma minor ineſt. Sed ob id certa ſumma promittitur, ne eam excedere liceat, non quod non ſit conceſſum, minorem accipere. Haec enim ſummae tanquam unius corporis & ſpeciei declaratio additur, ut ſi monſtrata ſumma plus haberet, non ultra tamen promiſſor teneretur; quemadmodum praeclare reſpondit Africanus, *l. 107. §. Qui quinque 10. D. de legat. 1. Qui quinque in arca* (inquit) *habebat, ita legavit, vel ſtipulanti promiſit: Decem, quae in arca habeo. Et legatum & ſtipulatio valebit: ita tamen, ut ſola quinque vel ex ſtipulatione vel ex teſtamento debeantur. Ut vero quinque, quae deerunt, ex teſtamento peti poſſint, vix ratio patitur. Nam quodammodo certum corpus, quod in rerum natura non ſit, legatum videtur.*

Ad Leg. 122.

In princ.] Uſurae aliquando in futurum accipiontur, ſolutione ſortis in locum collata. Cum autem *is, qui certo loco dare promittit, nullo alio loco, quam in quo promiſit, ſolvere invito creditore poſſit, l. 9. D. de eo quod cert. loc.* ſive verbis, ſive re ipſa ſortem alio loco detractis uſuris offerat, nihil agit, poteritque ab eo pecunia nihilominus eo loco exigi, in quem promiſſa eſt. Itaque de duobus conſultum fuiſſe Scaevolam conſtat: Primum, an ſors ſuo loco peti poſſit, quod ipſe reſpondit; Deinde, an debitori ex ſorte uſuras detrahere, easque retinere liceret. Quam quaeſtionem ita decidit, ut conſtet, uſuras fuiſſe a debitrariae convenit, *l. 43. D. de jud. tit. D. de eo quod certo loc.* vel, quia per ipſum ſteterit, quo minus ex eo loco daret; vel, quoniam per alium dare potuit; vel, quia ubique poteſt ſolvere: habita ſcilicet ratione utilitatis ipſius actoris, quam haec actio continet, *l. 137. §. cum ita ſtipulatus 2. infra eod. l. 2. D. de eo quod cert. loc.*

Ad §. Callimachus 1.] Si nauticae pecuniae naturam cognoverimus, facile hoc reſponſum intelligemus. Eſt autem nautica pecunia, quae trans mare vehitur, *l. 1. D. de naut. foenor.* creditoris periculo: cum ſcilicet creditor recepit, ſe facturum, ut ſalva navis intra praeſtitutos dies ad locum, de quo convenerant contrahentes, perveniat, *l. 6. D. eod. tit.* Et certe creditor, cum ſe gravi periculo ſubjiceret, maximam ſtipulabatur uſuram, quae & nautica, & centeſima appellatur. Ea vero duplex eſt: quaedam in alteram tantum navigationem ſtatuitur; quaedam & pro commeatus & remeatus periculo penditur. Illa dicitur a Graecis ἑτερόπλουν; haec ἀμφοτερόπλουν foenus. Quae hic a Scaevola refertur ſpecies, poſterioris eſt generis. Sed creditorem ſolitum fuiſſe ſervum mittere, qui pecuniam ſequeretur, ex Papiniani reſponſo conſtat, *l. 4. D. eod. tit.* Nam cum haec non deberetur uſura, niſi diſcrimen navi immineret, ultra commune foenus certam pecuniam pro operis ſervi, trajectitiae pecuniae cauſa ſequuti, creditor ſtipulabatur: ut etiam Stichum ſervum Seji feciſſe narrat Jureconſultus.

Ad §. Augerius 4.] Conditio, quae huic ſtipulationi ineſſe dicitur, tacita eſt. Cum enim Augerius filiusfamilias, qui patrem, in cujus erat poteſtate, a P. Maevii ſervo provocari videbat, in ſuam perſonam patris debitum transfert, quadam quaſi novatione facta: & ipſi ſervo ſtipulanti ſpondet, ſe daturum quicquid patrem ſuum P. Maevio debere conſtitiſſet: tacite hanc conditionem adjicit, ut ex ſolo peculio, cujus tum ratione ſpondebat, vel ſi haeres extiterit, teneatur. Nam haec obligatio patris perſonam non liberat: qui eadem patris & filii cenſetur perſona: nec illius obligatio per filium novari poteſt, niſi ipſius voluntate, *l. 20. D. de novat.* ſed ita tamen, ut nihilominus pater, ſaltem ex filii promiſſione, remaneat obligatus. Defuncto patre antequam conſtitiſſet, quid, quantumque deberet, id eſt (ut ipſe interpretor) antequam is declaraſſet, quid Maevio deberet, & ſuam debiti, quod Augerius promiſerat, ſolvendi voluntatem expreſſiſſet (nec enim in eo conditio eſt, an, & quando, & cum quo conſtiterit de illo debito; ſed ea tacita, an peculium, unde ſolvere poſſit, habeat, aut haeres patri extiterit: paternum enim eſt debitum) quaeſitum eſt, an, ſi adverſus haeredem ejus actum fuiſſet, aliumve ſucceſſorem, & de debito conſtitiſſet, Augerius teneatur? Et reſpondit Scaevola: ſi ita ſit, quod tacita conditio non extiterit, ſtipulationem non eſſe commiſſam. Nam ipſe de ea dubitabat: quia pater alios haeredes inſtituerat. Nec enim ſatis eſt, relictos a patre haeredes fuiſſe, quibus cum debitum certum fiat; ſed oportet, ut pater prius, quam decederet, declaraverit ſuam debiti a filio ſolvendi voluntatem, eique peculium reliquerit, unde ſolvat. Non fuit igitur pro parte fidejuſſor filiusfamilias, ſed ſimpliciter promiſit, quod pater deberet, & quodammodo paternum debitum novavit. Itaque conſtat, hoc Scaevolae reſponſum ad eam quaeſtionem non multum pertinere, an conditio ad haeredes tranſeat: ſed nos tamen eam tractare volumus; cum hic etiam ab aliis explicetur. Scholaſtici DD. duo genera conditionum faciunt: quaſdam enim Poteſtativas appellant; ego arbitrarias con-

Digitized by Google

niſi ſuam ipſe voluntatem declaraverit: quemadmodum in ea ſpecie, quam *l.* 48. *hujus tituli* tractavimus, ſi ex ſubjecta materia conſtitiſſet, adjectionem hanc *cum petiero* conditionis eſſe, non admonitionis cujusdam, fuiſſet illa arbitraria conditio. Non eſt certe illa, *ſi in capitolium non aſcendero*, arbitraria, ſed magis fortuita. Quare omnes conditiones, quae in aliquem caſum ita differuntur, ut ipſo (ut ita dicam) jure, id eſt, ſine ulla voluntatis declaratione, ſtatim atque extiterint, ſtipulatio committatur, ad haeredes transmitti, §. *ſub conditione* 4. *Inſtit. de verb. obligat.* alias vero in voluntate & arbitrio ipſius contrahentis poſitas, non transire; quia aut nulla eſt ſtipulatio, ut ea, quae ex promittentis voluntate ſtatum & conditionem capit, *l.* 108. *ſupra eod.* aut aeque impleri ab haerede, ut ab ipſo contrahente non poteſt, arbitror. Sed etiamſi fortuitae ad haeredes transeant, non tamen extraneos reſpiciunt; quemadmodum diximus in *l.* 57. *bujus tit.*

Ad §. *duo fratres* 6.] Mihi videtur Scaevolae reſponſum eo pertinere, ut ipſe reſponderit, aeque cum haeredibus poenam, atque cum ipſis contrahentibus committi poſſe: adeo ut, ſi duo fratres haereditatem inter ſe diviſerint, & ſibi caverint, nihil ſe contra eam diviſionem facturos: &, ſi contra quis feciſſet, poenam alter alteri promiſerit: poſt mortem alterius, qui ſupervixit, petierit ab haeredibus ejus haereditatem, quaſi ex cauſa fideicommiſſi, ſibi a patre relicti, debitam: & adverſus eum pronunciatum ſit, quaſi de hoc quoque transactum fuiſſet: poena committatur. Intellexit enim Scaevola ex ipſa transactione fratres de tota haereditate, ex quacunque cauſa competere poſſet, transegiſſe: unde judex non male pronunciaverat, quia etiam de fidei-

In verb. Ad initio non valet.] Id eſt, ipſo jure, ſic ut ne ejus quidem conceptio vim aliquam habeat, atque ideo nunquam valeat, nec ex ea dari actio poſſit.

Ad Leg. 133.

In verſ. At ſi ſic volumus.] Antonius Auguſtinus, de jurisprudentia bene meritus, *lib.* 1. *Emendationum*, *cap.* 8. ex Pandectis Florentinis hunc locum ita reſtituit: *At ſi ſic volumus factam eſſe ſtipulationem, neque per te, neque per haeredem tuum fieri, ut ad unam vim primam teneat: ſi vim fecerit, amplius ex haeredis facto committi non poterit. Ergo ſi actum ſit, quaſi ex ipſius vi tota ſit conſumpta: quod non eſt verum.* Horum verborum hic mihi ſenſus eſſe videtur: In hac ſtipulatione, neque per te, neque per haeredem tuum vim fieri ſpondes? de qua *in hac lege* disputat Jureconſultus: ſicut factum unum haeredis, unumque defuncti promiſſoris, ita alia atque alia vis eſt utriusque: ut praeterea, ſi ſaepius haeres vim faciat, ſaepius committatur ſtipulatio. Quibusdam autem videbatur una duntaxat vis ſtipulatione comprehendi tam promiſſoris, quam haeredis, neque ſaepius ea fieri committive, conſumpta unius vi, quantum ad ipſum attinet ex ſtipulatione. Ergo ſi is, cui vis facta eſt, egerit, tanquam conſumpta ſtipulatione, amplius vis committi non poſſe exiſtimabatur. Quod verum non eſſe ait Jureconſultus: facti enim nudi ſtipulationi adpoſita eſt poena, quae ſaepius committi poteſt. Nam juris nullum effectum continet, ſed ſatis eſt, aliquid contra quam conventum erat factum eſſe. Et ea quidem verba, *At ſi ſic volumus factam eſſe ſtipulationem*, non ſunt contrahentium, ſed ipſius Scaevolae: neque etiam illa, *ſi actum ſit*, ſignificant, ſi convenerit.

F I N I S.

DE
JURISDICTIONE ET IMPERIO LIBELLUS.

SUMMARIUM.

1. *Origo jurisdictionis.*
2. *Populi Romani magiſtratuum poteſtas.*
3. *Jurisdictio non recte in imperium & jurisdictionem ſpecialiter acceptum dividitur.*
4. *Enarratio* l. 1. §. 1. D. de offic. ejus cui &c.
5. *Quid ſit jurisdictio, & jus dicere.*
6. *Extraordinaria magiſtratus cognitio eſt jurisdictionis.*
7. *Non aliter in Codice, quam in Digeſtis jurisdictio accipitur.*
8. *Explicatio* ll. tit. C. de form. jur. &c.
9. *Explicatio* l. placet 2. C. de pedan. judic.
10. *Juſtiniani tempore nihil erat de veteri jure immutatum.*
11. *Cauſarum criminalium cognitiones ſunt jurisdictionis.*
12. *Quid ſit imperium.*
13. *Meri imperii definitio & natura.*
14. *Quaeſtores publicarum quaeſtionum merum habebant imperium.*
15. *Merum imperium non eſt cauſarum criminalium cognitio neque coërcitio; & explicatur* l. 1. D. de offic. ejus cui &c.
16. *Merum imperium non eſt ſententiarum exequutio.*
17. *Quid ſit mixtum imperium; & quomodo jurisdictioni ineſſe dicatur; & 20.*
18. *Quomodo tutoris datio ad jus dicentis officium pertinere dicatur.*
19. *Mixtum imperium non eſt modica coërcitio.*
21. *Diſſolutio antinomiae* l. Ea quae 26. D. ad Municip. & l. Dies 4. §. 3. D. de damn. infect.
22. *Explicatio* l. imperium 3. D. de jurisdict.
23. *Judicis dandi licentia eſt imperii & jurisdictionis, ſed magis imperii.*
24. *Explicatio* l Eum qui 13. D. de jurisdict.
25. *De commentitia nobilis & mercenarii officii diſtinctione.*
26. *Non omnis jurisdictio mandata transfertur, nec ideo mixtum imperium.*

I. CUm fuſi per agros & diſperſi vagarentur homines, nullaque adhuc mala libidine ſine probro & ſcelere agerent: poſtea exui aequalitas incepit, atque manu & viribus per caedem & vulnera alienas poſſeſſiones invaſerunt, qui feris moribus imbuti, naturalem honeſtatem ac modeſtiam contempſerunt. Cui malo viri conſilio & virtute praeſtanti proſpicientes, diſſipatos unum in locum congregarunt; eosque ex feritate illa ad juſtitiam atque manſuetudinem tranſtulerunt: tum civitates invento divino & humano jure moenibus ſepierunt. *Atque inter hanc vitam perpolitam humanitate, & illam immanem nihil intereſt, quam* (ut praeclare a M. Tullio Cicerone ſcriptum eſt *pro Sextio cap.* 42.) *vis & jus*: quod ex Romanae civitatis fundatione (cujus conditorem primumque Regem Romulum fuiſſe nemo ignorat) intelligimus. Urbe enim condita, & hominum minime civilium, qui in Aſylum confluxerant, multitudine aucta, ut eos in ſocietate contineret, ipſe leges tulit, jura conſtituit, eaque poſtulantibus reddidit, aſſumptis ſibi in conſilium centum viris, quos ab aetate ſenatores, ab honore patres appellavit. Et certe *non apud Medos ſolum, ut ait Herodotus, ſed etiam apud majores noſtros* (inquit Cicero *lib.* 2. *Offic. cap.* 12.) *juſtitiae fruendae cauſa videntur olim bene morati reges conſtituti.* Atque Pomponius, Dionyſius, caeterique diligentes Hiſtorici, & de memoria Roman antiquitatum optime merito teſtantur, omnia fuiſſe manu & poteſtate regum, a quibus cives ſuum jus obtinebant, gubernata, quamvis etiam magiſtratus crearentur. Primum autem Servium Tullium regem ſextum fuiſſe, qui privata judicia, quibus antea ſoli reges praefuerant, certis judicibus delegaret, ut ſecundum leges, a ſe latas, jus dicerent, memoriae mandatum eſt. Verum Tarquinius Superbus, qui ei ſucceſſit, ſine patrum conſilio capitales cauſas exercere, & reliquas Reipublicae partes procurare coepit.

II. Exactis tandem regibus, inſtituti ſunt a Populo Romano magiſtratus, qui jus ſuum cuique redderent. Neque vero abrogata ſunt omnino conſtituta a Regibus jura, ſed ſic exoleverunt, ut more jam potius, quam regio nomine valerent. Scio tamen, leges, quae ad mores regios firmandumque regnum pertinebant, ſublatas fuiſſe; Populi vero Romani magiſtratuum, qui juri dicundo praefuerunt, magnam fuiſſe poteſtatem accepi. Cum enim, conſtitutis legibus, oportuit conſilio & multarum rerum cognitione praeſtantes viros eſſe, per quos illae effectus ſuos conſequerentur, creati ſunt magiſtratus: qui ideo *legum miniſtri & interpretes* appellantur, Cic. *pro Cluentio cap* 53. & ab honore praetores, quod jure & exercitu praeirent; inquit Varro. Illi edicta proponebant, quae Dionyſius juſſa ac vitita magiſtratuum vocat. Decernebant, judicabant, judices dabant, non obedientes cives coërcebant: ut lex illa Ciceronis, quae eſt *lib.* 3. *de Leg. cap.* 3. oſtendit. Quamvis enim eam 12. tabularum eſſe affirmare non auſim; ipſe tamen Romanae civitatis mores ſequutus, & nihil aut certe parum innovans, ſic ſtatuit: *Magiſtratus nec obedientem & noxium civem, multa,*

Digitized by Google

te, magiſtratum intelligens, dixerit. Sic enim immixta eſt jurisdictioni haec poteſtas, ut recte una divelli ſepararique ab altera nequeat.

III. Videndum eſt autem, ne jurisdictionis appellationem adeo extendamus, ut unam ejus ſpeciem imperium faciamus. Quamvis enim illa diſtinguere facile non ſit, & quod imperii magis eſt, quam jurisdictionis, etiam in jure dicundo poſitum videatur: affirmare tamen non auſim, noſtros Jurisconſultos jurisdictionem, generaliter acceptam, ſic in imperium & jurisdictionem diſtribuiſſe, ut adoptionis duo genera arrogationem & adoptionem ſpecialiter ſumptam fecerunt. Nam ut de imperio, quod merum appellant, prius dicam, nullus eſt, qui ipſum a jurisdictione ſeparatum & diſtinctum omnino eſſe non dixerit, ita ut ſub una ejus ſpecie contineri nequeat.

IV. Quamvis Papinianus lib. 1. quaeſtionum aliud ſenſiſſe videatur, *l. 1. §. 1. D. de offic. ejus cui &c.* (Is enim ſcribit, *verius eſſe more majorum jurisdictionem quidem transferri, ſed merum imperium quod lege datur, non poſſe tranſire*) equidem in ea Papinianum non fuiſſe ſententia ſemper exiſtimavi, ut apud eum dubitaretur, an mandata jurisdictione a proconſule legato, merum in legatum transiret imperium, tanquam jurisdictio hoc ipſum imperium complecteretur: ſed, cum ipſe definiiſſet, tranferri ea non poſſe, quae lege ſpecialiter data ſunt, ea vero mandari, quae jure magiſtratus competunt: eum ſubjeciſſe competentem more majorum vel jure magiſtratus (iis enim indifferenter utuntur Jureconſulti) jurisdictionem mandari poſſe, non autem merum imperium, quod lege datur, ex totius legis curſu collegi. Cum enim publici judicii exercitationem (quam eſſe jurisdictionis ex Papiniani aliorumque Jureconſultorum ſententia oſtendam) mandari non poſſe dixiſſet; eum vero, qui mandatam ſuſcepit jurisdictionem, ejus, qui mandavit, jurisdictione uti: ne contraria videretur ſcripſiſſe, tanquam ſuperiorum exceptionem vel potius interpretationem adjiciens, ſubjungit: Eam jurisdictionem, quae more majorum competit (cujus generis non eſt publici judicii exercitatio) mandari poſſe. Quam quaeſtionem poſtea tractabimus. Porro mixtum imperium nec jurisdictionis ſpeciem eſſe, non uno in loco oſtendit Ulpianus. Nam, lib. ſingulari de officio quaeſtoris, ipſum definit imperium, cui jurisdictio ineſt, *l. 3. D. de jurisd.* quibus verbis imperii & jurisdictionis affinitatem oſtendit: diſerte autem ſignificat, hujus illud ſpeciem non eſſe: ut etiam lib. 1. ad edictum: *Omnibus*, inquit *l. 1. D. Si quis jus dicent &c. magiſtratibus, non tamen duumviris, ſecundum jus ſuae poteſtatis, conceſſum eſt, jurisdictionem ſuam defendere poenali judicio.* Cur enim in definiendo mixto imperio jurisdictionem pro genere non uſurpaſſet? cur magiſtratum ex vi & magnitudine ſui imperii ſuam tueri jurisdictionem dixiſſet? Quare verius eſt, jurisdictionem imperii genus non eſſe, licet ſub titulo *de jurisdictione* etiam de imperio disputetur. Non enim novum eſt, ut, cum rerum affinitas poſtulat, plura in quaeſtionis ſuſceptae progreſſu tractentur, quam titulus ipſe promittat. Sed nec curioſe omnia in Pandectarum diſpoſitione exigenda ſunt, cum ipſi compilatores falli aliquando potuerint.

V. Nunc videamus, quid ſit jurisdictio. Equidem recte illam definiri exiſtimo, *juris dicandi licentiam.* Sic enim eam Ulpianus appellat, *l. 3. D. de jurisd.* ſi vetuſtiſſimis quibusdam exemplaribus credamus. Sed, cum non minus obſcurum ſit, quid jus dixus eſt: *Quid ego iſtias in jure dicundo libidinem demonſtrem? quis veſtrum non ex urbana jurisdictione cognovit? Quis unquam iſto praetore, Chelidone invita, lege agere potuit? Judices citari jubet. Jubet citari Heraclium, & eos qui dicam ſcripſerant. Citatur reus Sopatrus. Sthenium citari jubet. Atque ut aliquando de rebus ab iſto cognitis judicatis & de judicibus datis deſiſtamus dicere.* Ex quibus conſtat, Praetorum officium in dijudicandis cauſis & dandis judicibus fuiſſe: quod etiam notat Aſcon. Paedianus. Itaque nonnunquam jus dicere, & judicare cognoſcereve indifferenter uſurpari legimus, Calliſtratus *l. 19. de offic. praeſid.* cum dixiſſet: *Obſervandum eſſe jus reddenti, ut in adeundo quidem ſe facilem praebeat*, poſtea ſubjicit §. 1. *Sed & in cognoſcendo neque excandeſcere, &c.* Atque apud Suetonium ſaepe nunc Imperatorem jus dixiſſe, nunc cognoviſſe vel judicaſſe, ſcriptum notavimus. Qua de re poſtea dicemus.

VI. Prius enim ut illis ſatisfaciamus oportet, qui magiſtratum quidem cognoviſſe fatentur, verum eam cognitionem extraordinariam eſſe, nec propria jurisdictionis appellatione comprehendi, exiſtimant. Nunquam enim potui ex Jureconſultorum ſcriptis eam diſtinctionem colligere, imo ſemper obſervavi, eos eadem jurisdictionis ſignificatione, etiam in illa extraordinaria cognitione, uſos fuiſſe; quod etiam Cicero *in Verrem lib. 1. cap. 50.* oſtendit: *Cum factum eſſe SCtum Verres & P. Celius Praetores cognoſcerent & judicarent, de quibus fartis tectis cognitum & judicatum non eſſet.* Ulpianus: *Cum pleniſſimam* (inquit *l. 7. §. 2. D. de offic. proconſ.*) *jurisdictionem proconſul habeat, omnium partes, qui Romae vel quaſi magiſtratus vel extra ordinem jus dicant, ad ipſum pertinent.* Quod ſi non iisdem verbis, non diverſa tamen ſententia Hermogenianus de officio praeſidum ſcribit: *De omnibus cauſis* (ait *l. 10. D. de offic. praeſid.*) *de quibus vel praefectus urbi, vel praefectus praetorio, itemque conſules & praetores caeterique Romae cognoſcunt, correctorum & Praeſidum provinciarum eſt notio.* Et ſub titulo *de variis & extraordinariis cognitionibus*, extra ordinem jus dici legimus. Sed & haec noſtra ſententia clarius probatur ex eo, quod Suetonius ſcribit Claudium (*in ejus vita cap. 23.*) *jurisdictionem de fideicommiſſis* (quam in extraordinaria cognitione poſitam eſſe qui a nobis diſſentiunt fatentur) *quotannis & tantum in urbe delegari magiſtratibus ſolitam, in perpetuum, atque etiam per provincias poteſtatibus demandaſſe.* Huc pertinet, quod & Jureconſulti & Imperatores Praetorem nunc de fideicommiſſis cognoviſſe, nunc jus dixiſſe, ſcribant. Author Ulpiani epitom. *Fideicommiſſa* (inquit *tit. de Fideicomm.*) *non per formulas petuntur ut legata, ſed cognitio eſt Romae quidem conſulum, aut Praetoris, qui fideicommiſſarius vocatur: in provinciis vero praeſidum provinciarum.* Imperator Antoninus. *Si decreto Praetoris* (ait *l. 2. C. Qui potior in pignor. hab.*) *qui de fideicommiſſo jus dixit, &c.*

VII. Sed dicent fortaſſe nonnulli, Imperatorum conſtitutiones jus dicere aliter, quam Jureconſultorum reſponſa uſurpaſſe; idque propter Diocletiani & Maximin. Conſtantini, Theodoſ. & Valentin. reſcripta: quorum minuenda eſt opinio. Ut enim omittam M. Antoninum Caracallam, qui ſolus Duobus & Aſpris Coll. imperans, conſtitutionem illam emiſit, praeceſſiſſe Alexandrum Severum (ſub quo floruit Ulpianus noſter) & reliquos illos Imperatores, quorum meminimus: equidem ſentio, aliter ab Imperatoribus, quam a Jurisconſultis acceptam non fuiſſe jurisdictionem.

… quibus vix quiſquam poterat ſine periculo agere; adeo ut, ſi quis praeſcriptam formulae ſolennitatem non obſervaſſet, cauſa caderet. Quae cum aliud nihil fuerint, quam verborum aucupia, quae etiam a M. Tullio Cicerone irridentur; merito Conſtantinus inanem illam verborum aucupationem ſuſtulit. Quod autem ajunt, prohibuiſſe eum, ne in jure, id eſt, apud Praetorem, agendi genus conciperetur, mihi nunquam placuit, nec etiam ex illius temporis hiſtoria conſtat, ademptam fuiſſe Praetoribus concipiendarum formularum poteſtatem. Theodoſ. vero & Valent. AA. actionum impetrationes non ſuſtulerunt; quamvis titulus id videatur ſignificare. Melius eſt enim in Codice Theodoſiano de ſublata non impetratae actionis exceptione. Cum enim ante eorum reſcriptum nullus ad agendum admitteretur, qui formulam a Praetore non impetraſſet, ſaepe contingebat, ut, ſi judicem quidem Praetor dediſſet, formulam vero ex lege non praeſcripſiſſet, is, qui in jus vocaverat, judiciumque ſuſcipi volebat, ab adverſario non impetratae praeſcriptaeque actionis formulae exceptione excluderetur. Sanxerunt igitur Imperatores, hanc non eſſe opponendam exceptionem, ſi hujusmodi ſit actionis forma, qua quis intendere vult, ut, negotio propoſito, id eſt, apud judicem datum narrato, competens ſit. Oportebat enim rem totam apud judicem narrari: &, cum ipſe per narrationem negotii cauſam (ut Severus & Antonin. AA. reſcripſerunt *tit. C. de lit. conteſt.*) audire coepiſſet, lis dicebatur conteſtata. Neque vero aliter ipſam Theodoſ. & Valent. conſtitutionem enarrare poſſumus. Sed etiam, ſi ſublatas illorum reſcriptis formulas actionumque impetrationes fateamur; quid hoc ad jurisdictionem?

IX. Melius fortaſſe Diocler. & Maxim. conſtitutio eorum opinionem confirmare videbitur. Volunt enim illi, *l. 2. C. de ped. judic. Praeſides de his cauſis, in quibus, quod ipſi non poſſent cognoſcere, ante hac pedaneos judices dabant, notionis ſuae examen adhibere.* Sed primum mihi cum caeteris in hujus reſcripti interpretatione non convenit. Quod enim pedaneos judices, datos a magiſtratu interpretantur, non probo. Nam titulorum diſpoſitio, quae hujusmodi eſt, ut hunc *de pedaneis judicibus* titulum ſequatur alius, *Qui pro ſua jurisdictione judices dare, darive poſſunt*, refragatur. Praeterea ſemper obſervavi, pedaneos judices eos dici, quibus mandata vel delegata eſt jurisdictio; ut apud Ulpianum, *l. 3 §. 3. D. ne quis eum qui in jus. Si quis ad pedaneum judicem vocatum eximat, poena hujus edicti ceſſabit.* Et apud Paulum *l. 38. §. 10. D. de poen. Judices pedanei ſi pecunia corrupti dicuntur, plerumque a praeſide aut curia ſubmoventur.* Id Pauli interpres lib. 5. ſententiarum ad leg. Juliam repetund. ita interpretatur, ut *Pedanei judices ſint, qui ex delegatione cauſas audiunt.* Caeterum veteres mandati & delegationis nominibus indifferenter uſos fuiſſe, poſtea oſtendemus. Quare id mihi ſenſiſſe videntur Impp. ut de iis cauſis, quae a praeſidibus, propterea quod gravioribus occupati eſſent negotiis, mandari ſolebant, ipſi cognoſcant ita tamen, ut, vel propter occupationes publicas, vel propter cauſarum multitudinem judices dare poſſint. Sed eam Julianus conſtitutionem ita moderatur, ut etiam ſimilia negotia mandari, ad eorumque diſceptationem pedanei judices conſtitui queant, *l. ultim. C. de ped. jud.* Quid autem innovaverint Impp. non intelligo. Nam & veteri jure cognoſcere, atque judices dare poterant magiſtratus.

X. Quod Juſtiniani etiam tempore obtinuit: ſic enim de judicibus, *l. ult. C. ubi & apud quem &c.* … *vel in provinciis, ut videatur ipſe, qui judicem deſtinaverit, utpote pro tribunali cognoſcens, in integrum dare reſtitutionem, & cauſas ejus examinare, &c.* Quamobrem conſtat, etiam jus dixiſſe magiſtratus, cum judicarent cognoſcerentve: quod intelligens Cicero, ab aliorum judicum cognitionibus judicationibusque ejus poteſtatem diſtinguens, ſcribit, dubium non eſſe, quin omnes omnium pecuniae poſitae ſint in eorum poteſtate, qui judicia dant, & eorum, qui judicant.

XI. Sed & cauſarum criminalium diſceptationem jurisdictionis fuiſſe conſtat: nam in Theodoſii ac Juſtiniani codicibus titulus *de jurisdictione* generaliter ſcribitur, & utrumque judicii genus reſpicit. Sed nec audaciſſima litigatoris contumacia cohiberi ſine modica coërcitione (quae mandata jurisdictione transfertur) poterit. Ideoque Aſconius Paedianus *in commentatione*, quam in Marci Tullii Ciceronis *contra Verrem orationem de praetura Sicilienſi*, & primum *de jurisdictione* ſcripſit, diſerte in argumento oſtendit, rea capitales jurisdictionis eſſe. Sic enim ait: *Itaque poſt hoc duo criminum genera perſequitur ad extremum: primum de Heraclio, de expreſſis honoribus ab invitis, de Epicrate Bideno, deque rebus capitalibus, ubi de Sopatro, de Sthenio, quae omnia ſunt de jure dicundo.* Suetonius *in Auguſto cap. 33. Ipſe jus dixit aſſidue, & in noctem nonnunquam; ſi parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans. Dixit autem jus non diligentia modo ſumma, ſed & lenitate. Siquidem manifeſti parricidii reum, ne culleo inſueretur, quod non niſi confeſſi afficiebantur hac poena: ita fertur interrogaſſe, &c.* Fateor, jurisdictionis ſpeciem, quae in civilibus negotiis cauſiſque verſatur, commune jurisdictionis nomen ſuum feciſſe: unde Cicero juris dicundi ſortem, quae Muraenae obtigerat, cum peculatus quaeſtione comparat; & is ipſe Paedianus *in commentatione orationis de praetura urbana, caput de jure dicundo*, ab eo, quod eſt de ſuppliciis, diſtinxit. Quare ex iis, quae diximus, conſtat, jurisdictionem eſſe juris dicundi licentiam: jus autem dicere magiſtratum, cum de re ſibi expoſita ſtatuit, jusque poſtulantibus reddit, ſive judicet ipſe, ſive judices det; ſive ordinaria, ſive extraordinaria ſit cognitio; ſive civilis, ſive criminalis ſit cauſa.

Diximus, in initio civitatis Romanae omnem reges poteſtatem ſibi tribuiſſe, aut certe ita populum gubernaſſe, ut ab eorum nutu omnis Reipublicae adminiſtratio penderet: illis autem exactis, magiſtratus ſibi creaſſe populum, quibus neceſſariam ad jus dicendum poteſtatem dederit; regium vero imperium ſibi reſervarit. Unde apparet, duplex fuiſſe imperium: aliud juri dicundo admixtum; aliud omnino a jurisdictione ſeparatum.

XII. Eſt autem imperium magiſtratus poteſtas atque juſſus, cui omnino parendum eſt: atque ita ipſum a Jureconſultis dici video. Scribit enim Celſus, *l. Quod juſſit 13. D. de re judic. Quod juſſit vetuitve Praetor, contrario imperio tollere & remittere poteſt.* Paulus *l. fin. D. Ne quid in loc. vel in itin. publ. Is, qui adverſus edictum Praetoris aedificaverit, tollere aedificium debet: alioquin inane & luſorium Praetoris imperium fuerit.* Idem *l. 4. D. de recept. arb. Magiſtratus ſuperiores, aut pari imperio qui ſunt, nullo modo poſſunt cogi.* Martianus *l. Munus 214. D. de verbor. ſignificat. Munus proprie eſt, quod neceſſario ſubimus lege, more, imperiove ejus, qui jubendi habet poteſtatem.* Ulpianus lib. 4. fideicomm. *l. ille a quo 13. §. Tempeſtivum 4. D. ad SCtum Trebell.* cum diſputat, per quem quis cogatur adire & reſtituere haereditatem, ſatis oſten-

Digitized by Google

ſunt tamen *ſine imperio & poteſtate*, ut Ulpianus noſter ſcribit, *l. Nec.* 32. *D. de injur. Quod ſi ex minoribus magiſtratibus erit, id eſt, qui ſine imperio, aut ſine poteſtate ſunt magiſtratus, &c.*

XIII. Merum autem eſt imperium, quod juri dicundo non eſt immixtum, ut ex contrariorum natura conſtat. Nam mixtum illud eſt, quod jurisdictioni cohaeret. Idque etiam probatur eorum argumento, quae de mera conditione ſcribit Calliſtratus, *l. Cum ſervus* 82. *D. de condit. & dem. Sed nos neque conditionem meram putamus eſſe, quae in datione exiſtat; neque meram conditionem, quae in facto ſit: ſed eam conditionem, quae ex quadam mixtura conſiſtat.* Ita *merum jus gentium* Tryphoninus, *l. Bona fides* 31. *D. Dep. Merum judicis officium* Pomponius, *l.* 5. *D. de verb. obligat.* & *Merum factum* Paulus, *l. Qui res* 98. §. 16. *D. de ſolut.* dixerunt. Sed, ut naturam hujus imperii cognoſcamus, intelligendum eſt, eam ſemper poteſtatem ſibi reſervaſſe populum, quae non ad jus dicendum, ſed conſervandum popularem ſtatum, continendamque publicam libertatem pertinebat: adeo ut ipſam magiſtratus ſibi vindicare nunquam voluerit. Et L. quidem Valerius Publicola, ut ſuſpicionem affectandi regni vitaret, inter caeteras hanc legem tulit, ut adverſus magiſtratus provocatio eſſet ad populum. Quae ſumma fuit poteſtas, eaque mera: cum ne conſulibus quidem illud ipſum jure magiſtratus tributum fuerit imperium. Sed Dictatori quidem ſpeciali jure datum fuiſſe, ex Pomponio aliiſque accepimus: adeo ut, ejectis magiſtratu depoſitiſque Decemviris, qui tantum ſibi arrogabant, quantum olim ſibi Reges ſumpſerant, ea fuerit lex revocata. Sed & M. Tullius Cicero *in oratione pro Sextio*. 12. *Tabul. lege ſancitum eſſe* ſcribit, *ne de capite civis Romani niſi centuriatis comitiis rogaretur:* & in *oratione pro C. Rabirio*, perduellionis reo, ait *cap.* 4. *C. Gracchum legem tuliſſe, ne de capite civium Romanorum injuſſu quiritum judicaretur.*

XIV. Itaque cum de animadvertendo in facinoroſum civem agebatur, extra ordinem Quaeſtores Populus conſtituebat, quibus merum illud imperium dabat, ut jubere poſſent in noxium animadverti, eumque ſecundum legem puniri; quod Livius *lib.* 26. *cap.* 16. his verbis indicat: *Lictor viro forti adde virgas, & in eum primum lege age.* Et, quamvis ex Populi poteſtate eam exercerent imperandi authoritatem, eos tamen merum non habuiſſe imperium, dicendum non eſt. Poſt temporum vero curricula Cornelius Sylla, cum plures de parricidiis, de ſicariis, de falſis leges tuliſſet, ut eſſent, qui eas tuerentur, quatuor Praetores, qui de criminibus inquirerent, veteri numero adjecit: quibus haec ipſa poteſtas ſpecialiter data eſt, quaeſtioneſque publicae ac perpetuo conſtitutae ſunt, cum antea in ſingula crimina mandarentur, Cic. *in Brut.* & Pompon. *l.* 2 *D. de orig. jur.* Et Praetores quidem in urbe deſignati publicorum judiciorum exercitationem ſortiebantur, ita ut quiſque datam in ea quaeſtione, quae ſibi obtigerat, poteſtatem exerceret. Ex his conſtat, quid merum dicam imperium. Illud enim eſſe exiſtimo poteſtatem, quae pura eſt, nullique immixta jurisdictioni, vel quae per ſe ſtat, nec juri dicundo inſervit.

XV. Ipſa igitur non eſt cauſarum criminalium cognitio, nec maleficii coërcitio. Nam & de crimine cognoſcendo & facinoroſum coërcendo jus dicitur: quod jam ex Papiniano aliiſque oſtendimus, *l.* 1. *D. de offic. ejus.* & Sueton. *in Auguſt. cap.* 33. Publici enim judicii exercitationem, & capitalis cau-

cum jurisdictione. Quae verba ſi ſic interpretemur, ut velit Papinianus, mandata jurisdictione merum imperium non transferri, neceſſe eſt, ut conjunctum cum jurisdictione, aut certe ab ea non omnino ſeparatum illud dicamus. Cur enim dixiſſet, non transferri mandata jurisdictione merum imperium, niſi magiſtratus, qui illam haberet, hoc quoque ipſum habere videretur? Non eſt igitur in ea ſententia Papinianus, ſed ipſe, ex ſuperioribus concludens, quaſi (ut ita loquar) adverſative cum dixiſſet competentem more majorum jurisdictionem mandari, ſic colligit: Animadverſio igitur, quae ſpecialiter lege, Senatusconſulto, vel principum conſtitutione permittitur, mandata jurisdictione non tranſibit. Et ſaepe quidem obſervavi, Jureconſultos, cum de imperio loquuntur, non coërcitionis aut animadverſionis verbo ſimpliciter uti, ſed vel poteſtatis vel juſſus verbum adjicere. Paulus *lib.* 5. *ſententiarum tit. ad leg. Juliam de vi publica & privata*, 26. §. 2. *Hac lege* (inquit) *excipiuntur, qui artem ludicram faciunt, judicati etiam, & confeſſi, qui ideo in carcerem duci jubentur, quod jus dicenti &c.* Ulpianus *l.* 2. *D. de in jus vocand. In jus vocare non oportet neque conſulem, neque praefectum, neque praetorem, neque proconſulem, neque caeteros magiſtratus, qui imperium habent, & qui coercere aliquem poſſunt, & jubere in carcerem duci*; ubi conjunctio, *et* non tam conjungere, quam interpretari videtur, ut pro *id eſt*, accipiatur. Idem de mero imperio loquens, *l.* 3. *D. de jurisd. Ipſum, poteſtatem gladio in facinoroſum animadvertendi* appellat: alio loco, *l. Solent.* 6. *D. de offic. proconſ. l. Nemo* 70. *D. de regul. jur.* nunc *poteſtatem gladii aut cujusvis alterius coërcitionis*, nunc *l. Illicitas* 6. §. *qui univerſas* 8. *D. de off. praeſ. jus gladii, & in metallum damnandi poteſtatem* dicit. Quibus verbis ſignificat hoc ipſum imperium non coërcitionem, non animadverſionem, non gladium eſſe, verum poteſtatem ipſam & juſſum, cujus vi poteſt graviori coërcitione in facinoroſum animadverti. Quamvis autem gladii poteſtate ſuccinctus ſit magiſtratus, ideoque noxium civem coërceri jubeat: non id tamen, jurisdictionis explicandae gratia, nec jus ſuum cuique ut reddat facit, verum ex vi & magnitudine imperii ſpecialiter ſibi lege, Senatusconſulto, principum conſtitutione delati eam poteſtatem exercet. Huc pertinet, quod Pomponius ſcribit, *l.* 2. §. 23. *D. de origin. jur. Et quia de capite civis Romani injuſſu populi non erat lege permiſſum conſulibus dicere &c.* Ex eo enim conſtat, ipſam rei capitalis cognitionem jurisdictionis fuiſſe; ſed quae ideo Conſulibus data non erat, quia ſummum jus non habebant. Ideoque Spartianus *in Caracalla: Deinde in conſpectu ejus* (inquit) *Papinianus ſecuri percuſſus eſt, & a militibus occiſus: quo facto percuſſori dixit, Gladio te exequi oportuit juſſum meum.* Et M. Tullius Cicero 1. *in Catil. cap.* 1. dicit: *Duci te ad mortem juſſu conſulis Catilina oportebat.* Cum enim in ſummis Reipublicae caſibus, & magna mole periculorum conſuli mandabat Senatus, ne quid Reſpubl. detrimenti caperet; tum ipſe dictatoriam ſibi vim uſurpabat, & de civium capite ſuo arbitrio ſtatuebat. Legimus enim, C. Gracchum ſine populi juſſu interſectum fuiſſe, nec cum ſua lege adverſus conſulem ſe tueri potuiſſe.

XVI. Praeterea merum imperium ſententiarum dici exequutionem, non exiſtimo: cum in exequendis ſententiis nulla neceſſaria ſit poteſtas, ſed exequutorem jubentis praecepto parere oporteat, ut ex illa improbiſſimi Caracallae juſſione, cujus meminimus, conſtat. Sunt igitur jurisdictionis, ſententiarum exe-

Digitized by Google

…tur, *l. A Divo Pio* 15. *D. de re judicat.*

XVII. Diximus, quid ſit juriſdictio, quidque imperium, quod cum ea commune nihil habet: ſupereſt, ut de eo imperio videamus, quod ipſam comitatur. Equidem recte illud ipſum a Jureconſultis mixtum dici imperium exiſtimo. Hujus modi eſt enim, ut ſine juriſdictione eſſe nequeat; & ſine eo ipſa ſit vana & inutilis. Mixtum eſt igitur imperium, quod juriſdictioni immixtum eſt, ſive, ut Jureconſulti loquuntur, quod juriſdictioni cohaeret, ſive cui juriſdictio ineſt, *l. 1. in fin. D. de offic. ejus.* & *l. 3. D. de juriſd.* Et ſatis ex antiqua hiſtoria intelligere poſſumus, Populi Romani magiſtratum omnem omnino poteſtatem, quae neceſſaria juri dicundo erat, habuiſſe, ut ſimul cum juris dicundi licentia ipſum acciperet magiſtratus imperium. Ideoque Ulpianus *jus dicentis officium latiſſimum* eſſe ſcribit, *l. 1 D. de juriſd.* nam & bonorum poſſeſſionem dare poteſt, & in poſſeſſionem mittere, pupillis non habentibus tutores conſtituere, judices litigantibus dare. Jus dicentem vero magiſtratum appellat Ulpianus, ut alii etiam Jureconſulti. Papinianus *l. Si filius qui* 12. *D de vulg. & pupill.* cum Praetorem dixiſſet, poſtea ſubjecit: *Etenim jus dicenti propoſitum eſt, liberos oneribus haereditariis &c.*

XVIII. Quamvis autem tutoris datio neque jure magiſtratus, neque propter imperii vim, neque juriſdictionis nomine competat; ipſa tamen ad jus dicentis officium pertinet, non tanquam adventitia aliqua poteſtas, ſed quia *lex, vel SCtum, vel princeps eam nominatim magiſtratui dedit*, *l. Muto 6 §. Tutoris 2. D. de tutel.* adeo ut, qui jus dicere poteſt, pupillis non habentibus tutores conſtituere poſſit. Et adventitia quidem ea dici poteſtas nequit, quae eſt hujuſmodi, ut ſemel delata, ad magiſtratus officium, tanquam propria, pertineat, ejusque imperio inhaereat. Eadem ratione cognitionem de ſuſpectis tutoribus, adventitiae poteſtatis dicendam eſſe judicaremus: nam & ea nominatim magiſtratui data eſt. Scribit enim Ulpianus, *l. 1. §. 3. D. de ſuſpect. tut. Damus jus removendi ſuſpectos tutores Romae Praetoribus: in provinciis Praeſidibus earum.* Sed ſubjicit, §. 4 *quia mandata juriſdictione tot m officium juris dicundi ad eum tranſit.* Quibus verbis ſignificat, ipſam tutores removendi poteſtatem propriam eſſe magiſtratus: adeo ut is, cui mandata eſt juriſdictio, eam ipſam habeat. Caeterum hujus imperii & juriſdictionis affinitatem ex iis recte intelligemus, quae Paulus lib. decimooctavo ad Plautium, *l. 5. D. de offic. ejus cui mand.* & Ulpian. libr. ſingul. de officio quaeſtoris, *l. 3. D. de juriſdict.* ſcripſerunt. Ait enim ille, §. 1. *Mandata juriſdictione privato, etiam imperium quod non eſt merum, videtur mandari; quia juriſdictio ſine modica coercitione nulla eſt.* Ulpianus: *Mixtum imperium eſt, cui juriſdictio ineſt, quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit; ut etiam iuriſdictio judicis dandi licentia:* ſic enim in vulgatis Codicibus legitur: nec referre exiſtimo, an ita vel aliter ſcripſiſſe Juriſconſultum dicamus. Atque ut prius de Pauli reſponſo loquamur, ipſe modicam coërcitionem mixti eſſe imperii diſerte affirmat: quod etiam lex Ciceronis, de qua jam diximus, ſignificat: is enim ſtatuit, non obedientem & noxium civem multa, vinculis verberibusque a magiſtratu coërceri poſſe.

XIX. Sed ex eo recte mixtum imperium definiri modicam coërcitionem, cui ineſt juriſdictio, non ſequitur. Nam imperium coërcitionem non dici, ſupra oſtendimus: nec omne magiſtratus imperium aut in coërcitione, aut in jure dicundo poſitum eſt, cum multa ſint, in quibus major imperii poteſtatisque vis cernitur, quam juriſdictionis; quae tamen animadverſione poſitam eſſe contendit? Sed dicturum aliquem ſuſpicor, jubere cavere praetoria ſtipulatione, & mittere in poſſeſſionem, juriſdictionis eſſe; idque propter Ulpiani verba, qui ſic de damno infecto ſcribit, *l. 1. D. de damn. infec. Cum res damni infecti celeritatem deſiderat, & periculoſa dilatio praetori videtur, ſi ex hac cauſa ſibi juriſdictionem reſervet, ideo magiſtratibus municipalibus delegandum hoc recte putavit.* Mihi autem aliud ſemper viſum eſt: nec enim unquam recte quis intellexit Juriſconſultorum in hac quaeſtione ſubtilitatem; quae tamen maxima eſt.

XX. Nam cum ipſi juriſdictionem cohaerere aut ineſſe mixto imperio dicunt, hoc ſignificant, purum eſſe non poſſe hoc imperium, ſed juriſdictionem ita ipſi immixtam eſſe, ut divelli ſepararique ab ea magis non poſſit, quam aqua vino immixta ab eo diſtingui. Utar enim hac ſimilitudine, cum etiam Martialis verſus ad hanc quaeſtionem uſurpentur, *lib. 3. Epigr. 55. & 56.*

Sit ciſterna mihi, quam vinea, malo Ravennae,
Cum poſſim multo vendere pluris aquam.
Callidus impoſuit nuper mihi caupo Ravennae:
Cum peterem mixtum, vendidit ille merum.

Non eſt igitur mirum, ſi indifferenter ea, quae ſunt mixti imperii, id eſt, imperii & juriſdictionis, magis tamen imperii, in jure dicundo poſita eſſe dicantur: cum etiam ad jus dicentis officium pertineant; nec poſſit ſine juriſdictione hoc ipſum eſſe imperium, ut nec exerceri ſine eo poteſt juriſdictio. Quamobrem conſtat, inutiles eſſe & Jureconſultis indignas diſtinctiones eorum, qui juriſdictionis partem quandam magis imperioſam eſſe, quandam magis juridicam: & imperii, quod in jure dicundo verſatur, quandam etiam partem magis juridicam, quandam magis imperioſam dici poſſe exiſtimant. Si enim propius inſpiciamus, in jus dicentis officio imperium & juriſdictionem propria ſua munera habere intelligemus. Eſt enim imperium ipſa magiſtratus poteſtas; juriſdictio autem juris dicundi licentia. Sed haec ita cohaerent, ut mixtura quadam conjungantur, nec ſeparari poſſint. Si igitur juriſdictionem partiamur, ejusque imperium partem unam faciamus, mixturam illam diſcernamus oportet: quod quam abſurdum ſit, & a Jureconſultorum opinione alienum, nemo eſt, qui neſciat. Et certe mixtum imperium a juriſdictione diſtingui eo non poteſt, quod ipſum cauſae cognitionem non deſideret; haec vero in his ſit, quae ſine cauſae cognitione expediri nequeunt. Nam ut ingenue, quod ſentio, dicam; omne magiſtratus officium, quod jure dicundo occupatur, juriſdictionem ſignificat: mixtum autem imperium nihil aliud eſt, quam poteſtas, ſine qua jus dici non poteſt. Ergo, ubicunque juriſdictio eſt, abeſſe mixtum imperium nequit. Et qui hoc imperio utitur, jus dicentis officio fungi exiſtimatur. Quod etiam clarius ex Ulpiani reſponſo apparet.

XXI. De quo prius quam dicamus, diſſolvenda eſt non facilis antinomia, cujus non admonent verba Ulpiani, a nobis ex titulo *de damno infecto* relata. Nam apud Paulum legimus, *l. Ea quae 26. D. Ad municip. Ea, quae magis imperii ſunt, quam juriſdictionis, magiſtratum municipalem facere non poſſe:* cum tamen Ulpianus *l. dies 4. § 3. D. de damn. infec.* dicat, *duas res magiſtratibus municipalibus praetorem vel praeſidem injunxiſſe, cautionem, & poſſeſſionem: caetera ſuae juriſdictioni reſervaſſe.* Nonnullis diſtinguendum placet, ut ea, quae imperii magis ſunt, quam juriſdictionis, cum cauſae cognitionem non deſiderant, facere poſſint magiſtratus municipales, hoc eſt, non ſint incapaces hujusce

Digitized by Google

Paulus ſcribit : *atque magiſtratus municipales ea , quae imperii magis ſunt quam juriſdictionis , facere non poſſe* dicamus : iis autem aliquando cautionem & poſſeſſionem Praetorem vel Praeſidem iojungere, ſpecialiterque mandare; id eſt, mea ſententia: cum juſſit Praetor vel Praeſes cavere damni infecti, & oiſi caveatur, in poſſeſſionem adverſarium mitti, tum magiſtratui municipali cautionem & poſſeſſionem iojuogit : ut ſcilicet cavere faciat, & in poſſeſſionem mittat. Et hoc quidem nudi eſt miniſterii; illud vero ſuae juriſdictioni reſervavit Praetor, quia imperii magis eſt, quam juriſdictionis. Id igitur Praetor ad magiſtratum municipalem remittebat, in quo minime ſuo imperio opus erat, ut localem inquiſitionem, *d. l. dies* 4. Semper enim adibatur Praetor, qui cavere damni infecti jubebat, poenam ſi non caveretur adjiciens, ut in poſſeſſionem mitteretur, *l. ult. D. ne vis fiat ei &c.*

XXII. Nunc ad Ulpianum veniamus. Is, cum imperii duo eſſe genera dixiſſet, *l. 3. D. de juriſdict.* utrumque eleganter explicavit, non tam ad ſuperſtitioſas Philoſophorum regulas, quam ad familiarem Jureconſultorum rationem definiens. Dixit enim, *merum imperium eſſe, habere gladii poteſtatem ad animadvertendum in facinoroſos homines.* Exactius autem *mixtum imperium* deſcripſit *illud eſſe , qui juriſdictio ineſt :* atque exemplis, imperii & juriſdictionis affinitatem oſtendit. Nam mixtum imperium *in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit , ut etiam juriſdictio , & in judicis dandi licentia.* Et ex Ciceronis quidem *oratione contra C. Verrem*, quae eſt *de praetura urbana*, conſtat in jure dicundo fuiſſe decreta & bonorum poſſeſſionis dationes : pertinent enim ad jus ſuum cuique reddendum. Sed & in iis verſari magiſtratus imperium nemo dubitat, cum luſoria eſſent decreta, ſi is decerneret, cui parere nemo cogeretur. Uode Ulpianus : *Si quis* (ait *l. Injuriarum* 13. *Si quis* 2. *D. de injur.*) *quod decreto praetoris non obtemperaverit, ductus ſit : non eſt iu ea cauſa ut agat injuriarum propter praetoris praeceptum.* Idem (*l. 3. §. 8. D. de bonor. poſſeſ.*) de bonorum poſſeſſione : *Si cauſa cognita bonorum poſſeſſio detur, non alibi dabitur quam pro tribunali : quia neque decretum de plano interponi , neque cauſa cognita bonorum poſſeſſio alibi , quam pro tribunali dari poteſt.*

XXIII. Judicis vero dandi licentiam, & juriſdictioois & imperii eſſe, multis ex locis cooſtat. Primum enim ex Ciceronis *Orationib.* apparet, eum, qui juri dicundo praeerat, dare judices potuiſſe, qui non juriſdictionem, ſed de quavis alia re notionem habebant. Cum enim judicium conciperet magiſtratus, nec alia de re, quam quae formula contineretur, cognoſcere ipſi poſſent dati judices, *l. ut fundus* 18. *D. Com. divid.* Cicer. *pro Quintio*, jus dicere videbatur magiſtratus non minus, quam cum ſuae notionis examen adhibebat. Eſt hujus antiquae ſolennitatis inſigne exemplum in frumentaria Ciceronis *contra Verrem oratione lib. 3. cap. 22. Xenonis* (inquit) *Meneni nobiliſſimi hominis fundus erat colono locatus. Colonus, quod Decumanorum injurias ferre non poterat, ex agro profugerat. Verres in Xenonem judicium dabat illud ſuum damnatorium de jugerum poſſeſſione. Xenon ad ſe pertinere negabat, fundum elocatum eſſe dicebat: dabat iſte judicium, ſi pateret jugera fundi eſſe plura quam colonus eſſet profeſſus, tum Xenon damnaretur.* Et paolo poſt *eod. cap. Xenon tametſi recuperatores ex cohorte latronum quaerere.* Quamobrem recte Calliſtratus hac principis reſcriptione, Eum, qui provinciae praeeſt, adire potes : ſuſcipiendae cognitionis neceſſitatem magiſtratui non imponi, ſed exiſtimare eum debere, utrum ipſe cognoſcat, an judicem dare debeat, reſpondit: cum aeque jus dicat cognoſcens, & judices dans, *l. Saepe audivi* 8. *& l. ſeq. D. de offic. praeſid.* Verum ſi propius inſpiciamus : hanc judicis dandi licentiam magis eſſe imperii, quam juriſdictioois intelligemus: ſcribit enim Paulus lib. 18. ad edictum, *l. Cum praetor* 12. *D. de jud. Cum Praetor unum ex pluribus judicare vetat , caeteris id committere videtur. Judicem autem dare poſſunt , quibus lege vel conſtitutione vel Senatuſconſulto conceditur. Lege , ſicut Proconſul Is quoque , cui mandata eſt juriſdictio, judicem dare poteſt , ut ſunt legati Proconſulum : item iis , quibus id conceſſum eſt propter vim imperii ; ſicuti praefectus urbi , caeterique Romae magiſtratus.* Ex quo quidem reſponſo diſerte conſtat, jus dandorum judicum non tam juriſdictionis nomine, quam vel ſpeciali aliquo jure, vel propter vim imperii competere. Quod & Ulpianus lib. 5. opinionum, *l. Qui neque* 81. *D. de jud.* confirmat : *Qui neque juriſdictioni praeeſt, neque a principe poteſtate aliqua praeditus, neque ab eo, qui jus dandorum judicum habet, datus eſt, nec ex compromiſſo ſumptus, vel aliqua lege confirmatus eſt, judex eſſe non potuit.* Obſervandum eſt, etiam Jureconſultos de datis judicibus loquentes, eos ſaepius judicare juſſos appellare, *l. de qua re* 74. *D. de judic.*

XXIV. Ulpianus libro ſecundo ad Sabioum, *l. Eum qui* 13. *D. de juriſd. Eum qui judicare jubet, magiſtratum eſſe oportet.* Sed videtur recte, hoc loco judicare juſſum pro dato judice accipi noo poſſe, cum is, cui mandata eſt juriſdictio, poſſit (ut diximus) judicem dare; mandari autem juriſdictio etiam privato ſoleat. Paulus, *Mandata juriſdictione privato* (inquit *l. ult. §. 1. D. de offic. ejus &c.*) *etium imperium quod non eſt merum, videtur mandari.* Equidem non poſſum hic magiſtratum judicare jubentem interpretari conſilium exercentem, cum aliter Jureconſulti haec uſurpent. Sed nec magis placet, Ulpianum de iis tantum loqui magiſtratibus, quibus more majorum judices dare licet : cum ille Proconſulis meminerit, cui lege id conceſſum eſt. Itaque videndum eſt, ne non majoris ſit imperii judicare jubere, quam judices dare. Siquidem Paulus *d. l. Cum Praetor* 12. *D. de jud.* dixit de Praetore, quem magiſtratum eſſe conſtat. Cum vero ſubjecit, eum, cui mandata eſt juriſdictio, judicem dare poſſe, non ipſum judicare jubere adjecit; ut verius eſſe exiſtimem, magiſtratuio poſſe judices, quos dedit, jubere judicare, eum vero, cui mandata eſt juriſdictio, dare litigatoribus judices : idque propter regulam, quae a Jaboleno traditur libro ſexto ex Caſſio, *l. 2. D. de juriſd. Cui juriſdictio data eſt : ea quoque conceſſa videntur, ſine quibus juriſdictio explicari non poteſt.* Verum ipſos ut judicent, cogere non poſſe.

XXV. Ex his, quae diximus, conſtat non omnino male veteres interpretes dixiſſe, hoc imperium nobili officio exerceri; ſed eorum doctrina a Jureconſultorum ſententiis aliena eſt. Ut enim praetermittam, nobilis & mercenarii officii novam eſſe diſtinctionem : equidem ſcio, nobile officium melius dici Praetoris eſſe; mercenarium vero dati judicis. Magiſtratus enim formulam libere concipiebat, id eſt, ita ut adſtrictus ei non eſſet, *l. veluti* 27. *D. de verb. oblig.* ejuſque officium erat, dare actionem, judiceſque conſtitue-

Ideoque Ulpianus, *l. Aediles* 25. §. *Item ſciendum* 8. *D. de aedil. edict. l. Non poteſt* 23. *D. de judic. Judici,* ait, *ſtatim atque judex factus eſt, omnium rerum officium incumbit, quaecunque in judicio verſantur; ea autem, quae ante judicium contingunt, ad eum non pertinent*, non magis, quam quae poſt acceptum judicium contingere poſſunt. Sed non ſervum eſt adeo, formulaeque praeſcriptae obnoxium judicis officium, ut nihil ejus religioni, arbitrio & ſententiae relinquatur. Sunt enim & clauſulae, *Ex bona fide*, & arbitraria pleraque judicia; de quibus alio loco diximus. Quamobrem conſtat, & imperium & jurisdictionem magiſtratus officio explicari; judicis vero officium in ſola notione totum eſſe. Quod ideo adjeci, ut viderent, qui ex commentariis ſapiunt, ne non a Jurisconſultis diſſiderent. Itaque intelligimus, quomodo jurisdictioni mixtum inſit imperium; idque ex ipſo Ulpiano. Quod cum ita ſit, ejus verba praeter omnium exemplarium fidem corrumpere non oportet. Non enim ipſe *d. l.* 3. *in fin. D. de jurisd. Quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit, jurisdictionem eſſe, & jurisdictionem eſſe etiam judicis dandi licentiam* exiſtimat; ſed diſerte imperii & jurisdictionis affinitatem (ut diximus) ſignificat. Quam etiam Paulus *l.* 1. §. 1. *D. de offic. ejus &c.* indicat; cum, Papinianum notans, *imperium, quod jurisdictioni cohaeret, mandata jurisdictione transire* ſcribit.

XXVI. Quod ita intelligendum eſt, ut omnia, nem ſupra ex Papiniano confirmavimus. Itaque poteſt magiſtratus jurisdictionem mandare, ſive omnem, ſive ſpeciem, *l. Solet* 16. *& ſeq. D. de jurisdict.* id eſt, ut is, cui mandata eſt, vel omnia, quae ad jurisdictionem pertinent, exercere, vel de una tantum ſpecie, aut in certas perſonas jus dicere poſſit. Nam ex Macro, *l. Cognitio* 4. *D. de offic. ejus &c.* Praetorem omnium cauſarum alicui mandaſſe jurisdictionem, intelligimus. Eadem ratione imperium, quod jurisdictionem comitatur, ſi ea mandata transeat, ipſum quoque mandari videtur: ſecus ſi non poſſit illa transferri. Quicquid igitur ſit, magiſtratus, ſi jurisdictionem mandaverit, non transeunt quae ipſi ſpecialiter vel lex, vel Senatusconſultum, vel princeps ob ſingularem induſtriam (explorata ejus fide & gravitate) tribuit; ideoque Ulpianus jurisdictionem ex cauſa transactionis alimentorum, quae teſtamento vel codicillis relicta fuerint, praeſidem provinciae, vel Praetorem mandare non poſſe reſpondit, *l. Cum ii* 8. §. *Sed nec mandare* 18. *D. de transact.* & alio loco idem, mandata jurisdictione a praeſide conſilium non poſſe exercere eum, cui mandatur, nec quaeſtionem diſtrahendorum pupilli praediorum transferri ſcribit, *l.* 2. *D. de offic. ejus &c.* Et Papinianus ipſe, an mandata jurisdictione a proconſule legato, publici judicii exercitatio transferatur, eleganter diſputat. Sed eam quaeſtionem, in *tit. D. de officio ejus cui mandata eſt jurisdictio*, tractabimus.

F I N I S.

MAR-

Digitized by Google

MARQUARDI FREHERI, JCti,

Palatinatus VIIviralis Conſiliarii, ac Dicaſterii
Aulici Propraeſidis digniſſ.

ΠΑΡΕΡΓΩΝ,

SEU

VERISIMILIUM

LIBRI DUO;

In quis varia Juris Civilis Loca nove explicantur, emendantur, illuſtrantur.

Opus Poſthumum: ac, ob Inſignes Acceſſiones, ex ſchediasmatis Auctoris depromptas & additas, pene novum editum,

STUDIO ET OPERA

JOHANN. BOSCH, *Norimb. JCti,*

Cam. Imp. Advocati.

REVERENDISSIME PRINCEPS, JUDEX CAM. IMPER. AEQUISS. DOMINE CLEMENTISS.

ILLUSTR. ET GENEROSI DOMINI COMITES ET BARONES EJUSDEM PRAESIDES VIGILANTISS.

NOBILISS. CONSULTISS. AMPLISSIMIQUE VIRI, ADSESSORES ITIDEM MERITISSIMI.

NOnus jam labitur annus, ex quo Nobiliſſimus & Ampliſſimus Vir MARQUARDUS FREHERUS *Auguſtanus, Conſiliarius Archipalatinatus intimus, & Dicaſterii Aulici Propraeſes digniſſimus, cognatus meus colendus, non ſine bonorum omnium & eruditorum virorum lachrymis ſummaque rei literariae jactura, pro dolor! ultimum clauſit diem.*

Qui autem, ut virtutes ejus ſingulares ſilentio praeteream, & quam profundae eruditionis vir, quamque eo nomine gratus Principibus & toti literatorum hominum choro, fuerit; inprimis quibus & quantis laboribus origines Palatinas ex ſitu & manuſcriptorum cryptis erutas eruderaverit, aliaque plurima honorandae antiquitatis monumenta luci ac ſplendori ſuo reſtituerit, verbis opus non eſt, ubi res ipſa loquitur, neque loci aut temporis ea recenſere: utpote cum plurima eaque evidentia teſtimonia ſuperſint.

Inter alia vero non ultimum locum ſibi vindicant duo ipſius libri Veriſimilium inſcripti, quos ante XXXIV. annos primum edidit, ingenii ſui ἐνδυγμα, *quos infinitis locis ſubceſſivis horis illuſtravit, & ita auxit, ac locupletavit, ut, non tantum ipſo vivo, a multis Clariſſ. Viris deſiderati, & eorum renovata editio expetita fuerit; ſed & eo mortuo, ego, liberorum ipſius tutor, ad hoc, ut in uſum rei literariae illos typis denuo committerem, aliquoties cum juris Profeſſoribus, tum ſtudioſis tantum non cum populo provocatus fuerim. A quo diu me deterruit, quod praedictae acceſſiones & emendationes variis in ſchedis hinc inde diſperſae eſſent, nec ſine multo labore in ordinem redigi poſſent; quodque officii mei ratio operae iſti vacare non permitteret.*

Verum, cum ante biennium, eminentibus iſtis, eheu calamitatibus, quas prae oculis cernimus, gravibus de cauſis motus, dimiſſionem ex Palatinatu petierim, eamque impetrarim, meque in patriam dulciſſimam contulerim: en ibidem denuo ad hoc praeſtandum a nonnullis calcar mihi admotum fuit, quibus tot & tantorum virorum monitis, tandem ſatisfacere, & praedictos libros ea, qua par eſt deligentia ac fide, recenſere, ac notas ſuo loco in ordinem redigere, tandemque Opus Hoc (*quod Auctor nunc alio quam* παρέργων *nomine, ſcilicet* πιθανῶν *obſervationum novarum epigraphe inſcriptum, prodire praemonuit) praelo reiterato committere volui. Ac cum peracto recenſitoque & adornato, cum Deo propitio, ex vetuſtiſſima conſuetudine multis jam ſaeculis obſervata, de Patrocinio & quibus conſecrarem atque dedicarem, mecum ipſe tacitus volutarem & deliberarem ſerio.*

Illud ipſum vobis REVERENDISS. DOMINE PRINCEPS, ILLUSTRES DOMINI PRAESIDES, ASSESSORES DIGNISSIMI, *ex debito in ſolidum adſcribendum & conſecrandum eſſe cenſui. Occurrebat hac in parte mihi inſignis veſtra benevolentia, qua Auctorem ipſum vobis ante multos annos ita devinxiſtis, ut non tantum indebitae gratitudinis teſtimonium, ante hac Illuſtr. & Generoſis Dominis Comitibus ab Helffenſtein Praeſidibus Digniſſimis, Conſtitutiones Karolinas de Feudis, dedicarit, ſed & ipſemet conſtitutum apud ſe habuerit hoc* OPUS (*ni Parca vitae ipſius invida filum, florenti, annis & animis abrupiſſet*) *Auguſtiſſ. Camerae Imperialis Tribunali, utpote, quo, ut ipſiusmet verbis utar,* nullum unquam judicium rectius conſtitutum fuit, & a quo Areopagus ipſe & Amphictyonum conſeſſus formam mutuari non erubeſcere debeat, *conſecrare; qua in parte in pios manes Auctoris impius merito haberi poſſim, ubi hoc ultimum ejus, quod non redit amplius arbitrium, non implerem. Cogit me inſuper quod a* RC. ILLUSTR. GENER. & AMPLISS. VESTR. *etiam ego jam olim, non tantum in numerum Advocatorum Juratorum Camerae cooptatus, & in hunc usque diem gratioſe habitus, ſed etiam ante ſeptennium, cum ad dignitatem Adſeſſoratus praeſentatus eſſem, tam benigne exceptus fuerim, ut gratiam & benevolentiam in tanta dignitate, inſignem, niſi exoſculer, colam, aut aliquo officio voluntatem veſtram praeveniam, gratumque animum, aliqua ratione ſaltem probare ſatagam, opinionem ipſe veſtram de me, immunere velle videar.*

Accipe igitur REVERENDISSIME PRINCEPS, ILLUSTRES DOMINI COMITES ET BARONES, VOSQUE ADSESSORES DIGNISSIMI, *hoc meum, imo non meum, ſed tamen ex voto & deſtinatione Auctoris offerendum munuſculum, non meritis veſtris, multo minus dignitati ve-*

ſtrae

Digitized by Google

gloriam & Reipublicae Christianae ſalutem; juſtitiaeque aſſertionem, ex qua ſalus hominum dependet. Valete Patroni. Dat. Norimb. Calend. Jul. Anno recuperatae ſalutis 1622

R. C. ILLUSTR. GENER. ET AMPL. VIR.
Omni cultu & obſequio & adſectu
Deditiſſ.
JOHAN. BOSCII. D. Cam. Imperial. Advocatus.

IN LIBROS VERISIMILIUM.

QUI utuntur vino vetere, Sapientes puto;
Et ſcripta vetera qui libenter lectitant.
Sed muſtei libri recenter quos dantunt,
Prorſum referti querquera vitiligine,
Et impoliti, & infiecti, & hiſpidi,
Sunt nequiores quam ſolent nummi novi.
Hos non meraco tincta pectora qui gerunt.
Potu Platonis, lectitare geſtiant;
Sed luſcitioſi, nocte opaca ſegreges,
Quorum hacce tempeſtate non multo eſt minus,
Quam quum caletur eſſe muſcarum ſolet.
Horumce olim FREHERI temnere gramias
Sueſti, nec ullum ab hiſce honorem poſcere.
FREHERE qui demortuos veteres diu
Situque ſqualleque obſitos vita beas,
PAPINIANUM, SERVIUMque, & Scaevulam,
Dum luxa multa corrigis, ſimitu intimis
Recludis antris, abdita praeficiſſime
Tot ſenſa veri. Quae ergo capies praemia
Condigna? quae hoſtimenta reddentur tibi?
An civicam, an potius triumphalem petis?
Debentur ambae; Dextra vitam civibus
Defendis, atque internecatis hoſtibus
Propudioſis, VICTOR EXCELSUS CLUES.

J. B.

Ad

MARQUARDUM FREHERUM, JCTUM Conſil. Palat.

LEgiſti varios Frehere libros
Scrutatus Nomicen, Dicesque ſacra
Bonos Hiſtoricos, bonos Poëtas,
Bonos Philoſophos; item vetuſti
Quod tradunt monumenta priſca ſaecli.
Ex his quam ſtudio catus peracri
Conflaſti varias ſchedas Minervae,
Quis te non ſimilem paremve tantis
Totque auctoribus adſerat vetuſtis?

Myrtilleti Anno 1588.
PAUL. MELISSUS Com. Sac. Pal.
& Eques, Civis Rom.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

EN tibi, Lector benigne, librum Nobiliſſimi Freheri eundem denuo, ſed mutato, quod praetendebat hactenus ΠΑΡΕΡΓΩΝ lemmate. Cauſam accipe. Deprehenſum fuit, dum penitius Bibliotheca Autoris excuteretur, maluiſſe eum poſthumam hanc prolem VERISIMILIUM nomine emitti, idque amicis ſerio injunxiſſe; cujus voluntati ultimae adeoque inviolabili dum ſubſignamus, aequitati ac fidei debitae, ſtudioque in te noſtro tribues, ſuo tempore cum bono Deo ulteriora ejus viſurus. Vale ac fave.

IN RENOVATAM ΠΑΡΕΡΓΩΝ MARQUARDI FREHERI, JC.

Cl. Conſil. Pal. Dicaſterii VIIviralis Propraeſidis, &c. ἐ νοῖ ἐν ἁγίοις, editionem.

PRimitias dederat tot jam labentibus annis
FREHERUS ingens, ΠΑΡΕΡΓΩΝ hoc Opus.
Nae, placuit cunctis, plauſum emeritusque theatri eſt,
Dum dulce miſcet utili, oblectans docet.
Sunt vero diſtracta aevo exemplaria longo;
Neque repperire eſt, ſi quis expetat, librum.
Auxerat ipſe Auctor vivus, ſchediasmata multa
Poſt ſe relinquens, quae perire nefas foret.
Ordine diſpoſuit methodoque modoque decenti
Omnia, nitori reddiditque BOSCHIUS:
BOSCHIUS Aſtraeae columen, Themidosque ſacerdos,
Debereque hoc boni ſibi vult poſteros.

Facieb.
GEORG. REMUS.

IN ZOILUM.

ERgo tibi a rebus tantum gravioribus oti
Seria nec ſunt, ut pauca parerga pares?
Sic ais, o qui vim capis, haud & pondus eorum;
Sic ais, o ſtudiis Zoile inique meis!
Plurima forte ſub his addiſci digna parergis,
Subque rudi titulo, docta reperta latent.
Noſtra tuas curas, ſuperantque parerga labores;
Ergo quid? haec credas adynata eſſe tibi.

N. N.

Digitized by Google

CAP. I. DE *vera, non ſimulata Philoſophia.*
II. *Emendatu & explicata* l. 10. D. de lib. & poſth. & in l. 28. cod. *reſtituta elegans locutio* tenetum aetatis.
III. *Auli Caſcelii Juriſconſulti Benedicta duo indicata & expoſita.*
IV. *De foſſione theſauri, ad* l. ſingularem. C. de theſauris.
V. *Emendata* l. Sabinus 16. D. de re judic. *ſocietas quaedam fraternitas.*
VI. *Perpenſa* l. 20. C. de Poen. *illuſtrata. Forma Principi ſalutem precandi.*
VII. *Emendata & explicata* l. licet 17. D. depoſ. *& quomodo ſequeſter poſſideat.*
VIII. *Illuſtrata* l. 11. & 17. D. ad leg. Aquil. *Licin. Ruff. emendatas.*
IX. *De auctore Collationis Legum Judaicarum & Romanarum: eaque emendatu locis compluribus.*
X. *Jus luendi pignoris praeſcriptione non excludi.*
XI. *Individua conſuetudo. Inſcribere, praeſcripta verba.*
XII. *Qui ſint Ulpiano, quos ſervorum loco habemus, & de mercenariis.*
XIII. *Papinianus ab Ulpiano iniquè notatus in l.* 20. D. de Minorib.
XIV. *Monetae ſive nummi expoſitio, & de nummalariis.*
XV. *Transactionum cauſae &* l. 2. C. de transact. *expoſita & emendata.*
XVI. *Paradoxa tria circa definitionem transactionis, mutui & contr[illegible]*
XVII. L. 38. §. Qui abortionis 5. D. de poen. *illuſtratur de abortivis.*
XVIII. *Nudum pactum quid, & de tota vi pactorum.*
XIX. L. 2. & ult. D. de veteranis *explicatu: de exactoribus tributor.*
XX. *Semeſtria, Aauli ſemeſtres, De analis ſignatoriis quaedam.*
XXI. *Legis Juliae publicorum capita duo, de praevaricatione.*
XXII. L. 5. D. ad Leg. Pompon, de parricid. *exponitur. Latrocinium.*
XXIII. *De monumentis & ſepulchris plurima in* titt. D. de religioſ. & de mort. infer. *explicata.*
XXIV. *Papinianus a Paulo iniquè notatus in* l. 116. D. de V. O.
XXV. *An corpora puniendorum vel cadavera punitorum Medicis danda ſint ad Anatomiam.*
XXVI. *Ad* l. 27. D. de condit. inſt. *De ineptis voluntatibus morientium.*
XXVII. L. 40. D. de hered. Inſtit. *explicata. Rem, de qua agitur in dubio, an dividere debeamus.*
XXVIII. *De non aedificando in loco publico, & de curatoribus locorum publicorum proſequendorum.*
XXIX. *Reſponſum, an teſtis ex conſuetudine loci injuratus deponens, ſi celet veritatem, prejurii vel falſi teſtimonii, vel ſtellionatus reus ſit.*
XXX. *De partibus juris publici, Senatorio, Pontificali, Augurali. Et de libris veterum Pontificum.*

LIBRI SECUNDI.

CAP. I. S*Ervius quomodo a Quinto Mucio tactus. Tangere. Jus pro auditorio.*
II. *Vera explicatio & emendatio* l. 8. C. de Teſtam.
III. Secundum capitulum l. Aquiliae, *quod fuerit, quamque ob cauſam in deſuetudinem abierit.*
IV. *De nuptiis liberorum & diſſenſu parentum, & de connubio accedente.*
V. *In rebus dubiis non praeciſam rerum naturam, ſed inſcientiam noſtram inſpiciendum.*
VI. *Conſultorum quorundam audaciae & impudentiae notata in Codice exempla.*
VII. *Serviana doli mali definitio,* l. 16. §. 1. D. de praeſcr. verb. *explicata & emendata.*
VIII. *De pangendis conventionibus publicis, & colloquio inter belli duces habendo.*
IX. *De crimine laeſae majeſtatis; Lubricum linguae excuſari.* l. 1. C. ſi quis Imp. maledix. *explicata.*
X. *Explicatio* l. 13. §. penult. D. de milit. teſtam.
XI. *Loci notati, quibus Ulpianus de Chriſtianis ſenſit; Libri Ulpiani de Officio Proconſulis. De ignis ſupplicio.*
XII. *De aſtatis furum Balneariorum.*
XIII. L. 1. D. de diverſ. reg. jur. *emendatu & explicatu.*
XIV. *Atcrianas ſenſus notatur in* l. 48. D. de oper. libert. *Et de meretricia turpitudine.*
XV. *Sabinus a Caſſio, diſcipulo ſuo, praeter morem reprehenſus.* l. Plautius, 49. D. ad l. Falcid.
XVI. *De ſervis & libertis Medicis, Schola medica Alexandriae, & alia nonnulla.*
XVII. *De Juriſdictione Praetoris peregrini, & de peregrinitate.*
XVIII. L. 2. C. de in jus voc. *explicatu. Stylitae. Stationes. Equi publici.*
XIX. *De moribus publicanorum; & leviter emendata* l. 1. D. de publ.
XX. *Praeconis pleraque officia annotata.*
XXI. *De rejectione navium & carina.*
XXII. *Ad* l. 1. D. ſi appellat. pendent. *Mos judicum ſecedendi ad ſuburbana & amoena loca.*
XXIII. *Vera explicatio & emendatio* l. Marcellus 25. D. de Fidejuſſorib.
XXIV. *In quaeſtione, an poſſeſſor fructus ſuos faciat, quomodo diſtinguendum ſit; & diſſenſiones juris auctorum notatae.*
XXV. *Explicata* l. 7. C. de Codicill. *Teſtamenti & Codicilli etymon.*
XXVI. *De Androgynis quaedam. Aeliae Laeliae Crispidis monumentum.*
XXVII. *Poëtarum mos notatus, ad vulgarem opinionem alludentium.*
XXVIII. *Quantum differat ſtipulatio Pamphili a legato penus.*
XXIX. *Explicata* l. 69. D. pro ſocio.
XXX. *Actionum utilium ex novis negotiis, cum novorum morborum remediis comparatio.*

MAR.

VERISIMILIUM
LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Vera, non ſimulata Philoſophia.

JUriſprudentiam nihil aliud eſſe, quam philoſophiam, ſatis arguit Juſtinianus, cum definivit *jus eſſe divinarum & humanarum rerum notitiam, juſti ſcientiam*. Quod idem eſt, ac ſi dixiſſet: Jus eſſe eam philoſophiam, quae juſtum & injuſtum noſſet ſecernere. Ut Diocles Chariſtius Medicus ad Antigonum Regem, Medicinam philoſophiam ſalubria docentem. Verum Ulpianus addit, *veram, non ſimulatam philoſophiam* Juriſconſultos profiteri, *l. 1. D. de juſt. & jur.* innuens nimirum, multum a Juriſconſultis differre id hominum genus, quod vulgo philoſophos ſe profitebatur, melius a Tertulliano alicujus ſapientiae animalia vocati. Hi cum maximam in victu ac corporis habitu ſeveritatem & continentiam prae ſe ferrent, & neſcio quid ſublimius populo ſapientes pecuniae & gloriae & voluptatibus odium indixiſſe, & (ut Impp. dicunt in *l. 8. C. de profeſſor.*) *etiam fortunae vim ferre*, ipſamque adeo mortem contemnere poſſe viderentur, ſoloſque ſe ſapere & recte vivendi rationem callere; ideoque (ut Plato ſcribit *epiſtola* 4. & Seneca *lib. de injur. cap.* 12.) tantum ab aliis hominibus, quantum pueri a ſenſibus differre, imo pluſquam homines & ſupra homines eſſe jactarent: ſi propius inſpiceres, vincebantur avaritia & rapacitate, ut ex illorum numero aliquis ab Impp. inſimulatur in *l. 6. C. de muner. patrim.* quo nomine & a Luciano notantur *in Lapithis*: τί ἀδιάφορον εἶναι λέγοντες τῶν χρημάτων τὴν κτῆσιν, οὐδὲν ἄλλο ἢ τοῦτο ἐξ ἁπάντων σκοπεῖτε, ὡς πλείω κτήσεσθε, καὶ διὰ τοῦτο ἀμφὶ τοὺς πλουσίους ἀεὶ ἔχετε καὶ δανείζετε, καὶ τοκογλυφεῖτε, καὶ μισθοῦ παιδεύετε. Atque ita illi cumulandae retinendaeque pecuniae cupidine fictam aſſeverationem detegebant; quia vere philoſophantes pecuniam contemnunt, ut Papinianus loquitur, *l. 8. §. philoſophis* 4. *D. de vacat. & excuſ. mun. l. 6. A.* περὶ δὲ τῶν 7. *D. de excuſat. tutor.* & quavis ſorte contenti ſunt. Turpilius Lindia: *ut philoſophi ajunt iſti, quidvis ſatis eſt.* Ex: *hoc primum profiteri philoſophos oportet, mercenariam operam ſpernere, l. 1. §. an & philoſophi 4. D. de var. extraord. cognit.* nec philoſophiam rem ſanctiſſimam nummario precio dehoneſtare, quod eſt ſophiſtarum, ut eleganter Themiſtius diſſerit *Orat.* 4. adeo ut pauciſſimi vere philoſophantes invenirentur, nec inter Cynicos quidem. Seneca *lib. 2. de benefic. cap.* 17. *Intolerabilis res eſt poſcere nummos & contemnere. Indixiſti pecuniae odium, hoc profeſſus es, hanc perſonam induiſti, agenda eſt. Iniquiſſimum eſt, te pecuniam ſub egeſtatis gloria adquirere.* Petronius *Satyrico cap.* 14.

Ipſi qui Cynica traducunt tempora vita
Nonnunquam nummis vendere verba ſolent.

Deinde, cum haec etiam perfectae philoſophiae pars ſit, furorem amoris, quo nihil vehementius, continere & concupiſcentiae impetus refrenare, ut Juſtinianus ſcribit, *Auth. 74. cap. 4. in princip.* nihil opus eſt commemorare, quam illi a libidinibus non puri & immunes fuerint, qui & pueros amaverint, & in venere peragenda oculos hominum nihil reveriti ſint; quam ob cauſam graviſſime reprehenduntur a Lactantio *lib 3. Inſt. cap.* 15. & Auguſtino *lib. 14. de civitate Dei cap.* 19. Jam in contemtu famae vel gloriae eadem illorum ſimulatio fuit, quas res nihili ſe facere ſpecioſe jactabant; quo nomine merito a M. Tullio notantur *pro Archia cap. 11. Ipſi illi philoſophi etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt. In eo ipſo, in quo praedicationem nobilitatemque deſpiciunt, praedicari de ſe ac nominari volunt.* Nollent nimirum, inventa ſua ab alio intercipi & ſe ea laude fraudari: qua ſollicitudine etiam plus quam philoſophus vacare non potuit: Thales (inquam) Mileſius magno & ſublimi ingenio & de ſeptenario Sapientum numero; qui, cum primus reperiſſet, quam rationem haberet magnitudo ſolis ad eum circulum, quem ſol annuo curſu metitur & conficit, quoque modo id geometrica ſubtilitate demonſtrari poſſit, eam rationem cum Prienenſi quodam homine & talium curioſo & divite communicavit. Qui, & acumen Thaletis & inventi pulchritudinem admiratus, cum praemium a ſe optare eum juberet: *Nullum te*, inquit Thales, *aliud praemium poſco, niſi ut, ne tibi unquam hujus inventi gloriam arroges, ſed quando ejus alios participes facere volueris, auctorem me ejus eſſe perpetuo profitearis.* Cui fere geminus ipſe Ariſtoteles, qui, cum Theodecti diſcipulo oratoriae artis libros, quos ederet, donaſſet; poſtea facti poenitentia ductus, moleſteque ferens, titulum eorum ſic alii ceſſiſſe, proprio volumine Rhetorices ad Alexandrum quaedam ejus generis tractans, planius ſibi de his in Theodectis libris dictum adjecit; Valerio Maximo auctore *lib. 8. cap.* 14. Plane ſi quis illorum hominum aut laudem faſtidioſe reſpuere, aut injuriam illatam patienter ferre potuit; id ipſum non alio animo fecit, quam ut humilitatis & patientiae laudem mereretur: quia (ut illorum aliquis dixit) *ſummus luus eſt non ambire laudem. Accipe* (inquit Boëtius *lib. 2. de Conſol. Philoſoph. proſa* 7.) *in hujusmodi arrogantiae levitate, quam feſtive aliquis illuſerit. Nam cum quidam adortus eſſet hominem contumeliis, qui non ad verae virtutis uſum, ſed ad ſuperbam gloriam falſum ſibi Philoſophi nomen induerat, adjeciſſetque, jam ſe ſciturum, an ille philoſophus eſſet, ſiquidem illatas injurias leniter patienterque toleraſſet, Ille paulisper aſſumſit, acceptaque contumelia velut inſultans, jam tandem, inquit, intelligisne, me eſſe philoſophum? Tum ille nimium mordaciter: intellexeram, inquit, ſi tacuiſſes.* Quam humilitatis affectationem etiam in Juliano, Imperatore & philoſopho, Marcellinus notat, *lib. 2. cap.* 7. ut non aliam ob cauſam, quam ejusmodi ridiculam affectationem & philoſophorum imitationem, ſimiae nomen per opprobrium ei a plebe inditum exiſtimem; cujus idem auctor mentionem facit *lib. 17. cap.* 11. Quod convicium nec Antoninus philoſophus Imp. effugere potuit, ut ipſe ſignificat *lib. 4. τῶν εἰς ἑαυτόν. §.* 16. Ἐντὸς δέκα ἡμερῶν, θεὸς αὐτοῖς δόξεις, οἷς νῦν θηρίον καὶ πίθηκος. Denique, quam iſtud hominum genus ab ambitione famaeque amore alienum fuerit, vel ex Peregrini illius Stoici, qui & Protheus dictus eſt (quem tamen pro gravi & conſtanti viro Gellius commendat *lib.*

12.

bro peculiari, & meminit Marcellinus *lib.* 29. *cap.* 1. idemque de Zamarco quodam Indo ſophiſta Dio refert *in Auguſta.* Ad mortis tandem contemptum quod attinet, quam illorum aliqui inſano (uti dixi) famae ſtudio & mera jactatione (ut Ulpianus loquitur *l.* 6. §. *ejus qui* 7. *D. de injuſt. rupt. irr. fact. teſt.*) etiam ultro ſibi conſciverunt; fuit & alia cauſa, cur illis facile eſſet vitam contemnere, ſordes nimirum & extremae mala paupertatis: quam ob cauſam non mirum eſt, ſi etiam alii, quam philoſophi, vitae taedio affecti, mori, quam miſere vivere maluerunt. Unde ſalſe ridetur Cheraemon quidam Stoicus apud Martialem *lib.* 11. *Epigramm.* 57. ubi Senecae ſententiam *conſolat. ad Helviam cap.* 13. *Nihil aeque magnam admirationem apud nos occupat, quam homo fortiter miſer*, ita exprimit:

Rebus in anguſtis facile eſt contemnere mortem.
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

Et cum in his omnibus nulla laude vel admiratione digna illorum affectatio fuerit, interim ignaviſſimi tenebriones nil niſi argutabantur & diſſertabant, nec ulla in re per eos, quidquid in porticubus ſuis diſputarent, reſpublica aut communis hominum ſocietas juvabatur. Imo plane ab ineunte aetate viam in forum, praetorium, curiam, civitatis concilia, tum leges & edicta magiſtratuum penitus ignorabant; ut Plato *in Theriteto* & Tullius *lib. de legibus* teſtantur. Ut merito de illis Pacuvius dixerit: *Ego odi homines ignava opera, philoſopha ſententia: quem verſum Macedo philoſophus vir bonus ſcribi cenſebat debere pro foribus omnium templorum*, Gellio teſte *lib.* 13. *c.* 8. Juriſconſulti vero ut nullo illarum rerum contemtu ſe oſtentare affectarunt, ſed ex ſua quamque dignitate aeſtimarunt: ita (quae vera eſt philoſophia) reſpondendo, cavendo, interpretando, conſulendo, judicando, cauſasque diſceptando, non tantum reipublicae, ſed etiam ſingulis, inexplicabile quantum commodarint & profuerint, quantumque illis eo nomine rerum omnium ſtatus & temporum felicitas debuerit. Quod etiam Euphrates philoſophus Syrus agnoſcens (id eſt, qui *poſtea mortem voluntariam obiit, cum ei Divus Hadrianus, propter morbum & ſenium venenum bibere conceſſiſſet*, teſte Dione *in Adriano*) Plinium Secundum, de judiciariis ſuis occupationibus conquerentem, ita ſolebat conſolari, ut affirmaret: *eſſe etiam hanc philoſophiae & quidem pulcerrimam partem, gerere negotium publicum, cognoſcere, judicare, promere, & exercere juſtitiam, quaeque philoſophi doceant, in uſu habere*, ut Plinius ipſe refert *epiſt.* 10. *lib.* 1. Adeo etiam magni philoſophi ſuffragio verum eſt, quod Ulpianus praedicat, *veram nos non ſimulatam philoſophiam affectare.* Affectare, inquam, quod verum eſt modeſtiae.

CAPUT II.

Emendata & Explicata l. 10. D. de liber. & poſt. *& in* l. 28. eod. *reſtituta elegans locutio:* tenerum aetatis.

Filius in alterum caſum vel juris antiqui, vel legis Velleae inſtitutus, eo caſu, qui omiſſus eſt, ſi naſcatur, teſtamentum rumpit omnino. In alterum enim caſum, qui teſtamento comprehenſus non eſt, ut inſtitutus dici non poteſt, ita nec exheredatus. Haec eſt ſententia Pomponii in *l.* 10. *D. de liber. & poſt: Quia hic filius* (inquit) *nec ſub conditione quidem ſcriptus exheres intelligitur* (ſic legendum cenſeo, non ut vulgo: *ſcriptus heres*) filius enim non niſi nominatim exheredari poteſt, & ut ſub contraria conbantur: quemadmodum, extraneo conditione in codicillis adſcripta, in defectu conditionis de ademptione cogitaſſe teſtator videtur, *l.* 27. §. *ult. D. de cond. inſt.* Scripſiſſe igitur Pomponium putem: *Commodiſſime filius qui nondum natus eſt*, & mox *filius natus rumpit.* Conſutarios autem Pandectarum, quum Principis ſui conſtitutione ſublato ſexus gradusque diſcrimine effectum ſcirent, ut omnes liberi nominatim exhaeredandi eſſent, verbum *filius* expunxiſſe; illud tamen, *quia hic filius nec ſub conditione* (qua erant incuria) inobſervatum relinquere potuiſſe.

Porro *eod. tit. l.* 28. §. 3. illo loco: *Ex Titia, quae tunc propter tenorem aetatis uxor duci non potuit*, pro *tenorem aetatis*, quod nullo auctore, nullo ſenſu mihi dici videtur, ſubſtituendum cenſeo: *Tenerum aetatis.* Tenerum aetatis ἡλικία ἀκμῆς, ut *Lubricum aetatis*, in *l.* 4. *C. de inceſt. nupt.* & Plinius *lib* 3. *epiſt.* 3. *Lubricum conſilii l.* 3. §. *lege Julia* 5. *D. de teſt. Lubricum fidei*, Macrobius *lib.* 7. *cap.* 3. *Lubrico ſoli prolapſus*, apud Apulejum *apol.* 1. *Lubricum linguae l.* 7. §. 3. *D. ad leg. Jul. majeſt. Cautionis incertum*, *l.* 16. §. 14. *ff. ad SCtum Treb. Secretum alienae voluntatis*, *l.* 70. *D. de haer. inſt. Ambiguum conditionis*, *l.* 14. *D. de quaeſt.* & *l.* 1. *C. de tranſactionibus.* Marcellino *Martis ambigua & neceſſitatis abruptum*; Symmacho *famae incerta*, & *famae inania*, & *incertum morbi.* Et *litis incertum*, *l.* 20. *C. mandat. Pronunciationis anceps*, Quintiliano. *Vitae decorum*, *l.* 1. *C. de emendat. propinq. Imperfectum ſcientiae*, *cap. niſi* 10. §. *ne pro defectu. x. de renunciat.* Tacito *Ann. lib.* 6. *cap.* 26. *grave conſcientiae, grave famae.* Lucano *tuta domus*, *abrupta viarum.* Horatio *lib.* 2. *Serm. ecl.* 3. *v.* 201. *rectum animi*, & talia infinita.

CAPUT III.

Auli Caſcelii Juriſconſulti Benedicta duo indicata & expoſita.

Aulus Caſcelius, maximus ſua aetate Jureconſultus & juris Praetorii peritiſſimus, teſte Scaevola apud Valerium Maximum, *lib.* 8. *cap.* 12 is, inquam (ut refert Pomponius in *l.* 2. §. *fuit eodem* 45. *D. de orig. juris*) ſcripſit Benedictorum librum unum: ἀποφθεγμάτων poſſis vocare, ut illa a Catone collecta, quorum meminit Tullius *lib.* 1. *Offic.* In hunc (ut exiſtimo) conjecerat, ut brevia & rotunda quaedam, ita arguta & intra pomoerium nata reſponſa, quae conſultoribus dederat, aut etiam e re nata obiter protulerat cum applauſu, ut erat homo urbanitatis & libertatis mirae. Ea igitur *bene-dicta* nominavit, ut *cata dicta* pro acute dictis Varro *lib.* 5. *de ling. lat.* & *bona dicta* Tullius *lib.* 2. *de Oratore cap.* 54. *Dicere ajunt Ennium, flammam a ſapiente facilius ore inardente opprimi, quam bona dicta teneat; haec ſcilicet bona dicta, quae ſalſa ſunt.* Ex horum numero credo haec duo fuiſſe, quae narrabo. Cicero (ut ipſe refert *Oratione in Vatinium cap.* 15.) legem tulerat: *Biennio, quo quis petat, petiturusve ſit honores, ne gladiatores det, niſi ex teſtamento praeſtituta die.* Contra hanc legem Vatinius, cum in ipſa petitione gladiatorium munus edidiſſet, idque fortaſſe populo non placuiſſet, ab eo lapidibus pene obrutus, obtinuit ab Aedilibus, ad quos rei ſpectaculariae cura antiquitus ſpectabat, ut edicerent: *ne quis in arenam niſi pomum miſiſſe vellet.* Forte iis diebus Caſcelius conſultus a quodam, an nux pinea pomum eſſet, reſpondit: *Si in Vatinium miſſurus es, pomum eſt.* Idem reſpondiſſet & aliis in caſibus; puta, ſi ſuper legato aut pacto quaereretur, an pomis legatis vel exceptis pinea nux veniat. Pomi

nomi-

Digitized by Google

tur, quem omnis populus odio vere Vatiniano perſequebatur. Ad id, de quo quaeri putabat (vel certe ſimulabat) Scaevolae amico more reſpondit, non interim negans, extra illud idem juris eſſe. Nec minus elegans eſt alterum, cum mercatori, diſcedere a ſocietate volenti, & quemadmodum cum ſocio navem divideret, quaerenti reſpondit: *Navem ſi dividis, nec tu nec ſocius habebitis*, ut Macrobius refert; vel (ut Quintilianus id ipſum refert *lib.* 6. *cap.* 4. ubi de jocis & benedictis agit) *Caſcelius conſultori dicenti, Navem dividere volo: Perdes, inquit.* Si (puta) alteri prora, alteri puppis cedat, aut utraque dimidiata utrique; corrumpetur navis, & navis eſſe deſinet, quemadmodum ſi ſit diſſoluta, *l.* 10. §. 7. *D. de quibus modis uſusfr. amitt.* De fundo dici idem non poteſt: nam ejus etiam diviſi quaevis pars fundus eſt, *l.* 60. *D. de verbor. ſignific.* Domus quoque per coenacula poteſt dividi. Navis, homo partitionem corporalem non recipiunt. Et captio nimium doloſa fuit Q. Fabii Labeonis, qui, cum a rege Antiocho, quem bello ſuperaverat, ex foedere icto dimidiam navium partem accipere deberet, medias omnes ſecuit, ut tota eum claſſe privaret. Cenſuit igitur Caſcelius ad adjudicationes & condemnationes decurrendum, ut uni navis aeſtimata addicatur, isque medium aeſtimationis ſocio praeſtet. Interciderant Caſcelii noſtri bene-dicta omnia, ni haec duo nobis ſervaſſet Macrobius *lib.* 2. *Saturnal. cap.* 11. Qui nec haec ex eorum numero fuiſſe viderat ante credo quisquam, quam monerem. Quibus tamen cumuli loco addam elegans reſponſum Catonis, qui cum eſſet conſultus a quodam, qui ſibi a ſoricibus eroſas caligas diceret: reſpondit, non eſſe illud monſtrum, ſed vere monſtrum habendum fuiſſe, ſi ſorices a caligis roderentur; quod Auguſtinus refert *lib.* 2. *de doctr. Chriſt.* Planius alter ille, qui in ſimili caſu, cum mus farinarium ſollem arroſiſſet, & paterfamilias quid facto opus eſſet, percontaretur; cerdoni locandum follem ad farciendum reſpondit, ἐκδῦναι τῷ σκυτοδέψῃ ἐπιῤῥάψαι, apud Theophraſtum *in Charact.* περὶ δεισιδαιμονίας. Et alia non diſſimilia Quincti cujusdam relata apud Galenum *lib.* 3. *de ſanit. tuead.* qui percunctandi gymnaſtae, quam unctio vim haberet; reſpondit, reſtis ſubmovendae. Et quid de urinis ſentiret interrogatus, eas noſſe ad pictorem pertinere, dixit. Et de calido, frigido, humido & ſicco differentibus, utique balnearum ea eſſe nomina, ſubjecit.

CAPUT IV.

De foſſione Theſauri, ad l. ſingularem. C. de theſaur.

CUique liberum eſt in ſuo ſibi agro theſaurum fodere aut deprehenſum ſervare, aut alii fodiendi poteſtatem facere, ex edicto D. Hadriani, *l. ſingul. C. de theſaur.* §. *theſauros* 39. *Inſtit. de rer. diviſ.* Cujus edicti naturalis, quam Juſtinianus dicit, aequitas ea eſt, quod ejus eſſe theſaurus praeſumitur, in cujus fundo monimentove delituit, maxime ſi is fundus idve monumentum paternum avitumque ei fuerit. Ut non immerito Terentius in *Prolog. Eunuchi* taxet ineptum Poëtam, qui

In Theſauro ſcripſit, cauſam dicere
Prius, unde petitur aurum, quare ſit ſuum,
Quam ille, qui petit, unde is ſit theſaurus ſibi,
Aut unde in patrium monumentum pervenerit.

[illegible] exportet. Credo, quia petitor vix ſciret, theſaurum ibi eſſe, niſi vel ipſe defodiſſet, vel a ſuis majoribus defoſſum audiſſet, *l. theſaurus* 15. *D. ad exhib.* Itaque hodie deferre ſe nemo cogitur, quod theſaurum in ſuo invenerit; niſi quibus caſibus pars ejus fiſco debetur, *l.* 3. §. *pen. & ult. D. de jure fiſci.* idque jus ſuis temporibus obtinuiſſe gratulatur Calpurnius, qui ſub Caro Imp. vixit, *Eclog.* 4. *vſ.* 117. *ſeqq.*

Jam neque damnatos metuit jactare ligones
Foſſor, & invento, ſi Fors dedit, utitur auro:
Nec timet (ut nuper) dum jugera verſat arator,
Ne ſonet offenſo contraria ſomere maſſa.
Jamque palam preſſo magis ac magis inſtat aratro.

Olim vero fodiendorum retinendorumque theſaurorum facultas impetranda erat a principe: alioquin quidquid inventum erat, niſi indicatum eſſet, committebatur fiſco. Idque jus ſub malis principibus facile revixit. Ut eo ipſo praetextu Nicephorum Phocam Imperatorem multa privatis extorſiſſe Cedrenus ſcribit: σκοπείας δὲ περὶ τῶν στρατηγούντων παρέταξε τοὺς ἀξίους ἐκ τῆς πτωχείας ἀνακληθέντας καὶ ἀπαιτεῖσθαι χρήματα, ὡς εὑρόντας θησαυρούς. Quemadmodum & de quodam Caeſaris Juliani procuratore, Eutropius Aureliusque ſcribunt, locupletum quemque ſolitum ita compellare: Quae habes? unde habes? pone quod habes? Idemque ſuis temporibus factitatum, Leo Imperator ſignificat, *Novell.* 51. Rex certe quoque Theodericus inventos theſauros totos fiſco ſuo vindicabat, eorumque inveſtigationem Comiti Privatarum demandat, apud Caſſiodorum *lib.* 6. *variar. cap.* 8. Quae res tamen colore non caret: Fiſcus enim & Reſpublica non modice inde laeditur, quod pecunia tandiu ignorata & otioſa in terra delituit, multumque eam ob cauſam collationibus publicis deceſſit. Neque enim id peculii, quod in Flaviſſis habetur, in cenſum deferri, neque ex illis ea munera, quae patrimoniorum vocantur, pendi ſolent. Denique odioſa res eſt pecuniarum moniliumve defoſſio, per quam & genius defodientis, & cenſus publicus, & ipſi ſaepe haeredes defraudantur. Ideoque & mandatis principalibus aliquando cautum fuit, ne pecunia ſepeliatur, *l.* 4. §. *non ſit locus* 6. *D. ad l. Jul. pecul.* extatque titulus *lib.* 45. Βασιλικῶν· Οὐκ ἔξεστι συνταφῆναι τοῖς τεθνεῶσι χρήματα: ut & apud Canones *cap. non aeſtimemus* 13. *quaeſt.* 2. Porro n. fas eſt, etiam hodie, divinationes ad foſſionem theſaurorum & ſacrificia Herculana adhibere, aliasve artes legibus odioſas, *d. l. ſingul.* qualis eſt apertura ſepulchrorum ad eruendos theſauros, per quam ſepulchra ritu ſuo (ut Marcellinus loquitur *lib.* 14.) in perpetuum clauſa, nefarie violantur. Paulus *lib.* 1. *Sententiar. tit.* 21. *de ſepulc. & lugend. Qui corpus perpetuae ſepulturae traditum, vel ad tempus alicui loco commendatum nudarit, & Solis radiis oſtenderit, piaculum committit.* Solis (inquit) radiis oſtenderit. Quod fortaſſe ab illo Phocylidis: μὴ τύμβον φθιμένων ἀνορύξῃς, μηδ' ἀθέατα δείξῃς ἠελίῳ; niſi illud potius alicujus Sibyllae eſt, quarum ſcrinia compilaſſe illum certo certius eſt. Eodemque reſpexit Valentinianus, *Novella* 5. *de ſepulcr. Nimis barbara eſt & veſana crudelitas, divitis per inexpiabile crimen ſepulchris, monſtrare coelo corporum reliquias humatorum.* Eodemque alluſiſſe videtur Leo de Euchionib. loquens *d. Novella* 51. his verbis: ὥσπερ φθονοῦντες καὶ αὐγαῖς ἡλίου τοὺς ἑαυτῶν συνθαπτομένους ὁρᾶν θησαυρούς. Incumbebant tamen eam in rem furtim avidi homines, praeſertim ve-

Valentinianus, in Novella 5. conqueritur, ſuo tem-
pore etiam clericos ſive monachos (credo propter vicinitatem coemiteriorum) hoc furti genere non abſtinuiſſe. Imo & magnum illum Perſarum regem fama defoſſi & ſimul cum mortuo auri tumulum effodiſſe, Maximus Tyrius commemorat *ſerm.* 10. & aurum quidem minime reperiſſe, ſed epigramma velut mortui, ita eum alloquentis: ὦ πάντων ἀνθρώπων ἀπληστότατε, εἰ ἔπλης νεκρῶν θιγεῖν δι' ἔρωτα χρημ. Idemque in tumulo Davidis, ſpe auri inveniendi, Hircanum & Herodem feciſſe, Joſephus ſcribit *lib* 16. *cap.* 7. cum tamen vel maxime ſecuritatis cauſa in monimentis theſauros condere ſolerent.

CAPUT V.

Emendata l. Sabinus 16. D. de re judic. *Societatis quaedam fraternitas.*

LEvamentum illud, ne quis ultra, quam facere poteſt, exigatur, quod conjugi, parentibus, ſocero, patronis, donatori ex aequitate & reverentia quadam datur; datur etiam ſociis. Id ſummam rationem habere Ulpianus ſcribit, *cum ſocietas jus quodammodo fraternitatis in ſe habeat*, *l.* 63. *in pr. D. pro ſocio.* Ex quo poſſis colligere, dari etiam id privilegii fratri, ſi a fratre conveniatur. Sed cui ſocio datur; an etiam ſocio unius rei? Omnino ex Sabini ſententia. Quam Ulpianus utroque pollice cum probaſſet, *d. l.* 63. reprobare videtur in *l.* 16. *D. de re jud.* Itane vero cito ſententiam mutaſſe Ulpianum in iiſdem libris ad Edictum? Reſtat ergo, ut ibi, pro *Socium autem omnium bonorum accipiendum*, reponamus: *Socium etiam non omnium bonorum accipiendum eſt.* Facile fuit *etiam non* commutari in *etiam*. Placet autem valde, quod ſocietatis fraternitatem quandam eſſe ait. Quod enim fratribus dat ſucceſſio paterna & bonorum collatio, ut communia patrimonia habeant, & (ut Paulus loquitur, *l. ſi is qui tres* 31. §. 4. *D. de excuſ. tut.*) ut ſint conſortes: id ſociis voluntas & contractus, dum ſponte ſua confundunt & communicant, ſe ſibi invicem in fratrum locum adſciſcentes, *l.* 31. *& ſeq. D. pro ſocio*, ut & ipſi fratres etiam cum conſortes jam non ſunt, voluntariam inter ſe ſocietatem & conſortium inire ſolent, ut loquitur Papinianus, *l.* 52. §. *idem Papinianus* 8. *D. eod.* Ut non inſcite ſocietas voluntaria fraternitas dici poſſit; fraternitas neceſſaria ſocietas: quae tamdiu durare ſolet, quamdiu concordia, & animorum disjunctionem fere ſequitur diſſortio & diviſorium judicium. Quo pertinet elegans epigramma Domitii in Cicuta apud Junium Philargyrium in Virgilii Bucolica; quod ita fortaſſe reſtitui poteſt:

Omnia cum Ravio communia frater habebat,
Unanimi fratres ſicut habere ſolent.
Rura, domum, nummos, & omnia, denique (ut ajunt)
Corporibus geminis ſpiritus unus erat.
Sed mulier poſtquam alterius concumbere nota
Alteri erat, poſuit alter amicitiam.
Ardent tunc ira: atque animo concorde ſoluto
Accipiunt dominos tunc duo regna duos.

Et hanc vim communionis ſocialis etiam Sabini adverſaria ſchola tanti fecit, ut cum Sabinus furari concedat uxorem, filiam, ſi mariti aut patris res amoveat, *l.* 1. *D. rerum amot.* quin & ſocium ſi communes res fallaciter contrectet, & nunc adeo furti teneri, *l.* 51. *D. pro ſocio.* & heredem quoque generaliter, qui & ipſe ſocius quodammodo eſt coheredis, *l.* 71. *D. de acquir. hered.* Proculus tamen & Nerva non admittant, uxorem furtum feciſſe, quia ſocietas fratrem Harmenopulus *lib.* 1. *tit.* 3. ἐπὶ κλέπτων μὲν ὁ τὰ τῶν ἀλλοτρίων προσώπων ὑφαιρούμενος πράγματα. ὑφαιρούμενος δὲ ὁ κλέπτων τὰ τῶν οἰκείων ἐγγὺς τὰ τοῦ πατρὸς παῖς, καὶ τὰ τοῦ συζύγου γυνὴ, καὶ τὰ τοῦ ἀδελφοῦ ἀδελφός. Et valde probo in *d. l.* 1. confuſas eſſe auctorum familias, vel ab ipſo Triboniano.

CAPUT VI.

Perpenſa l. 20. C. de poen. *illuſtrata. Forma Principi ſalutem precandi.*

PErpenſa a principe dicuntur, quae princeps in conſilio, cauſa plene cognita & deliberata, mature decrevit, non (ut aliquando fieri ſolet) quae obiter & (ut Marcellinus loquitur) transeunter, velutique per ſaturam, non quae per obreptionem circumventus ad unius deſiderium concedit, *l.* 2. *C. Th. conſtitut. princip. & reſcript. Perpenſas ſerenitatis noſtrae longa deliberatione conſtitutiones nec ignorare quenquam, nec diſſimulare permittimus.* Martianus in *l. perſpiciendum* 11. *in princ. D. de poen. Perpenſo judicio prout res quaeque poſtulat, ſtatuendum eſſe*, *l. quaeſitum* 13. *D. de teſtib. Teſtimonii fidem perpendere.* Ammian. Marcellin. *lib.* 14. *cap.* 1. *Quicquid Caeſaris implacabilitati ſediſſet, id veluti fas jusque perpenſum, confeſtim urgebatur expleri.* Et *lib.* 22. *cap.* 9. *Omnibus igitur, quae res diverſae poſcebant & tempora, perpenſa deliberatione diſpoſitis*: & alibi ſaepe. Gloſſis *perpenſas* κεκριμένας, σταθμηθείσας, *perpenſa*, σταθμητία. Unde plane apparet, ſolenne hoc verbi fuiſſe de iis, quae princeps minime negligenter aut praecipitanter feciſſet; qua de re digna majeſtate regnantis vox Hadriani: Οὐδὲν τῷ αὐτοκράτορι ἐν ἀνθρώποις καὶ ταχέως τι ποιεῖν. Quod praeſertim cavendum eſt, cum de capite & ſalute hominis agitur, ut ex eo ipſo Animadverſionem dictam, quod in poenarum exemplis ſtatuendis animum advertere vel maxime conveniat, Iſidorus non inepte exiſtimet. Idque idem Marcellinus graviſſime monet *lib.* 29. *cap.* 2. *Sapientes*, inquit, *definiunt, nihil aliud eſſe imperium, niſi curam ſalutis alienae: bonique eſſe moderatoris reſtringere poteſtatem, reſiſtere cupiditati omnium rerum & implacabilibus iracundiis: ideoque de vita & ſpiritu hominis, qui pars mundi eſt & animantium numerum complet, laturum ſententiam diu multumque cunctari oportere, nec praecipiti ſtudio, ubi irrevocabile eſt factum, agitari, nec unquam tardum exiſtimandum eſſe, quod eſt omnium ultimum.* Et Caſſiodorus *lib.* 7. *variar.* 1. *Cunctator debet eſſe, qui judicat de ſalute. Alia ſententia poteſt corrigi: de vita tranſacta non patitur immutari. Et* (ut vel Satyricus ait) *nulla unquam de morte hominis cunctatio longa eſt.* Quocirca tum non videtur princeps rem ſatis perpendiſſe, cum vindicari in aliquem ſeverius contra coalitam ſibi clementiam imperat: ejusque mandati executio ad triginta dies ſuſpenditur, donec appareat perſeverantiam eſſe voluntatis: ut ſtatuit nobilis illa Theodoſii, ſuaſore D. Ambroſio lata, *l. ſi vindicari* 20. *C. de poen. l.* 13. *C. Theod. eod.* fieri enim poteſt, ut in ea mora Principis ira molliatur, & (ut Anianus ibi loquitur) pietas dominorum juſtitiae amica ſubveniat. Itaque in talibus conſiderandum eſt, non quid placeat irato; ſed quid perpetuo ſit placiturum. Sed nec facile, quibus id datum eſt a principe irato negotii, ut aliquem occidi curent, imperatum exequuntur, niſi ſcriptis comprehenſum ejus rei mandatum ſive commonitorium (ut a Marcellino vocatur) habeant, ne ſcilicet aliquando, ſi forte principem facti poeniteat, ſine praecepto feciſſe coarguantur. Herodia-

Digitized by Google

citra gravem Imperatoris offenſam omitti non poterat. Dion *in Tiberio*: Οἱ Ῥοδίων ἄρχοντες ἐπιστείλαντές τι αὐτῷ, οὐχ ὑπέγραψαν τῇ ἐπιστολῇ τοῦτο δὴ τὸ νομιζόμενον εὐχὰς αὐτῷ ποιούμενοι, μεταπέμψατο μὲν σφᾶς σπουδῇ, ὡς καὶ κακόν τι δράσων, ἐλθόντας δὲ οὐδὲν δεινὸν εἰργάσατο, ἀλλ' ὑπογράψαντας τὸ ἐνδέον ἀπέπεμψε. Nam & ipſe princeps in reſcriptis, mandatis, juſſionibus ſuis officiales & magiſtratus non tantum ſalutatione dignabatur, ut HAVE KARISSIME NOBIS; Χαῖρε ἡμιώτατε ἡμῖν: verum etiam vitam & valetudinem precabatur, idque (ut credo) propria manu adſcribebat: quod me credere facit ſacra Conſtantii ad Probum judicem, apud Vigilium, in qua ſub finem ita eſt; *& alia manu:* OPTAMUS TE BENE VALERE; vel ut in Conſtitutionibus & Novellis paſſim eſt: VALE CARISSIME, DIVINITAS TE SERVET INCOLUMEM. Imo etiam hoc ipſum imperabant: CURA UT BENE VALEAS; de quo poſtremo eleganter Lucianus, *in Apologia* τῆς ἐν τῷ προσαγορεύειν πταίσματος: Τί δ' οὐχὶ καὶ ἐν τῷ τῶν ἐντολῶν βιβλίῳ ὃ αἰεὶ καὶ παρὰ βασιλέως λαμβάνονται, τοῦτο πρῶτον ὑμῖν ἐστὶ παράγγελμα, τῆς ὑγιείας τῆς ἡμετέρας αὐτῶν ἐπιμελεῖσθαι, καὶ μάλα εἰκότως· οὐδὲν γὰρ ἂν εἴη ὄφελος ἡμῶν πρὸς τ' ἄλλα, μὴ οὕτω διακειμένων. Denique principi ſalutem & vitae diuturnitatem precari juſtum piumque eſt, quod non tantum in ſolemni & publica votorum ſuſceptione Kalendis Januariis, *l. ſi calvitur* 233. *D. de verbor. ſignif.* verum in omni acclamatione a populo fieri ſolebat. Tertullianus *Apologetico: Cuius non praecordia inſculpta apparent novi ac novi Caeſaris ſcena in congiario dividundo praeſentis, etiam illa hora qua adclamant: De noſtris annis tibi Juppiter augeat annos! Haec Chriſtianus tam enunciare novit, quam de novo Caeſare optare.* Ovidius *lib.* 2. *Triſtium v.* 57.

Optavi, peteres coeleſtia ſidera tarde,

Parſque fui turbae parva precantis idem.

Quae poſterior formula frequentiſſima Poetis. C. Pedo Albinovanus:

Vive diu, mi care ſenex, pete ſidera ſero:

Eſt opus hoc ferus: te quoque velle decet.

Martialis *lib.* 8. *Ep.* 39.

Eſſe velis, oro, ſerus conviva Tonantis.

Ita & Ovidius *in fine Metamorphoſ.* & Calpurnius *Ecloga* 4. Denique invaluit & mos tandem propinandi & bibendi pro ſalute Principis & Imperii, de quo eleganter Ambroſius in *lib. de Helia cap.* 17. *Quid obteſtationes potantium loquar? quid memorem ſacramenta, quae violare nefas arbitrantur? Bibamus (inquiunt) pro ſalute Imperatorum; & qui non biberit, ſit reus indevotionis. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus ſalute non biberit. O pixe devotionis obſequium! Bibamus pro ſalute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum ſanitate: & haec vota ad Deum pervenire judicant.* Qui mos, non dicam quam bonus, ad noſtrum etiam ſeculum pervaſit.

CAPUT VII.

Emendata & explicata l. licet 17. D. depoſ. *& quomodo ſequeſter poſſideat.*

QUaeſtionis eſt, an ſequeſtro ponentes poſſeſſionem rei amittant, & an ſequeſtri ſive ſculnae poſſeſſio partibus proficiat. Nota eſt Juliani diſtinctio in *l. intereſſe* 39. *D. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* utrum omittendae poſſeſſionis, an cuſtodiae cauſa depoſuerunt ſequeſtro. Illic ita: *Nihil vero ſequeſter rem fiſco; etiam atque...* ſerunt ea lege, ut is victori reſtitueret. Neuter ſe dominum probavit; neuter igitur victor eſt. Quaeritur, an ſaltem priſtina poſſeſſio, per ſequeſtrum eis conſervata, proſit ad uſucapionem. Id negat Julianus, quia ſemel poſſidere deſierunt poſſeſſionem, a ſe omiſſam & abjudicatam; ſicut ſi ſponſionis cauſa depoſuiſſent, *l.* 17. *§. ult. D. de praeſcript. verb.* Poſteriore caſu, cum de poſſeſſione agere vellent, cuſtodiae tantum cauſa depoſuerunt, retinentes animo pro ſe uterque poſſeſſionem & mox de poſſeſſione experti ſunt interdictis aut actionibus. Victori proficiet ad capiendum uſu ſequeſtri poſſeſſio; victus poſſeſſione excidet, & ſic ejus uſucapio interrumpetur. Priore caſu interrumpitur utriuſque uſucapio omiſſa poſſeſſione; Altero, ſolius victi amiſſa. Illo poſſidet ſequeſter; hoc non poſſidet, non magis quam quivis depoſitarius, ſed cuſtodit. Haec eſt ſententia *d. l. intereſſe* 39. qua fretus audeo *l. licet* 17. *§.* 1. *D. depoſiti.* ita emendare: *Niſi apud ſequeſtrem depoſita eſt. Tum autem demum ſequeſter poſſidet, cum id agitur ea depoſitione, ut neutrius poſſeſſioni id tempus procedat.* Tum id agitur, cum omittendae poſſeſſionis gratia depoſitum eſt. Vel illud *demum* inconcinne & otioſe poſitum prodebat labem. Si nil mutaris, diffidium foveris indomitum, ubi quicquid tentes, quicquid te torqueas,

—— —— Pugnantia tendas

Frontibus adverſis componere.

Florentinus enim diceret, id actum praeſumi, ut neutri procedat poſſeſſio intermedia; ſemper igitur omittendae poſſeſſionis cauſa videri depoſitum: cum Julianus id aperte deſideret probari, minime admittens praeſumi. Et ſane ita eſt, neminem facile poſſeſſionem dimittere videri, *l. cum fundum* 18. *D. de vi & vi arm.* Cum qua (ut hoc addam) miror vulgo pugnare putari *l. quod meo* 18. *§.* 1. *D. de acquir. poſſeſſ.* cum nihil ſit concinentius. Papinianus ait: Non ante omiſſam poſſeſſionem videri, quam tradita fuiſſet; quia nemo eo animo eſſet, ut poſſeſſionem amitteret propter alium, qui eam adipiſceretur. Jam in *altera lege:* furioſo res tradita proponitur, ut ridiculum ſit ambigere, an poſſeſſionem dimiſerit, qui ipſa traditione abunde oſtendit, animum ſibi eſſe eam transferendi, qui ad eam amittendam ſufficit; licet ille mentis inops concipere animo poſſeſſionem non poterit.

CAPUT VIII.

L. 11. & l. 27. D. ad leg. Aquil. *illuſtrata. Licin. Ruffinus emendatus.*

SI tonſor ibi totonderit, ubi ex conſuetudine ludebatur, aut tranſitus frequens erat, & pila in ejus manus involans novaculam, qua ſervulum radebat, in ejus gulam impulerit: culpa quidem aliqua eſt ſervi, qui ſe in loco, periculi pleno, tondendum praebuit, ut *l.* 52. *in fine. D. ad l. Aquil.* Tonſoris tamen major. Ideoque Aquilia tenetur domino, ex Proculi ſententia, *l.* 11. *in pr. eod.* Ergo ſi alio in loco totonderit, & ibi quidam praeter conſuetudinem luſerint, eique damno cauſam dederint, illi tenerentur. Sane Romae frequens fuiſſe, ut in ipſis plateis ac via publica ſellam ponerent tonſores, apparet vel ex illo loco Martialis *lib.* 7. *epigrammate* 60. ubi ei rei a Domitiano modum datum praedicat:

Stringitur in denſa nec caeca novacula turba,

Occupat aut totas nigra popina vias.

Digitized by Google

Eod. tit. l. 27. §. *ſi fornacarius* 9. notandum, de mercenariis Ulpianum loqui, cum ait: *an tenebitur?* Et: *actionem competere in eum.* Servi non tenentur, ſed eorum nomine dominus. Et propoſuerat ſane Ulpianus in *eo* §. tam de conductis, quam de ſervis; ut ex integriore loco apud Ruffinum *tit. de Incendiariis* apparet, quem mox proponam emendatiorem. Si igitur fornacarius, ſive furnarius, ad furnum obdormierit, aut etiam vigilans eum neglexerit, & ignis evagatus villam exuſſerit: incendium ejus non curantiae imputandum eſt. Verum, quia non corpore ſuo damnum dedit, utili tantum Aquilia tenebitur. Nam quisquam dixerit (inquit) eum, qui obdormivit, rem humanam aut naturalem paſſum: cum deberet ignem extinguere vel munire, ne evagaretur, antequam ſe ſomno daret. Sed neque eum, qui vigilans cuſtodiit, quis dixerit non teneri, quia nihil fecit, ut Ulpianus ait: ob id ipſum enim in culpa verſatur, quia officium ſuum non fecit. Eſt etiam in non faciendo culpa, ſive in negligendo. Quin & qui non facit, aliquatenus facit, quia aliud facit. Idque verum eſt, etiamſi alius, eo dormiente aut aliud agente, ignem ſubjecerit fornaci, lignator nimirum ad id conductus. Si extraneus id feciſſet, ille teneretur; ut Feſtus Pompejus, in *Salinum*, refert, quondam in Eſquilina regione, cum fornax plena vaſorum coqueretur, & figulus proxime convivatus ſupra modum potus ſomno eſſet oppreſſus cum convivis ſuis, praetereuntem quendam petulantem oſtio patenti ex menſa ſalinum conjeciſſe in fornacem, atque ita figulum crematum cum ſuis: exque eo tempore figulis ſalinum in menſa habere religioni eſſe. At ſi qui ad id conductus erat, ligna ingeſſit, non peccatum eſt ab eo: recte enim & tempore ingeſſit, & id niſi feciſſet, non poterant panes, aut vaſa, aut lateres excoqui. Quod ſi ob alterius non curantiam id male ceſſit, iniquum fuerit hunc (ut ait Juvenalis, in re non abſimili) *poenas alieni pendere ſomni.* Non peccaſſe hunc confirmat Ulpianus apud Ruffinum, exemplo longe elegantiſſimo: Si hominem Medicus recte ſecuerit (pone ſane uſſerit adhibitis cauteriis, quia in verbo edicti, USSERIT, explicando verſatur Ulpianus) ſed negligenter ipſe ſe vel alius eum curaverit; Aquilia ipſe Medicus non tenetur: qui locus eſt notandus. Si male ſecuiſſet, teneretur; ſicut ſi pharmacum temerarium perperam praebuiſſet, *l.* 7. §. *ult. & l. ſeq. D. eodem.* Paul. *lib.* 5. *ſentent. tit.* 23. Caeterum, ſi apte medicamine aut ſectione cauteriove uſus eſt & ex artis praeſcripto; quemadmodum eventus mortalitatis ſive fatum ipſi imputari non debet, *l.* 6. *D. de offic. praeſid.* ita nec negligentia eorum, qui cum a cibis interdictis, aut agitatione, aut Venere non abſtinent, ſpreto Medici imperio ſalutari, & per καλλωπισμὸν obſequium intempeſtivum res noxias & a Medico damnatas ei indulgeant: quod genus notat Theophraſtus eleganter in *Charact. cap.* περὶ περιεργίας: Καὶ ἀπαγορεύοντος τοῦ ἰατροῦ ὅπως μὴ δώσει οἶνον τῷ μαλακιζομένῳ, καλλωπιζόμενος καὶ φήσας βέλτιον διάπειραν λαμβάνειν, ἐνσοφίσαι τὸν κακῶς ἔχοντα; cum tamen, ut Cous in *lib.* περὶ ἰητροῦ vere ait: ζητεῖται ὁ νοσέων οὐ καλλωπισμὸν ἀλλὰ τὸ συμφέρον. Multo minus ipſius aegroti incontinentia Medico imputari poterit, ut diſſerit Salvianus *lib.* 5. *de guberu.* DEI: *Non aliter nos de dominica lege querimur, quam queri de optimo Medico impatiens aegrotus ſolet; qui cum ingraveſcere ſibi morbos vitio ſuo fecerit, imperitiam medentis accuſat. Quaſi vero curari ullam infirmitatem praecepta poſſint, ſi eis non obedierit infirmus: aut ſanare quennacem obdormiſſet, & villa fuerit exuſta, Neratius ſcribit, ex locato conventum praeſtare debere, ſi negligens in legendis miniſteriis fuit. Caeterum ſi alius ignem ſubjecerit fornaci, alius negligenter cuſtodiit, uter tenetur? Nam qui non coſtodiit, nihil fecit, qui recte ignem ſubjecit, non peccavit. Quemadmodum ſi hominem medicus recte ſecuerit, ſed negligenter vel ipſe vel alius curaverit; Aquilia ceſſat. Quid ergo eſt? & hic puto ad exemplum Aquiliae dandam actionem etiam in eum, qui ad fornacem obdormivit, vel negligenter curavit, ſive homo periit, ſive debilitatus eſt.*

CAPUT IX.

De Auctore Collationis legum Judaicarum & Romanarum: eaque emendata locis compluribus.

COllationem legum Moſaicarum & Romanarum, qui tenebris eripuit & in lucem protulit vir eruditiſſimus, memorat, Joann. Tilium ſibi aliquando narrare, habuiſſe ſe ejus operis fragmenta pauca, quibus Licinii Ruffini nomen tribuere ſolitum. Unde factum fuit, poſtquam is liber inventus & publicatus eſt, ut ſummus hac tempeſtate Juriſconſultus & vere noſtri ſeculi Cajus, quoties ejus libri ope aliquem juris civilis locum illuſtraret (ut fecit in multis) non alio, quam Licinii Ruffini nomine, eum allegaret, quem Licinium ille *lib. 7. obſervat.* 2. Chriſtianum fuiſſe ſcribit. Non abs re quis dubitaverit, an illi Licinio, non poſtremo ſui temporis Juriſconſulto, attribui poſſit iſta collectio, nulla arte, delectu (ut ipſa clamat) nullo conſarcinata; denique ne quidem ullius literatioris, nedum Juriſconſulti acumen ulla parte praeferens. Certe ſi quis propius aſpiciat, ipſe liber dubium facit, an ejus Auctor vel Juriſconſultus, vel Chriſtianus fuerit. Nam *titulo* 7. dum Juriſconſultos ita alloquitur: *Scitote juriſconſulti, quia Moyſes prius hoc ſtatuit*, aperte prodere videtur, ſe ex eorum numero non fuiſſe. Praeſertim cum non tantum Gregorianum & Hermogenianum, verum etiam Theodoſianum codicem alleget; cum quidem Theodoſianis temporibus neque Licinius Ruffinus, neque ullus alius eorum Juriſconſultorum, qui in Pandectis, in rebus humanis amplius eſſet. Et *tit.* 15. *de maleſ. & Manich.* dum edictum Diocletiani & Maximiani ponit ex Codice Gregoriano, quo edicto Chriſtiana religio, ſub odio Manichaei nominis, non obſcure perſtringitur: liquidiſſime apparet, aut Chriſtianum illum non fuiſſe, aut parum cautum compilatorem. Poſſit aliquis exiſtimare, Judaeum fuiſſe, qui cum laborare ſectam ſuam videret invidia, quod diſciplina jureque a Romanis diverſo uti noſceretur (ut Cornelius Tacitus alicubi ait: Moſaicas leges, quibus Judaei utantur, *caeterorum imperiorum legibus plane eſſe contrarias, ita ut profana ſint Iſraëlitis, quae caeteris gentibus ſacra*; ut Juvenalis *Satyra* 14. *v.* 100.

Romanas autem ſoliti contemnere leges,
Judaicum ediſcunt & ſervant ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moyſes)

amoliri eam invidiam ſtudens demonſtraverit, non uſque adeo multum legibus Judaicis & Romanis diſconvenire, atque adeo ex patriis ſuis legibus, ſibique veluti per manus a parentibus traditis, fluxiſſe Romanas. Ego quidem plane exiſtimo, monachi alicujus ante Juſtiniani tempora eum laborem eſſe: qui in Bibliothecis viderim a Graecis etiam hominibus ſimiles illi compilationes legumque divinarum cum Caeſareis collationes, easque non unius generis, per eclogam factas. Quisquis fecerit, multa

cer-

Digitized by Google

obliterare. *Titulo* 2. *cap.* 3. *pro telo cum aliovis genere*, legendum: *telorum aliovis genere.* *Titulo* 3. *cap. ult.* pro *innotitiae ratio* legendum: *innocentiae ratio.* *Titulo* 7. *in princip.* ita legendum: *Quod ſi* XII. *tabularum leges nocturnum furem omnimodo, diurnum autem ſi ſe audeat telo defendere, interfici jubent: ſcitote juriſconſulti.* *Titulo* 11. *cap.* 1. pro *a ferro conducta manu*, credo reponendum: *aut ferro coactave manu.* Atroces abigei ſunt, qui ferro adgrediuntur greges, defenſuri ſe ſcilicet adverſus paſtores aut moloſſos, ſi ab his arceantur, *l.* 2 *D. de abig* Atroces etiam, qui coacta manu, velutique gregatim, eunt in greges avertendos & ſeducendos. *Eodem titulo cap. ult.* ubi ſcriptum eſt: *eu paſtu & fermentis*, ſi legas: *ex paſtu & armentis ſubtrahunt*, ut *l.* 1. § 1. *D. eod.* videbis id mox odioſe repeti: *equas de grege vel boves de armentis abducentes*, aut certe non omittendum fuiſſe: *ex gregibus.* Nam non minus pecudes abiguntur, quam pecua. Ideoque aliquando ſuſpicatus ſum, legendum: *ex paſtu & frumentis*; & frumenta nihil aliud eſſe, quam paſtum: quod ſuadere videtur Iſidorus *lib.* 7. *cap.* 3. *Frumenta vel fruges a frumendo, hoc eſt, veſcendo dictae; nam frumen dicitur ſumma pars gulae.* Sed audacius conjicio, irrepſiſſe ex vicino verbum *armentis*, cum ita ſcripſiſſet Ulpianus: *qui pecora ex paſtu & ex ſtabulis ſubtrahunt*; ut *cap.* 1. *eod. Titulo* 12. *cap.* 2. pro *meſſium perdum incenſores*, legendum cenſeo: *meſſium perditi incenſores.* *Eod. tit. cap.* 6. reſcriptum D. Severi ibi: *profiteri propter ignem pabuli gratia*, omnino corrigendum eſt: *Si, ut profiteris, ignis pabuli gratia.* Stylus is eſt reſcriptorum notus. Locus, qui reſcriptum ſequitur, emendatus eſt *capite ſuperiori.* *Titulo* 14. *cap.* 1. legendum cenſeo: *Et olim quidem hujus legis poena nummaria fuit*, pro *ſummaria.* Summaria enim poena non ſatis ſcite dici videtur; & nummaria poena ibi opponitur animadverſioni praefecti & praeſidis extraordinariae, quae eſt in corpus. Quae hic nummaria poena, pecuniaria vocatur, in *l. ult. D. ad leg. Fab. de plag.* *Titulo* 15. *cap.* 1. ibi: *pro menſura ſcilicet*, legendum: *pro menſura ſceleris.* *Titulo ult. cap.* 3. Legem XII. Tabularum ita reſtituendam affirmo: SI AGNATUS NEC ESIT, GENTILIS FAMILIAM NANCITOR, id eſt; ſi agnatus non ſit, gentilis familiam nanciſcitor. Ita enim *neceſit* & *nancitor* antiquitus dictum Feſtus Pompejus annotavit. Quae correctio veriſimilior fit inſpecta veteri ſcriptura: *Si gnatus neſcit, gentiles familiam hanc.* *Eodem titulo* paulo ante ille locus: *ſit ſit frater defuncti & fratris filius & nepos, fratres & non exiſtentes*; qui idem locus eodem vitio laborans extat apud Paul. *lib.* 4. *ſentent. tit.* 8. ita reſtituendus eſt meo judicio: *Si ſit frater defunctus, & fratris filius & nepos eu fratre non exiſtente, filius fratris nepoti praefertur*; quaſi dicat: tres ſunt fratres, unus filium reliquit, alter nepotem, tertio, abſque liberis defuncto, filius fratris excluſo nepote alterius ſuccedet, utpote proximior: ſi vero (ut ſtatim ſubjicitur) duorum fratrum praemortuorum liberi ejuſdem gradus eſſent, tunc patruo ſimul ſuccederent in capita; idque jure veteri. Et haec ſufficiant.

C. de pignor. act. non magis ſane, quam Emphyteutam (cui tamen jus aliquod in re eſt) aut conductorem, aut procuratorem, *l* 7. §. *ult. C. de praeſcript.* 30. *vel* 40. *ann.* aut ſequeſtrum, *l.* 17. §. *ult. D. praeſcr. verb.* quia hi omnes pro alieno poſſident, *l.* 13. *D. de uſurp. & uſucap.* prout & ipſe certe creditor debitori poſſidet, qui & per eum poſſeſſionem retinet; non ſibi ipſi, *l.* 71. *D. de furt. cum ſeq.* Quinimo nec juvari eum poſſeſſione longa, debitore rem vendicante & debitum inficiante, quominus ſibi, de pignoris obligatione excipienti, neceſſitas probandi debiti incumbat, quae incumberet etiam ſi hypothecaria pignus vindicaret, *d l.* 10. Et ſufficere ei debere, quod ea pignoris detentione impediat adverſam debitoris praeſcriptionem, quae 30. vel 40. annorum expletis curriculis debiti perſecutionem tolleret, vel quod eam jam coeptam interpellet hypothecae poſſeſſionem ſine vi adipiſcendi, *d. l.* 7. §. *imo* 5. Non ſperavit (inquam) poſteros dubitare auſuros, an nulla ullius temporis praeſcriptio jus offerendi (quod vocant) debito numerato aut depoſito, qui eſt praeparatorius actus pigneraticiae actionis, adimat debitori. Et ita ſane eſt. Pignus creditor longo tempore acquirere non poteſt, quia mala fide poſſidet, & pro alieno, & cauſam dominii acquirendi non habet, *l. non eſt novum* 46. *D. de acquir. rer. dom.* pignoris enim dominium in creditorem non transfertur, *l. cum & ſortis* 35. §. *ult. D. de pign. act.* Olim aliquando transferebatur, cum fiduciae in uſu eſſent & mancipationes, quae & ipſae tandem omnino ſublatae ſunt Conſtantini *l. ult. C. de pact. pign.* Sed nec longiſſimo. Non (inquam) creditor potius 40. annis pignus acquirere debet, quam debitor liberationem: imo minus. Major enim creditoris eſt culpa & deſidia & dolor propior, qui ordinem exigendi debiti & diſtrahendi pignoris exequi tamdiu diſtulit, quod illi expeditius erit, quam fortaſſis debitori ſolvere. Nam & pignus contractus eſt utriusque contrahentis gratia initus, *l.* 23. *D. de reg. jur. l.* 5. §. 5. *D. commod.* & ad hoc tantum inventus, ut creditori in tuto ſit debitum, ut nomen ei bonum ſit, §. *ult. Inſtit quib. mod. re contrab. oblig.* non ut pignus ei acquiratur: & ut debitori facilius credatur, non ut pignus perdat. Alieniſſimum igitur ab aequalitate illa & fine contractus foret, jus reluendi praeſcribi. Quin & iniquiſſimum. Aut enim minus eſt in pignore, quam in debito; aut tantundem; aut plus. Si minus eſt, dari in ſolutum volenti poſſet; obtrudi creditori invito non poſſet, *d. l.* 7. Si plus ſit: amittet ſcilicet debitor hyperocham captione dira, & feneſtra aperietur legi commiſſoriae, tam legibus exoſae. Hoc verpus apella ocyus admiſerit, quam aequi conſultus. Cui enim invito pignus obtrudi non poteſt, cur is, ſi volet, debitori nolenti id eripere permittetur? Si tantundem eſt, nemo cogitur juſto precio rem ſuam vendere, *l.* 1. *D. de in lit. jurand. l. non enim* 9. *D. de act. rerum amot.*

CAPUT XI.

Individua conſuetudo. Inſcribere. Praeſcripta verba.

IN definitione nuptiarum, Individuam conſuetudinem exponunt omnes perpetuam & indiſſolubilem, quae dividinequeat, irruptam (ut Horatius vocat) copulam, quam in votis habent nubentes. Tibullus *lib.* 3. *El.* 3.

Digitized by Google

xime eſt conſimilis veſtrum, hi ſe ad vos applicant. Hoc beneficio utrique ab utriſque vero devincimini, Ut nunquam ulla amori veſtro incidere poſſit calamitas. Et male, meo judicio, omnes. Si enim perpetuam conjunctionem Romuleis temporibus ad ſexcentos usque annos conjugia habuerunt, donec primum a Sp. Carvilio factum eſt divortium, ab Anno U. C. DXXIII. habere certe deſierunt, ex quo matrimonia tot ex cauſis bona malaque gratia divortiis diſſolvi poſſe coeperunt. Denique individua conjunctio non eſt, quae ulla ratione, vivente utroque conjugum, diſſolvi poteſt: ſed conſuetudo in definitione eſt, non conjunctio. Eſt igitur individua conſuetudo nil aliud, quam aſſidua, quotidiana & domeſtica converſatio. Tertullianus *ad uxor. convictum & individuum uſum* vocat. Modeſtinus *conſortium omnis vitae*, in *l. 1. D. de ritu nupt.* Paulus *ſocietatem vitae*, in *l. 1. D. rer. amot.* Uxor ſocia eſt totius vitae; concubina lecti ſocia, non totius vitae. Quam vitae aſſiduam ſocietatem & illa formula ſignificat: *Ubi tu Cajus, ego Caja.* Et de hac Lactantius ita loquitur *lib. 3. de falſ. ſapient. cap. 21. Quis aut vir mulierem, aut mulier virum diliget, niſi habitaverint ſemper una? niſi devota mens & ſervata invicem fides individuam fecerit charitatem?* Conjunx igitur conjugi comes individuus, quod quaſi lateri ſemper haereat, ut *Dux militi teſtis geſtorum individuus* apud Marcellinum *lib. 16. cap. 12.* Sic Apulejus *apolog. 1.* ait, *Pontianum individuo contubernio ſecum vixiſſe.* Sic Apoſtolos Chriſto *individua familiaritate conjunctos, & a domino individuos habitos in comitatu, in diſcipulatu, in convictu*, Tertullianus ait.

Inſcribere accuſationis eſt vel occaſionis, inquit Agraetius Grammaticus. Legendum eſt, *vel locationis.* Aedes locaturi vel vendituri titulo affixo inſcribunt & proſcribunt, qua mercede, quibus conditionibus, qua fini ſint eas locuturi. Tibullus *lib. 2. El. 4. vſ. 54. Ite ſub imperium ſub titulumque lares.* Terentius *Heautont. Act. 1. ſc. 1. vſ. 92. Inſcripſi illico aedes mercede.* Plin. *lib. 7. Epiſt. 27. Proſcribebatur tamen domus, ſeu quis emere, ſeu conducere ignarus tanti mali vellet.* Plautus *Trinummo Act. 1. ſc. 1. vſ. 131. Aedes venales haſce inſcribit literis*, & hinc illae notae ſingulares apud P. Diaconum ÆD. IN. M. aedes inſcriptae mercede. Quo pertinet etiam, quod aedibus pignoratis ſive oppoſitis tituli affigi ſolebant, quibus illarum aedium vel praediorum hypotheca ſignificabatur, quae tabellae ſive tituli ὅροι a Menandro & Demoſthene dicuntur, & apud Suidam: & Heſychius cum explicat, quid ſit ἐν λευκώμασιν, ait, moris eſſe praedia venalia proſcribere, ἐν σανίσι λελευκωμέναις, ἐν πυξίοις κεχρισμένοις λευκῇ γῇ, in tabellis argilla vel creta dealbatis. Fere eodem more, quo & mancipia venalia cretatis pedibus in cataſta proſtitui ſolebant.

Praeſcripta verba, id eſt, contractus illos innominatos, eadem forma dici puto, qua lex contractus, lex placiti. Jul. Solinus: *Denſiſſima hic populorum frequentia cum Parthis legem placiti ab exordio moris incorrupta cuſtodit diſciplina.* Quod ſcilicet contrahentibus praeſcribant normam & rationem negotii, ſecundum quam fidem quisque pro ſua parte implere debeat, quodque legem dent contrahentibus: Legis enim eſt praeſcribere. Vel, quod ea contrahentes ſibi ipſis praeſcribant, aut proſcribant; ut loquitur *l. 71. in princ. D. pro ſocio l. 1. §. 10. D. depoſ.* Pleroſque enim contractus atque adeo conventione in ſcriptum redigere veteres ſolebant, Seneca *lib. 3. de benefic. cap. 15. Utinam nulla ſtipulatio emptorem ven-*dam ſatis nove) perſcriptis. Porro *d. §. 10.* manifeſta ſeparatur id, quod proſcriptum habuerunt, ab eo, quod convenit, ſcilicet pacto incontinenti adjecto; id eſt, negotium, ex quo praeſcriptis verbis naſcitur actio, ſeparatur a lege contractus. Et neutro id caveri poſſe ſubjicit, *ne dolus praeſtetur.*

CAPUT XII.

Qui ſint Ulpiano, quos ſervorum loco habemus; & de mercenariis.

OBſcurum videtur, qui ſint apud Ulpianum in *l. 1. §. familiae 18. D. de vi & vi arm.* & in *l. 4. in princ. D. de uſu & habitat. Hi, quos ſervorum loco in operis habemus:* aliis libertos interpretantibus, qui operas patrono praeſtant; aliis mercenariis. Quae quidem poſterior opinio non inelegans eſt. *Servus enim, ut Chryſippo placet, perpetuus mercenarius eſt*, apud Senecam *lib. 3. de benefic. cap. 22.* verſa igitur vice mercenarius ſervus temporalis vel momentaneus dici poterit. Sed neutra opinio vera eſt. Nam in *d. l. 1. §. familiae* 18. *hi quos ſervorum loco in operis habemus*, ſi eſſent liberti; eſſent etiam liberti in *d. l. 4.* quae ejuſdem Ulpiani eſt. At in hac non ſunt liberti: nam de libertis jam dictum erat, *l. 2. §. 1. eod.* Nec igitur in illa. Rurſus ſi in *hac l. 4.* eſſent mercenarii; eſſent & in illa. Atquin ibi non ſunt mercenarii: horum enim paulo poſt meminit *§. ſi filiusfam.* 20. Nec ergo in hac. Bona fide poſſeſſi ſervi aut liberi ſunt hi, quos ſervorum loco & numero habemus, quos ut ſervos tractamus, iisdemque operis occupamus, quibus ſervos optimo jure noſtros. Ideoque ſi hi dejecerint, non minus ac ſi vernae fuiſſent, directo in poſſeſſorem dabitur interdictum de vi & vi armata. Si mercenarii dejecerunt, quia hi liberi homines ſunt & pro liberis habentur, utile tantum dabitur interdictum, ſicut ſi filiusfam. dejeciſſet; qui duo junguntur in *d. §. familiae* 18. Atque ita liberi homines, quos bona fide ut ſervos poſſidemus, ſervorum interea loco ſunt, *arg. l. qui ſtatus* 8. *D. de re mil.* ut e contrario ſervi, cum pro liberis ſe gerunt, tunc quodammodo libertorum ſunt loco, *l. 15 §. interdum 45. D. de injur.* Dominorum etiam loco ſunt tutores & curatores ſervis pupillaribus, *l. ad ea 157. D. de reg. jur.* Et rurſus ſervorum loco ſunt etiam fugitivi, qui operas ſuas locaverunt, ut paſcerentur, ut *l. 6. §. 1. D. ad leg. Fab. de plagiar.* Hi non ſervi, ſed ſervorum ſunt loco: & qui eos detinet, non dominus horum, ac ne fur quidem eorum dicitur, vel plagiarius, ſed ſuppreſſor, *d. l. 6.* quia operarum tantum gratia eos detinet, non intervertendi animo: ut adoleſcens, qui ſcortum libidinis cauſa, & (ut ita loquar) comprimendi cauſa ſupprimit, *l. verum 39. D. de furt.* Porro ſunt aliae differentiae inter ſervos & mercenarios. Mercenarios appello operarios; qui diurnas operas pro mercede & cibariis locant, nec totius alicujus operis ſunt redemptores; caementarios puta, legulos, vindemiatores, meſſores, frondatores, penatores, & alios. His quia (ut Horatius ait *epiſtol. 1. lib. 1. v. 21.*) *dies longa videtur opus debentibus*; negari non poteſt, ne quibusdam horis meridianis, donec aeſtus ſe fregerit, ſanitatis cauſa quieſcant, exemplo libertorum operas praeſtantium, *l. medicus 26. D. de oper. libert.* Theocritus *Idyllio* 10. *v.* 50.

Ἄρχεσθαι δ' ἀμῶντας ἐγειρομένω κορυδαλλῶ,
Καὶ λήγειν εὕδοντος, ἐλινῦσαι δὲ τὸ καῦμα.

& *Idyll. 7. v. 22.*

Ἁνίκα δὴ καὶ σαῦρος ἐφ' αἱμασιαῖσι καθεύδει,
Οὐδ' ἐπιτυμβίδιοι κορυδαλλίδες ἠλαίνοντι,

At

mire quidem famulis permittebat, ſed diverſis operis & laboribus occupabat: quem cum ipſe Gellias viciſſim Agrigenti hoſpitio excepiſſet, convocatis ſervorum ſuorum pueris (qui permulti erant) nuces & caryoas diſtribuit, & interrogante hoſpite, unde tot pueri: Haec ſunt, dixit, quae famuli mei nocte faciunt. Adeo juxta proverbium *ὁ χολὴ δοῦλοις.*

CAPUT XIII.

Papinianus ab Ulpiano inique notatus in l. 20. D. de minorib.

Praeſtitutus olim erat reſtitutioni minorum, ut & aliia reſtitutionibus, annus utilis a principio viceſimi ſexti anni computandus, cujus adhuc multa mentio eſt in *Titulo D. de minoribus*, quam nec Tribonianus, poſtquam licet ejus Princeps annum utilem in quadriennium continuum mutaſſet, *l. ult. Cod. de tempor. in integr. reſtit.* ſemper expungere curavit. Minor igitur exul factus, id eſt, relegatus aut deportatus eſt (Aetas enim a poenis non excuſat, nec reſtitutionem impetrat in delictis, *l. 37. D. de minor.*) &, dum in exilio eſt, major factus eſt, & annus inſuper, reſtitutioni praeſtitutus, elapſus eſt; deinde in urbem reverſus eſt. Reverti potuit, ſive principali indulgentia revocaretur, ſive ad tempus tantum in breves (ut ille ait) Gyaros relegatus fuiſſet; quo caſu nec civitatem amiſit. Quaeſitum eſt ex Papiniano, an annus ei ſit prorogandus. Qui cum utilis ſit, id eſt, his currat, qui ſciunt & experiundi copiam habent, huic reſtituendus videbatur, quia abſuit. *Quia abſuit*, inquit, id eſt, hoc praetextu, hac cauſatione, quia abſuit. Negat autem Papinianus, eo colore annum prorogatum iri, qui non potuit non utilis eſſe: cum exul potuerit Praetorem omnino in urbe adire & reſtitutionem petere aut ſaltem conteſtari, ſi non per ſe, certe per procuratorem vel amicum; ut idem Ulpianus ſimili argumento in *l. 8 D. de pollicit.* ſcribit: Etſi adverſa fortuna, is, qui civitati opus promiſerat, uſus a praefecto in triennium relegatus ſit, tamen gratiam muneris minuere non debere, cum & abſens per amicum perficere opus iſtud potuerit. Atque ita edictum de minoribus ei nihil proficere. Sed neque ex altero capite edicti: *ex quibus cauſis major.* ſubventum ei iri, tanquam qui abſuit. Indignum enim eſſe, qui propter irrogatam poenam impetret veniam, quae his demum, qui honeſta ex cuuſa, Reipublicae ſcilicet, peregre fuerunt, conceditur: *propter poenam*, inquit, id eſt, abſentiam poenae cauſa. Si honeſta ex cauſa, ut legationis vel militiae abſuiſſet, non cucurriſſet ei ſpacium annale, durante abſentia, *l. 1. 2. 3. 4. C. de temp. in integr. reſtitut.* facile igitur ei prorogaretur, poſtquam munere perfunctus in urbem rediit. Nnn item propter poenalem abſentiam, quam alicui prodeſſe abſurdum fuerit. Quemadmodum alibi Ulpianus ſcribit: In metallum datum ſi in integrum reſtitutus ſit, non opponere fortunam & caſus triſtiores ſuos ad hoc ſolum, ne patriae civis idoneus eſſe videatur, *l. 3. §. 2. D. de muner. & honor.* Hanc fuiſſe Papiniani ſententiam aſſentior clariſſimo & longe doctiſſimo viro, Julio Pacio Bericae, qui hoc a ſe obſervatum mihi pro autem: *Indignum eſſe propter irrogatam poenam*, ideo Papinianum adduxiſſe ratus, ut hanc etiam ob cauſam, ne minori quidem ſuccurrendum confirmaret, non recte dictum arguit: *Quid enim commune habeat* (inquit) *delictum cum venia aetatis?* quaſi dicat: Quare delictum, quod jam luerat, minori nocere debeat in re, a delicto remota? Sane modum eſſe debere poenarum, & odiis non pergendum ulterius: nec (ut alibi Imperatores dicunt) exaggerandam ſententiam, quae modum interdictioni fecit, *l. Imperator* 8. *D. de poſtul. l. 3. §. 1. in fine. D. de decur. l. 3. C. ex quib. cauſ. infam.* & ut Naſo *lib. 2. de arte Am. v. 25.*

Sit modus exilio, dixit, juſtiſſime Minos.

Papinianus non propter delictum ſcripſerat, ſed propter poenam: nec tam ad indignitatem delicti (ut Ulpianus putabat) quam ſententiae poenalis tenorem reſpexit, quae abſentem fecerat eum, de quo agebatur. Ejusque mentem ſi Ulpianus percepiſſet, ita ſcribere debuiſſet: *& recte, quid enim commune habet delictum cum honeſta abſentia, quae patriae cauſa ſuſcipitur?* Et vero nihil habet. Vah; quo non provehit reprehendendi libido indomita!

CAPUT XIV.

Monetae ſive nummi definitio expoſita, & de numulariis.

Placet definitio monetae apud Paulum *l. 1. D. de contr. empt. Materia forma publica percuſſa, uſum dominiumque ex quantitate magis praebens, quam ſubſtantia.* Forma publica eſt, quae impoſita eſt a triumviria aeri, argento, auro flando, feriundo; aliisve magiſtratibus monetalibus, jam inde lege XII. Tabularum creatis: *minores magiſtratus aes, argentum, aurum publice ſignanto*; aut, poſtquam majeſtas imperiumque a populo in principem tranſlata eſt, a principe ipſo; quae auctoritatem nummo tribuit: nam privata forma quae eſt, adulterinam eſſe neceſſe eſt. Denique forma publica eſt iconium publicum, quod habetur & exercetur in officina monetaque publica vel palatina, *l. 6 §. qui cum in moneta* 2. *D. ad leg. Jul. pecul.* nam & ipſa officina vocatur *moneta* ibi, & in *l. 2. C. de fal. mon. l. 3. & 6. C. Th. eod.* quamvis moneta proprie ſit ipſe character & ſphragiſterium, quo numus inſignitur. Tota enim monetae faciendae ratio haec eſt, ut primo ipſum metallum ignibus excoctum & temperatum (flare id vocamus; Plinius, proflare) praeparetur: deinde in lamellas aequales concidatur, quae *κέρματα* dicuntur: tum denique iconio & typario percutiatur & ſignetur. Quae omnia eleganter, licet non ſuo ordine, expreſſit Lucanus *lib. 6. v. 402.*

Primus Theſſalicae rector telluris Ionos
In formam calidae percuſſit pondera maſſae,
Fudit, & argentum flammis, aurumque moneta
Fregit, & immenſis coxit fornacibus aera.

Quinimo etiam pleraque vetera numiſmata, aenea praeſertim illa magna & extantia (quae Metallias & Metalliones vulgo vocant) primum quidem, liquefacto metallo, typis formisque infuſa & rudiori minerva formata; deinde demum incudi reddita, & iconio ferreo ſive chalybeo incuſo & adacto ſignata, nec aliter tam craſſa & extantia ita accura-

te

Digitized by Google

nis ſervatum fuiſſe, animadvertere licet. Adulterinorum enim (ut & de his aliquid addam) etiam olim nimium quam multum paſſim ſubinde irrepebat nummorum, adeo ut vel hodie plurimi falſi & mendoſi, etiam inter antiquae notae argenteos aureosque nummos inveniantur, qui, cum extrinſecus ſpeciem aliquam prae ſe ferant, intus tamen aenei & ſic ſuppoſititii deprehendantur, ut artis non exiguae eſſet eos poſſe diſcernere. Plinius *lib.* 33 *cap.* 9. *Miſcetur aeri falſae monetae, Alii e pondere ſubtrahunt, cum juſtum ſit 74. e libris ſignari. Igitur ars facta denarios probare. Mirumque in hac artium ſola vitia diſcuntur, & falſum denarii ſpectatur exemplar, pluribusque veris denariis adulterinus emitur.* Et hinc tam frequens adulterinorum nummorum in jure & alibi mentio, *l.* 13. *C. Th. de ſuſceptor. praepoſ. Non ſolidi, pro quibus adulterini ſaepe ſubduntur.* Hi non materia tantum deteriores erant probis, quippe ea ipſa re compendium falſariis illis quaerentibus: ſed nec forma tam bona, cum plerique flarentur tantum & funderentur ad imitationem verorum, non etiam ferirentur, quippe quod iconium & forma falſariis deeſſet. Ulpianus *l.* 9. *D. ad leg. Cornel. de falſ. Qui argenteos nummos adulterinos flaverit.* Idem *fingere* vocat hoc, quod dico, *l.* 8. *eod.* Imperator Conſtantinus, *l.* 2. *C. de falſ. mon. Si quis nummos falſa fuſione formaverit.* Et hinc flaturarii vocantur hominum genus illud flandae monetae operatum, *l.* 6. *C. Th. de falſ. mon.* Licet nonnulli & percuterent, *l.* 19. *D. eod. Qui falſam monetam percuſſerint, ſi in totum formare noluerunt, ſuffragio juſtae poenitentiae abſolvuntur.* Ea autem nummi forma, ex quo (ut dixi) in principem omnis poteſtas tranſlata eſt, vultum fere principis habet cum inſcriptione, ut ſtante Republica conſulum nomina, non tamen vultus, ſed Romae plerunque galeatae alteriusve, pro arbitrio numinis. Idque ita perpetuum eſt, ut non alio melius e re nata argumento Phariſaeorum rebelles Romanis animos damnare Dominus potuerit, quam ex ipſo denario, cenſui debito, habente Tiberii Caeſaris εἰκόνα καὶ ἐπιγραφὴν (Matth. *c.* 22. *v.* 15-22.)

En Caeſar agnoſcit ſuum
Nomiſma nummis inditum,
Cui nummus omnis ſcribitur.

Unde Juvenalis *Satyr.* 14. *v.* 291. monetam ita definit:

Conciſum argentum in titulos facieſque minutas.

Et *Satyra* 6. *v.* 204.

—— —— —— —— *Cum lance beata*
Dacicus aut ſcripto radiat Germanicus auro.

Quantitas ea eſt, quam paulo ante dixit aequalitate ſua, quod publicam ac perpetuam aeſtimationem habet, difficultatibus permutationum ſubvenire. Quia rerum nimirum omnium incerta, fluxa & variabilis eſt aeſtimatio, ut Plato inquit: Τὰς μὲν χρείας ἕνεκα τῆς καὶ καιρῷ, καὶ νόμῳ καὶ ἡδοναῖς καὶ ἔθεσι καὶ τύχαις ἄνω καὶ κάτω εἰς τὴν τιμὴν καὶ ἀξίαν μεταβαλλομένας. Nummi perpetua, adeo ut omnibus rebus venalibus poſſit adaequari ſemper commodiſſime: omnes enim res pecunia aeſtimantur, *l. penult. C. de conſtitut. pecun.* Ideo nummum uſum dominiumque ex quantitate ait praebere magis, quam ex ſubſtantia. Res caeteras ex ſubſtantia, non quantitate; quia quantitas & valor earum perpetuus non eſt: ſed (ut Tullius loquitur) pretia earum ſaepe jacent. Nummi pretium eſt perpetuum, ut ejusdem ponderis nummi eodem ſemper valore cenſeantur, aequalitate quadam admirabili, etiam ſi di-

quae cum liberto Anni Plocami capta fuerat, quod tametſi ſignatu diſparibus foret vultibus, parem tamen haberet modum ponderis. Cujus aequalitatis contemplatione Romanam amicitiam flagrantius concupivit. Et quam aliquando Nicephorus Phocas, quod contra legem moremque majorum violaſſet, tetartero excogitato, non parum ſubditis incommodaſſe ſcribitur: Νόμισμα καὶ ἴδιον, inquit Cedrenus, ὄντων, πάντα χαρακτῆρα βασιλέων, εἰ μὴ τῷ σταθμῷ ἠλαττοῦτο, δύναμιν εἰσφέρειν καὶ ἔχειν ἰσότιμον, ὁ δὲ ἑαυτοῦ τεταρτηρὸν ἐπιμηχανησάμενος ὑποβεβλήκας τὸ τῶν ἄλλων. Ἐξ ἧς αἰτίας οὐ μικρῶς ἔθλιψε τὸ ὑπήκοον ἐν ταῖς λογισμέναις ἀλλαγαῖς. Et hoc vult ipſa monetae effigies, quae eadem plane figura pingitur, qua aequitas, cum bilance & cornucopiae, in nummis Hadriani, Domitiani, Diocletiani, Conſtantis; & in nummis Probi & Criſpi Imperatorum tres tales divae effictae cernuntur, tria (ut puto) monetae genera ex auro, argento, aere flando feriundo ſignificantes, ſingulae cum bilance & cornu Amaltheae; quorum hoc ſignificat, nummo omnia eſſe parabilia: illa aequalitatem illam cudendae monetae; ut ejusdem generis & gradus nummi eodem pondere ad amuſſim cudantur; qui ejusdem ponderis ſunt, eodem valore perpetuo cenſeantur. Porro quae circa nummum oriuntur dubietates; puta, quanti ſit nummus aut ſolidus aliquis, probusne an vero dubius ſive ſuſpectus: itemque ponderisne ſit legitimi, an vero maligni; an (puta) arroſus, circumciſus, ſtrictus; & probaene ſpeciei an dubiae; ſive (ut Tertullianus loquitur *lib. de poenit.*) *ne ſcalptus, neve raſus, ne adulter*; maxime vero, cujus auri, an obryzus, an vero inquinatus, aeroſus, ſubaeratus; quod ex ſono deprehenditur: ut Perſius ait *Sat.* 5. *v.* 106.

Si qua ſubaerato mendoſum tinniat auro.

Quae omnia curioſe examinari a quibusdam ſolent, & ut eſt in *Querulo* Plauti: *Etſi nihil ſit tam ſimile, quam ſolidus ſolido, tamen etiam diſtantia quaeritur in auro, vultus, aetas & color, ſoliditas, litteratura, patria & gravitas, ad ſcriptulos quaeritur in auro plus, quam in homine.* Haec (inquam) a nullo melius, quam a nummulariis, ſive argentariis expediuntur, quos uſus longus tractandarum & permutandarum pecuniarum ita erudivit, ut auri, argenti, aeris qualitatem ſoli bene noſſe exiſtimentur, & falſos a veris tam facile diſcernerent, quam alii, quid diſtent aera Lupinis. Qua de cauſa ad eos frequenter adeunt, qui de talibus ambigunt. Ideoque in ipſis ejus rei peritia exigitur exquiſita. Theocritus *Idyllio* 12. *v.* 35.

Ἦ πιστὸν χάριν Γανυμήδεα πάλιν ἐπιβωστρεῖ
Λυδίῃ ἴσον ἔχειν πέτρῃ στόμα, χρυσὸν ὁποίᾳ
Πεύθονται μὴ φαῦλον, ἐτήτυμον, ἀργυραμοιβοί.

Ariſtoteles *lib.* 1. *Rhetoricor. capite* 15. cum ait, judicem menſulario ſimilem eſſe debere, ὥσπερ (inquit) ἀργυρογνώμων ὁ κριτής ἐστιν, ὅπως διακρίνῃ τὸ κίβδηλον δίκαιον καὶ τὸ ἀληθές. cum geminus Philo Judaeus *Libr. de judice*: Ὁ δικάζων εἰσιών, καθάπερ ἀργυραμοιβὸς ἀγαθός, διαιρείτω καὶ διακρινέτω τὰς φύσεις τῶν πραγμάτων, ἵνα μὴ φύρηται συγχεόμενα τοῖς παρασήμοις τὰ δόκιμα. Tyrius Maximus *Sermone* 8. Ὥσπερ οἱ τοὺς ἀργυρογνώμονας ἐξετάζοντες ἤδη, ὁπότερος αὐτῶν γνωριστικὸς τοῦ δοκίμου καὶ μή, τὸν μὲν περὶ τοῦ δοκίμου τὸ φαινόμενον ἀσπαζόμενον πόρρω πάνυ εἰθέμεν τῆς τέχνης. τὸν δὲ τ' ἀληθῆ αὐτὰ γνωρίζοντα τοῦ δὲ καὶ συνιέναι αὐτῆς. Luc. *in Paraſito*: ἡ δὲ μὲν ἀργυρογνώμονα τέχνην τινὰ φέρομεν ἔχειν, εἴπερ ἐπίσταιτο διαγι-
γνώσ-

Digitized by Google

rent quenquam, *l. 2. C. de ponderatu.* & *C. Theod. eod.*

CAPUT XV.

Transactionum cauſae; & l. 2. C. de tranſact. *expoſita & emendata.*

SI non eſſent inficiatores & negibundi debitores, moratores, tricones; ſed mallent prima (ut Juſtinianus loquitur, *l. ult. C. depoſ.*) fronte ſolvere, vel reſtituere quod debent, vel detinent, & audirent Martialem *lib. 2. epig. 13.*

Et judex petit, & petit patronus,
Solvas cenſeo, Sexte, creditori:

non eſſent lites & controverſiae. Et, litium niſi eſſet alea anceps, nimiumque moleſta proſequutio; non fierent tranſactiones, nec actor quieſceret aut regrederetur controverſia, antequam ſuum recepiſſet. Rurſus, niſi eſſent calumnioſi & effrontes petitores, non eſſent lites. Et, niſi nulla ita eſſet calumnioſa actio, quam non aut ſuppoſita inſtrumenta, aut corrupti teſtes, aut ſordidus ambitioſusve judex aliquando adminiculetur; non fierent tranſactiones, ſed nemo ſe pateretur emungi indebito. Sed illa ſunt omnia: ideoque ad tranſactiones frequenter decurritur. Nam qui cum malae fidei reo ſibi rem eſſe videt, ſaepe mavult ejus, quod petit, partem ἄνευ ξυνᾶς (ut Pindarus loquitur) ἀνίας accipere (quod eſt decidere) quam de toto periclitari cum moleſtia: denique ſatius putat, modico praeſente contentum eſſe; ut eſt in *l. 8. D. de tranſact.* quam toto diutius ſub ſpe incerta & longo ſufflamine litis carere; quia (ut Claudianus ait *2. in Eutrop. v. 50.*)

——— ——— ——— Omne futurum
Deſpicitur, ſuadentque brevem praeſentia fructum.

Et cui lis movetur, ſaepe mavult aliquo dato ſe liberare, & (quod pie monet D. Auguſtinus *Serm. 26. de verb. Apoſt.*) tempus ſibi periturum redimere, potiusque de ſuo aliquid amittere, ut quietem emat, quam conjunctis cum ſimultate & inquietudine litibus vexari: aut eas mavult etiam antevertere, ſi extimeſcat. Quemadmodum enim, ut tranſactio dicatur, exigitur dubium aliquid & incertum litis fuiſſe, *l. 1. D. de tranſact.* ita etiam timorem litis fuiſſe ſufficit, *l. in ſumma 65. §. 1. D. de condict. indeb.* Et qui cum litem ſperaret, ejus avertendae cauſa aliquid promiſerit aut dederit, neque ſine cauſa promiſiſſe, neque ſine cauſa aut indebitum dediſſe videtur, ſed ejus nomine ex ſtipulatu convenietur, & indebiti condictionem minime habebit. Quare non hoc enim integro negotio tractabat? cur malebat cedere, quam experiri, ſi aliqua erat fiducia juris ſui, *l. 23. C. de tranſact.* Haec eſt ſententia *l. 2. C. eod.* in quam fiſci mentio, neſcio quomodo, irrepſerit & explicari poſſit: & valde probo conjecturam eruditiſſimi, mihique peramici viri, P. Corn. Brederodii, pro *fiſco* reſtituendum *illico* in hunc modum: *Ex qua cauſa ſi illico ſolviſſes, repetere non poſſes; & ſi non ſolviſſes, tamen jure convenireris;* cui concinit *dict. l. 23.*

CAPUT XVI.

Paradoxa tria circa definitionem tranſactionis, mutui & contractus.

TRanſigimus aliquo dato, retento vel promiſſo, *l. 38. C. de tranſact. l. 3. C. de repud. hered.* aliquo ſcilicet modico; & hinc decidendi verbum, *l. 67. D. de ſolut.* cui oppoſitum eſt paciſci, quod immodet, paciſci dicitur: mox cum partem mercium ultro deferet, ut reliqua ſervet, decidet. Juvenalis *ſat. 12. v. 30. ſeqq.*

Cum plenus fluctu medius foret alveus, & jam
Alternum puppis latus evertentibus undis
Arboris incertae, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem, decidere jactu
Coepit cum ventis, imitatus Caſtora.

Seneca *conſol. ad Polybiam cap. 30. Pro omnium bonorum ſalute, hac tecum portione Fortuna decidit.* Porro tribus illis, τῷ δοθῆναι, παρακατασχεθῆναι, ἐπαγγελθῆναι addit Harmenopulus, τὸ ὁμολογηθῆναι; quod ita interpretor: Sic, cum duas de duabus rebus actiones dubias cum aliquo habeam, & unam intentaverim, ille ex altera liquido ſe profiteatur mihi debere, ut hanc miſſam faciam: quod nihil aliud eſt, quam promittere vel conſtituere. Ego etiam RETENTO omiſerim & dixerim, tum tranſactum videri, cum ut a lite deſiſtatur, datum aut promiſſum quid eſt. Et datum etiam videri, quod retinetur ab actore; quia brevi manu datum id dicitur, *l. 15. D. de reb. cred.*

Et ſimiliter quod mutuum iis in rebus conſiſtere vulgo traditur, quae pondere, numero, menſura conſtant; neque verius neque compendioſius eſt eo, quod dicere ſoleo: In mutuum ea cadere, quae adnumerantur. Adnumerari autem vel ipſa corpora, ut nummorum; vel menſuras, ut ulnarum, modiorum; vel pondera, ut libras. Numos numero (unde & dicuntur) cenſeri certum eſt, & prodigioſae opulentiae eſt pecunias metiri. Horatius *lib. 1. Serm. ecl. 1. v. 95.*

Humidius quidam (non longa eſt fabula) dives
Ut metiretur nummos, ita ſordidus, &c.

Petronius Arbiter *Satyrico cap. 37. Uxor Trimalcionis Fortunata appellatur, quae numos modio metitur.* Quod hyperbolice dictum videtur, ut in nummis ambulare vel verſari, qua figura Tullius utitur *pro Roſcio Com. cap. 8. Debebat? Immo in ſuis nummis verſabatur.* Sed & caetera (aes puta aurumque rude, oleum, vinum, legumina, panni, carnes) admetiuntur adpenduntuque quidem; ſed eorum menſura pondusque ad numerum datur, venditur, ſolvitur, redditur. Ut non male Cicero dixerit *Offic. lib. 3. cap. 12. Si exempli gratia vir bonus Alexandriâ Rhodum magnum frumenti numerum advexerit;* quod etiam Nonius notare curae habuit. Et vinum, quod ad menſuram vendi dicitur, *l. 1. §. 1. D. de peric. & com. rei vend.* ſi propius conſideres, ad numerum venditur. Numerum autem habeo etiam ſingularem ſeu unitatis. Unitas enim ſi non numerus, certe numeri tanquam telae initium eſt & exordium, ut digitus menſurae; Harmenopulus: ὁ δάκτυλος πρῶτός ἐστιν, ὥσπερ καὶ ἡ μονὰς τῶ ἀριθμῶν.

Quod ſi auſim dicere, nullum dari poſſe contractum μονόπλευρον; & alterum (ſtipulatorem puta) ſi non ad praeſtandum, ad accipiendum certe teneri: cum nemo liberetur ingratis, niſi creditori ſit ſatisfactum, *l. 39. D. de neg. geſt. l. 45. eod. l. 25. §. 19. D. de petit. hered. l. 31. eod.* ut non otioſe Theſpiro ſe videatur obſtringere apud Plautum *Epidico Act. 1. Sc. 1. v. 6.* Ep. *coena tibi dabitur.* Th. *Spondeo.* Ep. *quid?* Th. *me accepturum ſi dabis.* Sed & (quod majoris eſt momenti) creditor, cui ſatisfactum eſt, ut ad pignoris reſtitutionem vindicatione aut pigneratitia, ita vel ad ſyngraphae redditionem tenetur condictione (ut puto) ſine cauſa: aut ad apochae dationem acceptilationemve condictione (ut opinor) incerti; ſi

nitio: *Contractus eſt ultro citroque obligatio*, *l. Labeo* 19. *D. de verb. ſignific.*

CAPUT XVII.

L. 38. §. Qui abortionis 5. D. de poen. *illuſtratur. De abortivis.*

Paulus libr. v. ſentent. ſcribit: *Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etſi dolo non faciant: tamen, quia mali exempli res eſt, humiliores in metallum, honeſtiores in Inſulam amiſſa parte bonorum relegantur*, *l.* 38. §. *qui abortionis* 5. *D. de poen.* Duplex poculum proponit mali exempli, amatorium & abortivum; quibus addi poſſet & tertium, Odii poculum, quod amatori pauperi & intempeſtivo meretrix dediſſe proponitur apud Quintilianum *declam* 15. *& ſeq.* Sed cum de duplici poculo propoſuiſſet, abortivo & philtro, non reſpicit tamen (mea ſententia) niſi ad abortivum, cum ſubjicit: *Quod ſi eo mulier aut homo perierit, ſummo ſupplicio adficiuntur.* Philtro enim, qui ingurgitatus eſt, non ſolet emori (niſi forte aliud pro alio datum ſit) ſed ad furorem adigi aut inebriari ad animi impotentiam & impatientiam; quod genus eſt furoris. Uti apud Achillem Tatium *lib.* 4 Gorgias, miles Aegyptius, veneficiis deditus cum Leucippae amatoriam potionem comparaſſet, caſus tulit, ut valentiore imprudens pharmaco uſus pro amante inſanam redderet. Unde Naſo *lib.* 2. *de arte am. v.* 105.

Nec data profuerint pallentia philtra puellis;
Philtra nocent animis vimque furoris habent.

Ex abortivis autem quam facile mortis periculum inferri poſſit, Idem *lib.* 2. *amor. eleg.* 14. *v.* 37. monet:

At tenerae faciunt, ſed non impune puellae:
Saepe ſuos utero quae necat, ipſa perit.
Ipſa perit, ferturque rogo reſoluta capillos:
Et merito clamant, qui modo cumque vident.

Non videtur igitur homo pro mare hoc loco accipi poſſe, ut ad eum amatorium poculum referatur. Quae tamen ſtrictior ſignificatio hominis non eſt nova, & illa ejusdem Pauli ſententia *eod. tit.* ſumme adjuvatur: *Qui hominem invitum libidinis aut promercii cauſa caſtraverit, caſtrandumve curaverit, ſive is ſervus, ſive liber ſit, capite punitur.* Itaque facile adducor, ut hominem hoc loco pro foetu concepto ſive ventre accipiam potius, ut Juvenal. *Satyra* 6. *v.* 595.

Tantum artes hujus, tantum medicamina poſſunt,
Quae ſteriles facit, atque homines in ventre necandos.

Etſi vere is homo non ſit, antequam in rebus humanis eſſe coeperit; nec homo proprie dicatur, *l.* 9. §. 1. *D. ad leg. Falcid.* quin nec animal ex Stoicorum ſententia, & Empedoclis, Diogenis, Herophili: ſed pars ventris, ut fructus pars arboris, donec ſeparentur. Unde & a Jureconſultis *venter* dicitur, & antequam edatur, mulieris vel viſcerum ejus portio, *l.* 1. §. 1. *D. de ventr. inſpic.* Plutarch *lib.* 5. *de placit. philoſoph. cap.* 15. Οἱ Στωικοὶ μέρος εἶναι τὸ ἔμβρυον τῆς γαστρὸς οὐ ζῶον· ὥσπερ γὰρ τοὺς καρποὺς μέρη τῶν φυτῶν ὄντας πεπανομένους ἀπορρεῖν οὕτω καὶ τὸ ἔμβρυον. Ἡρόφιλος κίνησιν ἀπολείπει φυσικὴν τοῖς ἐμβρύοις οὐ πνευματικήν, τῆς δὲ κινήσεως αἰτίαν νεῦρα. Τότε δὲ ζῶα γίνεσθαι, ὅταν προχυθέντα προσλάβῃ τι τοῦ ἀέρος. Sed Chriſtianorum alia eſt ſententia, ventrem nimirum animal eſſe, ejusque curam a Deo geri. Athenagoras *in Apologia pro Chriſtianis:* Καὶ οἱ τὰς τοῖς ἀμβλωθριδίοις χρωμένας ἀνδροφονεῖν τε καὶ λόγον ὑφέξειν τοῖς ἐξαμβλώσεσι τῷ Θεῷ φάμεν, κατὰ ποῖον ἀνδροφονοῦμεν λόγον; οὐ γὰρ ἔστι τοῦ αὐτοῦ νομίζειν μὲν καὶ τὸ ἐν γαστρὶ ζῶον εἶναι, καὶ διὰ τοῦτο αὐτοῦ μέλειν τῷ Θεῷ, καὶ παρεληλυθότα εἰς τὸν βίον φονεύειν. καὶ μὴ ἐκτιθέναι μὲν τὸ γεννηθέν, ὡς τῶν ἐκτιθέντων τεκνοκτο-
νούντων, antequam pariant. Tertullianus *Apologetico:* *Nobis vero homicidio ſemel interdicto etiam conceptum utero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſolvere non licet. Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci: nec refert natam quis eripiat, animam an naſcentem diſturbet. Homo eſt & qui eſt futurus, & fructus hominis jam in ſemine eſt.* Et *exhort. ad caſtit.* *Puto nobis non licere naſcentem necare, quam & natum.* Cum quibus etiam ſentit divinus Plato & Jove judicat aequo: ζῶον τὸ ἔμβρυον· καὶ γὰρ κινεῖσθαι ἐν τῇ γαστρί, καὶ τρέφεσθαι; *animal eſſe fœtum in utero: moveri etenim in eo & nutriri.* Quae cum ita ſint, bene conſtitutum eſt, ut ex ventu creſcat poena, ſi mulier ex abortivo & abortiendi niſu perierit, aut mortuum excreverit, ſive alius ei id dederit, ſive ipſa ſumſerit: adeo ut ultimo ſupplicio afficiatur; cujus rei exemplum eſt in oratione Ciceronis pro Cluentio, quod refertur, *l. Cicero* 39. *D. de poen.* Si nimirum ex leviſſima cauſſa hoc fecerit; ut Seneca *ad Helviam* teſtatur, multas feminas facere ſolitas, ad ſolum formae detrimentum ventrisque rugas vitandas, & (ut Naſo loquitur) *ut careat rugarum crimine venter.* Et Plutarchus *in lib. de valetudine tuenda* memorat, pleraſque mulieres ob ſolam libidinem hoc genere uſas, ut vacuefactae ſtatim rurſus implerentur, pepetuaeque Veneris facultatem haberent. Quae tamen poena mitigatur ad exilium temporale in eam, quae non alia cauſa, quam odio mariti (poſt divortium puta) ne tam inimico marito filium procrearet (ut ibi dicitur) vel ut maritum liberis fraudet, viſceribus ſuis vim intulit, ut *l.* 4. *D. de extra. crimin. l.* 11. §. *inter* 2. *C. de repud. Novel.* 22. *cap.* 16. §. *has itaque* 1. ut apud Ovid. *lib.* 1. *Faſtor. v.* 621.

Mox honor eripitur, matronaque deſtinat omnis
Ingratos nulla prole juvare viros.
Neve diu pareret, ictu temeraria caeco
Viſceribus creſcens excutiebat onus.

Ex quo loco apparet, idem, quod de abortivo diximus, eſſe, ſi alia ratione, quam potione femina uterum inaniverit; ut Hippocrates mulierem, ne gravida maneret, orantem imperaverat ſaltibus concitari: ea ſeptimo die ſemen ejecit cum folliculo, Auctore Macrobio. Non enim hanc minus viſceribus ſuis vim inferre dixerim, quam quae ſalientem & moventem ſe foetum, cum propinqua partitudo ejus appetit, quaſi veneno interimit. Abortivum enim genus veneni eſt. Ovidius *d. eleg.* 14. *v.* 27. *amor.*

Et nondum natis dira venena datis.

Marcellinus *lib.* 16. *cap.* 10. *Quaeſitumque venenum bibere per fraudem illexit, ut quotiescunque concepiſſet, immaturum abjiceret partum.* Quapropter totum hoc genus medicinae diſciplina averſatur; ut hoc ipſum Hippocrates in ſectae ſuae jurejurando caverit: Οὐ δώσω οὐδὲ φάρμακον οὐδενὶ αἰτηθεὶς θανάσιμον· ὁμοίως δὲ οὐδὲ γυναικὶ πεσσὸν φθόριον δώσω. Scribonius Largus: *Hippocrates conditor noſtrae profeſſionis initia diſciplinae ab jurejurando tradidit; in quo ſancitum eſt, ut praegnanti quidem medicamentum, quo conceptum excutitur, aut detur, aut demonſtretur a quoquam medico, longe praeformans animos diſcentium ad humanitatem. Qui enim nefas exiſtimaverit ſpem dubiam hominis laedere, quanto ſceleſtius perfecte jam nato nocere judicabit? Scientia enim ſanandi, non nocendi eſt medicina.* Sed & Galenus librum ſingularem ſcripſit, utrum conceptus foetus ſit animal. In quo id ipſum eſſe probat, tum auctoritate Hippocratis, & tum duobus legum (quas ibi Deorum inventum & donum vocat) capitibus: Primo, quo ei, qui abortus cauſa fuerit, poena infligitur; Altero, quo adire haereditatem nondum natis permittitur. Denique grande nefas & morte piandum

beri, quamdiu praegnans eſt, *l. 3. D. de poen.*

CAPUT XVIII.

Nudum pactum quid; & de tota vi pactorum.

PActum nudum, & pactum conventum idem eſt, quia nihil praeter conventionem habet, nudumque eſt a nomine & cauſa, *l 1. & 7. §. 1. D. de pact. l. 1. §. 2. D. de rer. permut.* Et qui pactum non nudum quaerere laborant, non minus ſunt inepti; quam ſi non conventum quaererent. Proprium pacti eſt esſe nudum. Nec Charites a Poëtis nudae dicuntur, quod ſint aliae amictae: licet non defuerit pictor, qui & veſtitas pingeret, addito Mercurio; ut Seneca refert *lib. 1. de benefic. cap.* 2. Nec malam crucem ſic dicimus, quaſi ſit & bona. Nudum igitur non πρὸς διαςολὴν, ſed κατ' ἐξαίρετον. Ut nuda ratio, quae non parere obligationem aut donationem dicitur, *l. 26. D. de donat.* Conventum eadem forma dicitur, qua compactum, Plautus *Captiv. Act. 3. ſc. 1. v. 29.* plurium nimirum in idem conſenſu & quaſi concurſu, & (ut Ammiano loqui amicum eſt) concentu, qui inde *convenientes* & *convenae* dicuntur. Tertullianus *de patient.* etiam *convenientiam* dixit: *Quis ad Judicem*, ait, *cum adverſario dirigens negotium convenientia ſolvit*; quo *convenientiae* verbo legislator Wiſigothus uti gaudet, *C. de cauſar. exord. lib. 2. tit. 2.* Tullius *pro Ligario cap. 12. quorum voluntates conſpirantes & quaſi conflatae.* Auſonius ſimili imitatione *epiſt.* 10. *Conſponſum foedus* vocat. Unde & *conventio in manum* dicta. Ut igitur vim pactorum expediam brevitate & ratione nova; ſciendum eſt, pactum conventum ſive nudum obligationem & actionem gignere non poſſe, & errare judicem, qui ex pacto dat actionem, *l. 59. §. ult. D. ad SCtum Treb. l. 15. D. de fund. dotal.* Actori, cum is non niſi bene ab omni parte munitus, ad agendum debeat procedere, merito imputari ut vitium ambiguitatis, *l. veterib. 39. D. de pact. l. 99. §. 1. D. de verb. oblig.* ita quod ſtipulatione ſibi non caverit, cum in ejus eſſet poteſtate. In orbe Romano hos demum contrahere videri ſerio, qui ſolenni & ſeria ſtipulatione certam ſibi actionem parare ſtudent. Id demum, quod ea ratione placuerit, apud Romanos (apud quos ſola civili ratione obligatio conſtituitur, ut ait *l. 49. in fin. D. de peculio*) congruum eſſe ſervari. Verba ligare homines. Et juſte recuſari, quod pacto tantum promiſſum eſt, veluti uſurae crediti; non dicam quam honeſte, *l. Quinctus 48. D. mandati.* Fere quod Plautus ait *Aulularia Act. 2. ſc. 2. v. 81. Scio quo pacto ſoleant perplexarier: pactum non pactum eſt; non pactum pactum eſt, cum illis lubet.* Faciliores autem nos eſſe ad liberandum; ideoque pactum omne exceptionem parere, ſi nec dolo nec contra jus uſumque publicum factum ſit: pactum de re privata bona fide pactum, pactum cui ſtandum ſit, ut loquitur *l. 11. §. 2. D. de pigner. act.* pactum juſtum, *l. 95. §. naturalis 4. D. de ſolut. l. 40. in pr. D. de pact.* Exceptionem parere, ſcilicet ſi res ferat & negotii qualitas exceptione poſſit explicari, *l. 11. §. 3. D. de recept. arb. l. 11. §. 1. D. de reb. cred. l. 5. in princ. D. quib. mod. pign. vel. hypoth. ſolv.* parere & replicationem. Ea vero exceptione actionem non tolli, ſed elidi: opponendam igitur eſſe & allegandam, *l. 12. in fin. D. de jur. dot.* per pactum igitur, ut non gignitur actio, ita nec tollitur: niſi ſit legitimum; pu-

aut non multo poſt, uno tenore & contextu; ipſum contractum & actionem ejus format, informat & mutat, *l. 1. §. 6. & 12. l. 34. D. depoſ.* & auget, *l. 5. in fin. D. de naut. foenor.* vel potius judicem informat, *l. 38. D. pro ſocio l. 3. §. ult. l. 13. l. 12. D. comm. divid.* idque adeo quia pars fit ejus contractus, cui in continenti adjungitur; ut non tam ex pacto, quam ex ipſo contractu videatur actio naſci, *l. 74. in princip. D. de evict.* quemadmodum ea, quae, codicillis teſtamento confirmatis, dantur, non tam codicillis, quam ipſo teſtamento data videntur. Unde etiam contractui ineſſe dicitur *d. l. 7. D. de pact. l. 23. C. eod.* Idem non valeret, ſi ex intervallo ſubjungeretur etiam bonae fidei contractui; quia pars ejus dici non poſſet, cui jam perfecto omnibusque numeris abſoluto adderetur. Itaque hoc caſu pactum contractui non ineſſet, neque ad actionem proficeret; praeſertim ſi eo pacto tantum de adminiculis & accidentibus quibusdam contractus, quae ad ipſius naturam & ſubſtantiam proprie non pertinent, & ſine quibus contractus ipſe perfectus eſſe illisque facile carere poteſt (qualia ſunt cautiones, evictiones, redhibitiones) convenerit, *l. pacta 72. D. de contrah. empt.* Quod ſi enim de rebus, ad ipſius contractus naturam ſubſtantiamque pertinentibus, veluti de pretio augendo vel diminuendo aliquid ex intervallo de novo conveniſſet; id non quidem contractui primo ineſſet (qui enim poſſet?) ſed tamen (ut ſubtiliter auctores noſtri loquuntur) quaſi renovato & reformato ipſo contractu (quippe cum ejusmodi contractus, mero conſenſu conſtans, per alium ſimilem conſenſum facilem renovationem recipiat) adhuc efficax eſſet, etiam ad actionem, *d. l. 72. verſ. Paulus.* Imo & ſi ejusmodi pacto ex intervallo facto, de revocando & reſcindendo, ſive in totum, ſive pro parte, primo contractu fuiſſet actum, pactum id quoque valeret, ut actionem ſeu pareret ſeu tolleret, *l. 7. §. adeo autem 6. D. de pact.* Quorum utrumque tamen (ut ibidem traditur) ita demum toleratur, ſi re integra, & antequam ex primo contractu alteruter aliquid praeſtiterit, vel cum aliquid praeſtitum eſſet, re in integrum reſtituta (id enim pro eodem eſt, *l. 58. D. de pact.*) pactum ejusmodi intervenerit: credo, quia tali caſu, cum ex primo contractu res ſecuta nulla eſt, quodammodo in continenti magis, quam ex intervallo pactum interveniſſe videtur. Idem etiam non valeret pactum in contractu ſtricti juris, etiam ſi in continenti adjiceretur, *l. 7 D. de pact. l. 17. eod. l. 11. de reb. cred. l. 99. D. de verbor. oblig.* In his conſenſus tantum non poteſt, quantum verborum ſolennitas aut datio. In contractibus bonae fidei plurimum poteſt bona fides & conſenſus, quem bona fides ſuadet ſervari, *l. 1. D. de pact. l. 1. D. de conſt. pec. l. 20. C. de transact.* Omnes contractus ex conſenſu ſunt bonae fidei. Et pacta igitur ſunt bonae fidei. Conſenſus conſenſui, fides fidei facillime coaleſcit, tam ad obſtringendum, quam liberandum. Et plurimum (ut dixi) poteſt, ſi in continenti contractus & ore (ut ſic dicam) uno protelo, antequam extraneus aliquis actus rerum tenorem turbet, interrumpens, paciſcatur: pactum enim ea ratione connexum fit contractui. Atque ita in continenti cum manumittunt, patroni ſervos ad jurandum aut promittendum operas muneraque adigere ſolent, *l. ult. D. de liberal. cauſa.* & de ſocietate coëunda paciſci, *l. 1. D. de bon. libert.* ſi dudum ante manumiſſionem id ſervi juraſſent aut pepigiſſent, non tenerentur de eo in libertate.

Digitized by Google

ſuſpiciendos honores inviti poſſent, certis conditionibus & legibus in ipſo ingreſſu curiae, velutique in continenti, ſe adſtringere ſolent; veluti ut de caetero ipſis eorumve liberis immunitas ſalva ſit: quae tunc fides conditioque eis ſervanda eſt, cum alioquin ingreſſu curiae immunitatem prorſus amitterent, *l. 2. in princ. D. de jure immun. l. 1. C. de his qui ſponſ. mun. ſuſcip. l. ult. D. de veteran.* Et conditio in continenti, licet in fine teſtamenti adjecta, totam inſtitutionem conditionalem facit non minus, quam ſi a principio fuiſſet appoſita, *l. pen. in fin. C. de inſt. & ſubſtit.* Et quamvis donatio filiofamilias a patre fieri non poſſit; ſi tamen donationem in continenti ſequatur emancipatio, valebit, *l. at jurisjurandi 7. D. de oper. libert.* Caetera de pactis ſunt notiſſima. Sed regula: Ex nudo conſenſu non naſci actionem, plurimas patitur exceptiones. Demitur conventio pignoris, conſtituti, donationis, antichreſeos, uſurarum nauticarum, receptionis arbitri, quid non?

Utor permiſſo, caudaeque pilos ut equinae
Paulatim vello, & demo unum, demo & item unum,
Dum cadat eluſus ratione ruentis acervi.

Atque adeo aequitati concinentes Canones uſusque fori ex quovis placito dant actionem. In quorum ſententiam Johannes Epiſcopus Saliſberienſis, antiquus Auctor *in Polycratico de nug. curial. lib. 3. cap. 11. de munuſcular. & promiſ. Licet*, inquit, *nuda promiſſio apud juris (ut dicitur) peritos non pariat actionem: promiſſor omnis apud veritatem (uti dici ſolet) pollicem fixit, & jure civili ceſſante fidei naturaliter obligatur. Sed quis actor durius aget, quam fides, ſi ipſa coeperit accuſare? Si agit conſcientia, quis abſolvet? Si vero ipſa juſtificat, quis condemnet? Procul dubio qui in illo timetur articulo Dominus eſt, ubi & dies contemnitur humanus, & conſcientia quid obloquatur, non invenit. Si vero animam accuſant opera, & illi conſcientia teſtis aſſiſtit, & cauſam veritas examinat aequitatis, quid, quaeſo, Praetor in ream obnoxiam mendacio gravius vindicabit. Sane Praetor, etſi viva vox juris eſſe dicatur, ſententiam ejus plerumque retractat. Sed veritatis ſententia manet irretractabilis, quod juſtitia ejus juſtitia in aeternum, & lex ejus aequitas. Econtra in praetorio ſaepe ſummum jus ſumma injuria eſt. Quisquis ergo promittit, debitor eſt, & veritatis vigente ſententia ſponſionis compellitur fidem adimplere. Porro quod neceſſitas extorquet, gratiam minuit. Unde Philoſophus bene monet, nunquam aut rariſſime promittendum, ne aut cum volueris non poſſis, aut nolis ex juſta cauſa cum poſſis, aut cum effeceris, gratiam perdas, aut minuas eo, quod te antea illaqueaveras in verbo oris tui.*

CAPUT XIX.

L. 2. & ult. D. de Veteran. *explicata. De exactoribus tributorum.*

Solet militibus militia probe defunctis & ſacramento honeſte ſolutis (qui veterani appellantur) immunitas tribui vel principali beneficio, vel etiam ordinis decreto, ob merita militiae; ut ait *l. 2. D. de vacat. & excuſat. mun.* Nec labefactatur ea vacatio munerum, ſi veteranus ea non utens ſponte ſua honorem aut munus ſuſceperit, *l. 2. in princ. D. de veteran. l. 2. C. de his qui ſpont. mun. ſuſcep.* Ubi tamen excipitur Decurionatus: nam, eo ſponte ſuſcepto, nec ſervandae immunitatis conditione expreſſe addita, perditur competens immunitatis praerogativa, *d. l. 2. & l. 2. l. penult. §. ult. D. de jure immun. l. ult. D. de veter.* Ubi in *ordinem legi* omnino interpretandum eſt: in ordinem decurionum legi; quia (ut dictum eſt)

mun. Et nec ad liberos veteranorum vocationum privilegia bitant, ut Papinianus loquitur, *l. 8. §. 2. D. de vacat. & excuſ.* nec ad libertos, *l. 3. §. 8. D. de muner. & honor.* niſi expreſſe generi poſteriſque aut libertis data ſint & cuſtodita, *d. l. 1. §. ult. & l. 4. eod.* Sed & per viam modi aut conditionis, opus aliquod vel ludos vel ſpectacula legando Reipublicae aut municipio efficere teſtator poteſt, ut poſteri ſui libertique ſint immunes. Ita tamen ut Reſpublica ſi malit, ad munera potius ſubeunda, quam operis inſtructionem eos cogere poſſit, *l. 12. §. 1. D. de pollicitat.* Quae omnia mirifice confirmantur elegantiſſima inſcriptione Barcinonenſi, quae eſt ad S. Juſti talis (apud Gruter. pag. 378. *n. 1.*)

L. CÆCILIUS. L. F. PAP. OPTATUS
Ↄ. LEG. VII. G. FEL. ET. LEG. XV. APOLLIN
MISSUS. HONESTA. MISSIONE. AB. IMP. AUR
ANTONINO. ET. AURE. VERO. AUG. ATLECTUS
A. BARCINOÑENS. INTER. IMMUNES
CONSECUT. HONORES. ÆDILICIOS, IIVIR
III. FLAM. ROMÆ. DIVOR. ET. AUGUSTOR
R. P. BARC. DO. LEGO. DARIQVE. VOLO
XVII. D. EX. QVORUM. USURIS. SEMISSIBUS
EDI. VOLO. QVODANNIS. SPECTAC. PUGILUM
DIE. IIII IDUUM. Junl. USQUE. AD. XCCL
ET. EADEM. DIE. EX. XCC. OLEUM. IN
THERMIS. PUBLIC. POPULO. PRÆBERI. ET
TECTA. PRÆSTARI. EA. CONDICIONE. VOLO
UT. LIBERTI. MEI. ITEM. LIBERTOR. MEORUM
LIBERTARUMQVE. LIBERTI. QUOS. HONOR
SEVIRATUS. CONTIGERIT. AB. OMNIBUS
MUNERIBUS. SEVIRATUS. EXCUSATI. SINT
QVOT SI. QVIS. EORUM. AT. MUNERA. VOCITUS
FUERIT. TUM. EA. XVII. D. AT. REMP. TARRAC
TRANSFERRI. JUBEO. SUB. EADEM. FORMA SPECTAC
QVODANNIS. EDENDORUM. TARRACONE.

CAPUT XX.

Semeſtria. Annuli Semeſtres. De annulis ſignatoriis quaedam.

Semeſtria ſcripſerat Divus Marcus, §. *Item Divus 1. Inſt. de excuſat. tut. l. 12. D. de adquir. hered.* Ita genus appellabant librorum, quibus ſex menſes eſſent impenſi, & plurimum hyemales: quod aeſtatem expeditionibus rebusque gerundis impenderent, ut de Juliano Imp. Mamertinus *in Panegyrico cap. 4.* ſcribit: *Aeſtates omnes in caſtris, hyemes in tribunalibus degit: ita illi anni ſpacia diviſa ſunt, ut aut barbaros domitet, aut civibus jura reſtituat, perpetuum profeſſus aut contra hoſtem aut contra vitia certamen.* Eademque anni pars ſtudiis Poëtarum amica. Nam illo loco Juvenalis *Sat. 7. v. 96.*

(—— —— Tunc utile multis
Pallere, & vinum toto neſcire Decembri)

vetus gloſſa annotat, Poëtas lucubrari ſolitos noctibus hybernis: ideoque Decembrem pro tota hyeme poſuiſſe Juvenalem; quemadmodum & Ovidius *lib. 2. Triſt. v. 491.*

Talia luduntur fumoſo menſe Decembri,
Quae jam non alli compoſuiſſe nocet.

Niſi forte malumus, Poëtas menſe illo pro ſtrenis ſequentis anni poëmata adornaſſe. Illud certe conſtat, ſtudioſos homines olim peculiare habuiſſe, ut lucubrationes nocturnas auſpicarentur Volcanalibus, quae incidunt in 9. Kalend. Septembres. Plinius ad Marcum *lib. 3. epiſt. 5. Lucubrare Volcanalibus incipiebat, non auſpicandi gratia, ſed ſtudendi.* Et ſic quos

Labeo

Digitized by Google

Nec ſufferre queat majoris pondera gemmae.

Quos aeſtate geſtare ſolerent, Heliotropios fuiſſe ſuſpicor, & Aſteritas & Mithridacas, & Irides, quarum vis & delectatio quaedam eſt peculiaris, cum ſoli opponuntur; ut Plinius ſcribit, & Iſidorus, & Solinus, & auctor *Polycratici lib. 5. cap. 3. Solaris radius ſi forte incidat in carbunculum, egrediens aut reverberans rutilus vicinum facit aerem rutilare: idem ignis in Smaragdo vireſcit. Firmamento puriori in Saphiro conformatur. Hiacinthi quoque ſpeciebus efficitur concolor. In Topazio (qui quo rarior, eo pretioſior eſt) omni fere colore ſuperbit. Si ei Irim objicias, Thaumantiadis repraeſentabit imaginem. Aquae ſuperjectus undat in lacunari: ſed & ignem coeleſtem in ſuppoſita trajicit per Beryllum.* Et hoc genus annulos, quia non niſi media anni parte geſtari ſolerent, *Semeſtres* apud eundem Poëtam appellari confirmo illo loco, ab interpretibus pleriſque minime intellecto, *Sat. 7. v.* 89.

Semeſtri vatum digitos circumligat auro.

Rurſus habebant, quos ſolo natali die gererent; & *natalitiae Sardonychis* mentionem Perſius facit. In quibus omnibus oſtentatio erat tanta, ut non minimus jam fructus divitiarum videretur in ea re poſitus; & miſeri etiam clientes illos potiſſimum patronos appeterent, qui conſpicuas in digitis gemmas haberent, ut idem Juvenalis *Satyra. 7.* commemorat: quod non fortunarum tantum lautiorum, ſed & nobilitatis argumentum habere annuli praegrandes & ponderoſi viderentur. Quo reſpiciens Horatius *lib. 1. Epiſtola 6. v.* 50.

Mercemur ſervum, qui dictet nomina, laevum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere: hic multum in Fabia valet, ille Velina.

Ubi ſi non emendandum eſt (ut quondam putavi) *cum pondere dextram*; certe pondus annulorum expono (ut ſupra) *majoris pondera gemmae*; ut apud Plinium *lib. 33. cap. 1.* ubi de annulis agit; *Jam alii pondera eorum oſtentant; aliis plures, quam unum, geſtare labor eſt.* Apud Martialem *libr. 11. epigr.* 38.

Annulus iſte tuis fuerat modo cruribus aptus:
Non eadem digitis pondera conveniunt.

Apud Symphoſium *aenigm.* 3. Annulus cum gemma:

Corporis extremi non magnum pondus adhaeſi:
Ingenitum dicas, ita pondere nemo gravatur:
Una tamen facies, plures habitura figuras.

Quod nimirum utile fuerit ambienti honores conciliare ſibi tribuum primores, & porrecta probe annulata manu ſalutandi gratia, opum generiſque opinionem eis injicere. Dionyſius Gothofredus, vir ſolertiſſimus & Jureconſultus eximius, pro noſtra amicitia mihi expoſuit, ſe hunc locum de ponderibus lacernarum accipere, in quarum apparatu nimios fuiſſe veteres, memorat Ammianus Marcellinus *libro 16. cap. 6. Alii ſummum decus in carrucis ſolito altioribus, & ambitioſo veſtium cultu ponentes, ſudant ſub ponderibus lacernarum, quas in colli exerta fibulis ipſis adnectant, nimia ſubtegminum tenuitate pervias, filis extantes crebris a locis omnibus, maximeque ſiniſtra, ut longioris fimbriae tunicae perſpicua luceant varietate liciorum, effigiatae in ſpecies animalium multiformes,* ut quaſi in eas defoſſi, & (ut Sardanapalo Tyrius loquitur) κατωρωρυγμένοι viderentur, & difficile eſſet, per tanta impedimenta, velutique valla, manum expedire atque exerere. Porro ab illis annulis, gemmas continentibus (de quibus dixi) diverſi ſunt, qui ſculpturam habent ad ſignorum impreſſionem facti, qui in jure noſtro *Signatorii* apud Vopiſcum, & *Sigillaricii*, Quae quidem ſculpturae ſive characteres olim, non ut hodie, erant gentilitiae vel familiares, ſed pro lubitu cujusque factae & plerumque aliquid occultae ſignificationis habentes. Sic Pompejus (ut Plutarchus refert *in Pomp.*) Leonem tenentem enſem, & alias, auctore Dione, quemadmodum & Sulla, tropaea tria in annulo ſculpta habebat. Idem Sulla aliquando Jugurtham ſibi traditum in ſigillo geſtavit, Plutarcho teſte *in Politic.* Auguſtus Caeſar Sphynga primum, deinde imaginem ſuam: quo reliqui poſt eum Imperatores usque ad Galbam uſi ſunt. Galba canem, ex prora navis caput inclinantem, auctore Dione: quod ſignum ei a majoribus relictum erat. Plinius Secundus quadrigas. Seleucus Rex ſignaculum annuli habebat anchoram nauticam (ut Clemens Alexandrinus *lib. 3. Paedag. cap.* 11. refert) quod ipſe natus in femore naevum anchorae ſimilem habuiſſet, Juſtino teſte *lib. 15. cap.* 4. Polycrates lyram muſicam, apud eundem Clementem *Ibidem.* Apud Aegyptios, auctore Aeliano, fortiſſimus quisque ſcarabaeum ſculptum gerebat, quia id ſine femina animal eſt. Et circa hos annulos valde notabilis eſt Lex Solonis, apud Laërtium: Δακτυλιογλύφῳ μὴ ἐξεῖναι σφραγῖδα φυλάττειν τοῦ πραθέντος δακτυλίου: *Non licere annulario ejus annuli, quem vendidiſſet vel faciendum conduxiſſet, ſigillum ſive exemplar retinere.* Credo, ne aliqua fabricandi falſi occaſio relinquatur.

CAPUT XXI.

Legis Juliae Publicorum capita duo, de Praevaricatione.

Reus, capitali crimine poſtulatus & abſolutus, ab eodem accuſatore de eodem crimine repeti non poteſt: ſed nec ab alio, niſi is aut propriam injuriam perſequatur, ut in caſu *l. 4. §. ult. D. ad l. Jul. de adult. l. ſi cui 7. §. 1. D. de accuſat.* aut de prioris accuſatoris praevaricatione docuerit, *l. ſi quis 11. C. de accuſat.* Et hoc poſterius Lege Julia publicorum judiciorum cautum fuiſſe, Macer ſcribit, *l. 3. §. 1. D. de praevaricat.* his verbis: *Si reus accuſatori publico judicio ideo praeſcribat, quod dicat ſe eodem crimine ab alio accuſatum & abſolutum; cavetur Lege Julia publicorum, ut non prius accuſetur, quam de prioris accuſatoris praevaricatione conſtiterit & pronunciatum fuerit.* Eadem Lege cautum fuit (quod non eſt tamen in jure noſtro relatum) ne pendente judicio publico de praevaricatione accuſatoris quaeratur. Id quod Plinius Secundus prodidit *lib. 3. Epiſt.* 9. his verbis: *Eſt lege cautum*, Ut Reus Ante peragatur, tunc de Praevaricatione quaeratur: additque rationem: *Videlicet quia optime ex accuſatione ipſa accuſatoris fides aeſtimatur.* Sed verior ratio eſt, ne, pendente accuſatione, ſi accuſator ab alio praevaricationis accuſetur & condemnetur, hac ratione principali accuſationi criminis praejudicium fiat; quia (ut Plinius paulo poſt ſignificat) *accuſatore praevaricationis damnato vix eſt, ut reus innocens videatur.* Quemadmodum enim, accuſatore calumniae damnato, reus innocens eo ipſo eſſe declaratur, etiamſi condemnatus fuerit: ita, accuſatore praevaricationis damnato, reus eo ipſo criminis convincitur, etſi abſolutus fuerit; quia accuſatoris colluſioni, non ſuae innocentiae hoc debet. Priori capite Lex Julia voluit, accuſatori poſteriori obſtare praejudicium ſententiae abſolutoriae: Altero vetuit, reo poſtulato praejudicium fieri, accuſatore praevaricationis inſimulato. Quod Plinius Legi

L. 5. D. ad leg. Pomp. de Parricid. *exponitur. Latrocinium.*

Filium a, patre in venatione trucidatum, quod novercam ſuam inceſtaſſet, D. Hadriano viſum eſt, latronis magis, quam patris jure necatum eſſe, *l. 5. D. ad l. Pomp.* Non tam ea de cauſa, quia *inauditum filium occidere pater non poteſt*, *l. 2. D. ad leg. Corn. de ſicar.* adempto nimirum patribus per Conſtitutiones jure vitae & necis; ut doctiſſime Cujacius obſervavit: quam, quod in venatione, & ſic in ſylva locoque, ab hominum interventu remoto, hic pater filium interemerat, quod eſt latronum teſqua & lucrorum latebras obſidentium, ubi inopinos adgrediantur & clam conficiant. Quaſi diceret Imperator: Jus quidem eſſe patri talem filium necare: caeterum in nemore necare veluti jus latronum videri. Ideoque hunc patrem, qui hanc interficiendi nati ſui opportunitatem delegerit, ut eum ſub venationis ſpecie in ſola loca perduceret, latronis magis, quam patris jure uſum videri. Tertullianus *de pudicit. Omne latrocinium extra ſylvam* (inquit) *homicidium eſt*; ſatis arguens e converſo, omne homicidium, quod in ſylva perpetratur, latrocinium eſſe dicendum. Cyprianus *contra Demetrianum: In latronibus eſt utcunque ſcelerum aliqua verecundia: avias fauces & deſertas ſolitudines diligunt: & ſic illic delinquitur, ut tamen delinquentium facinus tenebris & nocte veletur.* Salvianus *lib. 7. Latronum quodammodo excubias videres, commeantium viatorum ſpolia captantes, qui inſidiarum frequentium denſitate ita omnes admodum calles, omnes anfractus ac diverticula ſepſiſſent; ut nullus fere tam cautus eſſet, qui non in aliquos inſidiarum laqueos incurreret.* Alludit Plinius *Panegyrico cap. 34. Vidimus delatorum judicium, quaſi graſſatorum vel latronum: non ſolitudinem illi, non iter; ſed templum, ſed forum incedebant.* Et eadem fere forma hic Hadrianus loquutus eſt, qua Martialis *epigr. 59. lib. 11.*

Quid ſi me tonſor, cum ſtricta novacula ſupra eſt,
Tum libertatem divitiasque roget?
Promittam: neque enim rogat illo tempore tonſor;
Latro rogat. Res eſt imperioſa timor.

Quaſi dicat: Latronis hunc tonſorem magis, quam ſtipulatoris officio functum. Et eleganter dictum eſt, *jure latronis*: ut de abigeis Ulpianus, *eos abigendi ſtudium, quaſi artem exercere, l. 1. C. de abig.* Facit quod idem Salvianus *lib. 8.* ait: *Latrones hoc proverbio uti ſolent, ut quibus non auferant vitam, dediſſe ſe dicant.* Quaſi jus illis ſit, in ſolitudine deprehenſos ſine diſcrimine trucidare.

CAPUT XXIII.

De Monumentis & Sepulchris. Plurima in titt. de religioſ. & de mort. infer. *explicata.*

Quanto favore digna ſint jura exequiarum & juſtorum, quae mortuis fiunt, Papinianus eleganter oſtendit his verbis: *Praeter publicam*, inquit, *utilitatem, ne inſepulta cadavera jaceant: ſtrictam inſuper rationem habemus, quae nunquam in ambiguis religionum quaeſtionibus omitti ſolet: Summam eſſe rationem, quae pro religione facit, l. ſunt perſonae 43. D. de relig. & ſumpt. fun.* & de eodem religionis favore Ulpianus in *l. 1. §. Interdictum 6. D. de mort. infer. Religionis*, inquit, *intereſt monumenta extrui & exornari.* De qua religione illi ſenſerint, non eſt obſcurum: de ea nimirum, a qua loca religioſa dicuntur, *§. religioſum 9. Inſtitut. de rerum diviſ. l. 6. §. religioſum 4. D. de rer. diviſ. & qualit.* Quam religionem Servius Sulpicius a relinquendo dictam exiſtimavit; ...tus eſt mortuus, decedit, *l. 24. D. de contrab. empt. l. 5. D. de ſepulc. viol.* & jam divini juris eſſe incipit, quia alicui Deo ſacer fit, plerumque vero Diis Manibus: quam conſecrationem ſolennis illa monumentorum inſcriptio denotat D. M. vel D. M. S. Et haec quidem illa religio eſt veterum Romanorum. Chriſtianis quoque hac in re ſumma ratio religionis eſt: ſed non tam, quod Deo monumenta ſacra fieri velint, quam quod corpus hominis, qui eſt ad Dei figuram effictus, cum cultum mereatur, ut terrae deponatur: atque etiam propter certam ſpem reſurrectionis. Prudentius in *Cathemerino Hymn. in exeq. defunct.*

Nam quod requieſcere corpus
Vacuum ſine mente videmus:
Spacium breve reſtat, ut alti
Repetat collegia ſenſus.
Hinc maxima cura ſepulchris
Impenditur: hinc reſolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.
Quidnam ſibi ſaxa cavata?
Quid pulcra volunt monumenta?
Res quod niſi creditur illis
Non mortua, ſed data ſomno?
Hoc provida Chriſticolarum
Pietas ſtudet utpote credens
Fore protinus omnia viva,
Quae nunc gelidus ſopor urget.

Imo & ipſe Phocylides (ſi modo non ea ipſa Sibyllarum potius ſunt, quorum ſcrinia eum compilaſſe certo certius eſt) ad commendationem tumulorum hanc reſurrectionis & immortalitatis ſpem affert:

— τάχα δ' ἐκ γαίης ἐλπίζομεν ἐς φάος ἐλθεῖν
Λείψαν' ἀποιχομένων. ὀπίσω δὲ θεοὶ τελέθονται.
Ψυχαὶ γὰρ μίμνουσιν ἀκήριοι ἐν φθιμένοισι.
Πνεῦμα γὰρ ἐςὶ θεῷ χρῆσις θνητοῖσι καὶ εἰκών:
Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν. καὶ πάντες ἐς αὐτὴν
Λυόμενοι κόνις ἐσμὲν, ἀὴρ δ' ἀνὰ πνεῦμα δέδεκται.

Quod ita vertere poſſis verbis Gracilis cujuſdam, in epitaphio Probinae uxoris:

Vita ſubit coelum, corpus tellure tenetur.
Omnia ſic repetunt jura locoſque ſuos.

In quam etiam rem Lactantius *lib. 6. cap. 12.* & Minutius *in Octavio*, & Athenagoras Philoſophus Chriſtianus *de reſurrect. mort.* Praeter hanc religionis rationem eſt & alia, nimirum memoria humanae conditionis, *l. quidam 27. D. de condit. inſtitut.* Quam humanae mortalitatis conditionem nos in ſepulturis & funeribus meditari convenit; ut *ibidem* Prudentius canit:

Quia lex eadem monet omnes,
Gemitum dare ſorte ſub una:
Cognataque funera nobis,
Aliena morte dolere.

Ob quam humanae conditionis memoriam, apud omnes peraeque populos jure quodam gentium receptam videmus, mortuorum corpora terrae matri reddere: neque ſecus fieri ſine quadam juris naturae violatione poſſe creditum. Tacitus *lib. 6. Annalium cap. 19. Fluitantia aut ripis appulſa corpora non cremare quiſquam, non contingere. Interciderat ſortis humanae commercium; quantumque ſaevitia gliſceret, miſeratio arcebatur.* Lucanus *lib. 7. v. 801.*

— Hominum ritus ut ſervet in hoſtem.

Et hinc multae paſſim veterum monumentorum inſcriptiones, humanae conditionis viatorem commonefacientes, ut illa perelegans Genevae antiqua, ſed anonyma:

VIXI.

Digitized by Google

… Fieri autem monumentum poteſt, etſi nihil de corpore vel reliquiis teſtatoris illatum ſit, *ſolius memoriae cauſa, quod Graece κενοτάφιον appellant, l. monumentum 42. D. eod. d. l. 6. §. Cenotaphium 5. D. de rer. diviſ.* Qualis ille fuit Hectoreus tumulus, de quo Poëta *lib. 3. AEneid. v. 304.*

Hectoreum ad tumulum: viridi quem ceſpite inanem
Et geminas, cauſam lacbrymis ſacraverat aras.

Ex quo loco Marcianus probat, cenotaphia etſi illis corpus non inſit, nihilominus eſſe religioſa, *d. l. 6.* Talia plerumque fieri ſolebant naufragio perditis, quorum exinde corpora non apparuiſſent. Achilles Tatius *libro 5.* Κενὸν τοῦτ᾽ ἐγὼ μόνη πέπονθα καὶ οἷον ἐπὶ τοῖς ἀφανέσι ποιοῦσι νεκροῖς· κενοτάφιον μὲν γὰρ εἶδον, κενογάμιον δὲ οὔ. Ovid. *lib. 11. Metamorph, v. 428.*

Et laceras nuper tabulas in littore vidi,
Et ſaepe in tumulis ſine corpore nomina legi.

Et paulo poſt *v. 705.*

Et tibi nunc ſaltem veniam comes, inque ſepulcro
Si non urna, tamen junget nos littera: ſi non
Oſſibus oſſa meis, at nomen nomine tangam.

Lucanus *libro 9. v. 179.*

Ille fuit miſerae Magni cinis, accipit omnis
Exemplum pietas, & toto littore buſta,
Surgunt, Theſſalicis reddentia manibus ignem.

Et hoc fortaſſe denotat Memoriae facta dedicatio in quibusdam antiquis monumentis, nimirum vacua eſſe & ſolius memoriae cauſa facta, ut paſſim videre eſt. Et hoc quidem genus memoriae facta cenotaphia monumenta ſunt; ſepulcra non ſunt. Sed ea ſepulchra proprie ſunt, in quae corpus vel reliquiae illatae ſunt, *d. l. 42. Reliquiae* ſunt oſſa & cineres, ut & *d. l. quidam 27. D. de cond. inſt. Si reliquias ejus in mare abjiciat.* Fit etiam aliquando, ut unum corpus diverſis locis ſepeliatur. Tunc ſane uterque locus religioſus non fit; quia unius ſepultura plura ſepulcra efficere non poteſt: ſed ille tantum fit religioſus, ubi quod principale eſt conditur, id eſt, caput, *l. cum in diverſis 44. D. eod. Caput*, inquit Paulus, *cujus imago fit.* Solinus *in Prologo: Qui corporum formas aemulantur, poſtpoſitis quae reliqua ſunt, ante omnia effigiant modum capitis: nec prius deſtinant lineas in membra alia, quam ab ipſa (ut ita dixerim) figurarum arce auſpicium fecerint incboandi.* Addit Paulus: *& unde cognoſcimur*, nimirum non vivi tantum, ſed & mortui, ſaltem aliquo modo; dum reliquum vere (ut Poëta ait) ſine nomine corpus eſt. Quo pertinet querela elegans patris Chariclis, cum eum ab equo miſerandum in modum diſcerptum & Hippolyti in morem tractatum ſummo cum dolore aſpiceret, apud Achillem Tatium *lib. 1.* Οἷος ἀπ᾽ ἐμοῦ σεσυλημένος ἐπανέρχῃ μοι τέκνον, ὦ πονηρῶν ἱππασμάτων. οὐδὲ κοινῷ μοι θανάτῳ τέθνηκας οὐδὲ εὐσχήμων φαίνῃ νεκρός. τοῖς μὲν γὰρ ἄλλοις τῶν ἀποθανόντων κἂν ἴχνος τῶν γνωρισμάτων διασώζεται· κἂν τὸ ἄνθος τις τῶν προσώπων ἀπολέσῃ, τηρεῖ τὸ εἴδωλον καὶ παραμυθεῖται τὸν λυπούμενον καθεύδοντα μιμούμενος. τὴν μὲν γὰρ ψυχὴν ἐξεῖλεν ὁ θάνατος· ἐν δὲ τῷ σώματι τηρεῖ τὸν ἄνθρωπον. Σοῦ δὲ ὁμοῦ καὶ ταῦτα διέφθειρεν ἡ τύχη, καί μοι τέθνηκας θάνατον διπλοῦν ψυχῇ καὶ σώματι. οὕτως σου τέθνηκεν καὶ τῆς εἰκόνος ἡ σκιά. ἡ μὲν γὰρ ψυχή σου πέφευγεν· οὐχ εὑρίσκω δέ σε οὐδὲ ἐν τῷ σώματι. Eodemque facit elegantiſſimum epigramma Caeſaris Germanici:

Thrax puer adſtricto glacie dum luderet Hebro,
Frigore frenatas pondere rupit aquas.
Cumque imae partes fundo raperentur ab imo,
Abſcidit a jugulo lubrica teſta caput.

… vidiſſe memorat Prudentius in *paſſione Hippolyti vſ. 7. ſeqq.*

Plurima literulis ſignata ſepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quae ſolum ſignificant numerum.
Quanta virum jaceant congeſtis corpora acervis,
Noſſe licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defoſſas mole ſub una
Relliquias memini me didiciſſe hominum.
Quorum ſolus habet comperta vocabula Chriſtus,
Utpote quos proprie junxit amicitia.

Quae tamen (ut ibi Prudentius deſcribit) vetuſtas non tam pro religioſis, quam pro ſacroſanctis habuit. Eſt porro & alius favor ſepulturarum ex DD. Fratrum edicto, ne juſtae ſepulturae traditum, id eſt, terra conditum corpus ullo modo vexetur, inquietetur, *l. ne corpora 38 & l. ſeq. D. de religioſ.* adeo ut ab eorum contactu abſtinendum ſit, *l. 7. D. de ſepul. violat. l. 4. C. eod.* Aperire autem ſepulchra ſuo ritu in perpetuum clauſa, & mortuum Solis radiis oſtendere, piaculum & capitale fuit, *l. ult. D. eod.* ut & ſupra *cap.* 2. notavimus. Immo nec transferre, trajicere, vel loco movere abſque permiſſu Principis aut Pontificum cadavera licet, *l. 3. D. eod. l. 8. D. de religioſ. & ſumt. l. 14. C. eod.* Plinius *lib. 10. epiſt. 73.* ad Trajan. Denique nil inhumanius aut hoſtilius eſt, quam defunctorum corpora turbare vel violare. Et hanc quietem tranquillitatemque veteres optarunt dedicando monumenta ſua Perpetuae Securitati, ut paſſim videre eſt; & varias deprecationes & imprecationes inſcribendo, veluti: *Rogo per Deos Stygios, oſſa noſtra, quisquis es homo, non violes* Et alias: *Quisquis es homo, & vos ſodales meos cunctos rogo per Deos ſuperos, inferosque, ne velitis oſſa mea violare.* Et alibi: *Quietem poſteri ne invidant: qui ſecus, manes ſentiat iratos.* Et rurſus: *Quod ſi quis oſſa haec projecerit, aut aram abſtulerit, habeat ſacra Iſidis irata.* Et ita quoque: *ſi quis titulum meum violaverit, inferat arcano* SSιχη. Eamque ſacram defunctorum quietem & ſecuritatem vocat Caſſiodorus *lib. 6. variar. 8.* & *Templa quietis*, in antiqua inſcriptione Gracilis mariti. Et hinc eſt, quod *domus defunctorum* vocat Conſtantius Imp. *l. 4. C. de ſepul. viol.* quomodo in antiqua inſcriptione tumuli Petronii Antigonidis cujusdam: *Haec domus aeterna eſt. Hic ſum ſitus; hic ero ſemper.* Et in alia Fabiae Pyrallidis: *Sis memor antiqui nominis & tituli: AEternaeque domus tu tueare focos.* Nimirum, quod ſi domus ſua cuique tutiſſimum refugium eſſe debet, & haec igitur. Denique (ut hoc addam) tranſlatio corporum ab uno loco in aliam ſine effoſſione fieri non poterat, nec a Pontificum collegio vel ipſo Principe (qui Pontifex Maximus erat) ſine juſta cauſa concedi ſolebat. Juſta autem cauſa erat, ſi quis, extra patriam & longe a patrio vel familiari ſepulchro conditus, ille reportandus eſſet. Quo eleganter alludit Lucanus *lib. 8. vſ. 840. ſeqq.*

Exul adhuc jacet umbra ducis, quis buſta timebit,
Quis ſacris dignam moviſſe, verebitur umbram?
Imperet hoc nobis utinam ſcelus, & velit uti
Noſtro Roma ſinu! Satis o nimiumque beatus,
Si mihi contingat manes transferre revulſos
Auſoniam, ſi tale ducis violare ſepulcrum!

Et hujus rei exempla habet Auſonius *de Aemilio Magno Arborio:*

In patriam ſed te ſedem ac monumenta tuorum
Principis Auguſti reſtituit pietas.

Et

ita etiam offa legionum Varianarum, quae in Germania cum ipſo duce Quinctilio Varo ad internecionem caeſae fuerunt, juſſu Germanici Imperatoris in Hiſpaniam poſtea tranſlata eſſe, ex duabus inſcriptionibus, quae Heterenae in Hiſpania repertae, apparet. Et huc quoque pertinet elegans inſcriptio in ſaltu Mariano:

C. SUBERIUS. C. F. POMPT. CALENUS. QVI. OCULOS. AB. OCCIDENTE. ITALIA. AVERTENS. CUM. MULTIS. AMICIS. TRANQVILLITATEM. EXPECTANTIBUS. HISPAN. VENI. UBI SAEVISSIMO. COORTO. BELLO. MORTEM. CUM. VITA. COMMUTAVI. VOS. FILII. IN. VIV. PARENT. PIENTISS. IN. MORTUUM PIENTIORES. PATERN. CINERES. EX. HISP. EXPORTATE. COMMUNIQVE. SEPUL. CONDITE. QVO. AVITIS. CINERIBUS. IMMITXI. SACRO GAUDEANT. ANNIVERSARIO. PARENTARI. Nihil enim tam amicum & optatum, quam in patrio, avito, familiari ſepulchro condi: quod & Ovidium optaſſe, quamvis fruſtra, in ejus tumulo inſcriptum audio:

Saepe miſer voluit patriis occumbere terris;
Sed fruſtra: hunc illi fata dedere locum.

Quo pertinet vetus inſcriptio illa; cujus neſcio: *Monumentum abſolvi hoc, impenſa mea, amica tellus ut det hoſpitium oſſibus, quod omnes rogant, ſed felices impetrant. Nam quid egregium, quidve cupiendum eſt magis, quam ubi lucem libertatis acceperit, lapſum ſenectae ſpiritum ibi deponere; quod innocentiae ſignum eſt maximum.* Ideoque miſerrimum viſum, patrio ſepulchro carendum eſſe. Catullus *ad Mallium:*

Quem nunc tam longe, non inter nota ſepulcra,
Nec prope cognatos compoſitum cineres:
Sed Troja obſcoena, Troja infelice, ſepulcrum
Detinet, a noſtro terra aliena ſolo.

Propertius *libro* 3. *eleg.* 5. *vſ.* 25.

Et mater non juſta piae dare debita terrae,
Nec pote cognatos inter humare rogos.

Horatius *lib.* 2. *Sat.* 3. *vſ.* 196. de Ajace loquens:

Per quem tot juvenes patrio caruere ſepulchro.

Atque ideo Phocion Athenienſis, cum Leoſthenis eloquentia ibi regnaret, aliquando ab oratoribus interrogatus, quidnam unquam boni in Republ. praeſtitiſſet: Non aliud, reſpondit, niſi quod, me Rempublicam gerente, nunquam vos oratores orationes funebres habuiſtis, ſed omnes veſtros cives mortuos in ſepulchris avitis tumulaſtis; ut Plutarch. refert in *lib. quom. quis ſeipſ. laud. poſſ.*

CAPUT XXIV.

Papinianus a Paulo inique notatus in l. 116. D. de verborum obligatione.

Fuit neſcio quod ſtudium Juriſconſultis quibuſdam Papiniano contradicendi, cumque notandi quaqua poſſent; & haud ſcio, annon ex aemulatione invidiaque natum. Papinianus ſcripſerat: *Si decem a Titio ſtipulatus poſtea a Maevio ſtipuler: quanto minus a Titio conſequi poſſem. Maevium a me ſolvi, ſeu (quod idem eſt) liberari, ſi decem integra a Titio exegiſſem, conſequutus eſſem: non ante.* Paulus, qui in ejus ſcripta ſeveriſſime inquirebat, captans quod reprehenderet, non potuit facere, quin illud notaret quaſi minus apte dictum, quod Papinianus dixerat: *Maevium a me liberari.* Judicabat enim, quia Maevius mihi non niſi ſub conditione tenebatur, *ſi a Titio integra decem non conſequerer*, nec debere Maevium, antequam ea conditio eveniſſet Titio excuſſo; nec ſi de ea defeciſſet, nimirum, ſi decem a Titio eſſem conſequutus, *Titio ſolutis reum a me liberari.* Liberari, inquit, a me, qui mihi tamen non tenebatur, antequam in ſolvendis Titio quinque ceſſaſſet. Nonne huic occinas illud Satyricum Horatii *lib.* 1. *Sat.* 3. *v* 25.

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut ſerpens Epidaurius?

Et vel hoc uno argumento dicere poſſis, merito ab Imperatoribus Theodoſio & Valentiniano damnatas rejectasque fuiſſe notas Pauli ad Papinianum, forte quia plurimum calumnioſas, in *l. 1. C. Th. de reſponſ. prud.*

CAPUT XXV.

An Corpora puniendorum vel cadavera punitorum Medicis danda ſint ad anatomiam.

Quaeri ſolet, an eorum, qui extremo ſupplicio ſunt affecti, cadavera Medicis ſint concedenda ad diſſectionem? Si quaereretur, an ſupplicio deſtinati vivi Medicis ſint tradendi, quibus incidendum pectus praebeant,

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus
Aſſiduam nimio pectore pavit avem:

negarem, poenaeque executionem ſpiculatori eſſe mandandam dicerem, non Medico, cujus ars ad ſalutem hominum pertinet, non perniciem, *l. 1. §. 1. D. de extraord. cognit.* Scribonius Largus: *Scientia ſanandi, non nocendi eſt medicina.* Tullius *de haruſp. reſponſ.* de Clodio loquens, qui Platonem ex Oreſtide Macedonum legatum in carcerem conjecerat, & Medicum intromiſerat, qui ei venas incideret: *Quales hunc* (inquit *cap.* 16.) *carnifices putamus habere, qui etiam medicis non ad ſalutem, ſed necem utatur.* Quam etiam Empiricorum veterum fuiſſe ſententiam, Cornelius Celſus refert *libr.* 1. *Crudele exiſtimantium vivorum hominum alvum atque praecordia incidi, & ſalutis humanae praeſidem artem non ſolum peſtem alicui, ſed hanc vel atrociſſimam inferre. Cum praeſertim ex his, quae tanta violentia quaerantur, pleraque non poſſint omnino cognoſci: ut enim mortui praecordia & viſcus omne in conſpectum latrocinantis medici detur, neceſſario tamen fore tale, quale mortui ſit, non quale vivi fuerit. Itaque conſequi Medicum, ut crudeliter hominem jugulet; non ut ſciat, qualia vivi viſcera habeamus. Si quid autem ſit, quod ſpirante adhuc homine conſpectui ſubjiciatur, id ſaepe caſum offerre; dum vel gladiator in harena, vel miles in acie, vel viator, a latronibus exceptus, ſic vulneratur, ut interior pars ejus aliqua aperiatur.* Gladiatori (ut obiter id addam) adjungere poterant harenarium venatorem a feris ſemeſum & laceratum, ſemivivum tamen & ſe tolli clamantem: de quo Antoninus Philoſophus Imperator *lib.* 10. §. 8. τῶν εἰς ἑαυτόν: Τὸ ἔτι τοιοῦτον εἶναι οἷος μέχρι νῦν γέγονας, λίαν ἐστὶν ἀναισθήτου καὶ φιλοψύχου, καὶ ὁμοίου τοῖς ἡμιβρώτοις θηριομάχοις οἵτινες μεστοὶ τραυμάτων καὶ λύθρου παρακαλοῦσιν ὅμως εἰς τὴν αὔριον φυλαχθῆναι παραβληθησόμενοι τοιοῦτοι τοῖς αὐτοῖς ὄνυξι καὶ δήγμασιν. Nec abs re gladiatoris hic apud Celſum mentio; cum & gladiatorum cadavera in medicina uſui tradat Scribonius Largus §. 13. & 17. & ſanguinem eorum bibi, Plinius *lib.* 18. *cap.* 1. Itaque & mortuorum lacerationem Empirici illi rejecerunt; quae ſi non crudelis, tamen foeda ſit, & nauſeae plena. Ammianus *lib.* 28. *cap.* 4. *in fin. Alii nauſeam horridae carnis deſpectantes, ut diſciſſarum pecudum exta rimari cum Anatomicis Democritum putes, docentem quibus modis poſteritas mederi doloribus poſſit* inter-

tum, qui damnatos a regibus, ex carcere acceptos, vivos incidebant, conſideraturi etiam ſpiritu remanente ea, quae natura clauſiſſet. Seneca *lib.* 10 *Declamat.* 5. *Multum ſemper artibus licuit. Medici, ut vim in aegroto morbi cognoſcerent, viſcera hominum vivorum reſciderunt.* Chriſtiani certe, quibus religio eſt admittere malum, ut eveniat bonum, id non permiſerint, etſi publice expediret. Caeterum cadavera τῶν θανατώντων, praeſertim cruciariorum, Medicis, ad tam juſtum & probabilem uſum petentibus, non putarim neganda; cum omnis illa diſſectio ab ipſis publici boni gratia ſuſcipiatur, & neceſſariae Medicorum arti illa lacerorum corporum inſpectio vel ſumme neceſſaria ſit. Quod & Franciſcus Ripa in *tractatu de peſte* probat. Deinde nullus honos debetur illorum cadaveribus, qui antequam necarentur, ſervi poenae erant: olim iaeri (ut Macrobius eſt autor) & ξωανὶς vocabantur. Nihil igitur refert, quid de iis fiat; cum etiam inſepulta abjici, vel in furca aut cruce relinqui poſſint, donec (ut Seneca *lib.* 8. *cont.* 4. ait) in ſepulturam ſuam defluant, *l. capitalium* 28. §. *famoſos* 15. *D de poen.* Denique cum cadavera punitorum cuivis petenti ad ſepulturam concedi ſoleant, *l. ult. D. de cadaver. punit. l. obnoxios* 11. *C de religioſ.* manifeſtum eſt, Medicis non eſſe neganda, ut quorum beneficio illis ſepultura contingat. Hi enim partium omnium diſſectione & inſpectione explicata, leipſana hominis non ſine funerali proceſſu juſtae ſepulturae tradere & condere ſolent, plerisque quidem in locis. Dant id humanitati.

CAPUT XXVI.

Ad l. 27. D. de condit. inſtitut. *De ineptis voluntatibus morientium.*

Nonnunquam hoc colore ſcriptus heres repellitur per legitimum, quod teſtator dicatur ſanae mentis non fuiſſe. Mentis enim ſanitas vel potiſſimum requiritur in teſtatore, cum teſtamentum facere parat, *l.* 2. *&* 17. *D. de his qui teſt. fac. poſſ* Furioſi vel fatui teſtamentum eſſe non poteſt, quia mentem non habet, *l.* 2. *D. de inoff. teſt.* Ideoque Modeſtinus ſcribit, cum quis heredem ſcripſiſſet ſub hac conditione: *Si reliquias ſuas in mare abjiciat*, non tantum eam conditionem minime ſervandam; verum etiam atque etiam videndum eſſe, ne homo, qui talem conditionem poſuit, parum mentis compos fuerit: eamque ſuſpicionem heredem ante omnia amoliri debere, ſi controverſiam hereditatis a legitimo pati nolit, *l.* 27. *D. de cond. inſt.* Ne (inquam) parum ſanus fuerit, qui id ſepulturae genus eligit, quo parricidae afficiuntur, profundo dejici. Et ne quis hujusmodi conditionem nulli in mentem veniſſe exiſtimet. Naſo *lib.* 5. *Faſt. vſ.* 653. *ſeqq.* ita ſcribit:

Saepe tamen patriae dulci tanguntur amore,
Atque aliquis moriens hoc breve mandat opus:
Mittite me in Tiberim, Tiberinis vectus in undis
Pulvis ad Inachium littus inanis eam.
Diſplicet heredi mandati cura ſepulchri;
Mortuus Auſonia conditur hoſpes humo.
Scirpea pro domino in Tiberim jactatur imago,
Ut repetat Graias per freta longa domos.

Sed licet hoc praeceptum heres revera implere nollet, tamen imaginaria quadam ratione, velutique dicis gratia, officio fidi heredis ſatisfacere voluit, ſcir-

Triſtia Leucadio ſacra peracta modo.
Illum ſtramineos in aquam miſiſſe Quirites.
Herculis exemplo corpora falſa jace.

Et Idem *Ibid. v.* 621.

Tum quoque priſcorum virgo ſimulacra virorum
Mittere roboreo ſcirpea ponte ſolet.

Quod & Lactantius *lib.* 1. *de falſ relig. cap.* 21. refert & Arnobius *lib.* 2. ubi tamen eum hoc refert, aut in hiſtoria lapſus ille, aut pro *humanis capitibus*, ſubſtituendum videtur, *humanis jactibus.* Sed in forma ſpecifica (ut noſtri loquuntur) talem conditionem heres ſervare non debuit; cum etiam minus ineptas defunctorum voluntates, circa ſepulturam ſervandas, Papinianus neget, *l.* 113. §. *ult. D. de legat.* 1. veluti ſi ornamenta quaedam, aurum, argentum, gemmas, margaritas ſecum humi condi teſtator jubeat, quod homines ſimpliciores quandoque faciunt, *l.* 14. §. *impenſa* 4. *D. de religioſ. & ſumpt. fun.* Id praeceptum heres impune negligit, *l. ult.* §. *ult. D. de auro arg. leg.* neque adeo ut indigno hereditas ei eripietur, *l.* 5. *C. de his quib. ut indig.* quantumvis diſertis verbis teſtator ejusmodi aliquid imperet, atque adeo, ſi adjiciat quod Staberus ille apud Horatium *lib.* 2. *Satyra* 3. jubens ſummam patrimonii ſui incidi ſepulcro, & addens *v.* 87.

Sive ego recte ſeu prave hoc volui.

Nemo enim in teſtamento, quantacunque ejus ſit libertas, efficere poteſt, ne leges & boni mores locum habeant, *l. nemo* 55. *D. de legat.* 1. Et ſimiliter Octavius Auguſtus negligi voluit praeceptum Virgilii, qui Aeneidem ſuam (doctam, Jupiter! & laborioſam) incendi moriens juſſerat; quod ſupplicium ſumi ſolet de peſſimis libris & improbatae lectionis, ut Magicis aut Mathematicis, *l* 4. §. 1. *D. famil. herciſc. l.* 10. *C. de Epiſc. audient.* Seneca 10. *declamat. in princip.* Ideoque eleganter Auguſtus: *Quod male juſſerat ille, ſit vetuiſſe meum*; meritoque dolori adſcribit animi rationem perturbanti, neque credendum ex animi ſententia proceſſiſſe, in *Catalect. pag.* 142.

—— —— ſi forte furenti.
Erravit in morte dolor, ſi lingua locuta eſt
Neſcio quid titubante animo, non ſponte, ſed altis
Expugnata malis, odio languoris iniqui.

Belliſſime hic quaeri poteſt, quid ſi teſtator jubeat pecunias ſuas & monilia in mare abjicere, aut ſecum in tumba defodere? Et quidem heres ſcriptus nihilominus heres eſſe poſſet, etſi ei his foret carendum. Quia hereditas nomen eſt juris, quod extra res ullas & citra res ullas conſiſtere poteſt, *l. hereditas* 50. *D. de pet. hered.* Sed vix, mea ſententia, ullus heres invenietur ea fide, ut ex tali teſtamento adeat, & hic color ille vel maxime adhibebitur: teſtatorem non nimis ſanae mentis fuiſſe. Sed & mandatis principalibus cautum eſt, ne pecunia ſepeliatur, *l.* 4. §. *non ſit locus* 6. *D. ad l. Jul. pecul. cap. non aeſtimemus* 13. *quaeſt.* 2. *Baſilic. lib.* 45.

CAPUT XXVII.

L. 40. D. de hered. inſtitut. *explicata. Rem, de qua agitur, in dubio an dividere debeamus.*

Teſtator Titium liberum credens (forſan nomine deceptus; Titius enim & Titus eſt nomen liberi hominis, ut Stichus ſervi) heredem ſcripſit, eique, ſi heres non eſſet, Sempronium ſubſtituit. Ti- tius

Digitized by Google

ſi ſaltem tempore, paterfamilias ingenuusque fuiſſet, poſteaque in ſervitutem deductus eſſet, poſſe hanc adjectionem: *ſi heres non erit*, intelligi; niſi vel hereditatem ſibi acquiſierit, vel mutata conditione alteri: etſi ſatis inhumanum ſit de caſu adverſaque fortuna hominis cogitare, *l.* 83. §. *ſacram.* 5. *D. de verbor oblig.* Caeterum (hoc vult innuere Julianus) hoc caſu, quo Titius jam tum teſtamenti tempore ſervus erat, haec interpretatio recipi vix poteſt; apertumque eſt, circa ejus perſonam falſum animi teſtatorem fuiſſe. Itaque poterat ſubſtitutus totam hereditatem obtinere. Verum quaſi in re dubia diviſa eſt inter eum & Titii dominum hereditas, viſumque abunde ſubſtituto ſatisfieri ſemiſſe conceſſo, §. *ult. Inſtit. de vulg. ſubſtit.* & *l.* 40. *D. de hered. inſtit.* Idemque fit in hac ſpecie: cum teſtator uni optionem ſervi, alteri Stichum legat. Stichus quaſi in dubio voluntatis dividitur inter utrumque legatarium, *l.* 99. *D. de legat.* 1. *l.* 11. *D. de opt. leg.* Quod profecto valde eſt in Jure novum atque adeo ſingulare; cum occurrant paſſim caſus etiam dubioſiores, nuſquam tamen ſit videre a judice adhibitum hoc remedium componendae litis, ut res, qua de quaeritur, inter litigantes dividatur. Id decidere verius eſt, quam judicare, & amicalis compoſitionis via verius, quam ſententiae judicialis: quod Tullius eleganti locutione *medium ferire* vocat, in *lib. de fato cap.* 17. *Chryſippus tanquam arbiter honorarius mediam ferire voluiſſe:* exprimens Platonis illud μέσον τεμεῖν; ut Victorius notavit. Qua forma & Stoicos, quaſi medium plerumque ſequentes, Servius Honoratus eleganter *herciſcundos* vocat. Itaque in *l. Neſennius* 34. *D. de neg. geſt.* & ſi dubium eſſet, an alimenta nepoti de ſuo jure pietatis praeſtitiſſet avia, an ex re nepotis; Paulus nequaquam admittendam cenſuit, de utroque patrimonio erogata videri. Et ſimiliter, cum legatum eſt Titio, & duo extant Titii pariter amici teſtatoris, in dubio poterat ſcindi legatum & ex aequo dividi inter duos Titios; ſed potius neutri datur, quia non apparet, cui teſtator dari voluerit, *l.* 3. §. *ſi duob.* 7. *D. de adim. leg. l.* 30. *D. de teſt. tut.* Item ſi teſtator Titio fundum inſtructum, Maevio fundum inſtructum legaverit, & iiſdem inſtrumentis in utroque fundo uſus ſit, nec appareat, cui fundo ea inſtrumenta deſignaverit; non pro parte dividentur ea inſtrumenta, ſed neutrius legato potius cedent, *l.* 12. §. *ſi quis eodem* 14. *D. de inſtrum. leg.* Et is, quem directo pater ſubſtituit filio poſt 14. annos, quod fieri non poteſt) ut, filio mortuo poſt pubertatem, non admittitur in aſſem, ut ſubſtitutus, ita nec, filio vivo, adjungitur ut coheres, ut fiat contra voluntatem teſtatoris, *l.* 7. *D. de vulg. & pupill. ſubſtitut.* Eodemque modo ſubſtitutus datus vulgariter ſub hac conditione: *ſi heres non cernat hereditatem*, herede non cernente, ſed pro herede gerente; cum dividi ſoleret, tanquam in re ambigua, hereditas inter ſubſtitutum & heredem. D. Marcus conſtituit, ſubſtitutum penitus excludi; ut Ulpianus ſcribit, libro ſingulari regularum *tit.* 22. § *ult.* Poſtremo licet theſauri repertor eum cum domino ſoli, in quo invenit, aut cum Caeſare vel fiſco, ſi in principali vel publico loco invenit, dividat, §. *theſauros* 39. *Inſtit. de rer. diviſ.* emptor tamen fundi, ſi poſt traditionem in eo fundo theſaurum invenerit, cum venditore eum non dividit, ſed ſolus ſibi habet, Donat. *in prologo Eunuchi.* & *l.* 67. *D. de rei vindic.* Atque ita apud Philoſtratum *lib.* 2. *cap.* 39. propoſita ea ipſa quaeſtione inter emptorem fundi & venditorem ſuper theſauro in eo reperto; cum venditor quidem ſibi eum vindicaſſet, emptor ſe incolumem ſuiſſe ... ſuiſſent: id enim vel anicula quaevit judicaverit: εὐήθης δ' ἂν ἐγὼ φαινοίμην εἰ κελεύσαιμι ἄμφω νείμασθαι τὸ χρυσίον· τουτὶ γὰρ ἂν καὶ γραῦς διαιτῴη; atque ideo Apollonii Philoſophi ſuper hac controverſia judicium exquirit, qui theſaurum emptori & repertori, ceu Deorum donum, totum addicit. Ut non inſcite Accurſius in *d. l.* 34. *D. de neg. geſt.* dicat, eſſe rationem ruſticorum, rem vel quaeſtionem per medium ſecare. Anile vel ruſticum eſt id, de quo contenditur, inter litigantes, dividuum facere. Qua ratione & olim, cum quidam Lebedii, jactum retis mercati, tripode aureo a piſcatoribus comprehenſo, cui is cedere deberet, cum illis contenderent, poterant vel Coii vel Mileſii vel etiam ipſum Apollinis oraculum tripodem inter utroſque dividere: ſed maluit neutri, & extraneo adjudicavit, ei nimirum, qui ubicunque inveniretur ſapientiſſimus, qualis Thales a Coiis Mileſiiſque judicatus, tripode potitus eſt, Laërtio Auctore. Eſt tamen caſus, ubi haec ratio non improbanda videtur. Lex Caſtrenſis ita ſcripta eſt: *Qui primus murum aſcenderit, tale praemium habeto:* duo ſimul aſcenderunt pari conatu, utri praemium debebitur? Et ex vi verborum neutri deberi quidam cenſuerunt. Alter enim alteri impedimento eſt, *l. invicem* 43. *D. de hered. inſtit.* & inter pares nulla poteſt eſſe victoria, *l. ſi reus* 13. *D. de duobus reis.* Aequitate vero inſpecta, valde durum videtur, neutrum praemio potiri, cum meritus ſit uterque. Sed divideturne, an quilibet habebit ſolidum? Et ſi praemium diviſionem recipiat, promtius eſt, ut dividi dicamus: ſi non recipiat, ut, ſi pro praemio adſignatus ſit equus vel taurus, ut quilibet ſolidum habeat: *Nam remuneranda pericula, quin etiam praemiis hortanda placuit merito*, *l.* 5. §. *negotiatores* 3. *D. de jure immunit.* Et hoc feciſſe aliquando Domitianum Martialis in *Spectac.* 29. refert, in certamine Priſci & Veri:

Inventus tandem eſt finis diſcriminis aequi.
Pugnavere pares, ſuccubuere pares.
Miſit utrique rudes, & palmas Caeſar utrique;
Hoc pretium virtus ingenioſa tulit.
Contigit hoc, nullo niſi te ſub principe, Caeſar:
Cum duo pugnarent, victor uterque fuit.

Hoc ſi pariter felix fuerit utriuſque conatus. Si par fuiſſet conatus; ſucceſſus impar: praemium quidem utique ei cedit, qui conditionem perfecte adimplevit. Sed adhuc alterius conatus dignus aliquo ſolatio remunerationeque videtur. Ut in certamine curſorio Nyſi, Euryali, & Salii [Virgil. *lib.* 5. *Aeneid. v.* 348.]

Optimus Aeneas: Veſtra, inquit, munera vobis
Certa manent pueri, & palmam movet ordine nemo.

Quin nimirum ei contingat, qui re ipſa primus ad metam fuit. At Salius [Idem *Ibid. v.* 342]

Ereptum dolo reddi ſibi poſcit honorem.

Quo & ipſo praemium ſui conatus ferente [Idem *Ibid. v.* 353.]

Tum Niſus: ſi tanta, inquit, ſunt praemia victis
Et te lapſorum miſeret; quae munera Niſo
Digna dabit, primam merui, qui laude coronam,
Ni me, quae Salium, fortuna inimica tuliſſet?

Ideoque & hunc quaſi nihilo prioribus inferiorem praeſtanti munere, velut ſolatii loco, Aeneas donat. Neque abſimile eſt illud apud Pindarum *in Olympiis Ode* 7. cum Minerva de capite Jovis nata eſſet, praedixit Hyperionides fore, ut maximum commodum hi conſequerentur, qui primi Deae aram illuſtrem condidiſſent, & venerandum facerent ſacrificium. Tum Rhodii confeſtim in arce aram erexerunt ſacrificaruntque, ſed non ſatis ſolemniter, utpote ignem affer-

vel ob paritatem probationum, utrinque factarum) concedere ei noſtros Doctores, ut rem dividat, expenſas compenſet. Quo remedio tamen parciſſime utendum exiſtimo.

CAPUT XXVIII.

De non aedificando in loco publico, & de curatoribus locorum publicorum perſequendorum.

QUidlibet in publico facere licet, cujus uſus ad populum ſpectat. Publico inaedificare non licet: nam qui aedificat, id areae, quod aedificio occupat, ex publico privatum facere intendit; quod ratio non ſinit. Neque ſolum ita in publico aedificare non licet, ut aedificium, quod ante non erat, in eo ponas: ſed quod ante tuo in ſolo poſitum erat, ne producas paulatim in publicum ſolum; quod apud Feſtum Pompejum eſt *proaedificare*. Et de hoc interdictum eſt Praetoris, *ne quid in loco publico vel itin. fiat*, quod fieri quidem vetat; addit autem haec verba: *De eo quod factum erit, interdictum non dabo.* Unde apparet, prohibitorium eſſe id interdictum tantum, non reſtitutorium, *l. 2. §. 1. & §. ſi quis nemine 17. D. Ne quid in loc. publ. &c.* Et ſane, ſi quis, nemine prohibente, in publico aedificaverit quod nemini noceat, non eſt cogendus tollere & demoliri, ne urbs deformetur ruinis, *d. §. ſi quis* 17. & *l. ult. eod.* Magna habetur ratio decoris urbis, ne hiantibus ruinis deformetur, *l. praeſes 7. D. de off. praeſid. l. 6. C. de aedif. privat. l. 1. D. de tigno jun. l. 46. in princ. D. de damn. inf.* Atque ideo frequenter id Romae factum legimus, praeſertim a ditioribus, ut in publicum proaedificarent: unde apud Senecam *lib. 5. controverſ. cap. 5.* conqueritur ea de re pauper: *In immenſam* (inquit) *excitati altitudinem parietes lucem nobis non impediunt? infinitis porrectae ſpaciis ambulationes, & urbium ſolo aedificatae domus non nos prope a publico excludunt?* Sed ſi adverſus edictum Praetoris quis aedificaverit, utique tollere aedificium debet, ut ſua conſtet Praetoris imperio authoritas, *d. l. ult.* Idemque eſt, ſi obſtet id aedificium uſui publico vel privato, *d. §. ſi quis* 17. & multo magis, ſi in loco ſacro factum ſit; tunc enim factum omnino reſtituere jubemur propter religionem, *d. l. 2. §. locorum ſacrorum 19. eod.* Propter religionem (inquam) quae non fert ex ſacris locis profana privataque fieri, *l. 6. §. ſacrae 2. & l. ſacra 9. D. de rer. diviſ. l. 83. §. ſacram 5. D. de verb. oblig.* His itaque caſibus aedificium demoliendum eſt. Sed ſi id magis expediat ſtare (puta, quod nihil publico uſui officiat) ſolarium aedificatori imponendum eſt, id eſt, vectigal, quod pro ſolo pendat, *d. §. ſi quis* 17. Vel, ſi magis videatur, aedificator receptis ſumptibus ex magiſtratus taxatione aedificium, a ſe vi vel clam factum, populo reſtituet; qua de re erat olim plebiſcitum, quod refert Dionyſius Halicarnaſſeus *lib.* 10. his verbis *Ὅσα βεβιασμένοι τινὲς ἢ κλοπῇ λαβόντες ᾠκοδομήσαντο, κομισαμένους τὰς δαπάνας ἃς ἂν οἱ διαιτηταὶ γνῶσι, τῷ δήμῳ παραδιδόναι.*

Nunc videamus, ad quem haec demoliendi vel publico vindicandi poteſtas pertineat. Ulpianus generaliter ait, ad eum, qui operibus publicis procurat, *d. §. ſi quis* 17. De cenſoribus Livius autor eſt *lib. 43. cap. 18. Clientem libertinum parietem in ſacra via adverſus* *quoque 10. D. de muneribus.* Videntur & hanc in rem creati fuiſſe, qui *curatores locorum publicorum perſequendorum* vocantur; ut hac inſcriptione Genevenſi:

T. JUL. T. FIL. CORN. VALERIANO.
PATRONO. COLON. IIVIRO. AER. IIVIRO.
LOCOR. P. PERSEQVENDOR. TRIB. MILIT.
LEG. VI. VICTR. PRAEF. FABRUM. FLAM. AVG.
PONTIFICI.
JULIA. T. F. VERA. PATRI. OPTIMO.

Idem hic locorum publicorum perſequendorum & fabrum praefectus fuit, quae praefecturae Aedilitati & Aſtynomiae cohaerent.

CAPUT XXIX.

Reſponſum, an teſtis ex conſuetudine loci, injuratus deponens, ſi celet veritatem, perjurii, vel falſi teſtimonii, vel ſtellionatus reus ſit.

Quaeris, ſi aliquo loco ſit conſuetudo, ne teſtes, cum ad examen accedunt, Juramentum praeſtent corporale, ſed tantum porrecta dextra fidem dent, veluti Juramenti loco, veritatem dicturos: Utrum teſtis fiat perjurus & perjurii poenas incurrat, qui invenitur celaſſe veritatem in depoſitione ſua. Non quaeris, utrum talis conſuetudo, Juramenti gratiam faciens, rationabilis & valida ſit; nec, utrum ejuſmodi teſtis injurati dicta fidem faciant: de qua quaeſtio. Andr. Gail. *lib. 1. obſervat.* 101. Itaque praeſupponere videris, valere utrumque tam conſuetudinem, quam depoſitionem, ejuſmodi ſtante conſuetudine; quae verior eſt ſententia. Et hoc tantum quaeris, utrum ejuſmodi teſtis injuratus propter diſſimulatam veritatem reus fiat perjurii? In quo duplex eſt dubitationis cauſa, una propter omiſſum jusjurandum; altera propter celationem veri: quae minus eſſe videtur, quam profeſſio falſitatis.

Ut igitur utramque dubitationis cauſam expediam, mirum ſane poſſit videri, ſi perjurium incurrat is, qui non juravit. Dicat aliquis: Atquin illa fidei dextraeque datio loco eſt juramenti: nam & Commiſſarius, cum eo modo ſibi dari fidem poſcit diſerte, *id juramenti loco fore:* An eines leiblichen Eydes ſtatt/ &c. Et conſtat quidem inter Doctores, interpoſitionem fidei juramento aequiparari, & omnem praeſtationem fidei eſſe juramentum, de ſententia Canoniſtarum, & tantum operari, quantum verum & corporale Juramentum, eosdemque effectus producere, per text. & Doct. in hanc rem allegatos a Gail. *lib. 2. obſ.* 59. Et ipſe Deus non facit differentiam inter ſimplicem loquelam & juratam; nec minus averſatur mendacium ſimplex, quam perjurium, *cap. juram. 22. q. 5.* Calc. *conſil. 25. num.* 34. Cujac. *Obſervat. lib. 22. cap.* 7. Itaque ego divinae ultioni ejuſmodi teſtem plane relinquo, quae quemvis perjurum & perfidum manet, *l. jurisjur. 2. C. de reb. cred.* Sed inter homines nego, hunc perjurum eſſe aut videri debere, nedum poenis perjurii affici, quae licet jure civili nullae ſint proditae, ſi quae tamen moribus hodie uſurpantur; digitorum puta abſciſſio, linguae perforatio, & infamia: ab his ipſis hunc, de quo agimus, teſtem immunem eſſe ſtatuo. Neque obſtat, quod de aequiparatione datae fidei cum jurejurando

Digitized by Google

ni, ſine qua non eſt jusjurandum; quod ideo defi-nitur *affirmatio ſancta*, unde ex Juramento non tam parti, quam Deo obligatio acquiri dicitur, Rol. *conſ.* 2. *num.* 15. *vol.* 2. Quae ſententia & aequior eſt, ut fiat reſtrictio in poenalibus juxta *cap. odia* 15. *de reg. jur. in ſexto. cum ſimil.* Sed modo videamus, utrum talis teſtis, ſi non perjurii (ut declaratum eſt) ſaltem falſi teſtimonii reus ſit, quod eſt diverſum crimen a perjurio. Nam perjurii (ut dixi) nulla prodita eſt Jure civili perſecutio, nulla poena ordinaria, quando per Deum eſt pejeratum, *d. l. jurisjurandi* 2. *C. de reb. cred.* Secus quando per Principem, ut per Genium, per Salutem, per Fortunam Principis, *l. ſi duo* 13. *§. ult. D. de jurejurand. l. ſi quis major* 41. *in fin. C. de tranſact.* Tertullianus *Apologetico: Citius denique apud vos per omnes divos, quam per unum Genium Caeſaris pejeratur.* Falſi autem teſtimonii (quod tamen ipſum perjurio non caret, cum teſtis juratus deponit) poena eſt eadem, quae alterius falſationis cujuscunque ex lege Cornelia; Deportatio nimirum, & bonorum publicatio, & in ſervis ſupplicium, *l.* 1. *in princ. & §. ult. l. eos qui* 27. *D. ad l. Cornel. de falſ.* de quibus poenis plura in *collat. legum Moſaic. & Rom. tit.* 8. *de falſ. teſtimon per not.* Et hanc ſane poenam noſter hic teſtis non tam facile effugerit. Nam, ut de altera dubitationis cauſa, veritatis nimirum diſſimulatione, dicam, quod ſentio (etſi aliud eſt falſum pro vero enunciare & profiteri; aliud verum celare & ſupprimere) tamen ſcitum eſt, quod ille, qui producitur in teſtem, ſi dicat, *ſe neſcire vel non recordari*, quorum veriſimiliter notitiam habet vel recordatur, teneatur poena falſi, Bald. in *l. presbyter. notab.* 4. *cap. de epiſc. & cler.* & in *l. defenſionis facultas* 7. *circa finem. C. de jure fiſci, lib.* 10. Eaque eſt limitatio ad gloſſam in *l. ſi mora* 9. *D. ſolut. matrim.* quae dicit, gravius eſſe delictum, quod committitur faciendo, quam omittendo. Fallit enim in teſte, qui aeque punitur de falſo, ſi deliquit tacendo & diſſimulando veritatem, atque ſic omittendo, quam ſi dicendo falſum, & ſic faciendo; quod notabiliter tradit Joann. de Arno. *cautela* 14. Verum enim, quia hic ſumus in caſu injurati teſtimonii, res adhuc dubia manet: dicit enim Baldus in *l. jurisjurandi* 9. *in fin. C. de teſtib.* teſtem, qui non juratus depoſuit, falſum dicendo non teneri de falſo, ſed crimine ſtellionatus, & ſic ad extraordinariam poenam; citra tamen infamiam, quia ſtellionatus judicium non eſt famoſum, *l.* 2. *D. de ſtellion.* Quae quidem Baldi ſententia valde quadrat ad noſtrum caſum, ob hanc etiam rationem, qua nos agimus de teſte, qui non falſum dixit, ſed verum reticuit & celavit; quae diſſimulatio proprie eſt Stellionatus, immo Stellionatus proprie deprehenditur & agnoſcitur ex diſſimulatione, ut patet ex *l. tutor* 16. *§. contrariam* 1. *l. ſi quis in pignore* 36. *§. ult. D. de pignor. act. l.* 2 *C. de crim. ſtell. l.* 3. *D. eod.* atque ita notat D. Cujac. *libr.* 13. *obſerv.* 21. Sed (ſi recte animadvertimus) Baldus illo loco ad hanc ſententiam certa quadam ratione movetur; quia nimirum ponit examen eſſe nullum, cum non juratus depoſuit teſtis: quod ſane, non extante tali conſuetudine, qualem propoſuiſti, verum eſt, Gail *d. obſerv.* 101. *per tot.* Ex hinc eſt, quod idem Baldus in *l.* 1. *C. de ſepulch. viol.* dicit, ſi teſtis non juravit, quo caſu dictum ejus non habet formam, quod non puniatur poena falſi, niſi (inquit) ſit talis, cui ſtaretur ſine ejuramento: tunc enim puniretur de falſo ac ſi juraſſet, *l.* 1. *D. de ventr. inſpic.* Quo argumento etiam [illegible] alicui praejudicaverit vel damnum attulerit, text. gl. Bald. & Salic. in *l. damus* 23. *C. ad l. Cornel. de falſ.* Ang. *in tract. de malefic. verſic. Quaero quot modis, in verbo: Falſaria.* Socin. *conſil.* 54. *num.* 4. *volum.* 1. Sed tamen concedo, extra ordinem puniendum, veluti ex crimine Stellionatus. Quomodo fere in ſimili decidit Joannis de Arnono *Commentar.* 56. Atque ita ex juris arte ad quaeſtionem propoſitam reſpondendum cenſeo.

CAPUT XXX.

De Partibus Juris Publici, Senatorio, Pontificali, Augurali. Et de libris veterum Pontificum.

JUs publicum, quod ad ſtatum rei Romanae ſpectat, in ſacris, in ſacerdotibus, in magiſtratibus conſiſtit. Ulpianus in *l.* 1. *§. hujus* 2. *D. de juſt. & jur.* Fab. Quintilian. *lib.* 2. *cap.* 4. *circa fin.* Ejus, quod in magiſtratibus conſiſtit, pars erat jus Senatorium. Plin. *lib.* 8. *epiſt.* 14. *Ad. Ariſton. Cum ſis peritiſſimus & privati juris & publici, cujus pars Senatorium eſt, cupio ex te potiſſimum audire.* Ejus, quod in ſacris & ſacerdotibus, partes Jus Pontificiale, Jus augurale. In his tractabatur de religione cultuque Deorum, de ceremoniis ſacrificiorum variorum, auſpiciis, extiſpiciis, deque officio ipſorum Pontificum, ſacerdotum, flaminum: qui velut ſacri quidam magiſtratus erant, & peculiarem ſuam *hierarchiam habebant*, civilem politiam in multis repraeſentantem. Atqui ideo hae Juris publici partes ab Auctoribus noſtris minime praeteritae fuerunt. Scripſit enim Labeo (quem Juris Pontificii & ſacerdotalis peritiſſimum fuiſſe, praedicat Auguſtinus *lib.* 2. *de civ. Dei. cap.* 11. ab eoque Platonem inter ſemideos collocatum, ut Herculem, ut Romulum, refert *cap.* 14.) de verbis pontificalibus libros ſexaginta octo; Attejus Capito libros de Jure ſacrificiorum; Trebatius religionum libros novem; Neratius Pontificales quaeſtiones & librum de ſupplicationibus; Varro rerum divinarum libros quatuor; Nigidius de Diis; Higinus de proprietatibus Deorum, & alii, qui paſſim allegantur a Gellio, Macrobio, Varrone, Feſto, Nonio, Priſciano, Seneca. De Servio Sulpicio refert Tullius *in Bruto*, ſe illum Sami ſtudioſe & frequenter audiviſſe docentem, Jus Pontificium qua ex parte cum jure civili conjunctum eſſet. Mirumque eſt, a recentiorum nullo has antiqui Juris partes reſtauratas, & ex profeſſo tractatas eſſe. Quod ipſe aliquando aggreſſus fueram magnis viris autoribus, quibus id me receperam praeſtiturum. Sed neſcio, quomodo talia tractanti idem non contingere non poteſt, quod Livius queritur *lib.* 43. ut vetuſtas res ſcribenti, neſcio quo pacto, antiquus fiat animus. Atque ideo, cum hoc ingenium & qualemcunque profectum aliis muneribus occupationibusque gravioribus deberi animadverterem, veluti novo opere nunciato, a re coepta atque adeo affecta deſtiti, reputans apud me & volutans ſubinde, ſi quis totum illud jus (quod tamen intercidit omne) reſtitueret & repararet: idem tamen de ejus opere, his Chriſtianis temporibus, ſentiendum fore, quod de ipſis Pontificum libris judicat Lactantius *lib.* 1. *de fal. relig.* 121. *Non exigo, ut aliquis Poetarum fictionibus credat. Qui hos mentiri putat, Pontificum ipſorum ſcripta conſideret, & quidquid eſt litera-*

Digitized by Google

ingurgitandum. Deguſtandum autem tantum, quantum neceſſe eſt ad juris civilis cognitionem. Et Senecam audio *de brevit. vitae cap.* 13. *Graecorum iſte morbus fuit, quaerere, quem numerum remigum Ulyxes ha*-*bis implicari.* Haec ille Sophus; & bene.

cupiditates premeut, quem fortiorem, quem juſtiorem, quem liberaliorem facient? Dubitare ſe interim Fabianus ajebat, an ſatius eſſet, nullis ſtudiis adhiberi, quam

F I N I S.

MARQUARDI FREHERI, JCti, ΠΑΡΕΡΓΟΝ, SEU VERISIMILIUM LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Servius quomodo a Qu. Mucio tactus. Tangere. Jus pro auditorio.

Quod Cicero ſcribit *lib.* 1. *de Oratore cap.* 38. *Ecquod tandem os eſt illius patroni, qui ad cauſas agendas ſine ulla ſcientia juris audet accedere?* Idem fere Servius Sulpicius ſuper cauſa amici Q Mucium (erat ejus domus velut oraculum civitatis) conſulens, nec ſatis ipſum, etſi ſemel atque iterum ad praepoſitum de jure reſpondiſſet, percipiens (credo propter conciſam & vere oraculo dignam reſpondendi rationem) audiſſe refertur: *Turpe eſſe patricio & nobili & cauſas oranti, jus, in quo verſaretur, ignorare, l.* 2. §. 43. *D. de orig. jur.* Exiſtimo, Mucium hoc dicto alluſiſſe ad verbi ambiguitatem, quo & jus ipſum, & locus, ubi jus redditur, more majorum, ſive auditorium & juſtitiae officina deſignatur; id quod fit, & ubi fit, *l. pen. D. de Juſt. & jure.* Auditorium voco, ut in *l.* 41. *D. de recept. l. lecta* 40. *D. de rebus cred.* & *l. cum in fundo* 78. §. *pen. in fin. D. de jure dot.* quaſi in hunc modum Mucius locutus ſit: Turpe eſſe cauſas oranti, cum in Jure verſetur, jus tamen ignorare. Sentiens nimirum, ſatis indignum eſſe, patronum cauſarum, & (ut cum Juſtiniano loquar) judiciorum athletam, cum pro roſtris aſſidue verſetur, & frequens tantumque non ordinarius coram Praetoribus conſpiciatur, in jure tamen civili novum quodammodo eſſe ac profanum, & (ut apud Plinium Secundum Ariſto Juriſconſultus loquitur, *lib.* 8. *epiſt.* 14.) *quaerere, quod noſſe debeat*, Nobilem adeo & patricium: cum tamen, ut Juvenalis canit, *Sat.* 8. *vſ.* 47.

> —— —— *ſaepe ima plebe Quiritum*
> *Facundum invenias. Solet hic defendere cauſas*
> *Nobilis indocti: veniet de plebe togata*
> *Qui juris nodos & legum aenigmata ſolvat.*

Hoc igitur fere modo a Q. Mucio tactus eſt Servius; ut Pomponius ait. Vulgo perperam & inſulſe legitur *tractatus*, pro *tactus*, vel *taxatus*. Quomodo & apud Gellium mendoſa eſt inſcriptio *capitis ult. lib.* 8. *Quibus modis ignominiatus tractatusque ſit a C. Caeſare Laberius.* Tangere, Feſto Auctore, perſtringere eſt; notare, ſugillare: unde *taxatores* Comici dicti, quod alter alterum maledictis & ſcommatis tangat & inſectetur; ut Terentius *in Prologis* conſuevit. Comicus Comico laceſſenti reſpondebat; Tragoedus Comico non item: quaſi non dignante Tragica gravitate cum Comica libertate verba commutare. Diog. Laërtius *in Xenocrate:* Σκωπτόμενος ὑπὸ Βίωνος οὐκ ἔφη αὐτῷ ἀποκρινεῖσθαι. Μηδὲ γὰρ τὴν τραγῳδίαν ὑπὸ τῆς Κωμῳδίας σκωπτομένην ἀποκρίσεως ἀξιοῦν. Jus autem & pro foro ſive auditorio dicitur eadem forma, qua ex Verrii Flacci libro Gellius refert *lib.* 18. *cap.* 7. Senatum dici & pro loco ſive ſenaculo, & pro hominibus; civitatem & pro loco ſive oppido, & pro jure quoque omnium, & pro hominum multitudine; tribus & decurias & pro loco, & pro jure, & pro hominibus; concionem & pro loco ſive ſuggeſto, unde verba fiunt, & pro coetu populi audientis, & oratione ipſa. Eademque ſignificatio juris ſervanda eſt illo loco Varronis, *de Ling. Lat. lib.* 4. *Praetor eſt, quae praeiret in jure & exercitu* (ſic legendum) in jure, eſt in judicio. Duplices ſunt enim Praetores, Civiles ſive Juridici, ut octodecim illi, & Caſtrenſes ſeu militares, Graecis στρατηγοί. De quo genere capiendus Horatius *lib.* 2. *Epiſt.* 2. *vſ.* 34. non ut quidam reconditiori ſenſu referunt ad *l. ſi is* 20. *D. com. divid.* illo loco:

> *Forte ſub hoc tempus caſtellum evertere Praetor*
> *Juſſerat* . . . . . .

Propertius *lib.* 3. *El.* 2. *vſ.* 41.

> *Nil tibi ſit rauco praetoria claſſica cornu*
> *Ferre, nec Auſonium cingere Marte nemus.*

Utrique generi ſua ſunt Praetoria. Praetor civilis praeit in jure inter judices; Praetor militaris in exercitu inter milites; Anteceſſor in ſchola. Et praeire (unde Praetor dicitur) ſive antecedere, pollere eſt poteſtate primaria & antecellere caeteris.

Digitized by Google

ſtamenti intereſſe: ſed ſatis eſſet, ſubſcriptiones ab illis & ſignicula ubicunque addi (puta ad domum miſſo teſtamento) apparet ex *l.* 9. *C. de teſtam.* Eſt id quidem contra juris obſervationem: Iidem tamen Imperatores in *l.* 8. *eod.* conceſſerunt fieri tempore peſtis, timore (ut loquuntur) contagionis (quae teſtes deterrere ſolet) quo minus ad eos accedant, quos decumbere & teſtamentum meditari audiunt, ſtatim ſuſpicantes peſte eos laborare; adeo ut difficile ſit, peſtilentia graſſante, teſtes & ſignatores invenire, qui teſtaturis adſint. Ob quam neceſſitatem caſus majoris & novi contingentis etiam Plato *lib.* 4. *de Legibus* ſcribit, aliquid de Jure ſtricto ſolere relaxari: πολλὰ ϗ νόσοι, inquit, ἀναγκάζουσι καινοτομεῖν, λοιμῶν τε ἐμπιπτόντων, ϗ χρόνον ἐπὶ πολὺν ἐνιαυτῶν πολλάκις ἀκαιρία: *Multa & morbi de jure cogunt immutare peſtilentia ingruente, & multorum annorum continua ſterilitas annonam adgravans.* Remiſerunt igitur peſtis tempore Imperatores teſtibus, ne neceſſe habeant ad teſtatorem accedere; vel teſtatoribus potius, ne neceſſe habeant teſtes in conſpectum ſuum cogere & convocare, his verbis: *Teſtes enim huiusmodi morbo oppreſſis* (ita legendum eſt) *jungi atque ſociari remiſſum eſt.* Reliquas autem ſolennitates, quibus fides teſtamentorum continetur, ne peſtis quidem tempore negligi voluerunt; puta, ut teſtamentum ſua manu gnarus literarum teſtator ſcribat aut ſubſcribat, & ne pauciores, quam ſeptem teſtes adhibeat, & hi, ut uno in loco conveniant, ubi teſtamentum conſignent. Id enim haec verba denotant: *Non etiam conveniendi numeri eorum obſervatio ſublata eſt*; ſi modo eo loco non legendum potius eſt, *convenientis numeri*; quod non paullo latinius eſt, & ſeptem teſtium, numerum jure Praetorio definitum denotat. Is tamen numerus horum temporum obſervatione ad pauciorem eſt redactus, adeo ut plerisque in locis non niſi duo teſtes, ſed hi idonei & exceptione majores, tempore peſtilentiae, in condendis teſtamentis requirantur. Quod & Ripa probavit in tractatu *de peſte cap. de privileg. teſtam.* Quod ſumme notandum eſt, ne, neglecta omni ſolennitate & cautione, falſariis occaſio detur teſtamenta ſupponendi, proque veris obtrudendi: ut non ineleganter dicere poſſis, quod de militibus dicit Florentinus in *l.* 24. *D. de teſtam. milit.* nullius magis intereſſe, quam eorum, qui peſtis tempore teſtantur; non quodvis teſtamentum pro rato haberi, quod ipſorum nomen praefert.

CAPUT III.

Secundum Capitulum Legis Aquiliae quod fuerit; quamque ob cauſam in deſuetudinem abierit.

Ulpianus libro 18. ad edictum ait, ſecundum legis Aquiliae capitulum in deſuetudinem abiiſſe: qua autem de re ſtatuerit ea pars legis, quamque ob cauſam antiquata ſit, non addit, nec quicquam fere ex omni antiquo jure hodie eſt obſcurius, & in quo eruditorum virorum ſagacitas minus profecerit. Nam quod quidam autumant, eo capite cautum fuiſſe de quavis ratione damni dati, etiamſi res noſtra laeſa, id eſt, occiſa, rupta, fracta, uſta non eſſet: quis credat de tali damno ſtatum ſecundo & medio legis capite edicturum fuiſſe legislatorem, ac non potius ultimo capite veluti miſcello reſervaturum? Minus probabile eſt, quod iidem mutata ſententia alibi ſcripſerunt, fuiſſe eo capite cautum de quibusdam caſi-

men ſi eſt, non video, quare Ulpianus de lege quidem Aquilia lib. 18. de ſervo autem corrupto lib. 23. & ſic longo poſt intervallo tractet. Deinde eſt & ubi ab eodem Ulpiano ſervi corrupti actio Legi Aquiliae quaſi diverſa opponitur: *Haec actio* (inquit) *etiam adverſus fatentem in duplum eſt: quamvis Aquilia inficiantem duntaxat coërceat*, *l.* 5. §. *haec actio.* 2. *D. de ſervo corrupto.* Sed nec video, quam ob cauſam id caput in deſuetudinem abire debuerit. Putavi aliquando, eo capite actionem *de dejecto vel effuſo* proditam fuiſſe: qua ſane ex cauſa dominum aedium legis Aquiliae actione condemnari poſſe, Ulpianus ſcribit, *l.* 5. §. *cum autem* 4. *D. de his qui dejec. vel effud.* verum id ideo, quia damnum dejiciendo aut defundendo datum & ipſum rupti ſive corrupti appellatione poteſt comprehendi, *l.* 27. §. *inquit lex* 13. *D. ad l. Aquil.* Qui enim ſordes vel aliud quidpiam illic, ubi vulgo iter ſit, in transeuntem defundit, ſi ejus corpori non nocet, ſaltem veſtes ſuaſo inficit, violat, vitiat, & corrumpit igitur. Unde merito veſtes, ſuaſo maculisque infectas, Naſo laeſas vocat, *lib.* 3. *Faſtorum v.* 821.

Hanc cole qui maculas laeſis de veſtibus aufers.

Ea autem, quae dejiciuntur vel decidunt, quantum rumpendo frangendoque etiam corporibus transeuntium nocere poſſint, ſatis Juvenalis oſtendit, *Satyra* 3. *v.* 269. *ſeqq.*

Quod ſpacium terris ſublimibus, unde cerebrum
Teſta ferit, quotiens rimoſa & curta feneſtris
Vaſa cadunt, quanto percuſſum pondere ſignent
Et caedant ſilicem? Poſſis ignavus haberi.
Et ſubiti caſus improvidus, ad coenam ſi
Inteſtatus eas. adeo tot fata, quot illa
Nocte patent vigiles, te praetereunte, feneſtrae.
Ergo optes votumque feras miſerabile tecum,
Ut ſint contentae patulas effundere pelves.

Et in promptu eſt exemplum Paſtoris nepotis ex filio Auſonio Burdegalenſis, qui, teſta de tecto ab artifice dejecta, occiſus eſt; ut *in parentalibus* refert *cap.* 11. Plane competit igitur ex cauſa dejecti vel defuſi Aquiliana actio, ſed ex tertio capite, veluti de rupto aut corrupto. Quo igitur de damno tandem ſecundo ejus legis capite cautum fuit? Aut de nullo, aut de eo, quod a quadrupede datur, & *pauperies* vocatur; eo quod animal noxiam nocendo dominum precio ſuo pauperet. De ea actio duodecim tabulis primum fuit prodita, *l.* 1. *D. ſi quadr. paup.* quemadmodum & de quovis damno & injuria dato, *l.* 1. *D. ad leg. Aquil.* Deinde Aquilium Tr. pl. in ſuo plebiſcito, ut de damno injuria, ita & de pauperie ſanxiſſe crediderim. Cum enim primo ejus plebiſciti capite de pecude occiſa, aut (qui pecudi exaequatur, *l.* 2. §. 1. *D. eod.*) ſervo occiſo edixiſſet: ſequenti capite commodo ſubjecit de pecude, ſive quadrupede occidente, ut ſi aries vel taurus meus tuum adgreſſus noxiam commiſiſſet, ejus ſarciendae cauſa Aquiliana competeret. Idque ex eo maxime colligitur, quod & Paulus eodem libro, quo de Aquilia ſcripſit, nimirum viceſimo tertio ad edictum, etiam de pauperie ſcripſit; ut apparet ex *l.* 2. & 4. *D. ſi quadrup. pauper.* & Ulpianus libro octavodecimo ad Edictum, quo toto de lege Aquilia & damno injuria tractavit, quoque ejus legis ſecundum caput refert eſſe antiquatum, eodem etiam libro de pauperie ſcripſit, unde deſumpta eſt *l.* 1. *D. eod.* Quare autem ex eo capite Aquiliana actio in deſuetudinem abierit, hanc fuiſſe cauſam exiſtimo: Ut Lex Julia de vi, Cornelia de falſo, Fabia de plagiariis; ita Aquilia de

da-

Digitized by Google

re; ut Seneca docet in *libr. non can. in ſapient. injur. cap.* 12. non furioſus igitur, non impubes, *l.* 3. §. *ſane* 1. *D. de injur.* non animal brutum, *l. pen.* §. *ult. D. de aedil. edict.* non magis, quam ſi tegula ceciderit, *l.* 5. §. *& ideo* 2. *D. ad leg. Aq.* eamque ob cauſam decemviros id damnum, quod a quadrupede daretur, maluiſſe pauperiem, quam damnum injuria vocare, *l.* 1. §. 3. *D. ſi quadr.* Hac, inquam, ex cauſa factum eſt, ut ea actio frequentari deſineret, & legitima actio ex lege duodecim Tabularum repeteretur, quae *antiqua lex* vocatur, *d. l.* 14. *D. de praeſcr. verb.* Non capto, ut quis me dicat rem acu tetigiſſe: ſed nec in re tam obſcura video, quid afferri poſſit probabilius.

CAPUT IV.

De Nuptiis liberorum, & de diſſenſu parentum; & de concubitu accedente.

Quod Canoniſtae tradunt, parentum conſenſum in liberorum nuptiis de honeſtate requiri, ſufficere poterat, ut inde colligeretur, cum conſenſum etiam apprime neceſſarium, minimeque negligendum videri; quia in conjunctionibus id, quod honeſtum vel potiſſimum obſervandum eſt, *l.* 14. §. 1. *l.* 42. *in princ. D. de ritu nupt.* niſi adderent, de neceſſitate non requiri. Hoc autem dum dicunt, mirifice non tantum textibus Canonicis, ſed ſibi ipſis adverſari dignoſcuntur. Quomodo enim honeſtum a neceſſario, licitum a decente ſeparari & ſejungi poteſt? cum Modeſtinus *d. l.* 42. ſapientiſſime dicat, in nuptiis copulandis non tam ſpectari debere, utrum hoc fieri aut omitti liceat, quam an deceat, gl. in *c. erit autem* 2. *diſtinctio* 4. plus in jure honeſtatem deſiderari, quam juſtitiam, *arg. c. porro* 3. *cauſ.* 35. *q.* 5. Sed immo hunc parentum conſenſum & authoritatem praeſertim in elocandis filiabus, & patres & pontifices compluribus locis manifeſte deſiderant, & praecipue Euariſtus in *c.* 1. *cauſ.* 30. *qu.* 5. ubi negat alioquin fore legitimum conjugium. Nec ullus eſt locus in *toto Corpore Canonico*, quo expreſſe (ut in corrigendo fieri convenit) permittatur parentibus inconſultis maritari. Quod enim *in cap. ſufficiat* 2. *cauſ.* 27. *q.* 2. dicitur, *ſolum conſenſum contrahentium ſufficere*, apparet ex tenore totius capituli, id eo tantum reſpicere, ut praeter conſenſum neceſſarius non ſit concubitus, juxta regulam: *Conſenſus nuptias, non concubitus facit &c. cap. cum cauſ.* 6. *de raptor.* a raptus & violentiae crimine tantum excuſat eum, qui ſibi ante, licet reclamantibus parentibus, deſponſatam volentem nec reluctantem abduxit. Tum quod Gratianus in *cap. nec illud* 8. §. *ſed objicitur d. q.* 5. ſcribit: *clandeſtina conjugia valere, ſi contrahentium voluntas perſeveraverit, & ſolennitates deinceps legitimae acceſſerint*; ex eo minime ſequitur, etiam invitis parentibus pacta conjugia valitura. Non omne conjugium clandeſtinum factum eſt invitis parentibus. Poteſt clandeſtinum conjugium etiam ab emancipato & pupillo, qui patrem non habet, contrahi. Et ſeparata eſſe nuptiarum vitia, clandeſtini, & injuſſu parentum, ſcitum eſt. Denique quod in *cap. per tuas* 6. *de condit. appoſ.* traditur, conditionem, ſponſalibus adpoſitam, *ſi pater & patruus conſenſerint*, concubitu, ante horum contradictionem ſecuto, remiſſam videri: id ſane aliquo caſu poteſt locum habere; puta, ſi emancipatus filius ita contraxerit, cui patris authoritas non magis, quam patrui curanda fuerit; vel etiam patre mortuo, ne cauſari amplius poſſit, conditionem defeciſſe, ſed quaſi ex pura promiſſione queat tuas 6. & *d. cap. cum cauſa* 6. & in Terentii *Andria*, *Eunucho*, *Heautontimorumeno*, *Adelphis*, *Phormione*; in Plauti *Aulularia*, *Ciſtellaria*, *Truculento* contingit: idem & hodie plerumque uſuvenit, ut qui in angulo ſponſalia occulte contrahant, & occulte concumbere non dubitent; ut tam rarum ſit adoleſcentem cum puella clanculum deſponſa rem non habere, quam olim a Macedone mutuo datam pecuniam non abliguriſſe, aut amicae dediſſe, aut in nugas prodegiſſe. Solet igitur dubitari, an nec copula accedente ratum ſit filii aut filiaefamilias matrimonium. Si de jure quaerar, dicam etiam concubitu ſecuto nuptiisque factis, liberisque adeo ſuſceptis nihilominus filiorumfamilias nuptias, invitis parentibus contractas, ceu illegitimas improbari & damnari. Nam & invito patre ducta uxor pro injuſta habetur, *l.* 1. *D. unde vir & uxor. l. ſi uxor* 13. *D. ad l. Jul. de adult.* & liberi ex ea conjunctione ſeu copula procreati non pro juſtis cenſentur, *l. Paulus* 11. *D. de ſtat. hom.* Apulejus *lib.* 6. *Nuptiae, patre non conſentiente factae, legitimae non poſſunt videri, ac per hoc ſpurius iſte naſcetur.* Denique, abſque voluntate parentum conjunctione facta, nec vir, nec uxor, nec liberi, nec nuptiae, nec matrimonium, nec dos intelligitur, §. *ult. Inſtit. de nupt.* & Terentius *in Andria* ita ſcribens *Act.* 5. *Sc.* 3. *v.* 8.

Adeo impotenti eſſe animo, ut praeter civium
Morem atque legem, & ſui voluntatem patris,
Tamen hanc habere ſtudeat cum ſummo probro?

ſatis ſignificat, morem & legem populo Romano fuiſſe, ne filiusfamilias invito patre aliquam, licet a ſe compreſſam, ducere poſſet. In ea enim familia Glycerium vitiarat Pamphilus, quod ſenem non fugiebat. Quin & Evariſtus Papa proculdubio de clandeſtinis liberorum ſponſalibus iisdemque libidinoſis loquitur, *d. quaeſt.* 5. *cauſa* 30. *cap.* 1. *Connubia aliter praeſumpta, quam cum voluntate parentum & propinquorum, non conjugia, ſed adulteria, contubernia, ſtupra, fornicationes* (quomodo fornicationes ſine corporum commixtione) *potius, quam legitima conjugia eſſe, non dubitari.* Et Ambroſius ad Amphilochium *epiſt.* 1. *Quae ſine iis fiunt matrimonia, in quorum contrahentes ſunt poteſtate, fornicationes ſunt.* Hoc igitur jus eſt. Aequum vero & bonum vulgo exiſtimatur, cum res integra non eſt, cum (ut dicam apertius) puella per ſponſum integra non permanſit, ſed illius pudicitia delibata eſt; ſuccurrendum ei eſſe, nec reſcindi aut diſturbari ſponſalia debere, ne injuria fiat decepto per blanditias ſimplici ſexui. Itaque Canoniſtae copula ſecuta praeſumere pro matrimonio feſtinant. Quod fortaſſe tunc locum habebit, cum puella honeſta & morata eſt, quae antequam a ſponſo depudicaretur, vitam pudice & duriter egerit, ita ut juſtam contradicendi & diſſentiendi cauſam parentes vix inveniant. Qui enim abſque gravi & urgenti cauſa contradicit, nihil agit, *l. dotem* 37. *D. ſolut. matrim.* Et ut ſua parentibus conſtare debet autoritas & reverentia: ita nec bene concordantia matrimonia rigore patriae poteſtatis diſturbari humanum eſt, *l.* 1. §. 5. *D. de liber. exhib. ducend.*

CAPUT V.

In rebus dubiis non praeſciam rerum naturam, ſed inſcientiam noſtram inſpiciendam.

SI paterfamilias filium unum & uxorem praegnantem reliquerit, non recte filius, quaſi ex ſemiſſe heres futurus uno tanto poſtumo naſcituro, aut heredi-

Digitized by Google

ſcantur (gemini puta, tergemini, quatuor atque adeo quinque) cujus foecunditatis exempla & apud ſcriptores multa inveniuntur, & a noſtris auctoribus nonnulla afferuntur in *ll.* Ante igitur, quam uxor pepererit, filius certo ſcire & conſtituere non poteſt, quam ſibi partem venter facturus ſit. Et fortaſſe optime fecerit, ſi partitudinem expectaverit; ſi vero id nolit, ſane interim, quaſi in re dubia, nonniſi pro quadrante hereditatem tuto petet, vel pro herede ſe geret. Hanc medietatem inter prodigioſam foeturae numeroſitatem & quotidianam conſuetamque generandi rationem elegerunt. Sabinus & Caſſius & Julianus, ut tres in utero eſſe ſperent, quod non nimis raro contingit. Dixi, quaſi in re dubia. Quia nobis futura omnia dubia & incerta ſunt, ἀφανὲς (quod Pittacus in ore habebat) τὸ μέλλον. Nec enim (ut eleganter Sabinus monet) praeſcia rerum natura intuenda eſt, cui omnia jam inde certa & explorata ſunt, quae in Jovis dipthaera perſcripta continentur:

Numque parens rerum cum primum informia regna
Materiemque rudem flamma cedente recepit,
Finxit in aeternum cauſas; qua cuncta coercet,
Se quoque lege tenens, & ſaecula juſſa ferentem
Fatorum immoto diviſit limite mundum:

ut Lucanus canit *lib. 2. in princ.* & apud Valerium Flaccum *lib. 1. Argonaut. vſ. 532 ſeqq* Juppiter ita fatur:

—— vetera haec nobis, & condita pergunt.
Ordine cuncta ſuo, rerumque a principe curſu
Fixa manent: neque enim terris dum ſanguis in ullis
Noſter, erat cum fata darem:

Unde futura, quia nimirum in fatis ſunt, utique fiunt. Adeo ut ſtatuerit Diodorus Stoicus, quidquid futurum eſſet, id fieri neceſſe eſſe, & ob idipſum fieri debere, quod a natura praeſciebatur: quidquid futurum non eſſet, id fieri nec poſſe. Cujus ſententiam & M. Aurelius Antoninus Imper. *libro* 9. τῶν εἰς ἑαυτὸν § 1. *in fin.* λέγω δὲ τὸ χρῆσθαι τούτοις ἐπίσης τὴν κοινὴν φύσιν, ἀντὶ τοῦ κατὰ τὸ συμβαῖνον ἐπίσης κατὰ τὸ ἑξῆς γινομένοις καὶ ἐπιγινομένοις ὁρμῇ τινι ἀρχαίᾳ τῆς προνοίας καθ' ἣν ἀπό τινος ἀρχῆς ὥρμησεν ἐπὶ τήνδε τὴν διακόσμησιν, συλλαβοῦσά τινας λόγους τῶν ἐσομένων καὶ δυνάμεις γονίμους ἀφορίσασα, ὑποστάσεών τε καὶ μεταβολῶν καὶ διαδοχῶν τοιούτων; eandem ſententiam deinceps *libro* 10. repetens: & plerique juris noſtri Auctores (ut qui & a Stoicis maxima ex parte imbuti) ſequi videntur. Quam ſententiam & Juſtinianus in juris libris reliquit, utpote Chriſtianismo non contrariam, per ea, quae docet Auguſtinus *in Enchiridio cap.* 104. Rurſus vero (ut Horatius *lib.* 3 *Od.* 29 *vſ.* 29. canit)

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus.

Ideoque non praeſciam illam omnium rerum naturam, ſed inſcientiam noſtram ſpectandam eſſe Sabinus monet, ſive (ut Athanaſius apud Vigilium loquitur) humanae conditionis intelligentiam naturalibus obſtaculis praepeditam, quae de futuris nihil certi polliceri aut conſtituere poteſt:

Nam genus humanum damnat caligo futuri;

ut Juvenalis ait *Sat.* 6. *vſ.* 556. Praeſentia quidem ſciri per naturam hominum poſſunt: futura non poſſunt, *l. reſpiciendum* 38. *D. ſi cert. pet.* Ita diſtinguitur natura rerum, per quam omnis certa, a natura hominum. Et ſimiliter mortuo viro per rerum naturam quidem certum eſt, utrum uxorem praegnantem reliquerit, nec ne: noſtra tamen inſcientia inſpecta juſtiſſime dubitatur, an ex defuncto praegnans ſit, *argum. l. ventre* 84. *D. de adquir. vel omit. hered.* Ideoque Praetor propter ſpem naſcendi ventris rationem tum neceſſe habet, non aliam ob rationem, quam ad evitandam ſanguinis turbationem, *l.* 11. § 1. *D. de his qui not. infam.* Ne nimirum, ſi uno vel altero menſe a morte prioris mariti nubat alii, de filio, quem poſtmodum octavo aut nono decimove menſe pepererit, dubitetur, ex quo marito conceptus ſit; quod certo ſcire plurimum ad omnia refert. Quae ratio efficit, ut ſola uxor lugeat maritum, non uterque conjunx conjugem; & maritum, non ſponſum; & rurſus quemvis maritum, etiam inteſtabilem & damnatae memoriae hominem: denique, ut intra legitimum tempus uxor nuptias quidem facere non poſſit, ſponſalia tamen contrahere & ſe nuptiis deſtinare; & poſt decimum menſem, etiamſi tum primum mortem viri reſciverit, nubere impune permittatur, *l.* 8. *& ſeqq. D. eodem.* Quemadmodum autem propter uteri incertum in nupta dubitatur, utrum praegnans ſit, & quot paritura: ita in meretrice, quae pluribus ſe praebuit, propter eandem inſcientiam noſtram non tam dubitatur, ex quo conceperit rivalium, quam penitus ſine patre ſobolem peperiſſe dicitur, §. *ſi adverſus* 12. *Inſtit. de nupt. l. vulgo* 23. *D. de ſtat. hominum.* Etſi enim per rerum naturam certum ſit, eum, qui ſpurius dicitur, ab aliquo generatum eſſe, cum omnino τὴν σπορὰν (a qua dicitur, ut Theophilus ibi explicat) alicui debeat: quia tamen genitorem ſuum demonſtrare nequit, non magis, quam in republica Socratica natus, in qua communia matrimonia, ut omnes omnium liberi viderentur, vel inter Garamantes natus, vel Ilophagos, vel Troglodytas, aut Agathyrſos, Machlyes, Auſes, Moſynos, Bragmanes, Tyrrhenos, Hyrcanos, Naſamones; quas gentes communibus uxoribus promiſcue uti legimus: ideoque vulgo conceptus ſpurius, ἀπάτωρ, σπόριος, αὐτόχθων, ſolis aut terrae filius potius, quam ullius viri vocatur. Nec ulla hujus inſcientiae noſtrae ratio habetur, cum aegrotus nulla medici cura ſanari valens periit. Etſi enim dubium ſit, an non moriturus fuiſſet, ſi manus illi medicus non adhibuiſſet: quia tamen itidem dubium eſt, an neglectus & ope medici deſtitutus vel citius periturus fuiſſet; ideo hoc caſu inſcientiam noſtram inſpicere praeſes jubetur, nec ſtatim eventum mortalitatis (quod fatum vocant) medico imputare, *l.* 6. §. *ſicuti medico* 7. *D. de offic. praeſid. Non ſtatim*, ait Cornelius Celſus *lib.* 1. *occidiſſe medicus, ſi non ſervavit, debet judicari.* Niſi per imperitiam manifeſtam; dum (puta) temeraria remedia adhibet, in ſalute hominis periculoſe verſatus deprehenditur, *d. l.* 6. *l.* 9. *D. ad Leg. Aquil.* cui fere ſimilia Plato *lib.* 9. *de Legib.* Eandemque inſcientiae noſtrae rationem ſatis religioſe conſiderat Proculus in *l.* 16. §. *ult. D. de eviction.*

CAPUT VI.

Conſultorum quorundam audaciae & impudentiae notata in Codice exempla.

QUanta fide & religione veteres illi juris Auctores, Servius Sulpicius, Mucius Scaevola, Sabinus & alii Conſultoribus de jure reſpondiſſe praedicantur: tanta rurſus quorundam conſultorum, qui inferioribus temporibus vixerunt, ambitio & impudentia fuit, rem ſanctiſſimam, civilem ſapientiam, pretio nummario dehoneſtare non verentium, & cunſultoribus ſuis, ex quibus aliquid compendii ſperari poterat, nihil non perſuadentium. Qua de re elegans eſt querela Ammiani Marcellini de ſui temporis Juriſconſultis, *lib.* 30. *cap.* 4. *Genus eſt*, inquit, *homi-*

Digitized by Google

finxeris occidiſſe, nummatas tibi ſuffragantes abſolutionem lectiones reconditas pollicentur, ſi te nummatum ſenſerint. Quo loco eleganter agit, quod graviſſimum caſum affert, matrem occidiſſe; quomodo & Oreſtis exemplum affert & urget Tullius *pro Milone*, & Demoſthenes *in Ariſtocratem*: ait autem Marcellinus, *voluntate*; quia ſi furore factum eſſet, ut ab Oreſte, res expedita eſſet, nec magnis cautelis opus, *l. penult. §. ult. D. ad Leg. Pomp. de parricid.* Hi vero conſiliatores, qui etiam voluntarium matricidam eripere reatu poſſent, an in minoribus negotiis aliquid contra juris rationem aſſeverare dubitarent? Quale enim illud, quod id genus aliquis Marcianae cuidam perſuaſit, intra certum tempus licere a transactione recedere: quod falſiſſimum eſſe Impp. Diocletianus & Maximianus reſcripſerunt, *l. quamvis. 39. C. de transact.* Et alius Theodoto cuidam, ipſum ex fidejuſſione non teneri, quod in interveniendo Graecis quibusdam verbis eſſet uſus: quem benigne Imp. Alexander in hoc blanditum eſſe reſcripſit, ne quid acerbius diceret, *l. blanditus 12. C. de fidejuſſor.* Sive enim dixiſſet Theodotus, ὅτι ἐγγυῶμαι τοῦτο, ſive ita: ὅτι ἂν θέλεις, ποιήσω; nulla cauſa erat, quare non fidejuſſor obligatus diceretur: cum utraque formula idonea ſit, & verborum obligatio nulla non lingua contrahi poſſit, *l. 1. D. de verbor. oblig. l. Graece 8. D. de fidejuſſ.* Et alius, neſcio cui, filios, in poteſtate patris poſitos, ad munera ſeu honores non poſſe evocari: quod itidem falſum eſſe Impp. Valerianus & Gallienus reſcripſerunt, *l. filios 5. C. de decur. & fil. eor.* Et alius Apulejo cuidam, curatorem adulto ſuo filiam ſuam collocare non poſſe, *l. curatorem 5. C. de interd. matrim. int. pupil & tut.* Et alius Euſebio cuidam, communis praedii portionem pro indiviſo, antequam diviſorium judicium expediatur, tantum ſocio non etiam extraneo poſſe diſtrahi, *l. falſo 3. C. de comm. rer. alienat.* quod falſiſſimum eſſe docet *l. 4. C. eod. l. pen. C. de contrah. emt. l. ante 16. C. de jure dot. l. ratas 7. C. de reſcind. vendit. l. ſi fratres 7. C. comm. utri. judic.* Et alii quidam Dionyſii Diogeni, decurionem, etiam atrocis injuriae damnatum, tamen in ordine decurionum manere: quod erroneum eſſe Severus reſcripſit, *l. Divus 40. D. de injur.* Et ne quis dubitet, ſuaſores iſtos ex illo ipſo genere juris ſcientiam profitentium fuiſſe, ſatis apparet ex *l. utere 14. C. de praed. & al. reb. minor.* ſolitos qui preces Principi offerrent, eorum ſententias, quorum eſſent conſilio uſi, precibus in ipſis allegare. Quemadmodum & ad judices conſultorum reſponſa ſcripta afferre ſolebant; ut Pomponius teſtatur *l. 2. §. 47. verſ. Et ut obiter. D. de orig. jur.* & Tullius *lib. 1. de Oratore*, & veſtigia ejus rei extant in *l. Demetius 27. D. qui teſt. fac. poſſ. l. Plautiana 18. D. de jure codicill. l. ult. D. de minor. l. Latinus 83. D. de legat. 2. & ſimil.* Nec minus abſurda in conſiliis modernorum (quae vocant) ſaepe invenias confidenter aſſeverata, adminiculata operoſe, conſultoribus blandientium, multaque Gratiis plura Diti dantium; Chaldaeorum illorum aeruſcatorum fere more, qui (ut Apulejus *apologia 2.* ait) ad conſulentis votum confugere pleraque aſſolent. Ut quod Tullius de quibusdam dixit Philoſophis, in illos non injuria dici poſſit: *nihil tam abſonum & inconſentaneum dici poſſe, quod non reperiatur jam apud illorum aliquem prolatum.*

ud ſimulari; tum fortaſſe aliquam ſpeciem juſtae reprehenſionis haberet, ſi Servius non adjeciſſet, *decipiendi cauſa*, ut Pedius *circumſcribendi cauſa*, *l. 7. §. dolo malo 9. D. de pact.* quam intentionem illi non habent, qui per ſimulationem ſervant, vel tuentur vel ſua, vel aliena. Et quod idem Labeo *d. §. 2.* ait, *poſſe & ſine ſimulatione id agi, ut quis circumveniatur*, nunquam admiſerim. Dolus enim malus ſimulatione vel diſſimulatione carere non poteſt. Unde doloſi duplices vocantur, ut apud Horatium Ulyſſes, quem & Homerus πολύτλας vocat: & Graecis διπλοῦς aſtutus, διπλόη calliditas. Ulpianus doloſos homines *varios* appellat, *d. l. 1. in princ. D. de dolo.* quod etiam ſtellionis epitheton eſt, & praevaricatorem, quem Labeo a varia certatione deducit, & Cicero, quod in contrariis cauſis quaſi varie poſitus videatur: παλίμβολον Graeci vocant. Egregiam vero definitionem Labeonis *d. §. 2.* *Dolum malum eſſe omnem calliditatem, fallaciam, machinationem*, quid ſi addam, omnes malitias, tendiculas, technas, fallas, ſutelas, cuniculos, molimina, impoſturas, inſidias, & (ut Juſtinianus loquitur *l. penult. C. mandat.*) *artes clandeſtinas*; denique (ut eſt apud Ariſtophanem *Nubibus*) ὁ [illegible], [illegible], λεμμάτιον, ταυτὰ ἐλεεῖ: *ad circumveniendum, fallendum, decipiendum*, addo emungendum, imponendum, circumducendum, os ſublinendum adhibitas. Et hanc tamen definitionem magis probat Ulpianus, *l. 1. in pr. D. de dolo.* credo, quia clariorem. Non poteſt autem ejus ſimulationis, ex qua doli quis inſimulatur, aptius exemplum dari, quam ex *l. 6. §. 3. D. de neg. geſt.* & *l. ult. C. eod.* de eo, qui ſimulat, ſe mea negotia gerere, uſque ſe immiſcet importune, cum tamen rem ſuam ſibi verius agat, ſuoque compendio ſtudeat, non meo. Et hoc eſt, quod M. Tullius alicubi negat, ſimplicis & aperti hominis eſſe, ſimulare aliquid & praetendere, aliud agere videri, cum aliud agat; praeſtare ſe alteri fingere quod ſibi praeſtet; ſed malitioſi potius & aſtuti, & fallacis, & ſubdoli: & ut quisque maxime ad ſuum commodum referat, quaecunque agit, ita minime eſſe virum bonum; cujus verba refert Lactantius *lib. 6. cap. 12.* Ideoque hic dolus Judicio negotiorum geſtorum, quod eſt bonae fidei, merito vindicatur: eſt enim pernicioſiſſimus, *pr. l. 5. verſ. Ideo autem. D. de oblig. & act.* Quemadmodum nec falſo tutori impune eſt, rebus pupillaribus ſe ingeſſiſſe. Hoc tamen ex Labeonis definitione obſervandum eſt, dolum malum ſubtilitatis aliquid & ingenii argutiaeque habere, nec omnem perfidiam craſſam pro dolo habendum. Nam ut Plautus ait *Captivis Act. 2. ſc. 1. v. 26. doli non doli ſunt, niſi aſtu colas.* Unde non cuivis obvium eſt in caſu *l. 34. D. de dolo*, fallaciam deprehendere; quae eſt talis: Conceſſiſti mihi precario in fundo tuo ſaxum, vel cretam, calcem, arenam, aut metallum fodere & ejicere. Ego non dubitabam, quin tacite etiam conceſſiſſes, id, quod fodiſſem & ejeciſſem, tollere, meosque in uſus convertere, ideoque non curabam te rogare, ut etiam tollere ſineres, quaſi ſuperfluum. Tu autem id tibi tacite reſervabas, ut quod ego meo ſumptu meisque operis ejeciſſem, atque ita te eo labore ſumptuque ſublevaſſem, retineres, nec me auferre paterere, & hanc reſervationem tuam caute diſſimulabas. Hoc non erat boni viri. Ideoque, ſi ſumptum in fodiendo & ejiciendo fecerim, nec me patiaris tollere, Ulpianus de dolo ait actionem locum habere, quia improbe cau-

Digitized by Google

tas. Tu vero tecum tacitus cogites: Hic homo mihi arat, mihi occat, mihi ſerit, & mox me ſegetem fructusque maturos tollere prohibeas, ut mihi occini illud Virgilianum poſſit:

Sic vos non vobis fertis aratra boves.

Quae cum ita ſint, omnino ſtatuo in *l. permiſiſti* 16. §. 1. *D. de praeſcript verbis*, expungenda eſſe haec verba: *Et fructus tollerem*, ut a gloſſographo addita, qui argutiam non intelligebat. Quae enim alioquin machinatio illa, quod aperte promiſeram, mox praefracte negare?

Addo etiam, dolum fieri eum clandeſtinitate quadam per machinationem occultam, *l. ult. D. ſi ventr. nom. in poſſeſſ.* Atque ideo quae clandeſtine geruntur, ſuſpecta ſunt, dolumque malum fovere videntur, *l. ult. D. de ritu. nupt.* ut Alcaeus cecinit, τὸ ἀφάνι τῶν ἕπεται δόλος: & plerumque tacita cum dicimus, fraudulenta dicimus, ut *tacita fideicommiſſa*, *l.* 3. §. 3. *D. de jure fiſci l.* 1. *C. de delator. Tacitum mutuum*, apud Gellium *lib.* 12. *cap.* 12. *Occultum foenus*, apud Horatium *lib.* 1. *epiſtol.* 1. *v.* 80. *Tacita pactio*, *in l. penult.* §. 2. *D. de bon. libert.* & apud Plinium *lib.* 5. *epiſt.*

CAPUT VIII.

De pangendis conventionibus publicis, & Colloquio inter belli duces habendo.

PUblica conventio eſt, quae a publicis utrinque perſonis fit, ut per Magiſtratus, Syndicos, Legatos, Duces belli. *Idque aut per pacem, aut cum duces belli quaedam inter ſe paciſcuntur*, inquit Ulpianus, *l.* 5. *D. de pact.* De induciis, puta, ad tempus obſervandis, de reddendis captivis, aut remittendis transfugis, de commeatu, de obſidione ſolvenda, aut deditione facienda, de conditionibus pacis, de foederibus jungendis. Quas pactiones omnes ſancte obſervari, nec in ullo violari non tantum Romano ſanguini (cujus eſt nec timere hoſtem, nec decipere; ut Valerius ait *lib.* 2. *cap.* 9.) ex cordatiſſimi cujusque ſententia, atque adeo jubente ipſo gentium jure convenit, ſed & utrinque publice expedit, tum praeſertim, eum obſidibus datis pactorum fides firmata eſt. Quemadmodum enim inter cives ſeu privatos initi contractus, datis fidejuſſoribus, vel pignoribus traditis, arrisve datis, ita inter belli duces, datis aut utrinque aut ab altera parte obſidibus, plerumque firmantur conventa & ſtabiliuntur, ut jam neutri parti a conventis recedere integrum ſit. Quae omnia apud Livium paſſim videre eſt. Solent autem Duces, de ejusmodi articulis tractaturi, ad colloquium per legatos aut foeciales ſeſe invitare & locum tempusque colloquii deſignare. Plerumque vero is, qui colloquium expetit, ad alterum tranſire ſolet: nec facile is, qui ad colloquium invitatus eſt, invitantem praeſertim inferiorem ſequeretur. Livius *lib.* 42. *cap.* 39. *Poſtquam in conſpectu ſteterunt, dirimente amne, pauliſper, internunciando cunctatio fuit, utri transgrederentur. Aliquid illi regiae majeſtati, aliquid hi populi Romani nomini, cum praeſertim Perſeus petiiſſet colloquium, exiſtimabant deberi. Joco etiam Marcius cunctantes movit: Minor, inquit, ad majorem, & filius ad patrem tranſeat.* Marcellinus *lib.* 27. *cap.* 5. *Quoniam aſſerebat Athanaricus ſub timenda execratione jurisjurandi, ſe eſſe obſtrictum mandatisque prohibitum patris, ne ſolum aliquando calcaret Romanorum; & indecorum vileque erat, ad eum Imperatorem tranſire: placuit navibus remigio directis in medium flumen, pacem foederari.* Otho Friſingenſis in Friderico *lib.* 1. *cap.* 13. *Epiſcopus civita-*

a ſe velis, illum ad ſe venire oportere.

CAPUT IX.

De Crimine Majeſtatis Lubricum linguae excuſari. L. 1. Si quis Imp. maledix. *explicata.*

CRimen laeſae vel contemptae majeſtatis, ut omnium graviſſimum eſt, ἀσέβειαν γὰρ ἤδη τοιοῦτον ἐνόμιζον, καὶ δίκας ἐπ' αὐτῷ πολλὰς ἐσῆγον, inquit Dion: ita ejus praetextu ſaepe in innocuos a magiſtratibus ſaevitum eſſe legimus, dum principalis majeſtatis & ſalutis venerationem ſollicite vindicandam ſimulant, quamvis anſam criminandi plectendique arripientibus, & fere ad perdendos, quos vellent, non alia occaſione, quam hac ipſa, utentibus. Seneca *lib.* 3. *de benefic. cap.* 26. de eo ipſo agens: *Excipiebatur ebriorum ſermo, ſimplicitas jocantium: nihil erat tutum, omnis ſaeviendi placebat occaſio.* Ambroſius in *lib. de Tobia cap.* 17. *Quot de intemperantia convivii novimus ad tormenta veniſſe? dum per ebrietatem de imperio ſummo* (ita legendum, pro *ſuo*) *decertant, & ſibi regna promittunt, aliis honores pollicentur; infelices ad poenam ducti ſunt, qui quid dicerent, neſciebant.* Ideoque monet Modeſtinus, *l.* 7. *§. penult. D. ad Leg. Jul. majeſt. Non debere id crimen in occaſione, ſed in veritate haberi.* Unde ſumptum videtur, quod eſt in antiqua lege Bajoaria ita ſcriptum *cap.* 2. *tit.* 1. *Si quis contra Ducem ſuum de morte ejus conſiliatus fuerit, tunc in Ducis poteſtate ſit homo ille & vita ipſius, & res ejus infiſcentur in publico; & hoc non ſit per occaſionem factum, ſed probata res experietur veritatem.* Innuens nimirum Modeſtinus, non debere ex quovis ſecius dicto vel facto laeſae majeſtatis reos agi & pronunciari; niſi & perſona ea fuerit pravitate & impietate, ut ante quid ſit in principem molita, vel jam machinari manifeſte deprehendatur; & illis viribus, ut inſidiari principis ſaluti & nocere poſſit, quem alioquin praetoriana praeſidia corporisque cuſtodes tutum a periculis reddere poſſe videntur. Quod in eundem ſenſum monet Amm. Marcellinus *lib.* 19. *cap.* 12. *in fine: Nec enim abnuimus, ſalutem legitimi principis propugnatoris bonorum & defenſoris, unde ſalus quaeritur aliis, conſociato ſtudio muniri debere cunctorum: cujus redimenda cauſa validius ubi majeſtas pulſata defenditur, a quaeſtionibus vel cruentis nullam Corneliae leges exemere fortunam. Sed exultare moeſtis caſibus effrenate non decet, ne videantur licentia ſubjecti regi non poteſtate. Imitandus ſit Tullius, cum parcere vel laedere potuiſſet, ignoſcendi quaerens cauſas, non puniendi occaſiones.* Eandemque in rem graviſſime ad Theodoſium Imp. diſſerit Themiſtius Euphrades *Orat.* 5. Addit Modeſtinus, *nec ſtatim ob lubricum linguae ad ſupplicium trahi aliquem debere.* Ex quo hoc fere colligere licet, per verba injurioſa in principem non committi majeſtatis crimen, niſi dolo malo impioque animo prolata. Nam & cum perjurio per principis nomen, genium, ſalutem fortunamque facto majeſtas violari crederetur; adeo ut & fuſtibus in id animadverſum apparet, ex *l. ſi duo* 13. *§. ult. D. de jurejur.* & levius per omnes deos pejerari potuiſſe, quam per unius genium principis, Tertullianus & Minucius dicant: tamen, ſi ſolo quodam calore & inconſulto animi motu id factum eſſet, impune eſſe Alexander Imp. voluit, *l.* 2. *C. de reb. cred.* Et elegans eſt, quod *lubricum linguae* Modeſtinus vocat. Quid enim, ſi in conſpectu principis conſtituto aliquid indignum linguae lapſu exciderit; cum difficile ſit magnitudinem & potentiam Caeſaris ſcienti ante eum proloqui? Seneca 6. *Declamat.*

Va-

Digitized by Google

juſte judicaſti; & circumſtantes, gravi indignatione commoti, hominem illico diſcerpturi viderentur; excuſavit miſerum Auguſtus, & tumultum compeſcuit, neque enim linguam ipſius, ſed animum ſpectari debere aſſerens; quod Lucianus refert *in Apologia* ὑπὲρ τοῦ *ἐν τῷ προσαγορεύειν πταίσματος*. Sed non hoc eſt (ut verum dicam) quod Modeſtinus ſub *lubrico linguae* ſignificat; verum aliud quiddam, & hoc nimirum: quod dicaculi quidam dum cauſam opportunae obtrectationis nacti videntur, & argutum ingenioſumque quidpiam in buccam venit, idipſum continere & reticere nullo modo poſſunt; dum *difficilius illis eſt* (ut Ennius loquitur apud Tullium *lib. 2. de Oratore cap. 54.*) *flammam ardentem ore comprimere, quam bonum dictum tenere.* Quod eveniſſe legimus cuidam Theocrito Chio, quem Antigonus Rex, cum antea juraſſet, quod parſurus ei eſſet, occidit propter ſcomma, ab eodem in ſe dictum. Cum enim quaſi puniendus ad Antigonum ille raperetur, ſolantibus eum amicis ac ſpem pollicentibus, quod omnino clementiam Regis experturus eſſet, cum ad oculos ejus veniſſet, ſtatim ſubjecit: *Ergo impoſſibilem mihi dicitis ſpem ſalutis.* Erat enim Antigonus uno orbatus oculo, & ſic importuna urbanitas maledicacem luce privavit; ut Macrobius refert *lib. 7. Saturn. cap.* 3 Eandemque linguae intemperantiam principes Romani ſaepe experti ſunt; dum (exempli gratia) Antiochenſes in Juliani Imp. barbam ſuaviter luſerunt, alii eum capellam, & loquacem talpam, & purpuratam ſimiam, & litterionem Graecum vocitarent Quod ſimiae convicium nec Aurelius Antoninus Imper. effugiſſe videtur, eoque non obſcure alludere *lib.* 4. τῶν εἰς ἑαυτὸν, §. 16. Ἐντὸς δέκα ἡμερῶν θεὸς αὐτοῖς δόξεις, οἷς νῦν θηρίον καὶ πίθηκος. Quin nec philoſophos illius temporis ab hac licentia ſibi uſquequaque temperaſſe legimus. Scribit enim idem Lucianus, fuiſſe Peregrinum quendam, qui adſueta lingua petulantia etiam Imperatorem inſectari non dubitaverit: verum Imperatorem, natura placidiſſimum & manſuetiſſimum, parum fuiſſe offenſum conviciis ejusmodi; neque ullum ex iis, qui philoſophiae ſe tradiderant, propter verba ſupplicio afficere dignatum, eos praeſertim, qui rationem conviciis alios impetendi, velut artem ſibi peculiarem feciſſent. Eamque clementiam & in Tiberio commendat Dion, & in optimo quoque principe celebrari invenimus. Julianus certe Imperator, ab Antiochenis graviter laceſſitus, in eo libro, quem *Miſopogonem* ſive *Antiochicum* inſcripſit, non modo veniam, ſed deinceps liberam ejus rei facultatem eis ſe dare profitetur; neque unquam eo nomine periculum eis conſtringendo, cuſtodiendo, verberando, jugulando, puniendo creaturum: Ὑπὲρ μὲν (inquit) τῶν βλασφημιῶν, ἃς ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ κατεσκεδάσατέ μου παίζοντες ἐν τοῖς ἀναπαίστοις; ἐμαυτοῦ προσκατηγορήσας ὑμῖν ἐπιτρέπω χρῆσθαι μετὰ μείζονος αὐτῷ παῤῥησίας. ὡς οὐδὲν ὑμᾶς ἐγὼ διὰ τοῦτο πώποτε δεινὸν ἐργάσομαι σφάττων, ἢ τύπτων, δέων, ἢ κατακλείων, ἢ κολάζων. Nec multo poſt a Theodoſio ejusque filiis, Arcadio & Honorio, lata eſt nobilis illa & vere digna majeſtate regnantis *l. unica. C. ſi quis Imp. maledix. Si quis modeſtiae neſcius improbo maledicto nomina noſtra laceſſierit, vel obtrectator temporum noſtrorum fuerit, eum poenae nolumus ſubjugari. Quoniam ſi id ex levitate proceſſerit, contemnendum eſt: ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum: ſi ab injuria, remittendum.* O vocem generoſi pectoris verique regii, imo Diis ſimillimi! Si Graeci, qui ita verterunt: *ἄξιος ἐμοὶ συγχωρήσεως*, potius quam illorum, qui *remittendum*, id eſt, Praetori ſupplicii cauſa relegandum interpretantur: tamen quod integris omnibus ad ſcientiam ſuam referri Imperator velit de ejusmodi hominibus maledicis; non ego hoc impunitatis cauſa conſtitutum eſſe crediderim; praeſertim cum ſtatim addat: *ut ex perſonis hominum dicta penſemus, & utrum praetermitti, an exquiri debeat, cenſeamus.* Illius igitur conſtitutionis hanc ego ſententiam eſſe arbitror: ut, qui ex quacunque cauſa Imperatori maledixerit, quamvis mortem, aut ad minus exilium meritus poſſit videri, qui eousque proterviae proceſſerit; quod tamen unius homunculi maledicta vindicare Principis non tantum interſit, quantum inſidiarum conjurationumque explorandarum quaslibet occaſiones arripere: non primo quoque momento ejusmodi maledicos feſtinato ſupplicio conſumendos, ſed ad Imperatorem potius perducendos, ejusque deinceps arbitratu vel leniter vel ſevere tractandos; dummodo compertum fiat, an a leviori aliquo motu, an vero occulto quopiam malo convicia proceſſerint. Atque haec cauſa eſt, cur aliquem, in apertis inſidiis deprehenſum, non ſtatim interficiendum Principes ducunt; ſed ad exquiſitiora tormenta & quaeſtiones acriores reſervandum: quia jam quaſi filium habent, quo ad tectioris conjurationis quaſi labyrinthum perducantur; quo, temere abrupto vel amiſſo, Minotaurum ipſum non adhuc aſſecuti viam forte perderent. Quemadmodum rurſus apud conjuratos ipſos frequentiſſimum eſt, eum, qui ſcelus perpetrandum ſuſcepit, facinore perfecto, ſtatim trajicere, ne unquam reliquos conſpirationis conſcios prodere atque detegere poſſit. Non eſt igitur credendum, cordatum principem ita remiſſum & ſupinum futurum, quin pro ratione perſonarum & rerum cauſam & originem maledicentiae, ad ſuas aures delatae, ſedulo quidem perquirat; ut deinde, ſi levis ſit, & ex temulentia lubricove linguae vel ſola maledicendi libidine proceſſerit, veniae largus ultro id remittat; ſin periculoſa, tanto puniat vehementius, quanto magis reipublicae ſalus ab ipſius, quam aliorum, vita dependet.

CAPUT X.

Nota ad l. 13. §. penult. D. de milit. teſtam.

NOn poſſum probare, ſervum proprium, a milite ſine libertate inſtitutum, ſiquidem miles ſuum eſſe ſciverit, liberum & heredem effici: ſin neſcierit (puto, quod jam liberum eſſe aut libertum putaret) non item, *l. 13. §. penult. l. 40. D. de teſt. milit: l. 7. C. eodem.* Praetenditur, in hoc deficere voluntatem; quam voluntatis nimis ſollicitam quaeſtionem admitti nullius magis, quam militum intereſt: quorum non dico quaevis voluntas, ſed voluntatis quaevis ſignificatio eſt teſtamentum, *l. 34. §. 2. & ſimilibus. D. eod.* Quomodo autem videri poteſt huic libertatem teſtator miles invidiſſe, quem hereditate dignatus eſt, ut ſucceſſorem ſibi eſſe vellet, ſupervacuum ratus, ei denuo libertatem dare, quem jam ante putabat ſibi eſſe idoneum ad ſuccedendum. In quo ſi falſus animi fuit, nil ei tamen praeter facti errorem imputari poteſt: qui error nec in re propria hominibus nocere ſolet, quominus, quod agunt, valeat. Saepe enim amplius aut minus de facultatibus

peculio militis abſceſſerat: cum etiam eum libertate potiri patiatur, quem teſtator ſervum ſuum eſſe probe norat; in quo tamen voluntas dandae libertatis nimio eſt obſcurior. Quia (ut eleganter Paulus docet *d. l.* 40. *§. l. Titius* 2. *eod.*) ignorare miles potuit (ut eſt hominum genus juris ignarum) an ex inſtitutione libertas competat (quod ſumme notandum eſt) tantum abeſt, ut ſervum ſimplieiter inſtituendo datam ſtatim ei libertatem voluerit. Non eſt igitur, cum illi potius libertas tribuatur, quem teſtator ſervum ſuum eſſe ſcivit; quam huic, quem pro libero vivens habuit. Quod ſi illi tribuitur favore (ut opinor) libertatis, huic non erit negandum. Atque ita ego ex animi mei ſententia pronunciarem. Hoc etiam notandum eſt in *d. l.* 40. inſcita illa & ſuperabundantia verba: *cum ex priore ſcriptura libera & heres effecta eſt, poſtea nullo praejudicio facto libertati fruſtra legata eſt*, ſi non Tribuniani, certe Irnerii aut alicujus gloſſographi eſſe.

CAPUT XI.

Loci notati, quibus Ulpianus de Chriſtianis ſenſit. Libri Ulpiani de officio Proconſulis. De ignis ſupplicio.

EXiſtimo *l.* 2. *D. de extraord. crim.* fuiſſe ex libris Ulpiani de officio proconſulis, & librariorum culpa adſcriptam libris Opinionum. quod eſt alieniſſimum, cum has notas O. P. quae *de officio proconſulis* denotant, pro *opinionum* accepiſſent; quod etiam in *l.* 6. *&* 7. *D. de offic. praeſid.* factum obſervare licet. Non eſt autem dubium, ab Ulpiano his verbis: *Sub praetextu religionis, vel ſub ſpecie voti ſolvendi, coetus illicitos*, conventicula & ſtationes intelligi Chriſtianorum, quorum ſecta Ulpiani tempeſtate inter illicitas & vetitas factiones deputabatur; cum tamen, alias religionis cauſa, coire liceret, *l.* 1. *§.* 1. *D. de colleg.* Tertullianus *adverſus gentes: Proinde nec paulo lenius inter licitas factiones ſectam iſtam deputari oportebat, a qua nihil tale committitur, quale de illicitis factionibus timeri ſolet.* Et quod ait Ulpianus, *religionis cauſa*, ex his verbis eodem loco Tertulliani declaratur: *Coïmus in coetum & congregationem, ut ad Deum quaſi manu facta praecationibus ambiamus orantes.* Facit & Plinius *in epiſt.* 97. *lib.* 10. ad Trajanum Imp. de Chriſtianis loquens: *quod ipſum facere deſiſſe poſt edictum meum, quo ſecundum mandata tua baeterias eſſe vetueram.* Et ait Ulpianus, *religionis praetextu:* quia ſectam noſtram, religionis nomine, non dignabantur, ſed *ſuperſtitionem* vocare ſolebant, *l. ſi quis* 30. *D. de poen.* Plinius *d. epiſtola: Nihil aliud inveni, quam ſuperſtitionem pravam & immodicam.* Tacitus *lib.* 15. *Annal. cap.* 44. *Repreſſio in praeſens exitialis ſuperſtitio rurſus erumpebat.* Ut Tullius *pro Flacco cap.* 28. Judaeorum cultus *ſuperſtitionem barbaram* vocat. Totis autem illis libris de officio Proconſulis Ulpianum paſſim obtrectaſſe Chriſtianis, Lactantius teſtatur *lib.* 5. *cap.* 2. *Qui etiam ſceleratiſſimi homicidae contra pios jura impia condiderunt. Nam & conſtitutiones ſacrilegae & diſputationes Juriſperitorum leguntur injuſtae. Domitius de officio Proconſulis libris ſeptem reſcripta principum nefaria collegit, ut doceret, quibus poenis affici oporteret eos, qui ſe cultores Dei profiterentur.* Et ſimiliter in *l.* 1. *in fin. D. de cadaver. punitor.* eos, qui exurendi damnantur, licet poſſis ſervos interpretari, qui ſaluti dominorum inſidiati ſunt, & incendiarios, *l.* 28. *§. igni* 11. *&* *§. incendiarios* 12. *D. de poen.* & ſacrilegos, *l.* 6. *in princ. D. ad Leg. Jul. pecul.* ſuſpicor tamen ... *uſum nocturni luminis urebantur.* Sulpicius Severus *lib* 2. *hiſt. ſac. Multi crucibus affixi aut flamma uſti: plerique in id reſervati, ut, cum defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis uterentur. Hoc initio in Chriſtianos ſaeviri coeptum.* Tertullianus *de ſpectaculis: Item praeſides perſecutores dominici nominis ſaevioribus, quam ipſi flammis ſaevierint inſultantibus contra Chriſtianos, liqueſcentes;* & *Apologetico: Licet nunc ſarmentitios & ſemiſſarios appelletis, quia ad ſtipitem dimidii aſſis revincti ſarmentorum ambitu exurimur.* Minucius Felix *in Octavio: Ecce vobis minae, ſupplicia, tormenta, & jam non adorandae, ſed ſubeundas cruces: ignes etiam, quos & praedicitis & timetis.* Quo pertinet & illud Juvenalis *Sat.* 1. *v.* 155.

Pone Tigillinum; taeda lucebis in illa,
Qua ſtantes ardent, qui fixi gutture fumant,
Et latum media ſulcum deducis arena.

Senſus enim ex Tacito ei adſtruitur talis: *Aude, ſi videtur, Tigillinum incendii in urbe oborti per ſatyram inſimulare. Crede mihi, lues eandem poenam cum Chriſtianis illis, ut ad ſtipitem fixus taedae in morem uraris, & de uſtione tua lumen nocturnum gratumque nidorem praebeas, in lato ſulco ſeu foſſa ſtans defoſſus, ſimulque ardens.* Ea enim olim exurendi damnatos ratio. Pollio ad Tullium *lib.* 10. *Fam. epiſt.* 32. loquens de Fadio quodam gladiatore, a Balbo quaeſtore combuſto: *deinde abſtractum a populo defodit in ludo, & vivum combuſſit.* Seneca *de ira lib.* 3. *cap.* 3. *Eculeus, & fidiculae, & ergaſtula, & cruces, & circumdati defoſſis corporibus ignes.*

CAPUT XII.

De Aſtutia furum balneariorum & ſimilium.

JUre antiquo cum fures regulariter privato & ordinario judicio tenerentur in duplum vel quadruplum, gravius tamen ſtatutum eſt in fures balnearios; ut nimirum extra ordinem coërceri poſſint, atque adeo in opus publicum dari. Qua in parte exaequati ſunt furibus nocturnis, *l.* 1. *D. de fur. baln.* quos *dormitatores* Comicus appellat; quia nimirum diem ſomno dent, noctem furtis: unde & gloſſis ἡμερόκοιτοι, dicti. Et quod graviorem poenam mereantur fures balneari caeteris, notum etiam fuit Ariſtoteli, qui *Problem. parte* 29. ejus rei aliquot affert rationes. Apud Athenienſes morte plectebantur fures balneari, ſi rei ſurtivae aeſtimatio erat ὑπὲρ δέκα δραχμὰς, auctore Demoſthene *contra Timocratem.* Idque plane frequentia ejus delicti & rerum neceſſitas poſtulaſſe videtur: ſive quia in balneis publicis maximus hominum confluxus eſſe conſuevit; unde proverbium de occupatione natum: *quaſi locum in balneis*; inter quos & multos ſceleſtos vafroſque homines obrepere ſolitos, vel ex illo Alcaei diſticho conjicere eſt:

Πόρνη καὶ βαλανεὺς ταὐτὸν ἔχει ἐμπεδίως ἔθος.
Εἰς ταῦτα πυέλῳ τόν τ' ἀγαθὸν τόν τε κακὸν λόει.
Commune balneator hoc cum ſcorto habet:
Lavant eodem & improbum & probum labro.

Sive quia illud furum genus, omnium aſtutiſſimum & peſſimum, incredibili in furando ſolertia & ſagacitate utebatur, ut nulla fere cautione eorum artes evitari aut deprehendi poſſent; ut Plautus notavit *Rudente Act.* 2. *Sc.* 3. *v.* 51. *Qui it lavatum in balneas, ibi cum ſedulo ſua veſtimenta ſervat, tamen ſurripiuntur: quippe qui quem illorum obſervet, falſus eſt; fur facile, quem obſervet, videt; cuſtos, qui fur ſit, neſcit.* Ex quibus verbis apparet, quod etiam capſario-

Digitized by Google

Lomento ferres ſupro vacuus cum vernula nuper,
Atque ſuper togulam luſca ſederet anus.

Ovidius *lib.* 3. *in Arte v.* 639.

Cum cuſtode foris tunicam ſervante puellae,
Caelent furtivos balnea multa jocos.

Quos tamen ipſos capſarios, a furibus quandoque praemio corruptos, ut ad illorum furta conniverent colluderentque, eo loco Paulus non obſcure notat, dum ait: *Si quid illi in ſervandis veſtimentis fraudulenter admiſerint, de eo praefectum cogniturum.* Et frequentiſſima fuiſſe furta balnearia, argumento eſt vel illud Catulli *in Vibennium*: & Petronius *Satyrico cap.* 92. *Ex altera parte juvenis nudus, qui veſtimenta in balneo perdiderat, non minore clamoris indignatione Gitona flagitabat.* Seneca ad Lucilium *Epiſtola* 56. de balnei tumultu & clamoribus loquens: *Adjice nunc ſcordatum, & furem deprehenſum, & eum, cui vox ſua in balneo placet.* Theophraſtus *in Characteribus* περὶ λογοποιίας, memorat eos, qui rumoribus ſerendis occupantur, ſaepe hoc inde tuliſſe, quod in balneis, dum dictis homines morantur, veſtes amittant: πολλάκις γὰρ αὐτῶν οἱ μὲν ἐν τοῖς βαλανείοις περιστάσεις ποιούμενοι τὰ ἱμάτια ἀποβεβλήκασιν. Et vide, quid commenti ſint illi ἱματιοκλέπται & λωποδύται. In promiſcua veſtium multitudine ſtudebant veſtes ſuas commutare melioribus, in earum vice ſuas attritas & viles relinquere: quod nec ita facile depr.hendebatur, ac ſi ipſi induti alias inſuper veſtes asportarent. Unde ille Diogenis apud Laërtium jocus, apprime elegans in famoſum furem balnearium, quem in balneum venientem hoc dicto excepit: ἐπ' ἀλειμμάτιον, ἢ ἐπ' ἄλλ' ἱμάτιον; *ad unctiunculam*, inquit, *an ad aliam veſtem veniſti*: arguens, eum non tam unguendi curandique corporis, quam veſtis commutandae cauſa in balneum veniſſe. Ita enim malo accipere: quamvis & alterum fieret, ut fures alias veſtes ſecum auferrent. Martialis de luſco fure, *lib.* 8. *epig.* 50.

Lapſa nec a cubito ſubducere pallia neſcit,
Et tectus laevis ſaepe duabus abit.

His autem proximi fere ſunt ſectores zonarii, ſive manticularii, & crumenarii, qui incredibili ſolertia crumenas ſuppilant nihil tale ſuſpicantium; ad quam rem illis maxima occaſio eſt in turba & denſitate hominum, & in illis locis, quae veteres *vomitaria* appellabant, apud Macrob. *lib.* 6. *Saturnal cap.* 4. Quibus tamen omnibus illud hodie commune eſt cum caeteris furibus, quod hodie de omni furto agitur extra ordinem cum inſcriptione, *Inſtitut. de oblig. quae ex delict. naſ. l. ult. D. de furt. l. ult. D. de injur.* Credo, quia & vix a furibus exigi poteſt duplum vel quadruplum aeſtimationis, quod in civilem actionem venit; propter eorum inopiam, quae fere eos maleſuada ad furandum impellere ſolet. Unde apud Judaeos Lex alternative uſurpata, ut fur quadruplum pendat, aut vendatur ad ſexennium ſerviturus; teſte Joſepho *lib.* 16. *cap.* 1.

CAPUT XIII.

L. 1. D. de diverſ. regul. jur. *emendata & explicata.*

Nunquam credere potui, de exceptione Paulum ſentire in definitione regulae his verbis: *Quae cum in aliquo vitiata eſt, perdit officium ſuum.* Quo quidem mirifice confutaretur illa ſententia, per exceptionem confirmari regulam & praeſupponi; quod tuo officio regula eſſe definit, nulla prope in toto Jure erit regula. Nulla enim fere regula invenitur ita catholica, quae per exceptionem aliquam non ſubvertatur, quamque aſſeverare poſſis ſine periculo; vel Quintiliano teſte *lib.* 2. *cap.* 14 quod & Cajus noſter toto libro demonſtravit, quem *de caſibus* inſcripſit, ex quo eſt *l* 88. *D. de hered inſt. l.* 63. *D. de cond. indeb. l.* 107. *D. de cond. & demonſtr. l.* 22. *D. de jure patron.* & aliae; quibus omnibus caſus quidam, a regula exorbitantes & anomali, quaſi per aenigma referuntur, quos ille caſus ſimpliciter appellavit. Cum tamen interea juris noſtri auctores plerumque confidentiſſime aſſeverare ſoleant, dicendo: *In omnibus, & per omnia*, *l.* 3. *D. de praetor. ſtip. l* 2. *De bonor. poſſ. l.* 2. §. 3. *D. de jure codicill* & Semper, *l. qui duos* 62. *D. de legat.* 3. Semper & ubique, *l.* 1. *D. ſol. matrim.* Quodcunque, *l* 37. *D. de mort. cauſ. donat.* Nullum, *l.* 2. §. 7. *D. de decur.* & ut *generaliter & univerſaliter* quaedam obtinere ſtatuant, quae tamen ſaepe fallunt. Niſi forte illam regulam quis afferat, inter parentes & liberos non poſſe eſſe nuptias. Hanc ſane in infinitum vera eſt, perpetua, omnique exceptione major: ſed de qua idem dicere poſſis, vix occurrit altera. Certo certius eſt, de exceptione minime ſenſiſſe Paulum, ſed hoc tantum dicere voluiſſe; cum officium regulae ſit controverſias definire; ſi ea parva & vitioſa ſit, minime id effecturam, ad quod comparata ſit. Fere quod Lucretius canit *lib.* 4. *vſ* 516. & 519.

Denique ut in fabrica, ſi falſa eſt regula prima,
Omnia mendoſe fieri atque obſtipa neceſſe eſt.

Et Seneca *epiſt.* 71. *Hoc nec remitti nec intendi poſſe, non magis quam regula, qua rectum probari ſolet: quam ſi flectes, quicquid ex ea mutaveris, injuria eſt recti.* Atque ſic qui ejusmodi perperam regulam ſequitur (qualia pleraque ſunt, quae brocardica vocantur) ſub authoritate juris ſcientiae pernicioſe erraturum, *l. ſi ſervum* 91. §. 3. *D. de verbor. oblig.* Sed quid rei eſt *perdere officium ſuum?* Quid niſi ineptum & inſulſum? *Perdere* enim *officium* (ſi quis unquam ita locutus eſt) eſſet, interdici officio; ſuſpendi ab officio. Itaque omnino corrigendum ſtatuo: *Prodit officium ſuum*; quomodo & Cicero loquitur *lib.* 4. *Academ. quaeſt. cap.* 8. *Qu.ero etiam ille vir bonus, qui ſtatuit omnem cruciatum perferre, potius quam aut officium prodat, aut fidem; cur has ſibi tam graves leges impoſuerit?* Et *cap.* 9. *Sapientia nec de ſe ipſa dubitare debet, neque de ſuis decretis, quae* δόγματα *vocant, quorum nullum ſine ſcelere prodi poteſt. Cum enim decretum proditur, lex veri rectique proditur, quo e vitio & amicitiarum proditiones & rerum publicarum naſci ſolent.*

CAPUT XIV.

Aterianus ſenſus notatur in l. 48. D. de oper. libert. *Et de meretricia turpitudine.*

A Regulae officio ad libertae officium. Hermogenianus ſcribit, Libertam, conſenſu patroni nuptam, in officio patroni eſſe non poſſe; in mariti officio eſſe debere: patronae tamen, ejus filiae, nepti, proneptive operas exhibere poſſe non indecore, *l.* 48. *D. de oper. libert.* Sed quare patrono operas praeſtare inve ejus eſſe officio non poteſt citra dedecus? Suſpicor alludere Hermogenianum ad idem, ad quod reſpexit rhetor ille Aterius, de quo Seneca 4. *declamat: Memini, Aterium, cum libertinum reum defenderet,*

Digitized by Google

dem veſtimenta ab officioſo recepiſſem, niſi notorem dediſſem. Ovidius *in Arte lib.* 2. *v.* 687.

Quae datur officio, non eſt mihi grata voluptas.
Officium faciat nulla puella mihi.

Hinc ſuſpectum eſt verbum *officioſi*; ut non abs re Ulpianus non ſimpliciter *officium facere* dixerit, ſed adjecerit, *honeſte*, *l.* 15. §. 23. *D. de injur.* Quare igitur liberta in officio potius mariti, quam patroni eiſſe debeat, clarum eſt: dum quidem ſerviebat hero, impune officioſa eiſſe poterat. Non enim, ut Senatusconſultum Claudianum feminis interdicebat ſervorum amoribus; ita quidquam dominos vetabat, ne ancillas ſibi ſuccuboneas facerent. Quod in illa morum licentia frequentiſſimum fuiſſe vel ex Muſonii loco patet apud Stobaeum *ſerm.* 6. eaque de re graviſſime conqueritur Salvianus Maſſilienſis *lib.* 4. Caeterum a manumiſſa, etſi maritum non habeat, patronus nulla fronte hoc officii genus poſtulabit vel operarum nomine, nec ſi liberta ipſa meretriciam faciat, *l. hac demum* 38. *D. de oper. libert.*

Ab officio ad officioſiſſimum genus meretricum. Quae eſt quaeſo illa Ulpiani ſubtilitas in *l. idem ſi* 4. §. *ſed & quod* 3. *D. de cond. ob turp. cauſ.* Conſtabat inter Juriſconſultos, quod meretrici datur, repeti non poſſe: *Affectionis enim gratia neque inhoneſtae donationes prohibitae ſunt circa meretrices, l.* 5. *D. de donat.* Ejus rei novam rationem ſe inveniſſe praedicat Ulpianus, quod nimirum adoleſcens turpiter dederit, meretrix turpiter non acceperit, atque ita ſolius dantis turpitudo verſetur; quo caſu certum eſt, illam condictionem non competere. Illam enim ſubdit turpiter facere, quod ſit meretrix; ſed non turpiter accipere, cum ſit meretrix. Turpiter facere non eſt dubium: turpiſſimam vitam ducere dicitur in *l. palam* 43. §. *non ſolum* 4. *& ſeq. D. de rit. nupt.* & paſſim vilitas earum notatur, quae formam venalem habent, vulgique ſe libidinibus proſternunt, *l.* 20. *&* 22. *C. ad l. Jul. de adult.* Turpiter autem non accipere inde probat, quia ſit meretrix. Quaſi dicat, nil alienum a profeſſione ſua facere, quae ſemel impudicitiam apud Aediles profeſſa quaeſtum quantum poſſit maximum facere ſatagat, noctes vendendo locandoque. Mirum faceret, ſi, cum meretrix ſit, non acciperet; ut tunc exclamare liceret cum Statio Synephebis:

Proh deum, popularium omnium adoleſcentium
Clamo, poſtulo, obſecro, oro, ploro atque imploro fidem!
Ab amico amante argentum accipere meretrix non volt.

Nec injuriam facere aut iniquam conditionem inferre amatori, ab eo pecuniam donumve accipiendo; cum ejus deſiderium ipſa expleat, ſui copiam corporis faciendo. Tum videri poſſe turpiter & nequiter facere, ſi argento emunctum amatorem fallat & deludat; ut Catullus queritur *ad Auſilenam epigr.* 109.

Auſilena, bonae ſemper laudantur amicae,
Accipiunt pretium, quae facere inſtituunt.
Aut facere ingenuae eſt, aut non promiſſe pudicae,
Auſilena, fuit. Sed data corripere
Fraudando, effecit plusquam meretricis avarae;
Quae ſeſe toto corpore proſtituit.

Quae plane lenonia eſt ratio. Sic enim leno apud Plautum *Aſinaria Act.* 1. *ſc.* 3. *v.* 19. *Tibi ego miſi mulierem, par pari datum eſt, hoſtimentum eſt, opera pro pecunia.* Atquin ſi hoſtimenti ratio excuſat turpitudinem, nec virgo vel vidua turpiter acceperit, quae pro ſtupro accipit, quippe quae pro pecunia pudorem ſuum vendat: quam tamen turpiter accipere idem Ulpianus ait *d. l.* 4. *in princ.* Sed (replicaret ille) haec alienum a profeſſione vitaeque genere facit: Meretrix aliud non facit, quam quod facturam

Sabinus a Caſſio diſcipulo ſuo praeter morem reprehenſus. L. Plautus 49. D. ad leg. Falcid. *explicata.*

ATtejum Capitonem Pomponius ſcribit, in his, quae ei tradita fuerant, pertinaciter perſeverare ſolitum. Unde colligo, illum a ſententia A. Ofilii, quem ſecutus erat, eodem Pomponio authore, & ſub quo profecerat, non facile diſceſſiſſe. Et ſi aliis in rebus ingenio ſuo uſum, inde appareat, quod libros Conjectaneos ſcripſerit, qui citantur a Nonio in *Siticines*. Huic Capitoni ſucceſſit Maſurius Sabinus, qui diſcipulum habuit G. Caſſium. Quod Capito fuerat Ofilio magiſtro ſuo, idem Sabino Capitonis ſucceſſori fuit Caſſius, ſententiarum nimirum & dogmatum Sabini fidelis & tenax ſervator, velutique in ejus verba juratus, ut qui a Sabini magiſtri & auctoris ſui ſententia nunquam receſſerit, ſed eam aperte ſecutus, &, ſi quando obſcuritate vel difficultate laboraret, omni ſtudio excuſare & adminiculari niſus fuerit; ut apparet ex *l.* 19. §. *ult. D. de arbitr. l.* 4. *D. de ſervit. l.* 24. §. 1. *D. de act. emt. l.* 3. *in princ. D. de ſtatulib.* unde factum eſt, ut Caſſius Sabino plerumque jungatur. Unus tamen eſt locus, quo contra Sabinum, magiſtrum ſuum, Caſſius ſentit; non tam, quod veritas aut juris ratio Sabini ſententiam non admitteret, quam, quod ea ipſa principia, quae a Sabino hauſerat magiſtro Caſſius, eum non paterentur illius ſententiae adhaerere. Subtilis eſt quaeſtio, de communi ſervo, qui ab uno dominorum caeteris adquirit, & relatu digna; quam claram & facilem (niſi fallor) dabimus. Si communis ſervus Titii & Seji a Titio, ſine ulla mentione Seji, neque etiam Seji juſſu ſtipuletur; Sejo non totam obligationem, ſed pro parte tantum acquirit, pars promiſſori domino remanebit, *l. proinde* 7. §. *ſi ſervus* 1. *D. de ſtipulat. ſervor.* Idem eſt, ſi non tantum a Titio ſtipulatus ſit ſervus, ſed etiam rem promiſſam per traditionem acceperit, vel ſi abſque praecedenti ſtipulatione Titius ei donaverit animo donandi, quemadmodum alienis ſervis donare ſolemus: tum enim res fiet communis ſociorum, *l. per ſervum* 37. §. 2. *D. de acquir. rer. dominio.* *Communis*, inquit Julianus ibi, *fiet ſociorum.* Ergo non tota diſcedet a donante in alterum ſocium vel in caeteros ſocios (ut ſtulte gloſſa exiſtimat) ſed pars penes eum remanebit, id eſt, ex propria communis fiet, vel cum uno ſocio, vel cum pluribus. Hoc ſi Titius ſervo promiſerit vel donaverit. Quid ſi Titius ei legaverit, vel fideicommiſſum dederit in teſtamento? Si cum libertate ei legaſſet, hereditatemve dediſſet, jure adcreſcendi olim totus ad alterum ſocium perveniſſet; jure Juſtiniani liber & heres erit, § *ult. Inſtit. de donation.* Si, abſque libertate, ſervus quidem inter heredem Titii & Sejum communis erit, hereditas autem vel legatum vel fideicommiſſum ſoli Sejo adquiretur, non Sejo & heredi Titii communiter; etſi heres Titii dominus ſervi cum Sejo ſit, non minus, quam ipſe Titius olim fuerat, *l. verum eſt* 63. §. *ſi ſervo* 9. *D. pro ſocio. l. Plautius* 49. *in fin. D. ad Leg. Falcidiam. l. ſi Eros* 11. *D. de opt. vel elect. leg.* Manifeſta igitur eſt in hac re differentia inter actus, qui fiunt inter vivos (ut promiſſionem, donationem) & actus mortis cauſa (ut inſtitutionem, legatum, fideicommiſſum) quia illis modis communis ſervus non totum ſocio adquirit ab altero; his totum acquirit. Neque mirum debet videri, quod Titius per ſervum ex parte ſuum Sejo conferre poſſit legatum: nam & idem ſervus pro altera parte Seji eſt: atque

pro Divi Pii conſtituta, *d. l. verum* 63. & *d. l. Plautius* 49. *in fin.* Quin ipſe Sabinus, ut heredem Titii a participatione hujus legati ſervo communi dati omnibus modis removeret, non tantum voluit ei, quaſi qui & ipſe ſervi dominus ſit, ſervum hoc legatum pro parte acquirere: ſed & cum quaereretur, an ei (utpote jam Seji ſocio effecto) Sejus id legatum ſibi per communem ſervum adquiſitum judicio pro ſocio communicare debeat, reſpondit: non communicari debere. *Non enim* (inquit) *ob cummunionem id acquiſitum eſſe, ſed ob ſuam partem.* Nunquam autem in communionem conferri a ſocio debere, quod non propter ſocietatem, ſed propter ſuam partem acquiſierit, *d. l. verum* 63. §. *ſi ſervo* 9. *Propter ſuam*, inquit, *partem:* quia non niſi ejus partis reſpectu, quae Seji eſt, Titius ſervo legare potuit; ſuo ſiquidem ſervo abſque libertate legare nonniſi ſtulte & inepte potuiſſet. Ejus partis, quam alter dominorum in re communi habet, reſpectus ad quoſdam juris effectus tantum poteſt, quantum dominium integrum; ut in ſimili idem Sabinus dixit, ob ſuam partem fieri, ut unus ex ſociis totum ſervum noxali judicio defendere teneatur, *l.* 4. *D. ſi ex nox. cauſ. agat.* & ſic ſocius ſervi nomine in ſolidum tenetur, *l.* 9. §. 3. *D. de ſerv. corrupt.*

Haec igitur cum a Sabino Caſſius probe didiciſſet, evenit, ut ipſe Sabinus, hujus doctrinae immemor, aliquando pronunciaret, quod Caſſius excuſare non poſſet, in quaeſtione tali: Titius ſervum ſuum Sejo, ſervo fundum Titianum legavit. Interveniente Falcidia quaeſitum eſt, quantum utrique legato decedere debeat. Sabinus cum Atilicino & Nerva dixit, ſervo primum decedere quadrantem, qui penes heredem Titii maneat. Jam autem pro eo quadrante legatum fundi inutile fore. Igitur in dodrante tantum fundi ipſo jure legatum conſiſtere, & in hoc ipſo dodrante Falcidiam locum habere: atque ita Falcidiam bis de fundo decedere. Subtiliter id quidem & acute: ſed haec ſententia ſuperiori doctrinae mirifice repugnat. Si enim ſervus, Falcidiam paſſus, cum Sejo & herede Titii communis fit (ut plane fit) tantum abeſt, ne pro heredis parte, id eſt, dodrante, fundi legatum inutile ſit; ut imo Sejo ſocio totum adquiratur: quia (ut expoſitum eſt) communi ſervo cum legatum eſt, totum legatum pertinet ad ſocium, in cujus ſolius perſona conſiſtere poteſt, ipſo Sabino auctore. Quam ſententiam hoc loco Caſſius ſcite in Sabinum (quem tamen pro modeſtia & obſervantia ſua non nominat) retorquens, velutique ſuo ſibi gladio eum jugulans, recte defendit, ſemel tantum ut ex ſervo, ita ex fundo Falcidiam detrahendam. Qua Caſſii ſententia & nos uti Paulus ſcribit, *d. l. Plautius* 49.

CAPUT XVI.

De ſervis & libertis Medicis. Schola Medica Alexandrina. In Medicinam ire & alia nonnulla.

QUanto arte Medica excellentior & dignior ſit Juris civilis ſcientia, nemo neſcit. Certe inferiorem longe eſſe medicinam, etiam minima Jurisperiti functione, quae eſt cauſidicina, ex eo apparet; quod ſervi ab omnibus judiciariis actionibus plane arceantur, adeo ut perſonam in judicio ſtandi habere negentur, &, ut Terentius ait *Phormione Act.* 1. *Sc.* 5. *v.* 62. *Servum hominem cauſam ora-*

hered. inſtit. & inſtit. de vulg. ſubſtitut. quem credo eundem eſſe cum eo, quem Anthemonem Tiberii libertum nominat Scribonius Largus *cap.* 162. ut alterutro in loco mendum librarii ſubeſſe conjicias. Servi enim & miniſtri medicorum dominos ſectando & adjuvando ab eis rationem medendi nullo fere negotio diſcere ſolebant; ut Plato ait *lib.* 4. *de legibus:* κατ' ἐπίταξιν τῶν δεσποτῶν καὶ θεωρίαν καὶ κατ' ἐμπειρίαν τὴν τέχνην κτῶνται ὑπηρέται τῶν ἰατρῶν, ἰατροὺς δὲ καλοῦμεν. Unde conjicio, Empiricos illos plerumque fuiſſe, & uſu magis, quam arte, ſibi aliquam medendi facultatem comparaſſe. Curabant autem illi fere alios ſervos (ut ibidem Plato ſcribit) non liberos homines, & eos quidem non ſine imperioſa quadam gravitate. Cum econtra liberales Medici liberos tantum homines curarent, eoſque majori accuratione, nec tam imperantes, quam perſuadentes, ſive alla a artis & conſilii ſui ratione & explicata; ut aliquando Ariſtotelem, cum jaceret graviter affectus, mandanti quaedam Medico dixiſſe legimus: Μήτε ὡς βοηλάτην με θεράπευε, μήτε ὡς σκαπανέα, ἀλλὰ διδάξας πρότερον τὴν αἰτίαν, οὕτως ἕξεις ἕτοιμον πρὸς τὸ πείθεσθαι, διδάσκων ὅτι τοῦτον μηδὲν χωρὶς αἰτίας προσφέρω: ſive etiam ſuaſione & dolo quodam bono; ut *l.* 9. §. 1. *D. ad Leg. Aquil. Si quis per vim vel per ſuaſum medicamentum alicui infudit*, & exemplum eſt apud Horatium *lib.* 2. *Satyra* 3. Adeo tam bene ad aegrorum mores & ingenium, velutique ad nutum ſe attemperare & tantum καλλωπίζειν illi noverant, ut cum alias Medicus velut imperator quidam inter aegrotos eſſe dicatur, ſecundum Philonem Judaeum *lib.* περὶ καταστάσ. ἀρχ: Ὥσπερ γὰρ πόλεως βασιλεύς, τοῦτο καὶ κώμης ὁ πρῶτος, καὶ οἰκίας ὁ δεσπότης, καὶ νοσούντων ἰατρός, καὶ στρατοπέδου μὲν στρατηγός, ναύαρχος δ' ἐπιβατικῶν, καὶ πληρωμάτων ναύκληρος, κυβερνήτης δὲ πλωτήρων: hi, vice verſa, parere magis & obſequi, quam imperare aegrotis viderentur; unde & aegri illi *imperantes* vocantur apud Alfenum, *d. l. medicus* 26. Quo facit quod Seneca in *lib. de injur.* caeteros philoſophantes a Stoicis ſeparans, illos ad obſequendum; hos ad imperandum natos eſſe ſcribit: quippe ait illi *molliter & blande, ut fere domeſticias familiares medici aegris corporibus, non qua optimum & celerrimum eſt, medentur, ſed qua licet.* Multum igitur a ſervis medicis differebant liberales, ut quibus ob artis neceſſitatem, quae ſalutis hominum curam agit (ut Ulpianus ait *l.* 1. § 1. *D. de extraord. cognit.*) multa privilegia conceſſa ſunt, illis minime communicanda: quae eadem liberalibus profeſſoribus competunt, quibus Medici fere plerumque junguntur; ut *d. l.* 1. & *l.* 4. *D. de decret. ab ord. fac.* & *C. de profeſſ. & medic.* & illa inſcriptione Aventicana: NUM. AUG. ET. GENIO. COL. HEL. APOLLINI SACR. Q. POSTUM. HYGINUS. ET. POSTUM. HERMES. LIB. MEDICIS. ET. PROFESSORIB D. S. D.

Quod autem *l. ſi quis* 10. *C. de profeſſ. & medic.* de probatione medicorum dicitur, ut non minus, quam ſeptem judicio idonei adprobentur, antequam in ordinem promoveantur; videamus, an & in iis obſervatum fuerit, qui Alexandriae ſtuduiſſent. Ita enim ſcribit Ammianus Marcellinus *lib.* 22. *cap.* 16. *Medicinae autem, cujus in hac vita noſtra nec parca nec ſobria deſiderantur adminicula crebra, ita ſtudia augentur indies, ut licet opus id non redoleat, pro omni tamen experimento ſufficiat Medico ad commendandam artis authoritatem, ſi Alexandriae ſe dixerit eruditum.* Percelebre ſane floruiſſe Alexandriae medicinae ſtudium, patet etiam ex *l.* 18. *C. de Epiſc. & cleric.* ubi antiſtiti ejus

urbis

plus centum annis vivere non poſſe; quo loco plane mihi perſuadeo reponendum: *mortuos conſecrare*, & hoc ad Anatomiam referendum. Illud notum eſt, Medicorum nomine in Iure noſtro plerumque & eos ſignificari, quos nos Chirurgos vocamus: quae licet hodie ſeparatae ſunt artes, olim tamen ab iisdem exercebantur. Atque ita apud Plautum *Capterveis*, *In medicinam rapere* nihil eſt aliud, quam in chirurgi pergulam ſive tabernam rapere. Sed & ipſa pharmacorum & venenorum confectio non ab aliis olim, quam ipſis medicis fiebat, & medici nomine etiam pharmacopola intelligitur: quem eleganter *medicificum*, eadem forma, qua *veneficum* Apulejus vocat. Seneca *in exhortationibus*: *Adeo redundant ad ipſos maledicta in publicum miſſa, quos nos non aliter intueri decet, quam medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena*; quem locum refert Lactantius *lib. 3. cap. 15.* ubi (ut hoc obiter annotem) teſte Seneca uſus eſt pyxidis verbo, quod fere ut venenum in malam partem accipitur; veluti apud Juvenalem: *& partos gladio vel pyxide nummos*, quod, cum alii pyxidem pro fritillo vel pyrgo hic accipiant, revera nil eſt aliud, quam caede vel veneno. Quae duo plerumque jungi ſolent, non tantum in *Lege Cornelia de ſicariis & veneficis*, ſed & alibi. Martialis *lib. 6. epig. 19. non de vi, neque caede, nec veneno.* Juvenalis *Sat. 14. v.* 173.

——— ——— ——— Nec plura venena
Miſcuit, aut ferro graſſatum ſaepius ullum.

In medicinam igitur ire, eſt etiam aliquando in pharmacopolium ire, emendi ſcilicet vel ibi hauriendi pharmaci gratia. Plato *lib. 1. de legibus*: τοὺς εἰς τὰ ἰατρεῖα αὐτοὺς βαδίζοντας ἐπὶ φαρμακοποσίᾳ ἀγνοοῦν διόμεθα. Medicinae enim ſive ἰατρεῖα in viis erant, ut aliae tabernae. Demoſthenes *in Timarchum*: ἐὰν τις ἐν ἄστει τούτων τῶν ἐπὶ τῆς ὁδοῦ ἐργαστήριον ἰατροὶ οἰκῶνται, ἰατρεῖον καλεῖται.

CAPUT XVII.

De Juriſdictione Praetoris peregrini & de peregrinitate.

Scribit Pomponius, olim, non ſufficiente Praetore urbano, quod multa turba etiam peregrinorum in civitatem veniret, creatum fuiſſe & alium Praetorem; qui *peregrinus* appellatus eſt ab eo, quod plerumque inter peregrinos jus diceret, *l. 2. §. 28. D. de orig. jur.* Nonnulli circumlocutione uti maluerunt, quam peregrinum non ſat proprie appellare: nec enim ipſe Praetor peregrinus, ſed peregrinis jus dicit. Itaque in veteri lapide legimus: Praetor inter Civeis et Peregrinos. Et Seneca *de tranquill. animi cap. 3. Aa ille plus praeſtat, qui inter peregrinos & cives aut urbanus praetor praeeuntibus aſſeſſoribus tria verba pronunciat; quam qui docet, quid ſit juſtitia.* Et hinc illa Praetorum ſortitio apud Livium frequentiſſima, qua alii urbanam, alii peregrinam praeturam, alii provincias ſortiebantur, qui poſtremi propraetores dicti. Peregrini autem qui fuerint, ſi quis me roget, credo fuiſſe omnes, qui cives Romani non eſſent; Italos & provinciales, inquam, atque etiam ſocios & foederatos amicosque populi Romani. Hos omnes peregrinos voco, ut & *exterui* dicuntur, *exterique & extranei* in *l. 7. D. de capt. & poſtlim. l qui a latronib. 13. §. 1. D. qui teſt. fact. poſſ.* quos & *hoſtes* antiqui vocabant. Omnes denique quarumcunque gentium homines, modo qui domicilium Romae non haberent, ſed alia quavis de cauſa ibi ad tempus morarentur; ut, exempli gratia, qui ſtudiorum cauſ*ſiam, cui vix urbis immenſa tecta ſufficiunt. Maxima pars illius turbae patria caret. Ex municipiis & coloniis ſuis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt. Alios abducit ambitio, alios neceſſitas officii publici, alios impoſita legatio, alios luxuria, opulentum & opportunum locum vitiis quaerens: alios liberalium ſtudiorum cupiditas, alios ſpectacula: quoſdam traxit amicitia, quoſdam induſtria, latam oſtendendae virtuti nacta materiam: quidam venalem formam attulerunt, quidam eloquentiam. Nullum non hominum genus concurrit in urbem, & virtutibus & vitiis magna pretia ponentem.* His igitur peregrinis Praetor ille operam dabat, cum vel inter ſe, vel cum cive Romano Romae, ſtato condictoque die, experiebantur & litigabant. *Status dies*, inquit Feſtus, *vocatur, qui cum peregrino conſtitutus eſt* (addo & coram praetore peregrino) *Ejus enim generis ab antiquis hoſtes appellabantur, quod erant pari jure cum populo Romano. Hoſtire enim ponebatur pro aequare. Plautus Curculione: Si ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies, tamen eſt eundum, quo imperant ingratis.* Ex quo vel ipſo loco apparet, hoſti non minus, quam civi, in jus vocationem tractationemque fuiſſe. Si quis autem ex peregrinis jus civitatis Romanae habuerat, eum coram urbano potius, quam peregrino praetore poſtulaſſe & litigaſſe crediderim. Notum enim eſt, quomodo jus civitatis Romanae atque adeo certae tribus a principibus pro beneficio quibusdam provincialibus (quos tamen nihilominus vulgus Hybridas vocitare ſolebat) concedi ſolitum fuerit; quod pleraeque in provinciis inſcriptiones teſtantur, quibus etiam tribus ipſae exprimuntur, & rurſus, qui civibus Romanis per exilium peregrini facti erant & ἀπόλιδες (ut vocantur in *l. ſunt quidam 17. §. 1. D. de poen.*) & ea, quae juris civilis ſunt, amiſerunt; ſi in urbe experiri contra civem & poſtulare vellent, coram Praetore peregrino id feciſſe credo; & in *leg. 20. D. de minor. Quoniam*, inquit, *exul praetorem adire poterat per procuratorem*, intelligo Praetorem peregrinum. Poſtulabant autem peregrini omnes & peregrinitatis rei, id eſt, exules, palliati, non togati. Suetonius *in Claudio cap. 15. Peregrinitatis reum orta inter advocatos levi contentione, togatumne an palliatum dicere cauſam oporteat; quaſi aequitatem integram oſtentans, mutare habitum ſaepius, prout accuſaretur vel defenderetur, juſſit.* Quoniam toga ſolis Romanis in uſu, *l. ſed ſi. 34. D. de jure fiſci.* praeſertim forenſibus. Unde toga advocatorum, & togatus ordo, *l. 3. C. de advoc.* Exules vero & interdicti togae jus amiſerunt. Plinius *lib. 4. epiſt. 2. Valerius Licinianus cum Graeco pallio amictus intraſſet (carent enim togae jure quibus aqua & igni interdictum eſt) poſtquam ſe compoſuit, circumſpexit habitum ſuum; Latine, inquit, declamaturus ſum.* Porro autem ſequentibus temporibus ſub Principibus Romanis factum eſt, ut jus civitatis omnibus, imperio Romano ſubjectis & in orbe Romano degentibus, communicaretur, *l. in orbe 17. D. de ſtatu hom.* & Roma jam communis omnium patria cenſeretur, *l. Roma 33. D. ad municip.* in qua (ut eleganter Sidonius Apollinaris ait *epiſt. 4. lib. 1.*) ſoli barbari & ſervi peregrinarentur. Ita ut tunc omnes peraeque ibi forum ſortirentur; ut Prudentius *in Symmach. lib. 2.* canit *v. 613.*

Diſtantes regione plagae, diviſaque Ponto
Littora conveniunt nunc per vadimonia ad unum
Et commune forum.

Et Rutilius *lib. 1. Itinerarii:*

Feciſti patriam diverſis gentibus unam.
Profuit invictis (ita lego) *te dominante capi.*
Dumque offers victis proprii conſortia juris,
Urbem feciſti, quod prius orbis erat.

Unde

Digitized by Google

D monent, quae in *l. 2. D. de in jus voc.* obſervavi hoc loco annotare. *In jus vocare non oportet Pontificem, dum ſacra facit:* rem enim ſacram, non peractam, is deſerere non poteſt. Unde ſceleſtiſſimus leno apud Plautum *Pſeudo Act. 1. Sc. 3. v. 31. Si ſacrificem nunc ſummo Jovi, atque in manibus exta teneam, ut porriciam; interea loci ſi lucri quid detur, potius rem divinam deſeram.* Sequitur, nec eos in jus vocari poſſe, qui propter loci religionem inde ſe movere non poſſunt: quibus verbis nullos alios intelligi puto, quam eos ipſos, qui ſacris interſunt. His enim fas non eſt ante diſcedere, quam, omnibus ſacrificii ceremoniis rite concelebratis, ſacerdos ſucclamet ſolenne illud: Ilicet; qua voce illos, qui interfuerunt, miſſos faciebat, ut apud Graecos functus miniſterio ſacerdos renunciabat λαοῖς ἄφεσις, Apulejo auctore. Eadem igitur ratione, qua ſacerdos a re ſacra in jus vocari non debuit, nec debuerunt, qui rei ſacrae intererant; & merito: ſumma enim eſt ratio, quae pro religione facit, *l. 43. in fin. D. de relig.* Itaque excuſantur a munere judicandi, & arbitrandi, qui ſacerdotium nacti ſunt, ut diſcedere ab eo ſine religione non poſſint, ſed ſacris vacare debeant, *l. 32. §. ſacerdotio 4. D. de recept. arbitr. l. pen. D. de vacat. mun.* & Senatusconſulto Rubriano non continentur hi, quos religio moratur, *l. neque 36. D. de fideicom. libertate.* Et hoc volunt Ulpiani verba: *qui inde ſe movere non poſſunt*, id eſt, a re ſacra, quae ſane non niſi in loco ſacro peragitur, *l. 6. §. ſacrae 3.* & *l. 9. D. de rer. diviſ.* Atque ideo non tantum rei, quae agitur, ſed etiam ipſius loci religio eos retinet, ἡ τῶ τόπω θρησκεία; ut Graeci verterunt. Ad quae verba Graecus ſcholiaſtes Chriſtianus exempli gratia non inepte (pro ſuo quidem aevo) adnotat: Ὁποῖοι εἰσιν οἱ τόποι, οἷς τινες ἑαυτοὺς περικλείουσιν οἱ λεγόμενοι στυλῖται; *qualia ſunt loca, quibus ſemet includunt, qui vocantur columnarii.* Hi erant homines quidam religioſi, tempore Martiani Auguſti exorti, Simeone auctore, qui continuos dies noctesque, ſeptimanas totas & menſes, imo annos in columnis ſtarent: inde Stylitae dicti, quod quaſi columnis affixi, ut orationes & carmina Stylitentica, columnis publice affixa, quales illae Gregorii Nazianzeni in Julianum. Glycas *Annalium lib. 4. Marciano regnante Simeon ille magnus columnam aſcendit. Is longo tempore nihil omnino cum hominibus habuit commercii, propterea quod ejusmodi rem novam primus oſtendiſſet.* Et hic eſt Simeon Stylites, cujus vita legitur in Martyrologio Graeco Septembris. Idemque Glycas paulo poſt: *Leone regnante magnus ille Danielus columnam in Anaplo conſcendit.* Gregorius Nazianzenus in Poëmate περὶ ταπεινοφροσύνης, σωφροσύνης καὶ ἐγκρατείας, quod praeſtantiſſimo Leunclavio debemus:

> Σάκκῳ τὶς ἄλλος καὶ σποδῷ καὶ δακρύοις
> Εἵλκυσεν οἶκτον, καὶ χαμευνίας πόνῳ;
> Στάσει τε νυκτῶν ἡμερῶν τε πλειόνων,
> Μηνῶν, τὸ τούτου μεῖζον. εἰ δ' εἴποιμ' ἐτῶν,
> Ἄπιστον οἶμαι. πλὴν ἐμοὶ πιστὸν λίαν,
> Ὅσοι τ' ἐπόπται τῶν φίλων τοῦ θαύματος.
> Πίστις γὰρ ἐσθλῶν καὶ φόβος θεοῦ.

Quod ita vertimus:

> *Sacco quis alius, cinere, lacrumis movet*
> *Miſerationem, vel ſolo durum cubans:*
> *Stando columnis integras noctes, dies;*
> *Plus dico menſes; quin annos ſi dixero,*
> *Credi negetur poſſe, ſed mihi velim*

obſtinatae ſuperſtitionis pertinacia incredibilis, aut impoſtura videtur hypocritica. Caeterum Chriſtianos in ſuis conventiculis, inter alia contritionis opera, etiam jejune ſtando orandoque (ita enim tum ſolebant, non de geniculis) ſe exercuiſſe verum eſt; unde *ſtationum* nomen apud Tertullianum frequens, quae ſunt dilationes prandii vel coenae ſtativae, vel jejunia quaedam ſtataria. Adverſus Pſychicos *de jejunio: Propterea per ſingulas direximus ſpecies jejunationum xerophagiarum, ſtationum, quantum proficiant recuſati vel reciſi vel retardati publici officia: ut eos retundamus, qui haec velut vacantia infirmant.* Et paulo poſt: *& ſtationum ſemijejunia interponentes, & interdum pane & aqua victitantes, ut viſum eſt.* Et paulo poſt: *conventus autem illi ſtationibus prius & jejunationibus operati dolere cum dolentibus, & congaudere gaudentibus norant.* Porro in *d. l. 2.* in jus vocari vetantur & hi, qui equo publico in cauſa publica transvehuntur. Quae verba nimis anguſte quidam interpretantur de transvectione equitum in Capitolium; cum comprehendant omnem, qui equo publico publicam quamvis ob cauſam vehitur; magiſtratus an privatus ſit, civis an peregrinus, & legatus forte vel evocatus, quod genus, dum commiſſa negotia expedire ſatagunt, nullis aliis negotiis diſtrahi & occupari convenit; quam ob cauſam contra adverſarium exceptio & domum revocatio dilatioque eis datur, *l. 8. & ſeqq. D. de legation.* Et ad hos alludere videtur Amm. Marcellinus *lib. 14. cap. 6. Quidam per ampla ſpacia urbis ſubverſaſque ſilices ſine periculi metu properanter equos ſignatis (quod dicitur) calceis agitant, familiarium agmina tanquam praedatorios globos poſt terga trahentes.* Idque etiam manifeſtius probat Graecorum interpretatio, qui verterunt: ἢ διὰ δημοσίαν χρείαν ὁδεύοντας τῷ δημοσίῳ δρόμῳ, ſentientes de his, qui curſu publico utuntur ex evectione, de qua *C. de cur. publ.* vel ex diplomate, ut *l. continuus 137. §. 2. D. de verbor. oblig. l. 27. §. 2. D. ad Leg. Corn. de falſis.* Et equum publicum accipientes pro veredo & paraveredo, quales in calce ſignum publicum, quo noſcerentur, habuiſſe ex illo loco Ammiani apparet. Qui quidem curſus non niſi publicis perſonis & publica ex cauſa commeantibus concedi ſolet, *l. 11. & 16. C. d. tit.* Sidonius *lib. 1. epiſt. 5. Egreſſo mihi Rhodanuſiae noſtrae moenibus publicus curſus uſui fuit, utpote ſacris apicibus accito.* Et cum hi, qui ea evictione utuntur, diebus ac noctibus omnique tempeſtate contempta iter continuare ſoleant, *d. l. continuus 137.* iniquum fuerit ob aliquam privatam & pecuniariam cauſam eos ſiſti ac retineri. Notandum eſt autem, non tam equum publicum excuſationis cauſam praebere, quam cauſam publicam, cui ille ſubſervit. Et hoc eſt, quod Ulpianus ait: *in cauſa publica.* Fuerunt enim & alias, qui equis publicis ſemper uterentur, quod eis ob militiae vel alia merita ab Imperatoribus donati eſſent, qua liberalitate ſimul equeſtris ordinis dignitatem illi adipiſcebantur; ut apparet ex lapide Cordubenſi: Senecæ Tarq. Æd. Q. IIvir. Flam. Divi. Titi. Eqvo. pub. Donato. Præp. Coh. IV. Thraceq Flamini. P. H. C. Et juxta Neap. L. Egnatio Invento Patri. L. Egnati. Polli. Rufi. Honorati Eqvo. P. ab. Impp. Antonino. et. Vero. Augg. & alibi: C. Cornelio. Prisco. Habenti. Eqvum. Publicum. & ſimilibus paſſim multis. Ulpianus *in lib. regular. Tit. de jure donat. Conſtitutionibus principalibus conceſſum eſſe mulieri in hoc viro donare, ut is ab Imp. equo publico honoretur,* quod

eſt,

CAPUT XIX.

De moribus Publicanorum; & leviter emendata l. 1. D. de publ.

Q*Uantae audaciae quantaeque temeritatis ſint publicanorum factiones, nemo eſt qui neſciat*, inquit Ulpianus *l. 12. D. de publican.* Erat horum fraus, avaritia, rapacitas, immodeſtia ſumma, ut Suidas ait: πεπαῤῥησιασμένη βία, ἀνεπίληπτος ἁρπαγὴ, ἀναισχυντος πλεονεξία, πραγματεία λόγον μὴ ἔχουσα, ἀναιδὴς ἐμπορία; & praeterea maxima vereque odio digna curioſitas in exquirendo, quid mercium, unde, quo vehatur; dum ſemper lucrum captant ex mercibus, aut illicitis aut improfeſſis, nimis ſollicite verentes, ne quid ipſis decedat mendacio aut diſſimulatione, quod fiſco committendum eſſet. Nonius Marcellus in *Portitores. Portitores ſunt telonarii, qui portum obſidentes omnia ſciſcitantur, ut ex eo vectigal accipiant.* Plautus *Menaechmus Act. 1. ſc. 2. v. 8. Portitorem domum duxi, ita mihi neceſſe eſt eloqui quidquid egi atque ago.* Adeo ut quae delatoria ſive proditoria curioſitas dicitur in *l. 6. D. de jur. & fac. ignor.* nihilo injuſtius ab hoc hominum genere *portitoria* vocari potuerit. Atque ideo mirum non eſt, ſi apud cives pariter & exteros inviſi odioſique eſſent publicani. Ita enim Cicero in *libris Officialibus lib. 1. cap. 42. Improbantur ii quaeſtus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, ut foeneratorum.* Et Theocritus interrogatus, quaenam eſſent ſaeviſſimae ferae? In montibus, inquit, urſi & leones; in urbibus publicani & calumniatores, ut Stobaeus refert, *tit. 2.*

Judei certe, cum & argentarii & foeneratores, & mangones atque venaliciarii eſſent, publicani tamen nunquam fuerunt, & Judaea de gente ſua poblicanos nunquam habuit. Tertullianus *de pudicitia: Aut ſi quis dubitat, Ethnicos fuiſſe publicanos apud Judaeam uſurpatam jam pridem Pompeji manu atque Luculli, legat Deuteronomium. Non erit vectigal pendens ex filiis Iſrael. Nec tam execrabile eſſet nomen publicanorum apud Dominum, niſi extraneis vendentium ipſius caeli & terrae & maris tranſitus.* Licet & in eo ipſo tandem a majoribus degeneraverint, quippe quibus lege publica interdicendum fuerit, ne vectigalia exercerent, *cap. pen. Ex. de Jud. & Saracen.* Bulla Aurea Caroli IV. *cap. 9.* Unde publicanos Tertullianus *ibidem*, *Ex officio peccatores* eleganter vocat, innuens, non poſſe eos ſine maxima improbitate ſuum quaeſtum exercere: quam & ob cauſam ex hoc potiſſimum hominum genere deſumptus in Evangelio miſerrimus peccator Phariſaeo opponitur, de ſua gloriantí innocentia. [Luc. c. 18. v. 9. ſeqq.[

Cum itaque hi ſub ſpecie exigendi vectigalis ſive portorii, & juris publici tuendi, multa injuſte extorquerent, & ſervi ipſorum nihilo, heris meliores, ſaepe laederent tranſeuntes, modo clam ſubtrahendo, modo ſpoliando aperte: non tantum Praetores & Praeſides adverſus eos extraordinarie jus reddiderunt (ut Cornelius Tacitus ſcribit) ſed & tandem ad compeſcendam illorum audaciam, edictum Praetor propoſuit, quo in illos tam ex ſuo, quam familiae facto judicium pollicetur, *l. 1. l. 12. D. de publican.* Ejus Edicti verba ita ſonant: QUOD PUBLICANUS EJUS PUBLICANI NOMINE VI &c. Ita Florentinae habent Pandectae, rectius quam vulgatae, *publicanus ſeu quis publicani nomine.* Nam ſi familia publicani his verbis intelligitur, otioſe mox ſequeretur: *quodque familia publicani;* ſi alius quiſpiam extraneus, non teneretur verteriſſent: (ἐὰν τελώνης ἢ ἡ φαμιλία αὐτοῦ τελωνικὰ ἢ τι ἀφαιρῶν) &, *ſi publicanus vel ejus familia vectigalis nomine quid ademerit*, viſum eſt nonnullis, *d. l. 1.* ita corrigere: *Si publicanus ejus publici nomine.* Publici nomine vectigal intelligentes, ut *d. l. 1. §. 1.* publicani definiuntur, qui publico fruuntur, id eſt, vectigali fiſco debito, ſive ex mercibus evectis & advectis, ſive ex agris, paſcuis, praediis, fodinis publicis, quae omnia publici nomine comprehenduntur, quorum conductores publicani & ſcripturarii apud Feſtum. Sic & Horatius *lib. 1. Epiſt. 1. v. 77. Pars hominum geſtit conducere publica.* Euſebius Emiſſenus in *Domin. 11. poſt. Pentecoſt. Inde enim dicuntur publicani, ſive quia nec publice peccare erubeſcebant, ſive quia publica vectigalia colligebant.*

Sed neſcio, quomodo haec correctio mihi non ſatisfacit, neque ſat eleganter dictum videtur, *ejus publici*, cum publici nulla praeceſſerit mentio. Itaque ego ſubſtituere malim, ÆRIS PUBLICI, vel *aeris publicani*, quod idem fuerit. Vectigal enim nihil eſt aliud, quam aes publice debitum: & in jure publico frequens & quaſi propria eſt aeris mentio, ut in *C. Theod. titulus de collatione aeris, & de aeraria praeſtatione, l. aerariae 23. C. Theodoſ. de anno & tribut.* & de praediis adaeratis, *Novella* Theodoſii 17. & ab aere adeo aerarium ipſum dictum eſt, cui, quidquid eſt vectigalium & tributorum & collationum, infertur. Et hinc praetextus violentiae extorſioniſque publicanorum apertus, dum ſe aes publicum fideliter exigere, nihilque de jure publico remittere velle ſimulant. Auguſtinus *ſerm. 19. de verb. Domini: Honeſta ſane publicanorum interrogatio, Magiſter quid faciemus? Illi enim ſollicite interrogant, ne aut ignorantes plus exigendo in peccatum incidant, aut ceſſantes publicam decipiant functionem:* quam ob cauſſam proprie admodum verbo συκοφαντίας in hanc rem utitur Zachaeus publicanus apud D. Lucam *cap. 19. v. 8.* & εἴ τινός τι ἐσυκοφάντησα, ἀποδίδωμι τετραπλοῦν. Tantoque facilius in illos de facto familiae judicium datum eſt, noxae etiam deditione remota; quia peſſimis & nequam ſervis plerumque ſcientes utebantur, vagis & fugitivis & furacibus: igitur *d. l. 12. §. 1.* cum bonos ſervos ad hoc miniſterium adhibere deberent, *l. 3. in princ. D. eod. l. 7. § 4. D. nau. caup. ſtab.* culpae autem particeps eſt, qui opera malorum hominum ſciens utitur, *§. pen. Inſt. de oblig. quaſi ex delic.*

CAPUT XX.

Praeconis pleraque officia annotata.

PRaeconis aliquot officia lubet annotare, qui erat in officio Praetoris certorumque magiſtratuum, & in legis actionibus plerisque adhibebatur. In auctionibus igitur, ſive ſubhaſtationibus (quae publice & authoritate publica fiebant ſub haſta, quam ad perticam Tibullus vocat variis de cauſis) praeco adhibebatur, qui precium actionemque proclamando calorem licitantium excitaret. Tullius *lib. 2. Officior. cap. 23. Sic par eſt agere cum civibus; non ut bis jam vidimus, haſtam in foro ponere, & bona civium voci ſubjicere praeconis.* Plautus *Sticho Act. 2. Sc. 1. v. 41. Atque ut faciam praeconis compendium, itaque auctionem praedicem, ipſe veneam.* Et quasvis merces venales proclamabat praeco; Horatius *in Arte v. 419.*

Ut praeco ad merces qui turbam cogit emendas.

& Juvenalis *Satyra 8. v. 96.*

Prae-

dica frequentia, ſacemque fumoſam magis, quam lucidam quaſſans, haec proclamavit Puer in balneo paulo ante aberravit ſi quis eum reddere aut commonſtrare voluerit, accipiet numos mille. Curius Fortunatianus JCtus *lib.* 1. *Rhetor. ſchol. Cujus ſervus fugerat, libello propoſito, vel per praeconem nuncians, dixit, daturum ſe denarios mille ei, qui ad ſe ſervum perduxiſſet.* Apulejus 6. *Nihil ſupereſt, quam tuo praeconio praemium inveſtigationis publicitus edicere.* Quibus inventis pretium indicii capiebant, quod [illegible] vocatur; quod alias honeſte, accipere vel paciſci non poſſet, non magis quam ſi, ut rem depoſitam reddat, *l. falſus* 43. §. 9. *D. de furt. l.* 2. *D. de cond. ob turp. cauſ.* Magnus etiam in concionibus & Comitiis praeconis uſus ad multitudinis ſtrepitum compeſcendum. Livius *lib.* 43 *cap.* 18 *Cum Claudio obſtreperetur, audientiam facere praeconem juſſit.* Et ſimile officium erat praeclamitorum, qui Flaminibus antecedebant, exclamantes feriis publicis, ut homines abſtineant ſe ab opere, quia his opus facientem videre religioſum erat, authore Feſto Pompejo. Denique praeconis erat, elogium ſive cauſam poenae dicere his, qui fuſtibus vergisve caedebantur, inter caedendum, quod eſt *ſuperindicere.* Horat. *Epodon Ode* 4 *v.* 11.

Sectus flagellis hic triumviralibus
Praeconis ad faſtidium.

Ut in *l.* 16. *C. ex quib. cauſ. irrog. infam. Fuſtigato per praeconem ita dictum eſt.* [illegible]. & *l. ſi duo* 13. §. *ult. D. de jurejurand.* caſtigato ſuperindictum eſt, [illegible] μὴ ὄμνυε, ut cauſſa fuſtigationis exponatur, ſimul & populus ſpectans hoc dicto ad [illegible] exhortetur. Ita Pauſanias ſcribit, Aeoles, ad Pagaſicum ſinum exules, ſuos relegare ſolere ita occinentes, φεύγε ἐκ νόμου, quod ipſi [illegible] vocant. quem morem & Plato legibus ſuis comprobat *lib.* 2. [illegible]. Et in ſupplicii quoque executione partes praeconis ſilentium facere. Capito rhetor apud Senecam *lib.* 9. *controverſ.* 2. deſcribens, quo ritu damnatus in foro decolletur: *Aſcendit Praetor tribunal, inſpectante provincia, noxiae poſt terga ligantur manus ſtatim invento & triſti omnium vultu fit a praecone ſilentium, adhibentur deinde legitima verba, canitur ex altera parte claſſicum.* Praeconis autem munus pro parum honeſto eſſe habitum, fere ut viatoris, apparitoris, parochi, patet ex Juvenali *Satyra* 7. *v.* 3.

—— Cum jam celebres notique Poetae
Balneolum Gabiis, Romae conducere furnos
Tentarent, nec foedum alii, nec turpe putarent
Praecones fieri.

CAPUT XXI.

De refectione navium, & carina.

NAvis adeo ſaepe refecta, ut nulla tabula eadem permanſerit, quae non nova ſit, nihilominus eadem navis exiſtimatur, *l.* 76. *D. de judic.* modo carina eadem permaneat, *l.* 24. §. *ult. D. de legat.* 1. Carina, quam & ſentinam vocamus, maxima & potiſſima pars navis eſt, & veluti fundamentum. Adeo ut qui ex aliena materia navem aedificat, non aliam ob cauſam ſibi non adquirat, quam quia carina ipſius non fuit. *Proprietas enim totius navis carinae cauſam ſequitur, l. Muncius* 61. *D. de rei vindic.* Quemadmodum in aliena area aedificans ſua vel aliena materia, non poteſt alii, quam domino areae, aedificium adquirere; tantum navigantes a morte abeſſe, quanta ſit navis craſſitudo, de carina potiſſimum dictum videatur. Atque ideo maximum in hac periculum, ſi rimam ducat frangaturve, quia tum (ut Ovidius eleganter ait) viam praebet lethalibus undis, ſtatimque alveus repletur aquis totus, niſi huic periculo occurrat diligentia ſentinantium. Unde *ſentinare* pro ſatagere dictum apud Feſtum Pompejum, quod eſt egerere aquam e carina, & (ut Ovidius loquitur) aequor refundere in aequor. Caeterum navi refecta & reparata tum demum eadem manere cenſenda eſt, cum per partes reficitur; ut de navi Deliaca Poëtae referunt. Tunc enim ſemper ad ultimam uſque tabulam aliquid de veteri ſtructura ſupereſt. cui etſi eſt addita alia materia ſenſimque ſubmiſſa, verum eſt tamen eandem ſemper formam perfectionemque continuatam permanſiſſe. Aliud, ſi ſemel diſſoluta de novo tota aedificetur, *l.* 10. §. 7. *D. quib. mod. uſusfr. amit. l.* 98. §. *eteam* 8. *D. de ſolut.* quia, diſſoluta & disjecta ſemel navi, forma & ſtructura ejus ita interrupta eſt, ut quidquid reſtauratur, aliud jam & novum dicendum ſit. Itaque ex opinione magis vulgari, quam arte eſt, quod Tertullianus ſcribit *de reſurrect. Niſi forte & navem ſine carina, ſine prora, ſine puppi, ſine compaginis totius incolumitate ſalvam adſeverabis. Et tamen navem procella diſſipatam vel carie diſſolutam, redactis & recuratis omnibus membris, eandem ſaepe conſpeximus, etiam titulo reſtitutionis glorian-tem:* quo loco pro *redactis, repactis* legendum cenſeo. Et apud Juvenalem *Satyra* 14. *v.* 307.

—— —— —— —— dolia nudi
Non ardent Cynici; ſi fregeris, altera fiet
Cras domus, atque eadem plumbo commiſſa manebit.

Nulla cauſa eſt, quare reponamus, *aut eadem:* loquitur enim poëta ad ſenſum vulgi, quaſi dicat, ita novam cras factum iri ex ferruminatis & adplumbaris fragmentis domum, ut priori per omnia ſimilis, atque adeo prior domus videatur.

CAPUT. XXII.

Ad l. 1. D. ſi appell. pend. *mos judicum ſecedendi ad ſuburbana & amoena loca.*

TUtor pupilli nomine litem coeptam vel appellationem interpoſitam ad finem proſequi debet, *l.* 5. §. *poſt completum* 6. *D. de admin. tut. l.* 1. *de fidejuſſ. tut.* &, tutore vel curatore mortuo, heredes etiam cauſas appellationis reddere tenentur, *d. l.* 1. Sed quaeritur, quamdiu ad hoc teneantur? Macer exiſtimavit, etiamſi pupillo tutelae rationes reddidiſſent, tamen adhuc cauſas appellationis judici ad quem reddere debere: quia ſufficiat mortis tempore ad hoc obligatos fuiſſe, *l.* 1. *in fin. D. ſi pend. appel.* quaſi dicat, ſatis eſſe, quod ipſe tutor deſerere appellationem non potuerit, ſed ejus cauſas reddere juſtas debuerit; in quibus ſi defeciſſet, a re bene judicata temere appellaſſe furoris audacia diceretur: id igitur ſi defunctus mortis tempore debuerit, debere etiam ipſius heredes. Et verum ſane eſt, tantundem praeſtare debere heredes, quantum ipſe defunctus debebat. Verum cum ipſe tutor poſt rationes redditas atque ita finito officio ſuo, non cogatur cauſas appellationis cedere ex reſcripto Severi & Antonini, *d. l.* 1. *in fin. d. l.* 5. §. *poſt completum* 6. *l.* 1. *C. ut cauſae poſt pubert.* nec heredes igitur illius, poſtquam rationes tutelae reddiderunt, ad hoc amplius tenebuntur; ne durior

l. 42. D. de injur. tamen id aliquo modo ſugillat ipſius pudorem, cum appellationis beneficium inventum videatur ad judicantium imperitiam vel iniquitatem corrigendam, *l. 1. D. de appellat.* Verum hoc Macer timere non debebat. Non enim, ſi tutor vel ejus heredes, finito officio rationibusque redditis, cauſas appellationis reddere deſinunt, ideo appellatio deſerta erit: quia hoc facto litis vel appellationis proſecutio aut in curatorem adoleſcentis, qui tutori in adminiſtratione ſuccedit, aut, completo viceſimo quinto anno, in ipſum adoleſcentem transferetur, *d. l. 1.* & 5. Et ſi maxime horum aliquis ab appellatione deſiſteret, hoc ipſum cauſae diffidentiam abunde proderet. Itaque Macri ſententia vera non eſt.

In *l. 1. D. quando appell. ſit §. dies autem 7. & §. 9.* dum Ulpianus ait, *Fieri adſolere, ut Judices ſtatim poſt ſententiam dictam copiam ſui non faciant; nec requiri, quod appellans ad domum ejus veniat, vel in hortos accedat, & ulterius, quod ad villam ſuburbanam:* hoc (inquam) loco notari videtur mos Judicum, qui, officio ſuo defuncti cauſisque dijudicatis, in praedia ſuburbana, vel etiam paulo longius, Capreas puta, Bajas vel aliam quam (ut divus Auguſtus loqui ſolebat) *ἀνεργύπολιν*, animi reficiendi cauſa, ſecedere ſolebant. Quo reſpicere videtur Horatius *lib. 3. Ode 5.* de Regulo loquens *v. 50. ſeqq.*

——— non aliter tamen
Dimovit obſtantes propinquos
Et populum reditus morantem;
Quam ſi clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros
Vel Lacedaemonium Tarentum.

Et Juvenalis *Satyra 6. v. 485.*

——— ——— Jam cognitione peracta
Profectura domo, Sicula non mitior aula.

Facit & Seneca *Conſolatione ad Polybium cap. 25. Nec ſomnum quidem tibi extendere in partem diei licet, aut a tumultu rerum in otium ruris gratia quietis confugere, aut aſſiduo laborioſi officii ſtatione fatigatum corpus voluntaria peregrinatione recreare.* Nec alienum hinc eſt, quod Ulpianus in *l. 21. §. ſi arbiter 10. D. de recept.* ait: *Si ejus auctoritatis ſit arbiter, ut in ſeceſſibus ſoleat agere.*

CAPUT XXIII.

Vera explicatio & emendatio l. Marcellus 25. D. de fidejuſſor.

Saepe mirari mihi contigit, quod circa expoſitionem & correctionem *l. Marcellus 25. D. de fidejuſſ.* cum tantopere laborent, atque etiam contendant viri docti; nemo tamen mentem Ulpiani vere aſſecutus ſit. Nam, ſi *quoniam his* mutandum eſt *quamvis*, res ea adjectione difficilior quidem fit, clarior & certior non fit. Sed rationem cauſamque dare Juriſconſultus voluit, non difficultatem rei oſtendere: & quidem ſtultum fuerit, difficultatem potius, quam rationem rei monſtrare; vel, ſi illam dixeris, non hanc addere, qua res ab abſurditate excuſetur. Itaque retinendum eſt *quoniam*, &c, ut rem paucis expediam, Fidejuſſor pro naturaliter obligato intervenire poteſt, & pro pupillo igitur, vel furioſo aut prodigo ſine tutoris auctoritate, *l. 10. 24. l. 11. D. de oblig. & act. l. 70. §. 4. D. de fideiuſſ. l. 6. D. de verb. obl. l. 35. D. de recept. arbitr.* Recte pro his intervenit fidejuſſor, & recte etiam convenitur exigiturque a creditore ex promiſſione ſua; adeo ut nec exceptionem adverſus eum habeat, nec reſtitutionem in integrum impe- Non eſt etiam juſta cauſa, ſi [illegible] pter perſonam pupilli ipſius, vel furioſi, aut [illegible], quaſi contra hunc habiturus ſit regreſſum & mandati actionem ſoluto debito, atque exacturus eum, quem creditor ipſe exigere non potuit. Quia hoc falſum eſt, neque poteſt ex ullo contractu aut negotio utiliter conveniri pupillus, aut furioſus, vel prodigus, quod ſine tutoris aut curatoris auctoritate geſſit; nec ex mandato igitur, *Inſt. de author. tutor.* & aeque tutus eſt, tam contra creditorem, quam fidejuſſorem ſuum, qui apud creditorem, fidem ſibi habere nolentem, intervenit. Ex hoc eſt, quod Ulpianus in *d. l. 25.* ait, *magis eſſe, ut fidejuſſori non ſubveniatur, quoniam hic* (ita legendum, non *his*) *mandati actio non competit*: ob id ipſum, inquam, fidejuſſori non ſubveniendum per reſtitutionem in integrum, quoniam hoc caſu mandati ei actio non competit. Quemadmodum alibi dicitur, cum exceptionem competentem reo fidejuſſori non prodeſſe, cum non habet adverſus reum regreſſum; aut ſi donationis cauſa intervenit, vel ad eum pecunia pervenit, *l. 5. D. de liber. legat.* Si ei competeret mandati actio contra pupillum, vel furioſum, aut prodigum, merito ſubveniendum eſſet, ne per hujus latus alii laedantur, utque indemnitati illorum conſulatur: quia hoc caſu, cum fidejuſſor convenitur, *τῇ δυνάμει* reus ipſe exigitur; ut idem Ulpianus alibi ait *l. 29. D. de recept.* Sed hi quidem tuti ſunt, ſolus autem creditor in periculo damnoque verſatur: & certe ratio non fert, in hujus necem fidejuſſorem reſtitui; nam hujus ſolum contemplatione & fiducia ille contraxerat, fidem alioqui pupillo, vel prodigo minime habiturus. Denique ſibi imputet fidejuſſor, ſuaeque imprudentiae. Et hanc fuiſſe Ulpiani mentem in ea *l. 25.* ipſe me Ulpianus docet in *l. 13. in princ. D. de minor.* (quae eſt ex eodem libro 11. ad edictum deſumpta) ita ſcribens: *Si cum ſcirem minorem & ei fidem non haberem, tu fideiuſſeris pro eo: non eſt aequum fidejuſſori in necem meam ſubveniri, ſed potius ipſi deneganda erit mandati actio. Certe minor captus neutri tenebitur.* Quo ipſo tamen loco non abnuit, cauſa cognita poſſe & fidejuſſori hoc caſu ſubveniri, ſi forte dolus aut culpa ignorantiaque aliqua, juſta denique cauſa intervenerit; mandatori vero nunquam.

CAPUT XXIV.

In quaeſtione, An poſſeſſor fructuos ſuos faciat, quomo diſtinguendum ſit; & diſſenſiones Juris Auctorum notatae.

In quaeſtione de fructibus, quos fructus qui poſſeſſor adquirat, diſcerni ſolent fructus induſtriales a naturalibus, extantes a conſumptis, poſſeſſor malae fidei a poſſeſſore bonae, titulus onerosus a lucrativo, quae diſtinctiones non omnes ſunt verae. In malae fidei poſſeſſore ſane non diſcernuntur fructus nec naturales ab induſtrialibus, nec extantes a conſumptis; quia nullos ſuos facere poteſt, nec ſi in eis ſumptum operamque impendat, nec ſi natos conſumat: quod ejus odio conſtitutum eſt, & ut ſibi imputet, quod alienum ſolum ſciens coluerit, quo genere donaſſe domino impenſam videtur, *l. 38. D. de rei vendicat. l. 4. §. 2. D. fin. regund. l. 22. §. 2. D. de pignor. act. l. 15. D. de evict. l. 1. in princ. §. 3. D. de ventr. nom. l. 17. D. de his quib. ut indign. l. 25. in pr. D. de uſur. l. 40. D. de adq. rer. dom.* & adeo certum eſt, etiam artificiales fructus eum domino evictionis judicio reſtituere debere, ut non dicam quos inhoneſte percepit, ſed etiam quos honeſte percipere potuit,

Google

quidam diſtinguunt) poſſederit ex titulo oneroſo, veluti emptionis: quam diſtinctionem tituli poſſeſſionis ipſi deſumunt ex collatione *l. fructus* 45. *D. de uſur.* & *l. bonae fidei.* 48. *D. de adquir. rer. dom.* ego vero minime ferendam cenſeo. Quae enim eſt ratio, quod domino, rem ſuam vindicanti, emptor objiciat, pretium ſe pro ea re ſolviſſe, quo minus eam cum ſua cauſa reſtituat. Quippe cum emptor de pretio ejusque uſuris & omni intereſſe, regreſſum adverſus venditorem ex duplae ſtipulatione, aut empti judicio habeat, *l.* 60. & *tot. tit. D. de evict.* ut abſurdum ſit, cum haec exceptio non relevet eum, quominus rem ipſam reddat, pro qua tamen pretium dedit; relevare tamen, quominus fructus naturales, pro quibus producendis nihil dedit. Itaque (ut meam ſententiam expediam) in bonae fidei poſſeſſore non ſunt diſtinguendi tituli, ex quibus poſſidet, nec fructus induſtriales a naturalibus; ſed hoc tantum, quamdiu bonae fidei poſſeſſor ſit, & quando eſſe deſinit, qui fructus ſuperſint. Omnis enim bonae fidei poſſeſſor percipere omnes fructus, & percipiendo ſibi adquirere poteſt, non tantum quos opera ſua & induſtria produxit, ſed omnes, *d. l* 48. *D. de adq. rer. dom. Omnes*, inquam, id eſt, etiam qui ſine ejus opera provenerunt; naturales puta, vel quos alius ſevit, *d. l. qui ſcit* 25. §. 1. *D. de uſur.* Et naturales eum non minus, quam induſtriales acquirere, haec ſunt argumenta. Quia circa fructuum acquiſitionem domini loco habetur, ut utraque illa lex dicit, & bonae fidei poſſeſſoris non minus, quam domini jus vetuſtiſſimum eſſe dicitur, *l.* 12. §. *ſi ſervus* 12. *D. de capt.* Dominus autem in fundo ſuo omnes haud dubie fructus percipit; ut ex arboribus poma, ex ſylva caedua ligna, ex pratis gramina, quae (ut Virgilius ait *lib.* 1. *Georg. v.* 55.) *injuſſa vireſcunt*; uti Columella *lib.* 10. *& injuſſi conſternitur ubere mali*: omne enim fere pomorum genus ſine cultura naſcitur, ſecundum Plinium *lib.* 33. imo eſt etiam abies, pinaſter, celaſtrus, & ſimiles quaedam arbores, quae non ſolum ſponte ſua proveniunt, ſed ne cultum quidem admittunt, eoque deteriora redduntur; ut Theophraſtus ſcribit *lib.* 1. *cap.* 2. Deinde quia fructus non ſeminis & culturae, ſed ſoli & corporis jure percipiuntur, *d. l.* 25. Bonae autem fidei poſſeſſor jus in ſolo habet, & quidem antiquiſſimum, quia & domini loco eſt, *l.* 7. §. 6 *D. de public. in rem act.* Si ſeminis jure perciperentur fructus, cederent ei, cujus fuit ſemen: quod non eſt, ſed cedunt domino aut poſſeſſori, qui jus in ſolo & corpore habet, *d. l.* 25. §. 1. & naturales igitur fructus, qui ſine ſemine vel cultura proveniunt, bonae fidei poſſeſſori cedent, qui jus in illo ſolo vel corpore habet. Si enim eos tantum is acquirere deberet, in quibus operam ſumptusque collocaſſet, non acquireret ab alio conſitos. Atqui hoc eſt falſum, *d. l.* 25 §. 1. Ergo & illud. Tum quia bonae fidei poſſeſſor plus juris in ſolo & corpore, a ſe poſſeſſo, habet, quam fructuarius, *d. l.* 25. Fructuario autem non eſt dubium omnes fructus acquiri, etiam ſponte ſua provenientes, ut foenum, folia, foetus pecudum, lac, ligna & alia. Ergo multo magis huic. Quia denique Juſtinianus in §. *ſi quis a non domino* 35. *Inſt. de rer. diviſ.* non diſtinguit inter fructus, ſed tantum inter bonam malamque fidem poſſeſſoris; & *naturali ratione fructus*, ait, *perceptos fieri bonae fidei poſſeſſoris pro cultura & cura*; quae ratio de utroque dici poteſt, quia nulli fere fructus ſunt, qui, ſi non cultura, certe cura non egeant: nam & prata irrigationes ſuas requirunt, & arbores putationes ſuas, & omnia pro bonae fidei poſſeſſore. In quo tamen ipſo quam facit diſtinctionem fructuum, eadem aliis ignota eſt: cum Ulpianus in *l.* 17. *D. de donat. int. vir. & uxor.* indiſtincte tradat ex fructibus praediorum donatorum uxorem locupletari poſſe; &, licet donatione ipſorum praediorum revocata, tamen horum donationem valere, ut licitam. Et vera ratio eſt, quia hos fructus uxor non jure bonae fidei poſſeſſoris (quod defendi non poteſt, *l. ſi uxor.* 19. in *princ. D. eod.* cum titulum idoneum non habeat, nec bonam fidem igitur) percipiat, ſed ex conceſſione mariti: quae ideo toleratur, quia inde maritus non fit pauperior, cum non deminuat de facultatibus ſuis, ſed tantum non acquirat, *arg. l.* 5. §. *ſi maritus* 1. *&* §. *pen.* & *l.* 18. *D. eod.* quae ratio in utroque fructuum genere locum habet. Verius itaque eſt, quod Julianus & Paulus tradiderunt, bonae fidei poſſeſſorem omnes fructus percipiendo ſuos facere. *Percipiendo*, inquam: nec enim omnino exigitur, ut fructus conſumſerit & abuſus ſit, *l.* 4. §. *poſt litem* 1. *D. fin. regund* ſed ſufficit, a terra ſeparatos eſſe: aliter quam in fructuario, qui non niſi conſumendo fructus ſuos facit, *d. l.* 25. *l.* 13. *in fin. D. quib. mod. uſusfr. amitt. d. l. bonae fidei* 48. Extantes autem tempore vindicationis, id eſt, adhuc pendentes, reſtitui debent: quorum tamen retentione per exceptionem doli mali impenſas ſeminis & culturae poſſeſſor ſervare poteſt, *l.* 48. *l.* 65. *D. de rei vendic. l. fructus* 45. *D. de uſur.* Quod ita in malae fidei poſſeſſore an ſit, inter auctores juris controverſum eſt; ut apparet ex *l.* 36. §. *ult.* & *l.* 38. *D. de her. petit.* Cum autem dixerim, bonae fidei poſſeſſorem omnes fructus percipiendo ſuos facere, etiam naturales; quid eſt per Deum, quod Paulus *d. l. bonae fidei* 48. ait: *interim eos ſuos facere?* an donec evincantur, cum quibusdam interpretabimur? quod non placet. Quomodo enim meum feciſſe dici poſſum, quod mox evictione amitto? cum dominii cauſa ſit perpetua, nec meum factum dicatur, niſi quod ita factum eſt, ut avelli nequeat; nec conſequutus dicar, niſi quod & retinere poſſum, *l.* 82. *in princ. D. de legat.* 1. Certe nihil minus, quam evictionis caſum eo verbo intelligere voluit Paulus: nam, quod de fructuum adquiſitione dixerat, id mox ſubjicit locum habere indiſtincte, etſi res propter ſuum vitium uſucapionem non admittat, & ſic non poſſit non aliquando evinci, ut res pupillaris, aut vi poſſeſſa. Notandum eſt itaque (quod a nullo adhuc monitum video) ea, quae de bonae fidei poſſeſſore dicta ſunt, tamdiu locum habere, quamdiu bonae fidei poſſeſſor manet. Quamdiu bonam fidem retinet, tamdiu omnes fructus ſuos facit, cum illam amittit, amittit & hos. Videndum itaque, quando bonam fidem amittat. In qua quaeſtione a Paulo aperte diſſentit Julianus, ut ſuperius a Paulo Julianoque diſſenſerat Pomponius. Paulus enim vult, tamdiu poſſeſſorem bona fide cenſeri, quamdiu non cognoſcit, alienam eſſe: cum autem cognovit, alienam eſſe, etſi per ſupervenientem eam cognitionem uſucapio ejus non interrumpatur ſtatim, tamen fructuum acquiſitionem (quae duo diverſa ſunt) interrumpi; & bonam fidem, quam initio habuerat poſſeſſor, ad uſucapionem quidem ei proficere, ad fructus non proficere. Julianus autem *d. l. qui ſcit* 25. §. *ult.* in alia eſt ſententia: non vult enim, ſatis eſſe, quod poſſeſſor fundum cognoverit eſſe alienum, ſed illius bonam fidem etiam quoad percipiendos fructus vult durare, donec fundus ei evincatur. Paulo igitur in *d. l. bonae fidei* 48. *interim* ſignificat, donec

Digitized by Google

ctus igitur, non a tempore ſcientiae (ut Paulus volebat) ſed evictionis & litis conteſtationis reſtituit, quod ſumme notandum eſt, & approbatur, *l.* 1. *C. de petit. hered.* Litis enim conteſtatio, ut ad alios juris effectus vim novationis habet, *l.* 37. §. 6. *de oper. libert. l.* 3. §. *idem ſcribit* 11. *D. de pecul.* ita & hoc mutat, quod bonae fidei poſſeſſorem in mala fide conſtituit, *l.* 20 §. 11. *D. de petit. hered. l.* 15. § 11. *D. de uſurp. & uſucap.* Haec eſt ſumma hujus quaeſtionis, circa quam non eſt mirum hodie nobis non convenire, quando nec ipſis Juris Auctoribus olim convenerat; ut apparet ex collatione *d. l.* 25. 45. *D. de uſur. l.* 48. *D. de acq. rer. dom. l.* 36. & 38. *D. de rei vend.*

CAPUT XXV.

Explicata l. 7. C. de codicill. *Teſtamenti & codicilli etymon.*

Religioſa illa veterum in condendis teſtamentis obſervatio meruit, ut codicillis effici, quae teſtamenti propria ſunt, non poſſint. Nam nec inſtitutiones ſubſtitutionesque heredum (quae caput ſunt teſtamenti) indiſtincte, nec quidquam aliud directis verbis in his ſcribi poteſt, niſi teſtamento ſint confirmati; quo caſu ipſo potius teſtamento ſcripta videntur: quia quae confirmantur, non tam danti, quam confirmanti hoc debent, quod valent. Mirumque ſane eſſet, in codicillis verba directa, quae legis modum habent, uſurpari poſſe; cum ipſi nulla lege, ut teſtamenta duodecim tabulis, ſint confirmati. In jure autem noſtro duae rationes traduntur, quare codicillis hereditas dari non poſſit, longe elegantiſſimae. Prior, quia teſtamenti (ut dixi modo) eſt confirmare codicillos, non e contrario. Atqui, ſi heredis inſtitutio in teſtamento omitteretur, in codicillis ſcriberetur, eveniret teſtamentum, quod ab heredis inſtitutione vires ſubſtantiamque accipit, per codicillos confirmari; quod nimis praepoſterum abſurdumque foret, *l.* 10. *D. de jure codicil.* Altera ratio non minus elegans, ſed minus (ut videtur) intellecta, ſumitur ex ipſa nominum diverſitate, *l. ſi idem* 7. *C. eod.* non quod duo ſint nomina, ut *l. heres* 22. *D. de uſurp. & uſuc.* nam ea ratione nec negotium poſſet quod contractus, nec pactum quod pactio, nec ſtipulatio quod verborum obligatio; ſed quod codicilli nomen diminutivum (ut cum Grammaticis loquar) ſatis arguit, non eſſe ejus eandem poteſtatem atque authoritatem, quae ſit codicis. Teſtamentum eſt juſta & ſolemnis conteſtatio voluntatis judiciique noſtri, quod & Codex dicitur, quia ſcribebatur in chartis, *l. chartae* 4. *D. de bonor. poſſeſſ. ſec. tab.* Juvenalis *Satyra* 10. *vſ.* 236.

Quos genuit, quos eduxit: nam & codice ſaevo
Heredes vetat eſſe ſuos. Bona tota feruntur
Ad Phialen — — —

Codicillus igitur dictus, quaſi teſtamentum parvum. Sed, cum a teſtamento diminutivum duci, ratio honeſtatis auriumque reverentia non pateretur, ut nec a pavimento, quod Cicero notat *epiſtola* ad Paetum *lib.* 11. a Codice duci placuit. Eſt enim & codicillus teſtatio mentis noſtrae, ſed nuda & ſolemnitate carens: quale olim id genus teſtamenti fuiſſe credo, quod Varro *Phyſicon* appellat apud Nonium in *Belliloris*, cui contrarium *Myſticon*. Teſtamenti autem originatio (ut & hoc addam) quam dat Juſtinianus, etſi ſterioribus non placet, elegantiſſima tamen eſt,

Poſſe dicitis ad res cameras ſumpta de mari ſpuria & faſcina, propter nominum ſimilitudinem. Qui minus poſſit ex eodem littore calculus ad veſicam, teſta ad teſtamentum, cancer ad ulcera, alga ad querquerum?

CAPUT XXVI.

De Androgynis quaedam Aeliae Laeliae Criſpidis monumentum.

Ulpianus ſcribit, ſi mulier ventris nomine in poſſeſſionem miſſa *eum ediderit, qui repulſus eſt, diſcedere debere*, *l.* 2. *D. de ventr. in poſſeſſ. mitt.* Quidam, Graecos ſecuti, exemplum dant de foetu mortuo, qui mortuus natus eſt. Nam & mortui abortivique edi & naſci dicuntur, *l. qui mortui* 129. *D. de verbor. ſignific.* Terentius *Hecyra Act.* 3. *Sc.* 3. *v.* 38. *natum abortum.* Ego autem non video, quomodo repelli dicatur, qui nec eſt. Itaque malim exemplum dare de partu monſtroſo, & qui contra formam humani generis, converſo more, vivus tamen procreatur, *l. non ſunt* 14. *D. de ſtatu hom. l.* 135. *D. de verbor. ſignific.* Quibus annumerantur etiam foetus duplicis naturae & ambigui ſexus. Juvenalis *Satyra* 13. *v.* 64.

Egregium ſanctumque virum ſi cerno, bimembri
Hoc monſtrum puero, vel foetae, comparo mulae.

Ideoque antiquitus quoties androgynus natus nunciabatur, mali ominis prodigiique avertendi cauſa aruſpices in mare (cui elemento purgationis expiationisque vim ineſſe credebant) deportari juſſerunt: idque non tantum recens natis fiebat, ſed & qui ante quotcunque annos nati deprehenſi eſſent. Julius Obſequens *libro de prodigiis*: *L. Aurelio & L. Caecilio conſulibus androgynus in agro Romano annorum octo inventus & in mare deportatus.* Idem: *L. Furio, Attilio Serrano Coſſ. puer ex ancilla quatuor pedibus, manibus, oculis, auribus, & duplici obſcoeno natus, aruſpicum juſſu crematus, cinisque ejus in mare dejectus.* Idem: *Q. Metello Tullio Dulio Coſſ. androgynus in mare deportatus. C. Cornelio Lentulo P. Licinio Coſſ. ſupplicatum in urbe, quod androgynus inventus & in mare deportatus erat.* Idem: *L. Caecilio L. Aurelio Coſſ. Saturniae androgynus annorum decem inventus & mari demerſus. P. Africano C. Fulvio Coſſ. in Agro Ferentino Androgynus natus & in flumen dejectus.* Addo, quod nec omnes androgyni tales nati ſunt, ſed (ſi qua ſcriptoribus fides) quidam cum jam annorum aliquot eſſent, ſubito tales facti. Taceo, quod de Ceneo & Salmace poëtae fabulantur: Plinius certe *lib.* 7 *cap.* 4. & Phlegon Trallianus Hadriani Aug. libertus in *lib.* *περὶ θαυμασίων* ſerio confirmat, Antiochiae Corbilium quendam, M. Vinicio & T. Statio Tauro Coſſ. e viro feminam ſubito factam; & Epidauri Sympheronſam quandam, & Laodiceae L. Lamio & Aeliano vetere Coſſ. Aetetam quandam, ſubito enato maſculo membro, e feminis in viros abiiſſe. Et Auſonius *epigramm.* 68.

Nec ſatis antiquum, quod Campana in Benevento
Unus ephebeorum virgo repente fuit.

Nunc, quia de androgynis natus ſermo, fas mihi ſit, notiſſimum Androgyni monumentum, quod extat in agro Bononienſi, ſed ſignificatione ignotiſſimum, hoc loco explicare. Magnus ſane artifex obſcuritatis fuit, qui poſuit: compoſitum eſt enim ex meris contrariis, ut illud Panarcis, quod ex Platone refert Gellius *lib.* 20. *cap.* 8. & plura ejus generis apud Athenaeum *lib.* 10. Sed falſus ille certe animi, ſi putavit in tota poſteritate neminem unquam futurum,

Google

bantur) omnia fuiſſe: ut Petronius ait, neſcio quem Trimalcioni τὰ πάντα eſſe; uti Demoſthenes, πᾶν ὅπλον ἦν αὐτοῖς; ut Lucianus amorem Stratonices in Combabum exprimens, καὶ οἱ πάντα Κομβαβὸς ἦν; ut Tertullianus, *animae nos eſſe totus, animam nobis omnia eſſe*. Sed cum plura ejus generis ſequantur; monſtris verborum non niſi monſtroſiſſimum aliquid de notari conjicere licet. Fuit igitur (me conjectore) aliquando hermaphroditus, ſed femineus, ut ex nomine apparet; & forte a capillis Criſpis dictus, ut Criſpi olim & Criſpini: qui cum in pueritia androgynorum, quod modo dixi, fatum effugiſſet, ad eam aetatem pervenit, ut ad utramque libidinem comparatus, alterutra venere non contentus, utramque (o monſtrum!) exerceret. Perhibentur enim hoc genus quidam utriusque ſexus naturam, & alteram mammam virilem, alteram muliebrem habentes, vicibus alternis coëundo & gignere & parere; ut vel Auguſtinus ſcribit *lib.* 16. *de civit. cap.* 8. & tangit Antoninus Aug. *lib.* 3. *circa fin.* §. 16. τὸ νευροσπαστεῖσθαι ὁρμητικῶς καὶ τῶν θηρίων, καὶ ἀνδρογύνων, καὶ Φαλάριδος καὶ Νέρωνος. Ne dicam, etiam alteram illam magis execrandam turpitudinem alterius loci aut commiſiſſe, aut in ſe paſſum. Certe effeminati & cinaedi male viri, quique virum quaerunt, *ſemiviri* dicti ſunt; & Salmacidae fabula non ab aliis, quam his nata creditur. Et tamen omnia in tecte & furtim, ut vulgo non tantum pro vere femina, ſed etiam pro caſta ac pudica aliquandiu haberetur. Iſta igitur vir non fuit, vel nomine reclamante; ſed ſemivir. *Semiviri* enim hoc genus nominantur, & *ſemimares* apud Plinium, Livium, & Lucanum. Non fuit etiam vere femina, & neutro denique ſexu per ſe cenſeri potuit; ut Auſonius eleganter *Epigr.* 98.

Mercurio genitore ſatus, genetrice Cythere,
Nominis ut mixtus, ſic corpori hermaphroditus
Concretus, ſexu ſed non perfectu utroque.
Ambiguae Veneris, neutro potundus amori.

Qua re & apud veteres quidam omnia numina, deos deasque, quod incorporea eſſent, nullumque ſexum haberent, ſed quod vellent corpus aſſumerent, Hermaphrodita eſſe dixerunt. Sed ne androgynam recte dixiſſes, ſive quia id verbi latinus ſermo non agnoſcit, teſte Auguſtino *d. loco Androgyni, quos etiam hermaphroditos nuncupant, quamvis admodum rari ſint, difficile eſt tamen, ut temporibus deſint. In quibus ſic uterque ſexus apparet, ut ex quo debeant accipere nomen, incertum ſit. A meliore tamen, hoc eſt, a maſculino, ut appellarentur, loquendi conſuetudo praevaluit. Nam nemo unquam Androgynas aut Hermaphroditas nuncupavit*: ſive quia hermaphroditus ejus ſexus aeſtimatur, qui in eo praevalet, magisque incaleſcit, *l.* 10. *D de ſtatu hom. l.* 15. *D. de teſt. l.* 6. §. 2. *D. de lib. & poſt.* Non fuit etiam vere pella, ſeu propter corporis vitium, ſeu quod annos puellares tenerrimae aetatis (id enim eſt puella. Ovidius *in Arte lib.* 1. *v.* 61.

Seu caperis primis & adhuc creſcentibus annis,
Ante oculos veniet vera puella tuos)

exceſſiſſet, ſeu quia paſſa, quod pueri pati cogebantur; quare Martialis puerum dicet, ut *epigrammate* 79. *lib.* 11. Neque rurſus juvenis, quia paſſus muliebria. Neque etiam anus, qui aut annos aniles non attigit, aut, ſi attigit, tam ſenex dici potuit, quam anus. Caſta vero aut pudica (quid differant, docet Nonius) ſi vera ſunt, quae ſupponimus, dici qui hoc genus homines ſeneſcere non ſolent; vel quaſi ἄνευ, a libidine; ut e contrario Eunuchum Phavorinus dictum παρὰ τὸ εὖ νοῦν ἔχειν, quod bonae mentis compos eſſe exiſtimetur, quia Venereis abſtineat; quae veteres ἀνόητα dixerunt. Caſta etiam & pudica, quia talis forte videri volebat, & aliquandiu credebatur: vel forte, quia etiam de ejus innocentia, nocens an innocens eſſet, dubitabatur; ut de Cornelia Maxima Veſtali, quae a Domitiano inceſti damnata & viva defoſſa fuit (dubitatum eſt tamen, an non innocens eſſet) de qua Plinius *libr.* 4 *epiſtola* 11. & meminit Suetonius *in Domitiano cap.* 8. Et de Clodia Laeta Veſtali, quam Antoninus Caracalla vivam defodit, quae tamen exclamabat, ſcire ipſum Antoninum, ſe virginem eſſe, auctore Dione. Meretrix denique, quia impudicitiae damnata. Et quidem exitum tali monſtro dignum habuit, SUBLATA. NEQUE. FAME. NEQUE. FERRO. NEQUE. VENENO. SED. OMNIBUS. Poterat ex more, ut portentum, in mare deportari. Sed cum ſuſcepiſſet tantum ſceleris, quantum (ut de inceſto Catullus ait)

—— —— —— non ultima Thetis,
Non genitor Nympharum abluat Oceanus.

non eſt in mare dejecta, ne etiam (ut Cicero *pro Roſcio* ait) ſi delata eſſet in mare, ipſum pollueret, quo extera cum violata ſunt, expiari creduntur. Sed ſub terram viva defoſſa, quo genere ſupplicii odioſiſſima quaeque libidinis genera vindicabantur; ut ſi Veſtalis virgo devotam violaſſet pudicitiam, & ſacratum Veſtae corpus alienis libidinibus proſtituiſſet, expiationis gratia ſub terram defodiebatur, lucerna tantum, pane, aqua, lacte, oleo relictis, ne videretur inedia periiſſe; ut teſtatur Dionyſ. Halicarnaſſeus & Plutarchus in *quaeſt. Rom. cap.* 96. Idemque antiquitus fieri ſolitum androgynis, & quicunque contra naturae legem coiviſſent, teſtatur Clemens Alexandrin. *lib.* 3. *Paedagog. cap.* 3 ἀγαμαι τοὺς παλαιοὺς Ῥωμαίων νομοθέτας· ἀνδρογύνους ἐμίσησαν, θηλυδρίαν εἶναι τοῦ σώματος τὴν φύσιν. τὸ θῆλυ κοινωνίαν παρὰ τὸν τῆς φύσεως νόμον, ὀρύγματος κατηξίωσαν, κατὰ τὸν τῆς δικαιοσύνης νόμον. Sed ne hi, qui poenae loco in terreſtres ſpecus & (ut Plinius ibi vocat) cubicula ſubterranea per carnificem demittebantur, ſanguine adhuc vivo terram ſubituri (ut Juvenalis loquitur) inedia necati viderentur, quod illegitimum eſt poenae genus; ut Martianum retuliſſe in *l.* 10. *D. de interd. & releg.* ex Baſilicis docuit Cujacius: ideo ſolebat cibi eis aliquid addi (ut modo ex Plutarcho dictum eſt) ut apud Sophoclem Creon jubet defoſſae Antigonae φορβῆς τοσοῦτον ὡς ἄγος μόνον προθεῖναι. Itaque etiam Criſpidi huic aliquid cibi additum, atque inſuper & venenum & ferrum, quo ſibi ipſa vitam, ſi vellet, finiret, datum fuiſſe non temere conjicio: prout etiam aliis quibusdam morte damnandis veneni potum vel liberam mortis facultatem ex gratia conceſſam legimus. Ut jam dubium ſit, famene extincta ſit tandem, an ſe ferro vel veneno ipſa confecerit, famis & ſolitudinis impatientia. Hujus autem corpus etſi ſub terrae concavo jaceret, ſed non legitima ſepultura nullisque juſtis factis; ipſa tamen, id eſt, ipſius anima ex veterum opinione neque coelo adhuc recepta fuerat, neque Stygiam paludem trajecerat, ſed circa littora inferna, terramque continuo volitans, volutabatur. Cicero *in ſomnio Scipionis cap.* 9 *Eorum animi qui ſe corporeis voluptatibus dedidere, earumque ſe quaſi miniſtros praebuere, impulſuque libidinum voluptatibus*

Digitized by Google

ximo littore inhumatae noſtrorum animae. Miſerum me, vera ne haec ſunt, an mens aſpicit? laceros video manes; & truncas partibus ſuis umbras. Et Achilles Tatius *lib.* 5. ait: *eorum animas, qui in aquis pereunt, non omnino quidem ad infera deſcendere, ſed propter aquas continuo circumferri:* λέγουσι τὰς ἐν ὕδατι ψυχὰς ἀπολλυμένας μηδὲ εἰς ᾅδου καταβαίνειν, ὅλως ἀλλ᾽ αὐτοῦ περὶ τὸ ὕδωρ ἔχειν τὴν πλάνην. Et hoc ſignificare videntur illa aenigmatis verba: NEC. COELO. NEC AQUIS. NEC. TERRIS SED UBIQUE JACET. Vel (ſi hoc magis placet) incluſa culleo cum illis, quae dixi, & in mare dejecta fuit, exemplo parricidarum, ut ei aër vivae, terra mortuae, aqua naufragae, littus ejectae denegetur; ut eleganter Cicero ait *pro Roſcio Amerino cap* 26. & Conſtantinus Imp. *l.* 1. *C. de his qui par. vel liber. occid.* dubiumque ſit, marine aut a beluis marinis abſorptum corpus, an ad littus aliquod ignotamque arenam delatum & ejectum ſub dio jaceat, coeloque tegatur, dum non habet urnam. Ubique autem eſſe dicitur, quod quo loco ſit, neſcitur, quia poteſt eſſe omnibus. Nam & inceſtos culleo incluſos & mari dejectos, auctor mihi haud vanus Abdias Babylonius *libro* 3. ubi puerum Soſtratum a matre inceſti ſecum tentati accuſatum, a Proconſule Achajae culleo includi & in flumen projici juſſum refert, niſi a divo Andrea Apoſtolo mirabiliter liberatus eſſet. Quibus addo verſus non abſimiles in epitaphio antiquo Ariadnae cujuſdam:

Ignis habet corpus, ipſam coelum animam,
Vexit aqua partes, terra habet hic cineres.
Ignis, aqua, terra, coelum ſimul capiunt.

Interim tamen huic Criſpidi Priſcius quidam hoc monumentum collocavit, non ſane pietate ductus, ſed ut ad poſteros memoria portenti extaret. LUCIUS. AGATO. PRISCIUS. NEC. MARITUS NEC. AMATOR. NEQUE. NECESSARIUS. NEQUE. MOERENS. NEQUE. GAUDENS. NEQUE. FLENS. non ſubdit, *ſed omnia:* extraneus igitur. HANC. NEQUE. MOLEM NEC. PYRAMIDEM. NEQUE. SEPULCRUM. SED. OMNIA Nam licet Aegyptias illas pyramides mole ſua & magnitudine minime aequet, forma tamen refert, quia in pyrae ſimilitudinem factum Non eſt etiam proprie ſepulcrum, quia corpus intus non habet; cenotaphium igitur & quaſi quodammodo ſepulcrum, *l* 42. *D. de relig. & ſumpt. fun.* SCIT. ET. NESCIT. CUI POSUERIT Criſpidi quidem ſe ponere ſciens, ſed virone an feminae, ſonti an inſonti, quomodo mortuae, & quo jam in loco conſtitutae, haud ſatis ſciens. Neque his aſſimile alterum illud antiquum, quod, ſatis pervulgatum licet, adſcribam:

Cum mea me genetrix gravida geſtaret in alvo,
Quid pareret, fertur conſuluiſſe Deos.
Mas eſt, Phoebus ait: Mars femina: Junoque neutrum:
Sed qui ſum natus, hermaphroditus eram.
Quaerenti letum, Dea ſic ait: occidet armis;
Mars, cruce: Phoebus, aquis; ſors rata quaeque fuit
Arbor obumbrat aquas, aſcendo: labitur enſis,
Quem tuleram, caſu labor & ipſe ſuper.
Pes haeſit ramis, caput incidit amne, tulique
Femina, mas, neutrum, flumina, tela, crucem.

Et haec ſufficiant obſcuriſſimi aenigmatis explicationi, quae ſi non per omnia liquida claraque (quomodo enim poſſet?) probabilior tamen videbitur illorum commentis, qui de Niobe alii, alii de anima, alii de Idaea, alii de materia prima, alii etiam de aqua pluvia nimis ſuaviter ſunt interpretati. Quam tum demum eruditis probatum iri ſperabo, cum tibi Joannes Ludovice Hainzeli, cujus judicii eam facio,

QUod in tractatu de Fama notavi, Poëtas aliquamdiu de ſtudio quidpiam depravate referre, dum τὸ πρέπον Famae obſervant, quae in rebus praeſertim antiquis aliquid mendi trahere ſolet; id ex eo mirifice confirmatur, quod Poëtas circa quasvis res, non ſolas fabulas vel hiſtorias, ad vulgi ſaepe magis opinionem alludere, quam rei veritatem exprimere animadverti. Ita enim ad illum Horatii locum *lib.* 1. *Ode* 34. *v.* 5.

—— namque Dieſpiter
Plerumque per purum tonantes
Egit equos volucremque currum.

vetus interpres manuſcriptus recte annotat, ex vulgari opinione plerumque Poëtas ſenſus concipere; veluti hic, ubi dicuntur tonitrua per ſtrepitum curruus & quadrigarum Jovis fieri: quomodo idem Lyricus *lib.* 1. *Ode* 12. *v.* 58.

Tu gravi curru quaties Olympum.

Cui ſimile, quod ſolem occidentem Herculeo freto non ſine ſtridore illabi ineptum vulgus credebat; ad quod ſubinde Poëtae alludunt. Et *lib.* 2. *Ode* 3. *v.* 25.

—— —— omnium
Verſatur urna, ſerius ocyus
Sors exitura ——

poëtice dictum, quaſi ſorte ducamur ad mortem, ſecundum opinionem vulgarem, quae affirmat, ſorte ductos ad morten ab Orco trahi: in urna enim ſortes conjectae verſantur. Qui forma loquendi & Auguſtos noſtros uſos videas. Zeno in *l.* 17. *C. de re milit. Supplere numeros pro his, qui fatalibus ſortibus decreſcent.* Honorius *l.* 18. *C. de epiſc. & cler. Si quis ex his naturali ſorte fuerit abſumptus.* Ex eodem *lib. Ode* 13. *v.* 24.

Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus.

Idem annotat, quod de Sappho & Alcaeo dicit Horatius, idem ex vulgi opinione intelligendum de omnibus, quod eadem agant tractentque apud inferos, quae in vita ſolebant, ut paulo poſt Orionem venationi adhuc ſudere fingit: denique, ut Heſiodus docet;

—— quae gratia curruum
Armorumque fuit vivis, quae cura nitentes
Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos.

Qua de re Macrobius in *ſomn. Scip. lib.* 1. *cap.* 9. Et apud Juvenalem *Satyra* 3. *v.* 260.

—— perit omne cadaver
More animae ——

Vetus interpres, ſecundum vulgus dictum, quod nihil putat eſſe animam, poſtquam mortuum fuerit corpus, quia deſinat apparere, velutique una cum corpore ſepeliri. Virgil. *lib.* 3. Aeneid. *v.* 67.

—— animamque ſepulcro condimus.

Cicero *Laelio cap* 3. *in fin. Neque aſſentior iis, qui nuper differere coeperunt, cum corporibus ſimul animas interire, atque omnia morte deleri.* Imo iidem Poëtae aliquando manes & Aeaci judicium, quaſi fabuloſum irrident. Horat *lib.* 1. *Ode* 4. *v.* 16.

Jam te premet nox, fabulaeque manes,

ex ſententia profani vulgi, apud quod, ut Juven. *Sat.* 2. *v.* 149. ait

Eſſe aliquos manes & ſubterranea regna,
Et contum & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque una tranſire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, niſi qui nondum aere lavantur.

Et addit: Poëtae nulli ſectae ſe adſtringunt, ſed prout diverſe ſentiunt, diverſe loquuntur. Etiam de eadem anima aliter ſentiunt; ut apud Horatium *lib.* 1. *Ode* 10. *v.* 17.

Tu

Digitized by Google

& Poëtarum furores dicti. Nam & Plato *lib. 4. de legibus* ſcribit, priſcam fabulam eſſe & receptam, Poëtam cum in Muſae ſedet tripode, tunc minime mentis eſſe compotem, ſed quaſi fontem demanare, & quidquid in ſe affluit, effundere. Neque mirum eſt, Poëtas, cum a populo legi probarique unice optaverint, hoc etiam ſibi induliſſe, ut populari ſeu more ſeu errore quandoque loquerentur.

CAPUT XXVIII.

Quantum differat ſtipulatio Pamphili a legato penus.

SI ſine die quis ita ſtipuletur: *Si Pamphilum dederis, centum dare ſpondes*, poenalem ſtipulationem non ante committi ſenſit Pegaſus, quam deſinat Pamphilus dari poſſe, ut ſi mortuus ſit, evictus, manumiſſus, alienatus, ab hoſtibus captus. Sabinus ſententiae contrahentium magis conſentaneum, ut quamprimum homo potuit dari, ſi datus non ſit, poena debeatur, etiamſi res adhuc ſalva ſit. Pegaſi ratio fuiſſe videtur, quia cum ſtipulatio a conditione incipiat, non videntur voluiſſe contrahentes dari Pamphilum, quem ſtipulati non ſunt. Et ſane Pegaſi ſententia Papiniano probatur in eo caſu, quo ſtipulatio a conditione incipit; ut optime Cujacius docet in *l. 115. D. de verbor. oblig* Sabinus dicti rationem nullam habuit, & exemplum tantum allegat penus legatae. Si teſtator legaverit, *niſi penum dederis heres, centum dato*; heres ſi penum dare potuiſſet, nec dediſſet, confeſtim in pecuniam legatam teneretur, *l. 1. D. de penu legat. l. 19. & l. 24. D. quan. dies leg. ced. Idque utilitatis cauſa receptum eſſe*, Papinianus ait, *l. 115. §. 2. D. de verb. oblig. ob defuncti voluntatem & ipſius rei naturam:* quia nimirum (quod nemo explicare curavit) utile eſt hoc legatum quantum ocyus ſolvi, & haec res maturationem deſiderat, quippe vitae neceſſitates alimenta continens, *l. 8. D. de tranſact.* atque etiam quia penus, ſi dari differatur, mora deterior ſit; cum ſit ex his, quae ſervando ſervari non poſſunt: hanc Papinianus voluit ſignificare rei naturam. Atque ideo heres, niſi cum interpellatur, incontinenti, id eſt, cum primum commode potuit; hoc enim cum aliquo ſpacio accipiendum eſt, *l. quod dicimus 105. D. de ſolutionibus.* penum dederit, moram feciſſe & in poenam incidiſſe intelligitur, *l. 1. §. item ſi 8. D. ad Leg. Falcid. d. l. 24.* Quam tamen evitare moramque purgare poteſt, penum ante litem conteſtatam dando, *d. l. 19. d. l. 1. D. de pen. leg.* Verum haec utilitatis ratio in ſtipulatione Pamphili non eſt tanta: nec ſequitur ſane Papinianus Sabini ſententiam in caſu propoſito; cum ſtipulatio a conditione incipit, ſed in altero caſu, cum ita concepta eſt: *Pamphilum dare ſpondes? ſi non dederis, tantum dare ſpondes?* Quo caſu, credo, & ipſe Pegaſus dixiſſet, confeſtim Pamphilum peti poſſe, vel Pamphilo negato poenam, nec expectandum, donec Pamphilus dari non poſſet; quia hic apparet, contrahentes dari Pamphilum voluiſſe, nec in conditione & praeſtatione tantum poſuiſſe. Male igitur uſus eſt Sabinus exemplo penus legatae, quod legatum valde diſſimile eſt a ſtipulatione Pamphili. Stipulatio Pamphili ſi inceperit a ſtipulatione, Pamphilus debetur & efficaciter peti poteſt, etiam poſt moram, & poenam commiſſam, ſi id actum eſt, *d. l. 115. in fin* Legato penus, cui adjecta eſt damnatio poenae, pe-

ut dixi, *utilitatis cauſa receptum eſt*, & (ut ei[illegible]; *ad heredis indevotionem coërcendam.*

CAPUT XXIX.

Explicata l. 69. D. pro ſocio.

NOllem in hac lege explicanda aliquid operae ponere, niſi vir magnus difficilem, & ſibi ipſam non intellectam ſcripſiſſet. Species haec mihi eſſe videtur: Quidam nundinarum tempore ſocietatem ad emendum contraxerunt; particularem igitur: valent enim hujusmodi ſeu ſocietates ſeu collegia ad emendum, *εἰς ἐμπορίαν*; & pactiones ſeu leges ſocietatis, in eis conventae, quatenus nihil juri publico derogant, jam inde a lege Solonis, *l. ult. D. de colleg.* Horum unus recepit caeteros, quamdiu comparandis mercibus occupati eſſent, paſcere & alere. Ulpianus *nundinarias epulas* vocat, qui nimirum per nundinas, ſive tempore nundinarum praeſtantur; ut *nundinalis coquus* apud Feſtum, qui nundinarum tempore coquit. Neque hoc ſolum ille recepit, verum etiam caeteros a negocio dimittere, i. e. ſi illi emendo & mercando venditoribus ſe obligaſſent, eos liberare; venditoribusque ſatisfacere, ut illi re omni ex parte tranſacta domum libere abire poſſent. Non liquido dixerim, quomodo dimittendi verbum ad nundinas pertinet Nonius quidem in *Nundinae: Varro Marcipore: Majores ſunt pueri, hi puſilluli nigri, qui ſpectant nundinas, magiſter ut dimittat ſuus.* Duplex igitur pactum fuit, & utrumque ſocietatis contractui in continenti adjectum, ideoque ad actionem utile. Et ex primo quidem pacto, ſi epulas promiſſas ſociis non praeſtet, pro ſocio cum eo agere poterunt. Contrahitur aliquando ſocietas, ut unus ſumtum, alter operam conferat, *l. 5. & ſeq. l. 29. §. 5. D. pro ſoc.* Hic convenerat, ut plerique operam ſuam ad coëmendum, unus illis neceſſarias epulas conferret; quod pactum ſervandum eſt: & ſi non ſervetur, atque ita ſocii alibi divertere neceſſe habeant, conſequentur actione pro ſocio eum ſumtum, quem ibi in victum fecerunt, *l. 52. §. ſi quis ex ſociis 15. D. eod.* Agetur & cum eo actione ex vendito, ſed non epularum nomine (neque enim de epulis tantum praeſtandis conventum proponitur) verum ex poſteriori pacto, quo ille recepit caeteros a negotio dimittere, venditores, qui ejus praecipue contemplatione & fiducia cum ſociis contraxerunt, de pretiis eum ex vendito convenient, exemplo mandatoris, *l. Julianus 13. §. ſi procurator 25. D. de act. emt.* Duplex pactum proponitur; duplex actio. Ex hoc igitur pacto haec actio; ex illo illa. Et poſtrema legis verba in hunc modum ſi non reponenda, certe accipienda ſunt: *& pro ſocio, ſi eas eis non ſolverit, & ex vendito cum eo agendum eſt*; ne ad hanc conditionem utraque actio referri videatur.

CAPUT XXX.

Actionum utilium, ex novis negotiis, cum novorum morborum remediis comparatio.

CUm paucae eſſent Jure Civili cognitae contractuum ſpecies, qui propter quotidianum aſſiduumque uſum peculiaria etiam nomina ſortiti eſſent; emerſere paulatim nova & varia negotiorum genera, quae cum proprium nomen non haberent, ceſſave-

Digitized by Google

ks, ut hæc negotia notiſſimis illis vicina & quaſi germana noſcebantur. Ita negotium, Do ut des, ſimile eſt emtioni venditioni; Do ut facias, locationi conductioni; Facio ut facias, mandato vel ſocietati, *l. naturalis 5. D. de praeſcr. verb.* ita in *l. gratuitam* 17. §. *Papinianus 2. eod.* negotium quoddam depoſito ſimile proponitur, & quod eſt in *l. 1. §. ult. eod.* mandato ſimile videtur: & precarium, ex quo datur eadem actio, commodato ſimile eſt, *l. 2. D. de precar.* Ex his igitur negotiis quae datur actio, praeſcriptis verbis vocatur, quae in locum vulgatarum atque uſitatarum actionum ſuccedit in negotiis ſimilibus, *l. 1. & ſeqq. D. de praeſcript. verb.* ut in *l. ſi convenit 6. D. de reſcind. vend.* ex negotio, de quo ibi agitur, dicitur dari *proxima empti actioni actio*, id eſt, praeſcriptis verbis. Quae actio rurſum locum non habet, quando negotium ita eſt novum & inuſitatum, ut nulli comparari poſſit penitus ex nominatis contractibus, quale eſt negotium, Facio ut des. Sed tamen perfidiam vindicandam ſubſidiaria illa actio de dolo datur, *d. l. 5. §. ult.* quam Cicero eleganter *lib. 3. de Nat. cap.* 30. *everriculum malitiarum omnium* appellat. Et quod de contractibus dixi, idem eſt de omnibus negotiis & factis omnibusque actionibus; ut, ſi quo caſu directo & mero jure competere non viden- nova negotiorum, ſic nova quotidie & incognita morborum genera oboriuntur, in quibus nihil adhuc uſus oſtenderit. Sed illi non etiam ſtatim de novis remediis cogitare, verum primum videre ſolent, cui morbo is proximus ſit, & tentando remedia ſimilium & vicinorum morborum opem invenire; ut apud Cornelium Celſum diſcere eſt *lib.* 1. Ubi autem multum diverſa fuerint morborum genera, tum quidem differentibus curationis modis utuntur, &, ut eleganter Salvianus ait, *de Gubernatione DEI libro 6. Optimi ac peritiſſimi Medici diſſimilibus morbis curas diſpares praeſtant, atque aliis per dulcia medicamina, aliis per amara ſuccurrunt, & quosdam curant cauteriorum aduſtione, quosdam malagmatum placabilitate, aliis adhibent duram ferri praeſectionem, aliis blandam infundunt olei lenitatem; & tamen diverſiſſimis licet curis eadem ſalus quaeritur.* Nec tamen deſunt eis ſubſidiaria quaedam, quibus etiam novis & incognitiſſimis morbis, caeteris remediis deficientibus, mederi poſſent, quaeque eis ſint everriculum (quod nobis illa de dolo) morborum omnium; quae inde *Panchreſta* & *Polychreſta* appellantur. Plinius *lib. 23. cap. 7.* Tullius *in Verrem lib. 3. cap. 65. Cum omnes ejus comites iſte ſibi ſuo illo panchreſto medicamento amicos redemiſſet.*

F I N I S.

SUMPTIBUS JOANNIS BROEDELET.
M D C C X X X I I.

XII.
12.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google